R-4901

MOLINA, Luis de (S.J.) (1535-1600)

De Iustitia et Iure : Tomus primus / Ludovici Molinae... — x Moguntiae : excudebat Balthasar Lippius, Sumptibus Hermanni Mylii Birckm, 1614

[redacted]

Nota : El Nombre del autor precede al Titulo.

[illegible] SANCHEZ
LIBRERIA
21, CARRETAS, 21
Madrid.



R. P.

LODOVICI MOLINAE,

PRIMARII QVONDAM
In Eborensi Academia
Sac. Theologiæ Professoris,

E SOCIETATE IESV

DE IVSTITIA ET IVRE,

TOMI. VI.

Cum summariis et indicibus disputationum, locorum sacræ scripturæ, et rerum memorabilium copiosis.

Seminarium Iustitiam, merces fidelis. Prov. 11.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
sumptibus
HERMANNI MYLII
CIↃ. IↃC. XIII.
Cum permissu superiorum et privilegio.



R. P.

LODOVICI MOLINAE,

PRIMARII QVONDAM IN EBORENSI ACADEMIA S. THEOLOGIAE Professoris,

E SOCIETATE IESV,

DE

IVSTITIA ET IVRE

Tomus Primus,

Complectens Tractatum Primum, & ex Secundo Disputationes CCLI. vsq; ad vltimas voluntates inclusiuè.



MOGVNTIAE,

Excudebat Balthasar Lippius, Sumptibus HERMANNI MYLII BIRCKM.

Cum gratia & priuileg. Sacr. Cæsar. Maiest.

ANNO cIↃ. IↃc. XIV.

APPROBATIO
TOMI I.

EGo Ægydius Gondisaluus Dauila Societatis Iesv Prouinciarum Toleti & Castellæ Visitator, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua, Præposito generali, facultatem concedo, vt primus Tomus de Iustitia à P. Ludouico de Molina compositus, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Compluti die 23. Aprilis 1592.

Ægydius Gonsalez.

EGO Doctoris Ludouici Molinæ è Societate Iesv *(cuius titulus, de Iustitia Tomus primus) vidi de mandato supremi Senatus, in quo nihil reperi, quod doctrinæ Sanctorum, quæ est Ecclesiæ, aduersetur, quin imo in grauissima materia Author omnia scrutatur, & perpendit summo iudicio, & diligentia: vnde poterit cum magna vtilitate typis mandari. In conuentu S. Philippi de Madrid. 25. die Iunij, Anno 1592.*

F. Gabriel Pinelo.

APPROBATIO
TOMI II.

Sennor

POR mandado de vestra Altera mẽ dio el Rector de esta Vniuersidad, vn libro del Doctor Luys de Molina de la Campania de Iesvs, en que trata de los contratos, y me dixe que le viele y despues le de se mi parecer sobre el, en lo que tocase a mi profession, serrado y sellado para enuiarle a V. A. Yo le e visto y passado todo con el quidado que he podido, y en lo que es de mi profession no he hallado en el cosa en que se deua reparar, si no que en todo tene dotrina muy buena y segura, y que iunta lo que en estas materias es de Teologos, con lo que ay derechos: de manera que sera de grande adiuda a entrambas facultades para la resolucion de las dificultades que cada dia se offrecen en ellas, y los Teologos no se que tengan a este proposito cosa de mayor importancia, y ansi entiendo que hara V. A. muy grande seruicio à Dios y bien à la republica en mandar que se imprima, y con esto e cumplido el mandado de V. A. y lo firmo. En Salamanca à cinco de Março de mil y quinientos, y nouenta y seys annos.

Iuan Alonso de Curiel.

Sennor

POR mandado de V. A. emos visto tres cuerpos de vn libro que a compuesto el Doctor Luys de Molina de la Compañia de IESVS, intitulado, de iustitia Tomus secundus, de Contractibus, y no auemos hallado en el cosa, que ofenda, antes nos ha parecido que tiene buena y sana dotrina, y mucha resolucion, y que se tratan en el los puntos derecho con mucha erudicion y propriedad, y ansi no sera menos prouechoso para los Iuristas que para los Teologos, y siendo V. A. seruido podra hazer merced al Autor de darle licencia para que lo pueda imprimir.

Doctor Sahagun de Villasancte.
Doctor Iuan de Leon.

APPROBATIO
TOMI III.

LEGI quapotui diligentia Tomum tertium de Iustitia doctissimi, & non satis pro meritis laudati, Doctoris Lodouici Molinæ è Societate IESV à Regio Senatu mihi commissum: opus quod fidei nihil habet aduersum; in quo ad amussim Theologicam peritissimè ac exactissimè reducit ea, quę de Maioratibus, Tributis, delictis & quasi delictis circa bona externa, atque de restitutione in genere, & circa eadem bona Iurisperiti disputant. Quibus labor hic & iucundus & necessarius procul dubio erit, sed maximè Theologis, qui huc vsque non viderat nexos hos Iurisperitiæ titulos cum conscientiæ & Theologiæ regulis. Quare opus dignissimum mihi visum est, quod typis mandetur. Madriti è nostro monasterio sanctissimæ Trinitatis, idibus Decembris, Anno Domini 1598.

Magister Frater Didacus de Auila.

PARTIS POSTERIORIS.

OPUS hoc de delictis & quasi delictis, Iustitiæ Commutatiuæ circa bona externa contrarijs, Clarissim. Doctoris, & Professoris Ludouici Molinæ è Societate IESV, pari laudis præconio, quo altera huius Tomi pars pridem in lucem edita, dignum est. Præsertim cum restitutionis campus in eo maiori diligentia & labore, quam ab alijs, videatur excultus. Vnde non sacræ Theologiæ modo, sed & iuris prudentiæ studiosis, magno vsui futurum est: quodque in omnium manibus summa cum vtilitate versetur, dignissimum. Antuerpiæ in seminario Episcopali, 14. Ianuar. 1608.

Laurentius Beyerlinck, Antuerp. S. Theolog.
Licent. Eccles. Antuerp. Canonicus, &
Librorum censor.

APPRO-

APPROBATIO
TOMI IV.

RECensui Tomum quartum disertiss. & acutiss. Doctoris Ludouici Molinæ, quo eam iustitiæ commutatiuæ partem complectitur, quæ circa bona corporis, & personarum nobis coniunctarum versatur, eumque haud secus quam tres priores, non dignum modo, sed & necessarium iudicaui, qui prælo committatur: cuiusque doctrina & solida eruditio, omnium oculis & mentibus hauriatur. Antuerpiæ in Seminar. Episcopali 16. Ianuar. 1608.

Laurentius Beyerlinck, Antuerp. S. Theolog. Licent. Eccles. Antuerp. Canonicus, & Librorum censor.

APPROBATIO
TOMI V.

IDEM *de quinto Tomo Doctoris Ludouici Molinæ, quod de prioribus, iudicium esto. Talem videlicet eum esse, vt nihil in eo, quod ad accuratam materiæ propositæ tractationem facere posset, desideretur, quare etiam merito in lucem edi, & prioribus adiungi poterit.*

Laurentius Beyerlinck, Antuerp. S. Theolog. Licent. Eccles. Antuerp. Canonicus, & Librorum censor.

APPROBATIO
TOMI VI.

SEXTVS hic Tomus de iustitia, eximij Doctoris Ludouici Molinæ, non solum approbationem, sed longam commendationem multis nominibus meretur: quippe in quo, quicquid de iudicio, & executione iustitiæ per publicas potestates tractari potest, doctè & solidè eluceat, & legum tractationem longè vtilem, cuius progressui mors inuidit, contineat. Vnde ad communem Theologicæ & Christianæ reipubl. bonum typis mandari oportere censeo. Antuerp. in Seminario Episcopali 17. Ianuar. 1608.

Laurentius Beyerlinck, Antuerp. S. Theolog. Licent. Ecclesiæ Antuerp. Canonicus, & Librorum censor.

COPIA

COPIA PRIVILEGII ET FACVLTATIS SVPERIORVM.

CVM *ex mandato Sacræ Cæsareæ Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcunque librariam negotiationem exercentibus, serio firmiterq; inhibeatur, ne quisquam libros vllos, à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut in posterum edendos, intra Sacri Imperij, regnorum, & dominiorum suæ Cæs. Maiest. hæreditariorum fines, simili, alióue charactere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam, seu palam, citra supradictorum Patrum consensum, ac testimonium audeat, vel præsumat. Ego* HENRICVS SCHERENVS *Societatis* IESV *per Rheni Prouinciam Prouincialis, concedo* HERMANNO MYLIO *Facultatem excudendi* LODOVICI MOLINÆ TOMOS VI. DE IVSTITIA ET IVRE. *In quorum fidem hoc ei testimonium, manu nostra subscriptum, & sigillo munitum dare voluimus. Coloniæ 21. Martij, Anni 1613.*

HENRICVS SCHERENVS M. P.

PHILIPPO HISPANIARVM PRINCIPI AVGVSTISSIMO:

QVIDNAM erit Princeps Augustißime, cur ducta iam inde à Senioribus annis consuetudine Scriptorum plerique suarum lucubrationum monumenta, nisi sub Regum præsidio, tutelaque proferre non audeant? Si nuncupatione patrocinium quærunt contra mordacitatem obtrectatorum, equidem in me haud receperim fore, vt id genus hominum Cynica efferatum rabie dentem ob id cohibeat: cum venatici canes nullo discrimine feras, etiam regia in sylua regum delicijs dicatas, acriter exagitent, ac morsu lacessant. Sin autem id agunt, non tam conciliandæ gratia, quam persoluendi officij causa, rati debere se hoc summis viris, præcipue Regibus, quorum in hæc studia regalis beneficentia vela panduntur omnia, honesta sane causa, sed & iusta permouentur. Ego vero, Princeps maxime, vt secũda moueat, prima certe nec moueor, nec moueri vnquam potero: non quin tuo indigeam præsidio, quo tot vrbes tam opulentæ, tot regna tam inclyta, tot prouincia tam amplæ indigent, sed quia illa metuetur Diui Augustini immortalitate digna sententia aientis, malle se reprehẽdi à reprehensore falsitatis, quam ab eius laudatore laudari. Transuersas censorum lineas, si ad amussim veri iudicij sincere illinantur, perinde suspiciam atque Apellis, paratus, vt par est, stylum vertere, si quod in meis commentariis peccatum iure sit animaduersum. Secunda igitur inter alias causa, qua ratione officij tota nititur, vehementer adductus, tua Maiestati hos de Iustitia Commentarios, laboribus elucubratos meis consecro, dedicoque: atque vt clientes Principibus in famulatum filios addicunt suos, sic ego mentis meæ fœtus (tuo nomine id genus opera Clemens Alexandrinus appellauit) tibi quo possum studio supplex offero, atque vt fidens offeram tua me imprimis humanitas digna Principe, dein aliæ, & quidem iuste, causa commouent & commonent. Nam cum iustitia fruenda causa Reges olim constituti sint, vt scribit Herodotus, eaque virtus prope vna, & sola sit firmamentum imperij, regiæ dignitatis ornamentum, iniuste facerem, si hunc de iustitia librum alteri, quam Regi, aut Principi, qui spe tanti imperij iam nunc opulentis regibus superior est, nuncuparem. Huius quidem argumentum operis de iustitia, quam Soli

Lib. 1. de Trin. c. 3.

Stromat.

Cic. 2. de offic.

veteres dedicabant, ob id iudicia aduerſo ſole exercentes, deberi videbatur patri Philippo, cuius illud circumfertur ſpecioſum emblema: Sol quadrigarum inuehens curru: addito elogio. IAM ILLVSTRABIT OMNIA. *Sed cum ſub illius ſolis luce in lucem edita nuper à me ſint Commentarij in primam partem Diui Thomæ, quos in Eborenſi Academia dictaueram, nunc proximum hoc opus, quod, præter alia, in eodem Lyceo auditorum auribus dederam, alteri Philippo deſtinare placuit, qui patrem, vt nomine, ſic & factis referet, eiuſque in ſeruanda iuſtitia integritatem, & conſtantiam, vt ſpes eſt, æmulabitur. Quæ cum ita ſint, Princeps clariſſime, accipe debitum tibi multis nominibus hoc iuſtitiæ, quæ te ſola facere Regem, & ſeruare poteſt, monumentum in communem Reipublicæ, quæ ad te maxime attinet, vtilitatem à nobis erectum, erectum inquam, dum ad tantæ Celſitudinis pedes ſtatuitur, commendationem, celebritatemque exinde habiturum. Nos interim, quod reliquum eſt, in vota, precesque effuſi, tuam hanc ætatem filo fluentem aureo fauſtis omnib. proſequemur. Enitere tanti magiſtratus, Candidate vnice, enitere hæres per vtrumque Oceanum longe, lateque fuſi, & ad geminos cœli cardines recurrentis imperij, & per omnes virtutum gradus ad culmen Regiæ dignitatis contende. Semina patriæ virtutis in te altius iacta indulgẽte cœlo dignam infrugem adoleſcant, & te animo repetentem exemplatuorum, & pater Philippus, & Carolus auus ad ſolidam, germanamque iuſti Principis effigiem tuis exprimendam moribus excitent, vt cum tibi pater exacto fœliciter ætatis curſu lampada tradiderit, qua iam illuſtrauit omnia, Regnũ, & auitis armis, & paterno conſilio florentiſſimum ſerues, & amplifices: nec non iuſtitia, quæ pulſa mortalium ſceleribus in cœlum ſubimis abiiſſe fingitur, indidem in terras, in publica priuataque domicilia, in forum, in prætoria, in Senatum tuis deuocetur auſpiciis. His artibus moderatus orbem, poſtquam tua ætas multos, vt optamus, Solis anfractus, reditusque conuerterit, ad cœlum, quo Iuſtitia ceſſit, conſcendes, non vt illa inter libram, leonemq; ſigna iuſtitiæ, & fortitudinis, ſed inter Hiſpanos Reges harum virtutum laude inclytos, ac cœleſtis aulæ proceres collocandus.*

D. Ludouicus Molina.

AD LECTOREM.

EMissis nuper in primam partem D. Thomæ Commentariis, quos in Lusitania in Eborensi Academia primarius Theologiæ professor auditoribus tradideram, deesse nolui, Lector eruditissime, quo minus datam in eodem opere fidem præstarem. Habes promissum à nobis de Iustitia volumen primum in eadem Officina elaboratum, nunc tamen accuratius recognitum, ex tribus quæ supersunt, cito habiturus aliud, in quo de contractibus disputatur. Quibus vero causis permotus argumentum hoc fuse pertractare animum induxi, imo necesse habui, per initium huius operis cognosces. Equidem non sum in eius multos esse, ad quorum stomachum (quæ cuique est genij & ingenij varietas) nisi perbreui compendio tradita doctrina non faciat, adeo, vt quicquid ea breuitate concinnatum non sit, id vero tanquam ingrati saporis fercula respuant, auersenturque perinde quasi breuitas vna sit, ad quam, vt ad obryzam exigatur omnis de quacunque re summa, infima explicatio. Est profecto, vt dicam quod sentio, magnum operis ornamentum breuitas, ac summe optabilis, si eam fert operis dignitas: verum cum breui ac compendiario dicendi genere vel vt offusa caligine rerum, de quibus agitur, splendor obscuratur ac pene obruitur, id qui postulent, aut rerum dignitati parum consulunt, aut, vt cum Lyrico loquar, sincerum cupiunt vas incrustare. Ecquis iustitiam, quæ longe lateque patet, & per omnes omnium hominum actiones publicas, priuatasque funditur, in summam, compendiumque pro dignitate redigat? Ecquis argumentum rerum ponderе ac varietate maximum in epitomen quasi in fasciculum illiget? Dabis igitur veniam, Lector optime, si in quatuor eaque iustæ magnitudinis volumina, nostra hæc diuisa iustitia venerit in manus, vtinam in laudem numinis, & communem omnium vtilitatem. Vale.

INDEX DISPVTATIONVM, QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

TRACTATVS PRIMVS.

1 De variis iustitiæ acceptionibus.
2 De variis iuris acceptionibus, & in qua sit obiectum iustitiæ.
3 Diuisio iuris in sua membra.
4 Ius naturale quid sit, & an ea, quæ iuris naturalis sunt, mutari queant.
5 De iure positiuo, partibusque illi subiectis.
6 De diuisione iuris tradita à Iurisconsultis, & qua ratione cum diuisione hactenus explicata conciliandæ sit.
7 Distingui num debeat ius paternum, dominatiuum, & œconomicum.
8 Iustitiæ vis & natura explicatur.
9 De iniustitia.
10 Vtrum eo ipso, quod aliquis facit iniustum, dicatur iniustus.
11 Vtrum possit quis pati iniustum volens.
12 De diuisione iustitiæ in commutatiuam & distributiuam. Et num vindicatiua iustitia inter partes iustitiæ subiectas sit connumeranda.
13 Vtrum iustum sit simpliciter idem, quod contra passum.

TRACTATVS SECVNDVS.

1 Quid sit ius ad præsens institutum spectans.
2 De discrimine inter ius ad rem, & ius in re.
3 Dominium quid, & quotuplex sit.
4 De titulo iuris & dominij.
5 De vsu, & habitatione.
6 Vtrum minores fratres dominium aliquod rerum habeant, an solum vsum.
7 De vsufructu.
8 Quot modis vsusfructus constituatur.
9 Quot modis vsusfructus finiatur.
10 De Emphyteusi, feudo, libello, superficiariaque contractu.
11 Quid & quotuplex sit seruitus.
12 Quid, & quotuplex sit possessio.
13 De actibus veris & fictis, quibus possessio comparatur.
14 Seruitutum, & iurium incorporalium possessio, quomodo comparetur.
15 De amissione possessionis.
16 De emolumentis possessionis, & de præsidiis adipiscendæ, recuperandæ, & tuendæ possessionis.
17 Possessionis definitio in sensu formali, nonnullæque diuisiones possessionis.
18 Vtrum solares libero arbitrio pollentes dominij sint capaces.
19 Vtrum existens extra charitatem dominij sit capax.
20 An licite, & quo iure, rerum dominia fuerint diuisa.
21 Potestas quid sit, & de ciuili & Ecclesiastica potestate.
22 De origine Iuræ, ciuilisque potestatis.
23 De supremis potestatibus ciuilibus, Regia scilicet, seu Monarchia, Aristocratia, & Dimocratia, & quænam earum sit præstantior.
24 De ortu imperatoriæ dignitatis, & quatuor illis præcipuis orbis imperijs, de quibus Daniel. 2. Et num iuste fuerint comparata.
25 De regia potestate erga subditos, & erga Regiæ coronæ bona, & num donatio à Constantino Ecclesiæ facta fuerit legitima.
26 Vtrum Regia potestas de iure naturali sit.
27 Quanam ratione seculares legitimæ omnes potestates à Deo sint.
28 Vtrum Christus quatenus homo rex fuerit temporalis, & dominus orbis.
29 Vtrum Summus Pontifex dominium iurisdictionis temporalis, supremamque in vniuersum orbem habeat potestatem.
30 Vtrum Imperator sit dominus orbis.
31 Vtrum Ecclesiastici à ciuili potestate sint exempti, & quo iure.
32 De mancipiis, & primo, vtrum vnus homo in alium comparare possit dominium proprietatis.
33 Tituli quibus dominium in seruos iuste comparatur, & an infantes eorum, qui in Granatensi regno rebellarunt, iuste in seruitutem redigi potuerint.
34 Ex quibus locis mancipia à Lusitanis asportentur. Et quæ eorum iure belli Lusitanorum iuste videantur in seruitutem redacta.
35 De mancipijs ex commercio Lusitano quid censendum.
36 Vtrum qui in hoc Regno, & alijs possident mancipia, de quibus conclusione quarta præcedentis disputationis dictum est, licite illa retineant, & an licite emi possint.
37 Vtrum mancipijs, legitimo titulo in seruitutem redactis, fas sit fugere ad suos.
38 Quousque ius dominorum in seruos se extendat. Et an mancipia habere possint rei alicuius dominium.
39 Quibus modis mancipia à seruitute liberentur.
40 Vtrum Christiana mancipia eorum, qui in tribunali inquisitionis de crimine hæreseos aut apostasiæ à fide damnantur, libera maneant.
41 De acquisitione & amissione dominij ferarum.
42 Fera percussa ab vno, & capta ab alio, aut extracta de laqueo alterius, ad quem pertineat.
43 An venatio licite possit prohiberi, & quousque in communem vtilitatem sit prohibita.
44 Venatio quousque Ecclesiasticis sit prohibita.
45 Possit ne vnusquisque prohibere venationem in agro suo, & vnaquæque communitas prohibere extraneis, ne in terris ipsius venentur.
46 Principes & magnates, quousque deputare sibi possint

loca ad venandum & piscandum, quæ cæteris sint interdicta.

47 *Quousque, qui habent loca cæteris ad venandum interdicta, restituere teneantur damna, quæ feræ intulerint.*

48 *An columbaria licita sint.*

49 *Ad quam restitutionem teneatur, qui iniuste alios venari prohibet. Et num ex venatione solum in commune bonum, aut ratione status prohibita, obligatio restituendi oriatur.*

50 *De restitutione ex venatione animalis, cuius dominium ad alium pertinet, & quid de columbarum aucupio.*

51 *Ad quam restitutionem teneatur, qui in loco ad venandum interdicto, aut in prædio alieno, vel loco communitatis alterius, ipsis inuitis, venatur.*

52 *De custodibus locorum interdictorum, & de damnis, quæ venantes inferunt satis, &c.*

53 *De variis bonorum generibus, quæ domino carent. Et quæ eorum vacantia dicantur, & ad quem pertineant.*

54 *Metallorum venæ antequam inueniantur, an domino careant.*

55 *Dominium bonorum eorum, quæ disputatio. 53. domino carere ostensa sunt, quomodo comparetur thesauris & bonis vacantibus exceptis: & quæ res pro derelictis sint habendæ.*

56 *Thesauri quando inueniuntur, ad quem pertineant.*

57 *De acquisitione & amissione dominij per alluuionem & vnionem, aut permixtionem cum re altera.*

58 *De acquisitione dominij lignorum, quæ in communibus syluis cæduntur, & vniuersim de syluis cæduis.*

59 *De pascuis.*

60 *Exceptio, præscriptio, & vsucapio quid sint.*

61 *Vtrum præscriptio vim habeat in foro conscientiæ.*

62 *De prima conditione ad præscribendum necessaria, hoc est, de possessione.*

63 *De secunda conditione, nempe de bona fide, & an dubium malam fidem efficiat.*

64 *De titulo ad præscriptionem, & quæ ignorantia possessorem malæ fidei efficiat, vel ad præscribendum non sufficiat.*

65 *Quando & quousque mala fides autoris, hoc est, eius, à quo res in alium deriuata est, successori ad præscribendum noceat.*

66 *Vtrum leges ciuiles, concedentes præscriptionem cum scientia iuris alieni, vim habeant circa pœnas, actiones, & iura, præsertim circa ea realia, quibus seruitutes respondent.*

67 *An quando debitum ob malam fidem non præscribitur, præscribatur actio: & quid de triennali præscriptione mercedis famulorum.*

68 *De tempore quo res mobiles præscribuntur, & quæ res immobiles, quæ vero mobiles dicantur.*

69 *De tempore quo res immobiles aduersus priuatos præscribuntur.*

70 *De tempore, quo beneficia, seruitutes, & alia iura ad aliquid iteratis vicibus faciendum, recipiendum, aut exequendum præscribuntur.*

71 *De tempore, quo actiones, & debita præscribuntur, & quo mancipium præscribat libertatem.*

72 *De tempore, quo res immobiles, & quæ cum immobilibus computantur, aduersus Ecclesiam præscribantur.*

73 *De tempore ad res præscribendas aduersus fiscum.*

74 *De tempore ad præscribendum aduersus Principem ea bona, quæ ad illius fiscum non spectant.*

75 *Quando possessio longissimi temporis, scilicet triginta, quadraginta annorum, aut alterius maioris spatij certi, sine titulo ad præscribendum non sufficiat.*

76 *Præscriptio temporis, de cuius initio non est memoria; & centenaria, in quo differant: & quomodo vtraque probetur.*

77 *De tempore ad præscribendum aduersus leges necessario.*

78 *Præscriptio quando non currat, quia nõ incipit, quando cesset, seu dormiat, quando interrumpatur, & quando perpetuetur, seu prorogetur.*

79 *Quæ præscribi non possint.*

80 *De remedio restitutionis in integrum aduersus præscriptionem iam peractam.*

81 *Vtrum per testamentum, aut contractum lege humana nullum, comparari possit dominium.*

82 *Acceptio interdum ob honestam, seu non turpem causam, interdum ob turpem, & quot modis in genere turpitudo contingat.*

83 *De iis, quæ iudices, testes, tabelliones, & alij ministri publici, tanquam pretium ob iustam causam accipiunt, quousque illicite, & cum onere restituendi id accipiant.*

84 *Iudicibus ecclesiasticis quousque permissum aut prohibitum sit aliquid accipere.*

85 *Quæ accipere possint Episcopi, quando ad Ecclesias consecrandas, aut visitandas accesserint.*

86 *Quousque de iure communi iudicibus secularibus fas sit, aut non sit accipere, & quid circa eos, aliosque ministros publicos in hoc, & in Castellæ Regno sit sancitum.*

87 *Pœnæ statutæ dantibus, & accipientibus contra leges disputatione præcedente relatas, præsertim priuationis officiorum, quousque in foro conscientiæ debeantur.*

88 *Quæ contra leges à ministris publicis accipiuntur, quousque, & cui in conscientiæ foro sint restituenda.*

89 *Quod iudex in pretium pro ferenda iusta sententia accipit, cui sit restituendum.*

90 *Vtrum in foro exteriori aliquando actio ad repetendũ ei concedatur, qui iudici aliquid dedit, vt sententiam iustam pro se ferret.*

91 *De pœnis vendentium aut ementium absque facultate Regis officia publica, eaque per alios administrantium.*

92 *Dantes, promittentes, accipientes, aut acceptantes promissionem, pro iustitia aut gratia à Sede Apostolica obtinenda, eisque obtentis vtentes, quibus pœnis subiaceant.*

93 *Vtrum licite quippiam accipiatur pro operationibus aliarum virtutum à iustitia.*

94 *Quæ accipiũtur ob turpem causam, obnoxiane sint restitutioni, & quousque in foro exteriori denegetur eorum repetitio.*

95 *Pœna amissionis propriorum bonorum, quousque commisso crimine, debita sit ante latam sententiam.*

96 *Pœnæ bonorum, quæ propria non sunt delinquentium, quousque vim habeant, nulla expectata sententia.*

97 *Pœnæ conuentionales quousque debeantur.*

98 *De bello cur hoc loco dicendum.*

99 *Vtrum bellum licitum sit aliquando.*

100 *De autoritate ad bellum iustum necessaria, & in quo resideat.*

101 *Vtrum, qui sine legitima autoritate bello, alioquin iuste, damnum dat, teneatur id restituere.*

102 *Communis quædam belli iusti causa, omnes alias particulares complectens.*

103 *Belli causa quousque explorata esse debeat. Et circa rem dubiam an liceat mouere bellum. Et quo pacto*

res sit tractanda, antequam ad arma veniatur.

104 De causis quibusdam particularib. iusti belli, scripturarum exemplo roboratis.

105 De aliis iusti belli causis, quarum quædam probantur, quædam reiiciuntur, aliæ in locum alium remittuntur.

106 Vtrum propter idololatriam, & quædã alia peccata, inferri possit bellum infidelibus.

107 De intentione ad bellum movendum necessaria. Et an liceat quærere occasiones belli iusti.

108 Vtrum Episcopis & clericis licitum sit pugnare.

109 Vtrum in eventibus, in quibus sub lethali culpa tenetur quis cõcurrere ad mortem, aut mutilationem alterius, illa secuta incurrat irregularitatem.

110 Quousque in aliis eventibus in bello, siue iusto, siue iniusto, irregularitas incurratur.

111 In bello an liceat vti insidiis. Hosti quousque fides sit seruanda. An liceat pugnare in die festo. Et meditationes bellicæ quousque liceant.

112 Quando de iustitia belli constat, licitum est extraneis ad id iuuare, & an liceat vocare infideles in adiutorium.

113 Subditi num inquirere teneantur de iustitia belli, & in dubio an possint pugnare.

114 Extranei, nisi certi sint de iustitia belli, an peccent auxilium præstando, & ad quantam restitutionem teneantur.

115 De cooperantibus in bello iniusto, & an Christiani captiui, qui remigant, & alia obsequia in bello Turcarum aduersus fideles præstant, peccent, restituereque teneantur.

116 De Principe cõparatione militum, & de militib. Principis, hostiumque comparatione.

117 In genere quæ liceant in bello iusto.

118 Quando bello de hostium potestate extrahuntur, quæ hostes bello ab alios ceperant, restituenda ne sint prioribus dominis, & de priuilegio postliminij.

119 Vtrum in bello iusto fas sit interficere innocentes.

120 Vtrum fas sit seruituti subiicere innocentes Reipublicæ, cum qua est iustum bellum, & an liceat interficere, vel seruituti subiicere obsides, si hostes promissis non steterint.

121 Vtrum in bello iusto fas sit spoliare bonis suis externis, etiam innocentes. Et de represaliis, quid sint, & quomodo concedantur.

122 In bello iusto an liceat tradere militibus ciuitatem in prædam, & an liceat interficere omnes, qui pro parte contraria arma sumpserunt.

123 De cõpositione inter bellantes, & an Principes sine consensu subditorum componere inter se possint circa damna, quæ subditi pertulerunt.

124 Testamentum quid sit, & quo à cæteris vltimis voluntatibus differat.

125 De testamento in scriptis, seu clauso, & solennitate in eo necessaria.

126 De solennitate in nuncupatiuo testamento requisita, & quando in testamentis necessaria sit publicatio, & quid ea sit.

127 Testamentum absolui debet, vt sit validum, nõnullaque alia circa testamenti solennitatem: & quis numerus testium sufficiat, vbi ordinarij facile dari non possunt.

128 De solennitate requisita in testamento inter liberos.

129 De solennitate testamenti coram Rege facti, & testamenti militis.

130 De solennitate testamenti cæci.

131 De codicillis & solennitate in eis requisita.

132 De clausula codicillari expresse aut tacite apposita, & variis illius effectibus, aliqua miscentur de præteritione, exheredatione, & fideicommissaria substitutione.

133 Vtrum solennitas ciuili iure in testamentis & codicillis statuta, reprobata sit iure canonico: & quæ in terris Ecclesiæ, & Ecclesiastico foro sufficiat.

134 De solennitate in testamento, aut legatis ad pias causas necessaria.

135 An sit obligatio condendi testamentum, & quam voluntaria esse debeat dispositio vltima, vt sit valida.

136 Carens vsu rationis surdus ac mutus, & impubes, an testari possint.

137 Prodigus, seruus, publicus vsurarius, excommunicatus, damnatus ob libellũ famosum, infamis damnatus ad naturalem seu ciuilem mortem, an testari possint.

138 Filiusfamilias, præsertim si sit clericus, an testari possit.

139 Testamentum ante professionem religiosi factum, an sit validum, & de renunciatione bonorum ante eandem professionem quousque sit valida.

140 Quæ bona religiosi, & quando ad religionem pertineant.

141 An religiosus post professionem testari possit, & quid de commendatariis.

142 De variis clericorum bonis, & quorum constet eos aut habere, aut non habere dominiũ, & de quibus sit controuersum.

143 An clerici hodie dominium comparent reddituum suorum beneficiorum.

144 Vtrum beneficiarij hodie lethaliter peccent, restituerequeteneantur, si quid, vltra suam competentem sustentationem, in vsus non pios de reditib. suorum beneficiorum insumant.

145 Congruens beneficiarij cuiusque sustentatio quæ iudicanda sit.

146 Beneficiarij quousque de bonis suis conferre possint cum sanguineis.

147 Quousque beneficiarij testari possint.

148 Beneficiarij an de bonis, de quibus testari non possunt, donare possint inter viuos, & quid de maioratibus ab eis institutis.

149 Contractus, alienationes, & promissiones iure humano, aut etiam naturali irrita, quando accedente iuramenti confirmatione obligent.

150 An quando ex iuramento contractus, aut promissio ipso iure nulla obligat, reuiniscat vis, quæ eisdem inesset, si humano iure non essent irrita.

151 Testamentum an alia ratione, quam testatoris morte, firmum reddi possit, saltem, vt sine lethali culpa nequeat reuocari.

152 Vtrum testamentum factum à duobus, in quo heredem de communi consensu instituunt, vel aliud statuunt, præmortuo vno, possit ab altero, quoad bona, quæ ad ipsum spectant.

153 Quando testamentum reuocatum sit censendum.

154 Qui hæredes esse possint.

155 De hæredibus ex testamento, & quid interfit inter institutum in re certa, & inter alios hæredes.

156 Hæredis institutio ex certo duntaxat die, aut ad certũ diem, an valida sit.

157 Hæredis institutio, aut legatum, alterius voluntati cõmissa, an valida sint. Et quando aliquid pauperibus relinquitur, à quo, & quibus pauperibus sit distribuendum.

158 Descendentes an necessario instituendi sint hæredes, & in qua portione.

159 In descendentium defectum, an ascendentes sint necessario instituendi hæredes, & in qua portione: & quid de fratribus.

160 *Quouſque libertus inſtituere teneatur ſuum patronũ hæredem, & vniuerſim de ſucceſſione patroni in bonis liberti.*

161 *Conſanguinitatis gradus quanam ratione tam ciuili, quam canonico iure ſint computandi.*

162 *Quis dicendus ſit diſcedere inteſtatus, & de ſucceſſione ab inteſtato deſcendentium.*

163 *De ſucceſſione aſcendentium ab inteſtato.*

164 *De ſucceſſione ab inteſtato collateralium, coniugis ſuperſtitis, ac fiſci: & peregrino diſcedenti ab inteſtato quis ſuccedat.*

165 *Filij legitimi, & qui illegitimi dicantur: & de variis illegitimorum ſpeciebus.*

166 *De ſucceſſione ſpuriorum naturalium.*

167 *De ſucceſſione ſpuriorum: & num collaterales ſpurij, aut naturales, ſibi inuicem ſuccedant.*

168 *De alimentis filijs illegitimis debitis.*

169 *Quæ parentes deſcendentibus illegitimis vltra explicata immediate, vel per interpoſitam perſonam relin quunt, aut contra illegitimi ſuis aſcendentibus, quouſque reſtitutioni obnoxia ſint.*

170 *De ſucceſſione illegitimorum in nobilitate, & in aliis, quæ non ſunt bona parentum externa.*

171 *Quid & quotuplex ſit legitimatio.*

172 *De legitimatione per ſubſequens matrimonium.*

173 *De legitimatione per reſcriptum, & diſpenſatione.*

174 *Legitimatio in præiudicium tertij, an indigeat, vt tertius citetur, validaq; ac licita ſit, & de aliquibus, quæ in reſcriptis interdum apponuntur.*

175 *De præteritione & exhæredatione, tam deſcendẽtium, quam aſcendentium.*

176 *De cauſis, ob quas fas eſt exhæredare, vel deſcendentes, vel aſcendentes.*

177 *Inſtituto in portione minori, quam ſit legitima, ſolũ conceditur actio ad ſuppletionem. Et num legitimæ grauamen poſſit apponi.*

178 *Hæres in quibus euentibus hæreditatem amittat.*

179 *Suus hæres quis dicatur.*

180 *De tranſmiſſione hæreditatis non aditæ iure ſuitatis ſanguinis, ac deliberandi.*

181 *De tranſmiſſione legatorum, & an nulla reddantur, ſi hæreditas adita non fuerit.*

182 *Subſtitutio quid & quotuplex ſit.*

183 *De vulgari ſubſtitutione.*

184 *De pupillari ſubſtitutione.*

185 *De exemplari ſubſtitutione.*

186 *De fideicommiſſaria ſubſtitutione.*

187 *De quarta Trebellianica a fideicommiſſis deducenda, & num fructus in ea ſint computandi, & quouſque ſint reſtituendi.*

188 *Quæ ab hærede grauato ſint fideicommiſſario reſtituenda, & num ſepulchrorum & patronatus iura ad fideicommiſſarium pertineant.*

189 *Fideicommiſſum quando expiret.*

190 *Conditio, ſi ſine liberis deceſſerit, quando tacite apposita cenſeatur fideicommiſſis & aliis diſpoſitionibus. Aliquid etiam de expreſſa tangitur.*

191 *De breuiloqua, ſeu reciproca ſubſtitutione.*

192 *De compendioſa ſubſtitutione, & ſimul de militari.*

193 *Legatum & fideicommiſſum particulare quid ſit.*

194 *Dominium rei legatæ, incrementum, & fructus illius, quando ad legatarium pertineant: cui item pereant, & an legatarius poſſit propria autoritate eam vſurpare.*

195 *Legare quis, & cui poſſit. Quæ communitati facta cenſeantur. Quando legata debeantur, & à quo, atque vbi peti poſſint.*

196 *Legatum de re hæredis, aut alterius, aut in qua teſtator non habet plenum ius, vel quæ poſſideri non poteſt legatario, quouſque valeat.*

197 *Incertitudo legatarij aut error in nomine illius, quando reddat nullum legatum.*

198 *Si legatur res vna inæqualibus, quoad valorẽ, quando ſit validum legatum, & ad quem ſpectet electio ex illis rebus.*

199 *Quando res eadem pluribus legatur, ſingulis inſolidũ, quid & quouſque illis debeatur: Item, quando res determinata alicui legatur, & ad alia legata non ſuperſunt bona defuncti, an ille præferatur, & an legatum pro parte poſſit acceptari.*

200 *De legato rei, quæ nondum exiſtit, de legato cum onere, & de legato vxori, aut creditori relicto.*

201 *De legato rei pignori, aut hypothecæ ſubiecto. Idem de legato eiuſdem rei, aut eiuſdem quãtitatis pluries facto, & an, ſi legatarius emat, aut alio titulo comparet rem legatam, expiret legatum.*

202 *Legatum omnium mobilium, an nomina debitorum contineat. Legatum omnium, quæ continentur certo loco, an comprehendat pecuniam & nomina debitorum ibi reperta, nec non res, quæ poſtea inferuntur. Et legatum apothecæ pannorum, an pannos, vel domum, vel vtrumque contineat. Et obiter de legato lanæ ac limi.*

203 *An in legato vſusfructus, aut rerum certi generis, vel quæ in aliquo loco continentur, venalia etiam comprehendantur.*

204 *De legato quotæ hæreditatis, aut bonorum, & in quibus bonis ſit ſoluendum.*

205 *Quotuplex ſit legatum, & de legato puro, & in diem.*

206 *Quid & quotuplex ſit conditio, quando implenda, & quod legatum, aut hæredis inſtitutio, proprie ſub cõditione dicatur.*

207 *De conditionibus in vltimis diſpoſitionibus, ſi non nupſerit, ſi caſte vixerit, ſi contraxerit matrimonium, aut ſi ingrediatur monaſterium.*

208 *Modus quid, & de vltima diſpoſitione ſub modo facta.*

209 *Cauſa quid, & num gratuita ob cauſam per vltimã voluntatem, aut inter vinos diſpoſitio, cauſa nõ ſubſiſtente, valida ſit.*

210 *Accepta in eleemoſynam ob paupertatem, ſanctitatẽ, aut aliam cauſam fictam, obnoxiane ſint reſtitutioni, & cui ſit facienda. Idem de acceptis conferente ea Principe ob emẽtita ſeruitia, aut aliam cauſam confictam.*

211 *Demonſtratio quid. Et num falſa demonſtratio gratuitam diſpoſitionem vitiet.*

212 *De reuocatione legatorum.*

213 *Falcidia quid, & quando à legatis detrahi poſſit.*

214 *De loco, in quo defunctus eſt ſepeliendus, deq; ſepulturæ electione, & quod ob debita nefas ſit impedire defuncti ſepulturam.*

215 *De quarta funeralium Epiſcopo, & parochiali Eccleſiæ debitis, & de luctuoſa, quam vocant.*

216 *De commodis hæreditatem adeuntis, nõ petito tempore ad deliberandum, inuentariumq; conficientis, & de incommodis illud non conficientis, aut tempus ad deliberandum effluentis.*

217 *Vtrum hæres inuentarium non conficiens, aut tempus ad deliberandum poſtulans, teneatur in foro conſcientiæ vltra vires hæreditatis, & quid de Eccleſia, & quibuſdam aliis in foro exteriori.*

218 *De forma inuentarij.*

219 *Vtrum teſtator mittere poſſit hæredi inuentarij confectionem. Qui item alij conficere teneantur inuentarium. Et num eis poſſit remitti.*

220 *De tutore & curatore, & quotuplex vterque ſit.*

221 *Qui tutores & curatores eſſe non poſſint.*

222 *Qui à munere tutoris & curatoris excusentur.*
223 *De satisdatione & iuramento tutorum & curatorum, & de inuentario.*
224 *De administratione tutorum & curatorum, atque de emolumento, seu præmio ipsis proposito.*
225 *Quando tutela aut cura finiatur, & qui tãquam subiecti ab illa sint removendi.*
226 *De qua bonorum partitione futurus sit sermo, & quæ ante illam explicanda sint.*
227 *De patria potestate, & simul de arrogatione, & adoptione.*
228 *De effectibus patriæ potestatis.*
229 *Quot modis à patria potestate quis liberetur.*
230 *Castrensia bona quæ sint.*
231 *Quæ bona quasi castrensia sint, & vtrum exhæredatio, aut præteritio in eis castrensibus bonis valida sit.*
232 *Aduentitia bona quæ sint, & quousque vsusfructus & administratio eorum ad patremfam. pertineat.*
233 *Quæ bona profecticia sint.*
234 *Profectumne, an aduentitium bonum sit, quod filius sua industria bonus parentis lucratur, & quid de acquisitis opificio in parentis domo, dum ab eo alitur.*
235 *De impensa funeris, deductione æris alieni, alimentis familiæ, atque partitionibus alis, quæ non sunt bonorum defuncti inter ipsius descendentes.*
236 *De partitione bonorum inter descendentes, & qualiter tertium defuncti in Lusitania, & tertium & quintũ in Castella sint accipienda.*
237 *Collatio quid, quorum bonorum esse debeat, & comparatione quorum successorum.*
238 *Donata à parentibus ob causam, vt in dotem, ad nuptias, ad ingrediendum religionem, & ordines suscipiendos, an adducenda sint ad collationem: & quid de vestibus, & sumptu in conuiuiis nuptiarum.*
239 *Sumptus, quos pater cum filio in studio fecit, aut in re alia addiscenda, & libri ab eo illi dati, an sint conferendi.*
240 *Quæ expenderint parentes in peregrinatione filij. cum. pro illius delicto, in eruendo eo à captiuitate, aut vinculis, conferenda ne sint.*
241 *Vtrum militia, seu officium, aut dignitas, quam pater filio emit, aut dedit, eius ve æstimatio, conferẽda sint: item, quod pater insumpsit vt filius gradum, beneficium, ordines, aut aliud simile obtineret, & quid de re emphyteutica.*
242 *Conferre ne teneatur filius, quæ de bonis patris male consumpsit.*
243 *Vtrum donationes simplices parentum in filios adducendæ sint ad partitionem.*
244 *Remuneratoria donatio parentum ad liberos, an sit conferenda.*
245 *Nonnulla in complementum tractatus de partitione bonorum.*
246 *De possessione hæredi tradenda, & quousque hæredi restituere teneatur, si comperiatur, non ipsum, sed alium legitimum fuisse hæredem.*
247 *De executoribus testamẽtorũ, & qui ad id eligi possint.*
248 *Validumne sit testamentum, in quo hæres nõ instituitur, & executor vniuersalis relinquitur: & num executores ad munus suscipiendum possint compelli, & quousque agere possint.*
249 *An executoribus ac prælatis liceat à testatoris voluntate discedere.*
250 *Ratione exigere executionis testamentorum, executoresq; cogere vt defuncti voluntatem adimpleant, ad quos iudices spectet.*
251 *Intra quod tempus hæredes & executores voluntatem defuncti implere teneantur.*

LVDO-

LVDOVICO MOLINA E SOCIETATE IESV AVCTORE.

DE IVSTITIA,

Tomus primus.

Auctoris consilium, Operisq; huius generalis quædam distributio.

POst Tractatum de prudentia differit D. Thomas de Iustitia, quæ præstantissima est inter cæteras cardinales virtutes. De ea verò ac partibus, quas habet subiectas, disputat à q. 57. vsque ad 79. à quæstione autem 80. vsque ad 122. differit de virtutibus iustitiæ annexis, nempe de religione & aliis, quę ab integra perfectaq; iustitiæ ratione nonnihil deficiunt: disputationem quoque addit de præceptis ad iustitiam pertinentibus. Licet autem, quæ per has 23. quæstiones Diuus Thomas de iustitia tradit, sapientissime vt & cætera alia, dicta sint: Ecclesiæ tamen vtile Theologisq; pergratum, immò & necessarium fore iudicamus, si rem hanc multo copiosius tractaremus multa, quæ D. Thom. de contractibus & plerisque aliis rebus prætermisit, disputantes. Ita enim fiet, vt Theologi in enodandis hominum cõscientiis, passim non hæreant, audacioresq; proinde, aptioresq; multò sint ad proximos suos iuuandos, & à peccatis eruendos, atque vt prælaturis, regiminiq; toti Ecclesiæ longè euadant vtiliores. Cùm enim via & ratione, ex suisq; principiis res intelligant, in quo longo interuallo iurisperitos superant; sanè si eam Theologię partem, quæ de moribus disserit, copiosè & pro dignitate & amplitudine obiecti, & facultatis Theologiæ tradiderimus, ea, quæ virum Theologum ex iis, quæ iurisperiti tractant, scire decet, nec fine methodo & arte Theologiæ inseruerimus; nihil viro Theologo deerit, quod ad Ecclesiæ gubernationem, & Reipublicæ Christianę vtilitatem necessarium fuerit iudicatum. Hoc consilio ductus, multisq; aliis grauissimis de causis permotus, ordinem D. Thomæ in his 23. quæstionibus, præter nostrum morem, relinquere. Opusq; hoc de iustitia in varios Tomos distributum earum loco inserere statui.

Distribuimus autem totum hoc de iustitia Opus in sex tractatus. Primus est, de iustitia in genere, partibusq; illius. Secundus, de iustitia commutatiua circa bona externa; qui vastissimus est. Tertius, de iustitia commutatiua circa bona corporis, personarumq; nobis coniunctarum. Quartus, de iustitia cõmutatiua circa bona honoris & famæ, itemq; circa bona spiritualia. Quintus, de iudicio & executione iustitiæ per publicas potestates; vbi de iudiciali correctione, iustitiaq; vindicatiua erit sermo: quæ omnia partim ex iustitia commutatiua sunt debita, partim verò ad iustitiam commutatiuam reuocantur, vt suo loco explicabitur. Sextus denique est, de iustitia distributiua.

DE IVSTITIA IN GENERE, partibusq; illi subiectis, TRACTATVS PRIMVS.

SVMMARIVM.

1 *Iustitia à fortitudine sumitur, & in quo sensu communis virtus.*
2 *In Prima secundæ D. Thom. Reipublicæ hic actioni est.*
3 *In fabricandum se legibus accommodans legislatorem imitatur.*
4 *Iustum et bonum idem est.*
5 *Iustitia legalis et omnia.*
6 *Leges ciuiles constituendæ quæ non tantum ad iustitiam, sed ad cæteras quoque virtutes spectent.*
7 *Qua ratione actus cuiusque virtutis iustitia appellatur.*
8 *Iustus non habetur qui in lethali culpa est ex legislatoris cuiusque transgressione.*
9 *Gratia & charitas iustitiæ sunt, quatenus Deo sumus formaliter iusti.*
10 *Idem de iustitia originali.*
11 *Iustitia particularis & propriè sumpta, eiusque obiectum.*

DE VARIIS IVSTITIÆ ACCEPTIONIBVS.

DISPVTATIO I.

1. VT dilucidius progrediamur, distinguendæ ante omnia sunt variæ iustitiæ acceptiones. Iustitia ergo, vt cum Aristotele 5. *Ethicorum ca.* 1. & 2. D. *Thom.* 2. 2. *quæst.* 58. *artic.* 5. & 6. *ad* 1: sumitur duobus modis, & vtroque est quodammodo ad alterum. Vno, pro actu cuiuscunque virtutis, non qua talis est, sed quatenus ordinatur ad commune bonum multitudinis, cuius pars est ille, qui eum exercet. Seu (& in idem redit) quatenus emanat ab homine, non vt in se singularis quædam persona est, quæ per prudentiam

Iustitia quæ & in quo sensu communis virtus.

dentiam monasticam conformiter ad rectam rationem operatur, sed vt est pars Reipublicæ, quæ eo modo operando optimè se habet ad suum totum, bonumq; commune. Itaque quemadmodum (*vt tractatu præcedente de prudentia disputat. 5. explicatum est*) Aristot. 5. *Ethicorum cap. 8.* tam in ciue, quàm in principe ac rectore multitudinis, duplicem prudentiam distinxit, monasticam s. quæ præscribit singulis, vt priuatæ quædam personæ sunt, quid faciendum sit, & politicam, quæ ea, quæ in bonum commune debent dirigi, vt optimè se habeat totum, cuius sunt partes, singulis præscribit; hanc q; subdiuisit, in regnatiuam, quæ est in principe, Reipublicæq; rectoribus, ad præscribendum subditis quid cuiq; iuxta suum munus, statum & conditionem sit faciendum, vt totum bene se habeat. quam proinde architectonicam appellauit, legesque ab ea emanare docuit, & in politicam presse sumptam, quæ est in subditis, præscribit q; vnicuique eorum, quid sibi vt pars est Reipublicæ, faciendum sit, vt ad suum totum communeque bonum bene se se habeat: sic quoque in re proposita docet, actum cuiuscunque moralis virtutis posse duobus modis spectari. Vno *vt quitis*, quatenus particularis quædam persona est, per prudentiam monasticam eo operatur consonè ad rectam rationem: eoque modo spectatum pertinere ad particularem aliquam virtutem, nimirum ad fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, iustitiam commutatiuam, aut aliam similem, iuxta materiam circa quam versabitur. Altero, vt qui eum elicit, bene eo se se habet ad suum totum bonumque commune, per prudentiamque politicam ab eo elicitur, quatenus pars est Reipublicæ: quo pacto spectatum docet, sortiri formalem rationem iustitiæ latè sumptæ, quæ omnibus virtutibus est communis, non quidem per essentiam, quasi sit de ratione intrinseca cuiusque earum, sed quia comitatur actus omnium virtutum, in eisque inuenitur; modo tamen, dum fiunt, in commune Reipublicæ bonum eo pacto, quo explicatum est, ordinentur. Atque in hoc sensu Arist. 5. *Ethicorum capite 1. & 2.* iustitiam hoc modo sumptam appellat totam virtutem. Vt enim charitas licet in se sit peculiaris quædam virtus, in eo tamen sensu potest in viro iusto, qui omnia sua actu in Deum refert, appellari vniuersalis, & quodammodo tota virtus, quod in omni virtutis actu, eo modo in Deum relato, inuenitur ratio formalis charitatis: sic quoque vult Aristoteles, iustitiam, de qua disputamus, esse quidem essentialiter & in se virtutem quandam particularem, quæ respicit commune Reipublicæ bonũ, & nihilominus quatenus rectores virtutum opera, quæ præcipiunt, ordinare debent in bonum commune, & subditi in eundem finem omnia sua bona opera exercere debent, esse generalem totamque quodammodo virtutem: quia similiter in quocunque actu virtutis, qui in commune bonum exercebitur, ratio formalis iustitiæ reperietur.

prudentia alia monastica, alia politica.

Politica, alia architectonica, alia professe.

Charitas & vniuersalis & tota virtus, qua ratione.

2 Diuus Thomas *articulo 6. citato*, consonè ad Aristotelem, docet, virtutem hanc esse in principe, rectoribusq; Reipublicæ, architectonicè, quatenus per leges ea præcipiunt & statuunt, quæ ad commune bonum optimamq; Reipublicæ administrationem pertinent, vt vnusquisque ita se gerat, vt commune bonum, Reipublicæque perfectio postulat.

3 Quo fit, vt leges & statuta principum, & reliqua quæ Reipublicæ rectores executioni mandant, quatenus in eum finem ea dirigunt, ad hanc virtutem pertineant. Addit Diuus Thomas, subditis ineſſe eandem virtutem tanquam mandantibus exequutioni, quæ per rectores constituta sunt, dum legibus ad eundem finem se accommodant: eaque de causa virtus hæc, iustitia legalis appellatur. Docet præterea Aristoteles 5. *Ethicorum capite 1. & 2.* obiectum illius esse iustum, non vt est idem, quod æquum, opponiturque iniquo, quo iniuriam inuoluit (eo enim modo spectatum obiectum est iustitiæ particularis, quæ virtus est cardinalis) sed vt est idem, quod legitimum, hoc est, quod lege est præceptum, legiue consonat, cui aduersatur iniustum, in ea significatione, qua is, qui à lege discedit, iniustus dicitur, vt ibidem Aristoteles affirmat. Eiusmodi ergo virtus, & est ad alterum, nempe ad bonum commune, Rempublicamque ipsam, & iustitia dicitur, quatenus, qui ductum illius sequitur, eique se accommodat, legibus, quas Reipublicæ decus & perfectio postulat, adæquatur. Eam, ait Aristoteles, esse præclarissimam, continereque in se virtutes omnes, & neque hesperum, neque luciferum esse ita admirabilem, multoque adhuc maiorem splendorem habere, quatenus architectonicè in Reipublicæ moderatoribus, quàm quatenus in reliquis reſidet.

Eius obiectum.

Iustitia legalis quomodo.

Ex dictis infero, ad legislatores Reipublicæque administratores pertinere constituere, non eas solùm leges, quæ ad iustitiam, virtutem cardinalem, sed etiam eas, quæ ad alias virtutes, fortitudinem, scilicet temperantiam, & cæteras spectant: id quod Aristoteles 5. *Ethicorum capite 1.* etiam affirmauit. Munus quippe eorum est, tales suis legibus & administratione constituere ciues, quales bonum cõmune, decusq; Reipublicæ postulat. Ad quod non satis est, si iustitiam non transgrediantur, sed fortitudinem eos seruare necesse est, non deserendo suũ locum in bello, & temperantiam, Sodomiæ vitium & alia, quæ Rempublicam fœdant, fugiendo, moderateque in vestitu, cultu, & cibo se habendo, ne facultates inutiliter expendantur, ac molles fiant. Quocirca rectè Vlpianus *l. iustitia. ff. de iustitia & iure*: *Iuris*, inquit, *præcepta sunt hæc, honestè viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere*. quibus verbis non sola iustitiæ præcepta comprehenduntur. Idem habetur *institut. de iustitia & iure, §. iuris præcepta*. Rectè quoque idem Vlpianus *l. 1. ff. de iustitia & iure §. huius studii*, præmiserat: Iuris studij duas esse positiones seu partes, ius videlicet publicum, quod ad Reipublicæ statum communem spectat, vt constituere sacra, sacerdotes & magistratus: *& priuatum*, quod ad singulorum vtilitatem pertinet. Idem repetitur *institut. eod. tit. §. huius studii*.

Ciuiles leges etiam ad virtutes alias à iustitia se extendunt.

Ea iustitiæ acceptio, quam de mente Philosophi hactenus explicauimus, præbet ansam, vt duo quædam hoc loco noſperè aduertamus. Primum est, actum omnem virtutis, quatenus per eum is, à quo elicitur, ipsius regulæ ac mensuræ se se adæquat, nempe rationi rectæ, legique ac voluntati Dei, appellari iustitiam. Quo pacto vsurpata iustitia, communis est essentialiter ad omnem virtutis cuiusuis operationem. In ea significatione sumitur frequenter in Scripturis sacris. *Matthæi 5. Beati*, inquit Christus, *qui esuriunt & sitiunt iustitiam*. Et, *nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. Et capite 6. *Attendite*, inquit, *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*. Deuteronomij 9. *Ne dicas in corde tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, vt possideas terras earum*. Psalmo 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ* (legem Dei videlicet obseruando) *& sperate in Domino*. Continuò verò subiungit Propheta, legem Dei mentibus nostris esse inditam, vt illi nos accommodãtes, eiusmodi sacrificium Deo offerre possimus, dicens: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Et Paulus ad Rom. 2. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum: gloria autem & honor omni operanti bonum: quicunque enim sine lege* (scripta scilicet) *peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunque in*

Iustitia qua ratione actus cuiusque virtutis dicatur.

lege

lege (scripta videlicet viuentes) *peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cùm enim gentes, quæ legem* (scriptam) *non habent naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, quæ ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et infra: *Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? Et iudicabit id, quod ex natura est, præputium* (id est, qui de gente & populo est incircumcisorum) *legem consummans, te, qui per literam & circumcisionem prævaricator legis es. Non enim qui in manifesto Iudæus est* (legem videlicet scriptam professus) *neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudæus est* (legem videlicet coram Deo obseruans, ac proinde factis eum confitens, quod vox, Iudæus significat) *& circumcisio cordis in spiritu, non littera* (legis obseruatione, superflua nociuaq; desideria amputans, subaudi, verè Iudæus, vereque circumcisus est) cuius laus non ex hominibus (quorum iudicium fallax est) *sed ex Deo est.* Memineris autem, Paulum conferre Iudæos cũ gentibus interim dum lex vetus durabat, gentesq; in odii & Ecclesia legis naturæ salutem consequi poterant. Eodem modo sumitur iustitia ab Anselmo *in dialogo de veritate c.* 13. dum iustitiam definit, esse rectitudinem voluntatis propter se seruatam. Chrysostomus præterea *homil.* 15. *in Matthæum* exponens verba illa capitis 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, aperte docet iustitiam interdum sumi in eadem significatione: passimq; Patres in ea ac ceptione illam vsurpant. Immo Tullius *libro 1. de legibus.* Eodem modo illam accipit, dum eam definit, esse obtemperationem legibus. Quin in Scripturis sacris promiscuè legum obseruationes, legesq; ipsæ iustitiæ appellantur, quatenus iustos homines efficiunt: obseruationes quidem formaliter, leges verò tanquam normæ & regulæ, quæ iustitiam docent & mensurant. *Deuteronom. 4. Scitis*, ait Moyses, *quod docuerim vos præcepta atque iustitias, quas ego præcipio tibi.* 2. Paralipomenon 7. *Si feceris iuxta omnia, quæ præcepi tibi, & iustitias meas, iudiciaque seruauerit, suscitabo thronum regni tui, &c. Si autem auersi fueritis, dereliqueritis iustitias meas, & præcepta mea, quæ proposui vobis, euellam vos de terra.* Psalm. 17. *Omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli à me.* Psalm. 88. *Si autem dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint.* Quibus plura alia testimonia, quæ tacitus prætereo, addi potuissent.

3 *Iustus nõ est qui non lethaliter est peccato.*

Secundum est. Cum, auctore Dionysio *c.* 4. *de diuinis nominibus*, bonum ex integra causa sit, malum autem ex particularibus defectibus; sanè, qui in forte alicuius lethalis culpæ iacet transgressione legis alicuius, quam vel sua propria, vel primi parentis voluntate fregerit, ita vt illi, saltem vt gratuita dona amittat, ad culpam imputetur, iustus nulla ratione dici valet. His si adiungas, ad finem supernaturalem satis non esse impletionem legis naturalis, sed simul etiam requiri impletionem supernaturalium præceptorum; ad quam gratia & charitas est necessaria: immo impletionem legis naturalis nullius esse fructus, valoris, ac meriti ad eum finem nisi ex gratia & charitate fiat, *vt in concordia & 1. p. quæst.* 14. *artic.* 13. latè ostendimus, inuenies, quanam ratione gratia & charitas iustitia, qua coram Deo iusti formaliter sumus, meritò dicatur, hominemque tunc iustificari, quando illam recipit. Etenim cum gratia & charitas lethalia omnia peccata deleat, principiumque fit legem supernaturaliter ac meritoriè implendi, atque adeò accommodatè ad vitam æternam, sanè illa est, quæ nos iustos facit ac rectos coram Deo, vtpote, quæ non solùm obliuiscatur omnes contra legem ipsius tollit, sed etiam habiles ac promptos nos reddit ad legem totam meritoriè, & vt ad salutem oportet, implendam. Verùm de hac re alibi latius. Alia quoque ratione gratia & charitas iustitia potest appellari, quatenus videlicet nos adæquat, commensuratosq; reddit fini supernaturali.

9 *Gratia & charitas cur iustitia sint.*

10 *Idem de originali iustitia.*

Præter hanc & præcedentem rationem, donum integrum, quod primi parentes sibi & posteris acceperunt, iustitia originalis appellabatur. Sola verò ea pars, quæ vires sentientes coercebat, subditasq; rationi reddebat, si iustitia originalis appellanda sit, solùm erit, quatenus hominem naturali fini adæquabat, commensuratumque reddebat, ne ab illo deuiaret, sed facile eum consequeretur.

11 *Iustitia proprie, & suum obiectum.*

Alio modo sumitur iustitia, vt est particularis virtus in ordine ad alterum cuius obiectum est iustum B præsè ac propriè sumptum, vt est idem, quod æquum: cuius oppositum est iniquum, quod iniuriã alterius comparatione inuoluit. Atque iustitia hoc modo sumpta computatur inter virtutes cardinales, de eaque instituimus hoc opus in sex Tractatus distributum.

SVMMARIVM.

1 *Iuris varia acceptio.*
2 *Ars iustitia dictum.*
3 *Ius qua significatione iustitiæ obiectum est.*
4 *Ius pro potestate ad aliquid.*
C 5 *Iustitia a reliquis virtutibus moralibus differt ratione mediꝰ.*
6 *Iustitia in quo cum aliis virtutibus conueniat.*

DE VARIIS IVRIS ACCEPTIONIBVS, & in qua sit obiectum iustitiæ.

DISPVTATIO II.

CVm habitus, actus, & potentiæ per sua obiecta definiantur, in explicanda iustitia ordiendum nobis est cum D Thoma secunda secundæ quæst. 57. à iuris explicatione, quod obiectum est iustitiæ. D Animaduertendum verò est, vocabulum, *ius*, æquiuocum esse. Inter alia autem, primò significare idem quod iustum in vtraque significatione disputatione præcedente explicata. Inde verò trãslatum esse ad significandas leges, quibus id continetur siue naturales illæ sint, siue scriptæ, artemq; qua id cognoscitur. Sicut enim medicinæ nomen primo est impositum ad significandum medicamentum, quod ad sanandum confert, inde verò deriuatum est ad artem, qua id cognoscitur & applicatur significandam: sic etiam vocabulum, ius, primò est impositum ad significandum iustum in vtraque significatione, disputatione præcedente explicata, inde verò accommodatum est ad significandas leges, quibus continetur, artemque ac peritiam, qua id cognoscitur. In hac posteriori significatione sumpsit Celsus iurisconsultus, ius, dum, teste Vlpiano E *l. 1. ff. de iustitia & iure*, illud definiuit, artem boni & æqui. Peritiam quippe legum ac iusti appellauit ius, artemque boni & æqui, vt ex Vlpiani verbis ac instituto eadem lege aperte constat, quidquid Sotus 3. *de iustitia, quæstione* 1. *articulo* 1. in contrarium dicat: In eadem significatione sumpsit idem vocabulum Isidorus 5. *libro Etymol. cap.* 3. & refertur *cap. ius generale, d.* 1. cum dixit: Ius generale nomen est: lex autem (scripta videlicet) iuris est species. Eadem vocabuli vsurpatio potest ex eo confirmari, quod in eadem significatione dicere consueuimus, hoc vel illud iure naturali aut positiuo (hoc est lege) esse constitutum, ius, appellantes, tam naturalem, quam positiuam legem, non solùm quando id præscribit ac præcipit, quod ad iustitiam præsè sumptam, sed

1 *Iuris varia significationes.*

Ius interdũ iustum, interdum legem artemq; iustis significat.

etiam quando præcipit, quod ad quamcunque aliam virtutem ſpectat, quo pacto dicere conſueuimus, ieiunium quadrageſimale iure humano eſſe conſtitutum, baptiſmum verò & confeſsionem iure diuino poſitiuo. Quod autem ius pro iuſto, obiectoq; iuris in hac poſteriori ſignificatione, ſumatur, teſtatur Iſidorus loco proximè citato dicens: Ius autem eſt dictum, quia iuſtum eſt; atque ſubiungens: omne autem ius legibus & moribus conſtat. Teſtatur præterea communis loquentium vſus.

2 *Ius an à iuſtitia dictum.*

Vtrum autem ius à iuſtitia dictum ſit, an è contrario, iuſtitia à iure. Vlpianus *l. 1. citata* affirmat, à iuſtitia dictum eſſe ius: ſumit tamen ius pro legibus, arteque boni & æqui Sotus verò *loco citato* contendit, iuſtitiam à iure eſſe dictam, vt ius idem eſt, quod iuſtum. Ratio illius eſt, quoniam habitus ſumit nomen ab obiecto, & non è contrario. Id tamen vt plurimum non eſt verum. A viſu quippe dicitur obiectum viſibile, & à ſcientia ſcibile, & non è contrario: quare inde non conſtat iuſtitiam dictam eſſe à iure, contrariumq; reputo magis verum.

3 *Ius quid iuſtum obiectum.*

Cum *ius in ea ſignificatione*, qua eſt idem, quod iuſtum duobus modis vſurpetur: vno latè, vt eſt idem, quod legitimum, conſonumve rationi ac legi; altero preſsè, vt eſt idem; quod æquum, iniquo, quod iniuriam inuoluit, oppoſitum, conſiſtitque in medio ex natura rei comparatione & proximi inter plus & minus, ſeu inter lucrum & damnum in ſenſu quem *1. 2. quæſtione 64.* explicauimus: ſanè quemadmodum nemini poteſt eſſe dubium, vſurpatum in priori acceptione, obiectum non eſſe iuſtitiæ virtutis cardinalis: ſic quoque nullus iure dubitare poteſt, vſurpatum in poſteriori acceptione, eſſe illius obiectum. Id quod Diuus Thomas *quæſtione 57. citata articulo 1.* affirmat, conſentiuntque Ariſtoteles, Vlpianus, ac Iuſtinianus. Vt enim Ariſtoteles 5. *Ethicorum capite 1.* iuſtitiam per habitudinem ad ſuum obiectum definiens dixit, eſſe habitum, quo homines apti ſunt ad res iuſtas agendas, & quo iuſta agunt, & volunt iuſta: ſic quoque Vlpianus *l. iuſtitia. ff. de iuſtitia & iure*, & Iuſtinianus §. 1. *inſtitut. de iuſtitia & iure*, definientes ſimiliter iuſtitiam per habitudinem ad ſuum obiectum, dixerunt eſſe conſtantem & perpetuam voluntatem, ius ſuũ vnicuique tribuentem. Definitio hæc inferius explicabitur.

4 *Ius pro poteſtate ad aliquid.*

A iure in hac acceptione emanarunt quædam aliæ iuris acceptiones. Nempe pro facultate, poteſtateue quam ad aliquid homo habet: quo pacto dicimus, aliquem vti iure ſuo. Iudex etiam cum ſententiam profert, eſto iniqua ea ſit, ius dicere dicitur, vt Paulus iuriſconſultus *l. penultima ff. de iuſtitia & iure* ait. Dicitur verò tunc ius dicere, relatione facta ad id, quod iudicem facere oportet, quaſi proferre ſententiam vt oportet, ſit ius dicere, hoc eſt, explanare & pronunciare, quod iuſtum eſt. Idem iuriſconſultus ibidem ſubiungit, ius vſurpari etiam pro loco in quo ius dicitur; idemq; ex eodem affirmat Diuus Thomas *articulo 1. citato*. Dominico autem Soto 3. *de iuſtitia quæſtione 1 articulo 1.* id non placet: quia vocari aliquem in ius, non tam eſt vocari in locum vbi ius dicitur, quàm vt coram iudice comparet iuris experiundi gratia. Miſſas facio alias iuris acceptiones.

5 *Medium iuſtitiæ virtutum comparatione.*

Superest, admoneamus diſcrimen illud, quod D. Thomas *articulo 1. citato* inter iuſtitiam & reliquas virtutes morales conſtituit. Videlicet iuſtitiam à reliquis moralibus virtutibus differre, quod in reliquis medium ſumitur per comparationem ad agentem. In virtute namque temperantiæ alia quantitas cibi & potus eſt medium per comparationem ad eum, qui vnam habet complexionem, robur & vires, & alia per comparationem ad alium, qui habet longè diuerſam complexionem, & alia quantitas eſt medium per comparationem, ad eundem, dum ſanus eſt, alia dum febricitat, aliæve concurrunt circumſtantiæ: idem cernitur in fortitudine: aliæ quippe difficultates & pericula aggredienda ſunt, medijque rationem habent, comparatione eius, qui maiores habet vires, quę ſanè rationem medij nequaquam haberent comparatione alterius, qui longè minores vires, longeq; minora ſubſidia haberet. In virtute verò iuſtitiæ medium non ſumitur per comparationem ad agentem, ſed ex natura rei collatione facta cum altero. Vt ſi mutuo accepi centum aut furatus ſum, medium eſt, vt exceſſum, quem exiſtente eo contractu, aut furto, habeo vltra id, quod meum eſt, aut ad me pertinere debet & defectum, quem proximus infra id, quod ſuum eſt, propterea patitur reducam ad æqualitatem, reſtituendo illi centum. Quod ſi impotens ſim, excuſabor quidem ad tempus propter impotentiam, manet tamen obligatio ad idem medium ex natura rei conſtituendum. *Medium iuſtitiæ comparatione.*

6 *Iuſtitia in quo cum aliis virtutibus conueniat.*

Licet autem inter iuſtitiam & reliquas morales virtutes ſit prædictum diſcrimen, in hoc tamen conueniunt, quòd ſicut in reliquis, vt actus aliquis ſtudioſus ſit, verusque ac proprius actus illius virtutis, non ſatis eſt, ſi attingatur, quod verè eſt medium per comparationem ad eum qui eum actum elicit, ſed vlterius requiritur, vt ſciens & eligens propter hoc ipſum illum eliciat: ſic quoque in virtute iuſtitiæ, vt actus ſtudioſus ſit, ad virtutemque iuſtitiæ pertineat, non ſatis eſt, ſi verè eo attingatur medium ex natura rei, fiatq; id, quod in ſe iuſtum eſt, ſed vlterius requiritur, vt qui eum elicit, ſciens & eligens propter hoc ipſum eum eliciat. Quo fit, vt quemadmodum ſi aliquis ex auaritia, & non vt temperatè viuat, commodat quod oportet, efficiet quidem hic & nunc, quod temperatum eſt in ſe, actus tamen ille neque ſtudioſus, neq; virtutis erit temperantiæ: ita ſi quis ſoluat, quod debet: at non ea intentione, quia illud debet, ſed metu, aut propter malum aliquem finem, non efficiet actum iuſtitiæ. Conſonatque apertè cum noſtra doctrina Ariſtoteles 5. *Ethicorum capite 8.* dum ait: *ſi quiſpiam depoſitum inuitus, & ob timorem reddiderit, nõ eſt dicendum hunc iuſtum, aut ius agere.* Quare hac in parte nullum video diſcrimen inter iuſtitiam & reliquas virtutes, vt vult Diuus Thomas. Etenim quemadmodum quando in materia iuſtitiæ attingi videtur medium, ſed opus non ſit ex intentione quia tale, ſit quidem, quod in ſe eſt iuſtum, actus tamen non eſt iuſtitiæ: ſic etiam quando in materia temperantiæ attingitur id, quod reuera eſt medium facta collatione cum operante, & tamen actus non elicitur ex intentione, quaſi id ſit volitum, quia tale, ſit quidem, quod in ſe eſt temperatum, actus tamen non eſt temperantiæ. Verum autem per eiuſmodi actus impleantur præcepta, diximus *1. 2. quæſtione 100. artic. 9.*

SVMMARIVM.

1 *Obiectum huius Diſputationis: Ius latius ſumptum.*
2 *Ius Diuinum duplex: Naturale vnum, Poſitiuum alterum.*
3 *Naturale explicatur.*
4 *Iuris vniuerſi diuiſio.*
5 *Ius Canonicum latè & preſsè quid?*
6 *Ius ciuile ample & ſtrictè ſumptum.*

DIVISIO IVRIS IN SVA MEMBRA.

DISPVTATIO 3.

LIcet D. Thom. *2. 2. q. 57. artic. 2. & 3.* ſolum videatur locutus de diuiſione iuris, quod obiectum eſt iuſtitiæ particularis, quæ virtus eſt cardinalis, diuidendum tamen nobis eſt ius latius ſumptum, vt obiectum

1 *Legis vim legis habentia qui.*

obiectum est cuiuscunque legis, aut moris, qui vim legis habeat: eiusmodi sunt, rerum diuisio, immunitas legatorum, & pleraque alia, quæ consuetudine perscripta sunt de iure gentium, aut ciuili: eædem quippe diuisiones sunt iuris vtroque modo sumpti. Immò cum disputatione præcedente ostensum sit, ius non solum dici de obiecto legis, sed etiam de lege ipsa: & quàm latè lex patet, tam latè pateat ipsius obiectum; sanè eodem modo diuidi potest ius sumptum pro lege, & sumptum pro legis obiecto. Quo fit, vt quæ de iuris diuisione dicemus, de iure quouis horum trium modorum accepto intelligi valeant.

Primò autem loco constituemus cum Theologis dilucidam ac vniuersalem quandam iuris diuisionem. Deinde verò cum ea conciliabimus quandam aliam, quæ *ff. de iustitia & iure, & institutio. de iure natu. gen. & ciuili* habetur: quæ sanè tenebras huic rei videtur offundere. Illud verò non est omittendum, ius diuinum duplex esse, naturale videlicet, & positiuum. Cum enim natura à Deo Optimo Maximo instituta sit: naturæque legem, qua bonum à malo discernimus, ipse mentibus nostris impresserit, vt vel experientia ipsa constat, colligiturq; apertè ex illo Psalm. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quod sanè lumen aliud non est, quamuis ipsa intellectus, qua ea quæ ex se & natura sua bona sunt, ab iis quæ ex se mala sunt, secernimus ac diiudicamus: consequens profectò est, vt ius naturale à Deo Optimo Maximo sit mentibus nostris inditum, naturisque ipsis rerum impressum, atque adeò vt sit ius diuinum, à Deo ipso latum. Id quod confirmari potest ex illo ad Romanos secundo: *Cum gentes quæ legem non habent* (scriptam videlicet, à Deo angelorum, Moysisq; ministerio Iudæis latam) *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem* (scriptam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: dum scilicet naturaliter eos docet, quid sibi faciendum sit, & à quo abstinere debeant: quare cum eiusmodi lex in eorum mentibus scripta, non ab alio, quàm à Deo immediatè lata sit, efficitur, vt diuina sit. Esse autem præter eam ius aliud diuinum positiuum, ex præceptis baptismi, confessionis, & ex plerisque aliis veteris ac noui Testamenti est manifestum.

2 *Ius diuinum naturale vnum, positiuum alterum.*

3 *Naturale explicatur.*

4 *Iuris diuisio.*

Hoc constituto, altero duorum modorum conficere possumus diuisionem iuris. Primo diuidendo ius in diuinum & humanum. Rursus diuinum, in naturale & positiuum. Postea humanum, quod totum positiuum est, in sua membra. Secundo, diuidendo ius in naturale, & positiuum. Deinde positiuum in diuinum & humanum. Rursus humanum, in ius gentium, ciuile & canonicum. Ita vt canonicum sit, quod per Ecclesiam, eiusve ministros, qua tales sunt, traditum est: ciuile verò, quod conditum est per seculares potestates. Quamuis si strictè & propriè de iure canonico loquamur, sit illud solùm, quod ad regimen vniuersalis Ecclesiæ à Summis Pontificibus traditum approbatumve est: constitutiones verò particulares ministrorum Ecclesiasticorum, non nisi vt illas à iure seculari secernamus, sint cum canonico iure annumerandæ. Atque hic secundus diuidendi modus mihi magis placet.

5 *Ius canonicum late & presse quid.*

6 *Ius ciuile late & presse quid.*

Hoc loco, ne quem æquiuocatio fallat, animaduertendum est, Ius ciuile duobus modis posse vsurpari. Vno, pro iure toto, quo regnum, aut ciuitas regitur. Et quia vnumquodque regnum non solùm regitur iure sibi proprio, ab ipsomet regno constituto, sed etiam iure, quod commune habet cum omnibus gentibus, quale est ius naturale, & ius gentium, efficitur, vt ius ciuile hoc modo sumptum, ius naturale, & ius gentium cõplectatur. De eo sic sumpto affirmat Vlpianus *l. 1. ff. de iustitia & iure*, §. *huius studii*, collectum esse ex naturalibus præceptis, gentium, & ciuilibus. Et Aristoteles 5. *Ethicorum cap. 7.* diuidit ius ciuile hoc modo sumptum, in ius *naturale, & legitimum*, hoc est, positiuum, quale dicit esse illud, quod à principio, antequam scilicet lata esset lex, nihil referebat sic, an aliter se haberet; postquã autem lata lege positum est, refert. Altero modo potest ius ciuile vsurpari pro eo, quod est proprium cuique ciuitati aut regno. Sumptum verò hoc modo, distinguitur à iure naturali & à iure gentium, estq; membrum diuidens nostræ diuisionis.

SVMMARIVM.

1 *Ius naturale quod?*
2 *Discrimen inter Ius Naturale & Positiuum.*
3 *Ius Positiuum, quod.*
4 *Natura quo pacto ius naturale nos docet.*
5 *Quædam iuris naturalis mutari possunt.*
6 *Differentias inter variationem, quæ fit in iure naturali: & inter mutationem, quæ fit in iure positiuo.*
7 *Quomodo ius Positiuum efficere possit, vt quid liceat contra Ius Naturale.*
8 *Quo sensu Iure Naturali omnia fuerint communia: Iure verò Gentium introducta sit diuisio.*
9 *Iure Naturali nascituros omnes liberos, vt verum.*
10 *Ius Ciuile quomodo addendo vel detrahendo naturali ac Gentium efficitur.*

IVS NATVRALE QVID SIT, ET an ea, quæ iuris naturalis sunt, mutari queant.

DISPVT. 4.

HAc disputatione explicandum est membrum primum secundæ diuisionis iuris in commune: sequenti verò explicabimus membrum secundum, & eas partes, in quas illud subdiuisimus. Ius naturale definitur ab Arist. 5. *Ethic. cap. 7.* esse illud, quod vbique eandem vim habet, & non quia videtur, aut non videtur, id est, cuius obligatio oritur ex natura rei, de qua est præceptum, & non ex arbitrio præcipientis: & quia res eandem naturam retinet apud omnes, idcirco naturale ius eandem quoque vim apud omnes habet. Quo loco accipe egregium discrimen inter ius naturale, & positiuum. Quod obligatio iuris naturalis oriatur à natura obiecti, indeque se diffundat in præceptum. Ea verò de causa dici consueuit, ea, quæ sunt iuris naturalis, prohibita esse, quia mala, & non ideo mala esse, quia prohibita. Similiter in bonis, iussa esse quia bona & necessaria, vt fiant, & non ideo esse bona, necessariaq; vt fiant, quia iussa. E contrario verò obligatio iuris positiui oritur à præcepto & voluntate præcipientis, indeque deriuatur in obiectum. Atque idcirco de iis, quæ iuris sunt positiui, dici consueuit, ea esse mala, quia prohibita, & non ideo prohibita, quia in se mala. Similiter in bonis, esse bona necessaria vt fiant, quia imperata, & non ideo imperata, qui de se bona necessaria vt fiant. Atque hac de causa merito Aristot. 5. *Ethicor. cap. 7.* ea esse iuris positiui definit, quæ à principio, antequam lex statuatur, nihil refert, fic an aliter fiant; postquam verò lex est lata, refert; quia videlicet eorum obligatio non orituà natura rei præceptæ, sed à præcepto & voluntate præcipientis. Regula ergo generalis ad dignoscendum, num aliquid ad ius naturale, an ad positiuum pertineat, hæc est. Si obligatio oritur à natura rei, quæ præcipitur aut prohibetur, quia videlicet in se est necessaria vt fiat, vt est subuenire extremè indigenti, vel quia in se est illicita & mala, vt furari, adulterari, mentiri, tunc præceptio aut prohibitio pertinet ad ius naturale: si verò obligatio non oriatur à

1 *Ius naturale quod.*

2 *Discrimen inter illud & positiuũ.*

3 *Ius positiuũ quod.*

natura rei quæ præcipitur, aut prohibetur, sed à præ-
cepto & voluntate prohibentis, esto ex parte rei sit
congruitas, & exigentia quædam, vt præcipiatur,
aut prohibeatur, pertinet ad ius positiuum. Eius-
modi sunt ieiunium quadragesimæ, confessio an-
nua, susceptio baptismi &c. Quia ergo ius naturale
à rerum ipsarum naturis, quæ præceptæ aut prohi-
bitæ sunt, oritur, eo quod in se illicitæ aut necessa-
riæ sint, vt fiant, si virtus salua debeat consistere: na-
tura verò quemadmodum indidit nobis semina
quædam ad cognoscendum ex rerum ipsarum na-
turis veritates speculatiuas, non solùm principio-
rum, sed etiam conclusionum, quæ ex ipsis deducun-
tur, sic quoque dedit igniculos ad cognoscen-
das ex naturis earundem rerum veritates practicas,
non solùm principiorum, sed etiam conclusionum
quæ ex eis deducuntur, inde oritur, vt dici consue-
uerit, ius naturale esse, quod natura ipsa nos do-
cet.

4 *Natura quo pacto ius naturale nos docet.*

Aduerte tamen, naturam non ita distinctè nos
docere ea quæ iuris sunt naturalis, quin in deduc-
dis aliquibus conclusionibus ex principiis facilè er-
ror surrepat, præsertim quando conclusiones eius-
modi remotè obscureque ex primis principiis col-
liguntur: quo fit, vt circa ea, quæ iuris sunt natura-
lis, error possit aliquando euenire.

Dubium tamen est circa rem præsentem, an ea
quæ iuris sunt naturalis, possint aliquando ita mu-
tari, vt esse desinant de iure naturali. Ad quod re-
spondent Arist. 5. *Ethic cap.* 7. & D. Tho. 2. 2. *q.* 57. *art.*
2. *ad primum*, posse interdum mutari; non tamen o-
mnia, sed aliqua. Vt enim inter res naturales quæ-
dam sunt necessariæ omnino, quæ variationem nõ
patiuntur, vt ignis ita est calidus, vt esse nequeat fri-
gidus, & homo suapte natura ita vim habet ad in-
telligendum, vt nequeat ea priuari; & quædam sunt
ita suapte natura tales, vt possint aliquando aliter se
habere, sicut, licet dextera manus naturaliter fortior
sit, quàm sinistra, interdum tamen sinistra euadit
fortior, quàm dextera: ita in rebus moralibus
quædam sunt de iure naturali eius conditionis, vt
nequeant non esse, cuiusmodi sunt, quæ in Decalo-
go præcipiuntur, eo modo, quo præcipiuntur, in
quæ, sic spectata, ne diuina quidem potentia cadit
dispensatio, vt 1. 2. *q.* 100. *ar.* 8. latè ostendimus: alia
verò ita sunt de iure naturali, vt possint aliquando
deficere, & non esse de iure naturali. Hoc modo fi-
cet reddere depositum sit de iure naturali, si tamen
rei depositæ dominus in furiam incidat, periculũq;
fit, ne se, vel alium ea interficiat, de iure naturali est
contrarium, nempe dum periculum illud immi-
ner, rem depositam ei non reddere.

5 *Aliqua naturalis iuris mutari, & non esse iuris naturalis possunt.*

6 *Non tamen facta variatione in lege &c ea quæ iuris sunt positiui.*

Est tamen notandum latissimum discrimen in-
ter variationem eorum, quæ sunt de iure naturali,
& eorum quæ sunt de iure positiuo. Variatio nam-
que eorum, quæ sunt de iure naturali, non euenit
propter variationem, aut mutationem, quæ in lege
naturali fiat, sed propter aduentum circumstantiæ,
quæ extrahit obiectum à numero eorum, quę lex ea
comprehendebat: quare fit sine vlla dispensatione
aut mutatione legis, lumine intellectus dictante &
interpretante, quod persistente lege in se, vt antea
erat, non intelligatur in eo euentu, talíq; superue-
niente circumstantia. Neque enim vnquam de iure
naturali fuit, vt ensis depositus redderetur furioso
illum petenti, quin potius contrarium semper na-
turale ius præcepit. Vnde efficitur, vt vniuersim
verum sit, id quod est de iure naturali, eo pacto, quo
obiectiuè censetur esse iuris naturalis, vbique & a-
pud omnes habere eandem vim, vt Aristoteles 5. *E-
thicorum cap.* 7. definiuit. Variatio autem eorum, quę
sunt de iure positiuo, euenire potest, non solum fa-
cta variatione ex parte obiecti, vt si is, qui die Vene-
ris à carnibus abstinere tenebatur, in febrim inci-
dat, sed etiam facta mutatione & variatione in ipsa
lege, eam abrogando omnino, aut in ea dispensan-
do. Cum enim obligatio illius non ex natura obie-
cti, sed ex voluntate pendeat legislatoris, pro illius
arbitrio eam abrogantis, aut in ea dispensantis, de-
sinit, vel omnino, vel ex parte obligare. Quo fit, vt
merito Aristoteles *loco citato*, ea quæ iuris sunt po-
sitiui, mensuris vini aut tritici comparauerit, quæ
pro hominum arbitrio mutantur, neque sunt eæ-
dem apud omnes. Prædictis si adiungas, positiuum
ius, hominumque voluntatem posse interdum pro-
ponere ex parte obiecti circũstantiam, qua id, quod
secluſa tali circumstantia esset iuris naturalis, desi-
nat ad ius naturale pertinere, intelliges multa, quæ
aliquibus solent multum negotij facessere.

7 *Positiuũ ius qua ratione efficere possit, vt aliquid esse desineat de iure naturali.*

Primum est, ius positiuum humanum efficere
posse, vt aliquid liceat, quod secluso tali iure, esset
contra ius naturale: non quasi ius humanum præ-
iudicare possit iuri naturali, ipsum in aliquo dero-
gando, sed quod possit apponere circumstantiam
ex parte obiecti, qua id esse desinat de iure naturali,
quod foret secluſa ea circunstantia. Exemplum ac-
commodatum habemus in lege præscriptionis, qua
ei, qui bona fide possedit aliquid alienum toto tem-
pore dato ad præscribendum, fas est, transacto eo
tempore, retinere illud, esto reſciat fuisse alienum:
quod tamen secluſa lege præscriptionis, esset con-
tra ius naturale. Vt verò id dilucidius intelligas, a-
nimaduerte, de iure naturali esse, non retinere alie-
num inuito domino: cui iuri nihil præiudicat lex
præscriptionis, ipsum in aliquo derogando: eo q̃
non efficiat, vt inuito domino liceat retinere alie-
num, dum perfistit alienum, quod esset præiudica-
re iuri illi naturali: sed princeps potestatem habens
iure naturali spoliandi subditos dominio rerũ sua-
rum, illudque in alios transferendi, quando id bo-
no Reipublicæ viderit expedire, eo ipso, quod ad
reſcindendas lites, & quasi in pœnam negligentiæ
propriorum dominorum, ne id in posterum publi-
cam tranquillitatem turbaret, legem iustam præ-
scriptionis cõdidit, qua statuit, vt qui bona fide rem
aliquam certo quodam tempore possideret, com-
pararet dominium illius, priorq; dominus illud a-
mitteret, apposuit circumstantiam ex parte obiecti,
qua id, quod secluſa ea lege esset alienum, ac proin-
de cuius retentio esset contra ius naturale, stante ea
lege, neque alienum sit, neq; illius retentio sit contra
ius naturale.

8 *Iure naturali fuisse ante rerum diuisionem omnia communia, vt verũ sit.*

Secundum est, in quo sensu verum sit, quod com-
muniter dici consueuit, nempe de iure naturali fuis-
se omnia communia, iure verò gentium introdu-
ctam, factamque fuisse rerum diuisionem. Sensus
enim est, spectata prima rerum constitutione, qua
res à Deo conditæ & donatæ sunt generi humano
in commune, nihil cuiquam appropriando, specta-
toque iure quod tunc erat, antea quàm quicquam
iure positiuo ac gentium fuisset introductũ, in hoc
sensu, iure naturali fuisse omnia communia, quod
contra ius naturale fuisset, prohibere quemquam
vsu cuiuscunque illarum, fieretque illi iniuria: eo
quòd communes essent sibi cum reliquis homini-
bus. Quia tamen Deus ita generi humano in com-
mune res donauit, vt nec præceperit, vt haberent
eas communes, nec prohibuerit, vt eas inter se di-
uiderent, præsertim si id temporis succesſus, gene-
risque humani status postularet, sane homines post
lapsum in peccatum, postulante id recta ratione, di-
uidere eas inter se potuerunt, reque ipsa diuiserunt:
tum vt melius administrarentur: tum etiam vt
pax inter homines seruaretur, quæ sanè, si omnia o-
mnibus vniuersim essent communia, seruari nulla
ratione posset. Ius ergo positiuum, ex communi ho
minum tacito vel expreſso beneplacito, aut ex pri-
morum parentum, vel Noe post diluuium, statu-
to, aut alterius, quem sibi in principem elegissent,

efficere

efficere potuit, vt quod ante rerum diuisionem esset contra ius naturale, ea facta aduenientque circumstantia ex parte obiecti appropriationis rerum, iuri naturæ non repugnaret. Eaque de causa, post rerum diuisionem, licitum est cuique prohibere ab vsu rei suæ quemcunque alium, qui ea extreme, aut grauiter non indiguerit. Infra autem ostendemus fidei dogma esse: licitam esse rerum diuisionem.

Tertium est, in quo sensu. *l. manumissiones. ff. de iustitia & iure.* assertum fuerit, iure naturali omnes homines nascituros fuisse liberos. Id quod non solum fuit etiam assertum. *l. 4. ff. de statu hominum.* §. *ius autem gentium.* *Institut. de iure naturali gentium & ciuili.* & § *seruitus.* *Institut. de iure personarum.* sed etiã additum his iuribus fuit, seruitutem esse contra ius naturale, fuisseque contra naturam de iure gentiũ introductam. Sensus autem horum omnium est, spectata præcise prima rerum constitutione, homines ita iure naturali nascituros fuisse liberos, vt seruitus esset contra naturam, iusque ipsum naturale, atque adeo iniusta. Commissa autem culpa per aliquos populos, ortoque bello iusto, quo fas fuit eos interficere, non solum iure gentium seruitutem esse licitam, minimeque cõtra ius naturale, eo ipso quod ex parte obiecti ea circumstantia licitæ eorum interfectionis resultauit, sed etiam authoritate propria cuiusque populi aut principis, qui ius simile ad interficiendum quacunque ex causa haberet, potuisse licite introduci, commutando mortem iis, qui illa digni erant, in perpetuam eorum seruitutem. Atque hac ratione seruitus cepit merito iure gentium introduci, vt vel nomen ipsum serui indicat: dicti enim sunt serui à seruando, quia à morte seruati, vt habetur. *l. 4. citata, & §. serui, Institu. de iure personarum.*

Quartum, quod intelligens, sunt verba illa Vlpiani. *l. ius ciuile. ff. de iustitia & iure*, vbi ait. *Cum aliquid addimus vel detrahimus iuri communi, naturali scilicet & gentium* (vt ex iis quæ præmiserat est manifestum) *ius ciuile efficimus.* Quibus verbis affirmat ius ciuile aliquando addere iuri naturali & gentium, aliquando vero aliquid ab eis detrahere. Addit quidem nonnunquam solam determinationem ad quędam particularia, nonnunquam vero noua omnino statuta. V. g. De iure naturali est; Deum coli debere: quod vero hoc vel illo sacrificio in particulari colatur, non est de iure naturali, sed ex arbitrio hominum pendet. Quare statuere capram Diis, sed non duas oues, mactare (*quod est exemplum Aristotelis. 5. Ethicorum. cap. 7.*) non ad ius naturale, sed ad positiuum ciuile spectat. Eodemque modo determinatio sacrificiorum in lege veteri, & sacrificii missæ in noua lege, ad ius diuinum positiuũ spectat. Item de iure naturali est, malefactorem puniri debere: quod vero hac vel illa pœna in particulari, vt quod latro suspendatur, vel flagelletur, aut triremibus adigatur, non est de iure naturali, sed ad ius humanum ciuile spectat id constituere. Vniuersimque addere statuta, quæ nec in naturali, nec in gentiũ iure continentur, siue illa iuris naturalis determinationes sint, siue non, ad ius ciuile pertinet. Detrahit vero aliquando ius ciuile aliquid de iure naturali, non directe, sed indirecte, vt explicatum est.

9 *Iure naturali nascituros omnes liberos, vt verum.*

Seruitus vt licite gentium iure introducta.

Serum à seruando dictum.

10 *Ius ciuile. Vt addendo, ac detrahendo naturali ac gentium fiat.*

SVMMARIVM.

1 *Ius Positiuum Diuinum.*
2 *Ius positiuum humanum.*
3 *Apostolorum præcepta illo continentur.*
4 *Ius gentium quid.*
5 *Vtrum in Ius gentium cadat disputatio aut abrogatio.*
6 *Ius ciuile quod,*

DE IVRE POSITIVO, PARTIBVSque illi subiectis.

DISPVTATIO 5.

IVs positiuum quid sit, & in quo à naturali differat, explicauimus obiter disputatione præcedente. Illud disputatione 3. diuisimus in diuinum, & humanum. Ius positiuum diuinum est, quod à Deo optimo maximo, aut Christo, quatenus homo est, simulque Deus, de iis, quæ ad naturale ius non spectant, latum est, idque siue ministerio Angeli, siue alicuius alterius suorum seruorum, vt Moysis, vel Apostolorum condiderit. Ius vero humanum sunt reliqua præcepta, quæ homines tulerunt accepta à Deo potestate, pro ministerio, & dignitate cuiusque ad leges condendas. Vnde colligitur, præcepta, quæ Apostoli quatenus pastores & rectores Ecclesiæ tulerunt, ad ius humanum pertinere cuiusmodi sunt præcepta de ieunio quadragesimæ, de obseruatione diei dominicæ, de bigamo non ordinando, de quo 1. *ad Timotheum* 3. & alia huiusmodi. Ius humanum subdiuisimus *eadem disputatione* 3. in ius gentiũ ciuile, & canonicum, simulque explicauimus, quid esset ius canonicum, & in quo à ciuili distinguatur. Quare solum superest explicemus, quid sit ius gentium, & in quo à ciuili differat. Ius gentium est ius humanum, quo omnes, aut fere omnes gentes vtuntur vt habetur. *l. ius gentium. d. 1.* Neque enim, vt aliquid sit de iure gentium, necessarium est, vt omnes vniuersim gentes illud exerceant. Etenim licet inter Christianos sit in more positum, vt qui ab aliis Christianis in bello iusto capiuntur, mancipia non fiant, id non tollit, quominus de iure gentium sit, vt capti in bello iusto seruitutem contrahant. Licet etiam barbara aliqua natio non vteretur ea re, qua reliquæ communiter vtuntur, id nõ impediret quo minus ea res de iure gentium esset. In primis ergo rerum diuisio est de iure gentium. Cõmunis quippe est omnibus rationibus ad illamq; necessarius fuit consensus hominum, vt ea, quæ alioquin omnibus in commune à Deo donata fuerant, diuiderentur. De iure etiam gentium est, vt facta rerum diuisione, res, quæ domino carent, fiant primo occupantis: item legatorum non violandorum religio, & fere omnes contractus, quos homines communiter exercent, & pleraque alia.

1 *Ius diuinum positiuum.*

2 *Ius humanum.*

3 *Apostolorũ præcepta.*

4 *Ius gentiũ.*

Petes vtrum in ius gentium cadat dispensatio aut abrogatio. Respondetur. Cum sit ius humanum hominum voluntate introductum, cadere proculdubio, saltem in parte, vt patet, quoniam Christiani capti à Christianis in bello iusto mancipia non fiũt, & inter religiosos possidentur bona in communi. In totum autem vix abrogari posset quod ad ius gẽtium pertineret. Ratio est, quoniam ad id necessarius esset communis consensus omnium, aut fere omnium nationum, qui difficile haberi potest. Atque, quod ad rerum diuisionem attinet, si prorsus tolleretur, totinde orirentur mala, vt proculdubio culpa esset lethalis eam omnino tollere. Si tamen tolleretur, non dubito quin factum teneret. Ratio est, quoniam quemadmodum humana voluntas sufficiens causa fuit ad rerum diuisionem inducendam, sic quoque sufficiens videtur ad illam tollendam.

5 *Dispensatio in ius gentium, vt cadat.*

Ius ciuile est, quod est proprium cuiusque regni, aut ciuitatis, id est, non omnibus, aut fere omnibus, commune. Huic annecte peculiaria statuta oppidorum, priuatarumque secularium communitatum. Notat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 57. *artic.* 2 mutuum consensum duarum priuatarum personarum in aliquo contractu sufficere ad constituendum iustum, seu ius aliquod inter illos. Illud tamen continuo efficitur de iure naturali, gentiũ, aut ciuili pro qua-

6 *Ius ciuile.*

litate contractus, aliquo horum iurium introducti. Quod autem mutuus ille consensus ad id sufficiat, ex eo probari potest. Quoniam, supposita rerum diuisione, vnusquisque iure cum minimum naturali potest sua libera voluntate transferre in alterum dominium eius, quod suum est, aut se illi obligare, modo aliqua iusta de causa iure humano nō sit impeditus, vt sunt pupilli, & alii, iure ciuili alienare prohibiti.

SVMMARIVM.

1 *Iurisconsulti nihil locuti de Iure supernaturali quale est Ius positiuum diuinum neque item de iure à ministris ecclesiæ ad finem supernaturalem dubium condito, quale est Ius canonicum: quocirca Ius in naturale ciuile & gentium tantum diuidere solent.*

2 *Iurisconsulti aliter sumpsisse voces illas Ius naturale & Ius gentium, atque à Theologis sumantur.*

DE DIVISIONE IVRIS TRADITA à iurisconsultis, & qua ratione cum diuisione hactenus explicata conciliari dasit.

DISPVTATIO 6.

EXplicata hactenus cum Theologis diuisione generali iuris, superest cum ea conciliemus diuisionem à iurisconsultis traditam. Lege namque prima & sequentibus ff. de iustitia & iure, & §. primo & sequentibus. Instit. de iure naturali, gentium & ciuil. diuidunt ius in naturale, gentium, & ciuile. Atque interea, quæ de iure gentium esse dicunt, connumerant, religionem erga Deum, & vt parentibus & patriæ pareamus, itemque fas esse vim & iniuriam vi repellere, quæ omnia constat esse de iure naturali. Vt ergo ea diuisio intelligatur, in primis sciendum est. Iurisconsultos nihil fuisse locutos de iure, vt ita dicam, supernaturali, quale est ius positiuum diuinum, neque item de iure à ministris Ecclesiæ ad finem supernaturalem condito, quale est ius canonicum: eaque de causa solum diuisisse in illa tria membra ius illud, quod non transcendit limites naturæ. Idemque ius est, quod Isidorus, secutus iurisconsultos, diuidit. *c. ius autem d.* 1. Et quamuis videatur sumere ius gentium, naturale, & ciuile, eodem modo, quo à Theologis sumitur, non tamen facienda est vis in exemplis, quæ adducit: sicut nec in exemplis, quæ iurisconsulti adducunt, quæ interdum minus idonea videntur: id quod Couar. *ad Reg. peccatum, parte 2. §. 11. num. 4. & 5.* etiam notauit.

2 Sciendum est deinde, iurisconsultos prædictis in locis longe aliam rationem diuidendi fuisse secutos, longeque aliter assumpsisse voces illas, ius naturale, & ius gentium, atque à Theologis sumantur. Nomine namque iuris naturalis, intellexerunt, non id, quod quocunque modo naturale est hominibus, sed quod ita est eis naturale, vt commune ipsis sit cum brutis, natura per instinctum & propensionem naturalem ad id etiam bruta instigante: eiusmodi sunt coniunctio maris & fœminæ, liberorum procreatio, & id genus alia. Hoc modo accepisse eos ius naturale, constat apertissime, tum ex eorum verbis, tum etiam ex exemplis, quæ subiungunt. Nomine vero, iuris gentium, intellexerunt, ius quodcunque quod omnibus, aut fere omnibus hominibus esset, proprium, siue pertineret ad ius naturale, siue ad ius gentium, vt de eis Theologi loquuntur. Quare præcepta decalogi, quæ hominibus sunt propria pertinentque ad ius naturale, comprehendunt sub iure gentium, vt ex eorum verbis & exemplis liquido constat. Neque eos latuit se sub iure gentium comprehendere multa, quæ erant de iure naturali, in eius acceptione legitima, qua Theologi & Philosophi vtuntur. Quin potius Iustinianus. §. *singulorum, instit. de rerum diuisione*, absque ænigmate affirmat in diuisione à se facta *titulo de iure naturali gentium & ciuili* (ea est quam cum diuisione Theologorum conciliamus) sub iure gentium comprehendisse ea quæ sunt iuris naturalis. Interdumque iurisconsulti in quibusdam aliis legibus sumunt ius naturale in acceptione, quam Theologi, & Philosophi vsurpant. Volentes vero constituere tres gradus iuris, vnum, qui communis esset hominibus cum brutis, alterum, qui hominibus esset proprius, omnibus tamen, aut fere omnibus communis, & tertium, qui peculiaris esset ciuitatis, regni, aut ciuitatis, diuiserunt ius eo modo. Quo fit, vt eorum diuisio in nullo Theologorum diuisioni aduersetur; tametsi aptior multo sit Theologorum diuisio, magisque proprie in ea voce vsurpentur.

SVMMARIVM.

1 *Vtrum inter patrem & filium, dominum & seruum, vxorem & virum sit iustum simpliciter quod vocant ciuile.*

2 *Requisita ad iustum simpliciter.*

3 *An inter prædictas personas possit esse iustum ciuile, quoad ea, quæ non debent inuicem qua tales sunt.*

4 *Authoris sententia præponitur.*

DISTINGVI NVM DEBEAT IVS paternum, dominatiuum, & œconomicum.

DISPVTATIO 7.

ARistoteles 5. *Ethicorum. cap. 6.* & D. Thom. 2. 2. *q. 57. art. 4.* volunt, inter patrem & filium, dominum & seruum, vxorem & virum, non esse iustum simpliciter, quod appellant iustum ciuile, quale est inter ciues: sed inter patrem & filium esse iustum paternum, inter dominum & seruum iustum herile, inter vxorem & virum iustum œconomicum. Ratio est, quoniam cum iustitia fit ad alterum, inter illos est iustum simpliciter, quorum vnus est omnino alter ab alio: filius vero est quasi pars patris ab eo decisa, seruus vero, qua talis, est possessio ac veluti instrumentum domini, & vxor quasi vnum quid cum viro, tum ad generationem, tum etiam ad familiæ gubernationem. Quia tamen vxor est viro quasi æqualis, vult Aristoteles, iustum quod cernitur inter virum, & vxorem, minus recedere à ratione iusti simpliciter, quam recedat iustum, quod inter patrem, & filium, & quod inter dominum & seruum cernitur.

Circa hæc obserua, Aristotelem non negare esse inter connumerata iustum, seu ius simpliciter, sumptum late, vt est obiectum legis cuiuscunque, dictaminisque rationis: sic enim eiusdem ad se ipsum, nedum ad alios, esse potest ius: hominem namque seruare propriam vitam, temperate viuere, & executioni mandare cætera, quæ sunt secundum virtutem, simpliciter est de iure naturali.

Obserua deinde, quamuis Aristoteles inter filiū & patrem neget iustum simpliciter, non tamen negare debitum simpliciter secundum naturalem virtutem, plus quippe debiti naturalis habet filius cōparatione patris, quam comparatione cuiusuis alterius proximi: & idcirco pater, ordine charitatis, omnibus aliis proximis est præponendus, vt supra *q. 26.* ostendimus. Estque filii comparatione patris longe arctior virtus, pietas nempe, quam sit comparatione aliorum: eaque de causa longe grauius peccat, si patrem inhonoret, aut quiduis aliud in eum peccet, quam si in alium idem committeret: eo quod arctiorem virtutem, iusque arctius violet. Ratio ergo cur Aristoteles negat iustum simpliciter inter

Pietas est filii ad patrem.

inter filium & patrem, vt iustum obiectum est iusti- A
tiæ, hæc est. Quoniam cum ad eiusmodi iustum tria requirantur, nempe, vt sit ad alterum, vt interce dat ratio debiti, & vt constituatur æqualitas, in filio comparatione patris, primum & tertium desiderantur: quia neque est alter omnino à patre, neque ei reddere valet æquiualens: non tamen deest secundum, nempe ratio debiti, quin potius longe plus illi debeat, quam cuiuis alteri. Propter eandem rationem inter nos & Deum non est iustum simpliciter. Licet enim longe plus, quam parentibus, illi debeamus; quicquid tamen sumus, ipsius sumus factura, ac serui, nec æquiualens valemus ei reddere.

Iustū quod patris ad filium.

E contrario, patris comparatione filii, ea sola ratione non est iustum simpliciter, quod filius non sit alius omnino à patre: eaque de causa filii vtilitas ac nocumentum in patrem redundet. Id quod illustri B

Seleuci facti

illo exemplo Seleuci Locrensium Principi probari solet. Cum enim filio, ob adulterium commissum, vterque oculus, iuxta legem in adulteros latam foret eruendus, ne filius vtroque lumine priuatus maneret, iussit partiri supplicium, sibique erui vnum oculum, & filio alterum, afflictionem suam propriam filii reputans, & è contrario. Patris ergo comparatione filii, quoad ea quæ vt pater illi debet, quædam alia peculiaris virtus à iustitia distincta esse videtur, quæ pietati filii respondet.

Dubium est hoc loco, Vtrum inter patrem & filium, dominum & seruum, virum & vxorē quoad ea, quæ non debent inuicem, qua tales sunt, possit esse iustum simpliciter: filius namque postquam est C
emancipatus, egreditur potestatem patris: & licet occurrente graui patris necessitate, teneatur ei subuenire, habet tamen sua propria bona, potestque cum patre inire contractus, &c. Imo, dum est sub potestate patris, habere potest peculium castrense, aut quasi castrense, cuius dispositio & administratio à patre non pendet. Item seruus habere potest propria bona sibi ab alio sub ea conditione donata, vt ad solum seruum pertineant, nec domino debeantur. Vxor similiter de iure communi habebat bona paraphernalia, quorum administratio ad eam pertinebat. Præterea hi omnes ratione enormis iniuriæ agere possunt in iudicio aduersus sibi superiores.

4 Iustum, iustitia simpliciter, quatenus inter patrem & filium, &c.

Caietanus 2.2.q.57.artic.4. negat. Sotus vero 3. de iustitia.q.1.artic.4. & Buridanus 5. Ethicor.q.18. affirmant. Consonatque D. Thom. q.57. citata art. 4. Licet autem neutra sententia probabilitate careat, pro pendeo tamen in hanc secundam. Quoniam peculiare iustum, quod inter eiusmodi personas cernitur solum videtur esse quoad ea, quæ, vt tales sunt, vicissim sibi debent. Hæc enim sunt, quæ per se emanant ab illis, qua tales sunt, & quorum contraria cum eorum statibus per se pugnant. In reliquo vero solum se videntur habere conciues, aut proximi inter se diuersi, quibus status illi patris & filii, domini & serui, vxoris ac viri, accidunt. Possumus id confirmare, quoniam si filius in bonis temporalibus patrem defraudet, certe non censetur peccare, E
contra virtutem pietatis, qua iustum paternum violatur; quæque distincta specie est à iustitia, sed contra iustitiam. Vnde non tenebitur restituere furtum, aut defraudationem, factam fuisse patri: quoniam peccatum est eiusdem speciei, ac si aduersus alium fuisset factum: & quod defraudatio in bonis temporalibus sit facta patri, non aggrauat, sed extenuat culpam.

Debitum quod, inter inferiores, & superiores.

Hoc loco aduerte respectu etiam aliorum superiorum, quoad ea quæ illis, qua tales sunt peculiariter sunt debita, videri etiam esse peculiare iustum. Eis quippe, qua tales sunt, debetur obseruantia, de qua, & de partibus illius, disputat D. Tho. *inferius à quæst.*102. tanquam de peculiari virtute iustitiæ annexa.

SVMMARIVM.

1 *Iustitiæ definitio, eiusque explicatio.*
2 *Iustitia Moralis virtus.*
3 *Iustitia non sola in voluntate, tanquam in subiecto.*
4 *Iustitia versatur circa operationes, vt operatio à motu sensitiuo distinguitur.*
5 *Iustitia & aliarum virtutum medium.*

IVSTITIAE VIS ET NATVRA explicatur.

DISPVTATIO 8.

D. Thom. q. 58.

EXplicato iustitiæ obiecto, explicanda est consequenter vis & natura iustitiæ. Vlpianus *l. iustitia. ff. de iust. & iur. & Iustinian. instit. eodem titul. in principio*, in hunc modum iustitiam definiunt. Est constans & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens. Quoniam vero illæ voces, constans & perpetua voluntas, soli iustitiæ diuinæ primo aspectu videntur conuenire, glossæ vtrobique habent, definitionem illam de sola iustitia diuina fuisse traditam. Quamuis statim eandem definitionem iustitiæ humanæ etiam accommodent. D. Tho. 2.2. *q. quæst.* 58. *artic.* 1. ita eam exponit, vt solis verbis ab illa Aristotelis definitione. 5. *Ethicorum cap.* 1. differat. *Iustitia est habitus, quo homines apti sunt ad res iustas agendas.* Nomine namque voluntatis, intelligit, non potentiam, sed actum voluntatis. Addit præterea, actum positum fuisse loco habitus: non secus ac in illa fidei definitione, *quem tractatu 79. in Ioannem* tradit Augustinus, *Fides est credere quod non vides*, id est, habitus quo inclinaris ad credendum quod non vides. Vnde sensus prædictæ definitionis est, iustitia est constans & perpetua voluntas, id est, est habitus quo inclinamur cum constantia & firmitate ad volendum ius suum vnicuique. Etenim ad virtutem perfecte acquisitam spectat, vt homo cum firmitate quadam ac constantia operetur, vt 1. *Ethicorum cap.* 4. habetur. Licet autem ad iudicem pertineat tribuere ius D
suum vnicuique sententiam pronunciando, qua, quid cuiusque sit, declaret; ad vnumquemque tamen spectat, ius suum tribuere cuique, opera iustitiæ exequendo. Definitio autem intelligenda est ita, vt modum vtrumque suo ambitu comprehendat.

1 Iustitiæ definitio.

Iustitiam autem virtutem, eamque moralem, esse, ex eo est manifestum, quod sit habitus electiuus in mediocritate consistens, prout prudens definierit: tametsi medium illius sit medium rei per comparationem ad alterum, vt disputat. 2. explicauimus.

2 Iustitia moralis virtus.

Non solum iustitiam esse in voluntate tanquam in subiecto, sed etiam fortitudinem & temperantiam (tametsi in irascibili & concupiscibiliactibus fortitudinis & temperantiæ comparentur etiam quidam habitus; qui minus proprie rationem virtutis sortiuntur) ostendimus 2.2. *q.* 56. *art.* 4 5. & 6. cum communi Doctorum sententia.

3 Iustitia in voluntate.

Eadem 1.2 *q.* 60. *art.* 2. ostendimus iustitiam versari circa operationes, vt operatio à motu sensitiuo distinguitur, nempe versari circa emptiones, locationes, aliasque operationes, quæ sunt ad alterum. Ad alias vero virtutes pertinere reprimere passiones, quæ esse solent impedimento, ne iustitiæ operationes exerceantur. Vt ad liberalitatem pertinere, reprimere inordinatam pecuniæ cupiditatem, ad mansuetudinem reprimere iram, quæ causa esse solet percussionis iniustæ. Ostendimus præterea, quamuis fortitudinis & temperantiæ sit comprimere inordinatos motus, passionesve irascibilis, & concu-

4 Iustitia circa operationes.

Fortitudinis & temperantiæ.

rantia idem, quæ ratione conuenit.

cõcupiscibilis; earundem tamen virtutum esse versari circa operationes externas tanquam circa propriam materiam & obiectum, vt circa aggressiones inimicorum, circa moderatam comestionem, &c. A

5 Iustitia & aliarum virtutum medium.

Quoniam pacto medium aliarum virtutum sumatur comparatione operantis, mediumq; rationis dicatur: medium vero iustitiæ sit medium rei, sumaturq; per comparationem ad alterum, expositum est *ex parte disput.* 1. sed multo fusius. 1. 2. q. 64. Iustitiæ vero actum esse reddere vnicuique quod suum est, hoc est, quod illi debetur, ad eumve pertinet, ad quem actum etiam reducitur, nolle cuiquam nocumentum inferre, ex dictis est satis manifestum. De præstantia iustitiæ supra alias virtutes morales disputauimus copiose. 1. 2. q. 66. Atque hæc sunt quæ D. Th. 2. 2. q 58. per totã quæstionẽ disput.

SVMMARIVM.

1. *Iniustitia duplex.*
2. *An in omni peccato reperiatur Iniust. tia, legali Iustitiæ opposita.*

DE INIVSTITIA.

DISPVTATIO IX.

D. Thom. quæst. 59.

CONsequenter aliquid dicendum est de iniustitia in genere cum D. Tho. 2. 2. q. 59. Sicut *disp.* 1. duplicem iustitiam distinximus cum D. Thoma & Aristotele, *legalem* videlicet, *& particularem*, quæ virtus est cardinalis: sic quoque duplex iniustitia distinguitur. Vna, quæ iustitiæ legali opponitur appellariq; potest illegalis iniustitia. Posita autem est in legum inobedientia, despectioneque boni communis. Altera, quæ iustitiæ virtuti cardinali est contraria, destruitque proinde æqualitatem, quam is, qui in eam incidit, ad proximum suum habere debebat. B C

1 Iniustitia duplex.

2 Quærit Dominicus à Soto. 3. *de iustitia q.* 3. *art.* 1. *ad primum*, an in omni peccato reperiatur ratio iniustitiæ, legali iustitiæ opposita. Respondetque, tunc solum reperiri formaliter, quando quis peccat ex contemptu legis ac boni communis: non vero quando peccat, non quidem animo transgrediendi legem, sed explendi proprium appetitum, vt ira percitus interficiendo proximum, vel auaritia furtum committendo, aut alia simili appetitione ductus. Contraria tamen sententia est longe probabilior. Quoniam ad rationem vitii necesse non est, vt aliquid sit intentum ac volitum formaliter: sed satis est, vt sit voluntarium ac imputatiue volitum, quo pacto in omni peccato cernitur legis inobedientia. Eaque ratione Aristot. 5. *Ethicor. c.* 1. prope medium, quamcunque legis transgressionem appellat *iniquitatem*, transgressoremq; *iniquum*. Et Ioan. 1. *suæ canonicæ c.* 3. *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas*. Quamuis testimonium hoc intelligi possit de iniquitate, seu iniustitia, vt opponitur iustitiæ in eã acceptione, qua *disput.* 1 explicatum est, eam esse communem essentialiter omnibus functionibus virtutis. Quatenus enim peccatum omne intrinsece habet vt sit transgressio legis alicuius, atque adeo, vt sit inobedientia quædam, erit iniquitas: non tamen in furto, v. g. erit distincta à peccato furti, & in homicidio à peccato homicidii. Iuxta mentem vero Aristotelis, admissaque acceptione iustitiæ legalis, quæ omnibus virtutibus moralibus communis sit, non tamen per essentiam, iuxta ea, quæ *disp.* 1. explicata sunt, sane in omni peccato, cuicunque virtuti particulari contrario, admittenda est particularis ratio formalis adiuncta iniustitiæ legalis, saltem quando vitium illud prohibitum est in Republica: non tamen illa erit peccatum lethale quando non adest formalis contemptus legis, nec sequitur grauis læsio boni communis. D

Iniustitia latet in omni peccato cernitur.

SVMMARIVM.

1. *Qui ignorantia inuincibili, aut ea vi, quæ rationem voluntarium omnino tollat, aliquid efficit, quod in se est iniustum; non proprie iniuriam facere, aut iniustus dicitur.*
2. *Qui ex Ignorantia vincibili, metu, ira, aut simili passione sciens & prudens facit, iniustam iniuriam facere, & vere iniustus dicitur.*

VTRVM EO IPSO, QVOD ALIquis facit iniustum, dicatur iniustus.

DISPVTATIO X.

D. Thom. q. 59. art. 2.

QVæstionem hanc tractat D. Tho. *art.* 2. *eiusdem quæstionis* cum Arist. 5. *Eth c.* 8. Sit vero Prima cõclu. Qui ignorantia inuincibili, aut ea vi, quæ rationem voluntarii omnino tollat, aliquid efficit, quod in se est iniustum, vt percutit, vel simile quid præstat, nec proprie loquendo dicitur iniuriam facere, nec est propterea iniustus. Hęc probatur, quoniam eiusmodi actus rationem non habet culpæ, eo quod sit prorsus inuoluntarius. B

1. Conclus. Iniustum facere, quando non sit.

Secunda conclusio. Qui ex ignorantia vincibili, vel metu, ira, aut alia simili passione, sciens & prudens facit quippiam iniustum, & dicitur iniuriam facere, & vere est iniustus eo modo operando: tametsi apud Aristotelem loco citato, is solus dicatur iniustus absolute, qui ex electione seu malitia, & ex habitu efficit iniustum. Primum ex eo est manifestum, quod in eiusmodi actu vere sit ratio iniustitiæ eiusdem speciei, ac si idem actus ex electione, malitia, ac ex habitu eliceretur. In vitiis namque, vt ex obiecto species vitii resultet, satis est si obiectum sit interpretatiue, & imputatiue volitum, vt prima secundæ variis in locis ostensum est: in re autẽ proposita plusquam interpretatiue & imputatiue est obiectum volitum. Secundum vero docet aperte Aristoteles loco citato. Philosophi namque, quemadmodum noluerunt appellare studiosum simpliciter, nisi eum, qui ex electione & habitu firmiter operaretur, vt ex 2. *Ethicorum capit.* 4. constat: sic etiam noluerunt appellare vitiosum simpliciter nisi eum, qui ex electione & habitu prauum quippiam operaretur: non tamen negauerunt rationem culpæ ac peccati in actibus, de quibus in priori parte secundæ nostræ conclusionis est sermo, vt ex Aristot. 5. *Ethicorum cap.* 8. aperte constat. C D

2. Conclus.

SVMMARIVM.

1. *Iniustum & Iniuriam pati interdum differunt.*
2. *Iniuria formalis non nisi à volente fit, neq; eam quis nisi nolens patitur.*
3. *Interficiens se ipsum non sibi sed Deo & Reipublicæ iniuriam facit.*
4. *Peccant lethaliter, & puniendi sunt, qui eos interficiunt, qui precibus interfici postulant.*
5. *Patriam non habere dominium vitæ subditorum inter eos pro libito posse interficere.*
6. *Subditi periculo mortis obiici possunt, flagitante id bono publico.*
7. *Ad iniuriam sufficit involuntarium mixtum.*
8. *Iniuria in se vere potest nullo etiam proprie patiente.*
9. *Iniuria culpa lethalis ex suo genere.*

VTRVM POSSIT QVIS PATI INIUSTUM VOLENS.

DISPVTATIO XI.

D. Thom. q. 59. artic. 3. & 4.

HAnc quoque quæstionem discutit D. Thomas *art.* 3. *quæstionis citatæ* cum Aristotele 5. *Ethicorum*

1 *Iniustum & iniuriam pati interdum differunt.*

corum cap. 9. & 11. Obserua, illud esse discrimen inter pati iniustum, & pati iniuriam. Quod licet pati iniustum sumi soleat, tum materialiter, sine iniustitia inferentis, tum etiam formaliter, cum iniustitia inferentis, & patientis renitentia, qui id pati nollet; nihilominus pati iniuriam, non solet sumi nisi formaliter, hoc est, intercedente iniustitia ex parte inferentis, & renitentia ex parte patientis, qui id nollet pati.

2 *Prima concluf. Iniuria vt non nisi à volente fit, ita nec pati tur nisi à nolante,*

Hoc constituto, sit prima conclusio: Nullus, nisi volens (saltem imputatiue) efficere potest iniustum formaliter, hoc est, iniuriam. Nullus item, nisi nolens, saltem nolleitate seu inuoluntario mixto, potest pati iniustum formaliter, seu iniuriam. Adde, neminem pati posse iniuriam, nisi altero formaliter eam inferente. Prima pars conclusionis probatur facile, quoniam facere iniustum formaliter, seu iniuriam, est committere iniustitiam & peccatum: nullus autem committit peccatum nisi volens illud committere, saltem imputatiue, quatenus in potestate sua habuit illud vitare. Peccatum namque adeo est voluntarium, vt si quippiam voluntarium nõ sit, peccatum non sit. Secunda pars probatur, quoniam cum vnusquisque quod ad se attinet, cedere possit iuri suo, sane volenti & consentienti omnino, hoc est, absque vllo inuoluntario admixto, nulla fit iniuria in eo quod sic volens patitur. Atque eo modo intelligendum est tritum illud axioma: volenti & consentienti non fit iniuria. Fieri tamen potest iniuria aliis, quorum iuri ille cedere non potuit. Vt si mors alicuius redundet in iniuriam vxoris, & filiorum, esto ille consentiat, vt sine causa interficiatur, iniuria fit vxori & filiis.

3 *Interficiens se, non sibi sed Deo & Reipub. iniurius.*

Ex hac parte conclusionis colligit Aristoteles. 5. *Ethicorum. cap.* 11. cum, qui seipsum interficit, sibi quidem nullam efficere iniuriam: iniurium tamen esse Reipublicæ, cuius est pars, & in cuius detrimentum mors illius cedit, cuius iuri ille cedere non potuit: eaque de causa merito legibus ciuilibus constitutam esse pœnam sibi necem inferentibus, vt sepultura careant, aut aliam ignominiam patiantur. Præterea, cum homo non sit dominus propriæ vitæ, sed Deus, sane, qui seipsum interficit, iniuriam Deo efficit, vt D. Tho. *art. 3. citato in responsione ad secundum* adnotauit. His de causis lethaliter peccant, non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, qui eos interficiunt, qui precibus interfici postulant, iustissimeque legibus ciuilibus puniuntur. Quo pacto. 2. *Regum.* 1. Dauid occidi iussit Amalechitam, qui Saulem, id ab eo efflagirantem interfecerat. Notat etiam Dominicus à Soto. 3. *de iustitia. quæst. 3. artic. 3.* patriam non habere dominium vitæ suorum subditorum, vt habet Deus: eaque de causa patriam interficere non posse pro libito subditos, suos, vt potest Deus, & vt potest quisque pecus suum occidere: sed solum potestates publicas posse tanquam iudices interficere subditos rationabili ex causa. Possunt etiam eosdem mortis periculis obiicere, quando bonum Reipublicæ id efflagitat, ad idque eos cogere. Ex his omnibus constat, longe aliam Deo, quam Reipublicæ, iniuriam inferre, qui seipsum, vel alium iniuste interficit. Verum de his omnibus fusior erit sermo tract. 3. Illud obserua, quamuis is, qui se ipsum interficit, sibi non faciat iniuriam, eoque ex capite non peccet contra iustitiam peccare tamen lethaliter contra charitatem, qua seipsum tenetur diligere. Simul etiam peccare posse contra alias virtutes, vt cõtra fortitudinem, si se ex pusillanimitate interimat.

4

5

6

7 *Ad iniuriã iustitis inuoluntarium mixtum.*

Addimus in eadem parte conclusionis, saltem nolleitate & inuoluntario mixto. Quoniam vt aliquis pati dicatur iniuriam, quando alius eam infert, id efficiendo, quod de se iniustum est, satis est nolleitas, ac inuoluntarium mixtum. Qui namque vinculas soluit, licet voluntarie simpliciter eas soluat; pati tamen iniuriam dicitur: eo quod nollet eas soluere, si vsurarius gratis vellet pecuniam mutuare, & ob id inuoluntarie mixte eas soluat, quod satis est, vt pati quis iniuriam dicatur, quando alius infert, quod de se est iniustum. Similiter qui metu mortis dat pecuniam latronibus, ne ei mortem afferant, licet voluntarie simpliciter eam det, iniuriam tamen pati dicitur propter eandem rationem. Tertia pars conclusionis probatur, quoniam pati iniuriam supponit eam inferri iniuste: alioquin esto id, quod infertur, esset ex se iniustum, non tamen esset iniuria, atque adeo neque, qui id pateretur, diceretur iniuriam pati.

8 2 *Concluf. Iniuria infertur, nullo eam patiente.*

Secunda conclusio. Fieri potest vt aliquis, quantum est ex se, iniuriam inferat ac peccet, nullo eam proprie patiente. Hæc probatur, quoniam si quis cum fraude & dolo vendere intendat aliquid vltra iustum pretium, & alius sciens ac prudens emat animo libere donandi excessum iusti pretij, sane is venditor iniuriam facit quantum est ex se, nullus tamen eam patitur: quoniam qui libere in re aliqua consentit, non dicitur pati in ea iniuriam.

9 *Iniuria culpabilis lethalis ex suo genere*

In quarto articulo eiusdem quæstionis, addit D. Thomas, eum qui formaliter facit iniustum, iniuriamve infert, peccare ex suo genere lethaliter. Probatur, quoniam infert proximo nocumentum iniuste, quod cum charitate pugnat, atque adeo iniustitia est ex suo genere lethale peccatum. Ex paruitate tamen materiæ, & ex aliis circumstantiis potest aliquando esse culpa solum venialis.

SVMMARIVM.

1 *Iustitiæ particularis alia commutatiua, alia distributiua.*
2 *In quo conueniant.*
3 *Quomodo differant diuersa ratione debiti & proportione arithmetica & geometrica.*
4 *In Iustitia commutatiua cernitur per accidens effigies debiti Iustitiæ distributiuæ.*
5 *Distributiuæ diffinitio.*
6 *Commutatiuæ diffinitio.*
7 *Vtriusque breuis diffinitio.*
8 *Iustitiæ legalis & distributiuæ discrimen.*
9 *Iustitia commutatiua frequentius versatur inter partes reipubl. inter se, quanquam etiam versari possit inter rempublicam & ipsius partem.*
10 *Iustitia commutatiua & distributiua, infimæ species.*
11 *Iustitia distributiua an distinguatur specie à commutatiua.*
12 *Princeps, Iudex & alij ministri publici ex iustitia commutatiua ius dicere debent.*
13 *Iustitia vindicatiua commutatiuæ affinis: pars quasi est iustitiæ potentialis.*

DE DIVISIONE IVSTITIAE IN commutatiuam & distributiuam. Et num vindicatiua iustitia inter partes iustitiæ subiectas sit connumeranda.

DISPVTATIO 12.

D. Tho. q. 61. artic. 1. 3. & 4.

AGendum est consequenter de partibus iustitiæ subiectis. Aristot. 5. *Eth cap* 2 & cum eo D. Tho. *2. 2. q. 61. artic. 1.* & Doctores communiter, in duas tantum species diuidunt iustitiam particularem, nempe in *commutatiuam*, & *distributiuam*. In qua diuisione magno onere nos leuabunt, quæ *1. p. quæst. 21. artic. 1.* de his partibus ea occasione diximus, vt explicaremus, num vel iustitia vindicatiua, vel earum aliqua, in Deo proprie reperiretur dum vel delicta punit, aut propter Christi merita ea condonat, vel præmia pro meritis retribuit, quæ omnia, eo loco videnda sunt.

5 *Iustitia in commutatiuam & distributiuam diuiditur.*

Iustitia

2 *In q. 61. exemplum.*

Iustitia commutatiua & distributiua quemadmodum in ratione iustitiæ particularis in communi conueniunt, sic quoque conueniunt in eo, quod vtraque respicit debitum aliquo modo, cui cuius per eas redditur alicui quod tuum est, vel ac quod habet ius, saltem ex cõditione, quod in recompensationem dederit aut det aliquam rem, vel concedat ius ad aliquid aliud, vt accidit in emptionibus & venditionibus, cæterisque contractibus mutuis. Conueniunt præterea quod vtraque æqualitatem constituit: vtrumque namque, nempe & reipicere debitum aliquo modo, & constituere æqualitatem, eis conuenit, non quatenus tales iustitiæ in specie sunt, sed quatenus in ratione iustitiæ particularis in genere conueniunt.

3 *Respectus rationes debiti diuersi.*

Differunt vero penes diuersam rationem debiti, quam respiciunt, diuersamque rationem æqualitatis, quam constituunt: quæ sane diuersa æqualitas ex diuersa ratione debiti originem habet. Iustitia namque distributiua præcise respicit illud debitum, quo aliquid ea ratione alicui debetur, quod pars sit communitatis, bonaque Reipublicæ communia, si in ea redundent, diuidendaque sint (quod quàm rarissime accidit) partib. Reipublicæ debeantur. Cum enim Respublica nihil aliud sit, quam collectio omnium suarum partium, sane eius bona partium sunt, in commune tamen ab eis posse ſſa: quare si, quia redundant, diuidenda sint, per Reipublicæ partes sunt distribuenda, & vnicuique sua portio debetur: Iustitia vero commutatiua respicit quodcunque aliud debitum, quod quouis alio titulo cuique debeatur.

Distributiua iustitia debitum inæqualepartium respectu.

Est verò hoc discrimen inter has duas rationes debiti. Quod illud quod primo modo debetur, nõ debetur partibus omnibus Reipublicæ æqualiter, sed vnicuique pro conditione & gradu, quem habet in Republica. Quo fit, vt non solum, quo pluribus Respublica constat, eo minus de bonis communibus singulis debeatur, sed etiam vt, existente certo numero partium ipsius, singulis non debeatur portio æqualis simpliciter, sed æqualis proportione quadam, ita scilicet vt qualis fuerit proportio conditionis ac dignitatis cuiusque partis ad alteram, talis sit proportio partis communium bonorum, quæ ei debetur, ad partem, quæ debetur alteri. Id vero, quod debetur secundo modo debetur ad æqualitatem, & per commensurationem simpliciter, non quidem mathematice, sed moraliter, comparatione eius, vnde consurgit obligatio. Vt si furatus sum centum, totidem restituere cogor. Si rem emi, pretium illi æquale, iuxta id quod pacti sumus, debeo reddere. Si mea sponte centum ex liberalitate promiſi, eoque ipso me debitorem constitui, totidem soluere astringor. Hanc posteriorem æqualitatem, seu medium, quod iustitia commutatiua constituit, appellat Aristoteles. 5. *Ethicorum c.* 3. & 4. secundum proportionem arithmeticam: quia est æqualitas inter duas quãtitates. Illam vero priorem æqualitatem, seu medium, quod iustitia distributiua constituit, appellat secundum proportionem geometricam: quia est æqualitas, non inter quantitates, sed inter proportiones, atque adeo est proportio proportionum. Vtraque ergo est æqualitas, atque adeo proportio: sed vna est æqualitas quantitatum, alia verò est æqualitas proportionũ.

Medium Commutatiua secundum arithmeticam. Distributiua secundum geometricã proportionem.

4 Aduertendum est tamen, per accidens in debito ex iustitia cõmutatiua cerni interdum effigiem quandam debiti ex iustitia distributiua. Vt si tres ineant contractum societatis, & computatis omnibus, capitale vnius excedat duplo capitale alterius ex reliquis duobus, & rursus capitale huius excedat in sex qui altero capitale tertii remanentis, sane lucrum in eadem proportione est inter eos diuidendum, estque singulis ex iustitia commutatiua debitum: eo quod vnusquisque comparet sibi ius ad lucrum iuxta proportionem capitalis, quod eo ipso quod comparatum est, est illi debitum, non ea ratione quasi bonum commune sit, & tanquam superfluum sit per accidens inter partes diuidendum, sed quod ineundo societatis cõtractum, apponendoque tantum capitalis, vnusquisque efficit sibi tanquam personæ priuatæ debitum, quod ex lucro respondet capitali, quod proinde eo ipso, quod comparatum est, est ipsi ad æqualitatem simpliciter, seu arithmeticam reddendum.

5 *Distributiua definitio.*

Iuxta hactenus dicta in hunc modum possumus definire iustitiam distributiuam. Est iustitia particularis quæ partibus Reipublicæ id reddit, quod ea ratione eis est debitum, quod bona communia, si redundent, diuidendaque sint partibus Reipublicæ, iuxta Geometricam proportionem appropriandа. Et quia, id iuxta eam proportionem exequi, potestatibus publicis incumbit, affirmat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 61. *artic.* 1. *ad tertium*, virtutem hanc potissimum residere in Reipublicæ rectoribus: in subditis verò solum cerni quatenus eis complacet, conterritque sunt, vt ea distributio eo modo fiat. Iustitiam quoque commutatiuam possumus etiam definire, esse iustitiã particularẽ, quæ vnicuique reddit quicquid quouis alio titulo est illi debitum.

6 *Commutatiua definitio.*

Possumus breuius definire Iustitiam distributiuam, esse iustitiam particularem, quæ æqualitatem iuxta proportionem geometricam per se cõstituit. Commutatiuam vero, esse iustitiam particularem, quæ æqualitatem iuxta proportionem arithmeticam per se constituit.

7

Ex dictis satis est manifestum discrimen latum, quod inter iustitiam legalem, & iustitiam distributiuam interponitur. Iustitia namque legalis respicit commune bonum Reipublicæ, vt quam optime se habeat, operaq; omnium aliarum virtutum in eum finem refert, vt disputatione 1. explicauimus. Iustitia vero distributiua respicit bonum ac debitum partibus Reipublicæ de communibus bonis, qua partes Reipublicæ sunt. Discrimen vero iustitiæ commutatiuæ, à legali, & distributiua, explicatione non indiget.

8 *Vtraque horum à legali distinguitur.*

Illud etiam ex dictis intelligetur facile, quod D. Thomas 2. 2. *quæst.* 61. *artic.* 4. *ad secundum* adnotauit. Nempe, licet commutatiua iustitia frequentius versetur inter partes Reipublicæ inter se, vel fari etiam posse inter Rempublicam & ipsius partem. Sicut enim, si Respublica mutuo det ciui centum, tenetur ciuis de iustitia cõmutatiua illa Reipublicæ reddere ad æqualitatem arithmeticam: sic quoque, si ciuis Reipublicæ rem aliquam vendat, aut illi locet operas suas vel alium contractum cum ea ineat, tenetur Respublica ad arithmeticã æqualitatem soluere illi pretium, aut rependere iuxta contractum, quem cum eo iniit. Quicquid enim ciui ex iustitia debetur, modo non debeatur tanquam commune bonum redundans, quod inter ciues sit diuidendũ, debetur illi ex iustitia commutatiua, siue id à priuata persona, siue à Republica debeatur. Quare ex iustitia commutatiua debet Respublica iis militibus, quos ad bellum conduxit, stipendia, quæ illis promisit esto ciues eius sint. Ex eademque iustitia debet iudicibus & aliis ministris publicis, stipendia ipsorum muneribus constituta. nec in his iustitia distributiua interuenit. Imo vero, vt 1 *par. loco citato* adnotauimus, quando Respublica ex gratitudine & honestate solum morali aliquid in præmium suis ciuibus rependit, nihil iustitiæ distributiuæ interuenit, sed solũ gratitudinis, ac liberalitatis: nõ secus ac si idẽ similiter in peregrinũ de se bene meritũ cõferret.

9 *Commutatiua fere est inter Rempublicam & partem.*

D. Thomas 2. 2. *quæst.* 61. *artic.* 3. affirmat, distributiuam & commutatiuam iustitiam esse dũas species infimas, eo quod neutra habeat differentias per se, quibus vlterius diuidatur. Nec refert, quod sint multæ vitiorum species iustitiæ commutatiuæ cõtrariæ.

10 *Iustitia commutatiua & distributiua infimæ species.*

trariæ, vt furtum, homicidium, adulterium, &c. Vnius namque & eidem virtuti possunt multa vitia esse contraria, vt liberalitati prodigalitas, & auaritia.

11 *Argumentum.* Buridanus 5. *Ethicorum, quæst. 7.* contendit, iustitiam distributiuam nequaquam distingui specie à commutatiua. Ducitur præcipue hoc fere argumẽto. Debitum ex vtraque iustitia est eiusdem rationis: ergo iustitiæ illæ nõ distinguuntur specie. Consequentia est manifesta. Antecedens sic potest probari. Quoniam si potestas publica, ad quam ex iustitia distributiua spectat distribuere bona Reipubl. non seruet eam distributionem iuste, tenetur restituere ei, cui abstulit portionem sibi debitam, emolumentum totum quo illum priuauit: sed actus ea ratione restituendi, authore D. Thom. 2. 2. *q. 62. art. 1.* est actus iustitiæ commutatiuæ: ergo debitum ex vtraque iustitia est eiusdem rationis.

Soluitur. Ad hoc argumentum negandum est antecedens. Ad probationem vero, concessa maiori & minori, neganda est consequentia. Eo namque ipso, quod potestas publica contra iustitiam distributiuam priuauit ciuem portione bonorum communium, quæ ipsi debebatur, damnum ei intulit, ac proinde contraxit debitum nouum rependendi ex illa iustitia commutatiua, ad æqualitatemque Arithmeticam, quantum fuit emolumentum, quo illum iniuste priuauit. Verum de hac re tractatu sequenti, dum de restitutione erit sermo. Hæc quod attinet ad primum eorum, quæ in hac disputatione proposita sunt.

12 *Iudex ex commutatiua iustitia dicit ius.* Quod vero attinet ad secundum, sciendum est. Iudicem, & quando *ius dicit in ciuilibus*, & quando causas tractat criminales, pœnamque iustam infligit, si præcise spectetur quatenus id præstat, quod ex officio suo præstare debet, exercere actum iustitiæ commutatiuæ. Partes namque Reipublicæ ob id tributa, & alia stipendia soluunt, habentque bona communia deputata, quibus princeps & alij ministri publici potiuntur, vt ius dicant, ipsosq; defendant, & bono cõmuni Reipublicæ prospiciant. Quo fit, vt princeps, & alij ministri publici, quasi ex pacto cum Republica, locatas operas suas habeant ad hæc omnia exhibenda: eaq; de causa non minus ex iustitia commutatiua ea præstent, teneanturq; resarcire damna, quę nisi suum officium præstiterint, sequentur, quam, qui operas suas ad alia locatas habent, ex iustitia commutatiua eas præstant, teneanturque resarcire damna, quæ, si ea non præstiterint, fuerint secuta. Illud præterea est sciẽdum, iudicem, cum in ciuibus ius dicit, alia quoque ratione actum iustitiæ commutatiuæ exercere, nempe, quatenus cooperatur, vt vnus ex subditis iustitiam commutatiuam cum altero seruet, ac exerceat.

13 *Iustitia vindicatiua cõmutatiua affinis proxime est iustitiæ potentialis.* Solum ergo superest expẽdamus, an iustitia vindicatiua, quatenus pars læsa, aut Respublica, competentem vindictam pro delicto ac iniuria exigit atq; assumit, iudexq; & alij ministri publici pro suo munere ad id cooperantur, iustam pœnam infligentes, pars sit iustitiæ particulari subiecta, sub iustitia commutatiua contenta, an non. Ad quod paucis dicendum est. Iustitiam vindicatiuam esse quidem valde affinem iustitiæ commutatiuæ, ad eamq; reduci, quatenus ad æqualitatem secundum proportionẽ arithmeticam pœnam exigit ac imponit pro delicti, iniuriæque quantitate; nihilominus deficere à perfecta ratione iustitiæ, quatenus pœna, quæ pro iniuria & delicto sumitur, damnum illarum nõ resarcit, sed solum patitur reus, quantum iustum est ipsum pro delicto pati, cum tamen damnum integrum perseueret. Quia ergo deficit à perfecta ratione iustitiæ, sane nec sub iustitia commutatiua comprehenditur, nec inter partes iustitiæ particulari subiectas, computatur, sed solum inter partes iustitiæ potentiales: eaq; de causa de ea differit D. Thomas 2. 2. *q. 108.*

SVMMARIVM.

A
1 *In distributiua iustitia non est repassio.*
2 *In commutatiua iustitia non semper foret iustum, si quis idem pateretur quod intulit.*
3 *In commutationibus non seruabitur iustum, si vnusquisque artifex pro opificio alterius, quo ipse indiget, reddat opificium suæ artis, quo alius similiter indiget.*
4 *Si repassum aut contrapassum fiat ad æqualitatem quoad latitudinem iniuriæ, pœnæ, valoris, vt duabus præcedentibus conclusionibus, dictum idem est iustum commutatiuum quod contrapassum.*

B *VTRVM IVSTVM SIT SIMPLICITER idem, quod contrapassum.*

DISPVTATIO 13.

D. Thom. q. 61. art. 4.

QVæstio hæc excitatur à D. Thom. 2. 2. *q. 61. art. 4.* cum Aristotele 5. *Ethic. c. 5.* propter Pythagoricos, qui asserebant, iustum positum esse in contrapassione, seu in repassione, ita scilicet vt vnusquisque id pateretur, quod intulit. Vt si oculum eruit, aut dentẽ extraxit, oculus ab eo erueretur, aut dens extraheretur: quæ pœna talionis consueuit appellari. Eandem sententiam referente Aristotele loco citato, Rhadamantus iudex Cretensium integerrimus approbauit. Pro rei solutione obseruat D. Thomas, cum passio in re morali violentiam quandam importet, tunc proprie dici, quando aliquis inuoluntarie quippiam sustinet, vt quando detrimentum inuitus recipit in propria persona, quod propriissime dicitur passio, aut in re alia ad se pertinente. Quando verò sponte permutat vnum pro alio, nec passionis nec repassionis proprie nomen meretur: tametsi Aristoteles, extenso vocabulo contrapassionis seu repassionis nomine inuoluntariis quoque commutationibus loco citato vtatur. *Talionis pœna qua.*

C

Hoc ita constituto, prima conclusio est. In distributiua iustitia nõ cernitur repassio. Probatur, quoniam in ea nõ habetur ratio, vt cuius tantũ de bono communi recipiat, quantũ contulit. Esto enim nihil bono cõmuni contulerit, particeps esse debet communium bonorum, quãdo, quia redundant, distribuuntur inter ciues. Hinc constat, si iustum sumatur, vt suo ambitu commutatiuum & distributiuum complectitur, non esse idem, quod repassum. 1 *Conclus.*

D

Secunda conclusio. In commutatiua iustitia non semper cerneretur iustum, si pateretur quis idem, quod intulit. Atq; in hac conclusione corrigit Aristoteles Pithagoricorũ & Rhadamanti sententiam. Eam probat, quoniam de homine plebeo, qui Regem percussisset, non sumeretur vindicta æqualis delicto & iniuriæ, si simili modo percuteretur: sed longe acerbius esset puniendus, vt pœna æquaret culpam: eo quod ex qualitate personæ offensæ ac offendẽtis accrescat aut decrescat culpa. E contrario autem, si Rex hominem aliquem ex infima plebẽ iniuste percuteret, æquum non esset, vt similem percussionem in pœnam sustineret: eo quod pœna ex qualitate personæ longo interuallo excederet E culpam. Hac eadẽ ratione, qui aliquid esset furatus, non puniretur ad æqualitatem, si solum cogeretur reddere, quod esset furatus, aut tantundem, perinde ac si illud mutuo aut commodato accepisset: sed propter iniuriam, tum proximo, tum Reipublicæ illatam, atque in medicinam, vt tam ipse, quam cæteri, pœnæ timore in officio contineantur, longe grauiori pœna mulctari debet. Itaq; pensata vndiq; quantitate delicti, ac damni illati, pensataq; quantitate pœnæ ex qualitate personæ, quæ eã dent sustinere, & ex cæteris circũstantiis, infligenda est pœna, quam arbitrio prudentis delicto commensuretur. 2 *Conclus.*

Tertia conclusio. In commutationibus non ser- 3 *Conclus.*

uabitur iustum, si vnusquisque artifex pro opificio alterius, quo ipse indiget, reddat opificium suæ artis, quo aliis similiter indigeat. Vt si faber domorum reddat sutori domum pro calceo: sed pensandus est valor cuiusque rei, cuius nummus (vt Aristoteles loco citato ait) constitutus est mensura & quasi fideiussor, quod dum ad æqualitatem redditur, alij artifices reddent viciſsim opificia sua iis, qui eis indiguerint, commutationesque ad æqualitatem, quoad valorem, faciendæ sunt, vt sint iustæ: siue res pro rebus commutentur, & quando vna aliam excedit in valore, compensetur excessus pecunia, aut redditis pro vna multis rebus: siue res pro pecunia commutentur, vt in emptione & venditione fit.

4 Quarta conclusio. Si repassum, aut contrapassum, fiat ad æqualitatem, quoad latitudinem iniuriæ, pœnæ, valoris, &c. vt duabus conclusionibus præcedentibus fieri debere est explicatum, idem est iustum commutatiuum, quod contrapassum, vt ex iisdem conclusionibus est manifestum.

4. *Conclus.*

DE IVSTITIA COMMVtatiua circa bona externa.

TRACTATVS SECVNDVS.

EXplanata tractatu præcedente iustitia particulari in genere, & eius ambitu per diuisiones positas explicato, deinceps differendum nobis est de partibus illius. Et primo de iustitia commutatiua. Tres vero tractatus sequentes, vt in principio huius de iustitia operis diximus, distinguimus penes materias, circa quas iustitia cõmutatiua versatur. Licet autem, si ad materiæ dignitatem attendas, naturæ ordo postularet, vt tractatus hic, non secundus, sed quartus esset ordine eo quod bona externa bonis corporis, honoris, famæ, ac spiritualibus sint longe inferiora: quia tamen, quæ in hoc tractatu dicenda sunt, lucem dicendis in sequentibus tractatibus afferent, doctrinæ ordo postulauit, vt de iustitia commutatiua circa bona externa hunc secundum instituerem⁹ tractatum. Primo autem loco de iure & dominio rerum in genere, nec non de partibus, quibus dominium quasi integratur ac perficitur, tanquam de fundamentis, quæ iacienda sunt, differemus.

SVMMARIVM.

1 *Iuris definitio.*
2 *Explicatur definitio.*
3 *Habere ius ad aliquid, & pati iniuriam, nequaquam inter se pugnare.*
4 *Non semper cum, qui exequitur id, ad quod habet ius, exercere actum iustitiæ, tametsi is, qui sine legitima causa contrauenit iuri alterius, semper in iniustitiam incidat.*

QVID SIT IVS AD PRÆSENS institutum spectans.

DISPVTATIO. I.

PRætermissis aliis iuris acceptionibus tractatu præcedente *disputat. 2.* explicatis, vna quædam, quam ex parte ibi tetigimus, disputationique vniuersæ de iustitia apprime conducit, est nobis hoc loco, vt rei natura patietur, definienda, pauloque accuratius explicanda. Nec video posse ius in ea acceptione aliter commodius definiri, quam si dicamus. Est facultas aliquid faciendi, siue obtinendi, aut in eo insistendi, vel aliquo alio modo se habendi, cui si, sine legitima causa, contraueniatur, iniuria fit eam habenti. Quo fit, vt ius in hac acceptione sit quasi mensura iniuriæ: quantum enim ei, sine legitima causa, contrauenitur & præiudicatur, tantum fit iniuriæ.

1 *Iuris definitio.*

Explicemus partes definitionis, vt res hæc paulatim dilucidior fiat. Ac sane nonnullæ earum solum indigent exemplorum exhibitione. Facultas, quam ex natura rei habet vnusquisq; ad vtendum rebus suis, vt ad comedendum proprium cibum, ad induendam propriam vestem, ad decerpenda ex arboribus suis poma, ad ambulandum in propria domo, aut in via publica, est ius, de quo modo loquimur: quoniam est facultas horũ vnumquodque efficiendi, cui si contraueniatur, eum, cuius est, absque legitima causa, ab executione cuiusuis eorum prohibendo, fit illi iniuria. Facultas item alicuius obtinendi, quod sibi debetur, aut quia suum est, vt si illud commodauit, vel aliquis illud furto ab ipso arripuit, aut esto non sit suum, ei tamen titulo emptionis, mutui, vel quouis alio debetur, est ius, de quo modo loquimur: quoniam est facultas id obtinendi, cui, si sine legitima causa, contraueniatur, illud ei non exhibendo, fit illi iniuria. Item facultas vniuscuiusque insistendi, aut persistendi in possessione rerum suarum, est ius, quod nunc tractamus: quoniam si, sine legitima causa, illi contraueniatur, per expulsionem illius à possessione, infertur eidem iniuria. Facultas præterea, quam vnusquisque ex natura rei habet, vt recipiat quicquid gratis ex suaque liberalitate quicunque alius voluerit tribuere, est ius, de quo modo loquimur: quoniam si quis, sine legitima causa, illi contraueniat, vel arcendo eum mendaciis, vi aut aliqua alia ratione ne id accipiat, vel vi, mendaciis aut fraudibus donatorem, aut testatorem arcendo aut cohibendo, ne illud idem illi dono det, aut in testamento relinquat; iniurius illi est: & id circo tenetur damnum eidem restituere. Propter hoc & similia alia exempla, appo suimus in definitione verba illa, aut aliquo alio modo se habendi.

Additum est in definitione, cui si, sine legitima causa, contraueniatur, iniuria fit eam habenti. Quoniam cõtrauenire ex legitima causa facultati, quam ad aliquid prædictorum aliquis ex natura rei aliquin habeat, nec facit vt facultas illa in se spectata non fit, ius, de quo loquimur, nec in eo fit vlla iniuria eam habenti. V.g. facultas, quam is, qui rem deposuit, habet, vt ea sibi reddatur, sane ius est, de quo loquimur: quod autem supereueniente furia & periculo, quod, si illi reddatur, se ipsum, aut alium interficiat, ei non reddatur, ac proinde facultati, quam alioquin ad id habet, illa de causa contraueniatur, nec tollit facultatem illam in se spectatam esse ius illius, nec fit illi iniuria: eo quod legitima de causa facultati illi contraueniatur. Facultas item, quam vnusquisque habet, vt de suis bonis comedat & vestiat, quæ voluerit, ius etiam est huius loci: quod autem in bonum Reipublicæ ciues interdum prohibeantur tali vel tali genere vestium, aut ciborum vti, ne sumptus immoderati fiant ac vitia crescant, hominesque præ delitiis molleſcant, nec tollit quo minus facultas illa in se spectata ius sit de quo loquitur, nec vlla fit iniuria ciuibus eam facultatem habentibus: quandoquidem per publicas potestates, legitimaq; de causa fiat: quibus multa alia potuissent exempla adiungi, sed scripta sufficiunt.

Per eandem partem definitionis reiiciuntur à ratione iuris facultates, quibus, quacunque ratione contraueniatur, nulla habentibus eas facultates iniuria infertur: cuiusmodi sunt facultates rerum omnium ratione & libero arbitrio suapte natura carentium, vt brutorum, ad pastum, & ad vtendum propriis membris, lapidum ad descendendum deorsum, & cæterarum aliarum. Cum enim eiusmodi res eo ipso, quod

quòd libero arbitrio præditæ non sint iniuriæ non sint capaces, saltem vt in eo, quod earum facultatibus quacunque ratione contraueniatur, nulla eis fit iniuria; sic nec facultates illæ iuris rationem habent. Quia tamen homo facultatem habet pascendi pecora sua in agris suis, aut in agris communibus ad pastum pecorum ciuium deputatis, facultasque illa iuris rationem habet, saltem qui tali facultati contraueniret, pecora alicuius sine legitima causa à simili pastu prohibendo, iniuriam faceret, non quidem pecoribus, sed illorum domino, teneretur que illi restituere damnum, quod ea de causa accepisset. Tales etiam sunt facultates, seu potius potestates, per liberum arbitrium ad furandum, adulterandum, detrahendum, &c. Vt enim in contrauentione, ne similia fiant, non fit iniuria habentibus eas facultates: sic nec illæ iuris rationem habent.

Illud circa eandem partem definitionis admonuerim, non dici contraueniri iuri alicuius ex eo, quod ius ab eo auferatur, sed ex eo quod iure in eo persistere, cõtra ius illius fiat. Vnde si quis à procuratore suo ius auferat, quod ad tempus illi concesserat, non dicitur contrauenire iuri illius. Qui tamen durante iure in procuratore, contra ius illius faceret, diceretur iuri illius cõtrauenire, iniuriamque illi facere.

Ius habitudo, ad quod est facultas. Quod si quis petat, quidnam sit ius, seu facultas hactenus explicata. Respondeo, non esse aliud, quam habitudinem, seu relationem personæ, à qua habent, ad id ad quod est talis facultas.

Sunt deinde nonnulla animaduertenda, vt ius à nobis definitum amplius intelligatur. Primum est.

3 Quempiam habere ius ad aliquid & pati iniuriam, nequaquã inter se pugnare: quin potius, pati quempiam iniuriam, supponere, illum habere ius ad aliquid. Ius quippe, vt dictum est, est quasi mensura iniuriæ, in eoque ratio iniuriæ est posita, quòd sine legitima causa contraueniatur iuri, quod quis habet. Facere autem iniuriam, aduersatur iustitiæ, eo quòd iniuriam facere, iurive alicuius sine legitima causa contrauenire, sit in iniustitiam, siue omissionis, siue commissionis peccato incidere: iustitia autem & iniustitia inter se opponuntur.

4 Secundum est Non semper eum, qui exequitur id, ad quod habet ius, exercere actum iustitiæ; tamersi is, qui sine legitima causa contrauenit iuri alterius, semper, vt dictũ est, in iniustitiam incidat: Verbi gratia, qui vescitur cibo suo, induitque se vestibus suis, actum exercet, ad quem habet ius, dicitur que proinde vti iure suo: tamen exercet actum iustitiæ; eo quod iustitia sit ad alterum; is vero eiusmodi actibus nequaquam alterum respiciat. Qui tamen, sine legitima causa contraueniret illi iuri, prohibendo ne ille eiusmodi actus exerceret, iniustitiam committeret.

SVMMARIVM.

1 *Iuris in re definitio.*
2 *Ius ad rem definitur.*
3 *Vtriusque definitionis explicatio.*
4 *Res aliæ sunt corporales aliæ incorporales.*
5 *Sicut rerum corporalium comparatur interdum Ius ad rem, inter dũ Ius in re, ita & rerũ incorporalium.*
6 *Ante traditionem actumue, qui ad possessionem sufficiat, non comparatur Ius in re, sed ad rem.*
7 *Effectus horum & differentia.*
8 *Casus quibus maxime in rebus Incorporalibus citra traditionem Ius in re comparatur.*
9 *Ius ad rem est censendum, quod non constat esse Ius in re.*
10 *Iuri in re reali, Iuri vero ad rem personali respondet actio.*

A

DE DISCRIMINE INTER IVS AD rem, & ius in re.

DISPVTATIO. II.

DVplex ius distinguitur, nempe in re, & ad rem; & vtriusque cognitio est valde necessaria ad plurima in vniuersa de iustitia tractatione intelligenda. Quo circa, quid vtrumque sit, pluribus erit nobis hoc loco explicandum.

1 *Ius in re definitio.*

Ius in re, tenui meo iudicio, non aliter potest cõmodius definiri, quam si dicamus. Est ius circa rem aliquam, ad quod res ipsa deuincta est. Ius verò ad rem, est ius circa rem aliquam, ad quos res ipsa nõ
B dum est deuincta. Porro rem deuinctam, aut non deuinctam esse iuri, quod circa illam habetur, multum pendet ex iuris humani, positiuve dispositione, vt in explicatione harum definitionum fiet manifestum.

2 *Ius ad rem definitio.*

Quia verò nihil magis nobis est deuinctũ, quam id, cuius sumus domini, iura, quæ circa res quarum sumus domini habemus, earundem met rerum cõparatione, in primis ac præcipue appellantur iura in re. Vt ius, quod quisque habet ad vtendum ac fruendum re sua, ad illam distrahendam, & alienãdam, imò & ad possessionem illius comparandam, quando possessionem amisit, est ius in re comparatione ipsiusmet rei, licet non comparatione possessionis illius, quæ nondum existit. Etenim res illa ad cuiuscunq; manus & possessionem deueniat, semper est deuincta iuribus illis omnibus, quæ dominus circa illam habet: ac proinde domino conceditur realis actio, quam rei vendicationem iura appellant, vt de manu cuiuscunque, tanquam legitimus dominus, illam sibi vendicet. & in consequentiam conceditur illi possessio, tanquam eo ipso sibi debita; & conceditur vsus & fruitio, ac quodcunque aliud ius, quod in illa habet, nisi contractu aliquo, aut alia ratione illud alienauerit, aut ad tempus sit impeditum. Si enim rem suam in emphyteusim alteri tradidit (aforamento vocant Lusitani, atque etiam prazo) quoniam per huiusmodi contractum, vsum, & fruitionem rei illius à se abdicauit, & in emphyteutam (hoc est, in eum, cui rem in
D emphyteusim tradidit) transtulit, retento sibi dominio eiusdem rei directo, non conceditur illi vsus & fruitio, interim dum contractus emphyteuticus perseuerat. Si quis item vestem, aut aliam rem in pignus tradidit, non conceditur illi vsus illius, donec pretium: ad cuius assecurationem pignus traditum est, soluat.

3

Dictum est, iura, quæ circa res quarum sumus domini, habemus, esse iura in re earundem met rerum comparatione: quoniam aliquando comparatione earum rerum, ad quæ sunt iura non sortiũtur rationem iuris in re, sed iuris ad rem, V.g. si quis deiectus fuit à possessione rei suæ, eamque amisit, licet ius quod habet, vt sibi possessio restituatur, sit ius in re comparatione rei ad quam possidendam habet ius, eò quod res ipsa ad id ex natura rei deE uincta & obligata, & idcirco ad cuiuscunque manus perueniat, secum ferre esse ita deuinctam, nihilominus comparatione possessionis, ad quam habendam est illud ius, quia nondum extitit, idque, quod non exiſtit, non potest esse deuinctum, non dicitur habere ius in re, sed ad rem. Eodem modo ius, quod quis habet ad fruendum re sua, hoc est, ad percipiendum ex ea fructus, est ius in re, si conferatur cum re, cuius fructus debet percipere; eò quod illa ad id ipsi sit deuincta: si tamen conferatur cum eis fructibus, quos percipiendos ius habet, qui iam exiſtant, habet etiam ius in re, quia eo ipso, quod fructus exiſtunt, dominium eorum comparat; si vero cum eis, qui nondum exiſtunt, solum habet ius ad rem, hoc est, ad illos percipiendos, si

exiterint: non vero ius in re, eo quod in re, quæ nondum exiſtit, nequeat eſſe ius, quaſi ad illud ſit res iam deuincta.

Dominium non comparatur ſolo titulo ſine traditione.

Cæterum vt hoc diſcrimen inter ius in re, & ius ad rem paulatim innoteſcat, ſciendū eſt. Ad comparandum dominium, atque adeo ius in re, nec ſatis eſſe rem, cuius dominium ſumus comparaturi, exiſtere, vt de ſe eſt notiſsimum: nec inſuper habere titulum aptum ad transferendum dominium, qualis eſſet legitima emptio, vel donatio, aut alius ſimilis: ſed vlterius requiri, eandem rem eſſe nobis traditam genere aliquo traditionum, quas inferius, dum de poſſeſsione erit ſermo, exponemus ad poſſeſsionem comparandam requiri omnino, ac ſufficere. Ita habetur *l. traditionibus. C. de pactis.* Cuius hęc ſunt verba. *Traditionibus, & vſucapionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur.* Idem fuſius habetur, *Inſtituta de rerum diuiſione. §. Per additionem*, & quatuor ſequentibus, affirmatque communis Doctorum ſententia, quam inter alios refert & ſequitur Antonius Gomez. *tomo 1. variarum Reſolutionum. cap. 2. num. 1. & tomo 2. c. 15. ad finem.* Hinc eſt, quod ſi quis rem aliquam alicui vendat, nec tamen ei tradat, emptor ſolum comparet ius ad illam rem, eſto pretium ſoluerit: non vero ius in re ac dominium: quoniam hæc ante traditionem rei emptę nō comparantur. Vnde vlterius efficitur, quod ſi idem venditor eandem rem ſimul vendat, & tradat alicui alteri, ſecundus emptor, nihil priore venditione impediente, comparet dominium illius, nec eam teneatur tradere poſtea priori emptori. Ita habetur expreſse *l. quoties. C. de rei vendicatione, & libro quarto Ordinationum huius Luſitaniæ Regni. tit. 28. & l. 50. tit. 5. part. 5. legum Caſtellæ.* Vide alia iura & Doctores, quos citat Couar. *2. variar. Reſolut. c. 19.* Ratio huius rei hæc eſt, quoniam res illa, per ſolum titulum emptionis, deuincta non erat priori emptori, qui nondum ius in illa comparauerat, ſed ſolum habebat ius ad illam, vt ſcilicet venditor eam ſibi traderet, traditionemq; efficeret eam illius. Quia itaque obligatio non erat rei, ſed venditoris: & per venditionem ſecundam, ſubſecuta traditione, facta eſt ſecundi emptoris, non conceditur primo emptori actio realis in rem, quæ alterius eſt effecta, ſed perſonalis in venditorem, vt ipſi perſoluat quantum ei intererat, venditionem firmam eſſe, perducíq; ad vltimum effectum. In quibus autē euentibus comparetur dominium per titulum ante traditionem, diſputatione ſequenti explicabitur.

4 *Corporales & incorporales res quæ.*

Sciendum eſt deinde, Inſtituta de rebus corporalibus & incorporalibus. *§. Vnico*, diſtingui duo genera rerum, *corporales* ſcilicet, & *incorporales*. Corporales dicuntur, quæ tangi poſſunt. vt veſtis, domus, aurum, argentum, & cæteræ ſimiles res. Incorporales vero dicuntur, iura ad aliquid. Licet enim ius ſæpenumero ſit ad aliquid corporale, ipſum tamen in ſe, quia tāgi nequit, ſed intellectu percipitur, corporale appellatur. Exemplo eſſe poteſt illud, quod ibidem affertur, hæreditas nempe, ſeu ius ad bona defuncti, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato quis illis ſuccedat. Antequam enim hæres hæreditatem adeat, hoc eſt, illam acceptet, profiteaturve ſe eſſe hæredem, habet ius ad rem comparatione bonorum defuncti: eo vero ipſo, quod illam adit, comparat eorum dominium, vt diſputatione ſequenti oſtendemus. Ius ergo illud, quod ad bona defuncti habet, & à quo hæres denominatur, eſt, quod appellatur hæreditas eo loco, computaturque inter res incorporales: tametſi interdū bona ipſa defuncti hæreditas etiam appellentur. Connumerantur etiam eodem loco inter res incorporales vſus fructus, id eſt, ius fruendi re alterius, & vſus id eſt, ius vtendi tantum re alterius. Præterea connumerantur ea iura in prædia, tam vrbana, quam ruſtica aliorum, quibus, vt inferius oſtendetur, reſpondent ſeruitutes ex parte eorundem prædiorum. V. g. ius viæ per agrum alienum, ius mittendi ſtillicidium alicuius domus ſuper alienā domum, aut aream, & ſimilia alia, de quibus inferius erit ſermo. Ac demum vniuerſim connumerantur quæcunque alia iura: quæ ex quacunque alia obligatione oriuntur. Addere etiam poſſumus beneficium Eccleſiaſticum, hoc eſt, ius ad percipiendum decimas ac reditus, ratione officij, munerisque Eccleſiaſtici, atque ad exequendum omnia, quæ ad munus illud ſpectant. Comendam, id eſt, ius ad recipiendos eos reditus Eccleſiaſticos, qui vnicuique comendæ ſunt deputati. Cathedram, id eſt, ius ad docendum, recipiendumque ſtipendium ei muneri præſcriptum. Ius patronatus, id eſt, ius ad eligendum & præſentandum ad beneficium Eccleſiaſticum, & ſimilia alia.

Hæreditas quid.

Sicut autem rerum corporalium interdum comparatur ſolum ius ad rem, interdum vero ius in re: ſic etiam rerum incorporalium. Regulariter autem ante traditionem, actumve qui ad poſſeſsionem eiuſmodi rerum comparandā ſufficiat, iuxta ea quæ dicentur, dum de poſſeſsione erit ſermo, eſto adſit legitimus titulus, non comparatur ius earum in re, ſed ius ad rem. Vnde ſi quis donet, aut vendat alteri vſumfructum, aut aliud ius in prædio ſuo, cui iuri ſeruitus in eo prædio reſpondeat, & ante traditionem ſeu actum, quo ille poſſeſsionem illius iuris accipiat, dominus prædij vendat, & tradat idem prædium alteri, nullo interpoſito pacto, vt emptor teneatur permittere, & concedere ius, quod venditor illi alteri donauerat aut vendiderat, ſane emptor, cui facta fuerit traditio prædij, ad nihil tenetur ei, cui prius fuerat venditum aut donatum ius illud: eo quod ſolum comparauerit ius ad rem. Secus autē eſſet, ſi præter titulum emptionis, aut donationis, interueniſſet traditio illius iuris: tunc enim, quia primus emptor, aut donatarius, comparaſſet ius in re, antequam ſecunda venditio fieret, vtique ad cuiuſcunq; manus prædium illud deueniſſet, cum eo onere & obligatione reali tranſiſſet. Ita colligitur aperte ex *l. ſi ſub vna. §. ſi quis viam, ff. de verborum obligat.* cuius hæc ſunt verba. *Si quis viam ad fundum ſuum dari ſtipulatus fuerit: poſtea fundum, partemve eius ante conſtitutam ſeruitutem alienauerit, euaneſcit ſtipulatio.* Ex quibus verbis patet, ſtipulationem, titulumve ad ſeruitutem, non eſſe ſatis, vt conſtituta cenſeatur, comparatumq; ſit ius in re, niſi traditio ſit ſubſequuta. Quia ergo ex ſola ſtipulatione nondum erat ius in re, neque actium, ex parte fundi, in cuius vtilitatem ſeruitus erat promiſſa, neque paſsiuum, ex parte alterius fundi, in quo erat promiſſa, ſed ſolum erat obligatio perſonalis conſtituendi eam ſeruitutem, inter eum, qui eam promiſerat, & illum, cui eam promiſerat: ius autem & obligatio perſonalis, nec tranſit cum fundo, in cuius vtilitatem debetur, neque cum fundo, in quo debetur: inde eſt, quod ſi fundus, in cuius vtilitatem ſeruitus fuerat promiſſa, vendatur, ius ſeruitutis illius non tranſeat in emptorem (niſi forte venditor, ſimul dum fundū vendidit, ius illud perſonale, quod ad illam ſeruitutem habebat, ceſsit, ſaltem per clauſulam illam generalem, quam tabelliones in inſtrumentis publicis ſolent apponere, nempe, quod ceſsit omne ius reale vel perſonale competens ſibi in tali re) & maiori cum ratione ſi vendatur, & tradatur fundus, in quo talis ſeruitus fuerat promiſſa, obligatio concedendi eam non tranſeat in emptorem. Idem colligitur ex *l. pluribus. §. ſi placeat. ff. eodem titulo. & ex l. pro parte. ff. de ſeruitutib.* Quando ergo *l. eorum. ff. de damno infecto*, dicitur, fructuarium habere ius in re in fundo, cuius eſt vſufructuarius, intelligendum ſane eſt, de fructuario, qui non habet ſolum titulum, ſed cui facta eſt traditio, ex eo, quod gratia tradendi illi poſſeſsionem miſſus fuerit in fundum,

5 6 *Incorporalium quando ius in re, & ad rem comparatur.*

7

fundum cuius est constitutus fructuarius, vel quod dominus fundi, sciens & prudens, eum vti & frui fundo passus est: (vtrumuis enim horum, inter alia, sufficit ad comparandã possessionem vsusfructus, vt habetur *l.4. versic. dare. ff de vsufructu.*) non vero antequam facta sit ei traditio vsus fructus: neque enim ante traditionem, esto ius habeat ad rem, est simpliciter vsufructuarius. Si placet, lege apud Antonium Gomez. *2. tomo variarum resolutionum c. 15. num. 20. & 21.* alia iura, & communem Doctorum sententiam, quam circa hæc omnia refert ac sequitur.

Dixi superius, ad comparandum ius in re circa res incorporales præter titulum esse regulariter necessariam traditionem: quoniam aliquando id non est necessarium, quando scilicet id peculiariter iure aliquo sancitum est. Hac ratione ad comparandum ius in re in beneficio Ecclesiastico, illudq; efficiendum suum, necessaria non est traditio, sed satis est præcedat collatio, & sequatur acceptatio, ratave habeatur collatio eo enim ipso, quod acceptatur, ratave habetur collatio, efficitur acceptantis, comparatque proinde ius in re: cum tamen ante acceptationem solum haberet ius ad rem. Ita habetur *capit. si tibi abbat. de prob. de lib. 6.* Ad possessionem tamen beneficij, necessaria est traditio & quasi apprehensio illius, interuentu alicuius actus. Vtper sessionem in cathedra Episcopali, aut in sede Canonicali, & per alios actus consuetos, accipitur possessio Episcopatus, Canonicatus, aliorumq; beneficiorum Ecclesiasticorum.

Ius in re cõparatur beneficij sola collatione & acceptatione.

Possessio apprehensionẽ requirit.

Quando item res aliquæ incorporales transeunt in aliquem iure hæreditario, vt ius patronatus, aut seruitutes aliquæ, vel quid simile, statim hæres, adita hæreditate; comparat ius in re comparatione illorum. Quando item in singulari legatur res aliqua incorporalis alicui, vt seruitus, aut fundus cui seruitus debetur, statim ac hæres adit hæreditatem, comparat legatarius ius in re in huiusmodi rebus incorporalibus. Imo iuris fictione, eo ipso, quòd hæres adit hæreditatem, censetur legatarius comparasse ius in re in eiusmodi rebus incorporalibus sibi legatis. Hæc omnia, præter multa alia iura quæ disputatione sequenti adducemus, colligũtur ex *l. si partem. §. si per fundum. ff. quemadmodum seruitutes amittantur.* Lege iura & doctores, quæ Antonius Gomez. *1. tomo variar. resolut. c. 12. n. 8* refert, & sequitur. Vtrum autem rerum incorporalium comparetur dominium, dicemus disputatione sequenti.

Idem hare ditate adita, in rebus hæreditariis & in legatis singularibus.

Quando item res aliqua in pignus traditur, aut hypothecæ subiicitur, siue pactione inter debitorem, & creditorem, siue iuris dispositione subiiciatur, idque etiam siue hypotheca tacita sit, siue expressa, siue vniuersalis omnium bonorum, siue particularis quorundam, quæ speciatim designentur, creditor quidẽ comparat ius in re, vt de eiusmodi bonis sibi soluatur debitum, quando aliunde non fuerit vnde soluatur: vnde ad quemcunque bona illa transeant, cum illo onere reali ac obligatione transeunt.

Idem in pignore & hypotheca.

Assertum hoc ex eo est manifestum, quod ad nihil aliud pignoris aut hypothecæ contractus fuerit adinuentus ac institutus, nisi ad concedendum ius in re in pignore & hypotheca ad securitatem debiti. Præter innumera verò alia iura confirmari potest idem assertum ex *l. eorum ff. de damno infecto, iuncta l. quid de creditore, eodem titulo*, vbi habetur, creditorem habere ius in re, & sermo est de creditore cui pignus aut hypotheca constitutum est. Interest autem inter pignus & hypothecam, quod (*vt habetur. §. item seruiana, versic. inter pignus, Instit. de actionibus*) pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam quę sine traditione, nuda cõuentione tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri diximus. Comparatur vero ius in re comparatione eius rei, quæ in pignus aut hypothecam cõstituitur sola pactione aut iuris dispositione absque alia traditione, vt ex verbis proxime relatis constat. Et multo apertius ex *l. 1. ff. de pignoratitia actione*, cuius hæc sunt verba. Pignus contrahitur, non solum traditione, sed etiam nuda conuentione etsi non traditum est: Porro in ea lege pignus improprie & late vsurpatur, vt hypothecam etiam suo ambitu complectitur.

Pignoris & hypothecæ discrimen.

Ius in re cõparatur per fictionẽ iuris ex commissi delicti, bonorum ipso iure illo addictorũ.

Ius præterea, quod fiscus à die commissi delicti comparat in bona hæretici, aut cuiusuis alterius, cuius bona pro crimine aliquo sint ipso iure fisco addicta vel proscripta, est ius in re ante vllam eorundem bonorum traditionem, eaque de causa ad quemcunque quocunque titulo transeant onus illud secum deferunt, vt fisco debeantur.

Ius ad rem est considendum quod non constat esse vere.

Pro huiusce autem rei faciliori intelligentia præscribi potest hæc regula generalis. Quando ex dominio, aut dispositione alicuius iuris, non constat, ius, quod quis ante traditionem comparatione alicuius rei habet, esse ius in re, censendum est illud esse dumtaxat ius ad rem. Quando autem ante rei traditionem ius in re legis alicuius dispositione cõcedatur, ex iis, quæ dicenda sunt in progressu operis, liquido constabit. Porro iura ei, qui ius in re habet, concedunt actionem realem comparatione rei, quæ tali iuri est deuincta, ad cuiuscunq; manus res illa perueniat, reciprocanturque hæc duo, habet ius in re, & conceditur illi actio realis. Ei verò, qui solum habet ius ad rem, sola actio personalis iure conceditur.

Iuri in rem alia iura ad rem, personalis actio respondet.

SVMMARIVM.

1 *Dominij definitio.*
2 *Eius explicatio.*
3 *Dominium late sumptum ad Incorporalia se extẽdit.*
4 *Possessor malo atus & bonorum vinculatorum, verus dominus est.*
5 *An dominium formaliter & essentialiter sit Ius.*
6 *Dominium quot modis vsurpetur, & in qua acceptatione ab eo authore definitur.*
7 *Contra. um But. triplicem Dominij speciem tradit: Iurisdictionis, Vniuersitatis, & Dominium Particulare.*
8 *Dominium Iurisdictionis temporalis seu secularis ad quos spectet, & in quo sit positum.*
9 *Tale dominium ad plures mediate & immediate pertinere potest.*
10 *Iurisdictio spiritualis alia species à dominio seculari.*
11 *Dominium Vniuersitatis quid.*
12 *Dominium particulare quid.*
13 *Ex dictis dominium diuidi potest in dominium Iurisdictionis & proprietatis: rursum dominium Iurisdictionis in dominium Ecclesiast. cum & secularc.*
14 *Dominium plenum & non plenum.*
15 *Dominium directum & vtile.*
16 *Emphyteuta, feudatarius, vsufructuarius, an dominium rei habeant, cuius proprietas est apud alium.*
17 *Ad dominium comparandum regulariter præter titulum, necessaria traditio est.*
18 *Referuntur casus excepti: & num. seq.*

DOMINIVM QVID, ET QVOtuplex sit.

DISPVTATIO III.

COnstituto quid sit ius, quid item ius in re, & ad rem, gradum faciamus ad explicandum dominium, quod minus late patet, nõ solum quam ius in commune, sed etiam quam ius in re, vt ex dictis disputatione præcedente facile erit manifestũ. Bart. in *l. si quis vi. §. differentia. n. 4. ff. de acquirenda possessione.*

Dominij definitio.

in hunc modum definit dominium. *Est ius perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeantur.* Hanc definitionem amplectuntur communiter iurisperiti, quos Antonius Gomez ad *l.* 45. *Tauri. n.* 5. refert, ac sequitur: tametsi iura, quæ in illius confirmationem ille accumulat, parum ad rem faciant. Hæc autem Bartoli definitio multo magis probatur, quam illa alia, quam tradit Sotus 4 *de iustitia. q.* 1. *art.* 1. nempe, *est propria cuiusque facultas, & ius in rem, quam habet, quam in suum ipsius commodum vtcunque potest quocunque vsu lege permisso.* Licet enim idem sit vtriusq; sensus, compendiosior sane, & forte cautior, est Bartoli definitio.

2 Cæterum in ea pro genere ponitur ius, quod dominium & pleraq; alia iura complectitur. Per partem illam, perfecte disponendi de re, hoc est, omni modo, & propria authoritate, siue in proprium, siue in alienum commodum ea vtendo, & siue eam distrahendo aut consumendo siue reseruando, reiiciuntur omnia iura, quæ vel omnino non sunt dominiū, vel non sint integrum & perfectum dominium, quod solum hoc loco definitur: eo enim cognito facile erat intelligere dominia minus perfecta, q̃ quasi partes integri & perfecti dominij sunt.

Dominium directum, & vtile. Cuiusmodi sunt, directum dominium, quod proprietarius habet in rem traditam in emphyteusim, & vtile emphyteutæ. Inter alia iura reiicitur etiam, quod quis procuratori aut amico concederet disponendi de re aliqua quocunque modo vellet: quia enim non propria authoritate posset procurator, aut amicus de tali re disponere, non censeretur habere ius perfecte disponendi de re illa, quale ad dominium est necessarium.

Addit Bartolus partem illam, *corporali*: quoniam censet rerum incorporalium, hoc est, iurium, esse non posse dominium proprie & presse, sed quasi dominium, neq; possessionem, sed quasi possessionem. Attamen, saltem latius sumpto dominio, vt de directo & de vtili etiã dicitur, concedi potest, iurũ, vt beneficiorũ, cathedræ, &c. quando de illis habetur ius in re, haberi dominium. Et ita consueuimus dicere, hunc vel illum esse dominũ huius beneficij, aut cathedræ. Et *si tibi absenti de prebend. lib.* 6. dicitur, per acceptationem beneficij iam collati comparari ius in re, ita vt dici valeat suum, id est, ipsius acceptantis. Multo autem frequentius dicere consueuimus, eiusmodi iurium comparatam, aut non comparatam esse possessionem. Illud etiam admonuerim, Bartolũ nec negare, nec iure ab illo negari posse, Deum propriissime esse Dominum angelorũ: quitamen sunt omnino corporeæ molis experres.

Dominium late ad incorporalia se extendit.

Addit vltimo partem illam, nisi lege prohibeatur: quoniam quasi alligari ac impediri ius aliquod, ne in actum prodeat, & si prodierit, ne factum reneat, quod aliquando iura iusta de causa efficiunt, non tollit dominium, & ius perfecte disponendi: sed illud ligat quoad actum. Vnde sicut aliquem propter amentiam, somnum, vel infantiam, non posse disponere de re sua, non tollit, quin sit illius dominus, eo quod in se habeat verum ius disponendi de illa, tametsi impeditũ quoad actum propter defectum vsus rationis: sic vi alicuius legis, aut mandato principis, iusta de causa impediri, ne in actum prodeat, &, si prodierit, ne factum vim habeat, non tollit, quo minus ille legitimus integerq; sit illius rei dominus. Aliud quippe est, partem iuris quasi integrantis dominium ab vno auferri, & conferri alteri, vt fit quando vni legatur dominiũ agri, & alteri vsus fructus, aut quando retento dominio directo, ager traditur in emphyteusim: aliud vero, nulla parte iuris in alium translata, impediri quemquam ab vsu talis talis: primum namque in causa est, vt aliquis non sit integre & perfecte dominus, hoc est, pleno iure, vt habetur *l. Generaliter. ff. qui a quibus. & l si ita stipulatus* (quæ *est* 126. *in eo titulo.*) §. *Tius. ff. de verb. obligationib.* secundum vero non tollit quempiam esse perfecte dominum, sed solum ligat illi ius in totum aut in parte. Quod ergo pupillus alienare nequeat bona sua vsque ad tempus à patre aut à iure præfinitum, non tollit quo minus sit legitimus eorum dominus, iuxta illud Pauli ad Gala. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt a seruo: cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre.*

Quod item bona aliqua vinculata sint, atq; adeo alienari prohibita, vt sunt bona maioratus, non tollit quominus is, ad quem iure hæreditario perueniunt, verus integerque sit illorum dominus: eo quod nullum ius nullaue pars integri dominij, sit ab eo ablata, & translata in alium, sed solum sit alligata quoad actum alienandi, constituendique grauamen quodcunque in eiusmodi bonis, quo minus cum eodem omnino iure, atq; æque libera ad successorem transeant. Quare sicut princeps quando à parte aliqua corum bonorum soluit vinculum, permittitque illam alienari, nihil dominij confert primogenito, qui iure hæreditario illa possidet, sed solum resoluit vinculum, quo dominium eorum bonorum, quoad actum alienandi, erat alligatum: ita quando annuens petitioni alicuius, bona eiusdem vinculo primogenituræ alligat, legeve publica id fieri permittit, nullum dominium aufert, sed solum ligat ius alienandi, actumque illius irritum facit. Quare audiendi non sunt multi, quos Pinellus *ad l* 1 C *de bonis materni. n.* 5. & Molina *lib.* 1 *de primog. c.* 19. referunt, quibusque subscribit Antonius à Gama. *part.* 1. *decisionum Lusitanarum, decis.* 350. *n.* 1. quatenus affirmant, possessores maioratuum non esse veros dominos, sed solũ vsufructuarios bonorum maioratuum. Quin potius cum eisdem Pinello & Molina, cum Couar. *lib. variet. resolut. c.* 15. *n.* 14. Anton. Gom. *ad legem* 4. *Tauri. n.* 76. & plerisque aliis, quos citant, dicendum est, esse legitimos, atque integros dominos: id, tum præter hactenus dicta, tum etiam, quia bona illa dominum habent, nec alius designabitur, quã possessor maioratus, confirmari potest ex *l. Generaliter. vers. sub conditione. ff. qui & à quibus*, cuius hæc sunt verba, *Sub conditione seruus legatus, pendente conditione, pleno iure heredis est. sed nullam libertatem ab eo consequi potest, ne legatario iniuria fieret, si scilicet impleretur condicio, ad eumque eo ipso pertineret.* Constat ergo, aliquem ea de causa alienare non posse rem aliquam, quod adueniente morte possessoris, aut impleta aliqua conditione, res illa transitura sit in dominium alterius, nõ tollere, quo minus ante mortem, aut ante impletam conditionẽ, is, qui illam possidet, sit verus perfectusq; dominus illius. Idem probant *text. in l. non ideo. ff. de rei vendicatione.* & alia iura, quæ commemorati doctores citãt.

Dubium est hoc loco, an dominium formaliter & essentialiter sit ius, ita vt ius sit genus comparatione dominij; an vero relatio dominij sit quippiã antecedens facultatem, iusue perfecte disponendi de re, cuius sumus domini, quasi dominij definitio descriptiua sit, tradita per effectum proprium dominij. Et quamuis metaphysica hæc non multum ad rem moralem conferat, communiterque dici consueuerit, ius esse verum genus dominij: contrariũ mihi videtur verius. Primo quoniam recte dicimus, quia Petrus est dominus huius rei, habet facultatem perfecte de illa disponendi: è contrario vero nõ recte dicimus, quia habet facultatem perfecte disponendi de hac re, est dominus illius, sicut etiam non recte dicimus, quia habet facultatem ridẽdi est homo: ergo facultas seu ius perfecte disponendi, est effectus dominij, non secus ac facultas ridendi est effectus hominis. Secundo, quoniam esse suum seu proprium alicuius, videtur correlatiuum domini: dominus enim est, qui habet aliquid suum simpliciter; quod si id sit alius homo, appellatur seruus,

Maioratus dominus est bonorum vinculatorum.

Ius non est intrinsecũ, sed dominij naturam consequitur.

uus, qui relatiuè dicitur ad seruū dominum; suū autem simpliciter siue id sit alius homo, siue quæcunque alia res, est correlatiuum adæquatum domini in commune: cùm ergo esse suum, & correlatiuum est domini, & obiectum iuris, facultatiſve ad vtendum re, siue sua ea sit, siue aliena (quod correlatiuū est iuris) sint longe diuersa, efficitur, vt ius & dominiū non sint idem formaliter, sed relatio iuris relationem dominij ea ratione consequatur, & idcirco vnusquisq; facultatē habeat non solum vtendi, sed etiam disponēdi perfectè de re aliqua, quod illa sit sua, ipseque dominus sit illius. Tertio, potest quis conferre procuratori suo, aut amico in bonum amici ius, tum ad vtendum re sua omnibus modis, quibus ipse vti potest, tum etiam ad illam alienandum, & consumendum, retento sibi dominio, interim dum rem non consumit aut alienat: ergo ius ad vtendum re aliqua, & ad illam alienandum, & consumēdum, distinctum quid est à dominio, quod in eo præcisè est positum, quod res sit sua simpliciter. Confirmatur, quoniam ius ad vtendum re aliqua, & ius ad eam alienandum sunt iura distincta, potestq; vnus & idem habere multa iura circa vnā & eandem rem pro diuersitate obiectorum, ad quę sunt ea iura: sed ratio dominij circa vnam rem est vnica & simplicissima: ergo ratio iuris ad perfectè vtendum, & disponendum de re aliqua diuersa est à ratione dominij. Quarto eo ipso quod res aliqua simpliciter est alicuius, illeque proinde est dominus illius, ex natura rei habet hic plenum & integrum ius circa illam, nisi fortè res illa deuincta ad eum accederet iure aliquo in re, iuxta ea quę disputatione præcedente dicta sunt: sed (vt ex emphyteutico contractu est manifestum) potest is abdicare à se totum ius ea vtendi, & fruendi, eamque administrandi, & conferre illud alteri, retenta proprietate, hoc est, retinendo rem illam esse suam simpliciter, vt antea erat, quod iuris interpretes appellāt dominium directum: ergo dominium & iura ad vtendū & disponendum de re, quæ sublatis impedimentis ex natura rei dominium consequuntur, distincta inter se sunt.

Dominium directum quid.

6 Vt autem explicemus quot modis dominium vsurpatur, & in qua acceptione sit à nobis definitum, sciendum est. Conradum *in prioribus quæstionibus de contractibus* Maiorē *in 4. d. 15. quæst. 10.* & nonnullos alios, Gersonem *de potestat. Eccles. consideratione 13. & de vita spirituali lect. 3.* secutos, affirmare. Ius non aliud esse, quam facultatem quamcunque ad rem quamuis: dominumque cum iure recurrere, esseque non solum in bestiis, vt in equo ad pastum sumendum, sed etiam in rebus cognitione carentibus, vt in astris ad illuminandum, in elementis ad consistendum in suis proprijs locis, &c. Diuidunt præterea ius & dominium tam latè sumptum, in dominium beneficum, originale, imo & in dominium damnatorum, & in nonnulla alia membra, quæ nec referre est necesse. Ex dictis autē *disputatione 1.* constat, nec ius, nec dominium rebus mente minimè præditis, quæ eo ipso iniuriæ capacia non sunt, vlla ratione posse conuenire. Quę namq; suorum actuū dominium non habent, multo minus aliarum rerū potuerunt dominium habere. Quod si aliquando dominari, aut prædominari dicuntur, vt de astris & elementis dici consueuit, sermo est metaphoricus, quo vis aut excessus eorum super alia significatur, Ex dictis quoq;, tam hac, quàm præcedente disputatione, satis est manifestum, dominium longè minus latè patere, quam ius. Præterea, quis dicat, ius, quod filius habet, vtàpatre alatur, & quod subditus habet, vt à prælato dirigatur, & doceatur, & quod vxor habet comparatione viri, esse dominium. Imo neq; ius omne superiorum in inferiores rationem habet dominij. Eiusmodi est illud, quod prælatus habet in subditos, aut magister in discipulos ad illos docendos & puniendos, tametsi dominij nomen interdū ad superiores aliquos, qui neque iurisdictionis dominium, de quo statim erit sermo, reuera habent propter eorum eminentiam aliquam super subditos, extendatur, quo pacto *Genes. 3.* mulieri dicitur, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

Ius & dominium intellectus non præcisè sumuntur tantùm.

Conradus & alij nituntur probare, dominium tam late patere, ac ius. Quoniam si quis rapiat filiū à patre, aut vxorem à marito, committit furtum: cū ergo furtum sit contrectatio rei alienæ inuito domino: fit, vt pater dominus sit filij, & maritus vxoris. Ad hoc argumentum in primis negandum est, id esse propriè furtum: est enim species alia iniuriæ coniuncta cum damno proximi: vnusquisq; autem tenetur non solum cessare ab iniuria, restituendo patri filium, & vxorem marito, sed etiam resarcire illi damnum, in quibuscunque illius bonis illi ea de causa subsecutum. Dicendum est deinde, nomine domini, in definitione furti, intelligi, non solum verum dominum, sed etiam eum, ad quem res quocunque modo pertiner. Vnde si à depositario iniustè & occultè accipiatur depositum, aut vestis ab eo, qui illam habet commodatam, cōmittitur furtum, esto neuter illorum sit verus dominus rei ita ab ipsis ablatæ. *Argumentum.* *Soluitur.*

Prætermissa ergo horum Doctorum opinione, dicendum est, cum Couar. *regula peccatum part. 2. §. 9. n. 8.* consone ad Bart. *l. 1. §. per hanc, ff. de rei vendic.* & ad alios, triplicem esse dominij speciem, nempe dominium *iurisdictionis* dominium *locorum, seu rerū pertinentium ad vniuersitatem iure vniuersitatis*, & dominium *particulare*, quod vnusquisque super res suas habet, aut quod vniuersitas seu communitas aliqua nō secus habet, ac si esset persona particularis. 7 *Dominium quotuplex.*

Dominium iurisdictionis, si temporale, seu seculare sit, ad eos solum spectat, quibus iurisdictio in subditos, protectioq; eorum ita incumbit, vt subditi vasalli eorum dicantur: non verò ad alios, qui nomine, atque præscripto illorum iurisdictionem protectionemq; exercent. Tale autem horum hominum dominium positum est dumtaxat, in iure eos gubernandi, iudicandi, & protegendi, ac defendendi, nec non in iure accipiendi ab eis emolumenta, quæ ea de causa ipsis debentur. Seu potius dominium eorum in eo situm est, quod Respublica aut communitas sit eorum proprie, quoad hæc omnia iura in eam & in partes illius exercenda. 8 *Dominium iurisd. cuius ad quod pertineat, & in quo sit positum.*

Non est verò absurdum eiusmodi dominium ad duos, aut ad plures pertinere simul ordine quodam comparatione vnius, & eiusdem communitatis, nempe ad vnum immediatè, & ad alium aut alios mediatè. Vt dominium iurisdictionis alicuius oppidi, aut ciuitatis, pertinere poterit immediatè ad Ducem aliquem, Marchionem aut Comitem: mediatè verò ad regem. Quod si Rex ille, quoad iurisdictionem, subiectus sit Imperatori, aut alicui Regi alteri potentiori, tūc demum adhuc mediatius vna cum toto regno, ad talem imperatorem aut potentiorem Regē pertinebit. Hac de causa iurisperiti dominium illud iurisdictionis, quod modo explicato ad multos spectat, diuidūt in altum, seu superius, & mediatius, & in bassum, id est immediatū, aut immediatius comparatione alterius superioris, qui mediatius in eandem communitatem habeat dominium. 9 *Ad plures ordine quodā potest pertinere.*

Dixi paulò superius, dominium iurisdictionis, si temporale seu seculare sit, &c. Quoniam spiritualis iurisdictio summi Pontificis in totam Ecclesiam, Patriarcharum, Metropolitanorum, & Episcoporum, ordine quodam in varias Ecclesiæ partes, alia species est dominij iurisdictionis contra diuisa à domino temporali: qui licet dominij nomine non soleat appellari, suo tamen modo rationem dominij iurisdictionis habet, à Christo ministris Ecclesiæ collati. 10 *Dominium iurisdictionis Ecclesiastici species alia, à seculari.*

11. *Dominium vniuersitatis quid.*

Dominium locorum, seu rerum pertinentium ad vniuersitatem iure vniuersitatis est dominium, non quidē iurisdictionis, sed proprietatis comparatione eorum locorum aut rerum quæ ita sunt vniuersitatis propriæ, vt ad singulorum vsum sint deputatæ. Eiusmodi sunt prata oppidi aut ciuitatis alicuius, deputata ad pastum pecorum eorum, qui illius sunt loci. Syluæ item ad ligna scindenda similiter deputatæ, & alia eiusmodi. Porro eiusmodi res & loca, non solum sunt ipsius oppidi, aut ciuitatis, sed etiam domini, qui vrbi aut oppido iure dominatur, idq; in suo ordine, & gradu. Atq; ita potest, pro ratione sui gradus in populo aut ciuitate, eis vti siue aliorum præiudicio, plura pecora quam alij, si ea habeat, ibi pascendo, & plura ligna, si eis indigeat, scindendo: idq; non solum si immediatum dominium iurisdictionis in eo oppido aut ciuitate habeat, sed etiam si habeat mediatum dumtaxat.

12. *Dominium particulare.*

Dominium particulare, quod vnusquisq; in res suas habet, est similiter dominium, non iurisdictionis, sed proprietatis & adeo notum, vt explicatione non egeat. Dicimus autem, communitatem aliquam posse simile dominium in rem aliquam habere: quoniam si ciuitas aut oppidum, vel vineam, vel domum, aut quippiam aliud habeat, non quidem in vsum singulorum, sed vt reditus ad publicos sumptus deseruiant, sane perinde communitas rem illam possidebit, dominiumque illius habebit, atque vnus quiuis de populo dominium habet suarum rerum priuatarum.

13. *Dominij diuisio.*

Ex dictis constat, dominium diuidi posse, in dominium iurisdictionis, & dominium proprietatis. Quam diuisionem innuit Seneca *7. de beneficiis*, dum dixit, *omnia regem imperio possidere, singulos dominio.* Rursus dominium iurisdictionis diuidi posse, in ecclesiasticum, & seculare. Et dominium proprietatis in duo membra explicata.

14. *Dominium plenum, & non plenum.*

Dominium item, præsertim proprietatis, diuiditur rursus in *plenum, & non plenum.* Duplici autem ex capite potest euenire, vt dominium aliquod sit non plenum. Vno, quia licet ex parte obiecti, seu rei cuius quis dicitur esse dominus, sit integrum, quia est cum iure ad omnem vsum & dispositionem de re illa, habet tamen compartipem in toto eo iure ac dominio. Vt quando aliqui adierunt hæreditatem inter eos diuidendam ipsis relictam, aut emerunt, & acceperunt aliquid, vt inter ipsos diuideretur, nondumque facta est diuisio. Altero (*vt colligitur aperte ex l. si ita stipulatus. 126. §. Titius. ff. de verborum obligationibus, & ex l. Generaliter. ff. qui & à quibus*) potest euenire ex parte obiecti, quia scilicet, qui dominus est rei alicuius, non habet integrum ius in illa, sed pars vna iuris pertinet ad vnum, & alia ad alium. Vt quando ad vnum pertinet proprietas, & ad alium vsusfructus vnius & eiusdem rei.

15. *Dominium directum, & vtile.*

Sumpto dominio non pleno hoc secundo modo, subdiuiditur à iurisperitis, in dominium directum, & vtile. Dominium proprietatis sine vsufructu, appellat dominium directum. Vsumfructum vero (hoc est, ius vtendi & fruendi re aliena salua ipsius substantia, vt habetur *Instit. de vsufructu in principio*) appellant dominium vtile, quale est in nudo vsufructuario, in emphyteuta, & feudatario, qui, vt in sequentibus videbimus, plus aliquid iuris habent in re aliena, quam merus vsufructuarius.

Diuisionem hanc dominij nō pleni, in directum & vtile, tradit Bart. *l. si quis vt. §. directum, à n. 5. ff. de acquirenda poss. fione.* Quod autem id rei, quod ad aliquem pertinet, dum alius eiusdem rei habet vsumfructum, proprietas appelletur constat *ex §. Titius, citato, & Instit. de vsufructu. §. vsusfructus. atque ex l. 3. ff. de vsufructu*, cuius hæc sunt verba. *Ne in vniuersum inutiles essent proprietates, semper abscedente vsufructu, placuit certo modo extingui vsumfructum, & ad proprietatem reuerti.* Quod autem is, ad quem proprietas rei pertinet, dominus illius dicatur, aperte patet *ex §. Titius citato, & Institut. de vsufructu in principio, & §. 1. omnes q; id confitentur.* Hac de causa Bartolus diuisionem propositam confirmat, ostendens vsufructuarium esse dominum eius rei, cuius alius habet proprietatem, *ex l. possessores. C. de fundis patrimonialibus. lib. 11.* quæ emphyteutam appellat dominum agri emphyteutici: cum tamen dominus non sit proprietatis, sed solum vsusfructus. Idem posset probare *ex l. 4. ff. de vsufructu*, cuius hæc sunt verba. *Vsusfructus in multis casibus pars domini est.*

16

Sunt qui velint emphyteutam, feudatarium, & maiorem cum ratione merum vsufructuarium, non habere dominium rei, cuius proprietas est apud alium, sed eum solum appellandum esse dominum rei, cuius est proprietas. Confonat *l. 1. ff. si ager vectigalis*, cuius hæc sunt verba. *Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt à municipibus, quamuis non efficiantur domini, tamen placuit competere eis in rem actionem aduersus quemuis possessorem; sed & aduersus ipsos municipes.* Ecce lex illa aperte negat vsufructuarium esse dominum. Glossa tamen Accursij eo loco exponit de dominio directo. Consonant præterea *l. 1. ff. de vsufructu.* & Iustinianus *Institut. eodem titulo in principio*, dum vsumfructum definiunt, esse *ius alienis rebus vtendi & fruendi salua rerum substantia*: cum enim res illas alienas appellent, censent non esse vsufructuarij, atque adeo vsufructuarium illarum dominium non habere. Aluarus Valascus *de iure Emphyteutico quæst. 13. ad textum in l. possessores*, respondet. Ibi non esse sermonem de quocunque emphyteuta, sed de emphyteuta in agris patrimonialibus, quos Lusitani reguengos appellant: hi autem erant, de quibus *lel. 2. Lusitanarum ordinationum tit. 7. § vltimo* habetur sermo, qui pleno iure, hoc est, quoad proprietatem & vsumfructum, erant eorum agrorum domini, cum solo onere quotannis soluendi canonem, certamen pensionem, quales multi sunt in Lusitania. Ad quædam etiam alia iura nititur respondere. Et nihilominus censet, recedendum non esse à communi diuisione post Bartolum recepta, à qua neque ego recedendum arbitror, tametsi semper confitendum sit, proprietarium magis proprie, ac præcipue esse dominum rei, quam vsufructuarium, eaq; ratione iura aliqua solum proprietario appellare dominium, dominio præcipuo ac simpliciter, quale est directum, vt exponit Accursius: cum tamen quædam alia iura vsufructuarium appellent etiam dominium, dominio minus præcipuo, quale est vtile. Itaq; quando dominium est non plenum, res est vtriusque vsufructuarij quidem, quoad ius vtendi & fruendi: proprietarij vero, quoad ius eam alienandi, & quoad alia iura, nempe vt certo tempore vsusfructus ad proprietatem redeat, & vt Emphyteuta soluat illi canonem, & quoad quædam alia, quæ, dum de contractu emphyteutico erit sermo, explicabuntur.

Vsufructuarius dominus minus præcipue est dicendus.

Illud admonuerim, cum parum pro nihilo reputetur, nullum aliud ius in re efficere, vt proprietarius non dicatur pleno iure dominus illius, præter vsumfructum, perpetuum præsertim, qualis est in emphyteuta, feudatario, ac superficiario perpetuis. Quare esse rem hypothecæ subiectam, vel habere in se seruitutem, aut censum, non efficit quo minus proprietarius pleno iure dominus illius dicatur: tametsi pleniore iure esset illius dominus, si res illa omnino esset libera, nulliue alteri obligata.

His ita constitutis, dicendum est. In definitione dominij solum dominium proprietatis plenum ex vtroq; capite explicato fuisse definitum. Solus enim is, qui ex vtroque capite habet dominium plenum, potest de re perfecta disponere, cuius est dominus. Cognito autem quid sit dominium plenum, facile

erat

erat intelligere, quod esset dominiũ non plenũ, ex quocunq; capite eueniret, vt non esset plenum.

17 *Ad dominium regulariter, præter titulum, necessaria traditio.*

Illud hoc loco reperendum est, quod disputatione præcedente explicantes ius in re, tradidimus. Nempe, ad comparandum dominium de re aliqua, siue illud plenum sit, siue non plenum, præter titulum, necessariam regulariter esse traditionem, seu apprehensionem, qualis ibi dicta est. Ita habetur *l. traditionibus C. de pactis* §. *per traditionem, & quatuor aliis sequentibus. Institut. de rerum diuisione*, & aliis iuribus, quæ Couar. *2. variar. resolut. cap. 19. nu. 1. citat.*

18 *Excipitur primo Ecclesia, dominium ante traditionem quando comparat.*

Excipiuntur tamen sequentes casus. Primus est, quando Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus; & aliis quibusdam piis locis; ciuitatibus, vel in redemptionem captiuorum, hæreditas aliqua, legatum aut fideicommissum est relictum, vel donationis titulo aliquid eis datum, aut etiam venditum est. Tunc enim statim absq; vlla traditione trãsit in eius dominium. Ita habetur *l. vt inter diuinum C. de sacrosanctis Ecclesiis*. Quare si idẽ vendatur & tradatur secundo emptori, inualida est talis venditio.

Quia vero quemadmodũ lege constitui potest, vt solo titulo absq; vlla traditione dominium transferatur: sic quoque princeps, cuius est leges condere, eo ipso, quod absque traditione velit solo titulo dominium suarum rerum in alterum transferre, re uera illud in eum transferet, voluerunt plurimi, quos Couar. *ca. 19. citato, nu. 3.* refert, eo ipso, quod princeps dono aliquid dat, aut contractum venditionis, vel alium similem cum aliquo celebrat, trãsferre in eum dominium, absque vlla traditione: eo quod præsumendum sit, eam esse principis voluntatem. Placet tamẽ magis opinio Couarruuiæ in eo loco, & paucorum aliorum, nempe in contractibus non transferri dominium, nisi de voluntate principis aliunde constat. Potius quippe præsumendum est, velle contrahere, vt alij contrahunt: præsertim cum id in ipsius commodum vergat. Secus est de donationibus & priuilegijs, in quibus præsumendum est, eam esse principis voluntatem. Quod confirmatur *ex 6. Si tibi absenti. de præb. l. 6.* vbi definitur, collationem beneficij sufficere ad translationem dominij, iurisue in re, absque alia traditione, eo ipso, quod collatio acceptatur, quando autem titulo oneroso aliquid concessum alicui esset absque traditione, & postea ex ignorantia, aut obliuione donaretur alteri, præsumendum non est, voluntatem principis esse, vt hic dominium consequatur, & præferatur illi alteri: quoniam id absque iniustitia & peccato velle non potest.

Princeps an sine traditione dominium transferat.

Secundo. Hæreditate adita, dominum comparat hæres ante traditionem: fit q; de possessione.

Secundus est, in hærede, siue is ex testamento, siue ab intestato succedat in bonis defuncti: continuo namq; ac hæreditatem adit, comparat dominium illius absque vlla talium bonorum traditione & apprehensione vt patet *ex l. Cum hæredes. ff. de acquirend. possess.* cuius hæc sunt verba. *Cum hæredes instituti sumus adita hæreditate, omnia quidem iura ad nos transeunt: possessio autem, nisi naturaliter comprehensa sit, ad nos non pertinet.* Ex his verbis constat, ad solam possessionem hæreditatis comparandam necessariam esse traditionem, seu apprehensionem: ius vero in re ac dominium bonorum hæreditatis comparari statim adita hæreditate. Idẽ patet. *ff. de acquirendâ hæreditate per totum*, & affirmat communis doctorum sententia, quam referunt, ac sequuntur Couar. *de testam. cap. Raynuntius.* § 10. *num. 6.* & Anton. Gom. *1. tom. variar. resolut. ca. 2. nu. 1.* illud obiter admonuerim, de iure quidem communi, atque in hoc Lusitaniæ regno, & in regno Castellę, hęredem non prius comparare possessionem hæreditatis, quam illam apprehendat, vt habent iura citata. In regno autem Galliæ, & in multis locis Italiæ, possessio bonorum defuncti peculiari lege eorum regnorum, transit ad hæredem vna cum dominio absq; aliqua apprehẽsione, eo ipso, quod hæreditatem adit, vt multi, quos Couar. *3. variar. resol. cap. 5. à nu. 6.* & Molina *3. libro de primogeniis cap. 12. à num. 6.* referunt, affirmant. Porro hæreditas tunc aditi dicitur, cum hæres eam acceptat, profiteturq; se velle esse hæredem, vt habetur *Institut. de hæredum qualitate* §. *vltimo.* Medio autem tempore, à morte videlicet eius, in cuius bonis succedere debet, vsque ad hæreditatis àditionem, hæreditas iacere dicitur; eo quod bona illa careant domino, quippe cum prior dominus mortuus sit: *is vero, qui in eorum dominio succedere debet, vsque ad aditionem hæreditatis habeat solum ius ad rem.* Ratio autem, ob quam iura statuerunt, vt hæres, ante aditam sua libera voluntate hęreditatem, dominium bonorum defuncti non compararet, hæc fuit. Quoniam simul constituerunt, vt eo ipso, quod hæres esse vellet, & dominium bonorum defuncti comparat, teneretur ad omnia debita defuncti, aliquando etiam vltra vires hæreditatis, nempe si hæres, sine inuentarij confectione; esse vellet, vt alio in loco dicendum est, rationi autem erat consonum, vt dominium, emolumentumq; hæreditatis, non prius haberet, quam sua libera voluntate, profitendo se velle esse hæredem, tantum onus subiret.

Adito hæreditatis quid. Iacere quando dicatur.

Tertius est, quando aliquid designatum in singulari, vt talis fundus, aut talis seruus, aut aliqua alia res certa & determinata in singulari, legatur alicui. Tunc enim legatarius, hoc est, is, cui legatum relinquitur, comparat dominium illius absque aliqua traditione eo ipso, quod hæres adit hæreditatem, esto legatarius ignoret, & hæreditatem esse aditam, & sibi esse relictum tale legatum. Imo, iuris fictione, eo ipso, quod hæres hæreditate adit, censetur dominium rei legatæ transisse in legatarium à puncto mortis testatoris. Ita colligitur *ex l. à Titio. ff. de furtis. ex l. si tibi hom.* §. *cum seruus. ff. de legatis primo, affirmatque glo. vtrobique, & ex variis aliis iuribus*, idem asserit communis sententia, quam referunt & sequuntur Couar. *de testamen. Raynaldus.* §. 1. *n.* 1. & *Anton. Gom. 1. tom. variar. resol. cap. 19. n. 7*

Tertio. Legati in singulari comparatur dominium adita hæreditate.

Quando vero legatur alicui aliquid, certum quidem in quantitate, sed incertum in individuo, vt quod dentur alicui tot mensurę tritici, vini, aut olei aut certa pecunię summa, vel aliud simile incertum in singulari, licet adita hæreditate non comparet dominium illius, eo quod incertum sit, conceditur tamen illi actio hypothecaria, vt habetur *l. 1. C. communia de legatis*, consentiuntque Doctores, quos refert & sequitur Anton. Gomez. *Vbi supra nu.* 8. Concedi vero actionem hypothecariam, est, bona defuncti, ad quemcunque peruenianț, manere obligata ad solutionem talis legati, ita videlicet, vt legatario non solum detur personalis actio aduersus hæredem, sed etiam, in defectum hæredis, detur illi realis actio aduersus bona: quæ fuerunt defuncti, vt qui illa possident, vel legatum soluant, vel ea tradant, vt ex eis soluatur legatum.

Secus de legatis non designatis in singulari.

Hæc eadem hypothecaria actio etiam competit, quando legatum est rei designatæ in singulari, vt ex iure citato constat, & consentiunt Doctores communiter. Inseruiet vero, quando res legata fuerit consumta culpa hæredis, aut delata in loca longinqua, ita vt, iuxta ea q̃ in materia de legatis dicemus, non pereat legatario: tunc enim proderit hypothecaria actio, vt legatarius tutius petat & obtineat legati valorẽ, quando res ipsa legata tradi ei non potest,

Legati cuiuscunque competit hypothecaria actio.

Quartum possumus addere, quando quis donauit alteri rem aliquam ea lege, seu sub eo modo ac conditione, vt donatarius alimẽta illi tribueret: si nãq; donatarius modũ nõ seruet, prębẽdo donatori alimẽta, continuo, absq; alia traditione, dominiũ rei donatæ regreditur ad donantẽ, ita habetur *l. 1. C. de donat. quæ sub modo.*

Quarto.

Quintum voluerunt addere Decius & alij, quos Couar. *1. variar. resolut. ca. 14. nu. 2.* & Molina *3. libro de primog.*

Quinto.

Ius Galliæ & Italiæ.

primog.c.12.nu.1. referunt, quando aliquis alicui donauit aliquid, cum eo pacto seu modo, vt, finito certo tempore, res illa deueniret ad quendam tertium: transacto namque eo tempore, esto ille tertius absens esset, & id ignoraret, transit dominium illius rei in illum tertium. Ita colligunt *ex l. quoties C. de donat. quæ sub modo*, quatenus lex illa illi tertio tribuit vtilem actionem. Contrarium tamen *cum Couar. loco citato, Anton. Gom. ad l. 40. Taur n. 25 & cum multis aliis quos refert*, ostendemus *disp. 265*. Est tamen lex Castellæ *7. tit. 4. p. 5.* quæ sane apertis verbis, non solum dominium, sed etiam possessionem illi tertio eo ipso tribuit absque reprehensione aliqua rei illius. Et quamuis Couar. *loco citato num. 5* & Anton. Gom. *loco etiam citato num. 28.* vim illi legi inferendo, eam ita interpretari conentur, vt nec possessio, nec dominium ante traditionem transeat, placet tamen dicamus *cum Molina loco citato n. 4. cum Glossatore illius legis, & Roderico Soares*, in Regno Castellæ absque traditione & apprehensione transire in illum tertium, non solum dominium, sed etiam possessionem, vel ex illa aperte disponit, de qua re *disp. 265. citata* sermo erit.

Iuis Castellæ.

Sexto. De iure Castellæ.

Sextum possumus addere in Regno Castellæ, ex *l. 45. Taur.*, qua sancitum est, vt mortuo possessore maioratus, continuo absque aliqua apprehensione, aut actu vero vel ficto possessio, tam ciuilis quã naturalis, quorumcunq; bonorum maioratus, transeat ad legitimum successorem, non obstante, quod viuente priore possessore maioratus, aut eo mortuo alius occupauerit possessionem, aut quod prior possessor, dum viueret, tradiderit ei possessionem. Sane dum possessio, non solum ciuilis, sed etiam naturalis, absque aliqua traditione & occupatione conceditur, maiori cum ratione dominium earundem rerum censetur concessum. Lege ea de re *Molinam c. 12. citato, & c. 3. Couar. 3. variar. resolut. c. 5 nu. 6. & Antonium Gomezium ad eandem legem Taur.* Beneficij ecclesiastici comparari dominium, aut quasi dominium per solam collationem, subsecuta acceptatione, absque aliqua apprehensione vera vel ficta, ostendimus disputatione præced.

Septimo. Beneficij dominium collatione & acceptatione, sine traditione acquiritur.

SVMMARIVM.

1 *Titulus quid.*
2 *Titulus verus & præsumptus.*

DE TITVLO IVRIS ET DOMINII.

DISPVTATIO IV.

1 *Titulus quid.*

EXplicato iure & dominio, dicendum est breuiter quid nomine tituli iuris, & dominij intelligatur. Radicem igitur ac originem, vnde dominium, aut ius quoduis oritur, appellant iurisperiti *titulum dominij aut iuris*. Quod si Metaphysicorum more loquendum nobis sit, ea ratio fundandi relationem dominij aut iuris, quæ illius est velut radix & origo, appellatur titulus dominij, & iuris. Verbi gratia. Titulus dominij, aut iuris in aliquod Regnũ, est, quempiam esse legitime electum in Regem, aut carnali propagatione tanquam primogenitum originem trahere à legitimo Rege, aut iure belli Regnum occupasse, aut aliud simile, quod sufficiens ratio fundandi fit ius Regni. Emptio item, permutatio, donatio, esse aliquid relictum in testamento, aut legitime succedere defuncto ab intestato est titulus dominij aut iuris rerum, quæ his viis comparantur. Legitima electio alicuius in cathedram, episcopatum, aut beneficium, esseue quippiam horum legitime collatum alicui, est titulus dominij, aut iuris cathedræ, episcopatus, aut alterius beneficij. Dixi, eam rationem fundandi, quæ est velut radix & origo: quoniam ad comparandum dominium, aut ius in re, præter titulum, regulariter necessaria est etiam, tanquam ratio fundãdi, conditione sine qua non, traditio & apprehensio rei, vt explicatum est: attamen illa non est radix & origo dominij aut iuris in re, sed solum est conditio sine qua regulariter à radice & origine, nec dominium, nec ius in re emanat. Id ergo, quod est ratio fundãdi dominium, aut ius, tanquam illius radix & origo, siue simul requiratur aliquid aliud tanquam conditio sine qua non, siue nihil aliud vlterius requiratur, est quod appellatur titulus dominij aut iuris.

2 *Titulus verus, & præsumptus.*

Porro titulus interdum est *verus*, quando scilicet est vera radix & origo dominij, aut iuris: interdum vero est solum *præsumptus*, quando scilicet præsumitur vera radix & causa, & tamen re ipsa non est. Vt quando quis bona fide emit rem aliquam, aut illam dono accepit ab eo, cuius illa non est, credens illum esse legitimum dominium rei illius, aut procuratorem domini rei illius. Talis namq; emptio, aut donatio, licet non fit radix & causa sufficiens ad transferendum dominium, esto traditio accedat, præsumitur tamé talis interim, dum bona fides adest. Qui ergo rem bona fide ita possidet, dicitur possidere illam cum titulo, non quidem vero, sed præsumpto. Qui autem rem possidet sine radice, & causa vera, aut præsumpta, quæ sufficiens fit ad transferendum dominium, iusue iure, dicitur sine titulo possidere. Atque hæc inseruiunt quam maxime ad præscriptionis negotiũ, vt inferius suo loco patebit.

Possessio titulo præsumpto.

SVMMARIVM.

1 *Vsus quid.*
2 *Bifariam accipitur, pro actu & pro iure vtendi.*
3 *In qua acceptione hic definiatur.*
4 *Explicatur definitio.*
5 *Quid vsus & vsusfructus causalis; & quid formalis.*
6 *Vsus late sumitur pro iure vtendi, siue habeat annexum ius fruendi siue non: præsertim pro iure vtendi tantum, quo pacto hic definitur.*
7 *Vsus quantum tribuat iuris.*
8 *Vsus eisdem modis constituitur ac finitur quibus vsusfructus.*
9 *Differt habitatio ab vsu & vsufructu.*

DE VSV, ET HABITATIONE.

DISPVTATIO V.

EXplicandæ nunc essent singulæ illæ duæ partes, ex quibus dominium plenum integratur. Quia tamen nihil est, quod de proprietate sola nunc dicamus, agemus solum de vsufructu: si tamẽ prius hac disputatione exposuerimus minus quoddam ius in vsufructu intrinsece inclusum, quod interdum solet à directo & vtili dominio separari, nempe vsum, docuerimusq; quid sit habitatio, quæ non nihil à nudo vsu differt. Si itẽ disputatione sequenti obiter, occasione huius disputationis, expenderimus, an minores fratres solum vsum habeant rerum ipsis concessarum, sine earum dominio.

1 *Vsus quid.*

Vsus, vt ex Institut. de vsu & habitatione per totum, & ex aliis iuribus colligitur, est ius duntaxat vtendi aliena re salua illius substantia. Vtendi, inquam, præcise, quatenus in re explicatum est, fas est ei, cui vsus rei alicuius est concessus, ea vti: quod statim explicauimus. Is vero, cui talis vsus concessus est, appellatur vsuarius.

Vsuarius quis.

2 *Vsus, & pro actu & pro iure vtendi.*

Vt autem definitio intelligatur, sciendum est. Vsum duobus modis accipi. Vno pro actu vtẽdi, quo pacto equitatio dicitur vsus equi, & habitatio vsus domus. Altero, pro iure ad eo modo vtẽdum. Vsus in priori acceptione appellatur à iurisperitis vsus facti, id est, vsus qui est factum vt eum distinguant ab vsu in posteriori acceptione, qui est ius ad factum, permanetq; cessante actu vtendi.

In de-

3 In definitione ergo proposita, vsus, à parte definiti, sumitur in posteriori acceptione, pro iure ad vtendum: & quia definitur per habitudinem ad actum, ad quem est ius, dum in definitione dicitur, vtendi, sumitur vsus in priori acceptione, pro actu videlicet vtendi. Merito ergo in definitione pro genere ponitur, ius, quod suo ambitu vsum, vsumfructum, & cætera iura complectitur. Per particulam illam, *vtendi*, reiiciuntur iura, quæ non sunt ad vtendum, vt ius depositarij comparatione depositi, & creditoris comparatione pignoris, quę tantum abest, vt sint ad vtendum depositio aut pignore, vt si creditor & depositarius inuito domino illis vtantur, non solum peccent, sed etiam restituere teneantur valorem vsus. Per particulam, *dumtaxat*, reijcitur vsusfructus, qui, licet sit ad vtendum re aliena, non tamen est ad vtendum dumtaxat, sed etiam ad fruendum. Additur, alienare, quoniam ius, quod dominus rei habet ad ea vtendum, quodque cum dominio est coniunctum, & ab eo deriuatur, non est vsus hoc loco definitus. Distinguunt namque iurisperiti duplicem vsum, & duplicem vsumfructum. Quendam, quem idcirco causalem vocant, quod à dominio rei, cuius est vsus, aut vsusfructus, causetur: talis est vsus, aut vsusfructus, quem dominus habet in re, cuius est dominus. Alium, quem appellant formalem, illum nempe, qui subiecto est separatus à dominio rei. Atque hic est vsus à nobis hoc loco definitus, & vsusfructus, de quo disputatione 8. erit sermo. Additur præterea, salua illius substantia: quoniam ius ad vsum, per quem res omnino consumitur, aut alienatur, vt ius ad aliena-dam pecuniam, aut quamuis aliam rem, ad comedendum panem, ac bibendum vinum, aut ad occidendum pecus, nec dicitur proprie vsus, nec est, qui à nobis hoc loco definitur, & de quo agimus. Illud admonuerim, vsum bifariam sumi posse. Vno late, pro iure vtendi, siue simul coniunctum habeat ius fruendi, siue non. Altero presse, pro iure dumtaxat vtendi. Hoc modo diuiditur contra vsumfructum, & hoc modo est à nobis definitus, appellaturque vsus nudus *l. 1. ff. de vsu & habitatione*.

1 Vsus causalis quid.

Vsus formalis quid.

6 Vsus late, & presse sumitur.

8 In vsu parum est iuris. Qui namque ius habet vtendi fundo alieno, solum habet ius fumendi poma, olera, flores, fœnum, & ligna ad vsum quotidianum. Poterit etiam in eo ambulare, & commorari, ita dumtaxat, vt domino fundi molestus non sit, nec impediat eos, per quos opera rustica exercentur. Non tamen potest donare, aut vendere quidquam horum alteri, nec locare aut concedere alteri ius ad ea emolumenta percipienda: quod tamen potest vsufructuarius. Item, qui vsum habet domus, potest ipse solus in ea habitare, cum vxore, liberis, seruis, ac famulis, potest etiam hospites recipere. Quod si vsus domus ad mulierem pertineat, poterit vir habitare cum ea, atque adeo tota vtriusque familia. Qui tamen vsum habet domus, non potest ius illud in alium vllo pacto transferre, facultatem illi, vt in ea habitet, tribuendo. Qui vsum habet serui, aut iumenti, potest ipse solus opera & ministerio eorum vti; non tamen id alteri concedere. Quod si pecorum vsus quis habeat, neque lacte, neque lana, neque fœtibus vti potest, nisi forte modico lacte, vt habetur *l. plenum. ff. de habitatione*: eo quod hęc ad fructus pertineant, qui in vsu pecoris non computantur. Poterit tamen vti pecoribus ad stercorandum suos agros: non vero alienos. Hæc omnia habentur *Instit. & ff. de vsu & habitatione*.

8 Vsus quatenus tribuat ius.

8 Vsus eisdem modis constituitur, ac finitur, quibus vsusfructus, vt habetur Institutis de vsu & habitatione. Quibus autem modis vsusfructus constituatur, & finiatur, dicemus *disp. 8. & 9.*

Vsus quibus modis constituatur ac finiatur.

Illud prætereundum non est, quod quando vsus alicuius domus alicui est concessus, solum censetur illi concessum, quod paulo ante exposuimus. At vero, si habitatio alicuius domus testamento alicui relicta sit, vel aliqua alia ratione sit concessa, nomine habitationis censetur illi concessum quoddam ius medium inter vsum & vsumfructum, vt habetur §. *sed si cui. Institut. de vsu & habitatione*. Differt enim habitatio à nudo vsu domus: quoniam vsuarius, cui vsus domus concessus est, non potest eam locare: is vero, cui habitatio domus concessa est, potest eam locare, & acquirere sibi pretium locationis, vt habetur duobus iuribus citatis. Differt vero habitatio ab vsufructu; quoniam vsusfructus multis aliis modis finitur, vt *disputatione 9.* videbimus: habitatio vero solum finitur morte eius, cui concessa est, vt habetur *l. habitatio, & l. cum antiquitas. C. de vsufructu & habitatione l. si habitatio. ff. de vsu & habitatione; & l. legatum. ff. de capitis diminutione*.

Habitatio quid.

SVMMARIVM.

1. *Fratres minores nec in communi nec in particulari cuiusquam rei Dominium etiam consumptibilium habere, sed solum modo nudum vsum.*
2. *Apud quos sit Dominium rerum ipsis datarum.*
3. *Obiicitur: vsus à Dominio in ijs quæ vsu consumuntur, distinguatur.*
4. *Resolutio & propositæ thesis declaratio.*
5. *Qualis Paupertas aliarum religionum.*
6. *Resp. ad obiect.*

C VTRVM MINORES FRATRES DOminium aliquod rerum habeant, an solum vsum.

DISPVTATIO 6.

EXplicato quid sit vsus, examinabitur melius hęc quæstio, quæ circa rerum dominium solet excitari. Numquam satis laudata Minorum fratrũ sanctissima familia, cum ad perfectissimam paupertatis normam semper se effingere conata sit, asseuerat, se nec in communi, nec in particulari cuiusquam rei dominium habere, etiamsi de numero earum rerum illa sit, quas vnico actu consumunt, quales sunt pecunia, panis, vinum, &c. sed solum dicunt, se habere nudum earum rerum vsum, quæ in D eleemosynam ipsis traduntur. Dominium vero pecuniæ & quarundam similium rerum manere astruunt apud dantem, interim dum res illæ non consumuntur, aut alienantur: dominium vero aliarum rerum, vt domorum, hortorum, calicum, &c. esse dicunt penes summum Pontificem, ipsis dumtaxat relicto libero vsu earum rerum, etiam ad consumptionem, & alienationem, dependenter tamen à libera voluntate eorum, penes quos est earum dominium, ita videlicet vt nulla prorsus eis iniuria fieret, si domini vsum earum ipsis interdicerent, easve de eorum potestate eriperent, ac amouerent. Ita declaratum fuit *per Nicolaum 3. ca. Exiit, qui seminat, de verborum significat. li. 6.* declaratumque ac constitutum fuerat antea *per Gregorium 9. & alios summos Pontifices*. Idem declarauit *Clemens 5. in Clementina exiit de paradiso, de verbor. signif.*

1 Minorum paupertas.

3

E Quod hac in re negotium facesserit, est Ioannes 22. qui *in extrauaganti ad conditorem, de verborum significatione, & duabus sequentibus*, probare conatur, in rebus, quæ vsu consumuntur, vsum, hoc est, facultatem & ius ad vsum, separari non posse ab earum dominio. Atque vt deinceps ambiguum non esset: dominium rerum, quibus fratres minores vtuntur, esse apud ipsos: in extrauaganti ad conditorem ait, se abdicare dominium totum eiusmodi rerum à se & à sede Apostolica, si quod apud sedem Apostolicam esse prætendant.

5 Vsum à dominio in iis, quæ vsu consumuntur, non distingui, docere vi detur Ioan. 22.

Rationes, quibus probari videtur in rebus, quæ vsu consumuntur, vsum separari non posse ab ea-

Idem sanctio datur.

rum

rum dominio, sunt, Prima, quoniã cum vsus eiusmodi rerum sit earum consumptio, non videtur tradi posse facultas ad vsum sinè re ipsa, atque adeo sine illius dominio. Id quod videtur affirmare D. Thom. 2.2.q.78.artic.1. his verbis. *Quadam res*, inquit *sunt, quarum vsus est ipsarum rerũ consumptio, sicut vinũ consumimus eo vtendo ad potum, & triticum consumimus eo vtendo ad cibum. Vnde in talibus non debet seorsim comparari vsus rei à re ipsa, cuicunque conceditur vsus, ex hoc ipso conceditur res: & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Siquis ergo seorsim vellet vendere vinum, & seorsim vsum vini, venderet eandem rem bis.* Hæc D. Thom.

Secundo. Secunda, quoniam, vt ex dictis disputatione præcedente est manifestum, vsus formalis, id est, qui à dominio rei, qua est vtendum, sit separatus, constitui nequit in rebus quæ vsu consumuntur: eo quod B ille esse debeat salua rei alienæ substantia: eiusmodi autem res per earum vsum consumuntur. Similiter vt disputatione sequenti fiet manifestum, vsusfructus formalis propter eandem rationem esse nequit proprie rerum, quæ vsu consumuntur, vt iura statuunt. Quod si vsumfructum improprium earum concedant, est, transeunte earum rerum dominio in vsufructuarium, vt videbimus. ergo rerũ, quæ vsu consumuntur, habere nequeunt fratres minores vsum sine earum dominio.

4 *Pauperias minorum defenditur.* His non obstantibus, dicendum est, paupertatem, quam Minores fratres contendunt se profiteri, & quam Nicolaus 3. Clemens 5. & alij summi Pontifices approbarunt, & declararunt, esse optime posse, atque adeo minores fratres illam habere. Vt vero hæc res melius intelligatur, sciendum est. Mi- C nores fratres partim habere plus iuris ad vsum rerum ipsis concessarum, quam habeat vsuarius, de quo disputatione præcedente dictum est, & vsufructuarius, de quo sermo erit disputatione sequenti; partim vero habere longe minus, quàm illi habeant. Habent quidem maius ius, quatenus percipere possunt omnes earum fructus, easque & earum fructus consumere & alienare; ad quæ omnia non se extendit ius vsuarij, nec etiam vsufructuarij: cum semper vti aut frui rebus debeant salua earum substantia. Habent vero longe minus: quoniam habẽt eiusmodi ius dependenter semper à voluntate eorum, penes quos est dominium earundem rerum, ita vt nulla iniuria illis fiat, si eos, quoties dominis placuerit, prohibeant ab vsu earundem rerum: cũ tamen vsuario & vsufructuario, de quibus iura loquuntur, iniuria fieret, si dominus rerum, quarum sunt vsuarij aut fructuarij, prohiberet eos ab earum vsu, aut fruitione. Hinc facile intelligetur, Minores fratres non ita habere solum vsum facti rerum ipsis concessarum, quasi non habeant ius ad eis eo modo vtendum. Sic enim, vt Ioannes 22. *in extrauagantibus citatis* optimè argumentatur, talis vsus rerum alienarum, sine iure & facultate ad eis vtendum esset iniustus, atque adeo esset abusus. Habent itaque ius & facultatem ad vsum, sed dependentem semper à voluntate dominorum earundem rerum: eo modo: quo procurator aut amicus, cui quis concederet vsum & consumptionem quarundam suarum rerum, interim dum ipse non vellet id reuocare, & eo modo, quo conuiua, fine vllo dominio in rebus quæ sibi apponuntur, interim dum ea est vo- E luntas illius, qui eum ad prandium inuitauit. Quia ergo ius, quod Minores habent ad vsum, & consumptionem rerum ipsis traditarum, est longe minus, quam id, quod habent vsuarius & vsufructuarius, de quibus iura loquuntur, ad differentiam illius appellatur à Nicolao 3. & ab aliis, vsus facti, non quod sit nudum factum sine iure ad illud, sed quod sit ius tenuissimum, ad factum, pendens semper à voluntate dominorum. Atque hac ratione cessant multæ obiectiones Ioãnis 22. *in extrauagantib. citatis.*

Possumus, præter exemplum procuratoris, amici, & conuiuæ, quod rem euidenter demonstrat, confirmare veritatem explicatam. Quoniam in aliis religionibus, vt omnes confitentur, priuati non habent dominiũ rerum, quas vsu consumunt, sed dominium est in communitate ipsa, particulares vero ex facultate tacita vel expressa prælatorum res consumunt, dependenter, vt facultas illa possit per prælatum reuocari, atque hæc est paupertas singulorum religiosorum in aliis religionibus: ergo in primis circa ea quæ vsu consumuntur, poterit in aliquo esse facultas & ius ad consumptionẽ, sine dominio eiusdem rei. Deinde, quemadmodum in singulis religiosis potest sine dominio rerum quas consumunt, esse facultas ad vsum dependẽs à voluntate alterius: ita in tota religione, poterit sine dominio esse similis facultas ad vsum, dependens à voluntate alicuius, qui non sit de religione, quique sit earundem rerum dominus. 5 *Paupertas aliarum religionum.* *Vsus à dominio distinguitur in vsu consumptibilium.*

Ad ea, quæ in contrarium adducta sunt, dicendum est. In primis, licet Ioannes 22. lacessitus ab Ochamo & aliis eiusdem ordinis, qui illi fuerunt infestissimi, alijsque occasionibus permotus, à se & à sede Apostolica abdicauerit totum dominium rerum fratrum Minorum, postea tum Alexandrum 6. rum alios summos Pontifices, vt habetur in priuilegiis fratrum Minorum. verb. Paupertas, idem dominium recepisse. Porro Ioannes 22. *in illis extrauagantibus* nihil, tanquam certum, definit & statuit, vt illas intuenti est manifestũ: sed solum disputando & argumentando in eam partem magis inclinauit. 6 *Ad illud Ioan. 22.*

Quare ad primam rationem, qua probatur in ijs, C quæ vsu consumuntur, facultatem ad vsum & consumptionem separari non posse à dominio, negandum est, non posse tradi facultatem ad vsum (præsertim dependentem à libera reuocatione domini, quoties & quando voluerit) sine re ipsa & dominio illius, esto vsus fit consumptio rei illius: contrarium enim satis dilucide ostendimus. *Ad 1. argumentum.*

Ad id, quod adducitur ex D. Thoma, dicendum est. Solum velle, quod cum valor rei, quæ vsu consumitur, non sit alius, quam vtilitas ad eum vsum, quo consumitur, nefas est accipere pretium vnum ad æqualitatem pro re, v.g. centum aureos pro totidem, qui mutuo dantur, & alium pro vsu eorum ad mercaturam, quo consumuntur: hinc & vult vsuram ex eiusmodi mutuo esse illicitã & iniustam. Illis autem verbis, sed cuicunque conceditur vsus, D &c. solum vult, eum, qui mutuo concedit eiusmodi res ad vsum, eo ipso concedere rem, eaque ratione per mutuũ eiusmodi rerum transferre earũ dominium. Qui vero mutuo dat ad vsum rem, quæ vsu non consumitur, vt equum ad iter faciendum (quæ concessio peculiari nomine appellatur commodatum) non eo ipso censeri dare rem ipsam, atque idcirco, dum res commodatur, non trãsferri illius dominium: non tamen negat D. Thomas, posse aliquando concedi rem vsu consumptibilem ad vsũ, quo consumitur, præsertim dependenter à libera reuocatione, quin transferatur dominium illius.

Ad secundam, concesso antecedente de vsu formali, de quo iura loquũtur, & de vsufructu formali, de quo item iura loquuntur, eo quod illa sint iura ad vtendum, aut etiam fruendum rebus salua earũ substantia; neganda est consequentia: quoniam longe diuersum ius est, quod fratres Minores habent in rebus, quas consumunt, quod optimè potest esse separatum à dominio earundem rerum, vt explicatum est. *Ad secundum.*

SVMMARIVM.

1. *Vsusfructus Definitio, eiusque explicatio.*
2. *Ius fruendi ad quæ se extendat.*
3. *Fructus animalium qui.*

4 *Quando*

4 *Quando vsufructuarius in locum demortuorum capitum subſtituere debeat.*
5 *Fœtus interim dum loco demortuorum non ſubſtituuntur & deſignantur fructuarij ſunt, eique pereũt ſecum vbi deſignati ſunt.*
6 *Partus ancillæ non eſt in fructu.*
7 *De vineis & arboribus demortuis ſubſtituendis.*
8 *Quomodo vſusfructuarius efficiatur dominus fructuum.*
9 *Nomine vſusfructus regulariter formalis intelligitur, interdum tamen cauſalis venit.*
10 *Vſusfructus proprie & impropriè ſiue quaſi vſusfructus.*
11 *Quid inter vtrunque intereſſit.*
12 *Cautio quam præſtare debeat vſufructuarius.*
13 *An veſtes habeantur ſub numero rerum conſumptibilium.*
14 *Cautio à teſtatore vſufructuario remitti non poteſt.*
15 *Iuratoria cautio quando ſufficiat.*
16 *Adminiſtratio qualis vſufructuario competat.*
17 *Nomine proprietarij in iudicio agere poteſt.*
18 *Ad quas expenſas & ſumptus teneatur vſufructuarius.*
19 *Proprietatem dominus alienare poteſt abſque vſufructuarij conſenſu, non è contra vſumfructum abſque domini voluntate, vtcunque tamen diſtrahi poteſt.*
* 20 *Idem in iure percipiendi decimas quod in alium trãſferri non poteſt, attamen earum poteſt vtilitas.*
21 *Cautiones ab vſufructuario præſtandæ, iſæque in iudicio agere poteſt: nõ vero ille, in quem vtilitas translata eſt.*
22 *Quando vſusfructus tertio venditur aut donatur, in cauſa ſola vtilitas cenſetur vendi vel donari.*

DE VSVFRVCTV.

DISPVTATIO VII.

1 *Vſusfructus definitio.*

VSusfructus, vt habetur *l. 1. ff. de vſufructu Inſtit. eodem titulo in principio*, eſt ius vtendi & fruendi alienæ re ſalua illius ſubſtãtia. Eſt enim fermo hoc loco de vſufructu pro iure ad vtendum & fruendum. Is verò, qui eiuſmodi ius habet, appellatur, tum vſufructuarius, tum etiam fructuarius.

Vſufructuarius quis.

Per particulam, vtendi & fruendi, reiicitur à ratione vſusfructus nudus vſus, qui non eſt ad fruendum. Reiiciuntur etiam iura, quę non ſunt ad vtendum & fruendum. Porro vſufructuarius nõ ſolum habet ius ad integre vtẽdum bonis omnibus in quibus vſusfructus eſt conſtitutus, in quo multum excedit nudum vſuarium, ſed etiam ad percipiendum omnes eorum fructus, ita vt eo ipſo, quòd illos percipit, dominium eorum comparet. Atque hoc eſt, quòd in re propoſita appellamus frui. Nomine autem fructuum in pecoribus & aliis animalibus intelliguntur, non ſolum lana & lac, ſed etiam fœtus omnes & partus. Tenetur tamen fructuarius conſeruare integrum numerum ſibi traditum, totidẽ capita ex fœtibus loco demortuorum ſubſtituẽdo, vt numerus integer perſeueret. Intelligẽdum verò id eſt, quando cõceſſus ei fuit vſusfructus pecorum & armentorum gregatim. Secus autem quando conceſſus ei fuit vſusfructus ſingulorũ capitum in particulari: tunc enim loco demortuorum nullum tenetur ſubſtituere. Porrò fœtus interim dũ loco demortuorum non ſubſtituuntur & deſignantur, fructuarij ſunt: quare ſi tũc pereant, fructuario pereũt. Poſtquam autem ſubſtituti ac deſignati ſunt, fiunt proprietarij: & ideò, ſi tunc pereant, proprietario pereũt. Hæc omnia habentur *l. fœtus, quæ eſt 75. & duabus ſequentibus. ff. de vſufructu, & §. in pecudum: cum ſequentibus, Inſtit. de rerum diuiſione.*

2 *Ius fruendi ad quæ ſe extendat*

3 *Fructus animalium qui.*

4

5

Quando tamen vſusfructus ancillę alicui conceditur, partus illius non efficitur fructuarij, ſed proprietarij. Ita habetur *l. fœtus, §. in pecudum citatis.* Ratio autem à iure redditur, quia, cum fructus omnes gratia hominis cõditi ſint, abſurdum eſt, hominem inter fructus computare.

6 *Vſusfructus, ancillæ partum non comprehendit.*

Quod de fœtibus ſubſtituendis dictum eſt, intelligendum quoque in vinea, & arboribus. Loco enim arborum & vitium demortuarũ, tenetur fructuarius plantare alias, niſi tempeſtate aut alio infortunio, abſque ſua culpa, deiectæ aut deſtructæ ſint. Ita habetur *l. arbores. ff. de vſufructu.*

7

Tunc verò fructuarius efficitur dominus fructuũ rei, cuius habet vſumfructum, quãdo illos percipit. Antequam enim illos percipiat, cùm ſint vnum per colligationem & vnionẽ cum re, cuius habet vſumfructum dominium eorum pertinet ad dominum, cuius eſt res, quæ fructus illos in ſe habet: ipſe verò ius habet ad illos percipiẽdos, perceptione que ipſa efficiendos ſuos, interim dum perſeuerat tempus vſusfructus. Quare ſi fructuarius è vita decedat, pertinent, non ad hæredes fructuarij, ſed ad proprietarium. Ita habetur *Inſtit. de rerum diuiſione. §. is verò.* Si tamen interim, dum vſusfructus perſeuerat, furto auferantur, datur fructuario actio aduerſus furẽ: eo quod eius interfuerit fructus non eſſe ablatos, vt habetur *l. ſi fur. ff. de vſufructu.* Tametſi, nec tũc dominium fructuum, ita ablatorum, comparet, quousq; illi reddantur, aut nomine ipſius alius eos decerpat, aut ſumat, vt ibidem habetur.

8 *Dominiũ fructuum, quando pertinet ad fructuarium.*

Additur in definitione particula, aliena re, ad excludendum ius, quod is, qui iure pleno dominus eſt rei alicuius fructiferę, habet ad ea vtẽdum & fruendum. Hoc enim loco definitur ſolus vſusfructus formalis hoc eſt, qui ſubiecto eſt ſeparatus à dominio directo: non vero is etiam, qui cum domino directo eſt coniunctus, quem iuriſperiti appellant vſumfructum cauſalem, vt *diſputatione 5.* dictum eſt. Quamuis autem in iure, & apud Doctores, nomine vſusfructus, ſolus formalis vt plurimùm intelligatur, Arias tamen Pinellus *ad l. 1. Cod. de bonis matern. part. 2. à numero 9.* fuſius, & melius, quam alij oſtẽdit, vſumfructum cauſalem interdum in iure appellari etiam vſumfructum.

9 *Vſusfructus formalis, & cauſalis qui.*

Poſtremo additur, ſalua illius ſubſtantia. Quoniam vſusfructus propriè (qui ſolus iurib. citatis definitur) ſolum eſt circa res, quæ vſu non conſumuntur, vt ſunt ager, domus, pecora, &c. Circa res verò, quæ vſu conſumuntur, vt ſunt vinum, oleum, triticum, pecunia aliaque id genus, eſſe nequit vſusfructus propriè loquendo, vt habetur *Iuſtit. de vſufructu. § conſtituitur, & ff. de vſufructu earum rerum quæ vſu conſumuntur per totum.* Iiſdem tamen in locis ſubiungitur, vtilitatis gratia Senatuſconſultum inſtituiſſe, vt in iis etiam rebus eſſet vſusfructus, impropriè tamen, ita videlicet, vt ſi quis, v.g. leget alicui vſumfructum ſuorum omnium bonorum, aut quorundam quæ vſu conſumuntur, bona, quę vſu conſumuntur, traduntur ei æſtimata, comparetq; eo ipſo eorum dominiũ, præſtita cautione, quod, tranſacto tempore vſusfructus, reddet illorum æſtimationem. Intereſt ergo inter eiuſmodi vſumfructum improprium & vſumfructum proprium. Quod in improprio dominium rerum, quarum habetur vſusfructus, tranſit in vſufructuarium, vt finito tempore vſusfructus reddat, non illas, ſed æſtimationẽ: quare, ſi tempore vſusfructus pereant, pereunt vſufructuario. In vſufructu verò proprio, dominium rerum, quarum eſt vſusfructus, non tranſit in vſufructuarium, ſed manet apud aliũ: vſufructuarius verò ſolum habet ius vtendi ac fruendi illis: vnde fit, vt ſi ſine vſufructuarij culpa pereãt, non ipſi pereant, ſed alteri, qui earum habet dominium.

Impropriè.

10 *Vſusfructus propriè*

11 *Quid inter vtrunque intereſſit.*

Vſufructuarius tenetur cautionem reddere. In primis, quòd rebus, quæ vſu non conſumuntur,

12 *Cautionẽ*

quam reddere debeat vsufructuarius.

quarumque dominium non est apud eum, vtentur boni viri arbitrio, hoc est vt vir bonus re propria vteretur ac frueretur. Ad id.n. solum ius habet, eaque regula est vtendum ad diiudicandum ac discernendum in particulari quid licite possit, aut non possit. Vnde, si excedendo eiusmodi vtendi ac fruendi modum, res quibus fruitur, pereant, aut deteriores fiant, non solum in exteriori, sed etiam in conscientiæ foro, tenetur damnum restituere. Huc etiã pertinet, vt rem, qua vtitur, non transferat ad indignos vsus, vt ne domum habitationis vertat in stabulum iumentorum, aut in stabulo instituat pistrinum, aut seruum honestioris conditionis deiiciat ad vilia ministeria, victumve, aut vestitũ pro dignitate illi deneget. *l. æquissimam, & l. sed et si. ff. de vsufructu.* Deinde tenetur cautionem reddere, quod transacto vsusfructus tempore, restituet eiusmodi res, quales tunc superfuerint. Quousque autem reficere teneatur gregem pecorum & armentorum, nec non arbores & vites rerum, quarũ sibi concessus est vsusfructus, dictum est supra. Item tenetur cautionem reddere, quod transacto tempore vsusfructus, restituet æstimationem rerum vsu consumptibilium, quarum sibi concessus est vsusfructus, quarumq; dominium
13 in eum transit. De harum autem rerũ numero quod ad vsumfructum attinet, sunt etiam vestes, & aliæ res similes, quæ vsu, si non consumuntur, certè minuuntur valde, vt habetur *Inst. de vsufructu. §. constituitur*, & consonat *l. 1. ff. de vsufructu rerum, quæ vsu consumuntur.* Nec contradicit *l. sed & si quid ff. de vsufructu*, quæ vsumfructum vestimentorum computat cum vsufructu rerum, quæ vsu non consumuntur. Eadem quippe lex seipsam explicat, dum addit, *se id intelligere, quando legatur vsusfructus vestis, vt, finito tempore, vestis restituatur, & non æstimatio illius.* Quibus verbis satis aperte docet, quando id non exprimitur, vestis vsumfructum computandum esse cum vsufructu rerum, quæ vsu consumuntur. Porrò, satisdationes omnes commemoratas exhibendas esse ab vsufructuario, habetur expresse *l. si cuius. & l. sequenti ff. de vsufructu leg. 1. & sequentibus ff. quemadmodum vsufructuarius caueat leg. 2. & sequentib. ff. de vsufructu rerum quæ vsu consumuntur ca. finali de pignoribus, & leg. 1. & 4. C. de vsufructu.* Lege autem prima
14 proximè citata cauetur, esto vxor leget viro vsumfructum suorum bonorum, eumque expresse eximat ab obligatione satisdandi, teneri nihilominus satisdare. Et *l. penult. Cod. vt in possess.* id vniuersim statuitur de omni vsufructu testamento relicto: quare testator remittere non potest legatario, cui vsumfructum relinquit, eiusmodi cautionem. Quando
15 fructuarius satisdare non potest: eo quod pauper sit eaque de causa fideiussorem non inueniat, si non sit persona suspecta, satis erit iuratoria cautio. Quòd si persona sit suspecta, sequestrabuntur bona apud aliquem, de cuius manu vsumfructum sumat. Ita *Bartolus leg. vsusfructus. Cod. de vsufructu cui concinunt Panormit. cap. vltim. de pignoribus numero 6.* & plerique alij, quos Anton. Gomez. *2. tom. varia. resolut. cap. 15. numero 3.* refert & sequitur, consonantque quædam iura, quæ etiam refert.

Administratio quæ ius fructuario competat.

6 Ad vsufructuarium pertinet administratio bonorum omnium, quorum habet vsumfructũ, nec non naturalis eorum possessio, de qua in sequentibus erit sermo. Ad conseruationem tamen & vtilitatem eorum censetur tanquã procurator proprietarij: eaque de causa tenetur curare vtilitatẽ & conseruationem eorum: alioquin ipsi imputabitur damnum quod eius negligentia euenerit. Ita colligitur *ex leg. 1. ad finem, & ex leg. 2. ff. vsufructuarius quemadmodum cautat.* Quare quasi nomine proprietarij agere potest in iudicio quicquid ad vtilitatem & conseruationem proprietatis pertinet.

Sumptus qui ad eum & qui ad proprietatem spectent

17

18 Vsufructuarius tenetur ad expensas & sumptus modicos ad refectionem rei, qua fruitur, ita necessarios, vt ad vtilitatem vsus præsentis rei illius, fructusve perceptionem spectent. Nõ vero tenetur qui ad perpetuam rei vtilitatem spectent. Vnde si maiores sumptus in refectionem rei illius rationabiliter vtiliterque efficiat, finito vsufructu, concedetur illi actio negotiorum gestorũ aduersus proprietarium ad illos recuperandos. Siquid etiam in lite insumat, vel ad rem, qua vtitur vendicandam & extrahendã de manu cuiuscunque alterius possessoris, vel ad illam defendendã repetere similiter id poterit à proprietario. Hæc omnia cõlliguntur *ex l. vsufructu legato, & l. hactenus ff. de vsufructu, & ex leg. cum ad quem. Cod. eodem titul.* Tenetur tamen fructuarius soluere tributum, si quod ex re, qua fruitur, sit soluendum. Ita habetur *l. vsufructu relicto ff. de vsufructu.*

Vsusfructuarius alienari nequit, sine proprietarij facultate.

19 Licet proprietarius vendere possit absq; vsufructuarij consensu proprietatem, vt constat *ex l. locum ff. de vsufructu, & ex l. verbi. Cod. eodem titulo*: vsufructuarius tamen absque facultate & cõsensu proprietarij, nec vendere, nec donare, nec alio titulo potest transferre in alium vsumfructum, ita vt alius fructuarius maneat cum iure eiusdem rationis cum eo quod ipse habet: quin potius, si id attenter, continuò amittet vsumfructum, acquireturque proprietario. Ita colligitur *aperte ex l. si vsufructus ff. de iure dotium, consonat §. finitur, versic. non cedendo. Instit. de vsufructu & habetur l. 24. tit. 31. part. 3. legum Castellæ.* Potest nihilominus absque facultate & consensu proprietarij vendere, aut quouis alio titulo concedere alteri vtilitatem, quam habet conferendo illi ius ad vsum & fructus loco sui percipiendos, vel in vitam totam concedentis, vel ad certum tempus: quod ius non est vsusfructus, sed ius quoddam ab vsufructu distinctum: eo quod de ratione vsusfructus sit esse ius vtendi & fruendi propriò nomine: & hoc modò intelligenda est definitio vsusfructus in principio huius disputationis tradita. Porrò si vsufructuarius concedat alteri, locatione, venditione, aut quouis alio titulo, prædictum ius ad vtilitatem, manet quidem vsusfructus in eo, in quo antea erat, impeditus tamen quoad actum vtendi & fruendi, propter translationem iuris ad vtilitatem in alium. Exemplum accommodatum habemus in beneficiato, qui ius habet ad decimas percipiendas nomine proprio neque illud transferre potest in laicum vt patet ex cap. quamuis, & cap. prohibemus, de decimis, & tamen locare ac vendere potest decimas laico, conferendo illi ius recipiendi eas sibi non nomine proprio, sed nomine ipsius beneficiati. vt ex capi. vestra de locato, est manifestum. Eiusmodi autem ius, quod cõductor decimarum beneficij habet, alterius rationis est à iure ipsius beneficiati. Quia ergò vsufructuarius concedendo eiusmodi ius, nec trãsfert vsumfructum, nec esse desinit vsufructuarius, efficitur vt vsusfructus nõ morte eius, in quem ius illud trãsfert, sed morte ipsiusmet vsufructuarij cesset.

Bene tamẽ vtilitas cõcedenti ius ad illam.

Idem benefitio Eccles. siastico.

21 Efficitur præterea, vt ipsemet teneatur eas cautiones reddere, de quibus supra est habitus sermo, ipseque agere possit in iudicio, quæ ad vtilitatem & conseruationem proprietatis spectant: non vero is, in quem ius ad vtilitatem transtulit. De eiusmodi ergo iure ad vtilitatem percipiendam, quod ab vsufructu est distinctum, intelligi debent *leg. arboribus, & leg. vsufructu. ff. de vsufruct. & instituit. de vsu & habitatione in principio, versic. vltimo*, quatenus affirmant vsufructuarium locare, vendere, ac donare posse id, ad quod habet ius, quod nudo vsuario denegatum est. Quando autem vsusfructus venditur, aut donatur alicui tertio, sola vtilitas censenda est donari, aut vendi, nisi contrarium aliunde apertè constet, quod præter Antonium à Gama *decisione 299.* Couar. *1. variar. resolut. cap. 8. num. 7.* cum multis aliis adnotauit, vsque adeo vt dicat, quod si vsufructuarius vendat rẽ ipsam, cuius proprietas ad alium

spectat

spectat, non censeatur vendere vsumfructum, aut rem, quæ non est sua, sed commoditatem, quam in ea habet.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus legalis est, qui patri conceditur in bonis aduentitiis filij famil.*
2 *Fallit quinque casibus.*
3 *Pater vsufructuarius satisdare non tenetur, & ad quos sumptus obligatus sit.*
4 *Vsusfructus conuentionalis quot modis constituatur.*

QVOT MODIS VSVSFRVCTVS constituatur.

DISPVTATIO 8.

Vsusfructus legalis & conuentionalis.

VSusfructus duobus modis in genere constituitur, nempe lege, & priuata hominis dispositione. Ille appellatur vsusfructus legalis, quia lege constitutus: hic verò, ad differentiam illius alterius, dicitur conuentionalis: tametsi non semper conuentione, hoc est, pacto, sed interdum vltima voluntate aut donatione constituatur.

1 *Legalis est patris in bonis filij aduentitiis.*

Legalis est, qui lege patri conceditur, in bonis dumtaxat aduentitiis filij familias: non vero in bonis illius castrensibus, aut quasi castrensib. vt patet. *leg. quæcunque, & lucm oportet. Cod. de bon. quæ liberi. & lib. 4. Ordinationum Lusitanarum titul. 78. §. 1. &* 2. Quia verò, quæ de hoc vsufructu dici poterant, commodius explanabuntur in progressu huius operis, tandemque absoluentur *disp. 132.* dicto prius de patria potestate, & de tribus illis bonorum generibus, contenti simus modò hac breui illius explicatione.

2 *Locaret pater primo.*

Sunt verò nonnulli casus, in quibus pater vsumfructum non habet in bonis aduentitiis filijfamilias. Primus est, quando tali filio aliquid donatur, aut relinquitur ex testamento, ea lege & conditione, vt pater vsumfructum inde non habeat: tunc enim fructus eorum bonorum ad filium pertinet. Ita habetur *in authentica excipitur. Cod. de bonis quæ liberis, in authentico, vt licet matri, collatio. 8. & 4. lib. Ordinationum Lusitanarū titulo 78. §. 4.* Id verò optime intelligit Antonius Gomezius *ad legem 48. Tauri, numero* 11. præterquam in bonis, in quibus filius necessario succedit: in his enim vsusfructus denegari non potest patri, atque adeò nequit testator conditionem illam apponere. Obseruat *Bartol. in tract. de duobus fratribus numero 9. Sylues. verb. peculium. quæstione 5. & 7. ac alij*, si quis filiofamilias alicuius, aut mater ipsius, aliquid illi donent, aut relinquant, dicentes, velle, vt illi sit in peculium castrense, aut quasi castrense: si id natura rei, spectatis circumstantiis concurrentibus, non patiatur, non esse quidem peculiū castrense aut quasi castrense, vt expresse habetur. *l. si fortè. ff. de castrens. pecul.* attamen esse aduentitium, vt vsusfructus ad filium pertineat, & nō ad patrem: quoniam videtur tacitè donare sub conditione, vt vsusfructus pertineat ad filium.

Secundo.

Secundus est, quando pater relinquit filio vsumfructum bonorum aduentitiorum. Ita habetur *leg. cum oportet. §. non autem, versi. sin autem. Cod. de bonis quæ liberis. & libro 4. Lusitanarum Ordinationum titulo 78. §. 5.* Quo loco obserua, patrem liberè posse condonare filio eiusmodi vsumfructum, neque filium teneri afferre eum ad collationem cum suis fratribus, vt tenetur adducere alia donata à patre: neque patrem teneri accipere eum in partem, de qua ipse libere poterat testari, nempe in suum tertium in hoc Lusitano Regno, aut in tertium & quintum in Regno Castellæ, vt colligitur *ex versic. sin autem citato.* Ratio autem huius dispositionis iuris ciuilis hæc est, quoniam hoc non est patrem donare de suis bonis, sed est non vsurpare id de bonis filij, vt poterat. Hæc omnia affirmant *Barr. & alij, quos Anton. Gom. ad leg. 29. Tau. numero 29. & ad leg. 48. numero 9. & 10. refert ac sequitur.* Quo loco obserua, quando pater sciens ac prudens permittit filium accipere vsumfructum suorum bonorum, suaque bona aduētitia administrare, tacite censeri illum ei condonare, vt ex versic. citato colligitur. Optimè tamen obseruat Anto. Gome. consentaneè ad eum textum, per eiusmodi scientiam & patientiam non plus eiusmodi vsusfructus censeri patrem donare, quam id, quod patitur filium accipere: quare postquā per tempus aliquod est passus filium accipere vsumfructū, poterit deinceps vsurpare sibi vsumfructum eorum bonorum.

Tertio.

Tertius, quando aliquis donat, aut relinquit aliquid filio, patre renuente, nec volente vt id filius accipiat. Si enim filius cōtra patris voluntatem id obtineat, vsusfructus rei illius non pertinet ad patrem *l. vltim. §. sin vero pater. Codic. de bonis quæ liberis. Gloss. in authentica idem est. C. eodem titulo. & libro 4. Lusitanarum Ordinationum tit. 78. §. 6.*

Quarto.

Quartus, quando filio datus, aut relictus est vsusfructus alicuius rei: tunc enim, quia vsusfructus est seruitus quædam: & seruitutis non est seruitus, vt habetur *l. 1. ff. de vsufructu legato*, vsusfructus non pertinet ad patrem, sed ad solum filium. Ita affirmat *Gloss. citata, & dissonunt ordinationes Lusitanæ titulo citato §. 7. Anton. Gom. ad leg. 48. Tauri, numero 2.* vult tunc commoditatem vsusfructus acquiri patri. nec tamen ipsum ius. Credo id saltem in hoc Lusitaniæ regno locum non habere. In bonis tamen emphyteusis filijfamilias pater habet vsumfructum. Ita Aluarus Valascus *de iure emphyteutico part. 1. quæst. 38. num. 28.*

Quinto.

Quintus est, quando aliquid à Rege, Regina, vel principe donatum est filio, vel filiefamilias: reputatur namque id, ac si esset bonum castrense, atque ita vsusfructus illius, siue illud mobile, siue immobile sit, pertinet ad talem filium, & non ad patrem. *Laum multa. Cod. de bonis quæ liberis, & libro 4. Lusitanarum Ordinationum titulo citato. §. 8.* Id quod etiam vim habet, esto donatio facta sit filiofamilias intuitu patris, vt docte ostendit Anton. Gomez. *ad legem 48. Tauri numero 4.* & consentiunt prædictæ Ordinationes *libro 4. tit. 77. §. 8.* vbi idem statuitur de donationibus filijfamilias à Rege intuitu parentum factis, quod de aliis donationibus factis intuitu ipsorummet filiorum.

3 *Pater vsufructuarius ad quā cautionem & ad quos sumptus tenetur.*

Illud animaduertendum est, patrem satisdare nō teneri quando est vsufructuarius in bonis aduentitiis filij: in multisque aliis excedere vsufructuarios conuentionales. Tenetur tamen ad maiores sumptus ex fructibus ipsis, si ad refectionem bonorum, quibus fruitur, necessarij sint. Imò & ad sumptus lites, si quæ circa ea bona oriatur, vt colligitur *ex leg. 1. Cod. de bonis maternis.* Lege si placet, *Anto. Gō. ad l. 48. Tauri à numero 14. & 2. tom. variæ resolut. c. 15. numer. 7. Molina tamen lib. 1. de Maiora. c. 27. nonnihil reclamat.*

4 *Vsusfructus conuentionalis quot modis constituatur.*

Iam vero vsusfructus conuentionalis interdum constituitur vltima voluntate, vt quādo testator legat alicui vsumfructum rei alicuius. Tūc enim proprietas pertinet ad hæredem, vsusfructus vero ad legatarium. Quandovero testator legat alicui proprietatem aliquam deducto vsufructu, vsusfructus pertinet ad hæredem, & proprietas ad legatarium. Quòd si vni leget proprietatem, alteri vero vsumfructum, sunt quidem duo legata: ad vnumque legatarium spectat proprietas, quam transmittere potest ad hæredes: ad alterum vero vsusfructus, qui morte illius expirat, aut breuiori tempore, si ad tēpus breuius relictus sit, reditque ad proprietatem. Interdum verò vsusfructus conuentionalis constituitur donatione, venditione, permutatione, aut alio

lio contractu. Ita habetur *Inst. de vsufructu. §. vsusfructus, & ff. ac. C. eodem titulo, variis in locis.*

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus sex modis finitur.*
2 *Maxima capitis diminutio quid.*
3 *Media capitis diminutio quæ.*
4 *An hodie maxima & media capitis diminutione vsusfructus amittatur: item an morte naturali, & num. 7. 9.*
5 *Damnatus morte naturali vel ciuili ad triremes: item aut ad perpetuos carceres, an testari possit, adeoque testamentum antea factum rumpatur.*
6 *Quid de iure Castellæ.*
8 *Quid de iure Lusitaniæ & aliorum regnorum.*
10 *An ex delicto propter quod bona confiscantur finiatur vsusfructus: redeat q. ad proprietarium, an vero pertineat ad fiscum.*
11 *Quid statuendum in vsufructu, quem pater habet in bonis aduentitiis filij, cum ob patris delictum filius eius potestatem egreditur.*
12 *Item quid si filij bona confiscentur, pariter in confiscationem veniat vsusfructus, quem pater in bonis eius aduentitiis habet.*
13 *Si delinquens restituatur à Principe, an vsusfructus reuiuiscat.*
14 *Confiscatis bonis post mortem delinquentis aut alia conditione restitutione obnoxiis, commoditas illorum, dum vita aut conditio pendet, fisco debetur.*
15 *An per ingressum vsufructuarij in religionem, emissionemque professionis finiatur vsusfructus, redeatque ad proprietatem.*
16 *Quid in vsufructu, quem pater habet in bonis aduentitiis filij.*

QVOT MODIS VSVSFRVCTVS finiatur.

DISPVTATIO 9.

1 *Vsusfructus finitur. Primo.*

FInitur vsusfructus formalis, si vsufructuarius cedat vsumfructum proprietario, vel vsufructuarius acquirat proprietatem. Atque hoc secundum consolidatio appellatur. Ita habetur §. *finitur. versic. item finitur. Institutis de vsufruct.* Finitur præterea elapso tempore, quo lege conceditur, aut quo vltima voluntate, donatione, aut contractu fuit constitutus, si ad tempus sit constitutus.

Secundo.

Tertio.

Item si vsufructuarius eo non vratur tempore ad præscribendum proprietatem rei immobilis necessario, iuxta ea, quæ, dum de præscriptione erit sermo, dicemus. Ita cõstitutum fuit *l. corruptionem. Cod. de vsufructu*: cum tamen antea per non vsum illius longe minori tempore amitteretur.

Quarto.

Item destructa re, in qua habetur vsusfructus, vt si ædes incendio consumantur, aut corruant: tunc enim ita finitur vsusfructus, vt neque areę vsusfructus maneat, vt habetur *Instit. §. citato. versic. eo amplius.* Obserua tamen, id locum non habere in vsufructu patris in bonis filii aduentitiis: cum enim id, quod, destructa re aliqua filij, manet, ad bona etiam filij aduentitia pertineat, in eo etiam habet pater vsumfructum.

Quinto.

Item morte naturali vsufructuarij, finitur vsusfructus *Instit. §. citat. l. corruptionem. Cod. de vsufructu.* Si namque ad hæredes transiret, inutilis esset proprietas. Vnde si vsusfructus ita constituatur, vt ad hæredes fructuarij transeat, id sane intelligendum est, de hæredibus proximis, nõ vero de remotis. Ita definitum est *l. antiquitas. Cod. de vsufructu.* Quod si vsusfructus aliquis ciuitati, communitati, Ecclesiæ, vel alicui pio loco, sine temporis præfinitione, relinquatur, censetur ei relictum per spatium centum annorum. Quia is finis est vitæ longæui hominis. Ita habetur *l. an vsusfructus ff. de vsufructu.*

Sexto. 2 *Maxima capitis diminutio quid.*

Item finitur vsusfructus maxima & media capitis diminutione vsufructuarij, vt habetur *Instit. de vsufructu §. finitur, & leg. corruptionem. C. eodem titulo.* Est vero maxima capitis diminutio, vt habetur *Instit. de capitis diminutione §. maxima est*, quãdo aliquis simul & ciuitatem & libertatem amittit, qui seruus pœnæ effici dicitur. Vt quando aliquis ob atrocitatem delicti damnatur ad metallum, aut bestiis subiicitur vt habetur *Instit. quib. mod. ius pat. potestat. soluatur. §. pœna seruitus.* Ciuitatem etiam & libertatem amittit, pœnæque seruus efficitur, qui mortis pœna damnatur, vt habetur *l. qui vltimo supplicio ff. de pœnis, & 5. lib. Lusitanarum Ordinationum. tit. 94.* Item maxima capitis diminutio est, quando libertus, ob ingratitudinem in patronum commissam, in seruitutem redigitur. Et quando aliquis maior 25. annis, vt potiatur pretio, patitur se vendi, vt habetur *Instituti. de capitis diminutione. §. maxima.* Media capitis diminutio est, quando ciuitas amittitur, sed libertas retinetur, vt accidit, tum ei, cui aqua & ignis est interdictum, tum etiam ei, qui in insulam deportatur, vt habetur *Instit. de capitis diminutione. §. minor.* Vt vero habetur. *Instit. quib. modis ius patriæ potestatis soluatur. §. cum autem versic. relegari*, nõ satis est, si aliquis in insulam relegetur, vt deportatus in insulam cẽseatur, atque adeo vt mediam capitis diminutionem dicatur passus. Deportatio, & proscriptio, interdicendo aqua & igni, fiebat antiquitus in perpetuum, & cum amissione omnium bonorum, vt patet *l. eius qui §. si cui. ff. de testamentis, & aliis iuribus*: tametsi *l. quando, & authentica, bona damnatorum. Cod. de bonis proscriptorum*, de confiscatione bonorũ aliquid sit remissum. Et hæc sola deportatio & proscriptio erat, quæ efficiebat mediam capitis diminutionem, & quæ mors etiam ciuilis reputabatur. Qui vero modò aliter, vel proscribuntur, vel in insulã relegantur, solum censebantur olim relegati, neque dicebantur pati mediam capitis diminutionem, nec mortui ciuiliter.

3 *Media capitis diminutio quæ.*

Mors ciuilis quæ.

Antonius Gomezius *2. tomo variar. resolut. cap. 15. num. 18.* ductus authentica, *sed hodie C. de donationibus inter virum & vxorem*, quæ ex authentico *de nuptiis. §. quod autem* desumpta est, & statuit, hodie nullum à principio bene natum, id est, ingenuum, fieri ex supplicio seruum pœnæ, air, dispositionem iurium, quæ statuebant maxima & media capitis diminutione amitti vsumfructum, non habere hodie locum. Indeque infert legem *24. titul. 31. par. 3. legum Castellæ*, quæ post authenticam illam idem statuit, quoad iura illa antiqua, videri corruptam, vel non esse seruandam tanquam iniquam & contrariam iuri communi.

Miror tamen virum doctum non aduertisse, nihil tale ex authentica illa colligi. Illa namque solum tollit seruitutẽ pœnæ in primo & tertio modo, quibus aliquis maximam capitis diminutionem incurrit, ne eiusmodi seruitus matrimonio, vel cõtrahẽdo, vel iam contracto, impedimento deinceps sit, quasi ex eo capite, qui ita damnatur, definat esse liber, non tamẽ tollit à maxima capitis diminutione mortem ciuilem, patriæque amissionem, quæ communis sibi est cum media capitis diminutione, ac proinde non tollit, per maximam & per mediam capitis diminutionem, ratione mortis ciuilis, amitti vsumfructum, vt antequam per authenticam, sed hodie à natis ingenue seruitus pœnæ esse ablata, per easdem capitis diminutiones amittebatur. Melius dixisset in regno Castellę iam hodie post legẽ quartam Tauri non amitti vsumfructum per maximam & mediam capitis diminutionem.

4 *Maxima & media capitis diminutione vsusfructus hodie iure communi amittitur.*

5 *Damna-*

Quod vt melius intelligatur, sciendum est. De iure com-

naturali aut ciuili morte testari nequit iure communi.

re communi, nec damnatũ ad mortem naturalem, nec damnatum ad mortem ciuilem, vt damnatum ad metallum, deportatum, & interdictum aqua & igni potuisse testari, quin potius, si quod testamentũ ante talem damnationem, imo & ante crimen, ob quod ita damnatur, confecisset, damnatione subsecuta, irritum erat & inane. Ita habetur *leg. eius qui §. sed cui. ff. de testamentis. l. qui vltimo. ff. de pœnis, & multis alijs iuribus*, quæ Antonius Gómez *ad legem 4. Tauri numero 1.* & Couar. *in rub. de testamentis. p. 3. numer 27.* citant, idemque habetur *libro 1. Lusitanarum ordinat. tit. 67. §. 20.* Ratio erat, quoniam eo ipso, quod aliquis ita damnabatur, omnibus suis bonis spoliabatur, quæ omnia vel addicebantur fiscó, vel si quæ non confiscabantur, relinquebantur hæredibus illius ab intestato: ille verò tanquam mortuus, quod attinet ad bona temporalia, reputabatur, eaque de causa, si vsufructuarius erat, vsusfructus regrediebatur ad proprietarium, non secus ac si naturaliter esset mortuus. Iam verò inter mortuos ciuiliter, atque adeo inter eos, quibus de iure communi prohibitum erat facere testamẽtum, computat Antonius Gom. *loco citato* damnatos ad triremes. Bartol. præterea, & communis sententia, quam refert & sequitur Panormit. *in rub. de testam.* computant etiam damnatum ad carcerem perpetuum. Vsque adeo autem damnati ad mortem ciuilem aut naturalẽ prohibiti erant testari, vt neque ad pias causas testari quicquam possent, vt Panorm. *loco citato*, & communis sententia affirmat, fatisque aperte innuunt *ordinationes Lusitani e titulo 94. citato.*

Couar. & Ant. Gom. sententia.

Couar. *in rub. de test. loco citato*, Antonius Gomez. *ad legem 4. Tauri. numer. 2.* & multi alij quos idem refert, censent post authenticam. *sed hodie*, & authenticam *de nuptijs*, vnde illa desumpta fuit, pdictos omnes, excepto eo, qui ad mortem naturalem fuerit damnatus, si ingenui sint nati, posse testari de iure communi. Ducuntur autem, quoniam in illis authenticis sublata est seruitus pœnæ ab illis omnibus, præterquam ab eo, qui ad mortem naturalem est damnatus, de quo in illis authenticis nulla fit mentio.

Improbatur.

Crediderim tamen, neutrum eorum, quæ ij authores affirmant, verum esse. In primisque non dubito falsum esse, in authenticis illis exceptum esse damnatum ad mortem naturalem, quasi post illa iura maneat seruus pœnæ. Iura namque illa vniuersim loquuntur, statuuntque nullum, ab initio bene natum, esse deinceps ex supplicio seruum. Quare nullus omnino est excipiẽdus, etiam is, qui ad mortem naturalem sit damnatus: cum iura illa nullum excipiant. Neque oportebat fieri de illo specialem mentionem, vt cõprehenderetur: cum cæteri nati ingenui, qui ante illa iura ex supplicio serui erãt pœnæ, nulla facta de eis peculiari mentione, in illis iuribus censeantur comprehensi.

Deinde falsum est, quod dicunt, illos videlicet, à quibus seruitus pœnæ in illis authenticis sublata est, posse hodie de iure communi testari. Vt enim ex iuribus, in quibus testari prohibebantur, constat, vt quis testari non possit, non satis est, si libertatem per seruitutem pœnæ non amiserit, sed simul etiam requiritur, vt per pœnam non amiserit ciuitatem, vt in deportatis, & in iis, quibus aqua & ignis est interdictum, est manifestum, qui, cum libertatem nõ amitterent, prohibebantur testari: eo quod amitterent ciuitatem, quæ mors etiam erat ciuilis. Quare cum illi omnes, à quibus in authenticis citatis aufertur seruitus, simul amitterent ciuitatem, non secus ac deportati, nec ciuitas illis restituatur, efficitur, vt ex hoc capite, etiam post iura illa authenticorũ, testari de iure communi non possint. Atque hac ratione Panor. *in rubrica citata*, Bartol. & alij post iura authenticorum, computant illos omnes inter eos, qui testari non possunt.

De iure regni Castellæ *l. 4. Tauri, quæst. 3. libr. 5. nouæ collectionis, titu. 4* est peculiariter hodie constitutum, vt damnatus propter delictum, siue ad mortem ciuilem, siue ad naturalem, perinde ex testamẽto, codicillo, aut quacunque alia vltima voluntate, per se, vel per alium, de omnibus suis bonis possit disponere, ac si non esset ita damnatus. Excipiuntur bona quæ illi veniunt confiscanda, aut alicui alteri applicanda ob delictum, de quibus disponere prohibetur. Quo fit vt in regno Castellæ locum hodie non habeant prohibitiones, quæ sunt de iure cõmuni, vt damnatus ad mortem naturalem, aut ciuilem testari non possit. Notat Antonius Gom. *ad eandem legem*, in regno Castellæ posse ita damnatum succedere post damnationem, tam ex testamento, quam ab intestato, cuicunque alteri, posseque disponere de his & aliis bonis, quæ illi non fuerint confiscata, non solum per vltimam voluntatem, sed etiam per contractum.

6 Iure Castellæ morte naturali aut ciuili damnatum testari concedens.

His ita constitutis, quæ in sequentibus nos non paruo onere liberabunt, vt ad id, vnde digressi sumus, reuertamur. Illud dico. In regno Castellæ *post legem 4. Tauri* non amitti vsumfructum per maximam, aut mediam capitis diminutionem. Ratio verò est, quoniam cum ea de causa de iure cõmuni per maximam & mediam capitis diminutionem vsusfructus amitteretur, quod delinquens eo ipso bonis omnibus temporalibus, quæ possidebat, spoliaretur, & vel confiscarentur, vel deuoluerentur ad hæredes ab intestato, ipseque quod ad illa attinet, perinde, ac si esset mortuus, reputaretur, quod in causa erat vt vsusfructus non secus rediret ad proprietarium, ac si vsufructuarius ad finem vitæ peruenire: sanè eo ipso, quod de iure regni Castellæ, nihil impediente delicto & condemnatione, illi relinquitur libera de suis bonis dispositio, & per vltimã voluntatẽ, relinquitur etiã illi vsusfructus, nec prius regreditur ad proprietarium, quam vsufructuarius naturaliter moriatur. Ex his constat, falsum etiam esse, quod Anton. Gom. *2. tom. var. resol. ca. 15. numer. 18.* affirmat, nempe, hodie in Regno Castellæ damnatum ad mortẽ, si post sententiam aufugiat, impedimentoque fit ne sententia executioni mandetur, amittere cõtinuo vsumfructum proprietario. Etenim cum in eo Regno per talẽ fugam & cõdemnationem non auferatur ab eo facultas testandi & disponẽdi de suis bonis, sane nec vsumfructum amittit, donec vltimum emittat spiritum.

7 Vsusfructus maxima aut media capitis diminutione Castellæ non amittitur.

Quod ad ius Lusitaniæ Regni attinet. *5. libro Ordinationum titul. 94.* statutum est, vt quamuis de iure communi damnatus ad mortem naturalem testari non possit, liceat tamen ei testari de tertio solũ suorum bonorum ad sequentia opera pia duntaxat. Ad redimendos captiuos ad maritandas orphanas, ad eleemosynas hospitalibus elargiendas, ad Missas celebrandas, & ad Monasteriorum, aut Ecclesiarum reparationem: non vero ad alia opera: quod intelligerem, nisi constaret esse æque pia. Excipiuntur, qui ob crimina hæreseos læsæ maiestatis, aut sodomiæ damnantur, quibus nec ad hæc quidem testari permittitur.

8 Idem fere in his omnibus de iure Lusitano.

Cum autem in hoc Lusitaniæ Regno, damnato ad mortem dispositio de suis bonis, saltem ad prædicta pia opera, concedatur, sane vsusfructus, si quẽ habebat, eo ipso videtur ei permissus, atq; adeo non regreditur ad proprietarium ante mortem naturalem eius, qui ita damnatur. Longe maiori cum ratione cẽsendus est in eodẽ Regno concessus vsusfructus damnatis ad mortem solum ciuilem. Quin potius (vt quod sentio dicam) qui ordinationes cõpilauerũt, in ea videntur fuisse sententia, quã Couar. & Antonius Gomez sequuti sunt, nempe, post iura authenticorum solum damnatum ad mortem naturalẽ esse de iure cõmuni seruum pœnæ, nec posse testari: damnatos verò ad mortem ciuilem testari

9

posse. In ea namque ordinatione is, qui ad mortem naturalem damnatus est, seruus pœnæ dicitur esse de iure cõmuni, idcircoq; de damnato ad mortem solum ciuilem non videtur facta mentio, vt illis etiam facultas ad testandum concederetur, quod arbitrati sint, eos de iure communi testari posse. Quare non dubito, in Lusitaniæ etiam Regno, vsumfructum per maximam & mediam capitis diminutionem nõ regredi ad proprietarium, quousque is, qui maximam, aut mediam capitis diminutionem patitur, vitam finierit. De consuetudine aliorum Regnorum, quod damnati testentur, quãdo bona eorum nõ confiscantur, iege, si placet, lalium Clarum, 3. *lib. sent. §. testamentum q. 21.*

10 Ex dictis facilius dirimetur quæstio illa, an ex delicto propter quod bona confiscantur, finiatur vsus fructus condemnatione subsecuta, redeatq; ad proprietarium: an vero pertineat ad fiscum. Ad quod dicendum est, etiamsi delictum & condemnatio sit talis, vt de iure communi, iuxta hactenus dicta, finiendus esset vsusfructus, regressuruſque esset ad proprietatem, *in hoc tamẽ Regno, & in Regno Castellæ*, iuxta ea quæ proxime dicta sunt, non finitur, sed ius vsusfructus perseuerat in delinquente vsque ad mortẽ illius naturalem: tota aũt commoditas vsusfructus, interim dum delinquens viuit, pertinet ad fiscum: deliquẽte autem mortuo, vsusfructus redit ad proprietatem. Hęc sententia ex eo probatur, quod iam, vt aperte colligitur, *ex l. si postulauerit. §. iubet. ff. ad leg. Iuliam de adulteriis*, & cum Bartolo & aliis affirmat Anton. Gom. *2. variar. resol. ca. 15. numer. 16.* quando confiscantur bona vsufructuarij, & delictum ac condemnatio non est talis, vt de iure communi vsusfructus finiatur, redeatque ad proprietarium, tota commoditas vsusfructus pertinet ad fiscum: sed oppositum est in hoc, & in Castellæ Regno non finiri vsumfructum ex maxima & media capitis diminutione, vt de iure communi finiebatur: ergo in eis Regnis, quando bona delinquentis confiscantur, non finitur vsusfructus, totaque illius commoditas pertinet ad fiscum vsque ad mortem naturalem delinquentis, etiamsi delictum & condemnatio sit talis, vt de iure communi vsusfructus foret finiendus.

Vsusfructus eius, cuius bona confiscantur ad fiscum quo ad vtilitatem dũ viuit in Castel. & Lusit. spectat.

11 *Exceptio.* Ab hac regula excipitur vsusfructus, quem pater habet in bonis aduentitiis filij familias, saltẽ quãdo filius patriam egreditur potestatem per crimen hæreseos patris. In primis namque, cum per maximam ac mediam capitis diminutionem patris aut filij, filius desinat esse in potestate patris, *vt habetur Instit. quib. mod. ius pat. potest. soluat. §. cum autem is, & §. pœna seruus*: cum item per crimen hæreseos, etiamsi occultum sit, atque adeo nondum sit lata sententia, filius egrediatur potestatem patris, vt habetur *2. ca. §. vlt. de hæretic. libr. 6.* eo autem ipso, quod filius patriã potestatem egreditur, pater amittat vsumfructum in bonis, quæ filius deinceps acquisierit, efficitur, vt eo ipso, quod pater aut filius maximã aut mediam capitis diminutionem patiatur, aut pater crimẽ hæreseos incurrat, amittat vsumfructum in bonis, quę filius deinceps acquisierit. Secus autem dicendum (si crimẽ hæreseos excipias) in bonis, quæ ante eum euentum ad filium spectabãt, & in quibus pater iam antea vsumfructum habebat. Eiusmodi namque vsumfructum nõ amittit pater, nisi per suam mortem naturalem, exceptis casibus iure expressis. Vt de iure communi quando filium emancipat: tunc enim quasi in præmium retinet solum dimidiam partem vsusfructus bonorum aduentitiorum, quæ filius ante talem emancipationem acquisierat. Et de iure huius Regni, & Regni Castellæ, quando filius aut filia patriam egreditur potestatem, quia matrimonium contrahit: tunc enim integer vsus fructus omnium suorum bonorum pertinet eo ipso ad ipsos, & nihil illius ad patrem, vt constat *ex l. 4.* Tauri, *quæst. 9. titul. 1. lib. 5. nouæ collect. & ex lib. 1. Lusitanarum Ordinationum tit. 67. §. 4. tit. 78. §. 2.* Idem est de iure eiusdem regni, quando egreditur per emancipationem, *vt patet §. 2. citato.* Quia ergo in aliis euentibus, vsusfructus, quem pater in bonis iam acquisitis filij habebat, antequam filius patriam egrederetur potestatem, non amittit pater ante suã mortem naturalem, vt ex dicẽdis in progressu huius operis erit manifestum, credo, si pater in delictum incidat, ob quod bona confiscentur, eiusmodi vsumfructum, interim dum viuit, pertinere ad fiscũ quoad commoditatem, & non ad filium. Excipitur crimen hæreseos: eo namque per patrem commisso, credo continuo pertinere vsumfructum ad filiũ & nõ ad fiscum: id quod affirmat etiam Iacobus Simãcas *de cath. inst. tit. 9. n. 81.* Huius autẽ rei ratio est, non præcise, quod talis filius à puncto commissi delicti egrediatur patriam potestatem, sed quod iuris dispositione propter delicti atrocitatem tam potẽter egrediatur, vt filius omnino, etiam quoad omnia sua bona, ab ea fuerit exemptus, vt satis aperte colligitur *ex cap. 2. §. vlt. de hæred lib. 6.* vbi ex eo fundamento decernitur, emancipationem talis filij à patre post crimen patratum, sed interim dum ignorabatur, effectam, nullam omnino esse, quoniã iam filius, propter delictum tam atrox à patre commissum, egressus omnino erat illius potestatem. Censet ergo summus pontifex, à puncto commissi delicti ita filium egressum fuisse patriam potestatem, vt in bonis aduentitiis ipsius nullũ pater retineret vsumfructum: alioquin aliam rationem reddere deberet cur emancipatio illa nulla esset, saltem vt ob eam dimidium vsusfructus ad filium à puncto talis emancipationis non pertineret.

Idem Simancas *tit. 9. citato num. 18. ait.* Si bona filij familias ob crimen hæreseos, quod ipse commisit, confiscentur, confiscari et vsumfructum, quem pater catholicus in bonis aduentitiis talis filij habebat, esto filius Ecclesiæ reconcilietur. Ducitur, quoniam per maximam aut mediam capitis diminutionem, quam filius ex tali condemnatione incurrit, egreditur patriam potestatem, eaque de causa pater amittit vsumfructum in bonis illius. Cõtrariam tamen sententiam credo esse veram, nempe, siue filius patriam egrediatur potestatem per eam cõdemnationem, siue per crimen ipsum hæresis, quasi filius, per quod crimen patris egreditur patriam potestatem, per idem, si à filio cõmittatur, eãdem patris egrediatur potestatem *argumento tex. in §. cum aut. in is versic. patri ratione. inst. quib. mod. ius. pat. pot. soluat.* atque adeo vsusfructus bonorum, quæ deinceps acquisierit, non pertineant ad patrem: nihilominus vsumfructum bonorum, quæ antea acquisierat, & qui iam antea erat patris, pertinere ad patrem, & nõ ad fiscum, vsque ad mortem naturalem patris, esto filius relaxetur brachio seculari, aut alia ratione ante patrem è vita discedat: nisi forte filius Ecclesiæ reconciliatus matrimoniũ in hoc regno, aut in regno Castellæ contrahat: nam tunc, sicut vsusfructus ille redire debebat ad filium, ita eo ipso pertinet ad fiscum. Ducor illo eodem fundamento, quo *inferius dispu. 140. cum Nauarro, Greg. Lopez, Pinel. & multis aliis*, dicimus, vsumfructum, quem pater in bonis aduentitiis filij habebat, perseuerare cum patre vsque ad mortem ipsius naturalem, & non pertinere ad monasterium, esto filius religionem profiteatur, per eamque professionem patriam egrediatur potestatẽ. Etenim factum filij, siue laudabile, siue vituperabile sit, præiudicare non potest iuri patris iam antea acquisito. Licet ergo pater per talẽ professionem delictum, aut condemnationem filij, amittat vsumfructum in bonis, quæ deinceps ad talẽ filium pertinere debebant, non tamen in bonis, in quibus antea vsufructu potiebatur.

12

Illud obseruandum est, quod si post egressum fi-

13 lij à

lij à patria potestate propter delictum, aut maximam vel mediam capitis diminutionem patris, aut filij, is, ob cuius delictum filius liberatus est à patria potestate, restituatur à principe ad statum pristinum, filius egreditur ad patriam potestatem, paterque incipit habere vsumfructum in bonis aduentitiis, quæ filius tunc habuerit. Ita habetur *Inst. l. §. citato verificd si.*

14 Quando bona alicuius cõfiscantur, quorum dominium per mortem illius, aut sub aliqua alia conditione pendente in futurum, deuenire debebat ad alium, interim dum ita cõdemnatus viuit, aut conditio illa non impletur, cõmoditas vsusfructus eorum bonorum pertinet ad fiscum: nõ verò ad eum ad quem dominium eorum bonorum debet deuenire. Hinc est, quod si bona illius confiscentur, qui dominium habebat alicuius hæreditatis, quam grauatus erat per suam mortem, aut impleta alia conditione, restituere alteri, cõmoditas hæreditatis illius, interim dum ille viuit, pertineat ad fiscum. Ita habetur expresse *l. Statius Florus. § Cornelio. ff. de iure fisci.* Inde etiam est, quod si ei, qui maioratum, aut alia bona vinculata possidet, bona ob delictum confiscẽtur, commoditas bonorum, ita vinculatorum, pertineat ad fiscum, interim dum ille viuit. Ita Molina *4. libro de primogeniis cap. 11. à num. 11.* Iacobus Simancas *loco cit. ato num. 19.* & alij.

15 *Vsusfructus professione fructuarij, nõ expirat.* Dubium vlterius est, an per ingressum vsufructuarij in religionem, emissionemque professionis, finiatur vsusfructus, redeatque ad proprietatem. Et quidem in aliis vsufructuarijs à patre in bonis aduentitiis filij, communis opinio est *glossæ in authentica ingressi. C. de sacrosanct. Eccles. Panorm. cap. finali, de pign. num. 2.* & plurium aliorum, quos Anton. Gom. *ad l. Tauri. n. 8.* & Aries Pinellus *ad legem primam. C. de bonis mater. p. 1. à n. 47.* referunt & sequuntur non finiri, sed residere in ipso monacho, morteque illius naturali finiri. Ad monasterium vero, interim dum vita talis monachi perseuerat, pertinere vtilitatem talis vsusfructus, *iuxta authenticam ingressi. Cod. de sacr. Eccle.* modo tamen monasterium de numero eorum sit, quæ in bonis monachi succedunt, qualis nec est nostra societas, nec religio Minorum, quib. in locis vsque ad professionem, incorporationemve plenã in corpore religionis, ius vsusfructus perseuerat in religioso: emissa vero professione, extinguitur, reditque ad proprietarium. Atque hęc communis opinio est amplectenda.

16 Præcipua difficultas est, de vsufructu patris in bonis filii aduentitiis. Couar. *de testam. ca. 2. num. 9.* cum quibusdam aliis, in ea est sententia, licet non admodum firmus, vt dicat, patre emittẽte professionem, finiri vsumfructum & regredi ad filiũ. Bar. *in auth. idem est. C. de bonis quæ liberis*, quem Panor. refert, ac sequitur, *ca. in præsentia, de probationib. n. 59.* & alij, de quorum numero est Syluester *verb. religio. 6. num. 1.* affirmant, dimidium vsusfructus eorum bonorum pertinere ad filium, & dimidium ad monasterium, sicut quando filius à patre emancipatur, quasi in remunerationem beneficij accepti, habet pater dimidiu vsusfructus in bonis aduentitiis filij: vt habetur *l. cum oportet §. cum autem Cod. de bon. quæ liber.* Nauar. vero *c. non dicatis. n. 70.* & *87.* Anton. Gom. & Aries Pinellus, *locis citatis, cum quibusdam glosiis duabus authenticis citatis, & cum multis aliis*, asseuerant, totum vsumfructum eorum bonorum, interim dum pater viuit, pertinere ad monasterium. Et hæc sententia est amplectẽda, vt principiis iuris, & authenticæ ingressi consonantior. Eoque maiorem vim in hoc Lusitaniæ Regno, quam in aliis debet habere, quo expresse *li. 2. Ordinationum tit. 5. §. 1.* constitutum est, vt in rebus definiẽdis stetur glosiis Accursij, quãdo communiter à Doctoribus non reprobantur, neque est ius eiusdem Regni, aut commune, vel consuetudo in contrarium. Est tamen intelligenda, nisi

Idem in vsufructu patris.

A lius per matrimonium egrediatur patriam potestatem: eo, namque ipso in hoc Regno, & in Regno Castellæ vsusfructus totus pertinet ad filium aut filiam, & nõ ad patrem, atque adeo neque ad monasterium loco patris. Præterea intelligenda est, de solis bonis aduentitiis, quæ filius ante professionem patris habebat, secus de iis, quę postea acquisierit. Et enim cum iam sit extra patriam potestatem, vt suo loco dicetur, pertinent fructus eorum ad filium & non ad patrem neque ad monasterium loco patris. Item est intelligenda, dummodo, si monasteriũ, aut pater ea bona non administret, persoluat sumptus ad administrationem necessarios. Vtrum autẽ per professionem filij, aut per hoc quod sacros ordines

B suscipiat, amittat pater vsumfructum in bonis aduentitiis filij, & quędam alia, quę hoc loco circa definitionem vsusfructus dici poterant, commodius examinabuntur *disp. 138, 140. & 232.*

SVMMARIVM.

1 *Emphyteuta, libellarius, feudatarius & superficiarius solum habent dominium vtile.*
2 *Emphyteusis quid.*
3 *Constituitur in perpetuum, vel ad tempus, non minus tamen decennio.*
4 *Quibus modis differt Emphyteuta ab vsufructuario communi.*
5 *Feudi definitio.*
C 6 *Inuestitura feudi quid: eaque duplex est: propria & abusiua, vtriusque effectus.*
7 *Feudum ad solos masculos deuoluitur, nisi in concessione aliud sit expressum.*
8 *Feudi & Emphyteuseos discrimen: Interdum tamẽ feudum à feudo propriissimè sumpto degenerat.*
9 *Feudorum rarus in Hispania vsus, & in Lusitania antiquis Feudorum vsibus non regulantur.*
10 *Libellus, libellarius ve contractus quis.*
11 *Libellus, Feudum, Emphyteusis sæpe confunduntur.*
12 *Superficiarius quis.*
13 *Superficiarius & Emphyteuta in quo differant.*
14 *An Domino proprietatis cedant ædificia, arbores & casale nobiles, quas superficiarius vel Emphyteuta solo*
D *inseuit aut affixit.*
15 *Quid in vinea & olueto.*

DE EMPHYTEVSI, FEVDO, LIBELLO, SUPERFICIARIOQUE CONTRACTV.

DISPVTATIO 10.

QVoniam emphyteuta, libellarius, feudatarius & superficiarius solum habent dominium vtile in re aliena, vereque sunt vsufructuarij, tametsi ab ordinario vsufructuario, de quo disputationib. præcedentib. dictum est, in multis differant, aliquid hoc loco de his dicendũ est, quantum satis sit vt termini intelligantur, quo dilucidius in sequentibus procedamus. Exacta vero disputatio de emphyteusi, tam seculari, quam ecclesiastica, commodius tradetur inferius, dum dẽ hoc cõtractu inter alios fuerit sermõ.

Emphyteusis est contractus, quo res aliqua immobilis alicui fruenda traditur sub aliqua pensione, domino proprietatis ea de causa reddenda. Traditur vero interdum in perpetuum, interdum ad aliquot vitas, & interdum ad tempus certũ, quod non minus sit, quam decennium. Si enim decenniũ non attingat, non censetur translatum dominium vtile, atque adeo nec est emphyteusis, sed cõtractus locationis, vt habetur *4. lib. Lusit. Ordinationum titul. 60. §. 2. titulo 64, in princip. & affirmant Syluest. verb. Emphyteusis in principio, & plerique alij.* Contractus hic Lusitanè appellatur aforamento, dicitur et-

1

2 *Emphyteusis quid.*

3

Emphyteusis quid.

iam prozo, appellatur quoq; fateosi, quando est per petuum. Is cui res in emphyteusim traditur, emphyteuta dicitur: aliquando etiam appellatur emphyteuticarius. Lusitane vero nuncupatur foreiro. Is, qui in emphyteusim tradit, quiq; in eo illi iure succedit, appellari consuevit proprietarius (Lusitane dicitur, ô senhorio) reliqua ipsa dicitur emphyteutica (Lusitanè foreira) respectu talis, vel talis personę, Ecclesiæ vel monasterij, cuius est directum dominium.

Quod emphyteuta vsufructuarius sit, ex se est manifestum, colligiturque *ex §. adeo Institutis de locatione*, vbi habetur, emphyteusi prædia fruenda tradi, id, inter alios, affirmat etiam Conrad. *de contractibus quæstio. 12. argumento 2. post secundam conclusionem.* Differt tamen in multis à communi vsufructuario.

4 Emphyteuta à communi fructuario in quibus differat.

Communis namque vsufructuarius vendere non potest ius suum, neque illud in alterum transferre. Emphyteuta autem & donare & vendere (seruatis tamen aliquibus conditionibus, de quibus suo loco erit sermo) aliisque modis illud ita in alium transferre potest, vt is, in quem transfertur, eiusdē rationis ius habeat. Item morte communis vsufructuarij finitur vsusfructus, vt disputatione præcedente ostensum est: morte verò emphyteutę nō finitur emphyteusis, nisi in vitam illius concessa sit. Præterea vsusfructus communis constitui potest etiam in rebus mobilibus: emphyteusis vero solum in immobilibus.

5 Feudum quid.

Feudum est concessio rei alicuius immobilis aut quę pro immobili habeatur, quoad dominium vtile, pro fidelitate, seruitioque personali exhibendo, retenta proprietate. Siue id, quod conceditur sit castrum, ciuitas, oppidum, aut regnum, siue aliquid aliud, Is, cui cōceditur, dicitur, tum feudatarius, tum etiam vasallus. Is verò, qui concedit appellatur infeudator, dominus, & proprietarius. Vt quidam volunt, feudum dictum est à fidelitate, quam feudatarius domino seruare debet, aut à fidele.

Feudatarius quis.

6 Inuestitura feudi quid.

Porro in feudo interuenit inuestitura: quæ duplex est. Quædam propria, realis & corporalis, nempe, quando dominus eum, cui feudum concedit, inducit in corporalem possessionem eius rei, quam illi in feudum concedit. Eoq; ipso vasallus consequitur ius in re, vtileque dominiū illius. Alia inuestitura est, quæ appellatur abusiua, nempe, quādo dominus eum, cui feudum concedit, inuestit per traditionem annuli, ensis, pilei, aut alterius rei. Per hanc inuestituram nō censetur comparata possessio, nec ius in re, vtileque dominium, sed solum censetur facta facultas, vt propria autoritate accipiat possessionem rei in feudum illi cōcessæ, qua possessione subsecuta comparatus in re, vtileque illius dominium, & non antea. Ita Iulius Clarus *à. libr. sent. §. feudum q. 26.* & communis sententia quam refert.

7 Feudum ad solos descendentes masculos, non verò ad fœminas censetur deuenire, nisi in concessione fuerit aliud expressum.

8 Feudi, & Emphyteusis discrimen.

Feudum proprijssimum est, quod definiuimus. Differt vero ab emphyteusi præter alia, quod in emphyteusi in recognitionem dominij directi soluitur aliquid reale, vel in pecunia, vel in aliqua alia re: in feudo vero solum in recognitionem dominij directi soluitur personale obsequium, vel in bello, vel quoduis aliud, prout fuerit constitutum. Interdum verò feudum degenerat in aliquibus à proprijssimo feudo à nobis definito. Nempe, quia imponitur onus aliquod reale, vt pensio annua auium, equorum, pecuniæ, aut alterius rei: vel quia, cum gratis res in fundum concedi soleat, conceditur accepto prętio: vel quia non solum conceditur dominium vtile, sed etiam directum: vel quia feudatarius liberatur ab obsequio personali, variisque aliis modis. Adhuc tamen cēsetur feudum, & in iis, quæ retinēt feuda, iudicandum est de illis iuxta iura feudorum,

A De his & de variis speciebus feudorum, multisque aliis, quæ ad hanc rem spectāt, si placet, lege inter alios, Iulium Clarum *§. citato*, & Aluarum Valascum *de iure emphyteutico part. 1. à quæst. 38.*

Cæterum feudorum, cum in aliis locis frequens sit vsus, in Hispaniis est admodum rarus. In Lusitania autem *libr. 2. Ordinationum titulo 17. §. 2.* de bonis coronæ, aliquibus quasi in feudi modum concessis, sancitum est, ne omnino antiquis feudorum vsibus regulentur.

9

10 Libellus quid.

Libellus, libellariusve contractus, vt Iulius Clarus *4. libr. sent. §. emphyteusis quæst. 1.* Aluarus Valascus *de iure emphyteutico p. 1. quæst. 35.* & alii, quos referunt affirmant, est contractus, quo emphyteuta aut vasallus, p pensione sibi soluenda concedit alteri rem, quam ipse ab alio habet in emphyteusim, aut feudum. Ita colligitur *ex cap. 1 §. si quis vero, de prohibita feudi alienatione per Lotharium.* Quo fit vt libellus nō aliud sit, quam emphyteusis, aut feudum alteri emphyteusi aut feudo subalternarum. Lusitanè appellatur, prazo de prazo, aut feudo de feudo. Is ergo, qui à domino directo accipit emphyteusim, aut feudum, dicitur emphyteuta, aut feudatarius: is verò, qui ab emphyteuta, aut feudatario accipit eandem rem pro pensione, appellatur peculiarinomine libellarius. Admonent doctores citati, vocabula iam hodie sæpe confundi, libellumq; appellari emphyteusim, & emphyteusim libellum: idemque est de vocabulis feudum, & libellus. Illud etiam notādum est, aliter accipi libellum à glossa *in authentica ingressi Cod. de sacrosanctis Ecclesijs*, & aliter ab aliis autoribus. Verum id, quod explicauimus, iuri, doctoribusque magis consonum est.

11 Libellarius quis.

12 Superficiarius quis.

Superficiarius is dicitur, qui in alieno solo habet, non quidem solum ipsum, sed superficiem duntaxat, aream ve ad domum construendam, oliuetum plantandum, aut quoduis aliud. Potest vero concedi superficies multis modis, vt donatione, gratisve absq; prętio, aut pensione, vel pro prętio. Quod si prętium semel tantūm soluatur, superficiesq; concedatur in perpetuum, erit venditio superficiei. Si verò superficies concedatur minus, quam per decennium, erit locatio superficiei, siue prętium soluatur semel sine singulis annis, aut mensibus, vel hebdomadis. Hoc modo in nūdinis locari solet superficies soli alicuius ad casulas cōstruendas, vbi tempore nūdinarum asseruentur ac vendātur merces, venditoresq; à temporum iniurijs protegantur. Interdum cōceditur superficies in perpetuum, aut ad decennium, vel vltra, pro annua pensione: & tūc superficiarius accedit multum ad emphyteutam: tametsi ab eo in aliquibus differat. Atque de hoc solo superficiario est nobis præcipuè hoc loco dicēdum.

13 Superficiarius & emphyteuta in quo differant.

Is itaque, cui nō superficies sola, sed solum ipsum conditur in perpetuum, aut ad decennium, vel vltra ad domum construendā, vineam, vel oliuetum plantandum pro annua pensione, est verus emphyteuta illius soli: comparatq; vtile dominium, nō solum in superficie, sed ēt in solo ipso, eaquē de causa, si domus, vinea aut oliuetum pereant, cōractus nihilominus perseuerat, poteritque reædificare domum, & plantare iterum vineam, aut oliuetum. Is verò cui sola superficies pro annua pensione est concessa ad domum ædificandam, vel aliquid aliud construendum, nec est simpliciter emphyteuta, nec comparat dominium vtile soli sed solius superficiei, destructāque domo aut pereūnte vinea, vel oliueto, cōtinuo finitur cōractus, regrediturq; solum pleno iure ad proprietarium. Est namque regula generalis, quod quando sola superficies cōcessa est ad aliquid in ea cōstruendum, siue superficies vendita fuerit, siue tradita pro annua pensione aut quouis alio modo, eo ipso q̄ id, ad q̄ tradita est destruitur, cēsetur perire superficies, finiturq; pinde cōractus, nec superficiarius pōt amplius aliqd simile in eodē

solo

solo construere, nisi alius celebretur contractus. Ita Bart. *l.2.ff. de superfic.* & multi alij, quos refert & sequitur Alu. Valas. *de iure emphyt. q.33. n.4.* & colligitur aperte *ex l. quoties in fi. ff. de vsufructu. & ex l. inter quos. §. damni. ff. de damn. inf.* Superficiarius in perpetuũ, aut ad decennium, vel longius tempus pro annua aut menstrua pẽsione, ferè in reliquis aliis æqui paratur emphyteutæ soli, vt affirmant Bart. *l.1. §. penult. ff. de superficiebus.* Antonius Gomez. *ad legem 70. Tauri. num.31.* Sylvester *verbo Emphyteusis, quæst.15. ad finem*, & alij. Vnde si vendere velit ius suum, tenetur admonere dominum directum, teneturque ad alia, quæ, dum de emphyteusi erit sermo, subiiciemus. A

Lege 2. ff. de superficiebus, habentur hæc verba. *Superficiarias ædes appellamus, quæ in conducto solo positæ sunt, quarum proprietas & ciuili, & naturali* (id est, gentium) *iure eius est, cuius est solum.* Quicquid verò aliqui 14 dicant, non dubito, quin dominus soli comparet dominium directum, tum ædificiorum, tum etiam arborum, quæ solo suo adhærent, esto expensis superficiarij solo sint affixæ, & vnum quid cum eo effectæ: id quod satis aperte docent verba eius legis, consentiuntque Barto. *ibidem*, & alij, patebitque amplius ex aliis iuribus, quæ in progressu huius operis citabimus. Quare, si finito contractu aliquid eorum solo affixum remanserit, pertinebit vtique ad proprietarium, nec fas erit antiquo superficiario illud extrahere proprietario inuito: sicut nec emphyteutæ idem fas esset: sed id pertinet ad melioramenta in re aliena apposita, quorum æstimationẽ tenetur C soluere proprietarius. Si vero superficiarius casulam mobilem affixisset in alieno solo, illam quidem, quoniam moraliter non reputatur, vnum quid cum solo, auferre posset.

Illud admonuerim *l. citata*, nomine conducti soli, non intelligi proprie conductum: sed concessionem superficiei in perpetuum pro annua pensione, appellari conductionẽ soli, eo loquendi modo, quo antiqua iurá emphyteuticum contractum, locationem appellant, vt suo loco dicemus. Illud addiderim, domum, vineam, aut oliuetum constructum in superficie alieni soli ad id empta, aut donata transire similiter in dominiũ directum eius, cuius est solum. Nec enim id, quod lex illa secunda citata statuit, ex eo vim habet, quod solum esset conductum ad domos in illo ædificandas, sed ex eo quod, quicquid alieno solo adhæret cedit, quoad dominium, D domino soli, vt alibi inferius explicandum est.

SVMMARIVM.

1 *Seruitus qui significatione hoc loco sumatur.*
2 *Seruitutis definitio, eiusque explicatio.*
3 *Seruitus in re Domini confunditur, si prædium seruiens vel dominus adeptus sit nec in venditione retinui scit, nisi exprimatur.*
4 *Ante traditionem vel quasi traditionem seruitutis non oritur ius in re.*
5 *Res quantum est ex se liberas esse à seruitutibus.*
6 *Ius in re & seruitus multum à iure positiuo pendent.*
7 *Seruitus personalis & realis.*
8 *Seruitus personalis regulariter exspirat cum persona, non autem realis: fallit in seruitute personas. numer. 9.*
10 *Seruitutum personalium subdiuisio.*
11 *Seruitus realis diuiditur in vrbanam & rusticam, earumque definitio.*
12 *Vrbanæ seruitutes affirmatiuæ quæ.*
13 *Negatiuæ quæ.*
14 *Rusticafructus quæ dicatur.*
15 *Species aliquot enumerantur.*
16 *Pro vsu & qualitate prædij seruitutes vrbanas rusticas fieri posse, & è conuerso:*
17 *Seruitus continuæ quæ:*
18 *Quasi continua.*
19 *Discontinua.*
20 *Seruitutes variis modis constituuntur.*
21 *Variè finiuntur.*

QVID ET QVOTVPLEX SIT seruitus.

DISPVTATIO II.

QVoniam vsufructui, vsui, & habitationi respondet seruitus ex parte rerum alienarum, in quibus quis vsumfructum, vsum, aut habitationem habet, seruitusque vniuersim quasi ablationes quædã sunt partis integri ac pleni dominii, aliquid etiam de seruitutibus hoc loco, vbi de dominio in genere agimus, dicendum est. Quod etiam in seruier, vt, cognitis terminis, dilucidius in sequentibus prosequamur.

Porrò seruitus hoc loco non in ea significatione sumitur, qua abstractum est serui, qui relatiuè dicitur ad dominum: sed in ea, qua res aliena alteri seruire, subiicive dicitur, vt in ea aliquid incõmodum eius, cui seruire dicitur, fiat, aut non fiat. Quo pacto res proprietarij seruire dicitur vsufructuario, vt ex ea fructus percipiat. Itemque ea domus, quæ seruitutem habet, ne amplius attollatur, ne lucem prospectumve domus vicinæ impediat, seruire dicitur domui, in cuius vtilitatem attolli nequit. Atque de eiusmodi seruitutibus loquuntur iura. *Instit. Cod. & ff. de seruitutib.* Quia ergo seruitutes, de quibus nunc loquimur, solum sunt in rebus alienis comparatione eorum, quibus seruiunt, quorumve sunt seruitutes efficitur, vt ea seruitus, à qua quis seruus relatiuè ad dominium suum dicitur, non sit de numero earum, de quibus modo loquimur, id quod colligitur apertè *ex l. in re communi. ff. de seruitutibus vrbanorum prædiorum. & ex l. vti frui. ff. si vsusfructus petatur*; quibus in iuribus habetur, nemini rem suam seruire, sed alienam. Idemque affirmat Panorm. *cap. Ecclesia, de causa possessionis & proprietatis numer. 48.* tradunt que reliqui vtriusque iuris interpretes: tametsi eorum aliqui interdum appellent eam seruitutem merè personalem: eò quod sit personæ serui ad personam domini.

Ea ergo seruitute prætermissa, quanquam iuris interpretes seruitutem, de qua loquimur, non definiant in genere, sed solũ eam diuidant in sua membra, quorundamque membrorum definitiones aliquas parum aptas tradere conentur, fortè tamen seruitutem in genere possumus in hunc modũ definire. Est habitudo, passiuave obligatio, in re aliena, 2 respondens iuri in eadem re ad aliquid circa illam *Seruitutis definitio.* faciendum, aut impediendum salua illius substantia. Porrò ab huiusmodi habitudine, passiuave obligatione, formaliter dicitur res aliena, quasi habitualiter seruire rei, comparatione cuius habet eam obligationem: seruitusque quasi habitualis, de qua E loquimur, non est aliud, quam habitudo, obligatio-ve illa.

In ea definitione, p genere ponitur: habitudo, seu obligatio: per quam definitionis partem reiiciũtur à ratione seruitutis ea omnia, quæ passiuæ obligationes nõ sunt. Per partem illam, in re aliena, reiiciuntur obligationes in re propria, atque adeo reiicitur seruitus, à qua mancipiũ dicitur seruus domini sui. Vsq; adeò aũt ad rationem seruitutis exigitur, obligationẽ esse in re aliena, vt si quis emat, & acquirat prædium aliquod, quod comparatione alterius rei suæ habebat seruitutem aliq̃, continuo in p̃dio illo desinat esse ea seruitus. Ita habetur expresse. *l.1. ff. quem-*

quemadm. seruit. amitt. & l. si quis. ff. de seru. vrban. prad. Additurque in hoc posteriori iure, siis, qui emit prædium, quod comparatione rei suæ seruitute habebat, rursus illud vendat, nisi exprimat se illud vendere cum seruitute, quam antea habebat, censetur illud vendere liberum ab ea seruitute: eo quod ea seruitus eo ipso defierit, quod ipse comparauit dominium talis prædij. Idem habetur. *l. 27. titu. 31. part. 3. legum Castellæ.* Per partem illam. *respondēs iuri in eadem re.* reijcitur obligatio omnis, quæ nōdum est respondens iuri constituto iam in re ipsa, quæ deuincta sit & obligata. Vnde quia, *vt disputatione 2.* ostēdimus, ius in re regulariter non habetur ante traditionem, esto quis emat vsumfructum, aut aliquā aliam seruitutem in re aliena, si tamen nondum sit ei facta traditio, aut quasi traditio illius, nondum est seruitus illa, quam emit: eo quod quemadmodum ille nondum habet ius in re, sed ad rem, ita nondum est obligatio in re illa, quæ respondeat iuri in re. Quo fit, vt tunc solum sit obligatio personalis ex parte eius, qui seruitutem illam vendidit, ad eam constituendam, traditionem, aut quasi traditionē ipsius efficiendo: & tamen seruitus nondum sit. Per particulam illam, *ad aliquid circa illam efficiendum*, reijcitur obligatio omnis in re aliena, quæ non est ad aliquid in ea efficiendum, sed vt aliquid ex ea soluatur vt obligatio, quę oritur ex censuali contractu super bono immobili collocato, vt quotannis tantum vel tantū soluatur: esto. n. sit facta traditio, cōparatumque ius in re, obligatio tñ illa non est seruitus: quia non est, vt is, cui res illa ita est obligata, aliquid in ea efficiat, sed vt ex ea soluatur ei pēsio. Additur in definitione, *aut ad aliquid impediendū*: quoniam nō omnis seruitus est, vt aliquid in re aliena fiat, sed quædam sunt, ne aliquid fiat, vt ex parte dictū est, patebitq; amplius ex sequentib. Denique per partem illam, salua rei substantia, reijciuntur pignus, & hypotheca. Licet. n. obligationes pignoris, & hypothecæ sint in re aliena, iuriq; in eadem re respondeant, solum tamen sunt, vt res distrahi ac vēdi possit, vt debitum soluatur, quando aliunde non fuerit vnde soluatur, ac proinde nec propriè est obligatio vt aliquid fiat aut impediatur in re aliena, neque est vt fiat salua illius substantia, atque adeo seruitus non est.

Seruitus iua realo.

4

5 Duo quędam hoc loco admonuerim. Primum est. Res, quantum est ex se, liberas esse à seruitutibus, & ideo seruitutem esse obligationem superuenientem supra id, quod res alias ex se habebat. Quousq; autem in prædiis, tam vrbanis, quam rusticis, hoc vel illud ex natura rei, aut ex dispositione iuris positiui, vel communis, vel huius Regni, aut Regni Castellæ liceat aut non liceat, vide. *ff. de operis noui nunciatione. de damno infecto, de aqua pluuia. arcenda, nequid in loco sacro fiat, de locis & itineribus publicis, ne quid in loco publico vel itinere fiat, & duob. titulis sequentibus. de fluminib. & tribus titulis sequentibus. Cod. de ædificiis priuatis, & duobus titulis sequentibus, tertia parte legum Castellæ titulo vltimo, & lib. 1. Ordinationum huius Lusitaniæ Regni titulo 49. à §. 24.*

6 Secundum est, ius aliquod esse, aut non esse ius in re, atque adeo resultare, aut non resultare ex illo seruitutem, pendere multum ex dispositione iuris positiui. Vnde ex sola dispositione iuris positiui est, quòd vsus, vsusfructus & habitatio sint iura in re, atq; adeò obligationes, quæ illis in rebus alienis respondent, sint seruitutes. sicut etiam ex sola iuris dispositione prouenit, vt ius, quod is, qui domum minus, quam ad decennium, cōduxit, ex eo contractu habet, non sit ius in re, ac proinde quod in domo nō resultet seruitus, esto sit facta traditio domus ad habitandum, isque, qui illam conduxit, eam habitet. Hinc intelliges seruitutes esse de iure positiuo, & licet seruitus indistinctè, præsertim si tam ample vocabulum vsurpetur, vt eam etiam comprehendat, à qua mancipium, seruus domini sui dicitur, sit de iure gentium, *vt institut. de vsu & habita. §. vltimo innuitur*; sane multæ in specie solum sunt de iure ciuili. Quare Bartol. *ad l. ex hoc iure. ff. de institut. & iure. num. 21.* non tantopere *ex §. illo. institut. citato* debuit commoueri, vt cum prius asseruerit seruitutes videri de iure ciuili, tandem in eam partem inclinauerit, quæ esse de iure gentium affirmat.

Ius in re, & seruitus multum à iure positiuo pendent

Iam vero seruitus, vt habetur *l. 1. ff. de iure seruitutis*, diuiditur primo, in personalem, & realem. Quæ distinctio non sumitur ex parte obligationis, quasi vna sit realis respondens iuri in re, atque adeo in quemcunque res. quæ seruit, pertranseat, transeat cum illo onere & obligatione, interim dum ex alio capite seruitus non est finita, sed distinctio sumitur ex parte eius, cui immediate debetur seruitus. Si nāque seruitus immediatè debeatur personę, vt cernitur in vsufructu, vsu & habitatione, appellatur seruitus personalis. Si vero debeatur immediatè rei, quæ non est in persona, vt alteri prædio, & ratione prædij cuicunque personæ, ad quam prædium pro tempore spectauerit, appellatur seruitus realis, vt constat apertè ex l. prima citata.

7 *Seruitus alia personalis, aliarealis.*

Personalis q ia.

Realis quæ.

Hinc est, quod seruitus personalis regulariter expiret cum persona, cui debetur, si iam antea ex alio capite non expirauit. vt de vsufructu, vsu & habitatione ostendimus *disputatione 5. & 9.* Realis vero seruitus non expiret cum domino prædij, cui seruitus debetur, sed debita sit omnibus, ad quos prædium illud transierit. Dixi, seruitutem personalem regulariter expirare cum persona, cui debetur: quoniam quemadmodum emphyteuta, feudatarius, libellarius, & superficiarius, veri sunt vsufructuarij, in multis tamen differentes à communi vsufructuario, vt disputatione 10. ostendimus. sic quoque obligatio realis quæ in re aliena iuri eorum respondet, vera est seruitus ab ea commun. seruitute, quæ vsufructui respondet, differens in multis: ea autem seruitus morte illorum non finitur, quin potius transit ad hęredes, quousque contractus omnino finiatur.

8

9

Seruitutem personalem subdiuidunt aliqui, in seruitutem merè personalem, qualis est ill, aquæ residet in persona aliqua comparatione alterius personæ, & mixtam, qualis ea est, quæ residet in re, quæ non est persona, cōparatione personæ. Prioris membri tradunt exemplum in seruitute, à qua mancipium seruus dicitur domini sui. Eaque ratione cum Bart. *in Rubric. C. de vsufructu*, connumerant quatuor species seruituris personalis: tres quę respondent vsufructui, vsui, & habitationi: & quartā hanc, quam paulo ante ostendemus non esse de numero seruitutum, de quibus hoc loco sermo est: quare solum sunt tres alię species seruitutis personalis. Possumus nihilominus tradere exemplum cum Fabro & Iasone, quos refert & sequitur Antonius Gom. *2. tomo variar. resolut. cap. 15. nu. 1.* in ea seruitute, quę in mancipio resultat comparatione eius, qui illius habet vsumfructum, aut vsum: est enim personę comparatione personæ: eæ verò, quæ sunt in rebus, quæ non sunt personæ, comparatione eorum, qui illarum habent vsumfructum, vsum, aut habitationem, appellari poterunt personales seruitutes mixtæ.

10 *Personalis quotuplex Realis, alia vrbana, alia rustica. Vrbana quæ.*

Realis seruitus diuiditur, in vrbanā, & rusticam. Vrbana seruitus est, quæ vrbano prædio debetur, siue à rustico siue ab vrbano prædio debeatur. Vrbanum prædium dicitur ædificium omne habitandi gratia confectum, siue in vrbe, siue in villa, aut ubi constructum sit, horti etiam gratia domorū ac recreationis confecti domibusque coniuncti, inter vrbana prædia computantur, vt vtrumque patet. *l. vrbana prædia. ff. de verb. sign.*

11

Vrbana seruitus subdiuiditur, in affirmatiuam, & negatiuam. Affirmatiuæ sunt, quę sequuntur. Stillicidium admittendi, alienæ videlicet domus supra

12 *Vrbana quot & domum*

quæ affirmatiuæ.

domum, aut aream propriam. Idem dic de flumine seu canali alienæ domus. Itineris, seu aditus per alienum prædiũ in domum propriam. Oneris ferendi, alienæ scilicet domus supra proprium parietem, aut columnam. Tignum mittendi, id est, seruitus quę resultat ex iure mittendi tignum aut trabẽ propriæ domus in domum, aut parietem alienũ. Protendendi, id est, seruitus quæ resultat ex iure protẽdendi domum propriam per domum aut solum alienum. Proiiciendi, hoc est, seruitus resultans ex iure immittendi aquam, fimum, &c. in solum aut locum alienum. Prospectus, seu luminum est seruitus præstandę lucis per feneſtram, aut foramen domus, aut parietis alieni, quæ in domũ propriam derigetur, siue cœlum videatur, siue non. Ita habetur, *l. luminum, & l. lumen. ff. de seruitutib. vrbanorum prædiorum.* Altius tollẽdi, est seruitus, qua quis tenetur domum aut parietem eleuare, eleuatumq; conseruare propter vtilitatem alteri domui inde prouenientem, ne videlicet videantur, quæ in ea fiunt, ex eminentiori aliquo loco, aut vt ventus, vel aliquid simile arceatur, aut ob quamuis aliam vtilitatem.

13 *Negatiuæ quæ.*

Negatiuæ vrbanæ seruitutes in negatione sunt positiuæ. Sunt verò, quæ sequuntur. Altius non tollendi, ædificium videlicet aut parietem inuito domino alterius ædificij. In hac autem seruitute non continetur, quod in eodem loco non plantentur arbores, esto in altitudinem quamcunque se attollant, vt habetur *l. quod autem, & l. ædificia ff. de seruitutibus vrbanorum prædiorum.* Item seruitus ne luminibus officiatur, ædificando nempe aliquid, aut plantando arbores, quibus vel aspectus cęli impediatur, vel lumen, aut radius solis conueniens ac vtilis alicui domui, aut solario. Ita habetur *l. inter seruitutes, & duabus sequentibus ff. de seruitut. vrbanorum prædiorum.* Item seruitus ne prospectus officiatur, quæ in eo est posita, ne quid ædificetur, aut fiat, quod gratiorem prospectum ex aliena domo, aut vrbano prædio impediat, vt constat *ex l. inter seruitutes citata.* Itẽ seruitus, stillicidium aut flumen seu canalem propriæ domus non auertendi propter aliquam vtilitatem alterius domus, aut vrbani prædij.

14 *Rustica seruitus quæ.*

Rustica seruitus dicitur, quæ rustico prædio debetur. Dicuntur vero prędia rustica omnia, quę vrbana non sunt. Inter rustica computantur stabula, quæ ab ædificiis gratia habitandi constructis seiuncta sunt, vt habetur *leg. eo iure. §. 2. ff. in quib. caus. pig. vel hypotheca.*

15 *Rusticæ quot.*

Rusticæ seruitutes sunt quę sequuntur. Iter, id est, seruitus, quæ consequitur ius transitus hominis per vnum prædium in aliud rusticum. Item actus, id est, seruitus, quæ consequitur ius, non solum transitus hominis, sed & agendi iumentum vel vehiculum. Item via, id est, seruitus quæ consequitur, non solũ prędicta iura, sed etiam ius ferendi trabes & lapides per prædium alienum: quo fit, vt secunda seruitus includat primam, & tertia includat secũdam & primam. Hæc omnia constant *Institut. de seruitutibus, & l. 1. & 2. & l. qui sella ff. de seruitutibus rusticorum prædiorum.* Item aquæductus, id est, seruitus quę consequitur ius ducendi aquam per prædium alienum. Item seruitus, quæ consequitur ius pascẽdi pecora vnius prædij in alio prædio. Item ea, quæ dicitur pecorum appulsus, & est, quæ consequitur ius appellendi ad aquam pecora vnius prædij per prędium alienum. Item aquæ haustus, id est, quæ consequitur ius hauriendi aquam de fonte aut puteo alieno. Item seruitus coquendi calcem in prædio alieno. Item seruitus arenam fodiendi in prædio alieno. Hæc constant *Instit. de seruitutibus, & ff. de seruit. rustic. prædiorum.*

6 Commemorauimus seruitutes omnes, quæ à iurisperitis commemorari solent, quarumq; fit mentio in iure. Illud admonuerim, inter vrbanas seruitutes annumeratas esse, quæ frequentius solent esse vrbanæ: & inter rusticas, quæ solent esse rusticæ. Id verò non tollit, quin pro qualitate prædij, cui prædium aliud seruit, quædam ex computatis cum vrbanis, aliquando possint esse rusticæ, & quædam ex computatis cum rusticis, esse possint vrbanæ. Vt seruitus non attollendi domũ, ne impediatur ventus in area ad purgãda grana deputata, erit seruitus rustica. Et seruitus hauriendi aquam ex puteo alieno ad domesticam tantum necessitatem, erit seruitus vrbana. Nec absurdum vllum reputo plures esse seruitutes, quam quæ numeratæ sunt.

Rursus seruitus in commune diuiditur, in continuam, quasi continuam, & discontinuam. Quæ diuisio inferuit multum ad doctrinam de præscriptione, vt suo loco videbimus. Seruitus cõtinua est, cuius actus seu vsus, quantum est ex se perpetuo & cõtinue durat: vt seruitus aquęductus, tigni suscipiendi, oneris ferendi, & similes. Seruitus quasi continua est, cuius actus, quia à naturalibus causis pendet non semper est, attamen potentia & in præparatione, si scilicet naturales causæ concurrerent, semper est: vt stillicidium admittendi, aut auertendi. Discõtinua est, cuius vsus non semper est, vt sunt ille, quarum vsus in hominum actione est positus, ab eaque pendet: vt iter, actus, via, aquæhaustus, fossio arenę, & similes.

17 *Seruitus diuiditur in continuam, quasi continuam & discontinuam. Continua quæ. Quasi continua quæ. Discontinua quæ.*

Seruitutes variis modis constituuntur. Primò, lege, vt ex illa est manifestum, quæ vsufructui legali, de quo *disputatione 8.* dictum est, respondet. De earum numero est, quæ *l vltim. §. vltimo Cod. de seruitutibus* sancitur, nempe, vt iuxta aream, in qua grana purgantur, nemini liceat domum aut quippiam aliud ita attollere, vt ventus impediatur, areaque ad id muneris inutilis reddatur. De earũdem numero etiam est ea, quæ in Ordinationibus huius Regni *titulo citato* statuitur. Videlicet, vt nemini liceat aperire feneſtram è regione feneſtræ vicini sui, vnde videri possint, quæ in aliena domo fieri possint: eo namque ipso, quod vnus habet feneſtram in domo sua, est seruitus legalis in hoc regno in pariete domus vicini, quæ est è regione, vt aperiri non possit feneſtra è regione. Similes sunt aliæ, tam de iure cõmuni, quam de iure particulari diuersorum Regnorum. Quamuis, vt verum fatear, excepta seruitute, quæ respondet vsufructui legali, cæteræ, quæ inter legales numeratæ sunt, non videatur proprie seruitutes: eò quod non respõdeant iuri in re, quod quis in re aliena habeat, sed solum sit ius quoddam ad prohibendum aliqua ex iuris dispositione. Quia tamen seruitutibus sunt affinia. *Cod. de seruitutib. l. vlt.* mentio fit de prohibitione illa, ne iuxta areas, in quibus grana purgantur, aliquid erigatur, quod ventũ impediat. Deinde constituuntur seruitutes vltimis voluntatibus. In iis enim, de quibus poteſt quis libere testari, constituere poterit ex testamento, quas seruitutes voluerit. Item constituuntur, donatione, pactionibus, & præscriptione. Vt habetur *Instit. de seruit. §. vltimo.*

Seruitutes variè constituuntur.

Finiuntur seruitutes, finito tempore pro quo lege, pacto, donatione, aut vltima voluntate fuerant constitutæ. Item remissione seruitutis. Item si quis comparet dominium prædij, quod sibi tantum, aut alteri suo prædio seruiebat, vt supra dictũ est. & etiam præscriptione, de qua re suo loco dicẽdum est.

Variè finiuntur.

SVMMARIVM.

1 *Possessio bifariam sumitur.*
2 *Possessio vnde dicta.*
3 *Possessionis definitio.*
4 *Definitionis sensus & explicatio.*
5 *Possessio & Tentio differunt.*
6 *Possessio naturalis & ciuilis quid.*
7 *Ad comparandam possessionem ciuilem, necesse est, vt simul*

vt simul concurrat naturalis, ea tamen comparata sine naturali perseuerat: Fallit num. 8.

9 *Eo tempore quo quis possidet solum naturaliter, & alius solum ciuiliter, is simpliciter possidere censendus est, qui ciuiliter possidet.*

10 *Ad possessionem naturalem necesse semper esse, habere adiunctum animum possidendi.*

11 *Possessio ciuilis & naturalis sint duæ possessiones.*

12 *Possidemus per alium.*

13 *Vt per alium possessionem comparemus necesse est, vt in eo sit animus eam nobis comparandi, licet non o sit, etsi id ignoremus.*

14 *Qui eius conditionis est, vt quod acquirit nobis non sibi acquirat, etsi animum sibi acquirendi habeat, nobis tamen acquirit.*

15 *Possidemus per nos ipsos ciuiliter, & per alium naturaliter.*

16 *Vsufructuarius, Emphiteuta, Feudatarius, an dicantur possidere.*

17 *Possessiones omnes, tam ciuiles quam naturales, comparari aliquo actu apprehensionis vero vel ficto.*

18 *Possessio ciuilissima, quæ inter quorundam regnorum absque actu vero vel ficto comparatur.*

19 *Explicatur particula dicta definitionis: Iurisque adminiculo. Item quomodo latro & fur verè possidere dicantur, non autem laicus locum sacrum, &c.*

QVID, QVOTVPLEX SIT Possessio.

DISPVTATIO 12.

CONsequenter dicendum est de possessione: tum quòd sit quasi vltima perfectio, complementumque perfecti dominij: tum etiam quod illius cognitio ad præscriptionis negotium, & ad pleraq; alia intelligenda, valde necessaria sit.

1 Possessio igitur duobus modis sumitur. Vno, pro obiecto, seu re possessa: quo pacto prædia quæ possidemus, & quorum sumus domini, aliquando iure ciuili & canonico possessiones appellãtur, vt cõstat *ex l. interdum. ff. de verborum significat.* Altero, formaliter, pro forma videlicet, seu re, à qua aliquis formaliter dicitur possessor, & res aliqua dicitur possessa. Atque de possessione hoc secundo modo est nobis hoc loco sermo.

2 *Possessio vnde dicta* Vt Paulus Iurisconsultus *l. 1. in princip. ff. de acquirenda possessione* ait, *Possessio dicta est à pedib. quasi* (vt ex Labeone refert) *pedum positio*: eo quod potissimus actus, quo possessio rerum immobilium, quæ præcipuæ sunt, comparatur, sit pedum in eis positio, vt colligitur *ex l. 3. in principio. ff. eodem titulo.* Esto præcipuus actus, quo possessio rerum mobilium acquiri consueuit, sit apprehensio earum manu, vt colligitur *ex l. 1. §. 1. ff. eodem titulo.* A nomine ergo instrumenti, quo possessio rerum immobilium, quæ inter ea, quæ possidemus, maioris sunt pretij, comparari consueuit, desumptum est nomen possessionis in genere. Alij, quos Couar. *in rubric. de testament. p. 1. num. 2.* refert, voluerunt dici à sedium positione. Conradus *de Contractibus, quæst. 4. conclus. 3.* Sylvest. *verbo possessio*, & quidam alij affirmant, dici à pedum sessione.

Cæterum iurisperiti difficillimum semper iudicarunt definire, quid sit possessio, adeo vt Glossa. *leg. stipulatio. § hæc quoque. ff. de verborum oblig.* prorumperit in hęc verba. *Possessionem periti simi sui non sunt definire.* Rationem huius rei eam esse arbitror, quòd ex statutis, hominumque beneplacito pendeat, quis possidere, aut non possidere sit censendus, eaque ratione possessio, tanquam quippiam inconstans, minimeque certam ac inuariatam habens na-

A turam, difficile possit diffiniri: quare mirandum non est, si nulla ex definitionibus hactenus excogitatis, plenè satisfaciat.

Prætermissis verò aliis definitionibus, duæ sunt quæ plus probabilitatis habere videntur, magisque conducunt ad naturam possessionis intelligẽdam. Vna, quam expendemus disputatione vltima ex iis quas de possessione conficiemus. Altera, quam examinabimus hoc loco, & quam in sensu causali tradunt. *Hostiensis in summa & Azo. Codic. de acquiren. possessione, amplectunturque Couar. loco citato, & Sylu. verbo dominium numero 3. & verb. possessio.* Videlicet, 3 *Possessionis definitio.*

Possessio est rei corporalis detentio, corporis & animi, iurisque adminiculo. Eandem definitionem

B paulo explicatius possumus ferè *cum Couar. ad regul. possessor. p. 2. in initio. num. 1.* conficere in hunc modũ. *Est apprehensio rei corporalis, vera vel ficta, corpore & animo, iurisque adminiculo.* Porrò hęc definitio non tam explicat, quid possessio in se sit, quã modũ quo comparetur, eaq; quæ ad illius acquisitionem necessaria sint: quare sensus definitionis est. Est apprehensio rei corporalis vera vel ficta, id est, est quippiam resultans ex apprehẽsione vera vel ficta rei corporalis. Tunc autem res corporea dicitur verè apprehẽdi, quando accipitur manibus, si sit res corporea, aut pedibus intratur, si sit immobilis: hi namq; sunt naturales, præcipuique actus, quibus possessio comparetur, vt paulo antea explicatum est. Tunc verò dicitur fictè apprehendi, quando interuenit aliquis

C alius actus, qui ex iuris dispositione, etiam sufficiens sit ad possessionem comparandam: eo enim actu, iurisfictione, censetur res apprehensa. Qui autem sint hi actus exponemus disputatione sequenti.

In definitionibus Hostiensis & Azonis nomine detentionis, intelligitur omnis apprehensio vera vel ficta, quæ ex dispositione iuris sufficiens sit ad possessionem comparandam.

Dicitur in diffinitione, rei corporalis: quoniam 4
rerum incorporearum, vt iurium, & seruitutum, non est propriè possessio, sed quasi possessio, iuxta ea quæ *d. §. 1. & 3.* dicta sunt: eò quòd non per se, sed per aliquid reale & corporeum apprehendãtur. Vnde *Instit. de interd. circa principio, & cap. cum Ecclesia, de causa possess. & proprietatis, iunctis glossis vtroque in verbo, quasi possessionem*, solum dicitur esse

D quasi possessio iurium ac rerum incorporearum. Frequenter tamen harum etiam rerum dicitur esse possessio, vt beneficij, comendæ, vsusfructus, &cæt. Quare si ad harum etiam rerum possessionem accommodare voluerimus definitionem traditam, expungenda ab ea erit particula illa, corporalis, vt Couar. *ad regul. possessor loco cit. ato* eam expungit, dicendumque erit, est apprehensio alicuius rei vera vel ficta, &c.

Additur in definitione, corpore & animo: quoniam vt habetur *l. 3. in princip. & § in amittenda, & l. quemadmodum. ff. de acquirenda possess.* vtrumque requiritur, vt possessio resultet, apprehensio videlicet corporalis, & animus ea apprehensione possidendi hoc est, habẽdi talem rem vt suam. Non sufficit verò ad id solus animus, quia naturalis actus, quo, &

E ante rerum diuisionem comparãda foret possessio, & post earum diuisionem comparatur vna cum dominio earum rerum, quæ antea nullius erant, est earum apprehensio corporalis: eo enim actu comparatur dominium, & possessio ferarum, piscium, fluuiorum & maris, gemmarum, & thesaurorum, quæ antea nullius erant, vt habetur *leg. 1. §. 1. ff. de acquirend. possess. & instit. de rerum diuisione. §. feræ. & sequentib.* Neque enim sufficit animus habendi vt meam eam feram, quam video, vt dicat habere dominium, aut possessionem illius: si enim alius prius corpore eam apprehẽdat, ille est, qui dominium, & possessionẽ illius assequitur. Idem cernitur in thesauro, & in quacunq; alia re, quæ domino caret, nec

lege

lege est alicui concessa. Quia ergo hic actus naturalis est ad possessionem comparandam, is sane iure ciuili, vel aliquid aliud, quod locum illius subiret, constituendus fuit ad possessionem acquirendam. Non sufficit etiam sola corporalis apprehensio, vt possessio resultet, nisi adsit etiam animus ea apprehensione possidendi, habendive rem apprehensam vt suam: quoniam cum apprehensio multis aliis de causis fieri possit, sæpeque re ipsa fiat, necesse fuit, vt per animum ea possidendi determinaretur & contraheretur ad integram & perfectam causam, vnde possessio resultaret.

5 *Possessio & tenutio differunt.*

Apprehensio ergo & insistentia in re corporea, si aliquo alio animo fiat, quam habendi eam vt suam, non efficit possessionem, sed tentionem, quæ pro varietate animi, quo res apprehenditur & tenetur, & tituli aut contractus præcedentis, sortitur varias naturas & appellationes. Vt colonus dicitur tenere rem conductam, commodatarius rem commodatam, depositarius rem in depositum, & qui aliquid accipit in pignus, dicitur tenere rem in pignus. & ita de cæteris: nullus tamen horum dicitur eas res possidere, sed legitimus earum possessor est is, qui illas, vt suas, ita tenendas eis tradidit, tametsi per eos possidere eas dicatur naturaliter, vt statim explicabimus.

6 *Possessio naturalis & ciuilis quid.*

Quandiu aliquis corpore simul & animo possidet, dicitur in iure possidere naturaliter & ciuiliter. Naturaliter quidem, quatenus actu corporeo, quo possessio acquiritur, insistit in re. Ciuiliter vero, quatenus animo actuali, aut quasi habituali, etiam dormiens & nihil de possessione cogitans, insistit in possessione rei. Et licet, ad comparandam possessionem ciuilem, necesse sit simul concurrat naturalis possessio: perseuerare tamen potest sola ciuilis possessio sine naturali. Vt quando quis discedens corpore à re, quã possidet, animo in eam insistit, quousque vel propria voluntate, à possessione desistat, nolens amplius rem possidere, vel iuxta iuris dispositionem, deiectus à possessione, eamque amisisse cẽseatur. Huiusmodi vero ciuilis possessio, quæ in dormitione, absente & nihil de re, quam possidet, cogitante perseuerat, est de qua potissimum ratio habetur in iure, & quæ præscriptionem inducit. Imo est à qua dicitur simpliciter quis possidere. Vt enim habetur. *l. Illam possidere. §. qui ad nundinas. ff. de acquirend. poss.* & aliis iuribus, si is, qui rem aliquam immobilem possidebat, ab ea discedat, vt quia ad nundinas proficiscebatur, interimque alius animo possidendi eam occupet, sane is, qui ita discesserit, amittit discessu suo possessionem naturalem, quam alius per ingressum in eam vacuam animo illam possidendi comparauit: possessio tamen ciuilis remanet apud eum, qui discesserit, quousque reuertens in possessionem naturalem non admittatur, vel suspicans se nõ admittendum, nec præualiturum aduersus eum, qui naturaliter eam possidet ab illa aggredienda & occupanda desistit: eo enim ipso, quod, vel aggrediens possessionem naturalem, in eam non admittatur, vel ab ea aggredienda, putans se nec admittendum, nec præualiturum, desistat, censetur deiectus à possessione ciuili, isque, qui antea solum possidebat naturaliter, incipit possidere etiam ciuiliter, tametsi iniuste & vi, *vt §. citato habetur*. In illo ergo medio tẽpore, quo vnus possidebat, solũ naturaliter, & alius possidebat solũ ciuiliter, is simpliciter cẽsendus erat possidere, qui ciuiliter possidebat: is vero, qui naturaliter tantum possidebat: non erat dicendus possidere simpliciter, sed cum hoc addito diminuente, naturaliter, præsertim cum posset iniuste. Obserua tamen, ad possessionem naturalem necessarium semper esse, habere adiunctum animũ possidendi, habendive rem vt suam, siue iuste siue iniuste, & siue is animus possessionem efficiat ciuilem, siue nõ. Quare si quis, in absentia alterius, occupasset rem vacuam possessore naturali, nõ quidem

7 *Ciuilis comparata perseuerat sine naturali, & est potissima possessio.*

8

9

10

A animo illam possidẽdi, sed eam habitandi aut ea vtendi, non diceretur possidere illam naturaliter, sed solum tenere rem illam aliquo alio fine.

Disputant iurisperiti, an possessio ciuilis & naturalis sint duæ possessiones, an potius vna tantum. 11
Couar. *ad regulã possessor p. 2. in princip. num. 4. & 5* propendet in eam partem, vt credat esse vnam, qualitate duntaxat differentem. Antonius vero Gom. *ad l. 45. Tauri a numero 19.* cum communiori iurisperitorum sententia contendit, esse duas, subiecto ab inuicem separabiles, vt ex proxime dictis est manifestum. Atque hæc sententia magis placet: modo addatur efficere vnam totã ex vtraq; conflatam, quando in vno eodemque subiecto coniunguntur, ita vt B delicet, vt qui naturaliter, & ciuiliter possidet, non dicatur habere duas possessiones, sed vnam totã ac perfectam: tametsi dupliciter possidere dicatur, ciuiliter scilicet, & naturaliter.

Possessio naturalis & ciuilis aut integrantes vnam.

Sunt vero nonnulla animaduertenda hoc loco. Primum est, interdum dici aliquẽ possidere aliquid per seipsum, interdum vero per alium, qui ipsius nomine possidet, siue is sit procurator, siue seruus, siue filius, aut quicunque alius. Vt enim habetur. *l. generaliter. ff. de acquirenda possessione*, per eum generaliter possidemus, qui nostro nomine possidet. Quando vero aliquis eius est conditionis, vt, quod acquirit, non sibi, sed alteri acquirat, vt filius patri, aut iuris domino, si rei alicuius iustam apprehendat possessionem non est ipse, qui possidet sed pater, aut dominus per eum, vt habetur *l. sit. per quas personas nobis acqui. §. item vobis, & §. item placet, & item, & l. quod Iemine. ff. de acquir. possess.* Dixi, iustam possessionem: quoniam si iniusta esset, nec sibi nẽc patri, aut domino eam compararet, sed maneret possessio apud antiquum possessorem, non obstante quod is, qui incapax est sibi acquirendi rem illam occuparet. Ita habetur *iuribus citatis*. Pupillus vero & furiosus per tutorem aut curatorem acquirunt possessionem, vt habetur. *l. 1. §. adipiscimur. ff. de acq. poss.* vbi subiungitur, pupillum, si iudicio polleat, posse per seipsum acquirere possessionem. Obserua tamẽ, vt per aliũ possessionẽ comparemus, necesse esse, vt in eo sit animus eam nobis cõparandi, vt habetur *ibid. §. hac, & §. per procuratorem*. Acquirit tamẽ eam nobis dicimurq; per illum tam corpore, quam animo possidere, etto ignoremus eam nobis esse acquisitam, vt habetur. *l. 1. Cod. de acquir. poss. & l. 3. §. saltus. ff. eodem tit.* Is tamẽ, qui eius est cõditionis, vt quod acquirit, nõ sibi sed nobis acquirat, esto animum habeat acquirẽdi sibi & nõ nobis, acquirit nobis, & nõ sibi, vt ex *l. ẽ. ff. de acq. poss. & ex aliis iuribus citatis* cõstat.

C

D

12

13 *Possidemus per alium.*

14

Secundum est. Interdum quempiam possidere per seipsum solum ciuiliter, & per alium naturaliter. Vt locator, per seipsum possidet ciuiliter, & per colonum, aut inquilinum naturaliter, vt habetur. *l. 3. §. quod si ieruus, & §. saltus. ff. de acq. poss.* per depositarium etiam commodatarium, & vniuersim per eum omnem, qui rem tenet & non possidet, dicitur quis naturaliter possidere, vt habetur *Instit. de interdict. §. possidere & alius iuribus.*

15

Dubium tamen emergit hoc loco, an vsufructuarius, atque adeo emphyteuta, & feudatarius, dicantur possidere rem, cuius habẽt vsumfructum, dominium ve vtile: an vero solus proprietarius sit, qui per eos possidere dicatur. Prætermissis veroaliis opinionibus, quas *Couar. ad regulam possessor p. 2. in princip. a n. 4. Antonius Gomez. ad l. 45. Tauri n. 100. & Aluarus Valascus de iure emphyteutico quæst. 18. a num. 1.* referunt, breuiter dicendum est. Si fermo sit, non quidem comparatione rei corporalis, cuius directum dominium est proprietarii, sed comparatione iuris ea fruendi, cuius possessio, aut quasi possessio, per corporeum actum comparatur, vt disp. 2. ex parte explicatum est, eos, & possidere, aut quasi possidere ciuiliter, quantum satis est ad iura illa, dominiumque

16

E

vtile præscribendum & possidere etiam, aut quasi possidere, naturaliter. Idemque dicendum est de aliis seruitutibus, iuribusque in re incorporalibus. Atque in hoc tres Doctores citati tandem videntur conuenire. Si vero sermo sit comparatione ipsius rei corporalis, quæ proprie dicitur possideri, dicendum est in primis, solum proprietarium possidere eam ciuiliter ac proinde nec fructuarium, nec emphyteutã, aut feudatariũ, præscribere posse proprietatem: eo quod sine ciuili possessione eius rei, siue corporalis, siue incorporalis, quæ præscribenda est nulla ratione præscribi possit. Deinde communior sententia est, emphyteutam & feudatarium possidere naturaliter nomine proprio rẽ emphyteuticã: eo quod illius habeant dominium vtile, quod satis est ad possessionem naturalem rei. Idem volũt *Anton. Gom. loco citato, & plerique alii de vsufructuario*, & videtur colligi *ex l. naturaliter. ff. de acq. possess. & ex aliis iuribus*. Couar. tamen & Aluarus Valascus, cum multis aliis contrarium affirmant. Hæc tamen apud me non magni sunt momenti: nam quasi possessio, tam ciuilis, quam naturalis, quam hi omnes habent in re, cuius proprietas est apud alium, sufficiens est, vt illis concedantur remedia possessoria, de quibus inferius, vt colligitur *ex leg. vltima. ff. vti possidetis*, & vt præscribere possint dominium vtile, iusue, quod in ea re quasi possederint. Præterea hi omnes rem eandem, quoad proprietatem, videntur simul possidere naturaliter nomine proprietarii; ita vt proprietarius nõ minus dicatur possidere per eos naturaliter proprietatẽ, quã per colonum.

17 Tertium, quod duximus animaduertendum est. Possessiones omnes, tam ciuiles, quam naturales, quarum in iure communi fit mentio, comparari actu aliquo apprehensionis vero vel ficto easq; solas comprehendere definitionem possessionis, quam explicamus, vt à nobis est proposita. Est vero ex peculiari iure quorundã Regnorum genus aliud possessionis, tam ciuilis quam naturalis, quod absq; aliquo actu vero vel ficto, imo absq; animo possidendi, solo statuto legis comparatur. Atque eiusmodi possessio, ad distinctionem earum, quarum in iure communi mentio habetur, appellatur à doctoribus ciuilissima possessio, siue ea ciuilis sit, siue naturalis. Eiusmodi possessiones sunt. In primis illa de iure Galliæ, multorumque locorum in Italia, vt *dispur. 3.* explicauimus, qua, absque vlla apprehensione vera vel ficta, transit in hæredem possessio bonorum hæreditatis. Deinde est illa de iure regum Castellæ, qua, vt eadem disputatione retulimus quando aliquid donatur alicui cũ pacto, aut modo, vt transacto certo tempore res illa deueniat ad alterum, cõtinuo, finito eo tempore, tertius ille comparat possessionem illius absque aliquo actu vero vel ficto. Item illa, qua vt ibidem diximus, *iuxta legem 45. Tauri*, mortuo vltimo possessore maioratus, possessio, non solum ciuilis, sed etiam naturalis bonorum omnium illius maioratus, trãfit eo ipso ad legitimũ successorem absque aliquo actu vero vel ficto, esto ille ignoret prædecessorem mortuum esse, & esto alius ante mortem, vel post mortem vltimi possessoris possessionem occupauerit alicuius eorum bonorum vel vltimus possessor, dum viueret, eam illi tradiderit. Couar. *ad regulam possessor par. 2. in initio. num. 1.* vt hanc quoque possessionem in definitione quam explicamus, comprehendat, particulæ illi, corpore & animo, addit particulam vero vel ficto: eiusmodi namque possessores, saltem ficte, ex iuris dispositione, corpore & animo possident, esto nullũ corporis aut animi actum nec verũ nec fictũ, quorum, quam possident, apprehendant, eliciant. Idem autor. 3. *variar. resolut. c. 5.* & Anton. Gom. *ad l. 45. Tauri. num. 11.* late & docte contra Aretinum probant, iure positiuo constitui posse hanc ciuilissimã possessionẽ, quæ sine omni actu sit, sola iuris dispositione.

18 Ciuilissima possessiones sine apprehensione, etiam ficta comparatæ.

Gallia imo.

Ius Castel.

A Particula vltima definitionis, nempe, iurisq; adminiculo: non eũ sensum habet, quasi ea apprehensio corpore & animo iusta esse debeat, saltem iuxta apprehendentis æstimationem: ea. n. ratione possessio, qua latro rem furto ablatam possideret, & quæcunque alia, qua quiuis alius sciens & prudens rem aliquam iniuste possideret, non esset possessio: cum tamen vere possessio sit, tametsi iniusta, doctores eam in definitione tradita comprehendere intendant. Sensus ergo illius particulæ, vt Bart. *l. 1. in principio. ff. de acq. poss.* exponit, est, vt ius non refragetur, dispositione aliqua impediens, ne tali apprehensione corpore & animo comparetur possessio: cũ tamen secluſa ea dispositione apprehensio sufficiens esset ad eam comparandam. Per eam particulã reiicitur à ratione possessionis, apprehensio corpore & animo, qua laicus locum sacrum, vt suum, occupare vellet. Iure namq; positiuo *l. quod vniuersas. §. 3. de acquirenda possessione*, laicus incapax factus possessionis loci sacri: quare eo ipso, quod locus quẽ laicus possidebat sacer effectus est, amittit laicus possessionem illius. & esto locum sacrum corporẽ & animo habendi illum, vt suum, occupet de nouo, nõ comparat possessionem illius. Per eandem particulam reiicitur à ratione possessionis ciuilis, apprehensio corpore & animo, qua quis rem immobilem absentis occupat quousque prior possessor præsens sit, ad possessionemque non admittatur, aut, arbitratus esse non præualiturum nõ aggrediatur occupare eam: interim nãque, dum prior possessor absens est, ille alius corpore & animo possidendi rem immobilẽ apprehendat, non comparat possessionem ciuilem vt supra dictum est, iure ciuili id ita statuente. Præterea eandem quoque particulam in regno Castellæ reiicitur à ratione possessionis, tam ciuilis quam naturalis, occupatio corpore & animo possidendi, qua, mortuo vltimo possessore maioratus, alienus à legitimo successore rem aliquam ad maioratum pertinentem occuparet, aut ante mortem illius occupasset: is namque refragante *l. 45. Tauri.*, nec naturaliter, nec ciuiliter possideret, ac proinde nec remedia possessoria illi suffragarentur, nec tentio illa ad præscriptionem quicquam illi prodesset.

B

C

D

E

19

SVMMARIVM.

1 *Possessio totius, comparatur apprehensione partis, animo possidendi totum.*

2 *Ad possessionem rerum diuersarum necesse est singulas intrare quoad aliquid vniuscuiusque.*

3 *Quarundam rerum possessio per adiacentia comparatur.*

4 *De actibus fictis, quibus comparatur possessio remissiue.*

5 *Possessio non intercedente voluntate prioris domini nunquam actu ficte comparatur.*

6 *Fallit: vbi actus vere resistentia aduersarii alioue iusto impedimento haberi non possit.*

7 *Apprehensione domus censetur comparata possessio bonorum mobilium defuncti.*

8 *Titulo & voluntate prioris possessoris concurrente ficto actu comparatur possessio: & primum aspectu.*

9 *Secundo traditione scripturæ.*

10 *Vtrum traditione scripturæ de nouo confectæ, qua venditor aut alienator rei alicuius se eam alicui tradere dicat, transferatur & acquiratur possessio.*

11 *Tertio quomodo traditione clauium in præsentia domus vel hörrei rerum mobilium ibi inclusarum possessio comparetur.*

12 *Quarto resexuatione vsufructus rei quam concedit comparat alter possessionem.*

13 *Quinto constituendo se conductorem rei quam concedit, comparat alter possessionem.*
14 *Sexto eo comparante titulum qui eam tenebat depositam, aut alio modo.*
15 *Septimo appositione custodiæ.*
16 *Octauo si voluntate alienantis res signetur.*
17 *Nono clausula constituti transfertur possessio.*
18 *Quoties possessio acquiritur censeri traditam rem, cuius comparatur possessio.*
19 *Solus titulus vna cum traditione absque acquisitione possessionis sufficit ad Dominii acquisitionem.*

DE ACTIBVS VERIS ET FICTIS, quibus possessio comparatur.

DISPVTATIO 13.

1 *Possessio totum comparatur apprehensione partis, animo possidendi totum.*

QVi sint actus veri, quibus possessio, tam rerum mobilium, quam immobilium comparatur, disputatione præcedente explicauimus. Illud nunc obseruandum est, quando actu vero possessio cõparatur per actum circa partem, animo tamen per partem apprehendendi totũ, comparari possessionem totius. Quo fit, vt ad comparandam possessionẽ domus, necesse non sit intrare singulas domus partes, sed satis sit intrare domum quoad aliquam eius partem animo possidendi totam domum: & vt ad obtinendam possessionem fundi satis sit intrare quamuis partem autglebam fundi animo possidendi totum fundum ita habetur. *l. 3. in princip. ff. de acquirenda possessione*, cuius hæc sunt verba. *Quod autem diximus, & corpore & animo acquirere nos debere possessionem, non vtique ita accipiendum est, vt qui fundum possidere velit, omnes glebas eius circumambulet. sed sufficit quamlibet partem eius introire, dum ea mente & cogitatione hoc fit, vt totum fundum vsque ad terminum velit possidere.* Hactenus Paulus Iurisconsultus ibi. Ad

2 acquirendam tamen possessionem diuersarum domorum, aut diuersorum prædiorum, quæ vnum prædium non efficiant, necesse est singula intrare quoad aliquid vniuscuiusque. Quando etiam id cuius possessio apprehenditur, non est quippiam toti fundo commune, sed peculiare alicuius partis, vt si possessio seruitutis, itineris, aut aquæductus, per aliquem fundum capiatur, tunc opus est intrare, actumve seruitutis exercere, in totam illam partem. Ad acquirendam vero possessionem vsusfructus totius alicuius fundi, satis est intrare partem quamlibet fundi animo capiendi possessionẽ vsusfructus totius fundi; eo q̃ vsusfructus esse soleat totius fundi. Quando vero res, cuius est cõparanda possessio, capi cõsueuit, nõ per partẽ sui, sed per aliquid aliud, vt equus per capistrum, vinum per vas, &c. tũc satis est eam accipere per id, per quod accipi consueuit. Ita Faber. *Instit. de rerum diuis. §. item si quis.*

4 De actibus fictis, quibus possessio comparatur, differunt, præter alios, Panormitan. *cap. ex literis. de consuetudine. num. 9.* Conradus *de Contractib. qu. 14. §. vltimo.* Couar. *3. variar. resolut. cap. 16. à nu. 7.* & copiosius ac melius, quam alii, Anton. Gom. *ad l. 45. Tauri à num. 45.* Illud inprimis obseruandum est cũ Conrado *loco citato* & aliis. Quando possessio non acquiritur interueniente voluntate prioris possessoris, qui eam nobis tradat, comparari nõ posse per actum fictum, sed necessario debere interuenire actũ verum. Quo fit, vt possessio earum rerum, quæ antea nullius erant propriæ, sed efficiuntur primo occupantis, vt ferarum, thesaurorum, & rerum similium, non comparetur, nisi per veram apprehensionem: id quod satis aperte constat *ex §. illud. Instit. de rerum diuisione*, & aliis iuribus, & Doctoribus, quos Antonius Gomez *vbi supra num 46* citat. Fit deinde, vt possessio vi aut clam comparata, nunquam acquiratur, nisi per veram apprehensionẽ, vsq; adeo,

5 *Possessio, non interuenente voluntate prioris Domini, nunquam actu ficto cõparatur.*

vt si depositarius clam acquirere debeat possessionẽ rei mobilis, quam apud se depositam habet, necessarium sit apprehendat eam, moueatque de loco suo, vt constat *ex l. 3 §. si rem. ff. ac acquirenda possessione.* Fit præterea, vt esto iudicis autoritate mittatur quis in possessionem rei, quam alius possidebat, non aliter comparet possessionem, quam si eam vere apprehendat, nisi simul accedat voluntas prioris possessoris, qui eam tradat: tũc enim comparare eam potest per actum fictum. Ita cum Bartolo, Panormitano, & plerisque aliis, quos refert Anton. Gom. *vbi supra num. 54.* Excipitur, nisi per potentiam & resistentiam aduersarii, aliove iusto impedimento, apprehendi non possit possessio per actum verum: tũc enim satis esset ostẽdere rem, tradereque possessionem illius per visum. Quin si per visum tradi non B posset, satis esset solo verbo eam tradere, vt colligitur *ex l. vnu. §. vltimo, & ex l. sequenti. ff. de bonis auctoritate iudicis possidendis*, & affirmant multi, quos Antonius Gomez refert. Fit demum, vt possessionem bonorum defuncti non aliter comparare possit hæres, dum hæreditatem adiuit, factusque est dominus illius, quàm per veram apprehensionẽ: eo quod nullus fit possessor, qui eam illi tradat. Apprehensione vero domus censetur etiam comparata possessio bonorum mobilium defuncti, quæ in ea continentur, ratione continentis apprehensi; modo tamẽ adfuerit animus illa quoque ea ratione possidendi. Ita cum Bartolo, & aliis Antonius Gomez. *vbi supra numero 40* argumento multorum iurium, quæ citat.

6

7

C His ita constitutis. Actus ficti, quibus interueniente titulo, simulque concurrente voluntate prioris possessoris, qui possessionem tradat, comparatur possessio, sunt, qui sequuntur. Primus est per visum. Ostendente namque antiquo possessore rem, cuius vult tradere possessionem, eamque concedente comparatis, cui conceditur, possessionem illius, solo aspectu & visu, esto ab ea distent. *text. est in lege 1. §. si iusserim*, & in lege *quod meo. §. venditorem. ff. de acquirenda possess.* cuius hæc sunt verba. *Si vicinum mihi fundum venditor ex turre demonstret, vacuamque possessionẽ se tradere dicat, non minus possidere cœpi, quam si pedes finibus intulissem.* Idem probant alia iura, quæ Antonius Gomez. *ad leg. 54. Tauri, n. 45.* citat, estque communis Doctorum sententia.

8 *Titulo & voluntate prioris possessoris concurrentibus, ficto actu comparatur possessio. Primo actu ficto.*

D Secundus, si antiquus possessor ei, quem in possessionem mittere vult rei alicuius, tradat scripturam, quam habebat, & qua cõstabat de titulo & iure, quo res illa ad se pertinebat: eo enim ipso comparat possessionem illius rei. Ita colligitur *ex l. 1. C. de donationibus*, & affirmat communis sententia doctorum. Traditione quippe talis scripturæ & instrumenti, iuris fictione, censetur tradita res ipsa. Dubium tamen est, vtrum traditione scripturę de nouo cõfectę, qua venditor, aut alienator rei alicuius, se eam alicui tradere dicat transferatur & acquiratur possessio. Et quidem arbitror in Regno Castellæ transferri: id E namque habetur expresse. *l. 8. tit. 30. part. 3. & consonant. l. 2. tit. 12. lib. 3. Flori. & leg. 17. & 44. Tauri*: affirmantque multi graues iurisperiti Hispani, quos Antonius Gomez. *loco citato num. 57.* refert. Neque est sufficiens fundamentum, quo, tam ipse, quam Couar. *loco citato*, dubitarũt de sensu illarum legum, vi delicet, quod leges Hispanæ fere nunquam corrigere intendant Ius commune, sed tantum illud cõfirmare, & declarare, vt in earum proœmio dicitur. In declaratione namque habẽtis potestatem ad extendendum ius aliquod includitur, ita illud declarare, vt extendatur ad aliquem nouum casum. In hoc autem Lusitaniæ Regno dicendũ est, traditione talis scripturæ non comparari possessionẽ, esto in scriptura dicatur, eum, qui illã tradit, dimittere ex tunc possessionem, eamque transferre in eum cui tradit talem scripturam, sed necessariã esse apprehensionem illius rei aliquo alio actu. Tali namque

9 *Secundo, traditione scripturæ.*

10 *Ius Castel.*

Ius Lusit.

scriptura solum conceditur facultas occupãdi possessionẽ autoritate propria, per se, vel per alium, ita vt necessarium non sit à iudice, aut aliquo alio illam ei cõcedi, iucor ad hęc ita asserendum. Quoniã de iure cõmuni non sufficit traditio talis scripturæ ad transferendam possessionem: in hoc autem Regno non est lex, quæ id concedat; quin potius 4. *libr. Ordinationum. titulo.* 30 §. 3. *&* 4. manifestè inuitur cõtrarium; dum dicitur, vi talium scripturarum posse vnumquemq; accipere per seipsum possessionẽ eiusmodi rerum, modo non adsit, qui contradicat: tabellionesque posse conficere huiusmodi hominibus publica instrumenta: quod per seipsos possessionem acceperint, quin ad id necessarium sit, vel mandatum, vel iudicis autoritatem interuenire modo videant prius scripturas publicas, aut eis constet de iusto titulo, quo res illæ ad eos perueniant, esto eis non concedatur posse sumere possessionem per seipsos. Prohibentur tamen tabelliones sub certa quadam pœna conficere absque iudicis mandato publica instrumenta possessionis acceptæ, quando neque eis ostenditur scriptura publica, qua res illæ ad eos pertineant neque eis constat de iusto aliquo titulo. Illud addiderim, traditione eiusmodi scripturarum de nouo confectarum, non solum non acquiri possessionem, sed neque censeri traditam rẽ, ita vt illius comparetur dominium: quare si alicui vendatur res aliqua, conficiaturque scriptura venditionis, eiq; tradatur, nec tamen res ipsa vendita ei tradatur actu aliquo vero vel ficto, vtique si idẽ venditor, iterum illam vẽdat alteri, eamque illi tradat, secunda venditio est valida, & non prima iuxta ea quæ disputatione secunda & tertia, dicta sunt, nõ obstante traditione scripturæ venditionis facta primo emptori.

Audio in hoc Regno consuetum non esse per actum fictum hactenus explicatum accipi possessionem. Aduerte tamen, quod cum comparari eo actu possessionem sit de iure communi (quod vim habet in hoc Regno, quãdo non est lex Regni, aut cõsuetudo præscripta in contrarium) & neque sit lex Regni in contrarium, neque consuetudo per vsum in contrariũ, sed solũ per non vsum huius viæ ad cõparandam possessionem, vtendo aliis, quæ sub disiunctione cum hac ad id præscriptæ sunt: sane ius commune hac in parte adhuc suam vim obtinet in hoc Regno. Sola namque consuetudo per vsum in cõtrarium est, quæ vim aufert à legibus positiuis, quando est præscripta; quod tam ad hanc, quam ad quamcun que aliam similem difficultatem in quauis alia materia est memoriæ commendandum.

11 *Tertio traditione cuiusdã in præsentia domus vbi res mobiles continentur.*

Tertius est, si antiquus possessor in præsentia horrei, domus, aut alterius rei, in qua vinum, oleum, triticum, aut quæcunque aliæ res continentur, tradat, claues talis horrei, domus aut alterius rei: eo ipso, qui claues accipit, comparat possessionem huiusmodi rerum mobilium, quæ intus continentur, esto nõ videantur: modo tam in dante claues, quã in eas accipiente, sit intentio tradendi & accipiendi possessionem. Simul etiam transit dominium earũ rerũ in accipientem claues, si erant tradendi claues. Quod si non erant eas tradentis, is qui illas accipit, præscribere incipit, si adsit bona fides. Ita habetur *l. claribus. ff. de contrahenda emptione l. 1. § si iusserim. ff. de acquiren. possess. l. 2. C. de periculo & commodo rei venditæ. l. quæ ratione. §. item si quis merces. ff. de acquirendo rerum dominio, & § item si quis merces, Instit. de rerum diuisione.* Aduerte tamen, necessariam esse præsentiam domus, aut horrei, in quo tales res continentur, vt aperte colligitur ex duobus prioribus iuribus citatis, & affirmat communis opinio, habetur que *l. 7. titulo. 30. part. 2 legum Castellæ.*

12 *Quarto ex ratione vsus*

Quartus actus est, si possessor antiquus, ad quem res pertinebat, eam vendiderit, donauerit, aut quẽuis alium actum translatitium dominii circa eam exercuerit, reseruans sibi vsum fructum: eo enim ipso fictione iuris, censetur tradidisse proprietatẽ absque aliquo alio actu, isq; cum quo talis contractus est celebratus, censetur comparasse possessionem. Sunt aũt hæc intelligenda, siue antiquus possessor vendat aut donet vnam tãtum rem, & vsum fructũ illius sibi reseruet, siue vendat aut donet omnia bona sua, & vsum fructum eorum sibi reseruet: itẽ siue res præsentes sint, siue absentes. Hæc omnia constãt *ex l. quisquis argentum. § sed fiquidem. C. de donationibus, & ex l. 9. titu. 30. par. 3. legum Castellæ*, eaque affirmat communis Doctorum sententia. Ratio verò, inter alias, est hæc. Quia cum nullus sit proprie vsufructuarius, nisi dominium directum sit apud aliũ sane eo ipso, quod quis vendit aut donat rem aliquam constituendo se vsufructuarium illius, censetur amittere proprietatem, tradereque dominiũ illius alteri, transferendo in eam possessionem ciuilem. Idem intelligendum est de eo, qui venderet, aut donaret rem aliquam, accipiendo simul eam in emphyteusim, aut feudum, à donatario, aut emptore: emphyteuta namque & feudatarius vsufructuarii sunt, huiusmodiq; contractus supponunt proprietatem esse apud alium.

fructuarii, quã cõdu. comparat ad vtr. possessionẽ

13 *Quinto constituendo se conductorẽ rei, quam concedit, ei parat alter possessionẽ.*

Quintus est, si antiquus possessor, ad quem res pertinebat, eam vendat, donet, aut quemuis alium actum translatitiũ dominii circa eam exerceat, constituẽdo se simul conductorẽ eiusdem rei ab eo, cui statuto certo aliquo pretio eam alienat: eo namq; ipso cẽsetur eam illi tradere, transferreq; in eũ omnem possessionem, quam habebat, idq; siue præsens res sit, siue nõ. Ita habetur expresse. *l. quadam mulier. ff. de rei vẽdicatione. l. qui bona fide. §. 1. & l. interdũ. §. vlt. ff. de acquirenda possessione. l. serui emptor. ff. de periculo & cõmodo rei venditæ, & l. 9. titulo. 30. part. 3.* Ratio est, tũ quia cõductor possidet nomine locatoris tum etiã quia contractus conductionis supponit dominium apud locatorem. Atque ita, si is qui illam conducit, erat dominus & possessor, supponit se rem in illum transferre.

14 *Sexto comparante tertium, qui eam tenebat depositam, aut alio modo.*

Sextus est, quando res mea. v. g. erat apud te cõmodata, locata, deposita, vel aliquo alio simili modo, & eam tibi vendã, dono dem, mutuẽ, aut aliquo alio titulo translatitio dominii concedẽ: eo n. ipso, virtute prioris tentionis, accedente titulo translatitio dominii, cõparas possessionem, nisi forte aliquis alius tertius eam ciuiliter possideret. textus est *in l. siue autem. v. si quis rem. ff. de publiciana, & in l. certi cõditio. §. vlt. ff. si certum petatur, & in §. interdũ, Instit. de rer. diuis. in l. non solũ. §* quod vulgo *ff. de vsucap. & l. 47. tit. 28. p. 3 legum Castellæ.*

15 *Septimo, appositionẽ custodiæ.*

Septimus est, quando post venditionem, donationem, aut quemuis alium actum translatitium dominii, de voluntate alienantis, apponitur custodia ex parte eius cui fit alienatio, siue res sit præsens, siue absens: statim namq; ac custos incipit custodire, esto ignoret finem propter quem positus est in custodiam, possessio talis rei transit, idque siue res sit mobilis, vt pecora, ligna, triticum &c. siue immobilis, vt pomarium, vinea, castrum. &c. Ita colligitur aperte ex *l. quarundam rerum. ff. de acquirenda possessione.*

16 *Octauo fignatione.*

Octauus est, si de voluntate vendentis, aut quocunque titulo alienantis, emptor, siue quicunque alius, cui alienetur, per se vel aliũ signet rem emptã, aut quouis alio titulo sibi alienatam: eo enim ipso comparat possessionem illius. Vt si quis emeret duas trabes de numero multarum, aut duo pecora de numero plurium alicuius gregis, & venditor cõcederet, vt acciperet & signaret, vt suas, duas trabes, aut duo pecora, quæ vellet, hoc ipso, quod per se, aut alium, aliquas signaret, compararet possessionẽ earum, vt colligitur *ex l. quod si neque. ff. de periculo & commodo rei venditæ.*

Nonus actus, & frequentior in vsu, eo quod tabelliones 17

Nona per clausulam constituti.

belliones passim in publicis alienationum instrumē A tis eo vtantur, est si antiquus possessor facta venditione, aut interueniente quocunque alio actu translatiuo dominii, constituat se possidere nomine eius, cui alienat talem rem: eo.n. ipso possessio omnis, quæ erat in alienante, transit in eum, cui fit alienatio: modo is, cui fit alienatio, ratum id habeat: cū enim ad comparandam possessionem requiratur animus possidendi, proculdubio necesse est, vt qui per talē actum requirere debet possessionem, ratum id habeat. Quare si absens sit, nec per procuratorem, tutorem, aut curatorem suum possessionem acquirat. sane non prius eam comparat, quam postquam id ratum habet, & approbat. Vnde si postquam alienator constituit se possidere nomine eius, cui rem alienat, vendat, & tradat eandē rem alteri, atque ea quā B ille alius ratum habeat, eum nomine ipsius possidere, vtique secunda alienatio est valida, non prima, per secundam quę trāsfertur dominium iuxta ea, quæ *disp.* 2. dicta sunt. Cæterum alienantem tradere possessionem per hoc, quod constituat se possidere nomine eius, cui fit alienatio, appellant iurisperiti, tradere illā per clausulam constituti, hoc est, per clausulam appositam in instrumento alienationis, qua constituit se possessorem nomine alterius: eo enim ipso possidet per eum ille cuius nomine se constituit possessorem. Obserua tamen, necessarium esse, vt is, qui alienat, tunc possessor sit eius rei, cuius se constituit possessorem nomine alterius, quando alius id acceperat, tantumq; habet: alioquin non transferet C possessionem, quam ipse tunc non habet. Hæc omnia colliguntur *ex l. quod meo. l. qui bona fi l. l. interdum. §. vult. ff. de acquirenda possessio.*, & ex multis aliis iuribus, quæ Anton. Gom. *ad l. 45. Tauri à n. 78* citat, vbi late disputat de acquisitione possessionis per clausulam constituti.

18 Illud hoc loco aduerte, vniuersim quoties possessio acquiritur, censeri traditam rem, cuius comparatur possessio. Vnde si præcesserit venditio, aut alius titulus dominij translatitius, eo ipso comparatur dominium. Obserua tamen, solum titulum vna cū traditione, absque acquisitione possessionis, sufficere ad dominij acquisitionem. Si namque meus fundus ab alio possideatur, & non à me, satis est, si, præcedente venditione, donatione, aut alio titulo dominij translatiuo, eum in præsentia, aut absentia possidentis, tibi tradam, vt compares dominium illius, esto non acquiras possessionem, sed possessio apud illum alium maneat. Traditio namque latius patet, quam possessio, & illa est, quæ cum titulo sufficit ad comparandum dominium, vt constat *ex l. traditionibus. C. de pactis.* Hanc nostram assertionem colligunt communiter doctores *ex l. si fundum. ff. de fundo dotali.* Lege Anton. Gom. *2. tom. variar. resolutionum c. 15. ad finem. Idem autor ad l. 45. Tauri. n. 9.* contendit si verus dominus rei alicuius eam teneat absque possessione, vt si sit colonus, aut depositarius vel eam rem commodatam habeat à possidente, per clausulam constituti, qua verus dominus profiteatur se tenere illam nomine eius, cui vendit, donat, aut alio titulo concedit rem, transferre in eum dominium illius, ita vt necesse non sit illum actu vero eam apprehendere.

19

SVMMARIVM.

1 *Concurrente vero titulo ad comparandum Dominium, aut quasi dominium, eiusmodi seruitutum ac iurium per vsum eorum scientia & patientia eius, ad quem tradere aut impedire possessionem spectat (siquis sit, ad quem id spectet) non solum resultat dominium, aut quasi dominium eorum, sed etiam comparatur possessio. Idem dic per Immissionem in fundum, in quo constituenda est seruitus, factam animo tradendi possessionem ab eo, qui seruitutem concedit.*

2 *Si alius à legitimo Domino rem possideat, quid ad acquirendam possessionem seruitutis & iuris incorporalis requiratur.*

3 *Quomodo qui sciente & patiente Domino aut eo ad quē tradere aut prohibere possessionem spectat, vtatur iure aliquo, possessionem illius comparet.*

4 *Vsus alicuius iuris aut seruitutis tanto tempore, vt initium illius memoriam hominum excedat, non solum possessionem efficit, sed & præscriptionem, licet non probetur scientia & patientia eius, aduersus quem præscribitur, modo adsit bona fides.*

SERVITVTVM, ET IVRIVM INcorporalium possessio, quomodo comparetur.

DISPVTATIO 14.

QVoniam est peculiaris difficultas circa modum, quo possessio seruitutum & iurium incorporalium, vt iuris eligendi, præsentandi, &c. comparatur, aliquid ea de re dicēdum est. Sit ergo prima cōclusio. Concurrente vero titulo ad cōparandum dominium aut quasi dominium eiusmodi seruitutum ac iurium, per vsum eorum scientia & patiētia eius, ad quem tradere, aut impedire possessionem spectat (si sit aliquis ad quem id spectet) non solum resultat dominium, aut quasi dominium eorum, sed etiam comparatur possessio. Item dic per immissionem in fundum, in quo constituenda est seruitus, factam animo tradendi possessionem ab eo, qui seruitutem concedit. Prior pars huius conclusionis aperte patet *ex l. 2. C. de seruitute & aqua, & ex l. quoties. 2. ff. de seruitutibus. l. si partem. ff. quemadmodum seruitus amittatur, & ex multis iuribus, quæ Couar. regul. possess par. 2. in initio à n. 8. & Antonius Gomez. tomo variar. resolut. c. 15. à n. 23. citant*, estque communis Doctorum sententia. Obserua tamen, in euentu, in quo vnus esset dominus fundi alicuius, & alius esset in eius possessione, eo ipso, quod sciente domino, qui tradere vellet seruitutem, is, qui titulum habet, exerceret actum talis seruitutis, in eo resultaret solum dominium, aut quasi dominium seruitutis, eo quod illud cēseretur traditio seruitutis, nō tamē resultaret possessio, nisi scientia & patiētia eius cōcurreret, qui in possessione est fundi: cū enim proprius dominus fundi possessionem fundi non haberet, nequaquam posset tradere in eo possessionem seruitutis. Idem intellige in secunda parte conclusionis; quando dominus fundi mittendo aliquem in eum, tradere illi vellet seruitutem in ipso. D

1 1. Concius.

Circa posteriorem partem conclusionis quidam sunt arbitrati, missionē in fundū sufficere quidem ad tradendam seruitutem, & vt dominium, aut quasi dominium seruitutis in eo resultet: non tamen vt comparetur possessio, nisi is, qui in fundum mittitur, exerceat actum seruitutis ac iuris, cuius possessionem in fundo vult comparare. Dicuntur, quia iura vsum seruitutis, ac iuris videntur exigere ad cōparandam illius possessionem, quippe quæ nunquā solius missionis in fundum meminerint. At vero quoniam *l. 3. vers. i. dare. ff. de vsufructu* & aliis iuribus aperte innuitur, possessionem vsusfructus non solum vsu, sed etiam traditione ac missione in fundū comparari. Innocentius *c. in litera, de restit. spol.* & alii affirmant, peculiare esse in vsufructu, vt missione fructuarii in fundum, possessio etiam illius comparetur; eo quod vsufructuarius comparet dominiū vtile fundi, possessionem vero aliorū iurium ac seruitutum dictant non comparari, nisi per vsum & actum eorum. Placet tamen magis sententia Antonii Gomez. *loco citato*, nempe in aliis etiam seruitutibus & iuribus acquiri possessionem per immissionem in rem, in qua tale ius aut seruitus acquiri debet. Nisi forte sit ius aliquod, quod non constituatur in re aliqua peculiari, quale videtur esse ius eligendi: hūc enim ad possessionem videtur necessarius vsus talis iuris, vt satis aperte innuit, *l. si partem. ff. quemadmodum*

quodam seruitus amittatur. Probat autem Ant. Gomez suam sententiam ex *l. vltim. ff. de seruitutibus*, in qua habetur, seruitutes reales, & iura incorporalia acquiri quemadmodum vsus fructus acquiritur, & ex *l. si ego. ff. de publicianæ*, in qua idem traditur. Porro ad comparandam possessionem eiusmodi iurium necessaria est scientia & patientia eius, ad quem pertinet eam concedere aut resistere aggredienti. Tum quoniam huiusmodi iura cum rebus immobilibus computantur, vt alio in loco ostendendum est: possessio autem ciuilis rerum immobilium non comparatur cum ignorantia antiqui possessoris, vt *disput. 12.* ex parte dictum est, inferiusque magis manifestum fiet. Tum etiam ob alias rationes huius rationabilis dispositionis iuris positiui, quas cum Innocentio & aliis tradit Antonius Gomez. *loco citato.* Lege etiam Panormitanum *c. de quarta, de præscriptionibus. num. 29.*

2 *Secunda conclusio.*

Secunda conclusio. Si alius à legitimo domino possideat, tunc ad acquirendam possessionem seruitutis & iuris incorporalis, satis est vsus illius cum scientia & patientia possessoris, aut immissio in fundum per eum facta, animo concedendi possessionem: neque requiritur patientia & scientia veri domini. Quare in hoc euentu præscribi poterit sine scientia veri domini tempore à iure constituto, modo adsit bona fides ex parte eius, qui illo modo possidet & præscribit. Ita affirmant Antonius Gomez. & Couar. locis citatis, & multi alii, quos referunt: colliguntque hanc conclusionem *ex l. si ego §. 1. ff. de publiciana, & l. vlt. C. de longi temporis præscriptione.*

3 *Tertia conclusio.*

Tertia conclusio. Si quis, sciente, & patiente domino aut eo ad quem tradere aut prohibere possessionem spectat vtatur iure aliquo, vt eligendi, aut alio simili, comparat possessionem illius, esto careat alio titulo: modo tamen eo vtatur intendens & credens se vti iure suo: modo etiam actus sit talis, vt ex illius natura, aut ex frequentatione & circumstantiis, credatur non concessus & permissus pro tunc ex gratia, sed vt spectans ex iure ad exercentem. Quod si tempore ad præscribendum constituto perseuerer in eiusmodi possessione, præscribet talis ius, esto aliunde titulum non ostendat. Hæc conclusio colligitur aperte *ex cum ecclesia de causa possessionis & proprietatis, & ex l. Si quis diuturno ff. si seruitus vendicetur, & ex l. 2. C. de seruitutibus*, eamque per partes asseuerat cum Innoc. & Bartol. Panor. *c. cum ecclesia citato. n. 3. & 4. & rursus à n. 21. vsque ad 27. & n. 30. vsque ad 36. & c. bonæ memoriæ. 2. de postul. prælat. nu. 19. 20. & 21.* & consonat Ant. Gom. loco citato cum aliis, quos citat. Dictum est, modo vtatur intendens & credens se vti iure suo. Quoniam, *vt habetur l. vlti. ff. quemadmodum seruitus amittatur*, nullus actus est seruitutis, aut alterius iuris, nisi quo quis credit se vti suo iure aut seruiture sua: atque ob eam causam, nisi actus sit huiusmodi per illum possessio talis iuris aut seruitutis non acquiritur. Præterea, si quis non credat eo se vti iure suo, non erit bonæ fidei possessor talis iuris, & idcirco non præscribet. Dictum quoque est, modo etiam actus sit talis, vt ex natura sua, aut ex frequentatione & circumstantiis credatur non concessus & permissus pro tunc solum ex gratia: nam alioquin nullius iuris comparabitur possessio. Verbi gratia, esto aliquis sæpius amicum ad cœnam vel prandium inuitet, non proinde amicus, quamuis sæpissimè conuiua fuerit, possessionem acquirit comedendi apud illum, qui eum inuitare consueuerat: quoniam ex natura actus intelligitur id concessum fuisse ex gratia vsque ad beneplacitum inuitantis. Quocirca Panormit. *loco citato à 22.* docet optime cum Innocentio & Bartol. ex natura actus spectatis reliquis circumstantiis, arbitrio prudentis iudicis esse iudicandum, an vnus solus actus sufficiat ad iudicandum aliquem esse in possessione alicuius iuris, an vero requiratur multi, & quot, pro veris militudine, quæ est, concessos, aut nō cōcessos fuisse ex gratia. Si n. aliquis electioni alicuius Episcopi interfuit cum voce & suffragio, quoniam eiusmodi actus non videtur ex gratia concessus, eo quod non ita consueuerit concedi, sane vnus sufficit, vt quis censeatur esse in possessione talis iuris eligendi, modo aliunde non constet concessum fuisse ex gratia. At vero si, qui ita interfuit, non sit de eorum numero, ad quos de iure communi eligere spectat; neque aliunde probet se ad eligendum habere ius, vtique cum præsumptio sit in contrarium, eo quod de iure communi ad solum canonicorum capitulum ius eligendi cōsueuerit spectare, deiicietur ab eo iure, & in consequentia à possessione. Atque hic est casus ac decisio capit. cum ecclesia citati. Quod si actus talis sit, vt concedi interdum soleat ex gratia, vt concedi soleat iter per alienum fundum, profecto neq; ex vno, neq; ex duobus actib. censenda est possessio seruitutis, quādo nō adest titulus, sed ex multo plurib. spectatis cæteris circūstantiis concurrētibus.

Quarta conclusio, vsus alicuius iuris aut seruitutis tanto tempore, vt initium illius memoriam hominum excedat, nō solum possessionem efficit, sed & præscriptionem, ita vt ad id necessarium non sit probare scientiam & patientiam eius aduersus quē erat præscribendum, aut ad quem concedere, aut prohibere possessionem spectabat. Semper tamen necessaria est bona fides: quoniā malę fidei possessor nullo tempore præscribit. Hæc conclusio est Couar. loco citato & multorum, quos citat, & colligitur *ex l. 1. C. de seruitutibus, & ex aliis iuribus.* Eam affirmat Gloss. *l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quotidiana & æstiua.* Ratio huius conclusionis est, quoniam vsus bona fide iuris alicuius tanto tempore, vim habet consuetudinis, habetque priuilegium ad præscribēdum absq; alio titulo, & quin necessariū sit probare scientiam & patientiā eius, ad quem pertinebat cōcedere possessionem; quin potius, ea scientia & patientia, atque adeo possessio eiusmodi iuris præsumitur. Hæc dicta sint in particulari de possessione iurium, quæ non modicam lucem afferent iis, quæ in sequentibus dicentur. De possessione beneficii ecclesiastici alio in loco dicendum est.

4 *4. Conclus.*

SVMMARIVM.

1 *Possessio sola animo non possidendi amittitur.*
2 *Fallit si deficiat conditio, sub qua quis à possessione recessit.*
3 *Possessio ciuilis rerum immobilium an & quando amittatur, cū res ab alio in absentia prioris possessionis occupatur.*
4 *Si colonus depositarius aut quicunque alius per quem prior possessor naturaliter possidebat eas res vendiderit aut inique alteri tradiderit, qui eas occupat animo possidendi.*
5 *Permanenti occupatione maris vel fluminis rei immobilis amittitur possessio.*
6 *Pupillus & furiosus absque consensu tutoris aut curatoris possessionem non amittunt.*
7 *Mobilium possessio vt amittatur per furtum, rerum amissione, euasione custodiæ, volucrum, piscium, ceu lumbarum, apium, &c.*

DE AMISSIONE POSSESSIONIS.

DISPVTATIO IX.

EXplicaris modis, quibus possessio comparetur, modi etiam subiiciendi sunt, quibus amittitur. Possessio solo animo possidendi amittitur, vt patet *l. 1 §. si vir. l. 3 §. in amittendo, & l. si quis. ff. de acquirenda possessione.* Si quis tamen sub tacita conditione recedat à possessione, sane is, non secuta conditione, possessionem non amittit. Vt si quis eo ani-

1 *Possessio solo animo non amittitur.*

mo possessionem relinquat, vt in alterum eã transferat, certè non comparante possessionem illo, in cuius gratiam eam reliquit, non amittit ipse possessionem: quoniam sub tacita solum conditione censetur illam relinquere, si scilicet alius, in cuius fauorem ipse ab ea discedit, illam consequatur. Ita habetur *l. si me, in princ. ff. de acquirenda possessione.* Quod si absolutè, & non sub tacita conditione tradat quis possessionem, tunc, esto alius eam non assequatur, amittit possessionem. Atque in hunc modum, intelligenda sunt iura quæ *l. si me*, videntur aduersari.

3 *Possessio immobilium vt amittatur.*

Possessio ciuilis rerum immobilium, esto ciusmodi res occupentur ab alio in absentia prioris possessoris animo eas possidendi ac habendi vt suas nõ amittitur quousque prior possessor, sciens res illas ab alio occupatas esse animo possidendi, & aggrediens possessionem earum naturalem, ad eam non admittatur, vel arbitrans se nec admittendum, nec præualiturum, aggredi desistat talem possessionẽ: hoc enim dato, continuo amittit possessionem ciuilem, & comparat eam qui animo possidendi tales res occupatas habebat, vt disp. 12. dictũ est. Habetq; hoc verum, etiam quãdo colonus, depositarius, aut quicunque alius, per quem prior possessor naturaliter possidebat, eas res vendiderit, iniquè tradiderit illi, qui eas occupat animo possidendi: quo fit, vt ad amissionem possessionis ciuilis rerum immobilium necessaria sit scientia & patientia prioris possessoris, vt disputatione præcedente dicebamus. Ita habetur, non solum *l. clam possidere, §. qui ad nundinas*, sed etiam *l. §. si quis, l. si id, §. 2. l. quamuis pupillus. §. 1. & l. quamuis saltus. ff. de acquiren. possessione, & l. vl. C. eodem titulo.* Prædicta verò iura intelligenda solùm esse de possessione rerum immobilium, affirmat glossa *l. quamuis saltus citata, & constat apertè ex l. Si rem mobilem, ff. eodem titulo, & ex aliis iuribus*, quæ circa possessionem rerum mobilium mox referemus. Per occupationem rei immobilis à mari vel à flumine, non quasi per transitum, sed permanenter amittitur possessio illius. Ita habetur *l. 3. §. Labeo, & l. qui vniuersas. §. 1. ff. de acquirenda possessione.* Pupillus & furiosus amittere nequeunt possessionem suo animo & consensu proprio, sed necessarius est consensus tutoris, aut curatoris, atq; hoc pacto intelligendæ sunt *l. si is, & l. possessionem. ff. de acquir. possessione.*

7 *Mobilium possessio vt amittatur.*

Possessio rerum mobilium facilius multo, quàm immobilium, amittitur. Per furtum namq; amittitur earum possessio ciuilis, comparatq; eam fur, etiam antequam is, qui possidebat, sciat rem talem furto esse ablatam & occupatam. Item licet is, qui rem est furatus, sit depositarius, per quem prior possessor rem illam possidebat naturaliter, non sufficit tamen in depositario animus denegandi rem apud se depositam, eamq; possidẽdi vt suam, vt possessionem ciuilem illius comparet, sed necesse est, vt animo vsurpandi eam sibi, corporaliter eam apprehendat moueatq; de loco suo. Ita habetur *l. 3. §. si rem. ff. de acquirenda possessione.* Per amissionem rerum mobilium, esto nullus alius eas possideat, amittitur earum possessio. Si tamen eiusmodi res in nostra sint custodia, sed non occurrant, quia indigent maiori & diligentiori inquisitione, non censetur amissa earum possessio. Hæc omnia præter ius citatum habentur *l. 3. §. Neruа, l. si id. l. rem, & l. si rem, ff. de acquirenda possessione.* Piscium, volucrum, & ferarum, quæ à nobis capta sunt, & possessa, cum manus, custodiamve nostram effugiunt, & ad suam redeunt libertatem, possessionem eorũ amittimus, esto in nostro agro, à nobisq; possesso commorentur. Columbæ tamen, quæ in nostro columbario commorantur, & cætera nostra, fera alioquin, animalia, quæ consuetudinem eundi ac redeundi habent, à nobis dicuntur possideri, esto abeant, & redeant. Idemque est de apibus nostrorum alueario rum. Ita habetur *l. 3. §. Neruа, ff. de acquirenda possessione.*

SVMMARIVM.

1 *Possessor bonæ fidei præscribit.*
2 *Si dubitet, an res sit sua, an alterius, non tenetur eam restituere, sed solum moralem adhibere diligentiam, vt certo sciat, an res sit alterius.*
3 *Actori non possidenti incumbit probatio.*
4 *In obscuris pro possessore ferenda sententia.*
5 *Interdicta vnde nuncupentur.*
6 *Interdictum quorum bonorum quod & quale.*
7 *Quorum legatorum.*
8 *Vti possidetur & vtrobi.*
9 *Vnde vi aut clam & precarium.*
10 *An l. si quis in tantam, C. vnde vi, vsu antiquata sit.*
11 *Praxis & limitatio l. vlt. C. vnde vi.*
12 *Quando quis censetur expellere alterum à possessione.*
13 *An is qui occupat rem immobilem ab alio ciuiliter possessam, vim admisisse censeatur.*
14 *Possessionem ciuilem quatenus armis defendere liceat.*
15 *Recuperare possessionem vt amissam quatenus armis incontinenti liceat.*
16 *Incontinenti quando quid fieri dicatur.*
17 *Quando incontinenti recuperatur possessio censeri non fuisse amissam, nec ea interruptione impediri præscriptionem.*
18 *Quomodo intelligatur in continenti, & ex intervallo fieri in iniuria reali, & quomodo in personali.*
19 *Interdicta & pœnam l. si quis in tantam locum habere cum vsufructuarius aliique possessores iurium incorporalium in naturali vel ciuili possessione turbantur.*
20 *Lex Ecclesiastica similis d. l. si quis in tantam aduersus vi occupantes possessionem beneficiorum ecclesiasticorum.*
21 *Possidere clam quis dicatur.*

DE EMOLVMENTIS POSSESSIONIS, & de præsidiis adipiscendæ, recuperandæ, & tuendæ possessionis.

DISPVT. 16.

1 *Possessor bonæ fidei præscribit.*

POssessionis emolumenta multa, nec parui momenti profectò ea sunt. Inter alia bonæ fidei possessor certo quodam tempore præscribit rem, quã ita possidet, comparatq; dominium illius, cum tamen non esset sua. Quòd si post comparatam bona fide possessionem, antequam rem præscribat, dubitare incipiat, an ea res sit sua, vel alterius, in dubio melior est conditio ipsius, atque ita neque rem totam, neque partem illius tenetur alteri restituere, sed solum moralem adhibere diligentiam, vt certo sciat, an alterius sit. Prætereà is, qui rem possidet, neque eam petit in iudicio, neque ei incumbit probare suam esse, esto reuera sua non sit: sed id incumbit actori ac petenti, qui est extra illius possessionem. Quod si à probatione deficiat, aut obscurum sit, ad quem res iure pertineat, sententia profertur in fauorem possessoris, vt habetur *Institutis de interdictis, §. retinenda*, idque propterea, quod sit melior conditio ipsius. Hoc verò, vt ibidem dicitur, & notat ac commendat Panorm. *de sententia & re iudic. cap. Cum super num. 13. & cap. Consuluit. nobis, de officio delegati. num. 9.* non leue, sed magnum emolumentũ est præsertim cum sæpè difficile admodum sit probare rerum dominia. Qua de causa,

2 *Melior est conditio possidentis.*

3 *Est rerum & non actor.*

4

vt habetur §. *citato, & leg. 1. ff. vti possidetis*, litigantes prius contendere solent de possessione, quàm de dominio aut iure, quod quisque habet in re, de qua contendunt. Quo loco obserua, iura & Doctores interdum contentionem de possessione appellare de possessorio, & contentionem de proprietate, & dominio rei appellare de petitorio.

Propter eiusmodi emolumenta possessionis, sunt in iure constituta quædam remedia ad adipiscendam, conseruandam, & recuperandam possessionem, quæ iurisperiti possessoria remedia appellant, & *Inst. t. C. & ff. de interdictis*, interdictanuncupantur, non quidem quod semper illis aliquid interdicatur, ac prohibeatur, sed quod à prætoribus inter duos dicebantur, vt habetur *Institutis de interdictis*, §. 1. vnde dicuntur interdicta, hoc est, inter duos dicta, qui de possessione contendebant. Erantque formulæ quædam, quibus prætores vtebantur, à quorum principiis interdicta hæc nomina sua assumpserunt. Vnumquodque eorum appellatur, interdictum quorum bonorum. Alterum, interdictum vti possidetis. Tertium, interdictum vtrobi. Quartum, interdictum vnde vi aut clam, &c. Quamuis autem formulæ hæc ac modus procedendi, non fit hodie in vsu, vt *Instit. & C. de interdictis* habetur remedia tamen illa sunt in vsu, eisdemque vocabulis appellantur.

Interdictum, seu possessoria remedia vnde dicta.

6 Interdictum quorum bonorum.

Interdictum quorum bonorum, ad possessionem adipiscendam ordinatur, eoque possessio bonorum, quæ defunctus tempore mortis possidebat, conceditur hæredi, tam ex testamento, quàm ab intestato, aduersus quemcunque alium possessorem, aut contendentem possessionem eorum: modo hæres adeat hæreditatem, possessionemque nunquam acquisierit. Si namque post hæreditatem aditam, possessionemque acquisitam, ex ea deiiceretur, vel iam esset deiectus, non subueniretur ei hoc remedio, vt habetur *Instit. de interdictis* §. 2. Hæc omnia habentur *l. 1. & seqq. ff. & C. quorum bonorum*, & *Instit. de interdictis* §. *citato*. Si tamen possessor aduersus hæredem ostenderet se titulo possidere, locum non haberet hoc interdictum, vt cum multis aliis affirmat Antonius Gom. *ad l. 45. Tauri. num. 128. iuxta l. 1. ff. quorum bonorum*: possetque possessor opponere, se dominum esse, admitteretur que ea exceptio: modo in continenti comprobaret, vt *ad finem numeri sequentis* Ant. Gom. subiungit.

7 Quorum legatorum.

Aduersus legatarium, qui absque facultate hæredis occupasset possessionem legati sibi relicti, conceditur hæredi interdictum quorum legatorum, vt in legati possessionem mittatur, quando à tali legato detrahenda esset falcidia hoc est, portio quædam ipsi hæredi, iuxta iuris ciuilis dispositionem debita, vt suo in loco videbimus. Hoc totum constat ex *l. 1. & sequentibus ff. quorum legatorum, & ex l. vnica C. eodem titulo*.

8 Vti possidetis & vtrobi.

Interdicta, vti possidetis, & vtrobi, inseruiunt ad retinendam possessionem. Interdictum quidem, vti possidetis, in rebus immobilibus: interdictum verò, vtrobi, in rebus mobilibus. Contendentibus namque aliquibus de re aliqua, ille, horum interdictorum beneficio, in possessione conseruatur, qui tempore litis possidere inuenitur: modo tamen non inueniatur possidere vi, aut clam, vel precario ab eo, qui cum eo contendit, esto ab aliquo alio possideat vi, clam, aut precario. Si verò dubium sit quis eorum potius reipsa possideat, ille his interdictis tuendus est in possessione, de quo verisimilius est ipsum possidere: quare ad alterum spectabit proprietatem petere in iudicio, probareque eam ad se pertinere, atque adeò directè petere, vt proprietas sibi adiudicetur, & in consequentiam proprietatis petere, vt in possessionem illius mittatur. Hæc omnia habentur *l. 1. & se. ff. vti possidetis & l. vnica C. vti possidetis*, & §. *retinendæ, & §. quorum ius, Instit. de interdictis*.

9 Quædam alia interdicta inseruiunt ad recuperandam possessionem amissam: eaque de causa restitutoria interdicta appellantur. Eiusmodi sunt interdicta, vnde vi, & vnde vi aut clam, & precarium. Is namque qui probat alium vi à se possessionem eripuisse aut clam, vel precario possidere, hoc est, cum precibus à se possessionem, aut vsum alicuius rei vsque ad tuum beneplacitum, aut etiam ad aliquod tempus obtinuisse, restituitur in possessionem beneficio horum interdictorum; aliusque à possessione deiicitur, vt patet *ff. de vi & vi arma. & ff. quod vi, aut clam, & ff. de precario*. Quamuis autem interdictum, vnde vi, quondam solum haberet locum in rebus immobilibus: in rebus verò mobilibus non, nisi quando intra res immobiles continebantur, simulque cum immobilibus vsurpabantur, expellens à possessione teneretur ad omnes fructus & damna subsecuta, hodie tamen *C. vnde vi. l. sit quis in tantam, & Instit. de vi bonorum raptorum* §. *quia tamen, & Inst. de interdictis.* § *sed ex constitutionibus*, vi expellens à possessione tam bonorum mobilium, quàm immobilium, non solùm pellitur à possessione, & tenetur ad ea omnia, quæ dicta sunt, sed etiam amittit expulsorem illam, si erat sua: quod si sua non erat, cogitur eam illi restituere, & insuper æstimationem illius, esto expulsus iniuste eam possideret. Si quis etiam ingrediatur possidendam rem aliquam possessore vacantem, ita vt neque ciuiliter possideatur, quam tamen sciat, non ad se, sed ad alium pertinere: siue sciat in particulari quisnam ille sit, siue non statuitur, *l. vl. C. vnde vi*, vt non solum tradere teneatur rem illam ei, ad quem pertinet, cum omnibus fructibus & damnis, ea de causa illi subsecutis, sed etiam teneatur vniuersim, ad omnia ad quæ teneretur, si vi possessionem illam occupasset. Meminisse tamen necesse est, leges has pœnales esse, neminemque proinde ad has pœnas teneri ante latam sententiam.

Vnde vi, & Vnde vi aut clam, & precarium.

Porrò ea, quæ de pœnis dicta sunt, quas incurrit is, qui vi possessionem occupat, alterumque ab ea deiicit, confirmata ac stabilita sunt Ordinationib. huius Lusitaniæ Regni *lib. 4. tit. 50. & in Regio Castellæ lib. 3. Ordinat. tit. 14. l. 2 & lib. 4. fori titu. 4. l. 1. & 2. 5. tit. 13. l. 11. & lib. 4. nouæ coll. 8. tit. 13. l. 1. & lib. 6. tit. 3. l. 11.* Et quamuis Ordinationes huius Regni solum videantur facere mentionem de possessione rerum immobilium, cum tamen nihil in contrarium statuant circa res mobiles, remanet circa illas dispositio iuris communis legis, *si quis in tantam*, ac proinde idem censendum est in hoc regno de rebus mobilibus & immobilibus. Couar. *1. p. tit. solut. c. 6. n. 7.* affirmat, rigorem pœnæ illius legis, si quis in tantam, communi vsu Christiani orbis antiquatum esse, refertque testimonia quorundam id asserentium. Antonius tamen Gom. *ad l. 45. Tauri. n. 18. & 28.* perinde loquitur, atque si antiquatus non esset, & in hoc Lusitan. Regno studio antiquatum non esse, imo ordinationem quæ illi consonat, vim suam retinere. Quod attinet *ad l. vltimam. C. vnde vi, in Ordinationibus huius Regni loco citato.* §. 1. in hunc modum limitatur: *Si quis occupet rem vacuam possessione naturali, credens non esse suam (quæ occupatio ibidem dicitur fieri, non vi vera, sed quasi vi) posteaque comperiat esse suam, admittatur ad id summarie probandum, & quidem si intra quatuor dies, vel scriptura publica, vel testibus, in casibus, in quibus in hoc Regno probatio per testes admittitur, id probauerit, teneatur nihilominus restituere possessionem antiquo possessori, non tamen prohibeatur contendere cum eo de proprietate, & in consequentiam proprietatis de possessione. Si verò intra quatuor dies id non probauerit, amittat omnino ius, quod habebat, nunquamque amplius admittatur ad id probandum.*

10

11 Lusitania.

Quando autem censendus sit aliquis vi expellere alterum à possessione per se, vel per alium, multis iuribus traditur late *ff. de vi & vi armata, & ff. quod vi aut clam.* Obserua tamen, quod licet is, qui animo

12

13

possi-

possidendi occupasset rem immobilem absentis, ac proinde possidentis illam solum ciuiliter ratione absentiæ, non censeretur vi proprie dicta acquisiuisse naturalem possessionem illius rei: si tamen vi prohiberet possessorem ciuiliter redeuntem, ne acciperet possessionem eiusdem rei naturalem, procul dubio, quarentis ea violentia prohibitione spoliaret eum possessione ciuili, quæ eo ipso, iuxtà legem *clam possidere. §. qui ad nundinas. ff. de acquir. pos.* transiret ipsum, césendus esset vi proprie dicta spoliasse illum possessione ciuili, eamque sibi comparasse. Quare §. *qui ad nundinas* citatus, dum affirmat, eum, qui ita spoliat alium possessione ciuili, possidere vi, intelligendus est de vi proprie dicta. Neque is, de quo agimus, solum censendus est vi possidere, quando ad arma ventum est, repulitque alium conantem occupare possessionem naturalem sed etiam quando ille metu armorum, & periculi, quod sibi imminebat, accedere ad occupandam possessionem naturalem non est ausus, eaq; ratione spoliatus est ciuili, vt colligitur *ex l. 1. §. eum qui, & l 3. in princ. ff. de vi & vi armata.* Si tamen is, qui regreditur, statim iudicis autoritate tentaret expellere alium à possessione naturali, vtens interdicto vti possideris, petensq; conseruari in sua possessione ciuili. quam adhuc retinet, tunc ille alius cum nondū vi spoliasset hunc possessione sua, nō incideret in pœnam legis, Si quis in tantā, sed iuxta Ordinationes huius regni incideret in pœnam *L. vltimæ C. vnde vi*, moderātam, vt Ordinationes huius Regni eam moderātur.

14 *Possessionē, etiam ciuilem, quatenus armis defendere licet.*

Illud etiam obserua, cum vt habetur *l. 1. C. vnde vi & ff. de vi & vi armata l. 1. §. eum qui, & l. 3. §. eum igitur.* vnicuiq; rite possidēti fas sit armis suam defendere possessionem, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, consequens profecto est, eum, qui regreditur, suamq; inuenit naturalem possessionem occupatam, posse armis, si ita opus sit, expellere iniuste eam occupantem, non minus quam, qui simul est in possessione ciuili & naturali, potest eam armis defendere aduersus iniustè eam inuadentem, vi cum repellendo cum moderamine inculpatę tutelæ. Ratio, quia defensio ciuilis possessionis eius, qui regreditur, & inuenit rem suam occupatā quoad possessionem naturalem, id postulat: vnicuique autem fas est defendere suam legitimam possessionem aduersus eam impedientem. Cum hac nostra assertione consonat apertè. *Colim. 1. de restit. spoliator.* eamq; affirmat Panor. *c. item cum, eod. tit. n. 4.*

15 *Recuperare possessionem vi amissam quatenus armis in cōtinenti licet.*

Illud præterea aduerte, vt habetur *l. 3. citata. §. eum igitur*, & tradunt Ordinationes huius Regni *loco citato. §. 2.* non solum fas esse defendere propriam possessionem vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed etiam, postquam ab ea deiecti sumus, fas esse eam vi & armis cum eodem moderamine recuperare: modò tamen fiat in continenti, & non ex interuallo. Quando autem censendum sit fieri in continenti, & non ex interuallo, dicunt optimè ordinationes huius Regni, appositè ad doctrinam Bartoli, & multorum aliorum, quos Anto. Gom. *in l. 45. Tauri. n. 190* refert ac sequitur, id arbitrio prudentis viri pensandum iudicandumq; esse, spectata qualitate rei, de qua quis expulsus, qualitate & conditione loci, qualitate ac potentia, tam expellentis, quam expulsi, aliisq; circumstātijs concurrētibus. Si enim, inquiunt Ordinationes, expulsio facta fit ab homine infimæ sortis, & nullius ferè potētiæ, alteri simili, aut maioris potentiæ, recuperatio in continenti, & non ex interuallo, censebitur illa, quę facta fuerit, antequam expulsus ad aliud diuertat. Quòd si, postquam ad aliud diuertit, vi velit possessionem recuperare, censebitur, non in continēti, sed ex interuallo id efficere, ac proinde incidet in pœnam. *l. si quis in tantam.* Si verò, inquiunt Ordinationes, expulsio facta esset à nobili, & circa rem magni ponderis, atque in loco, vbi expulsus non facilè poterat conuocare tantam copiam hominum, quæ, spectata potentia & præsidijs eius, qui eiecit, ad recuperandam possessionem sufficeret; tunc tanto tempore iudicandum est in continenti & non ex interuallo, aggredi recuperationem rei, quanto iudicatū fuerit indiguisse ad sufficienter se præparandum, morali adhibita diligentia, & spectatis circumstantijs omnib. concurrentibus: ad quod, inquiūt Ordinationes, aliquando duo menses non sufficient: & Hugotio; quē multi ex iuris peritis sequuntur, affirmauit interdum nec 10. annos sufficere, si res occupata castrū sit, cōtrouersiaq; sit inter duces aut alios potentes, cōcurrantq; aliæ circumstantiæ, quæ moram maiorem ad recuperationem requirant. Addit Anto. Gom. *loco citato*, quando in continēti recuperatur possessio, censeri nō fuisse amissam quo fit, vt ea interruptione non impediatur præscriptio, vt glossa quædam, quam Bartolus & alij sequuntur, affirmat. Optimè etiam admonet, ea, quæ dicta sunt, intelligenda esse quando aliquid cōceditur fieri, in continenti, & nō ex interuallo, ad ppulsandam iniuriam realem. Secus autem quando permittitur ad vindicandā iniuriā personalem; quo pacto marito impunè permittitur interficere vxorem & adulterum in adulterio deprehensos, modo id in cōtinenti. & nō ex interuallo, efficiat. In eo namq; euentu, idem est dicere, in continenti permitti, ac dicere in flagranti delicto, videlicet statim ac deprehensi sunt, antequā manus eius effugiant, penitusq; pro tunc euadant.

16 17 18

Duo hoc loco obserua. Primum est. Interdicta, imò & pœnam legis. Si quis in tantam, habere locū in fructuario, quādo molestatur, aut expellitur à sua possessione naturali, vel etiā ciuili iuris vsusfructus, imo & in iis qui habent quasi possessionem seruitutum, aliorumq; iurium corporalium, vt colligitur *ex l. 3. §. vnde vi. ff. de vi & vi armata*, & ex alijs iuribus, affirmantq; alij, quos *ad l. 45. Tauri. nu. 191.* Antonius Gomez. refert ac sequitur.

19 *Idem de possessione usufructus similiumue.*

Secundum est. Esse legem quandam ecclesiasticā aduersus vi occupātes possessionem beneficiorum ecclesiasticorum, similem *legi. Si quis in tantā*: quā *l. 1. eamque eum qui de præbendis libr. 6.* statuum est, eum qui vi occupat beneficium curam animarū habens, aut in id scienter se intrudit (dicitur autem intrusus, qui scienter iniustè occupat beneficium, siue vi illud occupet, siue non) esse ipso iure priuatum quocunque alio curam animarum habente, si forte aliquod aliud habebat. Additur præterea eū, qui violenter occupat dignitatem aut beneficium quoduis ecclesiasticum, eo ipso amittere omne ius quod ad illud habebat, si fortè ius aliquod ad illud habebat. Couar. *3. variar. resolut. cap. 16. nu. 7.* & 8. cum quibusdam alijs affirmat, eum, qui inuitis & contradicentibus possessoribus beneficij, possessionem acciperet, incurrere pœnam illius capitis, quamuis haberet iustum titulum, & quamuis possessores resistere non fuissent conati. Rationem reddit, quoniam illa, inquit, in re proposita censetur violēta occupatio possessionis, consonantq; satis verba capitis illius. Si tamen ingrederetur possessionem beneficij vacuam, non diceretur violentus possessor: quocirca nō incurreret pœnam illius capitis tanquā violētus possessor. Si tamē beneficium esset curatum, sciens; se fine titulo iniustè occupare possessionē, eam nihilominus occupasset, incurreret pœnam prioris partis capitis tanquam intrusus in beneficium curatum.

20 *Pœna occupantium beneficium Ecclesiasticum.*

Quod attinet ad possessionem clam, illud obiter est aduertendum. Illud possidere clam, qui in principio acquisiuit clam possessionem, vt in reb. mobilib. fur acquirere solet non solum possessionē naturalem, sed etiam ciuilem: in rebus tamen immobilibus, quia acquirit clam possessionem, solum cōsueuit comparare possessionem naturalem; quippe cum ante scientiam antiqui possessoris non comparet possessionem ciuilem. Itaque ex initio possessionis

21 *Possidere clam quid dicatur.*

nis acquisitæ, iudicandum est, an quis clam possideat vel non: si enim à principio clam acquisiuit possessionem, esto postea manifestet se possidere, dicitur clam possidere: si verò in principio non acquisiuit possessionem clam, & postea eam occultet, non dicitur clam possidere, vt habetur *l. clam, ff. de acquir. poss. & alijs in iuribus.* Hæc pauca ita in genere dicta sint de interdictis, remediisve possessoriis. Quod si longiorem desideras disputationem, lege inter alios Anton. Gom. *ad l. 45. Tauri à n. 127. vsque ad 192.*

SVMMARIVM.

1 *Reijcitur Bartoli possessionis definitio in sensu formali.*
2 *Iniustè possidens verè possidet.*
3 *Alia possessionis definitio in sensu formali.*
4 *Possessio varie diuiditur.*

POSSESSIONIS DEFINITIO IN sensu formali, nonnullæq; diuisiones possessionis.

DISPVTATIO 17.

DIsputatione 12. definitionem possessionis in sensu causali tradidimus & explicauimus, quæ plus facere videbatur ad intelligentiam eorum, quæ de possessione hactenus dicta sunt. Supereſt inuestigemus, quonam pacto in sensu formali definiri queat, nec non vt nonnullas possessionis diuisiones subijciamus.

Bartolus *l. in princip. ff. de acquirenda possessione*, credens possessionem essentialiter esse ius quoddam (qua in re Doctores communiter Bartol. sequuntur) in hunc modum definit possessionem in sensu formali. *Est ius insistendi rei non prohibitæ possideri.* Idè verò intelligit per particulam, non prohibitæ possideri, quod nos per illam aliam, iurisq; adminiculo. Hæc tamen definitio mihi non placet. Is namq;, qui iniustè possidet, verè possidet, vt ex dictis est manifestum, Bartolusque ipse affirmat: & tamen non habet ius ad insistendum rei, quam possidet, sed ius ad insistendum est in eo, qui à possessione est iniustè deiectus, & qui reuera non possidet. Item possessio diuiditur per iustam & iniustam: & possessio iusta à iure insistendi, per quod completur inesse possessionis iustæ, habet quod sit iusta, ab insistentia verò ipsa iuris adminiculo habet, quod sit possessio: quare non in iure, sed in insistentia actuali, aut quasi habituali, in sensu supra explicato, posita est essentialiter possessio. Confirmatur, quoniam qui iniustè possidet, sed bona fide, reuera simpliciter & absolutè possidet, eoq; possessionis genere, quod ad præscriptionem sufficit, & vt licitè fruatur emolumentis omnibus possessionis disputatione præcedente explicatis: cum ergo simpliciter non habeat ius, sed solum secundum quid, hoc est, in sua existimatione, consequens profecto est, possessionem essentialiter non esse ius. His rationibus permotus arbitror, possessionem in sensu formali posse in hunc modum definiri: *Est insistentia actualis, aut quasi habitualis, in re aliqua ex apprehensione corpore & animo iuris adminiculo proueniens.*

1 *Iniustè possidens verè possidet.*

2

3 *Possessionis definitio.*

4 Possessio, inter alias diuisiones, diuiditur in iniustam, & iustam. Et possessio in se iniusta diuiditur in eam, quæ simul est talis ex mente possidentis, atque adeò quæ est mala fide, & in eam, quæ non est talis ex mente possidentis, estq; proinde bona fide. Simili modo possessio in tota sua latitudine diuiditur in possessionem bonæ fidei, & malæ fidei: de qua diuisione in materia de præscriptione erit fusior sermo. Item ex parte tituli diuiditur possessio in eam, quam vulgus iurisperitorum coloratam appellat, nos appellare possumus verisimilem, qualis est ea, cuius est titulus verisimilis, hoc est, non apertè nullus: & in eam, quam appellant non coloratam, dicere; q; possumus non verisimilē, qualis est, cuius titulus est apertè nullus. Item possessio pro varietate titulorum diuiditur quasi in varias species à titulis ipsis sumentes nomina, vt dicitur res aliqua possideri, pro empta, hoc est, titulo emptionis, pro donata, pro legata, pro dote, &c. Similiter dicitur quis possidere pro emptore, pro legatario, &c. Hæc de possessione dicta sint.

Possessio coloratæ quæ.

SVMMARIVM.

1 *Dominij iuris atq; iniuriæ sola libero arbitrio prædicta capacia.*
2 *Si quis bestias non solum oblectationis causa, vt in venatione, sed etiam absq; vllo emolumēto interficiat, nullam illis iniuriam irrogat.*
3 *An amentes & pueri, aut vsum rationis dominium habeant.*
4 *Deus ita Dominus omnium, vt nullius rei possit à se dominium abdicare.*
5 *Deus Dominus vitæ hominum & Angelorum.*
6 *Homo non est dominus vitæ suæ aut membrorum.*
7 *Dominus mancipij neq; illud interficere, neq; coniugium illius omnino impedire potest.*
8 *Homines domini rerum omniū, quæ cœli ambitu continentur, etiam lucis & influentiarum.*
9 *An homo sit dominus cœlorum.*
10 *Arg. negat primum.*
11 *Secundum.*
12 *Tertium.*
13 *Resolutio.*
14 *Respond. ad arg. primum.*
15 *Ad secundum.*
16 *Ad tertium.*
17 *Dominium rerum corporearum solo iure naturæ spectato, omnibus commune.*

VTRVM SOLÆ RES LIBERO ARBITRIO pollentes, dominij sint capaces.

DISPVTATIO 18.

EXplicato integrè dominio in genere, de illius, & de iuris subiecto est dicendum. Pars, quæ affirmat, ex iis quæ disp. 1. dicta sunt, satis perspicua est. Quæ namque arbitrio prædita non sunt, vt iniuriæ non sunt capacia, ita neq; iuris, atq; adeo nec dominij. Sane si quis bestias non solum oblectationis gratia, vt in venatione, sed etiam absque vllo emolumento, interficiat, nullam illis iniuriam irrogat magis, quàm si virgultum de quercu absque vlla causa præcidat. Poterit ille quidem iniuriam cum restitutionis onere domino animalis, aut plantæ, inferre, si arborem illius succidat, aut bestiam interficiat, non tamen animali, aut plantæ, vt D. Tho. 2. 2. q. 64. ar. 1. *ad* 3. adnotauit. Cum ergo, qui iuris est capax, iniuriæ quoque, qua contra ius illud veniatur, capax sit, efficitur, vt quæ libero arbitrio expertia sunt, iuris atq; dominij non sint capacia. Confirmatur ex illo Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, volatilibus cœli, & bestijs vniuersæ terræ*, quasi dicat, & eo ipso, quod ad imaginem & similitudinem nostrā sit, præsit, & dominus sit, sicut & nos domini sumus: cum ergo vt 1. p. ostensum est, homo ad imaginem & similitudinē Dei eatenus sit, quatenus intellectu & voluntate, liberove arbitrio est præditus: sit, vt quæ libero arbitrio expertia sunt, dominij non sint capacia: Vt enim, quæ mente sunt prædita, per suum arbitrium dominium habent suorum actuum, dum pro suo arbitratu eos eliciunt, eisq; vtuntur: sic etiam per idem arbitrium capacia sunt dominij aliarum rerū, quatenus eo ipso, quod illarum sunt domini, eis tam quam suis vti possunt pro arbitratu: dominiū namque ad

1 *Dominij iuris atq; iniuriæ sola libero arbitrio prædita capacia.*

2

que ad vsum liberam q; dispositionem rei, cuius quis est dominus, ordinatur. Confirmatur rursus eadem pars affirmans ex illis alijs verbis, quæ *Gen.* 1. subiunguntur. *Ecce dedi vobis herbam afferentem semẽ, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus.* Herba namque quæ pastum bestijs suppeditat, non bestijs ipsis, quæ domini capaces non sunt, sed hominibus data est, vt bestijs, quæ homini concessæ sunt, inseruiret in escam. Si quando ergo, quæ mentecarent, dominari, aut prædominari dicuntur, sermo est metaphoricus, vt *disp.* 1. explicatum est.

Dubium est hoc loco an amentes & pueri ante vsum rationis dominium habeant. Etenim non defuerunt, qui id negarent, ea ducti ratione, quod dominium liberum arbitrium velut fundamentũ habeat. Dicendum tamen est, sine dubio dominos eos esse rerum, quæ ad ipsos spectant. Dominium namque in potentijs fundatur, hoc est, in eo, quod secundum se & suam naturam natus quis sit vti rebus per liberum arbitrium, licet arbitrium ipsum, quoad vsum, sit impeditũ: alioquin eo ipso, quod quis dormiret, amitteret dominiũ suarum rerum, quod est ridiculum. Vnde iura, & pueris, & amentibus possessionem ac dominium tribuũt, vt *disp.* 12. dictum est. Illud demum Pauli *ad Gal.* 4. irrefragabiliter idem confirmat. *Quanto*, inquit, *tempore hæres parvulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium.*

Amentes & pueri dominium habẽt.

Illud animaduertendum est, Deum optimũ maximum, creationis titulo, ita vniuersorum esse dominum, vt quãtumuis dominium rerum aliquarũ creaturis mente prædictis concedat, contradictionẽ implicet, cuiusquam earum dominium à se abdicare, quasi eiusdem rei non maneat dominus. Quo fit, vt dominium, quod creaturæ libero arbitrio præditæ in alias res habẽt, cum sit participatio quædam diuini dominij, subordinatũ semper sit iuri ac dominio, quod Deus in easdẽ res habet, & ab eo dependens. Cum enim Deus hominum & Angelorum sit plenissimè dominus, multò plenius dominium rerum, quas illis concedit, apud se retinet, quam in eos transeat: non secus ac dominus alicuius mancipij, eorum, quæ mancipium possidet, dominus est.

Deus ita Dominus omnium, vt nullius rei possit à se Dominium abdicare.

Est vero Deus optimus maximus creationis titulo etiam vitæ hominũ & Angelorum dominus, quã proinde pro arbitratu potest ab eis auferre absq; cuiusquam iniuria. Quod tamen neq; creaturis ipsis, quarum est vita, cõuenit. Licet enim homines propriæ vitæ custodes sint, iusq; habeant ea fruendi, eamq; defendendi, & idcirco iniuria illis fiat, si iniustè ab eis auferatur, aut aliquid fiat, quo minuatur non sint tamen illius, aut membrorum domini, vt tractatu 3. ostendemus. Est præterea Deus eodem titulo Dominus rerum omnium, non ad certos & limitatos vsus, vt sunt creaturæ comparatione rerũ, quarum habent dominiũ, sed ad omnes vniuersim, etiam ad illas in nihilum redigendas. Creaturarum vero dominium ad multos vsus se non extẽdit: partim quia vim ad eos non habent, vt ad redigendum res in nihilum, aut ad alia supernaturalia circa illas exercendum: partim verò quia ius, quod in illis habent, ad eos vsus non se extendit. Hac ratione mancipij dominus neq; interficere illud potest, neq; impedire omnino illius coniugium, vsumq; ipsius. Illud tamen circa diuinũ dominium obserua. Quod cum dominus actu, suum correlatiuum actu etiam requirat, efficitur, vt licet Deus ex æternitate fuerit potentia dominus, actu tamen solum fuerit dominus à puncto creationis rerum.

Vt verò Angelos omittamus, de quorũ dominio non satis potest nobis in hac vita cõstare. Homines naturali iure domini sunt, saltem rerũ omniũ, quæ cœli ambitu continẽtur, etiam lucis & influentiarũ cœli, eo namque ipso, quod creaturę autor in prima rerum cõstitutione sublunaria omnia propter hominem condidit, vt essent in alimẽtum aliosq; vsus & commoditates: illius (id quod natura ipsa rerum, ordoq; earum aperte indicat) eo ipso, inquam, dominum eorum omnium illum constituit, vt natura ipsa rerumque ordo, & lumen naturale intellectus attestantur, quod est iure naturali esse hominem dominum eorum omnium quæ diximus. Porro dominium hoc naturale ex naturis rerum nouit Aristo. & docuit. 1. *Polit. c.* 5. & cum eo D. Thom. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 1. Quando ergo *Genes.* 1. hominibus dixit Deus, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, &c.* & rursus, *Ecce, dedi vobis omnem herbam, &c.* non contulit illis primo dominium, sed solum docuit dominium, quod creatione ipsa fuerant consecuti quodque ex naturis ipsis rerum poterãt per seipsos intelligere. Vnde merito non dixit, Ecce do, sed *dedi vobis omnem herbam, &c.*

Dixi, homines naturali iure dominos esse, saltem rerum omnium, quę cœli ambitu cõtinentur. Quoniam dubitare quis posset, an etiam cælorum essent Domini, posset que partem negantem confirmare. Primo, quoniam non possunt illis vti ad omnem vsum, neque de illis perfecte disponere: frustra autẽ natura concederet dominium rei, ad cuius vsum & dispositionem neque vires, neque facultatem concederet.

Argu. 1.

Secundo, quoniam *Genes.* 1. dum docetur dominium ipsa rerum constitutione eis traditum, solum fit mentio de dominio rerum sublunarium.

Secundum.

Tertio, quoniam *Psalm.* 113. dicitur, *Cælum cæli domino: terram autem dedit filijs hominum*: ergo dicendum est, saltem cœli empyrei, qui sedes est beatorum, homines non esse dominos, esto propter illos conditum sit.

Tertium.

Dicendum tamen est cum Dominico à Soto. 4. *de instit. quæst.* 2. *art.* 1. etiam cœlorum esse homines aliquo modo dominos. Id quod docere videtur D. Tho. 1. *p. quæst.* 69. *art.* 1. dum nullam creaturam corpoream excipit, cuius dominium hominibus creatione ipsa rerum nõ sit collatum. Et 2. *quæst.* 66. *art.* 1. dum nullam etiam rẽm externam excipit. Et confirmatur. 1. Quoniam constat cœlos, solem, lunam, & cætera astra non solũ propter homines fuisse à Deo condita, sed etiam in eorum ministerium, atque vt ex illis lumen, influentias, & cætera commoda reciperent: sic enim Moyses *Deut.* 4. ait, *Ne forte, elevatis oculis ad cœlum videas solem & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt*: cum ergo ex eo dominium hominum circa res sublunares colligatur, quod sint propter hominem in vsum & commoditates, quas ex illis recipiunt, consequens profecto est, vt & cœlorum sit etiam suo modo dominus. Secundo, quoniam ad dominium satis est facultas pro arbitratu eis vtendi ad vsus, ad quos natura contulit nobis res & ad vsus, qui lege diuina vel humana non sunt prohibiti: homo namque dominus est sui mancipij, esto nefas sit ei illud interficere, & dominus est rerum, quas non potest redigere in nihilum: ergo cum homo vti & frui possit astris, & cœlis, quoad lumen, influentias, & alias commoditates, quas ex eis percipit, & quarum causa creata sunt, sane, licet cœlos destruere non possit, nec impedire eorum motum, & esto vires ad id haberet, nefas illi esset: eo quod Deus ius ad id ei nõ concederet, quia cederet in præiudicium aliorum & damnum vniuersi: id non tollit, quo minus suo modo dicendus sit illorum dominus, quoad vsus & commoditates, quas diuina institutione ex illis percipit. Esto namque destruere quis posset integrum elementum aliquod, aut speciem aliquam, vt poterat Noe, dum eas inclusas habebat in arca, sane ius ad id non haberet: quia cederet in præiudicium aliorum, & in detrimentum vniuersi: & tamen non

Cælorum etiam sunt homines aliquo modo domini.

Homines domini sunt rerum quæ cœli ambitu cõtinentur.

idcirco

idcirco dicendus esset non habere cum cæteris hominibus dominium rerum sublunarium.

14 *Ad primū.* Ad primum ergo argumentum in contrarium dicendum est, ad rationem dominij nec̄ necessariū esse, vt qui dominus est rei alicuius possit ea vti in omnem vniuersim vsum, sed solum in eum, ad quē vires habet, & qui nec lege diuina, nec humana sit illi prohibitus, nec̄ item vt possit de illa quocunq; modo disponere, sed solum quoad vsus sibi possibiles, transferibiles q̄ in alios, absque cuiusquam legis prohibitione. Hoc autem modo esse possunt homines domini, etiam cœlorum, quoad vsus & commoditates, quas ex illis possunt recipere, non verò quoad naturas ipsas cœlorum, vt D. Tho. 2. 2. q. 66. *artic.* 1. adnotauit. Disponere etiam possunt de huiusmodi commoditatibus, quoad id fieri possit, vt lucem per domūm suam communicando domui alterius, &c. non tamen ita, vt in detrimentum propriæ vitæ cedat abdicare à se commoditatem aliquam, quia id iure naturali est prohibitum.

15 *Ad secundum.* Ad secundum dicendum est, ob id *Gen.* 1. factam fuisse mentionem solum de rebus sublunarib. quoniam illæ plus hominibus sunt subiectæ, pleniusque dominium circa illas habent, quàm circa res cœlestes; non verò quod cœlorum nullum dominium habeant. Hac etiam ratione, licet *Psalm.* 8. dicatur: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, peculiariter tamen additur, *oues & boues vniuersas, volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.*

16 *Ad tertium.* Ad tertium dicendum est, testimonium illud intelligendum esse, quoad habitationē peculiari quodam modo. Eo enim pacto elegit sibi Deus cœlum empyreum in peculiarem suam sedem, habitationem, ac curiam, in qua Angelis beatis & iis animabus sanctis, quæ nihil iam expiandū habent, seipsū per visionem beatificam communicat: terram autē dedit in habitationem filiis hominum, dum ecclesiæ militantis cursus perseuerat. Porrò in cœlum empyreum habent etiam homines suo modo dominium, quatenus & tectum domus huius vniuersi corporei est, quæ hominibus est donata, & *iuxta* D. *Thomæ opinionem* in hæc inferiora influit, vt in tract. de opere sex dierum dictum est.

17 *Dominium rerum corporearum, solo iure naturali spectato, omnibus commune.* Illud postremo, vt viam *disput.* 20. præmuniamus, est animaduertendum. Quod cum naturæ author ita res omnes alias corporeas condiderit propter genus humanum, vt nihil, constitutione ipsarerum, cuiquam hominum proprium effecerit, sed omnes indistinctè in hominum commodum & vtilitatem condiderit; efficitur, vt, si solum ius naturale, primamq; rerum constitutionem spectemus, dominiū aliarum omnium rerum corporearum omnibus hominibus sit commune, nullaq; rerum dominia sint inter homines diuisa. Dona tamen, siue corporea, siue incorporea, siue indita à natura, siue propria industria comparata, quæ cuique hominum ineſſent, illius essent propria quoad dominium, vt pulchritudo, artes, scientiæ, & id genus alia, imo & honor, & fama propriis meritis comparata, quāmuis ab alienis suppositis, quoad opinionem vel honorem externum, penderent.

SVMMARIVM.

1. *An dominium amissa charitate per lethale peccatum pereat.*
2. *Arg. affir. opin. primum.*
3. *Confirmatur.*
4. *Secundum.*
5. *Tertium.*
6. *Resoluitur: dominium lethali crimine non amitti.*
7. *Resp. ad arg. primum.*
8. *Ad confirmat.*
9. *Ad Secundum.*
10. *Ad tertium.*

VTRVM EXISTENS EXTRA CHARITATEM dominii sit capax.

DISPVTATIO 18.

1 *Error Vualdenſium, & aliorum.* ERror fuit Vualdenſium, quem ſecuti ſunt Vicleffus, & Ioannes Hus, de eo *in Conc. Conſt. ſeſſ.* 8. & 15. damnati, fundamentum dominij iuriſdictionis, poteſtatis videlicet ciuilis & eccleſiaſticæ, eſſe charitatem: ita. 1. vt amiſſa per peccatū lethale charitate, cōtinuo poteſtas ciuilis & eccleſiaſtica amitteretur. Imo quidam eorū aſſeruerunt, prædeſtinationem quoq; eſſe fundamentum poteſtatis ciuilis & eccleſiaſticæ. Ante hos omnes fuerunt alii hæretici tempore beati Bernardi, qui vt ipſe *ſerm.* 66. *in Cantica* refert, ſe apoſtolicos appellabant, idemque prorſus quod Vuicleffus & Ioannes Hus aſſeuerabant: Armachanus quoque *libro* 10. *de quæſtionibus Armen. cap.* 4. *& in dialogo inſcripto, Defenſorium pacis*, affirmauit, fundamentum dominij & poteſtatis ciuilis, qualis eſt in regibus, eſſe charitatem. Licet hi omnes de dominio iuriſdictionis loquantur, quia tamen argumenta, quibus nituntur, nō minus cum dominio proprietatis pūgnant. Conraduſq; *de contractibus qu.* 7. de vtroque dominio eorum errorem accipit, nos de dominio in genere quæſtionem excitamus.

2 *Arg. 1.* In confirmationem huius erroris argumentatur 1. Armachanus. Quia dominium omne, & poteſtas, omnis eſt à Deo: non eſt autem rationi conſentaneum, vt inimicis & inobedientibus, ſuarumq; legum tranſgreſſoribus, Deus hæc beneficia conferat: ſicut nec humani principes ſua munera & bona conferre ſolent inimicis & inobedientibus: ergo fundamentum vtriuſque dominij eſt charitas.

3 *Confir.* Confirmatur, quia Oſeæ. 8. non videtur Deus agnoſcere dominium & imperium in peccatoribus, Ipſi, inquit, *regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui*; reddituſq; continua cauſa: *Argentum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent*: ergo per peccatum poteſtas & dominium amittitur. Adde. Saulem. 1. Reg. 15. propter peccatum proiectum fuiſſe à Deo, nē regnaret ſuper Iſrael.

4 *Secundum.* Secundò, dominij fundamentum eſt, hominem eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei, vt in diſputatione præcedente dictum eſt: ſed in eo, in quo non eſt charitas, quique lethali crimine eſt infectus, non remanet Dei imago: ergo neque dominium vllum aut poteſtas in alios.

5 *Tertium.* Tertiò, ob crimen læſæ maieſtatis humanæ amittitur dominium: ſed lethale peccatum eſt crimē in diuinam maieſtatem: ergo per illud amittitur dominium, & poteſtas in alios.

6 *Dominium lethale crimine non amittitur.* Contraria tamen concluſio tanquam orthodoxa fides eſt amplectenda, nempe, per lethale crimen neutrum dominium amitti, atque adeo charitatem, nec dominij proprietatis, nec iuriſdictionis eſſe fundamentum. *Ita Bernard. ſermone* 66. *in Cantica. Gerſon de vita ſpirituali lect.* 3. *Victoria in relatione de Indis Inſulanis à num.* 5. *Conradus quæſtio.* 7. *citata, Alfonſus à Caſtro aduerſus hæreſes titulo. Poteſtas: & alii.*

Definita fuit *in Concil. Conſtant. ſeſſ.* 8. vbi quartus artic. Vuicleffi damnatus habebat. *Si Epiſcopus, vel ſacerdos, eſt in peccato mortali, non conficit. non ord. nat., non conferat, non baptizat.* Et octauus, *Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles.* Decimusquintus, *Nullus eſt dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dū eſt in peccato mortali.* Decimusoctauus, *Parochiani poſſunt propter peccata ſuorum prælatorum ad libitum ſuum auferre decimas.* Eadem concluſio in eodem Concilio definita fuit *ſeſſione quinquageſima quinta* vbi artic. 8. aduerſus Ioannem Hus damnatus habebat, *Sacerdotes quomodolibet criminoſe viuentes*

Sacerdo-

Sacerdotii polluunt potestatem. Et 30. *Nullus est dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Eadem conclusio ex parte definita est *in Concil. Trident. sess. 7. canone 12. de sacramentis in genere. & sess. 14. canone 10.*

Deinde probatur *conclu. 1.* Quoniam seculares principes & potestates, de quibus Paulus *ad Rom. 13.* loquebatur, sane infideles erant in lethali peccato sine charitate: & tamen obedire illis præcipit, illosque ministros Dei esse affirmat, à Deoque habere eã potestatem. Ait namque. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et infra. *Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: & cui honorem, honorem.* Et Petrus *1. sua canonica cap. 2.* cum præmisisset, *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam*, addit. *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia sic est voluntas Dei.* Et infra. *Serui subditi estote in timore domini, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis: vbi peccatoribus obedire præcipit.* Et Christus Matt. 23. *Super cathedram, inquit, Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere*: ergo potestas, atque adeo dominium, per lethale peccatum non amittitur. Lege Bernardum *sermone 66. citato*, vbi alia scriptura testimonia docte expendit. Secũdo, scriptura sacra malos & peccatores appellat reges, & Dauid, dum eum insequebatur Saul, dominum suum, & vnctum Domini eum appellabat, neque ausus est extendere manum suam in eum, quin, vt habetur *1. Regum. 24.* quod præcidisset oram clamydis Saul silenter, percussit cor suum: eo quod esset vnctus Domini: cum tamen Saul esset in actuali lethali peccato. Item nec Dauid ipse, & Salomon, nec multi alii iniqui reges, tam Iudæ, quam Israel, amiserunt regnum dum lethaliter peccauerunt, aut in peccatis perseuerauerunt: dictum namque erat. *Non auferetur sceptrũ de Iuda, nec Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est*: ergo per lethale peccatũ dominiũ non amittitur. Tertio, non magis dignus est peccator, vt spolietur naturalib. quã supernaturalibus: sed propter peccata lethalia, quæ cum fide ac spe non pugnant, non amittuntur fides & spes supernaturales, vt suo loco *in hac 2. 2.* demonstratum est, & quoad fidem definit Concilium Trident. *sess. 6. Canone 25.* ergo nõ amittet peccator potestatem ciuilem aut dominium temporale. Quarto, si per peccatum lethale amitterentur potestas ciuiles & dominia rerum, sane incerta esset omnis dominia: quippe cum incertum sit, quis sit in lethali peccato, & quis non: quare, præter alia incommoda, nescireturan, & cui faciẽda esset restitutio. Item via aperiretur deprædationibus & seditionibus, cum vnusquisque obtendere posset, se vsurpasse, aut vsurpare velle res aliorum, quod in lethale peccatum incidisset, dominiumque rerum suarum amisissent. Præterea incertum esset, quisnam esset legitimus dominus, cui parendum esset, & num leges & præcepta ab eo lata vim vllam haberent: quare periret regimen & administratio rerum publicarum, & consequenter pax, & tranquillitas hominum: stultum autem est cogitare, sapientissimum Deum sic res disposuisse, vt tot & tam grauia incommoda locum haberent. Postremo; non minus indignus est peccator vita & iure, quod circa suam propriam personam habet, quam sit indignus rebus exterioribus. sed per lethale peccatum non amittit vitam, libertatem, ius, propriam vitam, ac propriam libertatem defendendi, & contrahendi matrimonium: ergo neque amittit dominium rerum exteriorum. Quemadmodũ enim Deus promiscue bonis ac malis vitam in hoc mundo concedit vsque ad certum vitæ terminum, in quo vitam æternam promereri valeant, aut ab ea pro sua libertate in extremam miseriam deflectant, nec per peccatum eam cõtinuo aufert: sic quoque in vitæ subsidium, promiscue bonis & malis bona hæc temporalia concedit, facitque solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, vt *Matth. 5.* habetur.

Ad primum ergo argumentum in contrarium neganda est minor. Cum enim Deus homines in hoc mundo in probationem constituat, eos ad pœnitentiam vsque ad mortem cuiusque expectans, sane quemadmodum malis & peccatoribus auxilia supernaturalia & dona pro sua bonitate largitur, quibus eos ad se trahit, sic quoque omnibus indifferenter subsidia temporalia tribuit: tametsi aliquãdo, vt eos deterreat & adiuuet, & vt seueritatem aliquam suæ iustitiæ in hac vita experiantur, eos in temporalibus puniat, sterilitate, morbis, priuatione regnorum, imo & ablatione vitæ, aliisque similibus infortuniis, vt ex scripturis sanctis constat. Ad Dei etiam prouidentiam spectabat, ita potestates ciuiles & ecclesiasticas instituere, vt non statim commisso quocunque lethali peccato, vel publico, vel occulto, amitterentur, propter grauissima absurda & incommoda, quæ ex contraria dispositione sequerentur, vt ex parte explicatum est. 7 *Ad primũ.*

Ad confirmationem dicendum est, Deum eo in loco conqueri quod decem tribus elegerint sibi in regem Roboam, & successores eius domino inconsulto, & quod post regem ita electum, confecerint sibi vitulos aureos & argenteos, atque in pœnam horum delictorum minatur illis mala omnia quæ Propheta eo loco connumerat: non vero affirmat reges illos amisisse eius regni statim post admissum peccatum. Lege si placet Driedonem *de libertate Christiana lib. 3. cap. 9.* Id vero quod de Saule subiungitur, non est contra nos. neque enim negamus Deum aliquando in pœnam iustam peccati priuare aliquos regno, sicut & valitudine ac vita. Aduerte tamen, Saulem non ita fuisse deiectum de regno, quasi aliquo tempore post peccatum non fuerit rex: sed ita, vt, in pœnam delicti, non succederent illi posteri sui in regno, sed in eo finiretur. Quo fit, vt Dauid vnctus fuerit in regem, non vt statim rex esset, sed vt Sauli in regno succederet. Id quod satis innuit Dauid dum super Saulem tanquam regem veneratus est, atque, vt ei succederet, diem obitus illius spectauit. 8 *Ad confir.*

Ad secundum neganda est minor: homo namq; quatenus per intellectum & voluntatem libero arbitrio est præditus, dicitur esse ad imaginem & similitudinem Dei vt disputatione præcedente, & latius 1. p. dictum est, quod maner amissa charitate per lethale peccatum. Quare argumentum retorqueri optime potest in aduersarios. 9. *Ad secundũ.*

Ad tertium dicendum est, ob crimen læsæ maiestatis humanæ amitti dominium posita ea lege positiua, qua ea pœna statuta est, accedenteque sententia: at cum non sit lex statuta, quod per quodcumque lethale peccatum dominium amittatur, non est par ratio. Adde, licet lethalia peccata Deum offendant, non tamen eis intendi læsionem maiestatis diuinæ: cum tamen crimina læsæ maiestatis humanæ directe tendant in principum aut Reipublicæ perniciem. 10. *Ad tertiũ.*

):(

SVMMARIVM.

1 *Dominium Iurisdictionis post Adæ peccatum necessarium.*
2 *Dominia proprietatis licite non fuisse introducta arg. primum.*
3 *Secundum.*
4 *Expedientior esset communis rerum possessio.*
5 *Dominia vt in innocentiæ statu indiuisa esse, decens erat ita postea diuidi debuerunt.*
6 *Diuisio rerum nec de Iure naturali, nec de Iure diuino positiuo, licite tamen de Iure gentium fuit introducta.*
7 *Quæstio num Iure naturali & non de Iure gentium introducta sit rerum diuisio.*
8 *Potestas alia Iuris naturalis alia positiui.*
9 *Tribus modis potuisse legitime introduci rerum diuisionem.*
10 *Indiuisa sunt primo occupantis.*
11 *Quædam ita communia relicta vt occupari non permittantur.*
12 *Iure ciuili quin & diuino quædam circa rerum dominia & diuisiones constituta.*
13 *Alicui hominum congregationi etiam post naturæ lapsum expedientior possessio in communi.*
14 *Bona communia esse debent omnibus quoad vsum in extrema necessitate.*
15 *Resp. ad arg. primum.*
16 *Ad secundum.*

AN LICITE ET QVO IVRE, RERUM dominia fuerint diuisa.

DISPVT. 20.

D. Thom. q. 66. art. 2.

EXplicatis iis, quæ circa subiectum dominii in commune disputanda videbantur, consequēter examinandum est, num rerum dominia licite fuerint, diuisa, & quo iure. Et quamuis quæstio præcipue habeat, locum in dominio proprietatis extendi etiam potest ad dominium iurisdictionis. Etenim statim ac genus humanum ab innocentiæ statu per peccatum corruit, necessarium fuit iurisdictionis dominium cum vi quadam coercente introduci, quo homines in officio continerentur, propulsarentur & punirentur iniuriæ, paxque & tranquillitas inter eos seruaretur. Multiplicatis præterea hominibus, & per orbem dispersis, necesse etiam fuit eiusmodi dominium diuidi, pluresque constitui rectores, qui varias prouincias ciuitates ac populos moderarentur.

1 *Dominium iurisdictionis post Adæ peccatum necessarium.*

Quod ergo dominia proprietatis licite non fuerint diuisa, suaderi potest. Primo quoniã ius humanum nullam vim habet aduersus ea, quæ sunt de iure naturali: quippe cũ naturale ius variationi & immutationi non sit subiectum, vt habetur *d. 1. ca. 1. & d. 6. ca. vltimo*, pertineatq; ad ius diuinum, vt *tractatu præcedente dispu. 3. & 4.* ostensum est, aduersus quod ius humanum nullam vim habet, vtpote ius inferioris, quod aduersus superioris ius vim nõ potest habere: sed de iure naturali sublunaria omnia sunt omnibus communia quoad dominium, vt *disp. 18.* ostensum est, & habetur *c. ius naturale. d. 1.* ergo rerum diuisio quoad dominia, quæ de iure humano fuit introducta, illicite facta fuit.

2 *Arg. primũ.*

Secundo, Clemens *c. dilectissimis. 12. q. 2.* ait; Communis vsus omniũ, quæ sunt in hoc mundo, omnib. hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, aliusistud, atque ita, inquit, inter mortales facta est diuisio: sed quod per iniquitatẽ est introductum, illicitum est: ergo licita non fuit rerum diuisio.

2 *Secũd.*

A Inter naturales etiam philosophos controuersum fuit, expedientior ne esset communis rerum possessio, non quidem in toto orbe, sed in vnaquaq; Republica, an vero diuisio rerum quoad dominia, qualis est hodie. Et quidem Socrates & Plato, vt Arist. 2. *Polit. c. 1. & 4.* refert, in ea fuerunt sententia, vt diceret, expedientius multo esse omnia in Republica esse cõmunia, non solũ possessiones, sed etiam vxores. Eandemq; Socratis & Platonis sententiam refert etiam Clemens *c. dilectissimis* citato. Ducebantur, quoniam ea ratione Respublica esset maxime vna absque dissimilitudine, arctiorque inter homines esset charitas & amor. Contra vero Aristoteles *eodem libro c. 2. & 3.* sensit, egregiisq; rationibus Socratis & Platonis Rempublicam impugnauit, ostenditq; ea via multo amplius pacem, coniunctionem, & ciuitatem inter B ciues perturbari. Neque in Republica, quæ totum quoddam est heterogeneum partium varietatem exigens, eam quærendam esse partium similitudinẽ ac vnitatem, quę naturam & rationẽ totius destruat. Lege eo loco Aristotelẽ, qui sane præcipua omnia, quæ ad rem hanc spectant, tetigisse videtur.

4

Verum philosophis omissis, sit 1. Concl. Quemadmodum in innocentiæ statu expediens ac decẽs erat communis rerum possessio (vxorem excipe, quæ, quo ad generationis actum cum lumine naturali, vt alio in loco est ostendendum, pugnat) ita in statu naturæ lapsæ, multiplicatisque in orbe hominibus, adeo expediens, ac necessarium est res quoad dominia esse diuisas, vt ex cõmuni rerum possessione grauissima orirentur mala, & incommoda, vixque hominũ status conseruari posset. Prior pars facile patet. Quoniã in eo statu absque vllo labore terra affatim suppeditaret hominibus necessaria, neque vlla in eis esset inordinata affectio ad temporalia, qua vnus in aliorũ iniuriam ac detrimentum aliquid sibi vellet vsurpare. Si qua etiam cultura esset opus, illa exigua esset, & absque labore quasi animi gratia, nullusque ad eam renitentiam, aut auersionem vllam haberet, quo fit, vt decens ac expediens tunc fuerit communis rerum possessio, qualis à Deo, ipsa rerũ institutione, fuerat hominib. collata. Posterior vero pars probatur. Quoniam cum ex vna parte post peccatum terra, vt hominib. necessaria suppediter, nimio eorum labore & sudore indigeat, vt experientia testatur, spinasque & tribulos, etiam culta, germinet, vt *Genes 3.* habetur: ex alia vero parte homines post peccatũ segnes ac debiliores ad laborandũ effecti sint, abundentq; prauis affectib. & cupiditatibus, sane si toti hominũ cõmunitati essent omnia communia, nullus culturã & administrationẽ temporalium rerũ propter laborem & molestiam, quã adiunctam habet, curaret: cum tamen singuli optimis quibusq; rebus potiri vellent. Vnde necessario sequeretur penuria & rerum egestas, orirenturq; rixæ & seditiones inter homines circa rerum temporalium vsum, ac consumptionem, robustiores opprimerent debiliores, nullus in rebus publicis seruaretur ordo, dum singuli se cæteris pares arbitrarẽtur, singulisq; proinde id muneris sibi vellent, quod plus commodi & honoris, minusque molestiæ & difficultatis haberet, nullusque id subire vellet, quod laboriosum, fordidum, & abiectum esset, reique publicæ necessarium: vt ergo hæc omnia absurda tollerẽtur, vnicuiq; demãdata est cura & administratio propriarum rerũ: atque ita expediens ac necessariũ omnino fuit diuidi rerum dominia, vt re ipsa diuisa intuemur. De hac re *Aristot. 2. Politicor. cap. 3. Diuus Thom. 2. 2 quæst. 66 art. 2. Conrad. de contractibus qu. 2. Medina de rebus restituendis. q. 1. Sotus. 4. de iustit quæst. 3. art. 1. Scotus in 4. dist. 15. qu. 2. & alii.* Obseruant Conr. & Sotus *locis citatis*, quamuis rerum diuisio non tollat, omnino absurda omnia & mala, quæ sequerentur, si rerum dominia non essent diuisa, vt tamẽ expediens & necessarium omnino sit ea diuidi, satis esse fi-

C

5 *1. Conclus. Dominia rerũ in innocentiæ statu indiuisa, ita postea diuidi debuere.*

D

E

se si magna ex parte tollantur. Posita namque hominum malitia & imbecillitate, quæ subtractionē iustitiæ originalis fuit subsecuta, nihil est quod naturæ humanæ sufficienter medeatur. In iis etiam, quæ ad finem ordinantur, satis est si medium aliquod expedientius & accommodatius ad finem iudicetur, esto non perfecte & plene, sed magna ex parte finē attingat, vt amplectendū sit, quando nō datur aliud, quod perfectius illum attingat.

6 *2. Conclus. Diuisio rerum gentiū iure facta fuit introducta.*

Secunda conclusio. Rerum diuisio nec est de iure naturali nec de iure diuino positiuo: licite tamen de iure humano gentiū fuit introducta. Prior pars probatur, quoniam nullam erit ostendere legem diuinam positiuam, qua rerum diuisio sit introducta, & vt ex dictis *disp. 18.* constat, stando in solo iure naturali, & constitutione rerum, omnibus omnia sunt cōmunia: ergo rerum diuisio neque est de iure naturali, neq; de iure diuino positiuo: sed si aliquo iure licite fuit introducta, illud fuit humanum. Cum vero apud omnes gentes rerum dominia sint diuisa, sane, si rerū diuisio licitè fuit introducta, iure gentiū id fuit effectum: quod addo, vt in probanda posteriori conclusionis parte, solum nobis probādum superfit, rerum diuisionem iure humano fuisse licite introductam. Confirmatur eadē conclusionis pars, ex Augustino *c. quo iure d. 8. ex tractatu. 6. in Ioannem.* vbi ex professo probat rerum diuisionem, neque de iure naturali, neque de iure diuino positiuo fuisse introductam, quin potius stando in solo iure naturali omnib. omnia esse communia, sed esse de iure humano. *Tolle*, inquit, *iura Imperatorum* (id est, ius humanum) *& quis audet dicere, hæc villa mea est, meus est hic domus?*

Posterior pars, nempe quod iure humano licite fuerit introducta, probatur. Primo, quoniam nō aduersatur iuri naturali, estque expediens & necessaria ad vitanda incommoda, quæ, vt paulo ante ostēdimus, sequerentur, si in statu naturæ lapsæ rerum dominia non essent diuisa, atque adeo consona est rectæ rationi: ergo licite potuit introduci iure humano.

Antecedens quoad posteriorem partem ex se, & ex dictis præcedente conclusione est manifestum.

Quoad priorē vero probatur. In primis, quoniam ius naturale non prohibet, quod est expediēs, & necessarium consonumque rectæ rationi: ius nāque naturale non impedit, quod bonum est. Præterea est dictamen rectæ rationis: dictamina autem rectæ rationis adinuicem non aduersantur. Deinde, quoniam non in eo sensu dicitur, stando in solo iure naturali esse omnia omnibus communia, quasi ius naturale præcipiat omnia esse cōmunia, impediatve rerum diuisionem, sed in eo, quod cum res generi humano per creationem à Deo indistinctæ sint collatæ, ad omnes sane pertinēt, nisi superueniat earum diuisio, & appropriatio, voluntate eorum effecta, quib. vt dē illis, quod viderint expedire, efficiāt, concessa sunt. Quo fit, vt iure naturali non sit illis prohibita rerū diuisio, sed permissa. Quod arbitror verum esse non solum in statu naturæ lapsæ, sed etiam in statu naturæ integræ. Potuissent namque homines in illo statu dē communi consensu diuidere inter se & appropriare absque cuiusquam iniuria res omnib. à Deo concessas, non secus ac in statu naturæ lapsæ iustissimis de causis effectum est. Quia tamen id tunc non erat necessarium, contrariumque erat decens, verisimile est in eo statu diuidendas nō fuisse: tametsi homines illi id pro arbitratu potuissent efficere.

Hoc loco obserua, quod, ante factam quidem rerum diuisionem, contra ius naturale foret prohibere quemquam ab vsu rerum omnibus communium: sicut modo contra ius naturale est prohibere, quemquā ne aquam sumat de fonte omnibus communi, aut ne transeat per viam publicam: eo quod ius naturale præcipiat ne prohibeas quemquam ab vsu rerum omnib. communium: est enim id manifesta iniuria. Facta autem rerum diuisione, quia desinit commune esse, quod antea erat commune, desinit quoque esse contra ius naturale prohibitio vsus rei alicuius. Porro ea prohibitio desinit esse contra ius naturale, non quid em variatione facta in iure naturali, quod in se mutationi ac variationi minime est subiectum, sed facta variatione in obiecto, cui circunstantia illa aduenit, vt cōmune iam nō sit, quod antea commune erat, ratione cuius circunstantiæ cōprehendi definit sub præcepto iuris naturalis, sub quo antea comprehendebatur. Hæc latius explicauimus tractatu præcedente. Ex his constat, nullum ius naturale fuisse reuocatum in statu naturæ lapsæ, vt rerū diuisio esset licita: meritoque reprehendi Scotum *in 4. d. 15. q. 2.* & cum eo Gabrielem *eadem d.* quod asseruerunt, post lapsum primorū parentum reuocatum fuisse præceptum legis naturæ de possidendis rebus commune.

Secundo eadē pars conclusionis probatur, quia Deus filiis Israel tradidit terram promissionis, quā à Cananæis abstulit propter eorū peccata, & Sauli ac Dauidi tradidit regnum Israel, scripturaque ipsa de rebus loquitur, tanquam debitis & appropriatis diuersis hominibus. Imo præceptum, de non furando supponit rerum diuisionem: ergo rerum diuisio nō est cōtra ius naturale (alioquin ipso iure esset nulla) quin potius approbata est in scripturis sacris. Vnde merito Augustinus *de hæresibus ad Quoduultdeum hær. 40.* commemorat Apostolicorum hæresim, qui vsum vxorum, & possessionem rerū in particulari damnabant. *Et in Concilio Constantien. sess. 8.* damnatus est Wicleffus, præsertim *art. 10. & 44.* quòd asseruerit, illicitum esse ecclesiasticis habere possessiones. Quo fit, vt maiori cū ratione damnandi sint qui negant, etiam sæculares possidere posse aliquid in particulari.

Obiiciet aliquis. Quod lumen naturale intellectus iudicat ac docet, est de iure naturali: sed lumen naturale intellectus iudicat ac docet, post peccatum necessariam omnino esse rerum diuisionem, vt pacificus hominum status & Reipubl. commodum conseruetur: ergo de iure naturali, & non de iure gentium, introducta est rerum diuisio. 7 *Obiectio.*

Ioannes Medina concedit, rerum diuisionē post lapsum primorum parentum esse de iure naturali: modo tamen ius naturale sumatur late, pro omni videlicet eo, quod lumen naturale intellectus iudicat esse faciendum. Nihilominus absolute dicendū est, neque etiam post lapsum primorum parentum esse de iure naturali. Cum enim res à Deo conditæ & donatæ fuerint toti generis humani congregationi indistincte, sane esto ex eo, quod non diuiderentur, orirentur grauissima mala, obligatioq; proinde consurgeret de iure naturali eas diuidendi, nihilominus antequam accederet tacitum vel expressum decretum ac statutū, tum vt diuiderentur, tum etiam circa modum diuisionis, quod vel communitas ipsa hominum ex communi cōsensu, vel aliquis, qui omnibus præesset, & ad id eos cogere posset, ferret, qualis esse potuit, Adam interim dum viueret, manifestet res indiuisæ, & omnibus communes, quales à Deo conditæ & primò donatæ sunt. Aliud namque est obligatio ad faciendam rerum diuisionem, aliud vero ipsa rerum diuisio. Illud quidē primum, multiplicatis multum hominibus, imminentibusq; aut insurgentibus grauissimis malis nisi diuisio rerum fieret esse potuit de iure naturali, quo charitatis lege vnusquisque teneretur in rerum diuisionem consentire, eamque curare, & multo magis rector multitudinis, si quis esset, quē non dubito potuisse subditos ad id cogere, quin & ferre legem, quæ eam vel multis inuitis, introduceret, ita vt quic-

quicquid in posterum vnusquisque iuxta eam legem compararet, efficeret illud sibi proprium. Secundum vero nempe ipsa rerum diuisio, sine tacito aut expresso humano statuto esse non potuit, etiam post peccatum. Quare non fuit de iure naturali, sed humano: obligatio tamen, vt fieret, esse potuit de iure naturali, non semper, sed quando ex eo quod non fieret, imminerent grauia mala. Neque inter omnes, sed inter eos tantum, inter quos ea mala imminerent. Atque hoc tantum est, quod Ioannes Medina voluit.

Soluitur.

Ad argumentum ergo dicendum est, id, quod iudicat lumen naturale intellectus vt fiat, si iudicet id tanquam medium moraliter necessarium omnino ad finem, ad quem quis tenetur, esse de iure naturali vt fiat; ac proinde argumentum solum probare non quidem rerū diuisionē in se esse de iure naturali, sed obligationem, vt fiat esse de iure naturali, non semper sed pro tempore, & inter quos iudicaretur esse omnino necessaria ad vitanda grauissima mala inter homines. At vero, id quod iudicat lumen naturale intellectus solum vt expediens, non vero vt necessarium omnino moraliter ad talem finem, non esse de iure naturali vt fiat, sed integrum esse hominibus id statuere, vel non statuere. Quare tanta posset esse rerum abundantia, & tam pauci potuissent esse homines, vt nullum peccatum esset, non fieri tunc rerum diuisionem, retenta rerum possessione in communi. Eo etiam modo, eorumque hominū institui potest communitas aliqua, vt nullum peccatū fit, quin potius magnum meritum, in ea solū possideri res in communi, vt statim amplius patebit.

Quæret aliquis per quos homines facta fuerit rerum diuisio. Ad cuius rei explicationem notandum est cum Aristotele. in *Politicorum*, duplex esse genus potestatis super alios homines, quod ad præsens instituti attinet. Quædam nāque potestas est, quæ ortum habet ex solo iure naturali; qua de causa potestas naturalis dicitur. Talis est potestas patris in filios, & in alios descendentes. Alia vero est, quæ habet ortum ex hominū voluntate se illi, subijcere volentium, & idcirco ciuilis potestas appellatur. Eo.n. ipso quod homines ad vnam Rempublicam, seu cōgregationem constituendam adunantur, Respublica ipsa habet potestatem in singulas partes, potestq; tota Respublica eam potestatem, quam habet transferre in vnum quendam, aut plures qui eam regant. Indeque ortum habuerunt legitimæ Regum potestates, maiores vel minores, prout à rebus ipsis publicis cum pleniori, aut minus plena potestate instituti sunt. Inde etiam habuerunt ortum legitimæ aliæ potestates aliorum rectorum earum Rerumpublicarū, quæ nō per reges, sed per senatores, aut aliquo alio modo iuxta cuiusque institutionē, gubernātur.

8 *Potestas alia iuris naturalis, alia positi.*

His ita constitutis, dicendum est. Tribus modis potuisse legitimæ institui ac introduci rerum diuisionem. Primo, potestate paterna, per primum parentem ante diluuium, & per Noe post diluuium: eoq; modo arbitror fuisse introductum. Cum enim tam Adamus, quam Noe, parentes essent omnium, qui in terra tunc morabantur, nec supra le quemquam superiorem haberent, sane cum potestate paterna coniuncta tunc videbatur potestas coerciua, legumque in suos posteros, ipsis tūc subditos, ferendarū, ad eosque parentes pertinere videbitur regimen generis humani, & punitio delictorum. Quare, saltem consentiente sobole, quæ tunc erat (imo credo, etiā illa renitente) statuere potuerunt rerum diuisionē, qualē ad quietum hominum statum expedire prospiciebant, vt eam re ipsa Adamus videtur constituisse. Statim namque *Gene.4.* legimus, Cain & Abel sua peculia habuisse distincta. Abelque obtulisse de primogenitis gregis sui, & Cain ædificasse ciuitatē, vocasseque eam ex nomine filii sui Henoch. Quod si ante diluuiū facta fuit rerum diuisio, post diluuiū filii Noe eodem iure vterentur, quo nouerant homines vsque ad id tempus fuisse vsos. Et quod post diluuium quisq; occupasset, id in suum compararet dominium, parte præsertim bona inter eos diuidēte, accedenteq; mutuo eorum consensu, eodemque iure posteri vterentur. Secundo fieri potuit rerum diuisio multiplicatis iam hominibus: electoque per eos aliquo in principem communem autoritate cuius bona ad illud vsq; tempus communia diuiderētur. Tertio potuit fieri cōmuni hominum consensu, eo pacto, quo *Gene.13.* orto iurgio inter pastores Abraham & Loth, Abraham optionem dedit Loth, vt dexteram, vel sinistram sibi eligeret. Quocumq; autē modo rerū diuisio facta fuerit, de reliquis, quæ indiuisa restabant, semper id tacito, vel expresso cōsensu, statutum, seruatumq; fuit, vt fierent primo occupantis. Quo fit, vt sicut rerum diuisio de iure est gentium: ita de iure gētium fit, vt quę in nullius sunt bonis, fiant primo occupantis, vt habetur *instit. de rerum diuisione. §. fera.* & aliis iuribus. Quædam tamen ita communia omnibus relicta sunt, vt occupari ea non permittantur. Huiusmodi sunt viæ publicæ, & alia, quæ vel communes vsus omnium vniuersim, vel aliquorum de aliqua communitate deputata sunt. Illud obseruandum est, quamuis de iure gentium fit rerum diuisio: iura tamen ciuilia multa postea statuisse circa diuisiones & appropriationes multarum rerum, nec non circa translationem & amissionem dominiorum. Iure etiam diuino dominia quarundam rerum aliquibus collata sunt, vt filiis Israel concesserit Deus terram promissionis, auferens dominium illius à prioribus. Eisdem contulit bona, quæ mutuo ab Aegyptiis petierunt. Sauli quoque & Dauidi dedit regnum Israel. Quo fit, vt hi omnes iure diuino positiuo ex speciali priuilegio fuerint constituti harum rerum domini.

9 *Rerum diuisio per quos potuit introduci.*

In diuisa fit iuxta primo occupantis.

10

11

Tertia conclusio. Alicui hominum congregationi, etiam post naturam lapsam, expedientem est, possessio rerum in communi, quam earum diuiso & appropriatio singulis. Hæc conclusio in primis locū habet in congregationibus religiosorū, qui ad fēdam perfectionem renuntiato seculo in paupertate & castitate sub obedientia viuunt, quibusque vsus rerum tēporalium ex obedientia iuxta cuiusq; indigentiam, dispensatur ac cōceditur. In his n. propter eorum statum, rationemq; viuendi tantum abest vt ex possessione in commune rerum ad vitam temporalē ruendam ipsis necessarium incommoda aliqua sequantur, vt earundem rerum inter eos diuisio cum eorum statu pugnaret, ex eaq; grauissima intereos mala orirentur. De similibus namq; qui ad perfectionem Euangelicam peculiariter sectandam Christi discipuli esse vellent, Christus *Luc.14.* dixit. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Illiq; adolescenti, qui seruauerat omnia mandata dixit. *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.* Obserua quod quemadmodum cœlibatus consilium est singulis, non vero toti hominum collectioni: alioquin periret genus humanum, ad cuius conseruationem quilibet in aliorum defectū, sub reatu lethalis culpæ teneretur ducere vxorem, & vacare generationi: sic quoque paupertatē, abdicationemq; rerum temporalium in particulari, consilium est singulis, nō vero toti hominū collectioni: eo q; nec expediēs orbis status conseruari posset, si multiplicatis hominib. oēs vniuersim in cōmuni res possiderent.

12 *Conclus. congregationi religiosorum expedit possessio in communi.*

Deinde conclusio proposita locum etiam habet, quando communitas aliqua, etiam coniugatorum, valde esset insignis in sanctitate, vt erant fideles Hierosolimitani in principio nascentis Ecclesię propter Spiritus sancti dona, quæ eo tempore maxime abūdabāt. Tunc.n. sanctitatis, donorumq; Spiritus Sancti abundantia, in illa parua hominum congregatione tollebat incommoda, quæ ex possessione rerum

in com-

in communi poterant oriri: exp ediebatq; tunc eos illo modo viuere in argumẽtum ſanctitatis ipſorũ, & in doctrinæ Euangelicę confirmationem. Obſerua fuiſſe fœlicisſimis illis fidelibus omnia communia, quoad vſum, offerentibus ſingulis ſua bona ad cęterorum vſum, & aliquibus vendentibus bona aliqua ad ſumptus cæterorum: non tamen tenebantur abdicare à ſe dominia rerum in particulari; imò neq; offerre illa ad vſum aliorum, ſed id efficiebant ex abundantia charitatis, ac deuotionis. Id quod ſatis conſtat ex illo *Actorum* 5. ad Ananiam. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate.* Puniтus ergo fuit morte, tam ipſe, quam vxor illius, non quod partem pretij reſeruaſſent, ſed quod fuerint mentiri, dicentes ſe minori pretio agrum vendidiſſe, vt ſatis innuunt verba Petri.

14 *4. Concluſ. Bona cõmunia eſſe debent in extrema alterius neceſſitate.*

Quarta concluſio. Bona nihilominus temporalia communia eſſe debent omnib. quoad vſum, tempore quidem extremæ aut penè extremæ neceſſitatis, ſub reatu lethalis culpæ; alijs verò temporibus, quãdo id prudẽtia ac recta ratio poſtulat de cõſilio, aut ſub reatu venialis, iuxta ea, quę, dum de eleemoſyna eſſet ſermo, dicta ſunt. Atq; de eiuſmodi communitate bonorũ intelligendi ſunt Ambroſius, Auguſtinus, & alij patres quorum dicta *loco citato* retulimus ac expoſuimus. Quod ad dominium iuriſdictionis ſecularis attinet, ex ijs, quæ circa 2. cõcluſionem diximus, ſatis conſtat, iure humano fuiſſe diuiſum, id q̃ ex diſp. proximè ſequẽtib. erit magis manifeſtum. De poteſtate eccleſiaſtica, in eiſdẽ diſputationib. aliqua erit mentio. Reliqua, quæ ad illã ſpectant, ſuis propriis locis diſputanda reſeruabimus.

15 *Ad primũ.*

Supereſt reſpondeamus ad argumenta propoſita. Ad primum, quod attinet ad maiorem, dicẽdum eſt. Quamuis ius humanũ nullã vim habeat aduerſus ea, quæ ſunt de iure naturali, vim à iure naturali, in ſe ſpectato, auferendo, illudq; mutãdo, apponere tamen poſſet circũſtantiã ex parte obiecti, ſuperuẽtione cuius, deſinat id eſſe de iure naturali, quod ſeclusa ea circumſtantia erat de iure naturali, vt explicatum eſt. Quod verò attinet ad minorẽ, dicendum eſt. Non ita ſublunaria eſſe omnib. communia de iure naturali, quaſi ius naturale præcipiat ea eſſe cõmunia: ſed quia ſtando in ſolo iure naturali ante factam rerum diuiſionẽ, quæ in poteſtate eſt hominũ, quib. res indiſtinctæ ſunt conceſſæ, ita ſunt omnib. cõmunia, vt contra ius naturale ſit prohibere aliquẽ hominum ab earum vſu. Inde verò non ſequitur, rerum diuiſionem non poſſe iure humano licitè introduci: quare neganda eſt conſequentia.

16 *Ad ſecundũ.*

Ad ſecundum dicendum eſt, Clementem in Epiſtola, vnde caput illud deſumptum eſt, exhortari fideles Hieroſolymitanos ad poſſeſſionẽ rerũ inconmunii quoad vſum, qualis erat tẽpore Apoſtolorũ. Vnã verò è rationibus, quib. eos conabatur perſuadere, eſſe, q̃ creatione ipſa rerũ omnia debebãt eſſe cõmunia; ſed per iniquitatẽ, i. occaſione ſumpta ex iniquitate peccati originalis, quo diſſoluta eſt natura humana, & ꝓpter mala, quæ iuſtè timebantur niſi res diuiderẽtur, introductã fuiſſe rerum diuiſionẽ. Vnde ad minorẽ argumenti dicendũ eſt, licet illicitũ ſit, quod in eo ſenſu per iniquitatẽ eſt introductũ, quaſi iniquè ſit introductum; non tamẽ eſſe illicitũ, quod in eo ſenſu eſt introductum per iniquitatem, quòd occaſione iniquitatis, atque ad vitandum grauiſſima mala & peccata, introductum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Poteſtas quid.*
2 *Laica vna, eccleſiaſtica altera.*
3 *Eccleſiaſticæ à Laica diſcrimen.*
4 *Laica eccleſiaſticæ ſubiecta.*
5 *Eccleſiaſtica & laica in ſtatu innocentiæ abſque vi coercina.*
6 *Vtraque coercitam vim habuit poſt peccatum.*
7 *Eccleſiaſtica legis naturæ.*
8 *Eccleſiaſtica legis ſcriptæ à Deo inſtituta.*
9 *Supernaturalis non erat quoad eſſectum.*
10 *Poteſtas illa coniuncta eſſe potuit in eodem ſuppoſito cum laica & ciuili poteſtate.*
11 *Eccleſiaſtica legis gratiæ ſupernaturalis à ſolo Deo inſtitui potuit.*
12 *Quibus relicta.*
13 *Papalis & Regia poteſtas diſtincta.*
14 *Earum diſcrimen.*
15 *Poteſtas Summi Pontificis regali quidem tempore poſterior, ea tamen longe excellentior.*

POTESTAS QVID SIT, ET DE CIVILI & eccleſiaſtica poteſtate.

DISPVTATIO 21.

EXplicato dominio in genere, vt ad partes illi ſubiectas deſcendamus, ordiendum nobis eſt à dominio iuriſdictionis. Tum quia nobilius eſt. Tum quia notitia illius cõducit, vt tituli dominij proprietatis meliùs intelligantur. Accedit, quòd in eo explicando minus negotij eſt, quàm in explicãdo dominio proprietatis. Quia verò dominium iuriſdictionis poteſtas quædam eſt, ab explicatione poteſtatis erit nobis incipiendum.

Quod ad præſens ergo inſtitutum attinet: Poteſtas, vt *Victoria in relectione de poteſtate Eccleſiæ q. 1. in principio & Nauar c. Nouit. de iudiciis, nota. 3 col. 16. conſentaneè ad D. Tho. n 4. d. 14. q. 1 art. 1 quæſtiunc. 1. ad 3.* cenſent. *Eſt facultas alicuius autoritatem & eminentiam ſuper alios habentis ad eorum regimen & gubernationem.* Conſonat illud Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Quo in loco rectores facultatem & autoritatem ad aliorum regimen habentes, atq; adeò ſublimitatem & eminẽtiam ea in parte ſuper illos, poteſtates appellantur, translato nomine abſtracti ad ſignificandum ſuppoſitũ, in quo ea facultas, cernitur vt tamẽ ea facultate eſt affectũ. Eſt ergo poteſtas, de qua loquimur, in ſolis vigentibus intellectu & libero arbitrio ad alios regendos & gubernandos, atque adeò in ſolis hominibus, inter res omnes corporeas. 1 *Poteſtas quid.*

Poteſtas duplex eſt. Laica videlicet, & Eccleſiaſtica. Quo loco animaduertendum eſt, eſto homo cõditus non eſſet in finem ſupernaturalem per media ſupernaturalia comparandum, ſed in ſolum finem naturalem, adhuc tamen diſtingui poſſet eiuſmodi duplex poteſtas. Tametſi vtraque tunc eſſet naturalis, faciliuſq; coniungi poſſent in vno & eodem ſupremo principe ac capite, à quo in alium, aut in alios deriuari poſſet poteſtas, quæ ſuo modo eſſet eccleſiaſtica. Quod in hunc modum explicatur. Eſto homo à Deo fuiſſet conditus in ſolum finem naturalem, adhuc homines agnoſcerent eſſe vnum primũ principium ſummę bonum, à quo eſſe & cætera bona acceperunt & expectant, ac ꝓinde dignum eſſe, cui famulatum & honorem exhibeant. Quare ſicut congregati ad Rempublicam vnam conſtituendam eligere ſibi poſſent communem principem, qui eos in pace & iuſtitia contineret, eoſque defenderet, & commune temporale eorum bonũ curaret: ſic etiam eligere poſſent aliũ qui ad cultum, debitumque famulatum Deo exhibendum præeſſet, quiq; in eo munere principe ſeculari eſſet ſuperior. Poſſent etiã pro arbitratu eligere vnum communem principẽ, qui in regimine vtroque eſſet ſupremus, quique vel vtrumq; regimen per ſeipſum exerceret, vel ſi vtrique muneri vnus non ſufficeret, aut minus deceter ab eodẽ poſſet exerceri, eò quòd alij mores, & alius habitus muneri vtriq; decere videantur; ſubſtitueret ſibi aliquem alteri eorum munerum exercẽdo, qui per poteſtatem ab eo acceptam illud exequere- 2 *Laica vna, Eccleſiaſtica alia.*

tur. Vnde memoria proditum est, quondam apud gentes fuisse sacerdotes & ministros: dolorum, à regibus & principibus secularibus distinctos, & interdum sacerdotium supremum cum munere regio fuisse cõiunctum. Hodie etiam apud Iaponenses, & alios infideles, *distinctissimi* sacerdotes à principibus secularibus, sine ab eis pendeant, promoueantur, ac deponantur, siue non, pro diuersarum regionũ maiori similique modo, stando in solo lumine ac fine hominum naturali, instituti potuerũt ad cultum veri Dei, vt Victoria *de potest. Eccl. relectione 1. q. 3. n. 3. & relectio. 2. q. 1. n. 2.* recte adnotauit.

3 *Ecclesiastica à laica distri men.*

Cum vero homo ad finẽ supernaturalẽ, per media supernaturalia assequẽdum, sit cõditus, potestas ecclesiastica distinguitur à laica. Quod laica, ex se solũ sit ad gubernãdum accommodate ad finem naturalem, ad quem suapte natura ordinatur. Ecclesiastica vero ut ad gubernandum accommodate ad finem supernaturalẽ, inducẽdo videlicet ad media illi supernaturali accommodata. Quo fit, vt hæ duæ potestates distinguantur ex parte finium diuersorũ, adinuicem subordinatorum: quodammodo eo pacto quo ars equestris distinguitur ab arte frænifactiua; quod genus distinctionis familiare est in practicis facultatibus. Quare quemadmodum artis equestris est imperare frænifactiuæ, vt sua opera præstet accommodate ad finem superiorem equestris: sic etiam ad ecclesiasticam potestatẽ spectat imperare laicæ potestati, vt accommodate administret ad finẽ supernaturalẽ potestatis Ecclesiasticę, cui finis naturalis laicæ ordinatur. Cũ vero nobilitas & eminẽtia cuiusq; facultatis ex obiecto & fine potissimum pensanda sit, sane pro quantitate excessus supernaturalis finis ad naturalem, salutisque spiritualis animæ ad temporalia commoda, pacificumque ac trãquillum huius vitæ statum, iudicanda erit nobilitas & eminentia potestatis ecclesiasticæ supra potestatem laicam.

4 *Ecclesiastica laicos et subiecta imperat.*

Quoniam vero in statu innocentiæ quiuis conciperetur in gratia, nasceturque proinde sufficiens principis, vt per seipsum argumentũ finis supernaturalis promereretur, facileque instrueretur in iis, in quibus eum instrui oporteret, neque ad id coactione indigeret: sane in eo statu vtraque potestas, ecclesiastica videlicet & laica, esset absque vi coercitiua, superioribus dirigentibus inferiores ad suos fines, vt *1. p. in tractatu de opere sex dierum* ostẽdimus: expediretque vtramque in eisdem suppositis coniungi. eoque posito supernaturali statu, neutra in hoc sensu esset supernaturalis, quasi homines, dirigente eos lumine naturali, fideique illustratione, non possent vtramq; per seipsos instruere. Cum vero homines illius status corpore & anima constarẽt, sane non solum interno, sed etiam externo corporeo cultu, non secus ac nos, Deum coluissent, essetq; vniformis eorum cultus, vt Victoria *relectione ciuitata. q. 4. n. 1. recte docet.*

5 *Ecclesiastica & laica in statu innocentiæ absq; ng coercitiua.*

6 *Vtraq; coercitiua vim habui. post peccatum.*

Dissoluta natura per peccatum, ac gratia amissa, vtraque potestas coniunctam habet vim coactiuam, subditis coactione indigentibus, vt ad suos fines directione perducãtur. Distinguere vero oportet tria tempora, circa status Ecclesiæ vniuersalis. Legis videlicet naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ. Et quidẽ in lege naturæ, posita fide & cognitione supernaturali ad salutẽ tunc necessaria, posito item remedio pro eo statu contra originis peccatũ instituto, quod erat de iure diuino positiuo, sane cum homines illius status ad solã legẽ naturalem tenerentur, potuissent per seipsos instituere vtramq; potestatem ciuilem & ecclesiasticã, quib. ad naturalẽ & supernaturalẽ finem gubernarentur. Potuissentque, vel illas diuidere, vt vna esset in vno supposito, & altera in alio: vel eas in vno & eodem supposito coniungere. Quo pacto Melchisedec simul erat Rex Salem, & sacerdos Dei altissimi, *vt ad Hebræos. 7. & Genes. 14.* habetur. Volunt multi graues autores, primogenitos in lege naturæ, præsertim post diluuium, fuisse sacerdotes: Melchisedecq; fuisse Sem primogenitum Noe. Atq; hoc esse ius, quod Esau, tanquam primogenitus, vendidit Iacob: qua de causa profanum eum appellat Paulus *ad Hebræos 12.* Victoria *relectione. 1. de potestate Eccl. quæstione 4. num. 2. & 3. & relectione 2. quæst. 1. n. 2.* merito ait, potestatem ecclesiasticã fuisse in lege naturæ statim post peccatum. Quin adderem, ad illam instituendam, qualis tunc fuit, satis fuisse naturalem, & supernaturalem notitiã, quæ ex innocentiæ statu manserit in Adamo, iuncta ruinæ notitia, nec non promissionis redemptoris illi continuo factæ & notitia originalis peccati, ac remedii, quod aduersus illud ei reuelauit Deus. Non tamen credo, vel aliud fuisse tunc de iure diuino positiuo, quam applicationem remedii contra originale peccatũ, vel potestatem vllam ecclesiasticam, aut genus alicuius oblationis aut sacrificii fuisse à Deo iure diuino positiuo institutam: sed modum potestatis ecclesiasticę, diuinique cultus, relictum fuisse hominibus ipsis, vt illum instituerent: magnaq; ex parte per Adamũ, & per Noe, post diluuiũ, fuisse institutũ, qui lõgo tempore vixerunt, multumque à Deo fuerunt illuminati.

7 *Ecclesiastica agit naturam.*

8 *Ecclesiastica legis scriptæ à Deo institutæ.*

Tempore legis scriptæ, quando Deus populum peculiarem sibi elegit, ex quo nasceretur redẽptor, & in quo prædiceret ac præsignaret, quæ in lege gratiæ erant futura, quatenus ea ratione credibiliora redderentur, viamque aduentui vnigeniti filii sui præpararet, potestatem ecclesiasticam ipsemet instituit, summum videlicet sacerdotiũ Synagogę, aliosque gradus & ministeria illius potestatis, nec non sacrificia, ritus, & cultum, quibus ipse coleretur, quę omnia de iure erãt diuino positiuo. Potestatemque totam ecclesiasticam in solo tribu Leui esse voluit. Quæ omnia ex scripturis sacris cõstãt. Et tñ potestas nõ ita erat supernaturalis, quasi supernaturalẽ effectũ attingeret: quẽadmodũ ecclesiastica legis gratiæ potestas supernaturales effectus remissionis peccatorum, collationis gratiæ confectionis Eucharistiæ, &c. instrumentaliter attingit. Tametsi in lege veteri fuerit sacramentũ Circuncisionis, ad cuius præsentiã gratia conferebatur, sicut etiã conferebatur in lege naturæ ad præsentiã remedii cõtra originale peccatũ. Quia ergo potestas illa nullum supernaturalem effectum attingebat, ait Victoria *relectione 1. de potestate Eccles. q. 3. n. 6.* & quidam alii potestatem illam totam potuisse institui iure humano: tametsi homines nesciuissent instituere illa omnia, vt essent symbola futurorum in lege gratię, neque ea adaptare sciuissent ad fines, ad quos à Deo fuerũt eo pacto iusstituta.

9 *Supernaturalis non erat quoad effectum.*

Potestas illa coniuncta esse potuit in eodem supposito cũ laica & ciuili potestate. Imo re ipsa in Moyse coniuncta fuit, qui & Rempubl. in temporalibus administrabat, & sacerdos erat, sacrificiaq; offerebat iuxta illud *Psal. 98. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.* Coniuncta etiam fuit in Samuele, qui sacerdos erat, & Rempubl. in spiritualibus & temporalibus gubernabat, vt *ex 1. Regum.* constat. Item posteà in Machabæis, qui summi erant sacerdotes, & supremam Reipubl. curam in temporalibus habebant, vt *ex libris Machabæorum* est manifestum. Tempore autem regum ecclesiastica potestas seiuncta erat à ciuili & tẽporali: eo quod iuxta præscriptum legis, summus sacerdos, cæterique sacerdotes, esse non poterãt nisi de tribu Leui: reges vero fuerũt de tribu Bẽiamin, & de tribu Iuda. Vnde quia Saul *1. Reg. 13.* holocausta & pacifica obtulit, vsq; adeo displicuit Deo, vt deiectio illius de regno inde traxerit originem, vt ex verbis illis Samuelis cõstat. *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum: sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum, &c.*

10

Et

Et Ozias 2. *Paralip.* 26. lepra fuit percussus, quod adolendo incensum, sacerdotum officium vsurpare voluerit.

11 *Ecclesiastica legis gratia supernaturalis à solo Deo instituì potuit.*

Iam verò Ecclesiastica potestas, quæ legis gratiæ tempore in Ecclesia est Christiana cum maxima ex parte supernaturalis omnino sit, vtpote quæ effectus supernaturales attingit, remissionis peccatorũ, collationis gratiæ, confessionis Eucharistiæ, creãdi sacerdotes, cõferendiq; illis potestatem ad hæc ipsa concedendi indulgẽtias, quibus peccata quoad pœnam remittũtur, excommunicandi, & alios similes, sanè secundum se totam, neque à Reip. neq; ab humano, aut naturali iure, sed à iure tantum diuino positiuo potuit ortum habere. Fuit verò hæc potestas, & est in Christo vt homine, secundum excellẽ B tiam, sacramentisq; minimè alligata. Data namq; est illi omnis potestas in cœlo & in terra, vt habetur *Mat.* 27. Constitutusq; est à Deo patre sacerdos summus, caput, & rex Ecclesiæ, iuxta illud Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, id est ecclesiã *prædicans præceptum eius*. Et ad Hebræos 5. *Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu ego hodie genui te*: quemadmodum & in quodam alio loco dicit. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* & c. 7. *Alij sine iureiurando sacerdotes facti sunt: hic autem cum iureiurando, per eum qui dixit ad illum, iurauit Dominus & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ melchisedec.* Demiq; argumẽtum Pauli in ea, q̃ ad Hebræos scripsit, epistola, est, ostendere excellẽtiam sacerdotij Christi in lege noua se- C cundum ordinẽ Melchisedec, supra sacerdotiũ veteris legis, secundũ ordinem Aaron; q; sacerdotio, morteq; Christi antiquatum est, ac definit esse. Hãc autem potestatẽ reliquit Christus in Ecclesia, sacramentis tamẽ, certisq; quibusdam legibus alligatam.

12 *Quibus relicta.*

Reliqit verò illam, non omnibus de Ecclesia, sed Petro ipsius vicario, reliquisque Petri successoribus. tamquam capiti loco sui, à quo tota depẽdeat. Matt. namq; 16. Petro peculiariter, promisit claues regni cælorum: quæ hanc important potestatem. In Petro item tanquam in capite & vicario loco sui, promisit ibidem se fundaturum suam Ecclesiam, aduersus q̃ portæ inferi non prœualerent: id quod post resurrectionem Ioan. 21. opere adimpleuit. Eam etiam reliquit cæteris Apostolis, & episcopis eorum successoribus quibus etiam clauium potestatem promisit *Mat.* D 18. contulit verò partim cœnæ tempore, & partim post resurrectionem. Tanquam administros verò, & eorum coadiutores, instituit septuaginta duos discipulos, quorum loco succedunt parochi, cæteriq; presbyteri Episcopis inferiores, qui partem quandã haberent huius supernaturalis potestatis. Quo fit, vt sicut Christus Ecclesiasticam potestatem habuit ab Ecclesia, iuxta illud Ioa. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: habuit verò eam à patre: sic quoque potestas, quæ hodie est in Ecclesia, tam in Summo Pontifice, quam episcopis, & inferioribus sacerdotibus, non fit ab Ecclesia, sed à Christo collata Petro, Apostolis & aliis discipulis, & successoribus: tametsi electiones in posterũ, quibus hęc põtas applicatur, cõmiserit Christus Ecclesiæ, & dispositioni Sũmorum Pontificũ, vt latè, dum de fide esset sermo, explicatum est. Institutum nostrum hoc loco nõ est disputare de ecclesiastica potestate in se, & comparatione suorum actuum, atque effectuum, cum *quæstione* 1. *huius* 2. 2. *artic.* 10. multa dixerimus, præsertim de ea potestate, quæ in Summo Pontifice residẽt, & à qua reliqua pendet. Disputationes verò aliæ de ecclesiastica potestate ad materiam sacramentorum, & ad alia loca spectant. Quod verò hoc loco intendimus, non aliud est, quam distinguere potestatem ecclesiasticam à laica, eamque, vt in Summo Pontifice residet, conferre cum laica quoad dominium iurisdictionis in tẽporalibus, de quo nunc differimus.

13 *Papalis & regia potestas.*

Quod ergo ad rem præsentem attinet. In primis habemus, eam Ecclesiæ Christianæ potestatem, quę in Summo Pontifice tanquam in Ecclesię capite residet distinctam esse à laica & ciuili principum secularium potestate: id quod àffirmat Gelasius *cap. duo sunt. dist.* 96. dicens. *Duo sunt, Imperator, quib. principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Quod multis confirmant Sotus in 4. *dist.* 25. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. Victoria *relectione* 1. *de potestate Ecclesiæ, quæst.* 1. *à num.* 3 Durandus *de origine iurisdictionum. quæst.* 2. Ioannes Parisiensis *de potestate regia & papali à cap.* 2. Castrus *lib. de potestate legis pœnalis cap.* 1. Nauarrus *ca.* Nouit, *de iudicijs à coroll.* 16. *num.* 80. *& alij*: præcipuas autem vires tetigimus in his, quæ hactenus dicta sunt.

Habemus deinde, eandem Summi Pontificis potestatem differre à potestate principum secularium sibi subditorum. Primo, ex parte finis: illa namq; respicit finem supernaturalem, & media illi proportionata: hæc verò respicit finem naturalẽ, & media ad eum accommodata. Quare cum finis naturalis ad supernaturalẽ ordinetur: & facultas, quæ finem superiorem respicit, præcipere & ordinare ei facultati debeat, quę inferiorem ac subordinatum finem respicit: efficitur, vt ad Summum Pontificẽ spectet præcipere & ordinare secularibus principibus sibi subditis (hoc est ij, qui intra gremium Ecclesię sunt) vt fini supernaturali se accõmodent, quando in suo regimine ab eo deuiant. Differt secundo, quod potestas Summi Pontificis supernaturalis est, ad quam naturales effectus se extendens: potestas verò principum secularium est merè naturalis. Tertio, quod potestas Sũmi Pontificis, nõ ab Ecclesia, sed à Christo in Ecclesia est instituta: tametsi illius applicatio ad hanc vel illam personã ex electione Ecclesiæ pẽdeat: quare de iure diuino est positiua. Potestas verò laica principum secularium de iure est humana, à Repub. ipsa instituta, & collata principi, vt disputatione sequenti erit manifestum. Quando differt, quod potestas Summi Pontificis est vna in vniuerso orbe: potestas vero principum secularium, nisi in re belli, aut legitima successione vel cõsensu ipsarũmet Rerumpublicarum, multę vnũ communem principẽ habeant, multiplicatur pro diuersitate Rerumpublic. sibi principẽ eligentium. Vt enim Christus vnicum est caput totius vniuersalis Ecclesię: sic dicẽs, expedientque fuit, Summum Pontificem, quem caput & vicarium suum Christus in terris relinquebat vnicum constitui. Adde, cum fides sit vna, nullam varietatẽ admittens, expedientissimum fuisse, multiplicatis rebus credendis, vnicum caput constitui, quod ex cathedra, quæ Spiritus Sancti assistentiam ad id haberet infallibilem, controuersias circa fidem exortas dirimeret, quatenus fidei & Ecclesiæ vnitas, paxque inter fideles melius conseruarentur. Atque hæc est ratio ob quã cum in statu legis naturæ, quando admodum pauca hominibus erant proposita ad credendum explicite, constitutus non fuerit vnus summus sacerdos, qui toti præesset Ecclesię: In Synagoga tamen, & multo magis in Ecclesia Christi, multiplicatis rebus explicitè credẽdis constitutus fuerit vnus summus sacerdos, cui cæteri E subessent, tenerẽturque obedire. Postremo differt, quod quamuis potestas summi Pontificis posterius, tempore, quam regalis fuerit instituta, vt tamẽ Gelasius *ca. Duo dist.* 99. *ex Ambrosio* refert, plus eam nobilitate excedit, quam aurum plumbum excellat. Innocentius 3. *cap. Solita, de maior. & obedienti* 2, comparat has duas potestates duob. illis magnis luminaribus in firmamento cœli collocatis: Summique Pontificis potestatem ait esse luminare maius, quod diei spiritualium præest: potestatem verò Imperatoris esse luminare minus, quod nocti temporalium præest. Nec solum ex præstantia finis, sibi communis, cum Ecclesiastica potestate quæ tem-

14

15 *Potestatis summi Pontificis excellentia.*

uere erat legis naturæ & scriptæ pensanda est excellentia potestatis Summi Pontificis supra regiam & imperialem potestatem, sed etiam ex mediorum ad eum finem, quibus vtitur, nobilitate & excellentia, effectumque supernaturalium, quos attingit. De hac re *Victoria relectione 1. de potestate Ecclesiæ q. 5. in principio. Soto suo loco citato, conclus. 2. & Ioannes Parisiensis cap. 5.*

Circa laicam potestatem vnum est, quod admoneamus. Quamuis sub se plures contineat partes, nempe, potestatem patris in filium, viri in vxorem, quæ de iure sunt naturali, & plures alias diuersimode administrandi tam Rempublicam totam, quã partes illius, nihilominus in sequentibus præcipue nobis erit sermo de regia, & imperiali potestate, tanquam de præcipua parte, qua cognita facile reliquę intelligentur. In ea tamen explicanda aliquid de reliquis admiscebimus.

SVMMARIVM.

Propensio hominis ad societatem.

2 *Prima hominis societas, quæ cernitur inter marem & fœminam gratia generationis.*

3 *Familiæ communitas.*

4 *Potestas viri in vxorem.*

5 *Potestas parentum in filios.*

6 *Potestas dominorum in seruos, quorum duo genera: alii mancipia, alii famuli, eorumque origo.*

7 *Discrimen inter regimen liberorum hominum ac seruorum.*

8 *Societate politica cur homo indigeat, naturaliterque ad iram inclinetur.*

9 *Potestas Reipublicæ in partes non à partibus, sed naturali iure à Deo est immediate.*

10 *An priuata persona possit sumere iustam vindictam de iis, qui sibi iniuri & malefactores.*

DE ORIGINE LAICAE CIVILISque potestatis.

DISPVTATIO 22.

1 *Propensio hominis ad societatem.*

VT homo, propter rationes, quas subiiciemus, societate plus indiget cũ aliis hominibus, quã reliqua animantia cum animalibus suæ speciei: sic etiam natura, quæ in necessariis non deest maiorẽ, tum aptitudinem, tum propensionem ad societatẽ illi, quam cæteris animantibus, contulit. Prima vero societas, ad quam, autore Aristotele 1. *politicorum cap.* 1. natura illi propensionem indidit, est illi quidem cũ bestiis cõmunis, nempe, quæ cernitur inter-

2 *Prima hominis societas.*

marem, & fœminam gratia generationis. Est namque cunctis animãtibus innatum desiderium, tale alterũ post se relinquendi, quale ipsum est. Ad generationisque actum tanquam ad rem specierũ conseruationem omnino necessariam, vehementiorẽ multo quã ad alios actus propensionem illis natura impressit. In eundemque finem tam ingentem amoris affectum inter marẽ & fœminã veluti glutẽ, quo societas illa contineretur, naturæ autor esse voluit.

3 *Familiæ communitas.*

Ex hac autem societate familiæ communitas, societasve, orta habuit inter homines. Porro perfecta familia, *autore Aristotele loco citato*, ex tribus personarum se mutuo respicientium complicationibus coalescit. Prima est, viri cum vxore. Secunda, parentum cum filiis. Tertia dominorum cum seruis, in familiæ subsidium, & obsequia necessaria assumptis. Ex his vero tribus complicationibus, quib. perfecta familia constat, triplex potestas oritur in familia.

4 *Potestas viri in vxorem.*

Prima, quæ de iure est naturali, viri in vxorem. Est enim vir suapte natura vxoris caput, cui proinde præesse conuenit: vxori vero subesse & obedire.

A indicante id naturali excessu, viribus, ac iudicio, quo vir vxorem excedit. Qua de causa vir non fuit conditus propter mulierem, sed è cõtrario, mulier propter virum, vt adiutorium haberet, tum ad generationem, educationemque filiorum, tum ad reliqua subsidia vitæ, vt *Genes. 2.* est manifestum. Vnde Paulus 1. ad Corinth. 11. *Caput*, inquit, *mulieris est vir. Et non vir ex mulieris est, sed mulier ex viro.* Etenim sub iungit. *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Quo fit, vt vxor naturaliter, ex intentione autoris naturę in prima rerum constitutione, viro subsit, eique obedire teneatur. Quando ergo *Gene. 3.* in pœnam peccati dixit illi Deus, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*: naturale ius illi exposuit, nempe, quod, dissoluta natura per peccatũ, futura erat sub viri potestate, cum vi coactiua, &

B coercitiua. Quæ futura non fuisset, si nullum fuisset peccatum: eo quod in statu innocentiæ non esset necessaria, sed sufficeret sola vis directiua. Forte simul etiã indicare illi voluit Deus abusum illius potestatis malitia virorum futurum, dissoluta natura per peccatum, quo sæpe sine causa ad amaritudinẽ & afflictionem perducturi erant vxores, vt in tracta tu de opere sex dierum dicebamus. Obseruandum tamen est, vxorem iure naturali subesse viro, non vt seruam, neque quantum illi subsunt filii, qui, quod plus à parentibus acceperint, longeq; inferiores illis sint, plus subiectionis ac obseruantiæ illis debẽt,

C quam vxor debeat viro: sed subesse illi vt sociã, minus tamen præcipuam, ad generationem. & ad comparandã, ac paranda subsidia necessaria ad regimen quę familiæ.

Secunda potestas est parentum in filios, quæ & est de iure naturali. Etenim sicut naturæ autori, à quo esse & cætera bona accepimus, religionem, obseruantiam ac obedientiam debemus: ita parentibus, per quos esse accepimus, alimenta, educationem, & alia bona debemus in suo ordine & gradu pietatem, obseruationem, subiectionem ac obedientiã, naturis ipsis rerum, lumineq; intellectus naturali id docentibus. Plus tamen hæc ipsa patri, quam matri, debemus: eo quod principalius ad ea omnia cõcurrat, vnde titulus paternæ potestatis in filios oritur.

5 *Potestas parentum in filios.*

Tertia est, dominorum in seruos. Quæ in innocentiæ statu non fuisset: eo quod nulla in eo futura

D esset seruitus. In statu vero naturæ lapsæ seruorum duo sunt genera. Vnum est eorum, qui mancipia dicuntur, quæ id quod sunt, dominorum sunt. Alterum est eorum, qui famuli duntaxat sunt, mercede cõducti ad certa quædã obsequia & ministeria familiæ necessaria, ad quæ solum potestati subsunt dominorum. Licet autem neutra seruitus à naturis & cõstitutione ipsa rerum originem trahat, iuxta quã omnes liberi, & pares ea in parte nascuntur, possunt tamen accedere legitimi tituli, quibus iuste contrahatur, vt ex delicto, quo aliquis morte sit dignus, oriri potest seruitus legitima prioris generis, morte naturali in perpetuam seruitutem cõmutata; quod in commodum & minus malum mancipii cedit. Variis etiam aliis titulis oriri potest, quos suo loco ex-

E plicabimus. Ex pacto, quos is, qui alimentis & pecunia indiget, pro certa pecuniæ summa & alimentis se alteri ad talia vel talia ministeria tanto vel tanto tẽpore præstãda subiicit, oritur seruitus posterioris generis. Positis autem legitimis titulis, quibus vna aut altera seruitus legitime est cõtracta iure naturali oritur potestas dominorum in seruos: nõ secus ac positis aliis legitimis contractib. ex naturis ipsis rerũ oriuntur diuersa iura & obligationes. Quare, licet nec de iure naturali fit, quod familia seruis constet nec seruitus ex naturis ipsis primaque rerum constitutione per se oriatur, quemadmodum per se oritur coniunctio maris cum fœmina, & liberorum procreatio, ac proinde potestas parentum in filios, & viri in vxorem, vsque adeo vt, si periculum immi-

6 *Potestas dominorum in seruos.*

nerer

neret, ne humanum genus periret, iure naturali teneretur homines matrimonia inire, vacareq; generationi, nihilominus superuenientibus legitimis titulis (qui à solo humano arbitrio pendent) quibus seruitus legitimè fit cõtracta, de iure est naturali.

Tres potestates explicatę in patrefamilias domus vniũtur. Et licet eis, commune totius domus ac familiæ bonum intendendo, vti debeat: est tamen inter eas hoc discrimen. Quod cum duæ priores sint comparatione liberorum hominũ, vti eis debet in ipsorum bonum ac cõmodum. Vltimo vero de se ordinatur ad vtilitatem propriam familiæ. Autore namque Aristotele 1. *Politicorum*, hoc est discrimen inter regimen liberorum ac seruorum. Quod cum 7 liberi sint gratia sui, serui vero gratia dominorum, liberorum regimen præcipue bonum eorũ, qui reguntur, spectare debet: tametsi rectori pro muneris qualitate, honor, obedientia, & obsequia à subditis exhiberi debeant, eaq; ipsa rector exigere ac intendere simul possit. Seruorum autem regimen, domini bonum, familiæq; commodum præcipue respicit: quamuis ratio ipsa postulet, vt domini, quorum commodi serui, voluntatique inseruiunt, vicissim illorum bonum, in suo ordine & gradu, regimine suo curent & intendant. Ad id q; iure naturali tenẽtur, non solum quia proximi sunt, in suo ordine, & gradu magis coniuncti magisq; familiares & noti quam cæteri, sed etiam quia regimen, ac proinde cura ipsorum ad ipsos spectat. Cæterum pauperes patres familias, qui integram, omnique ex parte perfectam nõ habent familiam, aut Aristo. vxore & filiis, propriaque opera vti loco seruorum.

8 *Sapiens ac politica curagens homo, naturaliterque ad eam inclinatur.*

Præter societatem, aut societates explicatas, maiori quadam indiget homo, ad quam suapte natura propendet naturali lumine intellectus eam docente, & ad illam hominẽ instigante, à qua ciuile & politicum animal nuncupatur. Si namq; oculis ac mẽte cætera animalia lustres, inuenies, vnumquodque ita natura fuisse productum, vt saltem modica educatione per parẽtes à principio adhibita, sibiipsi sufficiant, ad necessaria vitæ subsidia, prout cuique est opus, cõparanda: cum ab ipso naturæ autore, & tegmina ad vestitum, & arma, tum ad sui defensionẽ, tum ad hostium defensionem, & varia instrumenta atque instinctus ad suas operationes exercendas, & alimenta singulis ad pastum accommodata, abũdè sint subministrata. Idem solũ hominem, quẽ ratione dotauit, qua & rerum peritiam comparare, & instrumenta necessaria conficere, & reliqua subsidia vitæ sibi parare posset & acquirere, nudũ inermemque produxit, omniq; arte & instinctibus vacuum, & tam multis rebus ad subsidia vitæ indigentem, vt neq; vnus homo, neque vna integra & perfecta familia, ad ea omnia paranda sufficiat, sed plurimæ necessariæ sint, quę rebus, opificibusq; distinctis vacando, sibi mutuo suppeditẽr necessaria ad victum, vestitum, habitationem, morbos depellendos, & ad id genus alia, quæ ad quotidianos vsus, vitamque transigendam sunt necessaria. Si namq; quæ ad solum panem parandum necessaria sunt cogitatione expẽdas, à terræq; cultura, vt semen illi mandetur, incipias, percurrasq; ea omnia, quibus triticum indiget, vt tandem colligatur, mũdetur, teratur, à furfuribus purgetur, & coquatur, simulq; expendas instrumenta, quæ ad hæc omnia necessaria sunt, & in singulis instrumentis artifices, qui ad illa conficienda, parãdamque materiam, ex quibus proximè confici debent, & ad pleraque alia sunt necessarij, facile coniicies, quam multæ familiæ diuersis muneribus intendentes, variisque artibus pollentes, necessariæ sint, vt cuique hominum, quæ ad vsus quotidianos vitamque transigendam necessaria sunt suppeditẽtur. Cum ergo ciuitas non aliud sit, quam tanta hominum congregatio, vt sibi mutuo sufficiant ad ea omnia præstanda, quę tum ad quotidianos vsus, vitamque transigendam tum ad alia, de quibus mox erit sermo, necessaria sunt, efficitur, vt propter indigentiam, lumine ipso intellectus id docente, ad id q; instigante, naturaliter propendeat homo ad conuiendum cum aliis in ciuitatis, Reipublicęque communitate. Nomine Reipub. ac ciuitatis, hoc loco intellige, etiam oppida vicina, pagos, ac villas circumiacentes, quibus præcipua communitas, quæ caput est, ad agriculturam aliaque subsidia indiget. Atque à ciuitate, Republicaque hoc modo sumpta, dicitur hoc ciuile ac politicum animal.

Secundo indiget etiam homo vita in plurium familiarium cõmunitate, quoniam cum nascatur omnibus artibus, peritiaque rerum omnium vacuus, ac fine naturalibus instinctibus, quibus bruta ad noxia fugienda, quærendaque & conficienda necessaria, sunt prædita: sane nisi in multarum familiarum communitate versaretur, neq; artes addiscere, quibus ad paranda subsidia necessaria indiget (cum tamen longè plures illi essent addiscendæ, eo, quod aliorum opera & industria vti non posset) neq; naturalium supernaturalium q; rerum posset scientiam comparare. Denique instrui, imbuique non posset peritia & moribus, quæ ingenuum probumque virum decent, atque ita periret amicitia, vsusq; multarum virtutum. Adde, insuauem iniucundamq; esse sapientiam, nisi aliis communicetur, & de ea cum aliis differatur. Sapientia namq; abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque, ait Sapiens *Eccles.* 41. Vnde inter omnes animantes solus homo sermone fuit præditus, quo & cõmercia cum aliis in communitate posset habere, & sensa sui animi aliis posset exprimere, nunc alios docendo, nunc interrogando, vicissimque ab aliis addiscendo, & amicitiam virtutesque alias posset cum aliis exercere. Atque hinc Aristoteles 1. *Politicorum c. 1. colligit*, hominem plus, quam apes, & quam cætera animalia, quæ congregantur, sociale animal esse. Etenim, inquit, natura nihil superfluum efficit, neque ad aliud sermonem homini tribuit, quam ad conuiendum, societatemque cum aliis hominibus habendam.

Tertio indiget homo vita non solum in communitate plurium familiarũ, sed etiam integræ perfectęq; Reipub. vt pax, securitas & iustitia inter homines conseruetur. Cum n. vires totius Reipub. longè sint maiores, quam singularum familiarũ, sanè potentia totius Reipub. melius vnusquisq; ab aliorum iniuria defendetur, arcebuntur q; ac punientur malefactores & facinorosi, quam viribus solis illius, cui iniuria paratur, vel infertur. Item cũ amissa originali iustitia per peccatũ, necesse sit plures oriri cõtrouersias ac difficultates, sanè facilius multò securius ac rectius Reipub. autoritate cõponẽtur, quam si vnusquisq; in causa propria iudex esse debeat. Facile namque quiuis passione affectuque ad propria excæcatur, iudiciumque proprium peruertit, cum tamen non ita facile id contingat in potestate autoritate publica constituta.

Cum vero hominum sensus post peccatum ad malum proni sint ab adolescentia, torque praui affectus, quot experimur in illis vt plurimum dominentur, profecto si ita extra politicam communitatem viuerẽt, vt nulla esset publica superior potestas, quæ sua potẽtia & autoritate eos coercere, ac comprimere posset, omnia plena essent cædibus, seditionibus, rapinis, furtis, dolis, ac fraudibus, potentiorib. opprimentib. minus potentes, lõgeque deterior esset conditio ac miseria generis humani, quam sit hodie hominibus in Rebuspub. distinctis aduersatis.

His aliisq; similibus de causis naturale est hominib. hoc est, à propria ipsorum natura profectum, lumine naturali intellectus idex naturis ipsis rerum ita eos docente, atq; ad hoc ipsum eos instigante, vt conueniant, nõ solum in pagis, sed etiam in integra perfectaq; Republ. qualis est ciuitas eo modo sum-

pta,

pta, quo paulo antea diximus: aut etiam in prouincia integra, quæ sibi magis sufficiens sit, tum ad ea omnia, quæ dicta sunt, tum etiam ad propulsandas, & vindicandas iniurias externorum hostium, si quæ ab eis parentur, aut iam illatæ sint, & ad iura belli persequendum.

9 *Potestas Rei publicæ in partes, non à partibus, sed naturaliter à Deo est immediate.*

Victoria *in relectione de potestate ciuili à n. 6.* & Soto. *4. de iustitia q. 4. art. 1.* affeuerant, eo ipso, quod homines ad integrandū vnū Reipublicæ corpus cōueniunt, iure naturali oriri potestatem corporis totius Reipubl. in singulas partes ad eas gubernandū, ad leges illis ferendum, iusq; illis dicendum, & ad eas puniendum. Quare, inquiunt, cum Deus optimus maximus author sit iuris naturalis, sane huiusmodi potestas immediate est à Deo naturam instituente: tametsi hominum adunatio in vnam Rempub. conditio sit, sine qua ea potestas non resultaret. Hinc Victoria *loco citato n. 8.* vult, potestatem hanc non oriri ex eo, quod homines se illi volunt subiicere, eāque pro suo arbitratu in seipsos ad commune ipsorum bonū eligunt, quasi perinde oriatur, ac si congregati aliqui ad quoduis aliud, eligerent sibi communem aliquā potestatem. hæc nanq; posterior potestas ortum non haberet à Deo immediate per ius naturale, sed ab hominibus ipsis libere se illi subiicientibus, neque esset potestas maior, quam homines pro suo arbitrio illi tribuissent. Illa vero alia prior potestas est ab ipsa natura rei, posita adunatione hominum ad vnam Rempubl. constituendā, ac proinde est à Deo immediate tanquam ab autore naturæ, & non ab hominibus, qui ad vnam Rempubl. cōstituendā conuenerunt, nisi tanquam à conditione sine qua, vt non resultasset Respublica, ita neque potestas illius in singulas partes.

Ducuntur autē hi autores ad hōc ita asserendum: Quoniam eiusmodi communitas à natura ad eam instigante, eamq; postulante proficiscitur, ipsaq; natura communitatis iam ortæ postulat potestatem in seipsa supra singulas suas partes: ergo est de iure naturali, atq; adeò à Deo immediate. Cōfirmat id Victoria. Quoniam de iure naturali singulis de Republica est prohibitū interficere malefactores, esto ipsi sint, qui iniuria sint affecti, idq; quinto præcepto decalogi: imo eisdem etiā est prohibitum punire illos aliis pœnis: cum ergo Reipublicæ id liceat, vt ex ipsomet vsu & ex scripturis constat, postulatque natura rei, efficitur, vt longe diuersa sit potestas, quæ ex natura rei consurgit in Rep. à collectione particulariū potestatum singulorum, ac proinde vt eam non habeat Respublica autoritate singulorum, sed immediate à Deo.

Ad hanc tamen confirmationem responderi posset, saltem familias ipsas earumque capita iure naturali habere potestatem interficiendi ac puniendi malefactores eo ipso, quod superior alia potestas cōstitutra non sit, in quam familiæ suam transferant potestatem, vt infra *disputatione 100. cum Nauarro, Gabr. & Angelo* ostendemus: quare ex eo, quod familiæ priuatæ suam ea in parte transtulisserit potestatem in totum Reipub. corpus, eo quod expediēs omnino esset, vt ea potius in corpore toto Reipubl. quam in singulis familiis resideret; habere posset Respublica sola eam potestatem à partibus suis sibi collatam, & non immediate à Deo.

Hac tamen solutione non obstante, placet Victoriæ & Sotæ opinio. Tum quod in se consentanea sit rationi: tum etiam quoniam, esto Reipubl. ex familiis non constaret, sed ex hominibus singulis, in Republica tamen esset eadem potestas Præterea, qua ratione in familia ex natura rei consurgit potestas occidendi externos malefactores, quæ potestas nō est in singulis de familia, quatenus singulares, priuataq; personæ sunt, cur etiam non consurget similis potestas in tota Republica, quæ à partibus, quib. cōstat, communicata illi non sit? profecto nulla potest

A reddi legitima ratio. Forte cōtenderet aliquis, priuatas quoque personas posse sumere iustā vindictam de iis, qui sibi sint iniurii & malefactores, quando nulla alia esset constituta superior potestas, cui id incūberet. Id tamen nullo modo auderem concedere: eo enim dato, pari ratione concedendum esset, in euentu, quo per publicam potestatem non sumeretur, vel quia affectus iniuria deficeret in probatione, vel quia publica potestas sua nequitia ea non sumeret, posse priuatam personā sumere per seipsam vindictam cessante scandalo: non secus ac cessante scandalo, potest propria autoritate accipere, quod sibi debetur, si aliter id recuperare non valeat. Concedendū etiam esset, non esse de iure naturali, quod B personæ priuatæ sumere non possent per seipsas vindictam, sed de iure dūtaxat positiuo, ac proinde homines, dū coeunt ad constituendam vnam Rempublicam, posse sibi reseruare potestatem sumendi per seipsos vindictam eā à se non abdicando neq; transferendo in Rempublicam: quæ nulla ratione sunt concedenda. Quare dicendum est. Rempublicam non habere suā potestatem autoritate partium ex quibus coaluit, sed autoritate diuina, à Deo; immediate, tanquā autore naturæ. Confirmatur, quoniam si autoritas Reipublicæ non esset à Deo immediate, sed à cōcessione partium, sane tunc, si aliquis de cohabitantibus suū ad id non vellet præbere assensum; Respublica nullam in eum autoritatē haberet: quippe cum singuli alii non habeant ius & autoC ritatem in hunc, ac proinde nec possent tribuere Rei publ. autoritatem in ipsum. Quare à quocunque, qui de nouo nasceretur, aut de nouo veniret in Rēpub. interrogandum esset, an consentiret in autoritatem Reipublicæ supra se, expectandusque esset illius consensus: quod est ridiculum.

SVMMARIVM.

1 *Monarchia seu regnum quid.*
2 *Aristocratia quid.*
3 *Democratia quid.*
4 *Regia potestas variis modis institui potest.*
5 *Princeps potestatem sibi primo concessam ampliare non potest.*
D 6 *Legis condendæ potestas quanta in lege, & an populus eas indifferenter recipere teneatur.*
7 *Quid in populo iure belli subiugato.*
8 *Regia potestate alicui per Rempub. concessa non solum singulis reipub. partibus, sed & tota repub. erit superior.*
9 *Respublica non potest concessam potestatem auferre vel imminuere.*
10 *Si potestatem sibi non concessam Rex assumat, potest ei respublica resistere.*
11 *Aristocratia varie potest constitui.*
12 *Similiter democratia.*
13 *Tyrannis oligarchia & democratia in malam partem sumpta quid.*
14 *Monarchia regimen cæteris præstantius.*
E 15 *Respublica quæ Aristocratia vel democratia regitur, potest quocunque tempore regem sibi eligere & monarchiam amplecti, atque sufficiet vt maior reipub. pars consentiat.*
16 *Idem erit si maior pars ecclesiæ consentiat in electionem imperatoris qui eam defendat imo solus Pontifex id posset præcipere.*
17 *Supremæ potestates ciuiles partim à republica partim immediate à Deo in rectores emanarunt, quodam etiam iure belli comparato.*

DE SV-

DE SVPREMIS POTESTATIBVS ciuilibus, regia scilicet, seu Monarchia, Aristocratia, & Democratia, & quænam earum sit præstantior.

DISPVTATIO 23.

HVcusque solum ostendimus originem eius ciuilis, politicæve potestatis, quæ residet in toto Reipubl. corpore comparatione suarum partium. Quia vero Respub. secundum se totam exercere nō potest potestatem hanc in suas partes (esset enim operosum, moraliterq; impossibile, ad singulos huius potestatis actus exigere, expectareque consensum singulorum de Repub. difficileque admodum tanta hominum multitudo in idem placitum conueniret) lumen ipsum naturæ docet, in Reipub. arbitrio esse positum, committere alicui, vel aliquibus, regimen & potestatem supra seipsam, prout voluerit, expedireque iudicauerit. Hinc habuerunt ortū varia regimina iusta, quæ in diuersis Rebuspublicis conspiciuntur, vnaquaque eligente, constituentesq; sibi regimen, tradēreque supra se maiorem aut minorem potestatem pro suo arbitratu.

Regiminis diuersitas vnde.

Tres illius species.

Porrò suprema regimina iusta Rerump. atq; adeo Respub. ipsę (nomine earum desumpto à regimine, quo gubernantur) ad tres species reducuntur ab Aristot. 1. *Polit. c.* 5. Nempe ad Monarchiam, hoc est, vnius principatū, Aristocratiam, id est, optimatum principatum & Democratiam, id est, populare seu multitudinis principatum. Etenim Respubl. aut regitur per vnum commune caput ac principem, cui Reipub. potestas est demandata, & tunc dicitur Monarchia seu regnum, princepsq; ipse rex ac Monarcha nūcupatur. Tametsi hodie per antonomasiam, qui toti orbi, aut magnæ illius parti dominatur, Monarcha, orbis videlicet, consueuerit appellari. Reliqui vero, qui vni aut alteri prouinciæ dominantur, reges, puinciæ aut prouinciarum consueuerunt appellari. Deinde, aut Respub. gubernatur per paucos & optimates, vt Roma quondā ante Imperatores, & Venetiæ hodie, & dicitur Aristocratia: rectores vero, vel Senatores, vel alio nomine, prout Resp. instituerit, appellantur. Aut denique Resp. regitur per multos, & appellatur Democratia. Cum autem potestas à Republica in rectores deriuetur pro ipsius Reipu. arbitratu, poterit sane in vnaquaque Reipub. specie deriuari amplior, & minus ampla: neq; est maior in Reipublicæ rectoribus, quam à Republica fuerit illis concessa. Quin potius, si rectores eam extendant, maioremque sibi vsurpent, in tyrannidem per iniustitiam, quam ea in parte committunt, degenerant.

1 *Monarchia seu regnum quid.*

2 *Aristocratia quid.*

3 *Democratia quid.*

Hinc est, quod regia potestas multis modis instituī possit. Primò, concedendo illam alicui in vitam solū illius, ita videlicet, vt eo mortuo, alius à Republica eligatur, constitutis certis quibusdam electoribus, præscriptaque certa eligēdi forma. Secundo, concedendo eam alicui, & descendentibus masculis duntaxat illius, ita vt eis deficientibus ius eligēdi pertineat ad Rempublicam. Tertio, abdicando à se totum ius eligendi, propter incommoda & seditiones, quæ inde possint oriri, regiamque potestatem alicui concedendo, vt deueniat ad quoscunque illius, suorumq; successorum propinquiores consanguineos: ita tamen, vt descendentes ascendentibus præferantur, & ascendentes collateralibus, semperq; masculi fœminis ꝓponantur. Variisq; aliis modis, prout à Republ. in prima regni creatione fuerit constitutum. Quo pacto in Gallia lege Salica fœminę omnes à successione in regno omnino excludūtur. Potest ēt potestas concedi regibus amplior, aut minus ampla, ita vt aliqua eis liceant, aut nō liceant & ad aliqua teneantur, aut non teneantur. Denique illis standū est, quę quando potestas regia alicui primō concessa fuit, fuerint cōstituta. Et quemadmodum Respublica variare non potest, auferendo aut minuēdo potestatem, q̄ à principio concesserit, tametsi possit illam ampliare, & concedere maiorem: ita princeps, renuente Republica, ampliare sibi non potest potestatem, neq; quicquam eorum transgredi, quæ à principio fuerint constituta.

4 *Regia potestas variis modis instituī potest.*

Cum potestate regia ad Rempub. moderandam coniuncta est potestas ferendi leges, quibus gubernetur. Obseruat Alfonsus à Castro, *lib. de potestate legis pœnalis cap.* 1. quando res aliunde non constat, ex vsu recepto, quo populus contrauenire, aut non contrauenire solet iis legibus à rege latis, quæ Rempublicam grauant, coniiciendum esse, an populus, in prima potestatis regiæ creatione, concesserit regibus potestatem condendi huiusmodi leges dependenter ab approbatione populi, aut nō. Si namque vsus habeat, vt tales leges vim non habeant, nisi à populo approbentur, censendum est Rempublicā non maiorem potestatem regibus concessisse, quam cōdendi eas leges dependenter ab approbatione populi. Verisimileque est, si populi ad id aduerterunt, non maiorem potestatem regibus concessisse: imò esto non aduerterent, hæc videtur fuisse Reipublicæ intentio sibi regem constituentis, quando aliud non expressit, semperq; est potius præsumendum regem per potentiam ampliasse suam potestatem, subditis non audentibus resistere, quā subditos restrinxisse illi potestatem semel concessam. Quare fas erit Reipublicæ non acceptare leges, quæ ipsam notabiliter grauent, quando ad commune bonum necessariæ omnino nō sunt. Quod si princeps ad id eam cogat, iniustitiam committet. Si vero, inquit Castrus, vsus receptus habeat, vt legibus principum non iniquis omnino pareatur, cēsendum est, Rempublicam omnem omnino suam potestatem regi concessisse, quod vix de aliqua credi potest. Præsertim cum, vt paulo antea dictum est reges per potentiam suam soleant extendere potestatem, adhucque in hoc euentu fas erit Reipublicæ, quasi appellare à legibus nimium eum grauantibus, principem supplicando, vt vel ab eis abstineat, vel rigorem earum minuat, oportebitq; eam audire, iustamne causam suæ appellationis habeat: quod si sufficientem non ostenderit, tunc quidem cogi poterit parere, & renebitur. Illud admonuerim, si princeps iure belli potestatē in aliquam Rempublicam comparasset, tunc cum non haberet à Republica suam potestatem, sed tantam iuri belli comparasset, quātam Respublica ipsa posset illi concedere, vtique princeps posset eam cogere ad illas leges, quæ nō essent adeo graues, vt iniustitiam continerent: semper tamē leges tolerabiles esse debent, quæ populum non grauent, & quæ illius animū à principis beneuolentia non auertant.

Leges condi di potestas quanta in rege.

5

6

7

8

Concessa vero alicui per Rempublicā regia potestate, rex manet superior non solum singulis Reipublicæ partibus, sed & toti Reipubl. quoad latitudinem potestatis sibi concessæ, ita vt possit ea potestate vti, non solum in singulas Reipublicæ partes, sed etiam in totam Rempublicam, eam, si opus fuerit, puniendo, vt Sotus & Victoria locis citatis probe notarunt. Neq; Respublica potest ab eo auferre potestatem concessam, vel eam minuere, aut legitimum vsum illius impedire: alioquin regiū regimen non esset Monarchia, quæ ad vnum supremum caput reduceretur, sed Democratia, quæ ad Reipub. multitudinem vltimo reduceretur. Si tamē rex potestatem sibi non concessam vellet assumere, posset quidem Respublica ei, tanquam tyranno ea in parte, resistere: perinde ac cuiuis alteri extraneo, qui Reipublicæ iniuriam vellet inferre. Ratio vero est, quia neque rex ea in parte est Republica superior, neque Respublica est illo inferior: sed manet, vt se habeat, antequam illi vnam cōcederet potestatem.

Rex tota Republica superior.

9

10

Similiter in Aristocratia Republica, cum optimatum

11

Potestas Aristocratia varie potest constitui.

tum potestas à Republ. tota pro suo arbitratu instituatur ac concedatur, variis etiã modis poterit instituí. Videlicet, vt plures aut pauciores sint optimates vt hoc vel illo modo eligantur, vt tanto, vel tanto tempore in munere perseuerent, vt tanta vel tanta potestas eorum, & vt hoc vel illo modo à trib. pleb. à reliqua Repub. pendeat. Neque in his, aut quibuscunque aliis, quæ fuerint institura, posſũt quicquam excedere. Quod ſi aliquid amplius ſibi vſurpent, iniuſtitiam committunt. Porrò leges, quæ ab eiuſmodi optimatibus iuxta Reipublicæ præſcriptũ ac poteſtate illis conceſſam, emanant, appellantur ſenatusconſulta.

12 *Poteſtas Democratia varie poteſt conſtitui.*

In Democratia etiam Reſpub. cum poteſtas plurimorum, qui regimini depurãtur, à tota Rep. ſimili ter inſtituatur & concedatur, pro arbitratu poterit variis modis inſtitui, tum quoad numerum, tum ẽt quoad modum eligendorum, qualitatem ac periodum, regiminis cuiuſque, & quoad quantitatem & latitudinem poteſtatis, ac dependentiam illius ab aliis. Similiterque nefas illis erit quicquam excedere. Leges verò quæ ab his, iuxta poteſtatem eis conceſſam, emanant, plebiſcita nuncupantur. Quando autem in prima regiminis ſpecie ex tribus explicatis ad iniuſtitiam fit deflexio, vel occupando Rempub. vel non in commune bonum, ſed in commune proprium iniuſte illam adminiſtrãdo, vel poteſtatem conceſſam excedendo, regimen appellatur tyrannis, & rector tyrannus, nomine in malam partem vſurpato. Dicitur namque à potentia, & quondam vſurpabatur in bonam partẽ: qua ratione potentes dicebantur tyrãni. Quando verò in ſecunda ſpecie fit ſimiliter deflexio ad iniuſtitiam, regimen dicitur Oligarchia, i. paucorum principatus. Quando autẽ fit in tertia, Democratia appellatur, tameſſi iam hodie ab aliquib. nomen hoc in bonam partem ſumatur, quo pacto illud hactenus ſumpſimus. Ariſtoteles tamen 3. *Polit. c.* 5. tertiam regiminis iuſti ſpeciẽ appellat politiam, id eſt, Rempubl. nomine, tribus illis ſpeciebus regiminis iuſti alioquin communi, accommodato ad ſignificandam ſolum tertiam ſpeciem, deflexionem verò ab illo per iniuſtitiam, appellat Democratiam.

13 *Tyrannis, Oligarchia & Democratia quid.*

Ex tribus ſpeciebus regiminis iuſti explicatis, præſtantiſſimum regimẽ eſt Monarchia, propterea quod eo regimine pax & tranquillitas publica melius conſeruetur, minuſq; in eo, quam in quocunq; alio locus ſeditionib. relinquatur. Namvt recte noſt Ennium Lucanus,

14 *Monarchia regimen cæteris præſtantius.*

Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas.
Impatiens conſortis erit, &c.

Et Dominus Hierem. 12. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meã.* Ars præterea eo perfectior eſt, quo plus naturam imitatur in reb. autem naturalib. regimen vnum reducitur, vt vno corde membra omnia moueantur & gubernantur, & vnica ratione potentiæ reliquæ, vna apes cæteris præeſt, & regimen totius vniuerſi ad vnum ſupremum rectorem & moderatorem Deum reducitur. Quo fit vt monarchia cæteris regiminib. ſit præſtantior. Neq; in ea minus eſt ſubditis libertatis, quam in cæteris regiminibus, vt Victoria *de poteſt. ciuil. n.* 11. recte adnotauit: cum in ea ſubditi vnum tantum ſupremum dominum habeant, non plures, vt in aliis. De hac re lege D. Tho. 1. *de regimine principum cap.* 2.

15 Verumenimuero illud cum Victoria *loco citato n.* 14. eſt animaduertendum, quod cum in aliis regiminibus Reſpublica nulli in particulari tradiderit ſupra ſeipſam poteſtatem, ſed per rectores amouibiles, & qui expirant, gubernetur, quocunque tempore poterit, ſi ei placuerit, cõſtituere ſibi regem, vt Venetiæ hodie, aut Genuẽſis Reſpublica, poterunt ſibi regem creare, ſi id expedire iudicauerint. Ad q; ſatis erit, ſi maior Reipub. pars conſentiat: ille namque cenſetur cõſenſus totius Reipub. ratione maioris ſuæ partis: quod proinde vim habet aduerſus minorem, ac proinde minor tenetur illi ſtare. Confirmatur, quoniam ſi in conſiliis Reipublicæ ſententia & beneplacitum maioris partis non eſſet ſequẽdum, ſanè Reſpub. gubernari non poſſet, difficileq; admodum quicquã illi vtile poſſet decerni: quippe cum ex tanta hominum multitudine, nunq; deeſſet aliquis, cui contrarium placeret. Addit Victoria, q; cum Chriſtiana Eccleſia vnica ſit ſpiritualis Reſpublica, ad cuius finem, & cõmune bonum, finis ac regimen ſecularium principum illi ſubditorum ordinatur, vtique ſi maior pars Eccleſiæ conſentiret, vt vnus communis eligeretur Imperator, qui eam defenderet, quiq; cæteris regibus ea in parte eſſet ſuperior, propterea quod id iudicaretur valdè expedire, conſenſus ille & beneplacitum ſufficeret, vt reliqui de Eccleſia tenerentur illi ſtare, conſentire q; in electione talis Imperatoris. Imò ſi id iudicaretur expediens omnino ac neceſſarium Eccleſiæ ad ſui cõſeruationem, ſolus Sũmus Pontifex poſſet id præcipere & ſtatuere, totaq; Eccleſia teneretur ſtare decreto illi ac ſtatuto, iuxta ea quæ *diſput.* 29. dicenda ſunt.

Iam verò ciuiles ſupremę poteſtates, de quib. hactenus locuti ſumus, ſunt, quæ à Republ. dimanant in rectores. Iure autẽ poſitiuo diuino quædam, ſingulari priuilegio, à Deo immediatè emanarunt. Tales fuere poteſtates Moyſis in filios Iſrael, poteſtates item Saulis & Dauidis, qui à Deo conſtituti ſunt Reges Iſrael. Iure etiam belli vnus princeps in plures Reſpublicas, & vna Reſpublica Ariſtocratia, aut Democratia, in plures alias, comparare poterit iuſtam poteſtatem, quæ non ſit à Rebus ipſis publicis, quib. dominatur, illi collata. Et hoc modo dilatata, comparataque fuerunt maxima quæque imperia, quæ hactenus in orbe fuere.

A poteſtatibus ciuilibus explicatis emanant reliquę inferiores in Rebuſpub. vt proregum, belli ducum, iudicũ, optimatum, marchionum, comitum, &c. Ad reges namq; & alios ſupremos moderatores, lumine naturãli id docẽte ac ſcribente, ſpectat, per ſe, vel per alios, ad regimen ſplendoremq; Reipubl. eos creare & conſtituere: eo q; ipſe ſolus non poſſit omnia immediate per ſeipſum adminiſtrare.

SVMMARIVM.

1 *Imperatoriæ dignitatis origo.*
2 *Romanum imperium à Græcis ad Gallos quando translatum.*
3 *Pactum Caroli magni cum Pontifice de diuidendo Imperio.*
4 *Ad Germanos quando imperium translatum.*
5 *Qui ex Germanis Imperatoribus non fuerint coronati.*
6 *Imperatoris Electores qui, & quando conſtituti.*
7 *Pontifex ſibi reſeruauit examen approbationem confirmationem, vnctionem & ſupremam coronationem Imperatoris.*
8 *Coronæ tres Imperatori vbi, & à quibus imponantur.*
9 *Imperatoris inſtitutio, munus & finis.*
10 *Quatuor imperia Romanorũ, inter ea florentiſſimum.*
11 *Imperia quando iuſtè ac iniuſtè comparata cenſentur.*
12 *An imperium Tyrannicum ſubditos in foro conſcientiæ obligat.*

DE ORTV IMPERATORIÆ DIGNITATIS, & quatuor illis præcipuis orbis imperiis, de quibus Daniel. 2. Et num iuſtè fuerint comparata.

DISPVTATIO 24.

IMperatoria dignitas ad regiam monarchicamq; dignitatem reducitur ac ſpectat. In hunc verò modum in orbẽ fuit introducta. Qui plurimis prouinciis

Imperatoria dignitatis origo.

uinciis donabãtur, multosque reges subditos sibi habebant, ad differentiam regum communium, sibi per excellentiam imperatoris nomẽ vsurpauerunt. Hoc modo Romani principes, qui circa Christi aduentum maximam lustrati orbis partem obtinebãt, Imperatores dicti sunt, etiam antequam fidei Christianæ nomen darẽt. Postquam vero Ecclesiæ Christi colla subdiderunt, Constantinusque Magnus Romana vrbe Ecclesiæ donata, imperii Romani sedem Constãtinopolim in Græciam trãstulit, Imperatores patroni erant ac defensores Ecclesiæ.

2 Romanum imperium à Græcis ad Gallos quando translatum.

Glossa *cap. Venerabilem, de electione, in verbo transtulit*, ex historiis asseuerat. Cum tempore Stephani secundi Pontificis maximi, extincto penè imperio in partibus Occidentis propter varias septentrionales nationes, quæ illud vi & armis pene occupauerant, Romana Ecclesia ab Astulpho Lõgobardorũ rege miserandum in modum vexaretur, neque imperatores, qui Constantinopoli morabãtur Sũmo Pontifice crebro & enixè eorum opem aduersus barbarorum incursus implorante, rebus Ecclesiæ afflictis opem ferre curarent: tunc quidẽ Stephanũ Papam anno Domini septingentesimo septuagesimo sexto Imperium Romanum à Græcis ad Gallos transtulisse, Carolumque Magnum Pipini filiũ Imperatorem creasse, quem postea Leo 3 acclamãtibus & flagitantibus populis, Imperatorem confirmauit & coronauit. Gilbertus Genebrardus *lib. 3. Chronologiæ, circa annum à Christo nato 752.* cum aliis vult, hunc Summum Pontificem fuisse Stephanũ 3. circa annum etiã 756. refert Palmer. *in Chron. Nauclari*, asserere, hũc Stephanum ea etiam de causa trãstulisse insignia, dignitates, & titulos imperii ad reges Francorum, quod orientalis Imperator Catholicos vexaret.

Licet autem Romani imperii ad Gallos trãslatio ex eo videatur habuisse originem, quod Stephanus ad Pipinum in Galliam se contulerit, suppetias aduersus Astulphum ab eo obtenturus, vbi Pipinum & duos eius filios denuo reges Galliæ in templo Diui Dionisii inunxit, idemque Galliæ regnum eorũ posteritati hæreditarium declarauit, nihilominus communiter affirmatur, translationẽ hanc Romani imperii ad Gallos, factam fuisse per Leonem 3. qui ann. salutis octingẽtesimo, aut octingẽtesimo primo, Carolum Magnũ constituit coronauitq; Imperatorẽ Occidentalem, remanente Orientali imperio apud Græcos, indeq; dicunt traxisse originẽ, vt Occidentales Imperatores vngerentur & coronarentur per Summum Pontificem. Quin fertur Carolum Magnum pepigisse cum Eirene, & postea cum Nicephoro, vt ipse Occidentis, illi vero Oriẽtis tenerent imperium, vt *ex Platina, & Blondo* refert Genebrardus *lib. 4. Chronographiæ circa annum octingentesimum, & libro 3. circa eundem annum.* Romanum vero imperium Occidẽtale perseuerauit apud Gallos annos circiter cẽtum & decem, vsque ad Ludouicum 4. Quo fine sobole obeunte, extincta est progenies Caroli Magni per lineam masculinam, trãslatumq; est imperium ad Germanos, quorum primus Imperator fuit Conradus tempore Anastasii 3. circa annum nongentesimum duodecimum. Cæterum neque Ludouicus 4. neque Conradus, neq; alii Imperatores vsque ad Ottonem primum cognomento Magnum coronati sunt. Otto primus à Ioan. 12. circa annum nongentesimum sexagesimũ tertium coronatus inunctusq; est Imperator Germanorum, Pop. Rom. Augustum eum salutãte. Otto 3. à Greg. 5. circa ann. 997. coronatus vnctusq; est Germanorũ Imperator, cui tandẽ Italia, q; extincta Caroli Magni sobole perpetuis seditionib. conflictaretur, cõcessit penitus Germanorũ imperiũ. Cõacta vero Romæ Synodo cui Otto 3. interfuit, cõstitutũ est, vt deinceps à septẽ Germanis principibus

Ad Germanos quando imperium translatum.

3

4

5

Imperatoris electores qui & quãdo constituti sunt.

6

tribus Ecclesiasticis, & quatuor secularibus, ad plura suffragia eligeretur futurus Imperator, nẽpe, ab Archiep. Mogunt. à Coloniẽsi, à Treuerensi, à Comite Palatino, à Duce Saxoniæ, à Marchione Brandẽburgensi, & à Rege Bohemiæ, qui tunc dux erat. Sũmus autem Pontifex sibi reseruauit tum examẽ, approbationem, & confirmationẽ illius in Imperatorem, qui ab illis septem esset electus: tum etiam vnctionem & coronationem illius corona aurea. Tres nãque coronæ electo & confirmato in Imperatorem imponũtur. Prima ferrea ab Archiepiscopo Colonienſi in Aquisgrano eiusdem diœcesis. Secunda argentea ab Archiepiscopo Mediolanensi in quodã eius diœcesis oppido in Italia. Et tertia aurea à Sũmo Pontifice Romæ. Atq; hic mos Imperatores eligẽdi, confirmandi, vngendi, & coronandi in hodiernum vsq; diem perseuerat. Fuit vero Henricus secundus imperator primus qui ab his septem electoribus fuit electus. Porro hæc Imperatorũ institutio in eum finẽ statura fuit, vt patroni essent, ac defẽsores Ecclesiæ ad hæreticos, & quoscũq; alios fidei hostes extirpandos, & ad præstãdum quæcunq; alia viderint ad protectionem, Ecclesiæq; patrocinium expedire. Atq; ideo iuramẽtum fidelitatis circa hæc omnia & quædã alia Sũmo Pontifici præstant. Quo fit, vt Ecclesiæ protectio ac defensio armis & potẽtia ad Imperatores ex officio pertineat. Hæc omnia constant *ex c. Venerabilẽ de electione, ex Clementina Romani, & glosu ibidẽ præsertim verbo vestigiũ de iureiurando, & ex Glossa verbo, illi autem, & ex duabus glosis sequentibus, iuncto textu. cap. Ad Apostolicæ de sententia & re iudicata li. 6.* Lege etiam Genebrardum *l. 4. Chronolog. circa annum 997. & rursus circa annum 100.*

7

8 Corona tres imperatoris vbi & quibus, imponantur.

9 Imperator à sinu ac mitra.

Porro Romanum imperium potentia & gloria florentissimum merito iudicatur inter ea quatuor præcipua orbis imperia, de quibus Danielis 2. quæ bello & armis magna ex parte comparata & dilatata sunt. Primum Assyriorum & Caldæorum. 2. Medorum. 3. Græcorum sub Alexandro: & 4. tandem Romanorum, de cuius origine ac initio proxime locuti sumus. Quod si bella, quibus cõparata sunt, iusta fuerunt, imperia quoque ipsa fxerunt iusta. Si autembella fuerunt iniusta; imperia quoq; fuerunt iniusta, quoad id quod bello iniusto acquisitum est: neq; prius comparatum fuit legitimum eius partis imperij dominium, quod iniuste acquisitũ est, quã populi tacite vel expresse libere consenserunt, vt, non obstante belli iniustitia, imperatores illi eis dominarentur. Verisimile autẽ est, huiusmodi imperia magna ex parte iniuste fuisse acquisita, idq; inter alios affirmant Durandus de origine iurisdictionis Albertus Pighius *lib. 1. Hierarchiæ Eccle. cap. 14. &* Driedo *li. 1 de libertate Christiana c. 15.* eaq; de causa, volunt hæc imperia Danieli fuisse ostensa, nõ sub similitudine hominum, sed bestiarum. Quod si obiicias in scripturis sanctis dici interdum fuisse à Deo imperatoribus illis concessa, vt Nabuchodonosor *apud Danielem, & Ieremiæ 27* & Cyro *Isaiæ 44. & 45. & Esdræ 1.* Dicendum est, concessa fuisse permittendo id, vtendoque hominibus illis tanquam instrumẽtis, quibus hominum peccata puniret, Cyriique imperium ordinando in reductionem filiorum Israel de Babylonica captiuitate. Si rursus obiicias, Paulum *ad Roman. 13. & Petrum 1. sua canonica cap. 2.* locutos fuisse de potestatibus, quæ tunc erant, quæ sane erant Romanorum. Respondendum est, in primis Petrum & Paulum de potestatibus sublimioribus in genere fuisse locutos, interim nec expendendo, nec definiendo, an hæ vel illæ in particulari essent legitimæ: quõniam esto in se tales non essent, non spectabat ad eos tunc id docere, neque expediebat: communiterque videbantur reputari à subditis legitimę, quo dato, tenebantur illis obedire. Dicendum est deinde, saltem comparatione multorum *fuisse legitimas*, vt-

10 Quatuor imperia. Romanum inter ea florentissimum.

11 Iuste ne fuerint comparata.

pote bello iusto comparatas, aut rebus publicis ipsis sua sponte se Romanis subijcientibus : & forte eo tempore erat iam consensus populorum tacitus, vel expressus, vt Romani illis dominarentur. Dicendum 12 præterea est, quòd esto Romani Imperatores tyrannicè tunc aliquibus dominarentur, nihilominus, vt cum Victoria *tractatu 5.* dicemus, eo ipso quòd Respublica aliqua illos tolerat, eò, quòd non valeat iugum eorum excutere, non solùm præcepta & iudicia iudicum per eos constitutorum, obligabant in foro conscientiæ singulos de Republica, sed etiam præcepta & iudicia ipsorummet Imperatorum ; non quidem autoritate propria imperatorum , sed autoritate ipsiusmet Reipublicæ: præsumendum namque est, Rempublicam velle, vt tale regimen vim habeat, posito, quòd Respublica ipsa possit aliud constituere.

SVMMARIVM.

1 *Regis dominium in subditos quale & quantum.*
2 *Rex & subditi ad quæ inuicem teneantur.*
3 *Donari de bonis regni quousq; possit.*
4 *Donatio à Constantino Ecclesiæ facta, an subsistat.*
5 *Patrimonium Romanæ Ecclesiæ aliam originem habere, quam ab illa Constantini donatione.*
6 *Regem regnum duidere non posse, minus illud, non consentiente Republ. extraneo concedere, nisi iure belli adeptum sit : Denique nihil circa regnum successionemque in illo mutare potest.*

DE REGIA POTESTATE ERGA subditos, & erga regiæ coronæ bona, & num donatio à Constantino Ecclesiæ facta fuerit legitima.

DISPVTATIO 25.

1 *Regis dominium in subditos quale, & quanta potestas.*

EX hactenus dictis est manifestum, regem, & quemcunque alium supremum Reipublicæ administratorem, dominum non esse bonorum suorum subditorũ : sed solum habere in suos subditos dominium iurisdictionis ad ius illis dicendum, eosque defendendum & gubernandum in commune bonum. Ad hoc namque solum electus est, concessaq; illi est facultas & potestas à Republica. Quare si suorum subditorum bona pro libito sibi vsurpet, aut alteri concedat, iniustus est, & ad restitutionem tenetur, neque valida est talis concessio. Hoc totum de se est perspicuum, idque affirmant Bartolus *in proœmio veterum. ff.* §. *omnem, à num.* 3. Panormit. *cap. venerabilem de electione num.* 19. Innocentius & alij. Poterit tamen, quatenus administrator Reipublicæ est, & quatenus ad commune bonum omnes illi subiiciuntur, condere leges, quas ad idem bonum commune viderit expedire, quibus dominia amittantur, & transferantur ad alios, vt legem præscriptionis , & alias similes : idque non solum in pœnam culpæ, sed etiam in solum commune bonum, nulla interueniente culpa. Item, cum ratio postulauerit, exponere poterit, nõ solum suorum subditorum bona, sed etiam personas pro bono communi, ab eisque exigere poterit, & recipere, quæ, seruata quoad fieri poterit inter eos æqualitate in bonum commune expedire fuerint iudicata.

2 *Rex ad quæ tenetur.*

Cum autem rex in protectorem & defensorem Reipublicæ ab externis hostibus & internis malefactoribus sit constitutus, atq; vt ius dicat, & pacem ac iustitiam in subditis conseruet, & deniq; vt Rempublicam in commune bonum administret, eaque de causa tributa ei soluantur , aliaque emolumenta, quæ ad regis potentiam, dignitatem, & honorem necessaria sunt: sane tenetur rex de iustitia, atque ex suo munere prædicta omnia præstare: quemadmodum subditi vicissim tenentur ei rependere reuerentiam, obedientiam, tributa, & alia subsidia, quæ pro munere suo illi debentur. Quamuis autem rex donare possit de bonis regni ea, quæ non cedant in graue & notabile præiudicium regni, remunerareque possit ac debeat merita suorum subditorum, eo magis, quo plus in commune bonũ cedunt, vt colligitur ex *c. Abbate, de sententia & re iudicata lib. 6.* atq; ex aliis iuribus: non tamen potest donare ea, quæ cedant in graue notabile præiudicium regni, quin potius, si ita donet, potest donationem reuocare, esto iureiurando eam firmasset : eodemque modo eam possunt reuocare successores, in quorum præiudicium facta est. Ita colligitur ex *c. intellecto, de iureiurando*, & affirmant Innocentius, & Panormitanus *ibi vsque ad numerum* 8. Bartolus *in l. prohibere.* §. *Plane. ff. quod vi aut clam.* Ratio est, quoniam rex, comparatione bonorum coronæ regni, est quasi administrator : bona namque coronæ regni suo modo sunt vinculata, & à Republica regibus concessa ad defensionem & administrationem Reipublicæ, & non vt in regni & Reipublicæ detrimentum, dilapidẽtur. Et quamuis res iusta de causa possit ab eis auferre illud quasi vinculum, quod habẽt, non prohibito & absque legitima causa.

3 *Donare de bonis regni quousque possit.*

4 *Donatio à Constantino Ecclesiæ facta.*

Hinc dubitant Doctores, an donatio à Constantino facta Ecclesiæ fuerit valida: cum fuerit de re admodum graui, ac in præiudicium successorum. Et quicquid quidam iurisperiti dixerint, dicendum est cum Bartolo *in rubrica proœmii citati* (tametsi eo in loco non sit admodum firmus) Panormitano *loco citato*, Maiore *in 4. d. 15. q. 10. part. 2.* & multis aliis, non solum bona fide & absque peccato factam, acceptataque fuisse, sed etiam videri profectam ex diuina inspiratione ad exaltationem, splendorem, & dilatationẽ Ecclesiæ. Et præterquam quod quasi in remunerationem pro salute, victoriis diuinitus comparatis, fide, & aliis beneficiis acceptis, fuerit facta: facta fuit Deo in ipsius Ecclesia, & in commune bonum totius imperij, totiam de imperio subiectis Ecclesiæ. Porro donationes, quæ cedunt in commune Reipublicæ bonum, licitæ sunt: ad Rempublicamque ciuilem spectat Ecclesiam dotare & exaltare, à qua, tanquam à matre, tot bona accipit, & ad cuius finem finis temporalis Reipublicæ ordinatur. Et peculiariter id spectat ad principes nomine totius Reipublicæ: donationesque in causas pias fauorabiliores multo sunt in iure, quam reliquæ, præsertim docente eque id lumine naturali. Accedit à sanctissimo Syluestro fuisse acceptatam, in eaque sanctissimos & doctissimos Sũmos Pontifices perseuerasse, atque in eam sequentes Imperatores ac Respublicas consensisse.

5

Vt vero probe notat Albertus Pighius *lib. 5. Hierarch. Ecclesiastica, cap. 6.* donatio illa tota per Constantinum facta, extincto imperio illo antiquo in Italia, aliisque Occidentis partibus, vt disputatione præcedente dictum est, expirauit: longeque aliam originem habent bona, quæ postea, vt sua, Romana Ecclesia possedit, vt iam nunc subiungam, ab illa antiqua origine Et esto donatio facta per Constantinum non expirasset, cum (vt disputatione præcedente ostensum est) imperium Germaniæ, quod hodie est in Ecclesia, longe diuersum sit ab illo antiquo Constantini & successorum, nihil sane bona illa, quæ à Constantino Ecclesiæ Romanæ fuerunt donata, ad Imperatores Germanos qui modo sunt, pertinerent. Quod vero bona, quæ ad patrimoniũ Romanæ Ecclesiæ spectant, longe diuersam originem ab illa antiqua habeant , ostendit optime Albertus Pighius, & constat ex aliis, quos idem autor & Genebrardus, referunt. Arithpertus namq; Longobardorum Rex donauit Ecclesiæ Romanæ Hexarchatũ Rauennarem (qui multas vrbes cõtinet) & multa alia. Pipinus postea, & Carolus Magnus eius

5 *Patrimonium Romanæ Ecclesiæ aliam originem habere, quam ab illa Constantini donatione.*

filius,

filius, extirpatis funditus ex Italia Longobardis, donationem auxerunt. Mechtildis postea Comitissa moriens, Ecclesiæ Romanæ reliquit, quicquid à Pissia amne, & sancto Quirico agri Senensis, vsque ad Ceperanum inter Apennium & mare interiacet. Atque id est, quod peculiariter dicitur Petri patrimonium. Vltro deinde accesserunt terris Ecclesiæ Beneuentanus Ducatus, & postremo vtraque Sicilia Normanorum fratrum, Tancredi filiorum, virtute à Saracenis & Græculis vindicatæ.

Rex dividere non potest regnum, neque circa illud aut successionē quicquam mutare.

Cæterum reges, vt donare non possunt in notabile præiudicium, ac detrimentum regni, ita neque dividere possunt regnum, partemq; vnam dare vni filiorum, & aliam alij. Et multo minus possunt concedere regnum alicui extraneo, non consentiente ipsa Republica: nisi forte illa iure belli esset capta. Denique nihil circa regnum, successionemque in illo, mutare possunt. Ita, inter alios Maior *loco citato*. Lege etiam Panormitanum *cap. intellecto, de iureiurando n. 5.* & Innocentium *cap. Grandi, de supplenda negligentia prælatorum lib. 6.*

SVMMARIVM.

1 *Regiam potestatem esse de iure naturali, asserit Victoria.*
2 *Argumentum primum.*
3 *Argumentum secundum.*
4 *Resoluitur: regiam & quamuis aliam ciuilem potestatem esse de iure positiuo, licet descendat à iure naturali.*
5 *Leges summi Pontificis etsi deriuantur à potestate, quam iure diuino habet, esse tamen iuris humani.*
6 *Solutio ad argumentum primum.*
7 *Ad secundum.*

VTRVM REGIA POTESTAS DE iure naturali sit.

DISPVTATIO 26.

1 VIctoria *in relectione de potestate ciuili num. 8.* asseuerat regiam potestatem esse de iure naturali, illi videtur subscribere Couar. *de practicis quæstionibus cap. 1. num. 6.* Suaderi autem id potest. Primo, *Argum. 1.* quoniam potestas Reipublicæ in singulas suas partes est de iure naturali, vt *disput. 22.* ostensum est: sed eadem est potestas, quam Respublica transfert in regem, quippe cum, creato rege, non maneant duæ potestates, vna in Republica, & altera in rege, sed abdicante à se Republica suam potestatem, eamque in regem transferente, remanet vna sola potestas regis: ergo sicut potestas Summi Pontificis est de iure diuino, esto applicatio illius ad hunc vel illum, qui eligitur in summum Pontificem, pendeat à voluntate & electione hominum: ita potestas regis erit de iure naturali, esto applicatio illius ad hunc vel illum, qui in regem eligitur, à libera concessione & electione Reipublicæ pendeat.

3 Secundo, non sola potestas Reipublicæ oritur ex *Secundo.* iure naturali, sed etiam, quod eam alicui vel aliquibus committat, proficiscitur à lumine ipso, iureque naturali, eo quod Respublica tota nequaquam, secundum se totam, possit illam exercere: ergo siue Respublica sibi eligat regium regimen, siue Aristocratium, siue Democratium, sane suprema ciuilis potestas, quam pro suo arbitratu elegerit, semper erit de iure naturali. Atque hoc argumento ductus Couar. eam sibi opinionem persuasit.

4 *Regia aut alia suprema in Republica potestas* Dicendum est tamen *cum Durando de origine iurisdictionis q. 1. Driedone 1. de libertate Christiana cap. 15. Alfonso à Castro 1. de potestate legis pœnalis cap. 1. & aliis*, tum regiam, tum quamuis aliam supremam ciuilem potestatem, quam pro arbitratu Respublica sibi elegerit, esse immediate à Republica, & mediate à Deo per lumen naturale & potestatem, quam Reipublicæ concessit, vt sibi deligeret ciuilem potestatem prout vellet, expediretque iudicaret. Quare descendit à iure naturali, est tamen simpliciter de iure humano Reipublicæ, pro arbitratu sibi deligentis, non solum personam, aut personas, quibus tribuat potestatem sed etiam modum, quantitatem, ac durationem talis potestatis. Sicut enim leges Summi Pontificis deriuantur à potestate, quam iure diuino habet ad eas condendum, sunt tamen simpliciter de iure humano: ita etiam, licet suprema ciuilis potestas, quam pro arbitratu sibi Respublica eligit, deriuetur à naturali potestate, quā ad illud constituendum habet, est tamen de iure humano. Neque est eadem ratio de suprema ciuili potestate, vt non sit de iure humano: & de suprema Ecclesiastica potestate Summi Pontificis. Potestas namque Summi Pontificis, nec constituitur ab Ecclesia, nec ab ea variari, minui aut coarctari potest, sed solum Ecclesiæ fuit à Christo concessum, vt iuxta leges, quas ipsi summi Pontifices præscriberent, facultatem haberet eligendi personam, cui potestas illa applicaretur. At vero suprema ciuilis potestas constituitur à Republica talis vel talis, & tanta vel tanta hoc vel illo modo restricta & descendens ab alio aut ab aliis, pro ipsius Reipublicæ arbitrio.

stas descendit à iure naturali, sed est de iure humano.

5

Ad primum ergo argumentum in contrarium 6 neganda est Minor. Loquendo namq; diuersa est potestas, quam Respublica regi communicat, ab ea, quā in se habet; potestq; maiorem vel minorē illi communicare, vt dictum est. Ad probationem vero minoris dicendum est, creato rege, non manere quidem duas potestates, quarum quæuis prodire possit immediate & integre in actum exercendæ iurisdictionis ac regiminis in partes Reipublicæ. Etenim quantum Respublica concedit regi potestatis independentis in futurum à se ipsa, tantum sibi adimit potestatem, quoad immediatum illius vsum, nihilominus negandum non est, manere duas potestates, vnam in rege, alteram vero quasi habitualem in Republica, impeditam ab actu, interim dum illa alia potestas perdurat, & tantum præcise impeditam, quantum Respublica independenter in posterum à se Regi illi eam concessit. Abolita vero ea potestate, potest Respublica integre vti sua potestate. Præterea, illa perdurante, potest Respublica illi resistere, si aliquid iniuste in Rempublicam committat, limitesve potestatis sibi concessæ excedat. Potest etiam Respublica exercere immediate quemcunque vsum suæ potestatis, quem sibi reseruauerit.

Ad primum

Ad secundum, concesso antecedente, neganda 7 est consequentia. Sicut enim de iure naturali est, quod Respublica, aut princeps iubeat, punireve faciat malefactores: attamen, quod hac potius, quam illa pœna punire faciat hoc vel illud delictum, est de iure positiuo: eo quod à libero suo arbitrio, iureque, quod constituere ea in parte voluerit, id pendeat: ita licet de iure naturali sit, quod Respublica aliquem vel aliquos rectores eligat, quibus regimen committat: eo quod tota non possit seipsam regere: de iure tamen positiuo ipsiusmet Reipublicæ est, quodcunque in singulari regimen elegerit: eo quod ab arbitrio ipsius pendeat, hoc potius, quam quodcunque aliud eligere.

Ad secundum.

SVMMARIVM.

1 *Legitimæ omnes laicæ potestates proximæ vel remotæ à Deo sunt.*
2 *Cur de diuino ac naturali iure sit, vt humanis legibus pareatur.*

3. *Error eorum, qui asserunt, regium regimen esse contra ius naturale, regesq; omnes esse Tyrannos.*
4. *Infideles dominia & reges legitimos habere possunt.*

QVANAM RATIONE SECVLARES legitimæ omnes potestates à Deo sint.

DISPVTATIO 27.

CVM legitimæ omnes potestates laicæ, vel sint de iure naturali, vt potestas patris in filios, viri in uxorem reipublicæ in singulas partes, atque adeo sint à Deo tanquam ab autore naturæ, vel descendant à iure naturali, constituanturq; iure positiuo, partim per potestatem iure naturali ad id immediate concessam, vt sũt potestates omnes supremę laicæ, & si quæ aliæ immediate constituantur à toto corpore reipublicæ: partim vero per potestatem à iure naturali mediate ad id deriuatam, quales sunt potestates aliæ, quæ mediate constituuntur à corpore toto reipubl. mediante videlicet regia, & aliis potestatibus ab ipsa creatis, & per potestatem ad id in commune reipublicę bonum illis cõcessam: cõsequens profecto est, vt legitimæ omnes laicæ potestates proxime vel remote sint à Deo, atque adeo iuxta diuinum beneplacitum & voluntatem sint constitutæ. Vnde licet, quæ à regia, & aliis legitimis inferioribus potestatibus rite, vel constituũtur, vel præcipiuntur, sint de iure positiuo, quod tamen illis, postquam ita fuerint constitutæ, pareatur, est de iure naturali, lumine ipso naturali intellectus, ex naturis ipsis rerum, id ita docente & præscribente, atque adeo est de iure diuino à Deo ipso, mediis naturis rerum, ita constitutum.

1

Quo fit, vt leges & præcepta, non iniusta, laicarum potestatum de iure sint humano: quod vero illis pareamus, sit de iure naturali ac diuino. Vt enim Deus optimus maximus mundum hunc vniuersũ quoad naturalia per causas secundas naturales gubernat, quarum quædam sunt ab eo immediate vt Angeli, cœli, & astra, à quibus regimen & procreatio interiorum pendet: quædam vero sunt immediate, mediantibus videlicet aliis causis secundis, qua ratione attingere à fine vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter dicitur, influxum, operationemque causarum non excludendo, cum tamen eius sapientiæ ac prouidentiæ regimen totum huius vniuersi quoad naturalia tribuatur: ita sane ipse est qui per potestates legitimas, à se proxime vel remote deriuatas ac constitutas, creaturas omnes libero arbitrio præditas ad fines suos, tum naturalem, tum supernaturalẽ dirigit ac gubernat. Quo fit, vt legitimæ omnes potestates, quibus obedire tenemur, à Deo sint, Deique vices vnaquæque in suo ordine & gradu teneant, vt dum illis obedimus, earumque præcepta seruamus, Deo pariter in illis obediamus, Deique præceptum ac volũtatem exequamur. Vnde Paulus *ad Rom.* 13. de potestatibus secularibus, eisque laicis, agens, ait. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: quæ autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et paucis interiectis. *Dei minister est tibi in bonum: si autem malum feceris: time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram* (id est in pœnam) *ei qui malum agit. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, id est pœnam, sed etiam propter conscientiam* (id est, vt peccatum vitetis) *ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes.* Ad Tim. 3. *Admone illos, principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* 1. Petri 2. *subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum: laudem vero bonorum: quia sic est voluntas Dei.* Et infra. *Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Et Paulus ad Ephes. 5. *subiecti, inquit, inuicem in timore Christi. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut domino, sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Et ad Phil. cap. 6. *Obedite parentibus vestris in Domino. Serui subditi estote dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate seruientes sicut Domino, & non hominibus.* Ex quibus constat, seculares potestates à Deo esse, & vt Dei ministros Deum ipsum referre. Præterea, dum illis obedimus, Deo nos obedire, eiusque præceptum & voluntatem seruare. Hinc viterius facile patet, quam stultus eorum error fuerit, qui asseruerunt, regium regimen esse contra ius naturale, regesque omnes esse tyrannos, & eorum regimen esse contra Christianam libertatem & legem Euangelicam. Nihil enim, quod cum recta ratione consonat, & à iure naturali deriuatur, & cum scripturis sacris omnino consentit, contra ius naturale esse potest. Præterea, Melchisedec rex fuit Salem, & sacerdos Dei altissimi. Ioseph procurator fuit Pharaonis regis AEgypti. Dauid & Saul reges à Deo sunt constituti. Et *Deut.* 17. filiis Israel conceditur constituere sibi reges, regnique leges eo loco præscribuntur. Item *Prouerbiorum* 18. ait Deus, *per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Cum vero nihil in Euangelio sit prohibitum, quod naturali iure non prohibeatur: libertasque Euangelij in eo sit posita, quod à iugo veteris legis simus liberati, & quod à seruitute peccati liberi facti simus iustitia, ridiculum profecto, ineptumque omnino est asseuerare, regium regimen cum Euangelio, Euangeliique libertate pugnare.

2

Cur de diuino ac naturali iure sit vt humanis legibus pareatur.

A

B

C

D

E

Ex his, quæ, tum hac, tum nouem aliis disputationibus præcedentibus dicta sunt, facile cuiuis poterit esse manifestum: nationes aliquas infideles esse, nihil omnino impedire quo minus inter homines earum veri reges sint, qui illis dominentur; legitimæque aliæ potestates seculares. Nec item impedire, quo minus infidelos ipsi legitimi sint earum rerum domini, quas tanquam priuatæ personæ, vt proprias, possident. Etenim dominia iurisdictionis & proprietatis toti generi humano sunt communia, eorumque fundamentum neque est fides, neque charitas, sed mediate vel immediate oriuntur ex ipsismet naturis rerum, primaque ipsorum constitutione, dissoluta natura per peccatum, factaque ea de causa rerum diuisione, vt explicatum est.

4

Infideles dominia, reges legitimos habere posse.

SVMMARIVM.

1. *Christus quatenus Deus Iure creationis Dominus omnium: an vero quatenus homo fuerit rex temporalis & Dominus orbis.*
2. *Affirmat opinionis authores.*
3. *Arg. primum.*
4. *Secundum.*
5. *Tertium.*
6. *Negat. opinionis authores.*
7. *Probatur primo.*
8. *Secundo*
9. *Tertio.*
10. *Quarto.*
11. *Quinto.*
12. *Christus quatenus homo rex est Ecclesiæ in terra militantis, & in cœlo triumphantis cum plenissima potestate omnium, quæ ad finem supernaturalem ecclesiæ proprium necessaria sunt.*

13 *Christus non solum habuit plenissimam potestatem in spiritualibus ad condendam Ecclesiam, sed etiam ad eundem finem plenissimam potestatem in temporalibus habuit.*

14 *Christus quatenus ex Dauide per carnalem propagationem descendebat, non erat Dominus orbis, neque Rex Iudæorum.*

15 *Christus iura & dominia ab aliis non abstulit.*

16 *Christus vt homo dominus absolutus est temporalium omnium, & Rex regum potest appellari.*

17 *Responsio ad primum affirmat. opinio arg.*

18 *Ad secundum.*

19 *Ad tertium.*

20 *Responsio ad primum negat. opinio arg.*

21 *Ad secundum.*

22 *Ad tertium.*

23 *Ad quartum.*

24 *Ad quintum.*

25 *Ad sextum.*

VTRVM CHRISTVS QVATENVS homo rex fuerit temporalis, & Dominus orbis.

DISPVTATIO 28.

EXplicata suprema laica potestate, vt cum ea Ecclesiasticam Summi Pontificis conferamus, remque ab ouo, vt aiunt, deducamus, examinandum est quanta fuerit potestas Christi circa res temporales. 1 Et quidem constat, Christum, quatenus Deum, iure creationis dominum esse omnium, vt *disputatione* 18. ostensum est. Dubium vero est, vtrum, quatenus homo, sit etiam dominus orbis, quasi dono patris dominium iurisdictionis temporalis acceperit in vniuersum orbem, fueritque ab eo rex totius mundi super omnes Principes terræ constitutus.

2 *Partem affirmantem amplectuntur* Burgens. *ad dit. 2. ad caput* 1. *Matthæi.* Nicolaus Grandis *in id ipsum ad Hebræos* 1. *Quem constituit hæredem vniuersorum.* Rossensis *art.* 11. 25. *contra Lutherum.* Albertus Pignius 5. *lib. Hierarchiæ Ecclesiasticæ c.* 3. Almainus *de potestate Ecclesiastica cap.* 8. Bachonius *in 4. quæst.* 1. *Prologi. art.* 2. *& quæst.* 11. Nauar. *c. Nouit, de iudiciis, not. ab.* 3. *num.* 8. *& 130.* Hostiensis *cap. Quod super vobis, de voto.* & alij ex iurisperitis, qui eo innixi fundamento asseuerant, Summum Pontificem, qui à Christo eam potestatem accepit, quam Christus habuit in terris, dominum esse temporalem totius orbis. Ad eandem sententiam accedunt Durandus *de origine iurisdictionis, q.* 3 Turrecremata 2. *lib. summæ c.* 116. *ad* 2. D. Anton. 3. *p. tit.* 3. *c.* 2. *in initio,* & D. Thom. 3. *de regimine principum à c.* 12. *vsq. ad* 15. idem videtur asserere 3. *p. q.* 59. *art.* 4. *ad* 1. Eandem sententiam redolet Chrys. *hom.* 83. *in Ioann.* exponens illa verba, *si ex hoc mundo esset regnum meum.* Eandem absq; vllo ænigmate asseuerat Bernar. 3. *de consideratione ad Eugenium ad initium,* his verbis. *Dispositio tibi super orbem credita est, non data possessio. Non tu ille, de quo Prophetatum est, & erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & meritò redemptionis, & dono patris. Cui enim alteri dictum est, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Possessionem & dominium cede huic: tu curam illius habe.* Hæc Bernardus.

3 *Suadetur primo.* Hæc sententia suadetur. Primo, quoniam id pertinere videtur ad Christi dignitatem & excellentiam, quis & illi videtur debitum ex gratia vnionis humanitatis cum verbo, per quam, quatenus homo constitutus est caput & dominus, non solum hominum, sed etiam Angelorum. *Ipse enim,* ait Paulus ad Colossen. 2. *est caput omnis principatus & potestatis. Constitutus* (vt ad Ephes. 1. addit) *ad dexteram patris in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & omne, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam:* non videtur autem pater æternus filio denegasse, quæ ad illius dignitatem & excellentiam attinebant, quæque tanquam creaturarum omnium caput, ex vnionis dono, suo quasi iure vendicabat.

4 *Secundo.* Secundo, *Apocal.* 19. de Christo scriptum legimus, *habet in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex regum, & dominus dominantium.* Psal. 2. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam.* Psalm. 21. *Regnum ipsius omnibus dominabitur.* Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Omnis, ait Christus, & non spiritualis tantum. Ioan. 13. *Omnia dedit ei pater in manus.* Ad Hebræos 1. *Quem constituit hæredem vniuersorum:* perspicuum autem est, non quatenus Deum, sed quatenus hominem, constitutum esse hæredem vniuersorum. Et c. 2. de Christo ait Paulus. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Addens, *in eo, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei,* quod explicans peramplius 1. *ad Corinth.* 15. subiungit, *sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia:* ergo Christus, quatenus homo, dominus est rerum omnium creatarum.

5 *Tertio.* Tertio, Christus fuit vsus aliquando temporali potestate. Matth. namque 8. dæmonibus poscentibus, *si eicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum,* dixit, I. e. *Et suffocati sunt.* Matth. 21. *Maledixit ficulneæ, & aruit.* Item *flagello eiecit ementes & vendentes de templo:* in his autem Christus nullam iniustitiam commisit, sed iure suo, & potestate est vsus.

6 *Negantis partis auctor.* Contrariam tamen sententiã, nempe, Christum, neque habuisse dominium rerum temporalium, neque regem fuisse temporalem, sed regnum ipsius fuisse spirituale Ecclesiæ militantis primum in hoc seculo, & triumphantis postea in sempiternum in alio (eo quod vtraque Ecclesia simpliciter sit vna & eadem differens solum penes diuersos status, vt q. 1. *huius* 2. 2. *art.* 1. ostendimus) asseuerant, Victoria *Relect. 1. de potestate Eccl. secunda quæst. penult. a num.* 15. Sotus *in 4. d.* 25. *q.* 2. *vltimo. & 4. de iustitia q.* 4. *artic.* 1. Ioannes Parisiensis *de authoritate regia & papali. cap.* 8. *&* 9. & Bartholomæus Medina 3. *part. q.* 59. *ad art.* 4. D. Thom. Eandem redolent Abulensis *ad cap.* 21. Matth. *q.* 3. *exponens illud Zachar. 9. Ecce rex tuus venit, &c.* Augustinus & alij *ad illa verba Ioan.* 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et Ambrosius 3. *libro in Lucam prope finem.*

7 *Suadetur primo.* Probari autem potest. Primo, quoniam vbicunque in sacris literis mentio fit de regno Christi, sermo est de regno spirituali, non vero de temporali: ergo absque vllo fundamento asseritur, Christum fuisse Regem temporalem. Antecedens probatur ex illo Psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius* id est, Ecclesiam, quæ regnum est ipsius, iuxta illud Ioannis Baptistæ Matth. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Id quod apertius docuit Christus ipse *Ioan.* 18. dicens, *Regnum meum non est de hoc mundo.* His enim verbis manifeste docuit se non esse Regem temporalem, & nihilominus habere regnum alterius rationis à mundanis & caducis regnis. Etenim cum eum interrogasset Pilatus, *Tu es rex Iudæorum?* respondit Christus. *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Si namque à se loqueretur, cum ignarus esset legis, sane de regno intelligeret temporali. Si vero non ex se, sed ex Iudæorum accusatione loqueretur, procul dubio sermo esset de regno Messiæ: neque enim Christus aliter se regem fecerat, quam profitendo se esse Messiam. Vt ergo Christus melius Pilatum doceret, interrogauit eum. *A te ipso*

me ipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Vnde cum A
subiunxisset Pilatus, ex Iudæorum accusatione in-
terrogationē illam ortum habuisse, dicens. *Gens tua
& pontifices tui tradiderūt te mihi, quid fecisti?* Respon-
dit Christus. *Regnum meum non est de hoc mundo*, quasi
diceret, ne fallaris Pilate, Regnum meum, quod
tanquam Messiæ ad me spectat, & de quo Iudæi me
accusant, non est de hoc mundo. Cum vero inde
Pilatus intulisset: *ergo rex es tu?* Respondit Christus,
explicans modum & qualitatem regni sui. *Ego in hoc
natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium
perhibeam veritati*; nempe homines docendo fidem
& viam salutis æternæ. Quod est illud idem, quod
Psal. 2. post verba relata fuerat prædictum. *Prædicans
præceptum eius.* Atque hoc est regnum Messiæ, de quo
Angelus *Luc.* 1. ad B. Virginem dixit: *Dabit illi Do-*
minus Deus sedem Dauid patris eius, hoc est, Dauidi pa- B
tri eius promissam, futurum Messiæ, eidem Dauidi
de suo semine promisso, & cuius typum Dauid in
suo regno gessit. Hæc autem sedes, & hoc regnum
Messiæ, sane non est aliud, quam Ecclesia, quæ vna
& eadem est à principio mundi, & de militante
tranſit in triumphantem, & de Ecclesia legis naturæ
& Synagogæ transiuit in Ecclesiam Christianam,
facto vno ouili sub vno pastore Christo, & eius vi-
cario Summo Pontifice ex duobus ouilibus, destru-
cta & euacuata macerie legis veteris, quæ ouilia illa
ante Christi mortem diuidebat, vt in hac 2. 2. quæst.
1. art. 10. explicauimus. Quia vero, quo tempore An-
gelus cum B. Virgine loquebatur, fere tota Ecclesia
militans erat sola Synagoga, quæ domus & sobo-
les erat Iacob', cui præcipue promissus erat Messias,
quæque transitura erat in Ecclesiam Christi, ac cum C
illa continuanda, suscitante Deo in Synagoga pro-
phetam illum ac legislatorem, de quo Moyses *Deu-
teron.* 18. dixerat, *Prophetam de gente tua & de fratribus
tuis sicut me, suscitabit tibi Deus tuus, ipsum audies.* Et in-
fra Deus ipse, *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum
suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, lo-
quetur que ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem ver-
ba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego
vltor existam*: ideo de Christo subiunxit Angelus.
Et regnabit in domo Iacob, hoc est, *in æternum, & regni
eius non erit finis.* Itaque Ecclesia, regnumve Messiæ,
dicitur regnum Dauidis, quia Dauidi, suæ soboli,
fuit promissum, & quia regnum Dauid typum re-
gni Messiæ gessit. Vt enim Dauid constitutus est Rex
super populum Dei electum: ita Christus super Ec-
clesiam Dei electā. Et sicut Dauid prius vnctus fuit
in regem, quam regnum consequeretur, & per mul-
tas tribulationes ac perturbationes ad regnum per- D
uenit, priusquam regnauit in Iuda, & Beniamin, &
postea in aliis tribubus, imo ad gentes se etiā postea
extendit: sic Christus prius fuit vnctus à patre in re-
gem Ecclesiæ, quam eam fundaret, & sanguine suo
per mortem ac varias tribulationes eam sibi acqui-
reret, priusq; regnauit in ijs, qui ex Iudæis conuersi
sunt ad fidem, postea vero regnum Ecclesiæ ad gen-
tes longe lateq; protulit. Atq; his de causis *Ezechie-
lis* 34. & 37. Messias futurus, Dauidis nomine aperia-
tur. *Et suscitabo, inquit Deus super eas pastorem vnum,
qui pascat eas, seruum meum Dauid, ipse pascet eas.* Et
rursus, *seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus
erit omnium eorum.* De eodem Messiæ regno, de quo E
Angelus ad B. Virginem fuit locutus, præfatus est
etiam Isaias cap. 9. Cum enim præmisisset, *Paru-
lus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est
principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius
Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæcu-
li, Princeps pacis*, subiunxit. *Multiplicabitur eius impe-
rium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super
Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in
iudicio & iustitia amodò & vsq; in sempiternum.* Quod
sane in solum Ecclesiæ Regnum ratione status Ec-
clesiæ triumphantis quadrat. Cū enim regna omnia
terrena cum mundo ipso finem sint habitura, sane
Messiæ regnum, quod *Luc.* 1. futurum dicitur in æ-
ternum, nec habiturum finem, & *Isaiæ* 9. corrobo-
randum dicitur in iudicio & iustitia amodò & vsq;
in sempiternum, & *Daniel.* 7. æternum asseritur, &
quod non corrumpetur, non aliud est, quā regnum
Ecclesiæ, vt militantis & triumphantis statum com-
plectitur. De quo Regno *Psal.* 88. ait Deus. *Disposui
testamentum electis meis, iurauī Dauid seruo meo, vsque
in æternum præparabo semen tuum, & ædificabo in
generatione & generationem sedem tuam.* Locum vero
illum *Isaiæ* 9. exposuimus copiosè 1. *p. q.* 27. *a.* 1. *disp.* 2.

Secundo eadem sententia probatur, quoniam 8
Ier. 22. de Ieconia dictum est, *scribe virum istum steri- Secundo.*
*lem, & non erit de semine eius vir, qui sedeat super solium
Dauid, & potestatem habeat in Iuda*: sed Christus fuit
de semine Ieconiæ, vt ex Euangelio constat: ergo
regnum Christi super solium Dauid non fuit tem-
porale & terrenum, de quo Ieremias eo loco loque-
batur, sed spirituale, quale paulo antea explicatum
est, & de quo Angelus & Isaias in litterali sensu lo-
cuti sunt. In eumque modum Hieron. *in testimonium
Ieremiæ citatum*, & Ambrosius *loco citato* copiosè &
erudite satis, aliique Doctores communiter conci-
liant Ieremiæ testimonium cum testimoniis *Luc.* 1.
& *Isaiæ* 9. non ergo Christus Rex fuit temporalis,
laicam habens potestatem.

Tertio, quoniam *Luc.* 12. cum lis, sermoque esset 9
de temporali hæreditate dixit Christus, *Homo, quis Tertio.*
me constituit iudicem & diuisorem inter vos? si autem à
Deo patre constitutus esset Rex temporalis, laicam
habens potestatem, sane non negasset se iudicem es-
se constitutum.

Quarto, quoniam frustra esset in Christo ea po- 10
testas, qua nunquam esset vsurus: potestas namque *Quarto.*
non est nisi propter actum.

Quinto, quoniam potestas illa nihil omnino con- 11
ducebat ad finē redemptionis generis humani per *Quinto.*
Christi humilitatem & pauperratem: quin potius
contrarium expediebat magis, decebatque magis
Christum, qui perfectæ paupertatis & contemptus
rerum humanarum exemplum in seipso nobis præ-
bere intendebat, perfectior namq; est ea paupertas,
quæ non solum vsum rerum à se abdicat, sed & ius,
dominium, ac proprietatem, quam ea, quæ solum
vsum abdicat. Quorsum item Christus dominium
rerum temporaliū acciperet, quas Paulus vt ster-
cora arbitratur, & quarum habiturus non erat vsum?

Accedit in *extrauagan. Cum inter nonnullos.* Et *quia
quorundam, de verborum significatione* haberi, Chri-
stum & discipulos paucarum rerum habuisse do-
minium: non ergo Christus quatenus homo domi-
nus fuit omnium.

His ita explicatis, quid de hac re sentiamus, se- 12
quentes aperient conclusiones.

Prima conclusio. Christus quatenus homo, rex 1. *Conclusio.*
est Ecclesiæ in terra militantis, & in cœlo triūphā- *Christus ex-*
tis, cum plenissima potestate omniū, quæ ad finem *tensus rex.*
supernaturalem Ecclesię proprium ꝓcessaria sunt.
Et hoc est regnum proprium Messiæ, de quo Chri-
stus dixit, Regnum meum non est de hoc mundo,
hoc est, non est qualia sunt caduca & peritura terra-
rum regna, sed spirituale ac æternū, atque ad finem
longe diuersum à fine proprio terrenorum princi-
patuū. Hoc est fidei dogma, in quo omnes conueni-
unt. Ea vero confirmant fere omnia argumenta,
quæ in vtraque quæstionis partem proposita sunt.

Secunda conclusio. Christus non solum habuit 13
plenissimam potestatem in spiritualibus ad condē- 2. *Conclusio.*
dam Ecclesiam, quam sanguine suo acquisiuit, ad *Plenissimā*
leges illi ferandas, ad instituenda sacramenta, pote- *in tempora-*
statesque Ecclesiasticas, quibus administraretur, & *libus potesta-*
ad cætera omnia, quæ ad finem illius supernatura- *tem habuit.*
lem consentanea iudicaret: sed etiam, ad eūdem fi-
nem, habuit plenissimam potestatem in tempora-

libus,

libus,ita videlicet,vt mutare potuerit,& posit,Reges, cæteraque omnia in temporalibus disponere, quæ ad finem supernaturalem Ecclesiæ viderit expedire. In hac concluſ.Victoria & Sotus *locis citatis* conueniunt cum Doctoribus prioris sententiæ. Denique est communis Doctorum sententia,eamque cum minimum probant argumenta,quæ propriori sententia propositæ sunt,fietque magis manifesta ex iis, quibus disputatione sequenti ostendemus, Summum Pontificem habere plenam potestatem in temporalibus super membra Ecclesiæ, quantum præcise fuerit necessarium ad finem Ecclesiæ supernaturalem. Illa enim eadem hoc ipsum probant,non solum,quod à Christo,vt homine, ea potestas in Summum Pontificem deriuata sit : sed etiam, quod decens omnino fuerit, vt sicut Christus Vicario suo relinqueret potestatem in temporalibus super omnia membra Ecclesiæ,quę illi subiiciebat, quantum ad supernaturalem Ecclesiæ finē necessarium iudicaret:ita etiam pater æternus Christo concederet excellentiæ potestatem in temporalibus super orbem vniuersum per comparationē ad supernaturalem finem Ecclesiæ , quam condebat,& cuius Rex,caput,& dominus constituebatur.

74 *3. Concluſ. Christus quatenus ex Dauide descendebat, non erat Rex Iudæa.*

Tertia concluſio. Christus, quatenus ex Dauide per carnalem propagationem descendebat, neque erat iure hæreditario dominus orbis, neque Rex Iudęæ.Prior pars communis est omnium. Quoniā neque Dauid, neque vllus suorum progenitorum, dominus fuit orbis, vt Christus iure hæreditario, quatenus ex Dauide descendebat, dominus esset orbis. Posterior vero est contra Armachanum *de quæstionibus Armenorum li.4 c.16.*Burgensem, & Bachonem *locis citatis*, qui asseruerunt,iure hæreditario fuisse Christo domino debitum temporale Regnum Israel,quatenus, vel ratione B. Virginis, vel ratione Ioseph, cuius Christus hæres erat legalis, descendebat à Dauide: Cuius tamē oppositum proculdubio est asserendum cum Victoria, Soto, Almaino,& communi Doctorū sententia. Etenim licet exploratū sit, B.Virginē ac Ioseph ex regia Dauidis stirpe descendisse:non tamen constat, non fuisse aliosposteros Dauidis, ad quos potius hæreditario iure Dauidis Regnū illud pertineret : quin potius contrarium est longe verisimilius. Præterea, temporale Regnum Dauidis in Iechonia ,aut Sedechia eius patruo,iuxta vaticinium Ieremiæ citatum, fuit finitum. Adde, etiam Machabæos legitimos fuisse Principes : qui tamen per masculam lineam non descendebant ex Dauide, sed erant sacerdotes de tribu Leui : quin potius nulla fit mentio, quod ex Dauide per lineam fœmininam genus ducerent, aut quod ad illos Reipublicæ administratio pertineret,ex eo, quod posteri essent Dauidis. Imo vero illi, non tanquam Reges, sed tanquam iudices ac duces,qui simul erant sacerdotes,illius Reipublicæ clauum tenebant: quod si Regnum Iudæ ad posteros Dauidis tunc pertinebat,sane illi fuissent tyranni, quod de sanctissimis viris nulla ratione est dicendum. Dubitandum tamen non est, illos de tribu Iuda per lineam fœmininam descendisse, eaque ratione vsque ad Christi aduentum,iuxta Iacob vaticinium *Gen.* 49. ablatum non fuisse sceptrum de Iuda,nec ducē de fœmore eius. Licet enim illi Reges non fuerint,fuerunt tamen duces ac iudices Iudaici populi : atque ita vsque ad aduentum Christi dux non defuit de tribu Iuda , qui populum regeret Iudæorum. Quamuis autem *Numerorum vltimo* prohibitū fuerit filiis Israel ducere vxores de aliena tribu:id tamen solum habebat locum,quādo ex defectu masculorum periculum imminebat ne bona immobilia vnius tribus ad alienam tribum trāsirent, eaque ratione confunderentur hæreditates, vt D.*Tho.*1.2.*q.*105.*a.*2.*ad* 2.ait, constatque aperte *ex eodem capite*:ea namque sola eo loco ratio illius legis sub iicitur, ex qua legitimus legis sensus est accipiendus. Quin aperte ibi innuitur,cessante eo periculo posse fœminas nubere quibus vellent, & viros ducere posse quas vellent.Id quod ex aliis etiam locis scripturæ sacræ apertissime comprobatur. Secundo namque *Paral.* 22. soror Regis Iudæ nupsit Ioiadæ Pontifici,qui de tribu erat Leui.Michol,quę de tribu erat Beniamin , nupsit Dauidi, qui erat de tribu Iuda. Et Elisabet, quæ erat de tribu Leui, cognata erat B.Virginis,quę erat de tribu Iuda.Et pleraque alia sunt eiusmodi exempla in sacris literis. Quare,cum tribus Leui hæreditatē nō haberet extra alias tribus,integrū erat mulieribus de tribu Leui nubere quibus vellent,vt D.Th.*in* 4.*d.*30.*q.*2.*a.*1. *quæstiuncula vltima ad quartum* affirmat. Iamque erat in more positum , vt tribus Iuda & tribus Leui connubiis commiscerentur. Lege,si placet,Canum *2.de locis.c.*14.*ad* 1.

15 *4. Concluſ. Christus iura & dominia ab aliis non abstulit.*

Quarta concl.Christus,quatenus homo , in hoc sensu non fuit dominus orbis nec temporalium rerum,quod nec iura nec dominia Regnorum,aliarū que rerū ab aliis abstulit, sibique vsurpauit, sed singuli perinde remanserunt cū iuribus , ac dominiis Regnorum , & aliarū rerum,ac si Christus in hunc mūdū non venisset.Idque nō ex donatione Christi quatenus hominis , quasi illa prius acceperit &postea hominibus impertiuerit,sed quia sicut Regnorum administrationem, ac possessionem aliarum rerum temporalium contempsit: sic etiam regna ipsa,& res alias proprias dominis reliquit.Hanc satis probant rationes , quibus posteriorem sententiam confirmauimus. Neque plus volunt Augustinus & Ambrosius,vt legenti erit manifestum.

16 *5 Concluſio, Christus, vt homo,dominus absolutè est temporalium omnium, & rex regum potest appellari.*

Quinta concl. Christus quatenus homo , dono patris excellentiæ potestatem habuit super omnia temporalia , & ius in omnia creata,non solum præcisè quatenus expediēs fuerit ad finem spiritualem & supernaturalem Ecclesiæ vniuersalis, sed etiam absolute,ita vt,absque cuiusquam iniuria,vsurpare sibi potuerit,& posit, & omnia mūdi regna, Reges deponere, ac denique de rebus omnibus temporalibus ad libitū disponere ex iure & potestate , quam super omnia habet. Quo fit,vt ea ratione,quatenus homo,dici possit dominus orbis, & rex regum,etiam quoad temporalia omnia : quia temporalia omnia illi omnino subiacent, & ipse est caput,& dominus omnium.Existimo namque quod quemadmodum Deus quatenus Deus Dominus est vniuersalis omnium , neq; cum hoc solo domino vniuersali pugnant dominia particularia creaturis libero arbitrio præditis à Deo concessa vt disputatione 18. ostensum est: sic etiam Christo,quia homo est,concessit ius & potestatem absolutā super omnia creata,omnia plenè illi subiiciendo,etiam in temporalibus:quoniam id dignitas & excellentia Christi hominis postulabat, ex donoque vnionis, quo caput hominum , & Angelorum ex natura rei eo *ipso* est constitutus, suo quasi iure id sibi vendicabat. Neque id tollit ab hominibus aliis iura & dominia Regnorum,cęterarumque rerum,quas Deus illis concessit:sed solum ea omnia Christo subiecit,ita vt ab eius imperio,nutuq; dependeant, nō quidem quod à Christo,quatenus homine, & non à Deo dominia rerum hominibus sint collata : sed quod ab ipso Christo ea ipsa prorsus dependeant , tanquam illi simpliciter ac plene subiecta.

Conclusionem hoc modo explicatam innuere videtur Sotus *in 4.loco citato* , dum affirmat, Christum quatenus hominem , potuisse quidem, si voluisset,accipere vniuersale dominium orbis, etiam seculare , non tamen accepisse, nisi solum Regnum spirituale.Fatetur ergo in Christo,quatenus homine, potestatem & ius ad omnia secularia sibi à Deo Patre concessum : si namq; illud non haberet,certe accipere nō potuisset dominiū orbis seculare,quod

tamen minimè accepit. Præterea, si Christus, quatenus homo, non habebat eiusmodi potestatem & ius ad temporalia omnia & secularia, sane paupertas & abiectio ipsius non esset adeo commendabilis quippe cum sine iniustitia vsurpare non potuisset dominium & administrationem Regnorũ, cæterarumque rerum temporalium: quandoquidem quatenus homo, ad eam rem ius non haberet: & ob id non fuisset Christo adeo voluntaria. In eo autẽ elucet maxime paupertatis, humilitatis, ac abiectionis exemplum in Christo, quod cum omnia sibi essent subiecta, posseque omnia sibi vendicare, neque vsum, neque administrationem eorum voluit accipere, sed relinquens vnicuique dominium atque vsum suarum rerum, pauperrimam vitam voluit traducere. Atque hoc est, quod Paulus. 2. *ad Corinth.* 8. aperte his verbis docet. *Scitis*, inquit. *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, vt illius inopiæ vos diuites essetis.* Loquitur namque de Christo vt homine, & ait. *Cum esset dives, vtique quoad nos & potestatem, quam habebat vsurpandi sibi omnia tanquam dominus omnium rerum, quatenus homo egenus factus est propter vos, nihil eorum volens, sed abiectam, humilemque vitam sibi eligens.* Eandem conclusionẽ confirmat illud *Matthæi* 17. Cum enim, qui tributa colligebant dixissent Petro. *Magister vester non soluit didrachma?* præuenit Petrum Christus dicens. *Quid tibi videtur Simon: Reges terræ à quibus accipiunt tributum? à filiis suis, an ab alienis?* cumque respondisset Petrus. *ab alienis*, intulit Christus: *Ergo liberi sunt filii*: quasi diceret. Quanto ergo magis ego, qui licet homo sim, filius sum Regis omnium regũ, liber ero & immunis ab omni regum temporalium Imperio. *Ne ergo scandalizentur* (esto nulla tributi lege tenear) *vade ad mare, &c.* sane hic est apertus, genuinusque sensus illius loci, qui vim nullam illi infert: cæteri peregrini sunt & violenti. Vnde miror quosdam adducere illud Ioan. 18. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*, vt probent regum, rectorumque potestatem esse à Deo. Quasi potestas Pilati in Christum fuerit legitima, concessaque Pilato à Deo. Iure quippe diuino Christus exemptus erat ab omnibus potestatibus creatis: quin potius omnes, qua homo, habebat sibi subiectas, idque dignitas & excellẽs eminentia Christi merito postulabat. Verbum autem illud; *Nisi tibi datum esset desuper*: idem eo loco significat, quod permissum in redemptionem & bonum generis humani. Confirmatur, quoniam potestas, quam Pilatus in Christum exercuit, fuit iniqua: sciebat enim innocentem esse, & per inuidiam fuisse traditum, ideoque illi dixit Christus. *Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*: quasi diceret. Tu quidem peccatum habes, quod me ita indigne iudices, & impie tractes, sed qui me tradidit tibi, maius peccatum habet: fit ergo, vt potestas, quam Pilatus in Christum exercebat, nõ fuerit à Deo: sola namque iusta potestas est à Deo. Sane quintam hanc nostram conclusionem satis probant ac stabiliunt ea omnia argumenta, quę in confirmationem prioris sententię in huius disputationis initio confecimus. Imo suspicor authores posterioris sententię illi repugnaturos non fuisse, si, vt à nobis proposita explanataque est, fuisset illis proposita. Etenim illud solum videntur voluisse quod quarta nostra conclusio asseuerat: cui neque authores prioris sententiæ credo essent refragaturi. Qua in re omnes videntur conuenire.

17 *Ad primum prioris sententiæ.*

Ad primum. Restat vt vtriusque sententiæ argumenta dissoluantur, quæ cum quarta & quinta conclusione pugnare videntur. Ad primum ergo prioris sententię dicendum est, solam potestatem & ius in omnia creata, iuxta ea, quæ dicta sunt in quinta conclusione, pertinere ad dignitatem & excellentiam Christi: non vero regnum & monarchiam temporalem orbis per dominij à priuatis hominibus vsurpationem, aut per vsum, possessionem, & administrationem rerum temporalium, vt in quarta conclusione explicatur.

18 *Ad secundum.*

Quod vero ad testimonia attinet in secundo argumento adducta, illa sane non solum probant dominium Christi spirituale in Ecclesiam, ratione cuius omnium omnino constitutus est iudex, cui omne genu flectetur, quique vnicuique reddet iuxta opera sua, sed etiam omnia, aut certe pleraque probant potestatem, ius, & dominium in omnia vniuersim temporalia, vt quinta nostra conclusione explicata sunt. Ea vero omnia, quorum in tertio argumento fit mentio, licuerunt Christo, non solum quia id expediens erat ad bonum spirituale Ecclesiæ, quam fundabat, in ordine ad quẽ plenissimam potestatem habebat in temporalia omnia, sed etiam absolute & omnino, quatenus habebat simpliciter ius & dominium in omnia creata iuxta secundam conciusi.

19 *Ad tertium.*

20 *Ad primum posterioris.*

Ad primum posterioris sententiæ dicendum est, non de solo regno Ecclesiæ fieri mentionem in scripturis sanctis, quasi excludatur potestas Christi plena omnino in temporalibus ac super omnes principes terræ, qualis à nobis conclusione quinta explicata est. sed simul etiam tradi apertissime eiusmodi Christi potestatem, vt ostensum est: quæ tamen merito regnum huius mundi non appellatur, quandoquidem habitura non erat vsum & administrationem rerum temporalium, vt habent potestates principum terrenorum.

21 *Ad secundum.*

Ad secundum dicendum est, illud solum probare, non habuisse Christum regnum temporale, & de hoc mundo in sensu proxime explicato: non vero non habuisse eam plenissimam potestatem, atque ius, & dominium in temporalibus, quod quinta docet conclusio.

22 *Ad tertium.*

Ad tertium dicendum est, illud optime quidem probare, Christum non assumpsisse munus & officium iudicis temporalis: veruntamen non probat illum caruisse potestate, vt id, si vellet, efficeret: neque id negauit Christus, sed solum innuit, se à nemine ad id munus subeundum fuisse constitutum ac deputatum, quod est verissimum.

23 *Ad quartum.*

Ad quartum dicendum est, non fuisse fruſtra: tum quia ipsa per se Christum decebat, illicque ex natura rei debita erat, tametsi vsus omnimodus illius non expediret: tum etiam quia conducebat maxime ad commendandum & exaltandum exemplum paupertatis, humilitatis, voluntariæque abiectionis Christi: tum denique quoniam Christus ea potestate aliquando vsus fuit, tametsi admodum raro, vt in euentibus, de quibus in postremo argumento prioris sententiæ est sermo.

24 *Ad quintum.*

Ad quintum dicendum est. Potestatem, de qua quinta nostra conclusio loquitur, conduxisse non parum ad finem redemptionis per humilitatem & paupertatem: quando quidem, vt ostensum est, extollit exemplum paupertatis, humilitatis, & abiectionis voluntarię Christi, qui, cum dives esset, propter nos egenus factus est. Potestas autem illa coniuncta cum actu, hoc est, cum possessione, vsu, & administratione rerum temporalium, est, quæ nihil ad finem redemptionis conducebat: & hanc Christus non habuit, quin potius tanquam stercora, multo magis, quam Paulus, est arbitratus. Ad id vero, quod dicitur, perfectiorem esse paupertatẽ, quæ abdicat, non solum vsum, sed & dominium, ac ius ad res ipsas, dicendum est. Id verissimum esse in nobis in quibus periculum est, ne, si dominium & ius ad vsum nobis relinquamus, iterum vsu, possessione & administratione rerum temporalium implicemur, & à Dei cultu, orationisque quiete impediamur, atque à perfectione sectanda retardemur: secus autem in Christo, in quo nullum tale erat pe-

rat periculum, cuiusq; voluntariam paupertatem, & abiectionem, commendabat maxime ius & dominium omnium rerum, quod in eo erat vi gratiæ vnionis & dono Patris.

25 *Ad sextum.* Ad vltimum dicendum est, in illis extrauagantibus esse sermonem de dominio proprietatis rerum in particulari, ita scilicet, vt illarum dominium à dominis prioribus ad Christum, Apostolosq; transierit, quo pacto Christus & Apostoli paucissimarum rerum dominium habuerunt.

SVMMARIVM.

1 *Affirmantium opinio.*
2 *Suadetur primo.*
3 *Secundo.*
4 *Tertio.*
5 *Quarto.*
6 *Negantium opin.*
7 *Confirmat.*
8 *Media sententia quædam amplectenda, & qui eam tenuerunt.*
9 *In terris Ecclesiæ patrimonioue Petri plenam iurisdictionem temporalem habet Summus Pontifex.*
10 *Iurisdictionem temporalem licet habere possint Ecclesiastici, non tamen maior esse debet quam oporteat eaque per alios est exercenda.*
11 *Summus Pontifex non habet potestatem iurisdictionis in temporalibus, vt sit dominus orbis, aut vt nomen Regis vel Imperatoris sibi possit vendicare, neque ita, vt ab eo iurisdictionis temporalis dominium ad Reges deriuetur.*
12 *Quatenus imperialis & regalis potestas Pontificibus subest.*
13 *Quid in rege Galliæ.*
14 *Summus Pontifex nullam potestatem in infideles habet, ne quidem in spiritualibus.*
15 *Conuersi ad fidem non amittunt sua iura aut dominia.*
16 *Quatenus Summus Pontifex Reges aliasque potestates laicas deponere & creare possit, maxime in præiudicium successorum aut consuetæ electionis: Numero 28.*
17 *Episcopi vt à Summo Pontifice dependeant.*
18 *Maior dependentia Imperatorum Germanorum à Pontifice quam aliorum Regum.*
19 *In Summo Pontifice non esse potestatem iudicandi directe causas & contentiones temporales inter Principes, neque ciuiles eorum leges, quæ à supernaturali fine non deuiant, infirmare posse, aut etiam statuere, vt à iudice sæculari ad eum in iis appelletur, quorum cognitio ad sæculares potestates spectat.*
20 *Summum Pontificem quoscunque ad spiritualia legitimare posse, non tamen ad ea, quæ ad iurisdictionem ciuilem & temporalem pertinent, nisi Principes sæculares in id consentiant, vel bonum commune spirituale id aliquo euentu postularet.*
21 *Quomodo Summus Pontifex aliique Prælati possint indirecte se intromittere in rebus sæcularibus.*
22 *Papa iurisdictionem vniuersalem habet in omnia Ecclesiæ bona, illorum tamen non est dominus, sed gubernator tantum, quare de illis, nisi ex rationabili causa disponere potest.*
23 *Potestas spiritualis Papæ annexam habet plenam potestatem in temporalia, quantum postulat finis spiritualis.*
24 *Prædictæ conclusionis probatio prima.*
25 *Secunda.*
26 *Tertia.*
27 *Quarta.*
29 *Controuersias inter Principes Christianos, quando Pontifex definire potest etiam ipsis inuitis.*
30 *Leges quæ in graue detrimentum proximorum cedunt, Papa potest reuocare.*
31 *Si princeps alteri Principi iniuriam in temporalibus irrogaret, vnde tamen graue damnum spirituale communis boni non immineret, causa illa ad Pontificem non spectat, nisi per modum fraternæ vel paternæ potius correctionis.*
32 *Potestatem ad temporalia quatenus spiritualia exigunt etiam residere in quocunque Episcopo comparatione suorum subditorum, Episcoposque posse cohibere peccata sæcularia non solum censuris, sed etiam pœnis exterioribus.*
33 *Summus Pontifex & suo ordine cæteri Episcopi potestatem habent exigendi à sæcularibus sibi subditis debitum subsidium pro administratione spirituali, atque ea causa ad forum Ecclesiasticum spectat.*
34 *Cuius iudicio an quid Reipublicæ conueniat, an vero noceat, in dubio standum sit Papæ an Principis.*
35 *Populi & Principes non tenentur nec cogi possunt ad rationem optimam Christianæ vitæ, sed solum ad Christianam vitam intra certos limites & termi-*
nos:
36 *Respon. ad primum arg. primæ sent.*
37 *Ad secundum.*
38 *Ad tertium.*
39 *Ad quartum.*
40 *Respon. ad argum. 2. sent.*
41 *Ad confir.*

VTRVM SVMMVS PONTIFEX DOminium iurisdictionis temporalis, supremamq; in vniuersum orbem habeat potestatem.

DISPVTATIO. 29.

MVlti ex iurisperitis, quos Nauarrus *cap. Nouit, de iudic. notabili 3. num. 19.* refert, in ea sunt sententia, vt dicant. Summum Pontificem habere supremam ciuilem potestatem, iurisdictionemve temporalem, quæ & gladius temporalis dicitur. Tametsi Panormitan. *eodem capite, & cap. fi duobus, de appellationibus,* & quidam alij dicant, habere illam quasi habitualiter, constrictamque in vaginam, hoc est, ei concessam, non exercendam per se, nisi in euentu necessitatis, sed exercendam per Principes & potestates sæculares, qui ea ad Summi Pontificis nutum vti debent. Huic sententiæ subscribunt D. Antonius *3. part. tit. 22. cap. 5. §. 8.* & Syluester *verb. Papa, quæst. 7. & à quæst. 10. vsque ad 14. & verb. legitimus. quæst. 4. prope finem*, secuti Hostiensem & Augustinum de Anchona. Asseueratque Syluester, potestatem Imperatoris & aliorum Principum sæcularium esse subdelegatam, comparatione Summi Pontificis, à Deo mediante Summo Pontifice ad eos deriuatam, atq; à Summo Ponti-

1 *Dominium iurisdictionis temporalis in vniuersum orbem, qui Summo Pontifici tribuitur.*

Pontifice dependentem. Idemque ea, quę Constantinus donauit Ecclesiæ, donasse in recognitione magnę supremi dominij temporalis Summi Pontificis in vniuersum orbem: contra vero Summum Pontificem donasse Constantino Imperium, potestatemque laicam quoad vsum. Subiungit etiam, si Summus Pontifex iurisdictionem temporalem extra patrimonium Ecclesiæ non exercet, id non esse ex defectu potestatis, sed ad vitandum scandalum, & ad pacem conseruandam. Alij (vt Ioannes Parisiensis *de potestate regia & papali in principio, & cap.* 11. refert) Summo Pontifici tribuunt, non solũ dominium iurisdictionis temporalis in vniuersum orbẽ, sed & dominium proprietatum, ita vt, si vsurarium absoluat, non teneatur deinceps vsurarius restituere, quæ per iniustitiam acquisiuit; &, si res vnius alteri concedat, teneat factum, esto Summus Pontifex peccet. Hoc tamen dominium proprietatum Syluester D. Antoninus, & reliqui Doctores citati communiter negant conuenire Summo Pontifici.

2 *Suaderur primo.* Suaderi potest primo horum omnium Doctorum sententia. Quoniam Christus, quatenus homo, est dominus orbis, aut, vt nos disputatione præcedente ostendimus, habet supremam potestatẽ in temporalibus, ita vt non solum potestates omnes laicæ illi omnino subiaceant, possitque illas pro arbitratu deponere, sed etiam res omnes creatæ illi omnino subsint, ita vt absque cuiusquam iniuria, possit eas cõcedere cui voluerit: sed Christus vicario suo reliquit potestatem, quam habuit: ergo tam latam potestatem in temporalibus habet: quam latam illi tribuunt authores citati.

3 *Secundo.* Secundo, Christus instituit Rempublicam Ecclesiæ perfectissimam, quę tanquam monarchia ad vnum dumtaxat supremum caput reduceretur: ergo potestates laicę in temporalibus subiectę omnino sunt Summo Pontifici, non minus, quam optimates suo Regi subiecti sunt: alioquin si in temporalibus Summo Pontifici non subijcerentur, regimen Reipublicæ Ecclesiasticæ non ad vnum supremum caput, sed ad plura, tanquam monstruosum corpus, reduceretur.

4 *Tertio.* Tertio Summus pontifex, vt disput. 24. dictum est, transtulit imperium à Græcis ad Germanos, concessitque facultatem eligendi Imperatorem septem Germanis Principibus, sibi demum reseruata approbandi, vel cassandi electionem authoritate. Ad hæc Summus Pontifex Imperatorem iam confirmatum, & coronatum potest, si opus fuerit, deponere, quemadmodum re ipsa Innocentius 4. deposuit Fredericũ 2. *ca. ad Apostolica. de sentent. & re iud. in 6.* Item Zacharias deposuit Hildericum Regem Francorum, quod mutilis esset Regno, & præposuit Pipinum Caroli Magni patrem, vt Gelasius *cap. alius* 15. *q.* 6. ait. Et Innocentius 4. in Concilio Lugdunẽsi Santio 2. inter Reges Lusitanos 4. quod nimis remissi & negligentis esset animi, Alfonsum eius fratrem vicarium & administratorem Regni dedit, vt constat *ex* 6. *Grandi, de supplenda negligentia prælat. lib.* 6. Præterea, vacante imperio, Summus Pontifex imperij subditis ius dicit, vt *ex Clementina Pastoralis prope finem, de re iudicata*, est manifestum: hæc autem, & plura alia, sane ad Summum Pontificem non spectarent, nisi ipse in potestates omnes laicas supremam haberet iurisdictionis temporalis potestatem.

5 *Quarto.* Quarto, sententia horum Doctorum videtur definita à Nicolao 2. *cap.* 1. 22. 2. Ait namq; *Ecclesiam solus ille fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato æterna vitæ claxigero terreni simul, & cœlestis imperij iura commisit.* Multoque apertius definita videtur à Bonifacio 8. *in Extrauag. Vnam sanctam, de maioritate & obedientia.* Inquit enim. *In hac Ecclesia eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet, & temporalem, Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis. Ecce gladii duo hic* (in Ecclesia, scilicet cum Apostoli loquerentur) *non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certe, qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia: ille vero ab Ecclesia exercendus, ille sacerdotis, is manu regum & militum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subiici potestati: nam cum dicat Apostolus. Non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per aliũ in suprema.* Et paucis interiectis. *Spiritualem autem & dignitate & nobilitate terrenam quamlibet præcellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia ante cellunt.* Et alia in eandem sententiam subiicit. Rationes alias minoris momenti, earumque solutiones, vide, si placet inter alios, apud Ioannem Parisiensem *de potestate Regia & Papali cap.* 12. *& sequentibus.* & apud Nauarrum *loco citato.*

6 *Extrema sententia, in summo Pontifice esse temporalem potestatem in spiritualibus de iure.* Quidam in extremam sententiã abierunt. nempe Summum Pontificem nullam omnino habere potestatem in temporalibus, sed in spiritualibus dumtaxat. Quæ opinio suaderi potest. Quoniam Christus Dominus Petro, eiusque successoribus, solum commisit claues Regni cœlorum: cum ergo hoc Regnum longe diuersum sit, à terreno & temporali: consequens profecto est, vt Summi Pontificis potestas tota sit in spiritualibus, & nulla in temporalibus.

7 *Confirmatur.* Confirmatur ex illo *ad Titum* 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus*: cum ergo nemo ex officio plus Deo militet, quam Summus Pontifex, efficitur, vt nemo minus implicare se debeat negotiis secularibus, ac proinde vt nullam illi Christus reliquerit potestatem in spiritualibus. Rationes alias, earumque solutiones lege apud Turrecrematam. 2. *lib. summæ, c.* 115. *&* 116. & apud Nauarrum *loco citato.*

8 *Media sententia vera* Inter has duas extremas sententias media quædam amplectenda est, quæ aliquibus conclusionibus contineatur, in quibus conueniunt Victoria *relectione de potestate Ecclesiastica q. penultima, & relectione de Indis Insulanis. p.* 1. *à nu.* 26. Sotus *in* 4. *d.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *à* 3. *conclusione.* Nauar. *c. Nouit de iudiciis, notabili.* 3. Turrecremata. 2. *lib. summæ c.* 113. *&* 114 Henericus, *quodlibet.* 6. *q.* 23. Albertus Pighius *lib.* 5. *hierarchiæ Ecclesiasticæ.* Petrus de Palude *in lib. de potestate Ecclesiastica*, Thomas Valdensis *lib.* 2. *doctr. fid. a.* 3. *c.* 76. 77. 78. Sanderus *lib.* 2. *c.* 4. *visibilis Monarchiæ.* Driedo *lib.* 1. *de libert. Christiana. c.* 15. *&* 16. *& lib.* 2. *c.* 2. Caietan. *in apologia tomo.* 1. *Opusculorum tractatu.* 2. *c.* 13. *ad* 8. *& supra in hac* 2. 2. *q* 43. *artic.* 8. Durandus *de origine iurisdict. q.* 3 Ioan. Parisiensis *de potestate regia & papali*, & alij. Tametsi Ioannes Parisien. nonnihil in fauorem principum secularium plus iusto potestatem summorum Pontificum ad temporalia restringat. Cui non est inferior ea in parte Ioannes Maior, *in* 4. *dist.* 24. *q.* 3.

9 *In terris Ecclesiæ, patrimonioue Petri plenam iurisdictionẽ temporalem habet summus Pontifex.* Sed antequam conclusiones subiiciamus, illud prænotandum est. Nos non loqui de terris Romanæ Ecclesiæ ad illius splendorem, & authoritatem, nec non in subsidium pro administrandis spiritualibus merito ei donatis, quæ proinde ad Romanæ Ecclesiæ & Petri patrimonium pertinere dicuntur. In eiusmodi namque terris summi Pontifices habent supremam potestatem & iurisdictionem temporalem, non secus ac reges in suis propriis regnis, vt Innocent. 3. *capite per venerabilem qui filii sunt legitimi* affirmat. Quare in illis vtrumque habet gladium plenissime.

Illud

10 *Iurisdictionem temporalem licet habere possint Ecclesiastici, esse non debet maior, quàm oportet, & per alios est exercenda.*

Illud etiam cum Driedone *c.* 15. *&* 16. *citatis*. Durando *loco citato*, & aliis est obseruandum. Quamuis potestas laica, vt *disp.* 21. ostensum est, in eodem subiecto non pugnet cum potestate Ecclesiastica, eaque de causa in Christi Ecclesia comites & alij optimates, qui in episcopos, & alias dignitates eligûtur, relinquere minime teneantur dominia temporalia, si quæ ex suo patrimonio habebant, & præterea, non solum Ecclesia Romana, ad suum splendorem & authoritatem, atq; in subsidium pro administrandis spiritualibus, temporalem aliquam habeat iurisdictionem, sed etiam quædam aliæ inferiores Ecclesiæ, vt Toletana, Bracarensis, Conimbricẽsis, &c. Quamuis, inquam, hæc ita sint, nihilominus nefas est Ecclesiasticis, præsertim prælatis, plus se immiscere curis & negotiis temporalibus, quam postulat recta ratio, & quam patiatur eorum cura & munus in spiritualibus, cui ante omnia incumbere tenentur. Quia ergo cura in spiritualibus Ecclesiæ vniuersalis non compatitur secum regimen, & administrationem imperij in temporalibus, eo quod neque vnus vtrique muneri sufficiat, neq; iidem mores & habitus vtriq; muneri conueniant: nefas esset vel summum Pontificem imperium accipere, vel Imperatorem, retento Imperio, eligi in summum Pontificem; quin & Paulus illis verbis. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*, contrarium docuit, & Christus longe aliter suos instituit ministros, dum *Luca.* 22. dixit, *Principes gentium dominantur eorum, &c. Vos autem non sic, &c. Et sicut misit me Pater, ego mitto vos.* Quo fit, vt iurisdictio temporalis moderata esse debeat in Ecclesiasticis, quæ curam, splendorem, ac authoritatem, quam postulat cuiusque dignitas, & status, non excedat, & quæ per ministros ad id constitutos exerceatur.

11 *1. Conclus. Summus Pontifex dominus non est orbis, neque regia aliorum potestates ab ipso descendunt.*

His prænotatis, sit 1. conclus. Summus Pontifex neque ita habet potestatem iurisdictionis in temporalibus, vt sit dominus orbis, aut vt nomen regis vel Imperatoris sibi possit vendicare, neque ita vt ab eo dominium iurisdictionis temporalis ad reges diriuetur: sed potestas regalis est omnino diuersa à papali, quæ à Deo, mediante consensu & electione Reipublicæ regem sibi ad administrationẽ in temporalibus, finemque naturalem constituentis, habet ortum: papalis vero ortum habet à Deo per Christum eam instituentem ad regimen per comparationem ad finem supernaturalem dumtaxat. Hæc conclusio manifesta est ex ijs, quæ diximus *disp.* 21. *& sequentibus*, eamque expresse affirmat Nicolaus Papa *in epistola ad Michaelem Imperatorem c. Cum ad verum. 96. d.* vbi ait. *Cum ad verum ventum est, vltra sibi neque Imperator iura pontificatus arripuit, neque Pontifex nomen Imperatorum vsurpauit: quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit.* Et Gelasius *in epistola ad Anastasium Imperatorem eadem 96. d. capit. Duo sunt. Duo sunt*, inquit, *Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Eatenusque vult regalem & imperialem potestatem Pontificibus esse subiectam, quod Pontifices, tanquam pastores, reges & Imperatores possint excommunicare, eosque coercere, quando spiritualis finis, ad quem Pontificum potestas ordinatur, id postulauerit. Et Ioannes Papa. *cap. si Imperator, eadem. d. Imperator*, inquit, *filius est, non præsul Ecclesiæ. Quod ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere. Habet priuilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est: ad sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates: quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subiectas.* Et infra. *Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre.* Et Innocentius 3. *ad Constantinopolitanum Imperatorem, c. Solita de maioritate & obedientia. Non negamus*, inquit, *quin præcedat Imperator in temporalibus illos dumtaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia: sed pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori.* Et infra. *Ad firmamentum cœli, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas dignitates instituit, quæ sunt Pontificalis authoritas, & regalis potestas: sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, maior est: quæ vero carnalibus, minor: vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Et c. per venerabilem, qui filii sint legitimi*, fatetur idem Innocentius 3. se non habere potestatem in temporalibus super Regem Francorum, de quo eo loco erat sermo, & quem fatetur non habere superiorem in temporalibus. *Et cap. Nouit de iudicijs* ait. Se non intendere perturbare aut minuere iurisdictionem in temporalibus Regis Francorum: sicut nec Rex Francorum vult, nec debet iurisdictionem Summi Pontificis impedire, sed solum procedere contra illum per modum fraternę correctionis de peccato iuxta formam Euangelij, fateturque iudicium de feudo, eo quod res sit temporalis, non ad sedem Apostolicam, sed ad Francorum Regem attinere. Et Melchiades Papa. 12. *q.* 1. *c. Futuram*, fatetur, cathedram Petri donatione Imperatorum accepisse prædia, & vrbem Romanam. Quod etiam patet *ex cap. Constantinus. 96. d.* non ergo Pontifices sunt domini orbis in temporalibus. Vnde Bern. 1. *de consideratione ad Eugenium. In criminibus*, inquit, *non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa, & non propter has, accepistis claues Regni cœlorum.* Et infra. *Habent hæc infima & terrena iudices suos Reges & Principes terræ. Quid fines aliorum inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?* Nec tamen iudicat Bernardus extra potestatem Summi Pontificis esse iudicare de temporalibus, non solũ in terris patrimonij Ecclesiæ, sed etiam de aliis, quando necessitas finis spiritualis id postulat, sed quod vult, est. Vt *id, quòd fieri possit, exequatur per alios: per se autem non, nisi incidenter, & quando aliud fieri non potest.* Subiungitque, *non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere: quippe potioribus occupatis. Denique vbi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus. Si enim in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis: sed aliud est incidenter excurrere in ista, causa quidem vrgente: aliud vltro incumbere istis tanquam magnis dignique tali & talium intentione rebus.* Hactenus Bernardus. Et sub finem libri. *Illas*, inquit, *quas ad te necesse erit intrare causas* (neque enim omnes necesse erit) *diligenter velim, sed breuiter decidere assuescas.* Et infra. *Quædam, vt dixi, negotia, nec audiendo, quædam aliis committendo. Quæ tua digna putauerit audientia, fideli quodam & accommodo ipsi causæ compendio terminando.* Nostrum præterea institutum luculenter pluribus affirmat Bern. 2. *lib. ex illo Matt. 20. &* Luca 22. *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum: vos autem non sic*, & ex multis aliis? Deinde si Summus Pontifex dominus esset orbis, vel id esset iure naturali, vel humano, vel diuino positiuo: non naturali, neque humano, vt perspicuum est: neque etiam diuino positiuo, quippe cum Petro & successoribus solum sit dictum, *tibi dabo claues Regni cœlorum, & pasce oues meas*, in quibus intelligitur solum spiritualis potestas per comparationem ad finem supernaturalem: & temporalis non, nisi ex consequẽti, quatenus ad finem supernaturalem necessarium iudicabitur: ergo Summus Pontifex non est dominus orbis, neque Reges ab illo suam habent potestatem, aut aliter, aut plus illi subsint, quam iudicatum fuerit necessarium ad finem supernaturalem: atque adeo in cæteris sunt ab illo exempti, & omnino in-

12

14 no independentes. Præterea non maiorem potestatem habet Summus Pontifex in temporalibus, quã in spiritualibus: sed in infideles nullam potestatem habet in spiritualibus, cum Paulus 1. *ad Corinthios* 5. dicat. *Quid enim mihi est de iis, qui foris sunt, iudicare,* sed solum ius habet ad proponendum explicandumque illis Euangelium, eosque ad fidem inuitandum: ergo non est dominus illorum in temporalibus, 15 ac proinde neque est dominus orbis. Adde, quod cum ex eo, quod homines ad fidem conuertantur, non sint peioris conditionis, neque sua iura & dominia amittant (id namque esset grauissimum iugum cervicibus hominum vna cum fide imponere, eamque illis efficere odiosam) fit, vt neque Christianorum sit dominus in temporalibus. Item per aduentum Christi in mundum non amiserunt homines sua iura & dominia, neque ab illo, quatenus homine, illa acceperunt, aut accipiunt, vt disputatione præcedente ostensum est: ergo non ita instituit Christus Summum Pontificatum, vt à Summo Pontifice acciperent homines sua iura & dominia, imo neque vt ab eo in illis penderent: id enim minime expediebat. Potestas autem illa ad temporalia, quam disputatione præcedente ostendimus esse in Christo, est in eo excellentiæ, quam proinde, sicut neque potestatem excellentiæ in spiritualibus, quibus illum præficiebat, Summo Pontifici non communicauit, Adde, gratiam & fidem non destruere, sed perficere naturam: quare cũ, antequam homines fidem Christi susciperent, veri fuerint Reges independentes in suo temporali dominio à quocunque alio, idque per potestatem sibi à Republica communicatam, quæ iure naturali eam habet: consequens profecto est, ex eo, quod fidem susceperint, nequaquam potestatem illam & dominium amisisse: tametsi per ingressum in Ecclesiam Summo Pontifici subiiciantur, vt ab eo, quando per abusum deuiauerint, coerceantur. Ex his constat, Albertum Pighium 5. *libro* perdoctæ suæ, & non satis laudatæ *Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap.* 7. & 14. nonnihil excessisse, dum licet Summum Pontificem non efficiat dominium orbis, neque iurisdictionis quicquam illi tribuat in eos, qui sunt extra Ecclesiam; vult tamen Reges, eo ipso, quod Ecclesiam ingrediuntur, sugremoque illius capiti subiiciuntur, se, suaque sceptra tradere Christi Ecclesiæ, atque ab ea veluti acceptra recognoscere, eiusq; iudicio regnare Reges & Imperatores, & amoueri à Regno. Si namque velit sceptra iurisdictio, risque dominium, non esse propria principum ipsorum, ab Ecclesia & illius capite non aliter dependentia, nec illi subiecta, quam quatenus omnino postulat finis supernaturalis, certe falsum affirmat, neque est audiendus.

Summo Pontifici non communicauit.

16 Ex dictis infero, primo. Ad Summum Pontificem via ordinaria, cessanteque fidei causa, & exigentia, non qualicunque, sed admodum graui per comparationem ad finem supernaturalem, neque pertinere creare Reges & alias potestates laicas, neque etiam eas deponere, sed id pertinere ad Respublicas ipsas, quarum, vt est Reges sibi constituere, sic etiam est eos deponere, postulante id recta ratione, occurrenteque iusta & vrgente causa. Optimum tamen consilium est, vt quando dubij alicuius potest esse suspicio, & quando non tota Respublica, sed maior illius pars cõsentit, cõsulatur Summus Pontifex, vt eius interueniente authoritate id fiat, in maiorem causæ iustificationem: præsertim cum, vt plurimum, bonum spirituale commune Reipublicæ independeat, quo dato, ad Summum Pontificem spectat suam interponere authoritatem, bonumque commune censuris & aliis modis iuuare comprimendo eos, qui id impedire contendunt, quod commune spirituale bonum, salusque spiritualis Reipublicæ postulat. Ea vero ratione, postulante id maiori optimarum Reipublicæ parte, Zacharias deposuit Hildericum, & prepposuit Pipinum in Regno Galliæ: & Innocentius adiutorem & moderatorem Regi Lusitaniæ constituit, eos coercendo censuris, qui id conabantur impedire. Non ergo eo modo Reges pendent à potestate Sũmi Pontificis, quo Episcopo constituti per diuersa loca, quos & creare & amouere potest tanquam supremus in spiritualibus Ecclesiæ pastor ac moderator: tametsi sine rationabili causa eos amouere non debeat. Neque item pendent ab eo perinde ac optimates Regni pendent à Rege, ac perinde atque Reges, vel alij Principes, ab Imperatore non exempti, ab eo pendent, esto ab Imperatore amoueri nequeant. Quin potius tam Reges ab Imperatore exempti, quam Imperator ipse, supremæ sunt potestatis in temporalibus à nullo alio dependentes. Quodammodo vero maior est dependentia Imperatorum Germanorum à Summo Pontifice, quam aliorum Regum catholicorum: eo quod Germanum Imperium, populis, & Ottone 3. consentientibus, creatum sit dependenter ab approbatione, & confirmatione Summi Pontificis, vt *disputat.* 24. ostensum est.

Reges deponere, occurrente iusta causa, neque id exigente spirituali bono ad Respub. spectat.

17 18

Secundo infero, in Summo Pontifice non esse potestatem iudicandi directe causas, litesque & cõtentiones temporales inter Principes, neque item posse Summum Pontificem infirmare eas leges ciuiles Principum secularium, quæ à supernaturali fine non deuiant, neque posse statuere, vt iudicibus secularibus ad eum appelletur in iis, quorum cognitio ad seculares potestates spectat. Etquamuis legitimare possit quoscumque ad spiritualia, vt ad ordines suscipiendos ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, & vniuersim ad ea, quæ ad Ecclasiasticam iurisdictionem spectant: non tamen potest legitimare ad ea, quæ ad iurisdictionem ciuilem & temporalem pertinẽt, vt ad successionem in hæreditate, & alia, quæ legibus ciuilibus licite filiis illegitimis sunt prohibita. Nisi forte Principes seculares consentirent, vt Summus Pontifex ea etiam in parte legitimaret, vel nisi bonum commune spirituale id in aliquo euentu postularet: tunc enim, inuito etiam Principe seculari, legitimare posset in iis, quæ secundum se ad iurisdictionẽ pertinent secularem. Neque aliud voluit Innocentius 3. capite Per venerabilem, qui filii sint legitimi. Hæc omnia ex eo sũt manifesta, quod Principes seculares eorumque tribunalia in temporali Reipublicæ administratione, exempta sunt à potestate Summi Pontificis, præterquam, in iis, quæ ad finem supernaturalem pertinẽt, si quando ab eo deuiarent, aut quando aliquid omnino necessarium esset ad bonum spirituale commune, vt dicemus. Indirecte etiam, per modum correctionis fraternæ, possunt, tam ipse, quam alii prælati inferiores, se intromittere, in rebus secularibus, & in controuersiis principum, eo modo quo capite Nouit de iudiciis explicatur, & quem latius explicauimus in materia de correctione fraterna, & persequemur *tractatu* 5, ita tamen vt præiudicium non fiat foro seculari. Vnde Bernar. 1. *de consideratione ad Eugenium*, vt paulo antea retulimus. *In criminibus*, inquit, *non in possessionibus potestas vestra. Habẽt hæc infima terrena iudices suos Principes terræ.* Et Alexander 3. *cap. Causam 2. extra. qui filii sint legitimi. Nos*, inquit, *attendentes, quod ad Regem pertinet, ad Ecclesiam, de talibus possessionibus iudicare, ne videamur iuri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum iudicium ad se asseris pertinere, fraternitati vestræ mandamus, quatenus Regi possessionum iudicium relinquentes, de causa principali, videlicet, vtrum mater prædicti Regũ de legitimo sit matrimonio nata plenius cognoscatis, & causam huiusmodi terminetis.* Et simile quid constituit Innocentius 3. c. *Nouit de iudiciis*, vt supra dictũ est.

19 20 21

est. Et Alexander 3. *c. si duobus* §. *denique de appellat.* ait. *Quæris si à ciuili iudice, ante iudicium vel post ad nostram audientiam fuit appellatum, an huiusmodi appellatio teneat? Tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali iurisdictioni subiecti: in aliis vero, & si de consuetudine Ecclesiæ teneat, secundum iuris rigorem credimus non tenere. Quia videlicet tribunal seculare in rebus temporalibus à Summo Pontifice est exemptum.*

22 *2. Conclus. Papa iurisdictionem in omnia Ecclesiæ bona habet, sed non est illorum dominus.*

Secunda conclusio. Licet Summus Pontifex iurisdictionem vniuersalem habeat in tẽporalia bona Ecclesiæ, non tamen est illorum dominus, sed dispensator ac gubernator, qui proinde non ad libitum de illis potest disponere, sed solum ex rationabili causa, adeò vt si illa donet absque aliqua causa, donatio sit nulla: & tam ipse, quam donatarius, teneatur ad eorum restitutionem Ecclesiæ illi, ad quam pertinent. Hæc est Turrecremata *2. libro summæ c. 113. propositione 6.* Caietani *in hæc 2. 2. q. 43. artic. 8.* quo loco eam ostendimus, & est communis. Ratio verò illius est, quoniam huiusmodi bona non sunt collata Summis Pontificibus, aut aliis prælatis Ecclesiæ, sed quædam Ecclesiæ Romanæ, quædam verò particularibus Ecclesiis, vt Toletanæ, Eborensi, & cæteris. Quo fit, vt eorum dominium non sit apud Summum Pontificem, aut alios prælatos, sed apud Ecclesias ipsas, quibus talia bona donata sunt: prælati verò sunt dispensatores & gubernatores eorum. At verò Summus Pontifex, quatenus caput est Ecclesiæ vniuersalis, illorum omnium bonorum, sit dispensator & gubernator vniuersalis, non solum eorum, quæ propria sunt Ecclesiæ Romanæ, sed ét omnium vniuersim ad quascunque Ecclesias pertinentium, quæ eo ipso ad Ecclesiam vniuersalem pertinent, cuius Summus Pontifex est caput & gubernator, habens sibi subordinatos & à se dependentes dispensatores & administratores bonorum omnium particularium Ecclesiarum. Hac ergo de causa, licet Summus Pontifex dispensator sit, & iurisdictionem habeat in omnia bona temporalia Ecclesiæ vniuersalis, non tamen est eorum dominus, neque potest de illis ad libitum suum disponere. Comparatione vero bonorum, quæ particularia, & propria sunt singulorum, tam secularium, quam Ecclesiasticorum, nec ipse, nec rex, aut Imperator dominium habent proprietatis: quin neque eorum dispensationem, eo quod non sint bona communitatis, vt eorum dispensatio ad rectores communitatum pertineat, sed sint bona propria singulorum, quorum proinde dispensatio ad ipsos, & non ad rectores multitudinis spectat.

23 *3. Conclus. Potestas spiritualis Papæ annexa habet plenam potestatem in temporalia quantum postulabat finis spiritualis.*

Tertia conclusio. Potestas spiritualis Sũmi Pontificis ad finem supernaturalem, adiunctam quasi ex consequenti habet supremam & amplissimam potestatem iurisdictionis temporalis super omnes principes & reliquos, qui sunt de Ecclesia: præcise tamen quantum postulat finis supernaturalis, ad quem spiritualis potestas ordinatur. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest Summus Pontifex deponere reges, eosque regnis suis priuare. Potest etiam inter eos iudicare de rebus temporalibus, legesque eorum infirmare, & reliqua omnia inter Christianos omnes exequi, quę ad supernaturalem finem salutemque communem spiritualem, non vt cumque, sed simpliciter prudentis arbitrio iudicata fuerint necessaria, idque non solum censuris ad id cogendo, sed etiam pœnis externis, ac vi, & armis, non secus, ac quilibet alius princeps sæcularis: tametsi vt plurimum expediens sit, Summum Pontificem non per se, sed per principes seculares id exequi. Atque hac ratione verè Summus Pontifex dicitur habere vtrumque gladium, supremamque potestatem temporalem & spiritualem. Obserua tamen supremam hanc potestatem iurisdictionis temporalis, quæ in Summo Pontifice residet, cum non ad temporalia ipsa, sed ad supernaturalem finem ordinetur, non esse mere potestatem temporalem, sed esse spiritualem ex parte finis. Quo fit, vt appellanda non sit potestas laica, sed Ecclesiastica, iurisdictionis tamen temporalis, vt illam distinguamus à potestate merè spirituali, quæ illam annexam habet.

Conclusio ita explicata probatur. Primò, quoniã 24 Ecclesia Christiana, cui Summus Pontifex iure diuino caput & supremus rector præficitur, & quæcunque alia Respublica secularis cuiuslibet Christiani principis, non sunt duæ diuersæ Respublicæ, perinde atque Respublicæ Hispanorum & Gallorum: sed sunt adinuicem subordinatæ, ita vt vna in alia includatur, finisque naturalis cuiusque Reipublicę secularis, tanquã imperfectus, ordinatur ad finem supernaturalem quem respicit Ecclesia. sed quãdo duo artifices, aut mod eratores, eatenus sunt subordinati, quod finis vnius subordinatus est fini alterius, artifex & moderator superior præscribit leges & modũ inferiori, quatenus finis superior postulat, vt in arte equestri comparatione frænifactiuæ est manifestum, docetque Aristoteles *1. Ethicorum ca. 1.* ergo Summus Pontifex, qui Ecclesiæ ad finem supernaturalem est præfectus, præscribere & ordinare habet principibus fæcularibus, cęterisque Christi fidelibus, quatenus expedire iudicauerit ad finem supernaturalem. Ac sane insufficienter Christus suæ Ecclesiæ prouidisset, nisi principes omnes seculares Christianos, cæterosque fideles, subordinatos ac subiectos Summo Pontifici hac in parte reliquisset, cum plenissima potestate in summo Pontifice ad eos pro munere suo coercendos & cogendos ad id, quod ad finem supernaturalem iudicaret simpliciter necessarium. Quin potius eo ipso, quod Christus Petro & successoribus supremam Ecclesiæ curam ad finem supernaturalem commisit, censetur ex consequenti concessisse illis potestatem, de qua loquimur. Deus namque & natura in necessariis non deficiunt: concessoque alicui munere aut regimine aliquo, censentur concessa ei ea, sine quibus id recte expediri non valet, vt habetur cap. præterea, de officio delegati, loquiturque textus de vi coercina ad id, quod est iniunctum.

Illud verò est hoc loco aduertendum cum Victoria *relectione 1. de potestat. Ecclesiast. quæst. penultima num. 9.* & aliis. Potestatem Regis non omnino pendere eodem modo à potestate Summi Pontificis, quo ars fræna conficiendi pendet ab equestri, aut ars conficiendarum nauium ab arte nauigandi. Artes namque fræna & naues conficiendi præcisè ordinantur ad finem equestris & artis nauigandi, ita videlicet, quod si non esset vsus equi, frena non fierent, & si non esset nauigatio, naues non conficerentur: & idcirco artes fræna & naues conficiendi omnino pendent ab arte equestri & ab arte nauigandi, atque adeo ab earum finibus. At vero, esto non esset finis supernaturalis, nec per consequens potestas quædam superior ad eum ordinata, adhuc tamen esset finis naturalis ad quem Reipublicę administratio ordinatur, atque adeò potestas regis ad eum finem. Atque hinc est, quod potestas regis ad suum finem naturalem in se spectatum independens sit à Summo Pontifice: & idcirco intromittere se non posse Summus Pontifex in regimen principum secularium, quatenus præcise respicit finem Reipublicæ politicum ac naturalem, vt supra dictum est. Quia tamen princeps Christianus secularis deuiare potest in suo regimine ab eo, quod supernaturalis finis Ecclesiæ omnino postulat, eatenus regimen illius à Summo Pontifice pendet, potestque Summus Pontifex tunc cohibere illum & cessare, quæ ita ordinauerit, imo & illum, si opus fuerit, punire, teneturque in administratione subiacere Summo Pontifici, & stare omnibus, quæ ad finem supernaturalem illi fuerint ritè præscripta.

25 Secundo probatur conclusio quoniam summus Pontifex est pastor vniuersalis totius gregis Christiani à Christo institutus iuxta illud Ioan. 21. Pasce oues meas: pastoris autem est, errantes oues, cuiuscunque ordinis sint ac dignitatis, in viam reuocare, easque quacunque ratione ad viam compellere, idque in pastoris officio censetur esse concessum ac iniunctum: ergo eo ipso, quod à Christo pastor vniuersalis Ecclesiæ est constitutus, censetur illi tradita præ dicta potestas. Atque hoc argumento vtitur aduersus quendam Constantinopolitanum Imperatorem Innocentius 3. *cap. solita de maioritate & obedientia*, vt illi ostenderet, fas sibi fuisse eum reprehendere.

26 Tertio non minus potest Summus Pontifex modo in temporalibus, quam quondam poterat summus Sacerdos in veteri lege sed, vt habetur *Deutero. 17.* orta causa dubia in temporalibus, quam seculares iudices non sufficienter definirent, supremum iudicium spectabat ad summum Sacerdotem cum capitis pœna ei, qui illius sententiæ stare non vellet: ergo ad Summum Pontificem in Ecclesia spectat etiam iurisdictio in temporalibus, saltem quatenus finis spiritualis, cui est præfectus, id postulauerit. Verba *Deuteron. 17.* hæc sunt. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequereque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram nec ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.*

27 Quarto, quoniam hæc est expressa sententia Bernardi. 4. *de consideratione ad Eugenium*, cuius hæc sunt verba. *Quid tu denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vagina? Quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic. Conuerte gladium tuum in vaginam: tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus. Alioquin, si nullo modo ad te pertineret, & is dicentibus Apostolis. Ecce gladii duo hic: non respondisset Dominus: satis est, sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus, ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, & iussu Imperatoris.* Vbi vides verba Bonifacii 8. *in extrauag. vnam sanctam*, ex Bernardo magna ex parte fuisse desumpta. Libet etiam verba illa alia Bernar. 2. *de consideratione ad Eugenium* subiungere. Age, inquit, *indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus.* Pluraque alia subiungit, quibus dignitatem & potestatem Summi Pontificis extollit. Cum vero dicat, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, manifeste docet in eo esse potestatem circa temporalia, quam probare intendimus. Quinto probatur ex Nicolao Papa & Bonifacio *supra citatis*, qui in sensu à nobis explicato asseruerunt, Petrum terreni simul & cœlestis imperii iura accepisse, habereque vtrumque gladium, supremamque in temporalibus & spiritualibus potestatem.

28 Ex dictis Sotus, Victoria, & alii locis citatis colligunt, exigente id fidei Ecclesiæ, aut boni spiritualis communis conseruatione, posse Summum Pontifi- A cem deponere Reges. Eaque ratione merito transtulisse imperium à Græcis ad Germanos, depositisque Hildericum, & priuasse Regni administratione quendam Lusitaniæ Regem. Quamuis Turrecremata & Paludanus *de potestate Ecclesiæ* optime subiungant, esto Summus Pontifex deponere possit Reges non tamen nouos constituere, priuando eum Regno, ad quem in defectum depositi, ius regni alioquin pertineret, aut si necesse esset eligere alium in depositi defectum eligente solum Summo Pontifice, & non concurrentibus illis ad electionem ad quos ius eligendi pertineret, quales essent Respublica, & optimates illius. Si tamen, inquit, Victoria, Respublica aliqua Christiana eligere sibi vellet regem infidelem, aut alium, vnde spirituale bonum non leuiter periclitaretur, & admonita nolle desistere, B posset summus Pontifex id impedire: etsi Respublica resisteret, posset constituere alium loco illius, & reclamãte & renitẽte Republica. Præterea, si princeps aliquis hæreticus, aut schismaticus fieret, posset Summus Põtifex vti aduersus eũ gladio tẽporali, procedereq; vsq; ad depositionẽ & expulsionẽ illius à regno. Eodẽque modo, si princeps aliquis hæreticis, schismaticis, aut aliis infidelib. Ecclesiã oppugnantibus, auxilium præstaret, vel aliquid aliud efficeret, quod in Ecclesiæ detrimentum cederet, posset 29 simili modo vti gladio temporali aduersus illum. Item contendentibus Regibus Christianis inter se circa principatum aliquem, aut circa quoduis aliud temporale, & in bella ruentibus, si inde merito de- C trimentum maximum in spiritualibus timeretur, vel quod interim fidei hostes deuastarent Ecclesiam, vel quod sequerentur grauissima damna spiritualia & peccata, quæ ex huiusmodi bellis inter Christianos solent oriri, posset Summus Pontifex, ad vitanda ea mala, cognoscere de huiuscemodi causa, proferreque sententiam, etiam illis inuitis, teneretur- que stare illi sententiæ. Quod si id non faciat, inquiunt Victoria, Albertus Pighius, Durandus Turrecremata, & alii, non est, quod ad id non habeat potestatem iure diuino ipsi concessam, sed quia non au- 30 det, timens ne inde sequantur rebellio à fede Apostolica, aut grauiora alia incõmoda. Item, cõtendẽtibus principibus leges quæ in graue detrimentum D spirituale proximorum cedant, ac foueant peccata, potest Summus Pontifex præcipere earum conditoribus, vt illas reuocent: quod si noluerint, potest ipsemet eas reuocare, eoque ipso vim omnem amittent, esto essent tales, quæ secluſa reuocatione vim possent retinere. Hoc pacto Summus Pontifex abrogauit legem illam ciuilem, qua constituebatur, malæ fidei possessorem posse certo quodam tempore præscribere, *vt ex c. vigilanti, & ex capite vltimo, de præscriptionibus, est manifestum*: illa namque præscriptio absque præscribentis peccato esse non poterat, hominesque ad rapinas & alia peccata inuitabat. 31 Quando autem vnus princeps iniuriam alteri in tẽporalibus irrogaret, vnde tamen graue damnum spiritualis communis boni non immineret, causa illa ad Summum Pontificem non spectaret, nisi per E modum fraternæ seu paternæ potius correctionis, qualis est patris spiritualis ac prælati ad sibi subditum, ad eruendum illum à peccato: quo pacto peccata omnia ad tribunal sedis Apostolicæ, vt *c. Nouit de iudiciis habetur*, spectant. Idq; non solum quando publica sunt & scandalum pariunt, sed etiã quando sunt secreta, pendentque in futurum: tunc enim ad Pontificem summum spectat cohibere & compellere huiusmodi peccatores, vt à peccatis egrediantur, non solum censuris, sed etiam aliis pœnis exterioribus, vt pecuniæ, imo & carceris, aut exilii, si peccatum id postulet, vt interdum postulare solet concubinatus. Ea tamen via nihil præiudicii inferri debet foro seculari, causis, quæ ad ipsum pertinent, & quas potestates laicæ paratæ sunt, prout oportet, expedi-

pedire trahendo ad forum Ecclesiasticum. Obser-
tiat optime Victoria *relectione de Indis Insulanis part. 1.*
32 *numer. 29.* Potestatem ad temporalia, quatenus spi-
ritualia exigunt, non solum residere in Summo Pō-
tifice comparatione omnium, qui sunt de Ecclesia,
sed etiam in quocumque Episcopo comparatione
suorum subditorum : Episcopoque posse eodem
modo punire & cohibere peccata secularia, non so-
lum censuris, sed etiam pœnis exterioribus, pecu-
niariis & exilij ac aliis: modo tū id non faciant ex a-
uaritia, & ad quæstum, sed ex necessitate, & ad com-
modum rerum spiritualium : pessimeque facere,
vel principes, vel magistratus temporales, qui Epi-
scopos hac in parte impediunt.

33 Vlterius Summus Pontifex, & in suo ordine & B
gradu cæteri Episcopi, potestatem habent exigendi
à secularibus sibi subditis debitum subsidium pro
administratione spiritualium, eosque ad id cogen-
di: cum vero eiusmodi causa finem respiciat spiri-
tualem, ad forum Ecclesiasticum spectat. Item quē-
admodum rex, orta necessitate vrgente Reipubli-
cæ sæcularis, potestatem habet exigendi à subditis
subsidia, quibus necessitati illi subueniat, quando a-
liter non potest sufficienter illi subueniri : Sic arbi-
tror Summum Pontificem, orta vrgente necessita-
te Ecclesiæ vniuersalis, cui aliter non possit com-
modè subueniri, habere potestatē exigendi à prin-
cipibus Christianis, & à cæteris suis subditis, subsi-
dia & auxilia ad id necessaria, eosque cogendi ad il-
lam præstandum. Ratio est, quoniam Respublica
Ecclesiæ non minus sibi debet esse sufficiens, quam C
quæcumque Respublica secularis : neque minor
potestas hac in parte credenda est esse in supremo
capite Ecclesiæ, quam in administratoribus secula-
rium Rerumpublicarum : neque membra Eccle-
siæ minus tenentur suam Rempublicam spiritua-
lem, quam temporalem, conseruare. Ita affirmat
Turrecremata *libro 2. summæ. cā. 114. propositione 8 vi-*
detur que consentire Victoria de potest. Eccles. quæstione ci-
tata. Denique Summus Pontifex plenissimam
habet potestatem iurisdictionis circa temporalia,
præcise tamen iuxta exigentiam finis supernatu-
ralis.

Illud tamen merito Victoria & Sotus *locis citatis*
obseruant, Summum Pontificem in prædictis e-
uentibus non statim debere gladium temporalem
eximere, nisi in mora esset præsens periculum : sed D
debere prius vti gladio & potestate spirituali, præ-
cipiēdo aliquid, vel simpliciter, vel sub aliqua cen-
sura. Via namque ordinaria Summi Pontificis est
vsus potestatis spiritualis, cui potestas temporalis
est in subsidium adiuncta, atque ita non prius exi-
mendus est gladius iurisdictionis temporalis, quam
experimēto sit compertum non sufficere vires gladij
spiritualis.

34 Interrogabit aliquis. Quid si Summus Pontifex
Iudicio Sum- principi alicui seculari præciperet reuocare legem
mi Pontificis aliquam, aut aliquid aliud in seculari regimine mu-
in dubio est tare, quod iudicaret id minime expedire: contra ve
standum. ro Princeps secularis expedire iudicaret: cuiusnam
sententiæ esset standum? Respondet Victoria *de po-*
test. Eccles. loco citato numer. 14. Si Summus Pontifex
id præciperet, quod iudicaret minime expedire E
regimini temporali in se spectato, tunc audiendus
non esset : eo quod iudicium de regimine tempo-
rali in se, & per comparationem ad finem natura-
lem spectat, non ad Summum Pontificem, sed ad
Principem secularem. Et esto Summus Pontifex
verum diceret, præceptum illud nequaquam per-
tinet ad authoritatem & potestatem Summi Pon-
tificis eo ipso, quod res, de qua agitur, saluti anima-
rum, Christianæque religioni contraria non esset.
Si vero Summus Pontifex idcirco id præciperet,
quod iudicaret vergere in detrimentum salutis a-
nimarum, vt si præciperet reuocari legem aliquam,

A quam iudicaret seruari non posse sine peccato, aut
esse contra ius diuinum, vel fouere peccata : tunc
standum esset iudicio Summi Pontificis : eo quod
tam iudicium de spiritualibus, quam de tempora-
libus per comparationem ad spiritualia, non ad
Principes seculares, sed ad Summum Pontificem
spectet. Eius namque est considerare de mediis per
comparationem ad finem, cuius est considerare de
ipso fine. Præterea potestas Summi Pontificis supe-
rior est & architectonica comparatione potestā-
tis Principum secularium, ac proinde Summo Pon-
tifici parere tenentur in iis, quæ ad finem supernā-
turalem spectant. Intelligendum tamen id est,
quando res non omnino constat. Si namque con-
staret, Summum Pontificem errare, aut præciperē
id in fraudem potestatis laicæ, non tenerentur
Principes seculares illi parare. Quo loco obserua,
Summo Pontifici curandam esse rationem com-
modi temporalis administrationis Reipubl. secula-
ris, neque statim præcipere debere, quicquid se
primo aspectu offert, vt conducens ad religionem,
pietatemque Christianam promouendam, sine vl-
lo respectu commodi Reipublicæ temporalis: præ-
sertim cum populi & reges non teneantur, nec cōgi 35
possint ad rationem optimam Christianæ vitæ, sed
solum ad Christianam vitam intra certos limites &
terminos.

Superest respōdeamus ad argumenta *initio* pro- 36
posita. Ad primum neganda est minor : potestas *Ad primum*
namque illa Christi circa temporalia fuit excellen- *argumenti*
tiæ in Christo, quam proinde neganduni est reli- *primæ sententiæ.*
quisse Summo Pontifici.

Ad secundum dicendum est, solum probare po- 37
testates laicas omnino subiici in temporalibus Sum *Ad secundū.*
mo Pontifici, quantum necesse est ad finem super-
naturalem. Eatenus namque Respublica tempora-
lis subordinatur Reipublicæ spirituali Ecclesiæ, &
in ea quasi includitur : secundum se autem Respu-
blica temporalis integra quædam Respublica in se
est, cuius Potestas suprema est Princeps tempora-
lis.

Ad primum, quod in tertio argumento addu- 38
citur, dicendum est. Translationem illam Imperij *Ad tertium.*
licuisse Summo Pontifici, quatenus id ad conserua-
tionem Ecclesiæ erat necessarium. Cum autem Ger-
mania munus illud Imperatoris defensorisque Ec-
clesiæ assumeret, vireſque suas ad id offerret, recta
ratio postulabat, vt electio Imperatoris ad Germa-
nos optimates pertineret. quare quasi pactum quod
dam fuit tempore Ottonis tertij, vt electio ad optī-
mates illos, approbatio vero & confirmatio Im-
peratoris ad Summum Pontificem pertineret: & ob
id, neque Summus Pontifex absque legitima causa,
potest illos priuare iure illo, neque à Summo Ponti-
fice tolli potest ius, quod habet ad confirmandā
& approbandam electionem.

Ad secundum verò, quod de depositione Impe-
ratoris adducitur, dicendum est. Imperatoris depo-
sitionem ex iusta causa pertinere ad Summum Pō-
tificem. Tum pro potestate plenissima, quā in tem-
poralibus habet ad omnia, quæ spirituale bonum,
finisque supernaturalis postulat. Tum etiam, quo-
niam iure peculiari ad eum spectat approbatio, co-
ronatio, & vnctio Imperatoris. Tum denique quo-
niam munus Imperatoris ad defendendam Roma-
nam vniuersalemq; Ecclesiam institutum est, quasi
Imperator tanquam minister Summi Pontificis sit,
gladium iurisdictionis temporalis Summi Pontifi-
cis ad illius nutum sua potentia exercens, iuramen-
tumque fidelis Ecclesiæ defensoris Summo Ponti-
fici præstat.

Ad tertium, quod adducitur, dicendum est. Vi-
trumque licuisse Summo Pontifici: eo quod vtrum
que necessarium fuerit ad spirituale bonum eorum
regnorum. Præterea ad vtrumque concurrit con-

sensus & postulatio optimatum ac populorum regnorum illorum.

Ad vltimum, quod in eodem argumento adducitur, dicendum est. Cum Imperator, nec successorem nec aliquem, cui Imperium sit debitum, relinquat: quemadmodum mortuis regibus regulariter solet manere Regni legitimus successor: munusque Imperatoris, postquam tempore Ottonis tertij ad Germanos est translatum, quasi ex pacto & institutione ipsa summopere à sede Apostolica pendeat, mirandum non esse, si vacante Imperio, ad sedem Apostolicam pertineat iudicare subditos Romani Imperij. Hodie tamen, viuente imperatore, eligitur Rex Romanorum, qui à sede Apostolica approbatur & confirmatur, vt eo ipso, quod Imperator mortuus fuerit, sine alia electione & approbatione succedat in Imperio: & idcirco non datur Imperium vacuum.

39 *Ad quartū.* Quartum argumentum solum probat, in Summo Pontifice esse supremam potestatem ad temporalia, gladiumve temporalem in sensu in 3. conclusione explicato, neque aliud voluerint duo illi Summi Pontifices. Vnde argumentum probat tertiam conclusionem.

40 *Ad Argum. secundæ sententiæ.* Ad argumentum, quo illa alia extrema opinio suadebatur, dicendum est. Claues Regni cœlorum potestatemque in spiritualibus, adiunctam quasi ex consequenti habere potestatem in temporalibus iuxta spiritualem exigentiam, vt ostensum est.

41 *Ad confir.* Ad confirmationem dicendum est, vti potestate in temporalibus, iuxta spiritualium exigentiam atque ad ea tanquam ad finem, non esse implicare se secularibus, sed efficere, vt temporalia spiritualibus deseruiant, & vt ab illis, in destructionem eorum non deuient. Sumere præterea iurisdictionem aliquam temporalem, quantum ad authoritatem & splendorem sedis Apostolicæ deceat, conferatque ad meliorem vsum spiritualium, atque in subsidium pro eorum administratione, non esse implicare se negotiis temporalibus: sed efficere, vt temporalia spiritualibus inseruiant, quod Paulus nequaquam prohibere intendit.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuæ opinionis assertores.*
2 *Negatiua opinio fundatur.*
3 *Dissoluitur affirmat. opin. fundament.*

VTRVM IMPERATOR SIT Dominus orbis.

DISPVTATIO 30.

1 QVidam ex Iurisperitis, inter quos numerandus est Bart. *in l. hostes. ff. de cap. & postl. reuers. & in Extrauaganti ad reprimendum, quæ est Henrici septimi, in verbo totius orbis*, asseruerunt, Imperatorem esse totius orbis dominum. Imo Bartolus eo tandem *in l. hostes* progressus est, vt asserierit, affirmare contrarium forte hæreticum esse, motus ex illo Lucæ 2. Exiit *edictum à Cæsare Augusto, vt scriberetur vniuersus orbis*. Hæc tamen sententia ridicula plane est, vt ex iis, quæ de origine huius potestatis diximus *disputatione* 24. adiunctis iis, quę disputatione præcedente dicta sunt, est manifestum.

2 *Imperator non est dominus orbis.* Hoc autem loco hoc vnum tãtum aduersus hanc sententiam subiicio argumentum. Si Imperator esset dominus orbis, vel id esset iure naturali: atque hoc assertum est stultum: vel per electionem totius mundi, qui cõsensum præbuisset, vt vnus esset communis omnium Imperator: quod absque vlla probabilitate ac fundamento affirmaretur: vel iure belli, & hoc constat esse falsum, cũ nullus vnquam, non solum iuste, sed neque iniuste, subegerit sibi omnes vniuersim nationes, præsertim eum nostris temporibus plurimæ sint repertæ, quæ antea omnino fuerunt incognitæ, & multæ aliæ sint etiã adhuc incognitæ: vel iure humano positiuo, idque vel Summi Pontificis: & hoc non: quippe cum neque ipse sit dominus orbis: vel ipsorum met Imperatorum, aut *alicuius* alterius: quod item verum esse nõ potest: eo quod tale ius ligare non potuerit non subditos illius, quid condidisset: aut denique iure diuino: quod non minus est falsum: quippe cùm nullum testimonium ad id sufficiens possit adduci: ergo Imperator non est dominus orbis.

Illud vero *Lucæ* 2. probat quidem exiisse edictum à Romano Imperatore, vt scriberetur vniuersus orbis, siue illud iustum esset, siue iniustum: non vero Romanum Imperatorem fuisse verum dominum orbis vniuersi. Adde, eo in loco, nomine vniuersi orbis, non intelligi vniuersam terram, sed per hyperbolem, maximam illam orbis tunc cognitã partem, cui Romani dominabantur, appellari orbem vniuersum. In eodemque sensu Imperatores arroganter se aliquando orbis ac mundi dominos nominarunt. Adde etiam frequens esse in communi loquentium vsu, partem orbis appellari orbem, iuxta illud.

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem.

Si longiorem de hac re desideras disputationem, lege inter alios Victoriam *in Relectione de Indis Insulanis. par. 1. à numer. 24.* Sotum *4. de iustitia quæstione 4. articulo 2.* & Couarruiam *regula peccatum par. 2. §. 9. à numer. 5.*

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiastici à ciuili potestate, tum in criminalibus tum in ciuilibus sunt exempti, à tributis quoque aliisque oneribus liberi.*
2 *In causis merè Ecclesiasticis clerici iure diuino exempti sunt à potestate laica.*
3 *Christus non coactè sed ex liberalitate soluisse tributum, ad Imperatorem non pertinere Papam corrigere atque instituere, ab illo quoque non manasse quod sacerdos vnus altero authoritate erit maior: denique erroneum esse, quod Papa vel tota Ecclesia non possit aliquem coactiue punire, nisi Imperator authoritatem dedisset.*
4 *Ius patronatus præsentandi in Episcopos & ad alia beneficia ex concessione potestatis Ecclesiasticæ deriuatur.*
5 *Si Summus Pontifex potestate Ecclesiastica circa collationem beneficiorum abutatur, quatenus & à principibus secularibus resisti possit.*
6 *Non omnis Ecclesiasticorum exemptio de iure diuino est.*
7 *Papa iure diuino exemptus à seculari potestate, reliqui consentaneè tantum.*
8 *Sum. Pontifex extra casum hæresis à nemine deponi vel puniri potest, ne quidem sponte se aliorum iudicio subiicere.*
9 *Cæteræ personæ Ecclesiasticæ à quo secularium potestate exempti sunt.*
10 *Quando Principes seculares aduersus Ecclesiasticos subditis suis consulere possunt.*
11 *Ecclesiastici quoad bona sua exempti sunt à tributis non iure diuino sed humano.*
12 *Ecclesiastici Reipub. infidelium neque à tributis neque à iurisdictione illorum sunt exempti.*
13 *Obiectio.*
14 *Solutio.*
15 *Ecclesiastici neque iure diuino neque humano à legibus ciuilibus, quatenus cum libertate Ecclesiastica non pugnant, exempti sunt.*

VTRVM

VTRVM ECCLESIASTICI CIVILI POTESTATE SINT EXEMPTI, & QVO IVRE:

DISPVTATIO 31.

EXplicata ciuili & Ecclesiastica potestate, & quousque dominium iurisdictionis vtriusque se extendat, aliquid dicendum est de exemptione Ecclesiasticorum, à ciuili potestate.

1 *1 Concluſ. Eccleſiaſtici à ciuili poteſtate, & à tributis ſunt exempti.*

De qua re sit prima conclusio. Clerici iam hodiè à ciuili potestate sunt exempti, ità vt neque in criminalibus, neque in ciuilibus à secularibus iudicibus iudicari possint, sed ab Ecclesiasticis dumraxat. Exempti etiam sunt à tributis, & aliis oneribus. Hæc manifesta sunt *ex tota 11. q. ex capit. non minus de immunit. Eccleſ. ex cap. quanquam de cenſibus lib. 6. & ex pluribus aliis iuribus.* Verum de vtraque parte conclusionis in sequentibus fusior erit sermo.

2 *2. Concluſ. Iure diuino exempti ſint in cauſis Eccleſiaſticis.*

Secunda conclusio. In causis merè Ecclesiasticis clerici diuino iure exempti sunt à ciuili & laica potestate, vt in creandis Episcopis, & Sacerdotibus, in distribuendis diœcesibus, & parœciis, in causis inde emergentibus, & denique in his omnibus, quæ ex se ad solam spectant Ecclesiasticam potestatem. Hæc probatur, quoniam potestas Ecclesiastica, vt disputatione 21. & sequentibus ostensum est, distincta est, à ciuili & ea superior, atque à Christo immediate instituta, & in Petro, Apostolis, & discipulis ipsis eorumq; successoribus tradita: potestas verò ciuilis ortum habet à Deo per Rempublicam, solumque se extendit ad naturalia: ergo in causis mere Ecclesiasticis, quæ potestatis Ecclesiasticæ sunt propriæ, clerici iure diuino à potestate ciuili exempti sunt. Vnde Apostoli, sine vlla laicæ potestatis authoritate, curam & administrationem Ecclesiæ exercebant, eodemque modo perpetuo se gesserunt eorum successores. Merito ergo, post Vuitcleffum, 3 & Ioannem Hus in Concilio Constantiensi *sessione* 8. & 15. damnatos à Ioanne 22. damnatus est Marsilius Patauinus, qui asserebat, Christum tributum soluisse, non ex liberalitate & condescensione, sed necessitate coactum. Item ad Imperatorem pertinere, Papam corrigere atque instituere. Item emanasse ab Imperatore, Sacerdotem vnum esse maiorem, habereque maiorem authoritatem, quam alius Sacerdos habeat, posseque illam tollere, sicut eam contulit. Addebat, neque Papam, neque totam Ecclesiam, punire posse aliquem coactiue, nisi Imperator dedisset ei authoritatem. Quæ omnia cum libertate Ecclesiastica pugnant. Errores huius hæretici, doctamque eorum confutationem, lege apud Albertum Pighium *quinto libro Hierarchiæ Eccleſiaſticæ.* Eadem conclusio confirmatur *ex capite ſi Imperator 96. diſtinctione.* Vbi Ioannes Papa inter alia ait. *Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſeculi poteſtates,* & ex aliis iuribus disputatione 29 citatis. Confirmatur etiam ex insigni illo facto Constantini Magni in Concilio Nicæno, quod Ruffinus *libro 10. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ* commemorat, & refertur *capit. Continua. & capitu. Sacerdotibus 11. quæſtione 1.* Cum enim Episcopi libellos accusationum, quorundam aduersus alios, ad Constantinum detulissent, conuocatis illis, dixit. *Vobis dedit Deus poteſtatem iudicandi nos, vos vero ab hominibus iudicari non poteſtis*: libellosque omnes sibi oblatos coram omnibus proiecit in ignem: id quod ex Syluestri suggestione didicisse videtur. Id verò quod Constantinus affirmauit, potissimum habet verum in causis merè Ecclesiasticis: non ergo ad seculares pertinent, quæ mere sunt Ecclesiastica. Quo fit, vt, qui ius patronatus habent præsentãdi in 4 Episcopos, & ad alia beneficia Ecclesiastica, solum id habeant ex priuilegio & concessione potestatis Ecclesiasticæ, tametsi eis soleat concedi in gratitudinem pro subsidiis temporalibus, quæ contulerunt ad institutionem beneficiorum, vel alia iusta de causa. Caietanus *1. tomo Opuſculorum tractatu 1. de poteſtate Papæ cap. 27.* Victoria *Relectione 1. de poteſtate Eccleſ. quæſtione vltim. numer. 3.* Sotus *in 4. diſtinct. 25. quæſtione 2. artic. 2.* & Driedo. *2. de libertate Chriſtiana cap. 2.* asseuerant, si Summus Pontifex potestate Ecclesiastica, in Ecclesiæ perniciem aperte abuteretur, conferendo simoniace in subditorum perniciem beneficia Ecclesiastica, posse Principes seculares illi resistere, nec obedire eis, quæ ab eo, male præciperentur, denegareque possessionem beneficiorum hominibus eo pacto electis. Quamuis autem id verum sit, præsertim cum beneficiorum stipendia à laicis conferantur vt eis pastores & rectores, qui ipsorum curam in spiritualibus habeant, tribuantur: non est tamen multum extendendum, neque impudenter, sed summa cum reuerentia & submissione Summo Pontifici Christi Vicario resistendum.

1

Tertia conclusio. Non omnis exemptio clericorum est de iure diuino. In hac conueniunt Sotus, Victoria, & Driedo *locis citatis.* Caietanus *in ſumma verb. excommunic. capit. 31. &* 37. Nauarrus *in Manuali capit. 27. numer. 119.* & alij, estque Diui Thomæ in illud *ad Romanos 13. Ideo enim tributa præſtatis.* Tametsi Panormitanus *cap. 2. de maior. & obedient. ac alibi,* & quidam alij affirmant, Clerios, quoad personas suas & bona, iure diuino à laica potestate esse exemptos. Nostra tamen conclusio probatur, quoniam nullus est locus vnde id ex iure diuino sufficienter colligatur. Quidam adducunt illud Iosephi *Geneſ. 47.* quiterram omnem Aegypti tributariam fecit Pharaoni, præter terram sacerdotalem. Id tamen nihil ad rem: beneficentiæ namque Regis, postulante id recta ratione, fuit factum. Adducunt præterea illud Matthæi 17. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, a filiis ſuis, an ab alienis?* Et paucis interiectis: *Ergo liberi ſunt filii.* Attamen id solum probat de Christo, vt *diſputatione 27.* ostensum est. Quod si de aliquo alio verisimiliter etiam probat solum est de Summo Pontifice Christi vicario, vt subiiciemus. Item adducunt illud Psalmi 104. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Eo tamen in loco solum præcipitur, ne iniuria Dei ministris irrogetur, in quibus Principes etiam seculares intelliguntur. Conclusio proposita ex sequentibus fiet amplius manifesta.

3. Concluſ. Non omnis Eccleſiaſticorum exemptio de iure diuino.

Quarta conclusio. Diuino iuri, & naturali est maximè consentaneum personas Ecclesiasticas exemptas esse à foro seculari, præsertim in criminalibus. Summum Pontificem arbitror iure diuino esse omnino exemptũ ab omni vniuersim terrena potestate. Reliquæ vero Ecclesiasticæ personæ, non iure diuino, sed humano videntur exemptæ à secularibus potestatibus. Prima pars probatur, quoniam cum ministri Ecclesiæ iure diuino instituti sint cum Ecclesiastica potestate ad vacandum spiritualibus, sub vno supremo capite ad cuius forum in spiritualibus pertinent, sane diuinum ipsum ius quo ita instituti sunt, gradus item ac dignitas eorum lumenque ipsum naturale postulant, vt à foro secularium, qui ipsis in spiritualibus subditi sunt, omnino eximantur. Tum vt liberiores ad vacandum spiritualibus reddantur, ad diuersa tribunalia minime distracti, vt sæpe simul accidere posset. Tum etiam, vt eorum, in subditos suos, authoritas melius conseruetur: indecens quippe esset, vt Episcopus, & parochus, quibus iudices seculares tanquam filij in spiritualibus debent subiacere, ab eisdem in temporalibus iudicarentur, ac punirentur: indeque plurima indecentia, valdeque absurda oriri possent, dum Ecclesiastici ob merũ secularium, à quibus in temporalibus penderent, erga illos munus suum in spiri-

4. Concluſ. Papa iure diuino exemptus à ſeculari poteſtate. Reliqui tantum conſentaneè ſolum.

ritualibus exercere non auderent. Ad hęc reuerentia quam etiam personis Ecclesiasticis, tanquam patribus, & diuino cultui dicaris, ac consecratis, seculares iure diuino exhibere debent, valde sane minueretur, fierentque contemptibiles apud seculares, quod Dei optimi maximi honori, eorumque spirituali saluti minime expedit. Eadem pars confirmatur ex facto illo insigni Constantini Magni supra memorato, nec nō ex illo alio Ioseph. *Genes.* 47. qui, postulante id recta ratione, terram sacerdotalem liberam à tributo reliquit.

8 Secundam partem, nempe, Pontificem Summum iure diuino esse omnino exemptum ab omni vniuersim terrena potestate, affirmare videtur Driedo. 1. *de libertate Christiana cap.* 15. dum docet, Pontificem Summum à nulla terrena potestate posse, extra hæresis casum iudicari, aut puniri: Pontificemque ipsum, quemadmodum non potest seipsum interficere, ita nec facere alteri potestatem, vt eum interficiat, eaque ratione à nemine pro quocumque crimine posse interfici, esto propria sponte se aliorum iudicio velit subiicere. Hoc ipsum astruere videntur multi alij, quos in hac 1. 2. *quæstione* 1. *artic.* 10. citauimus, dum asseuerant, Summum Pontificem, extra hæresis casum, à nemine posse deponi à Pontificatu, aut puniri: eo quod iure diuino ab omnibus sit exemptus: consentitque Victoria *ad finem relectionis citatæ*, dum cum Caietano *de potestate Papæ capit.* 17. affirmat, Summum Pontificem iure diuino à nemine pro quocumque delicto posse interfici. Ac sane, si Imperatores Ethnici punire potuissent Summos Pontifices delinquentes, dum in eorum terris morabantur, cum eadem secularis potestas (stando in solo iure diuino) esset in Constantino, & aliis Imperatoribus, qui Ecclesiæ gremium ingressi sunt (tametsi in spiritualibus Summo Pontifici fuerint subiecti) Imperatores Christiani, punire possent Summum Pontificem delinquentem. Saltem id cum iure diuino minime pugnaret, sed solum esset cōtra exemptionem iure humano ab Imperatoribus Ecclesię, Summisque Pontificibus collatam. Possumus autem eandem partem probare, quoniam decentissimum erat, vt Summus Pontifex, tanquam caput Christianæ Reipublicæ cui seculares subesse debebant, hanc exemptionem haberet, præsertim cum, vt dicemus, per suā potestatem eximere posset Ecclesiasticos à potestate Principum secularium Ecclesiæ subditorum: sed Christus potuit illi conferre talem exemptionem: ergo verisimile est eam illi contulisse, atque adeo ipse iure diuino ab omni laica potestate est exemptus, præsertim si illa membrum sit Ecclesiæ. Confirmatur, quoniam Christus illam immunitatem habuit, vt disputatione 28. ostensum est: cum ergo Summum Pontificem sui Vicarium in terris reliquerit, verisimile est eam illi contulisse. Id quod satis innuere visus est *Matthæi* 17. vbi postquam *capit.* 16. Summum Pontificatum illi promisisset, publicanis tributum exigentibus, concludenteque Christo, *ergo liberi sunt filij*. addidit. *Vt autem non scandalizemus eos vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies flaterem, illum sumens da eis pro me & te.* Vbi solum ad vitādum scandalum iussit reddi tributum, etiam pro Vicario suo, cōiungens illum cum seipso, illius post se faciens mentionem: nullam vero reliquorum Apostolorum.

Tertia vero pars conclusionis, nempe, reliquas personas Ecclesiasticas, non iure diuino, sed humano videri exemptas à secularibus potestatibus, ex eo est manifesta, quod, vt præcedente conclusione dictum est, nullum sufficiens testimonium ex iure diuino adduci potest vnde id recte colligatur. Sed 9 petes, à quo ergo fuerunt exemptæ? Respondeo, in primis ab Imperatoribus cæterisque Principibus Christianis, populis consentientibus, quia id res ipsa postulabat. Eam vero exemptionem, semel Ecclesiæ concessam & donatam, sine Ecclesiæ consensu reuocare non possunt. Respondeo deinde, Summum Pontificem solum, per potestatem, quam ad temporalia inxta spiritualium exigentiam habet, potuisse eximere omnino Ecclesiasticos à laica potestate, eosque suis legibus Ecclesiasticis, quibus hac in re standum est, re ipsa eximisse. Vt enim ostensum est, exemptio Ecclesiasticorum expediebat maxime ad decorem, bonumque spirituale totius Reipublicæ Christianæ, iuriquenaturali ac diuino erat maximè consentanea: eaque de causa hac de re Ecclesiasticæ leges ciuilibus sunt antefrendæ.

10 Obseruant Victoria & Sotus *locis citatis*; si clericorum libertas in manifestam cederet secularis Reipublicæ perniciem, clericis impune vacantibus in laicorum cædes, Summique Pontifices admoniti adhibere nollent remedium, posse equidem Principes seculares suis subditis consulere, nihil immunitate & priuilegio clericorum impediente. Ratio est, quoniam Respublica ciuilis est sibiipsi sufficiens: quocirca quemadmodum propria authoritate potest seipsam defendere, & seruare indemnem à quacunque alia Republica seculari, sic etiam ab Ecclesiasticis. Merito autem admonent, potestatem hanc esse apud Principem; non vero apud iudices & magistratus: & idcirco nefas illis esse propria authoritate agere contra Ecclesiæ libertatem, Ecclesiasticas leges vel ciuiles ea in re infringendo, aut clericos capiendo, vel malefactores extrahendo de Ecclesiis, vel aliqua alia ratione leges transgrediendo: tametsi vim ei repellēdo cum moderamine inculpatæ tutelæ, suos ab Ecclesiasticis tutari ac defendere possint.

11 Quinta conclusio. Ecclesiastici quoad bona sua exempti sunt à tributis, non iure diuino, sed humano, postulante id recta ratione. Hæc est Diui Thomæ in illud *ad Roman.* 13. *Ideo enim tributa præstatis*, quo in loco ait. Exemptionem Ecclesiasticorum à tributis habere æquitatem, non tamen esse ex necessitate, quasi sit de iure diuino. Aequitas autem qua iure humano à tributis sunt exempti, hæc est. Quoniam cum tributa regibus præstentur in subsidium Reipublicæ temporalis, & pro laboribus & administratione, qua eam in temporalibus administrant: clerici vero non minores operas præstent in eadem Republica in spiritualibus administranda: æquum sane erat, Ecclesiasticorumque dignitas postulabat, vt non minus, quam nobiles, qui aliquando vtiles fuerunt Reipublicæ in bello, aut in rebus aliis bene gestis, à tributis essent exempti. Confirmatur conclusio ex eodem testimonio Pauli citato: omnibus namque indifferenter præcipiebat tributa præstare Principibus, neque Ecclesiasticos eximebat. *Ideo enim*, inquit, *& tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Certe Ecclesiastici, qui in Republica infidelium commorarentur, tenerentur tributa præstare Principibus illius Reipublicæ: quippe cū Principes illi non minus in eorum bonum, quam aliorum, Rempublicam administrarent ac defenderent: quare cum priuilegio illorum Principū non essent exempti, & Summus Pontifex potestatem in eam Rempublicam non haberet, vtpotè Ecclesiæ non subiectam: tenentur in foro conscientię tributa soluere. Quin potius, tam in causis ciuilibus, quam criminalibus, subiecti essent principibus illius Reipublicæ, vt Albertus Pighius *libro* 5. *de Hierar. Ecclesiast. capi.* 7. recte affirmauit. Confirmatur præterea conclusio *ex cap. tributum, cum sequenti* 11. *quæst.* 1. vbi eam confir-

2. Conclus. Iure humano exempti sunt à tributis.

12 *Ecclesiastici Reipublicæ infidelium neque à tributis, neque à iurisdictione illorum sunt exempti.*

confitetur Ambroſius. Ex eadem præterea cauſa & quæſtione conſtat, prius Eccleſiaſticos exemptos fuiſſe à poteſtate laica quoad perſonas, quam quoad tributa. Eandem concluſionem confirmant, quæ dicta ſunt concluſione præcedente circa exemptionẽ quoad perſonas. Quod ſi obijcias capitulo quanquam, de cenſibus libro 6. aſſeuerari, Eccleſias, Eccleſiaſticasque perſonas, ac res earum non ſolum iure humano ſed etiam diuino exemptas eſſe. Dicẽdum eſt cum Dominico à Soto loco citato, Eccleſias, perſonas Eccleſiaſticas, & res earum eſſe exemptas iure ét diuino quoad cauſas mere Eccleſiaſticas: quoad reliqua vero conſone ſolum ad ius diuinum & ad lumen naturale, iuxta ſenſum ſupra explicatum.

6. Concluſ. A legibus ciuilibus, quatenus cum libertate Eccleſiaſtica non pugnant, exempti non ſunt.

Sexta concluſiõ. Eccleſiaſtici neque iure diuino neque humano exempti ſunt ab iis legibus ciuilibus, quæ non ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam, ſed ad bonam Reipublicæ adminiſtrationem ſunt inſtitutæ. quales ſunt, quibus pretia frumenti, & aliarum rerum cõſtituta ſunt, & quibus prohibetur talis vel talis ratio ædificandi, aut aliquid ſtatuitur circa ſuccedendi modum in hæreditate, & aliæ ſimiles ciuibus omnibus communes. Hæc eſt Victoriæ, & Soti *locis citatis*, Sylueſt. *verbo lex quæſtio* 15. & communis. Probatur, quoniam clerici partes ſunt Reipublicæ, eundemque communem regem, aut rectorem habent cum laicis: ergo legibus illius toti Reipublicæ communibus tenentur ſubiacere quoad id, quod cũ eorum libertate & exemptione non pugnat. Præſertim cum Reipublicæ regimen legibus indigeat, quæ ſint omnibus ciuibus communes: neque eas ſtatuere ſpectet ad Summum Pontificem, ſed ad Principem in temporalibus. Si ergo clerici frumenta vendant vltra pretium iuſte à Republica ſtatutũ, & peccãt ſicut laici, & ad reſtitutionẽ tenẽtur. Nõ tamen conueniri poſſunt ea de re coram iudice ſeculari, ſed coram Eccleſiaſtico, qui illos tenetur cogere ad huiuſmodi leges ſeruandas debita eos pœna mulctando, ita vt plene reſtituant quicquid vltra pretium iuſtè à Republica taxatum acceperunt.

SVMMARIVM.

1 *Seruitus naturalis, quæ.*
2 *Legalis mancipiorum.*
3 *Serui vnde dicti.*
4 *Seruitus famulorum.*
5 *Seruitus mancipiorum licita.*
6 *Seruus non debet occaſione religionis Dominum ſuum contemnere.*
7 *Seruitus num ſit contra ius naturæ.*

DE MANCIPIIS, ET PRIMO, Vtrum vnus homo in alium comparare poſſit dominium proprietatis.

DISPVTATIO 32.

EXplicato dominio iuriſdictionis, de dominio proprietatis erit nobis deinceps differendum. Quia vero quid illud ſit, quibuſque quaſi integrantibus partibus conſtet, abunde dictum eſt dum de dominio in genere nobis eſſet ſermo, explicandi ſunt varii tituli, atque modi, quibus comparatur & amittitur, tam ipſum, quam ius in re, & ad rem. Atque in primis examinandum eſt vtrum vnus homo in alium habere poſſit, non ſolum dominium iuriſdictionis, ſed etiam proprietatis, & quibus titulis eiuſmodi dominium acquiratur & amittatur.

Dominium hoc habitudo quædam eſt ad ſeruũ, non quemcunque, ſed ad ciuilem, legalemque ſeruum, vt Ariſtoteles vocat. Ad cuius rei intelligentiam ſciendum eſt, duplicem eſſe ſeruitutem, vt Ariſtote. 1. *Politicorum capit.* 3. & 4. docet. Quædam eſt, quam vocat naturalem, qua ſcilicet hebetiores & rudiores, corporeque robuſtiores; ſuapte natura apriores ſunt ad parendum, & vt ab aliis in ipſorum bonum gubernẽtur, quam ad imperandum & gubernandum. Hæc autem apritudo impropriè appellatur ſeruitus, neque cuiquam alteri tribuit ius in huiuſmodi homines, ſed ſolum ex quadam æquitate, & non ex iuſtitia, natura ipſa rei poſtulat, vt ſeipſos ſua ſponte ſubiiciant ſapientioribus, & elegantioribus, non ad aliud, quam vt in ipſorummet proprium bonum ab illis regantur & gubernentur: viciſſim illis rependendo obedientiam, obſeruantiam, & honorem aut etiam obſequia & ſubſidia alia, prout regimen, cui ſe ſubiecerint, regium ſcilicet, aut quoduis aliud poſtulauerit. Alia eſt ſeruitus, quam Ariſtoteles ciuilem & legalem vocat ratione cuius mancipia id, quod ſunt, dominorum ſunt ad operas & vtilitates, quæ ex eis percipi poſſunt. Huiuſmodi homines, vt *Inſtitut. de iure perſonarum*, §. *ſerui*, habetur, ſerui dicti ſunt à ſeruando: quia videlicet Imperatores, quos bello capiebant, quoſque fas illis erat interficere, ſeruabant, commutata eorum morte in perpetuam ſeruitutem. Dicti etiam ſunt mancipia, quaſi ab hoſtibus manu capta, vt ibidem ſubiungitur. Quo fit, vt hæc etiam ſeruitus in bonum ipſorum ſeruorum introducta ſit, quatenus perpetua ſeruitus minus malum illis eſt, quam priuari vita. Inter hæc duo ſeruitutum genera quaſi medium quoddam tenet ſeruitus famulorum mercede conductorum ad aliquas operas & obſequia præſtanda: quorum proinde non comparatur dominium proprietatis, ſed ſolum ius ad operas & famulatum præſtandum, ture ergo propoſita ſolum nobis eſt ſermo de ſecunda ſeruitutis ſpecie, à qua mancipia relatiue dicuntur ſerui, comparatione domini proprietarii ipſorum.

1 *Seruitus duplex. Naturalis.*

2 *Legalis mancipiorum.*

3 *Serui vnde dicti.*

4 *Tertia ſeruitus famulorum.*

Eiuſmodi autem ſeruitutem licitam & iuſtam eſſe, dummodo legitimi adſint tituli, ſatis eſt manifeſtum, non ſolum ex communi Doctorum ſententia ex iure ciuili & Canonico, *extra de conuersione seruorum per totum, & alias sæpe*; & ex prima illa origine, qua dictum eſt fuiſſe introductam, ſed etiam ex ſcripturis ſacris. Leuitic. namque 25 licèt de filiis Iſrael præciperet Deus, *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit, vſque ad annum iubilei operabitur apud te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & reuertetur ad cognationem & poſſeſſionem patrum ſuorum: mei enim ſerui ſunt, & ego eduxi eos de terra Aegypti, non veneant conditione ſeruorum.* De aliis tamen ſeruis ſubiungebat. *Seruus & ancilla ſint vobis de nationibus, quæ in circuitu veſtro ſunt, & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra veſtra, hos habebitis famulos, & hereditario iure transmittetis ad poſteros ac poſſidebitis in æternum.* 1. ad Tim. 6. *Quicunque ſunt ſub iugo ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt, ſed magis ſeruiant, quia fideles ſunt. Hæc doce & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus, ſuperbus eſt, nihil ſciens.* 1. ad Corin. 7. *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ, ſed & ſi potes fieri libertate magis vtere.* Idem patet *ad Epheſ.* 6. *ad Col.* 3. & 4. *ad Philemonem*, & 1. *Petr.* 2. Idem definitum eſt in Concilio Gangrenſi *cap. ſi quis ſeruum* 17. q. 4. his verbis. *Si quis ſeruum alienum occaſione religionis docet dominum ſuum contemnere, & eius miniſterium deſtituere, ac non potius docuerit eum ſuo domino bona fide ac cum omni honorificentia deſeruire, anathema ſit.* Idem definitum eſt, *capit. Siquis ſeruum* 2. *ex concilio Martini Papæ, eadem cauſa & quæſtione.*

5 *Seruitus mancipiorum licita.*

7 Obiectio. Quod si quis obijciat. *l. Libertas. ff. de statu hominum. & §. seruitus, Inst. de iure personarum*, quibus in locis dicitur, seruitutem de iure gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur: vnde videtur colligi, seruitutem illicitam esse, vtpote contra ius naturæ. Dicendum est, verbis illis solum intendi seruitutem, si sola prima rerum constitutio absque circumstantiis, quibus commerita sit, spectetur, contra naturam, eo quod stando in sola prima rerum constitutione omnes à natura ipsa essemus liberi: at vero superuenientibus circumstantiis, quibus commerita est, licite ac iuste fuisse de iure gentium introductã, contra id quod, spectata sola prima rerum cõstitutione, natura rerum postulabat. Lege, quæ diximus *d. p.* 10. circa rerum diuisionem, nec non *tract. de Iust. d. disp.* 4.

Dilnitur.

SVMMARIVM.

1 *Primus seruitutis titulus: Ius belli.*
2 *Christianus Christiano iure belli non fit seruus, attamen infidelibus.*
3 *Iusto bello serui fiunt innocentes infantes & alii, & si licite interfici non possint.*
4 *Secundus seruitutis titulus si quis ob delictum in seruitutem damnetur.*
5 *Quomodo seruituti addicuntur quæ cum initiatis sacris ordinibus contrahunt, si quoque qui ex tali matrimonio suscepti sunt, & de defferentibus arma, aliaque adiumenta ad Saracenos ijsque opem præstant libertis ingratis, raptore & rapta.*
6 *Rebelles & apostatantes in regno Granatensi seruituti adscripti: liberi tamen eorum impuberibus exemptis.*
7 *An Rex prædictos liberos impuberes in conscientia eximere debebat: affirmat op. probatur primo.*
8 *Secundo.*
9 *Negatiuam op. probat auctor primo.*
10 *Secundo.*
11 *Tertio.*
12 *Resp. ad primum arg. sent. affirm.*
13 *Ad secundum.*
14 *Tertius articulus est, cum se quis in seruitutem vendi patitur.*
15 *Absque rationabili causa seruituti se obijciens, peccat.*
16 *Sex conditiones requisitæ ad validam emptionem & venditionem personæ liberæ.*
17 *Effectus seruus ementis non potest se eo inuito quamuis iusto pretio redimere.*
18 *Si quis ex causa manumittatur manet ille non ingenuus sed libertinus.*
19 *Deficiente aliqua de prædictis ex conditionibus venditio est nulla & proclamatio ad libertatem conceditur.*
20 *Si quis conditionibus illis subiectus se vendat in loco vbi illæ non frequentantur vel è contra vendens illos non subiectus sese apud eos vendat vbi illæ sunt in vsu, vtroque casu valebit venditio.*
21 *Quousque parentes filios vendere possint.*
22 *Ita distracti, si seruitute liberentur, manent ingenui.*
23 *Pater ad pinguiorem perueniens fortunam, cogitur filium redimere.*
24 *Filios sui iuris vendere non potest.*
25 *Nec congregatos aut sacris ordinibus initiatos.*
26 *Filius à matre vendi nequit.*
27 *An extra casum summæ paupertatis, si æqualis aut maior subsit causa, pater filium distrahere possit.*
28 *Lex de vendendis liberis in quibus locis vim obtineat.*
29 *Vbi ex iure naturali liberi à patre vel matre venduntur, redemptioni non est locus.*
30 *Iuste interficiendus licite in seruum emi potest.*
31 *Iniuste interficiendus quousque emi possit.*
32 *Quartus seruitutis titulus natiuitatis conditio.*

TITVLI QVIBVS DOMINIVM IN seruos iuste comparatur, & an infantes eorum qui in Granatensi Regno rebellarunt iuste in seruitutem redigi potuerint.

DISPVTATIO 33.

ILlud ante omnia est statuendum postquam seruitus legitime in mancipium aliquod est comparata, eisdem titulis & modis dominium illius trãsferri in alios, quibus dominia aliarum rerum transferri consueuerunt, nempe *venditione, permutatione, donatione, vltima voluntate*, &c. Solum ergo hoc loco erit sermo de titulis, quibus à principio seruitus legitime cõtrahitur, dominiumque in mãcipium comparatur.

Primus est, iure belli. Videlicet quando aliquis iusto bello capitur: iure namque gentium mancipiũ fit capientium, morte in perpetuam seruitutẽ commutata. De qua re nullus est qui dubitet, eritque inferius fusior sermo dum de bello disputabimus. Excipitur, quando Christiani à Christianis bello iusto capiuntur, vt ibidem dicemus: consuetudo quippe præscripta, atque adeo ius est inter Christianos, vt seruituti nõ subijciantur. Si tamen Christiani ab infidelibus bello iusto ex parte infidelium capiantur, vere essent illorum mancipia: eo quod gentium ius omnibus sit commune, iustaque esset mortis commutatio, quam infideles iuste Christianis ita captis inferre possent, in perpetuam seruitutem.

1 *Primus seruitutis titulus iure belli.*

2 *Christianus iure belli non fit seruus alterius Christiani.*

Huic titulo annectere possumus, quãdo innocẽtes, qui partes sunt Reipublicæ, aduersus quam iustum bellum geritur, quales sunt infantes & alii, capiantur, licet enim licite interfici non possunt, iure tamen belli ac gentium, fiunt mancipia capientium. Ratio est, quoniam illis, tanquam in propriis mẽbris punitur iuste Respublica, quoad omnia bona fortunæ de quorum numero est libertas: estque hoc communi vsu receptum. Verum de his omnibus sermo erit in materia de bello.

3 *Serui fiunt innocentes bello iusto.*

Secundus est, quando aliquis propter delictum, quod prudentis arbitrio tanta pœna sit dignum, ab habente ad id potestatem, seruitutis pœna damnatur: neque enim propter culpam prius aliquis seruitutem incurret, quam feratur sententia. Hunc esse iustum titulum confirmant, quę sequuntur Cap. eos qui 32. dist. Vrbanus secundus concedit secularibus principibus facultatem, vt seruituti subijciant fœminas; quæ contraxerint cum initiatis ordinibus sacris: si illi, admoniti à suis prælatis, non desiterint. Item in Concilio Toletano nono *capite cum multæ 15. quæstione octaua* sancitum est, vt filij, qui ex nefario matrimonio cum initiatis ordinibus sacris fuerint suscepti, non solum excludantur omnino ab hæreditate parentum; sed etiam serui sint in perpetuum eius Ecclesiæ ad quam initiatus ille pertinuerit. *Capite, ita quorundam de Iudæis & Saracenis.* Alexander 3. in Concilio Lateranensi statuit vt Christiani deferentes arma, ferrum ad ligamina galearum ad Saracenos, aut in galeis, & piraticis Saracenorum nauibus regimen & curam gubernationis exercentes, præter alias pœnas, serui fiant capientium. Item libertus qui in eum se grauiter ingratum exhibuerit, qui sua sponte illum manumiserit, in pœnam delicti redigitur in seruitutem *l. si manumissus, C. de*

4 *Secundus ob delictum.*

5

C. *de libert. & eorum liberis, & Instit. de capitis diminut.* §. *maxima.* Præterea *cap. de raptorib. 36. q. 1.* constituitur, vt si raptor cum rapta ad Ecclesiam confugerit, constiterit que raptam violentiam pertulisse, raptus seruituti subiiciatur, aut se redimendi liberam habeat facultatem. Si vero puella raptori consentiat, illaque patrem habeat, raptor patri simili satisfactione teneatur.

6 Superioribus annis, cum in Granatensi Regno illi, qui à Saracenis originem trahebant, à fide apostatando, seu potius internam apostasiam, quam semper in corde habuerunt, aperte manifestando rebellassent, merito in apostasiæ & rebellionis pœnã seruitutis perpetuæ, nihil baptismo, quod antea susceperant, impediente, damnati sunt: Philippus tamen secundus Hispaniarum Catholicus Rex, timoratam quandam legẽ tulit christianissimo suo pectore dignissimam, qua statuit, vt rebellantium filii, qui rebellionis, capturæue eorum tempore, ad annos pubertatis non peruenissent, tanquam innocentes libertate donarentur, vt re ipsa donati sunt.

7 *Impuberes Saracenorũ Granatensiũ redigi in seruitutem non potuisse fundatur primo.* Dubium vero esse potest, an Rex in conscientia eam legem ferre teneretur. Pars, quæ affirmat, suaderi potest. Primo, quoniam illi innocentes fuerũt: pœna autem præsertim tanta & tam acerba, quanta & quam acerba seruitutis, imponi iuste non potest, nisi propter culpam, maxime hominibus baptizatis quales vt plurimum pueri illi erant, cum fere omnes ante rebellionem fuerint nati.

8 *Secundo.* Secundo, quoniam qui in Regno Granatensi à Saracenis ducebant originem, non erant vna Respublica diuisa à reliquis Hispanis, vt infantes illorum, tanquam partes Reipublicæ sibi aduersæ, aduersus quam bellum iustum gererent, punire possent in bonis fortunæ, de quorum numero est libertas, vt videre est in materia de bello. Atque ex hoc fundamento, nempe quod illi, qui in Regno Granatensi ex Saracenis originem ducebant, non efficerent ante rebellionem Rempublicam distinctam à cæteris Hispanis, sed vnam & eandem sub eodem Principe cum eis, non dubio, nefas fuisse Hispanis vllum ius belli exequi aduersus eos, qui cum aliis non rebellarunt, sed omnino innocentes fuerunt: idque etiam spoliando duntaxat illos bonis suis temporalibus. Hinc eidem fundamento nititur argumentum propositum, videlicet quod cum infantes illorum, qui rebellarunt, non efficerent cum illis vnam Rempublicam aduersus quam Hispanis esset bellum iustum, sed cum eisdem Hispanis, tam ipsi, quam eorum parentes, vnam efficerent Rempublicam, nefas fuerit Hispanis exequi ius vllum belli in infantes eorum, qui rebellarunt, priuando eos libertate aut bonis aliis temporalibus, quorum dominium ad eos, & non ad eorum parentes, pertineret: sed solum potuerunt exequi iura belli in eos, qui rebellarunt.

9 *Potuisse redigi probabilius.* Pars tamen, quæ negat, videtur vera, nempe Regem in conscientia astrictum non fuisse ferre eam legem, sed potuisse licite damnare omnes illos pueros, vt perpetuæ seruituti addicerentur. Ducor. Primo, quoniam reuera eorum parentes, statim ac rebellarunt, sibi elegerunt Regem, feceruntque cum liberis suis, quos secum habebant, Rempublicam vnam iniquam sub illo Principe aduersus quam totam, & non solum aduersus singulos, qui nocentes erant, erat bellum iustum Hispanis, non minus quã aduersus quamcunque aliam Rempublicam Saracenorum: illa vero Respublica, si præualuisset, terras sane nostrorum occupasset, in captiuitatemque redegisset nostros, tam infantes, quam adultos: ergo sicut Christianis iustum gerentibus bellum cũ quacunq; alia Turcarum aut Saracenorum Republica, fas est redigere in perpetuam seruitutem infantes, quos ceperint, Rempublicam in illis quoad bonum libertatis puniendo: ita profecto fas fuit Hispanis regere in seruitutem pueros iniquæ illius Reipublicæ eorũ, qui rebellarunt. 10

Secũdo quoniam licet ob delictum parentum nefas sit interficere innocẽtem, fas tamen est punire illum in honore & fama, infamem huiusmodi ac ineptum ad multa reddẽdo, eodemque modo fas est illum punire in bono libertatis, si delictum patris tanta pœna sit dignum, idque bono communi Reipublicæ ad aliorum terrorem expediat: qua de causa filii suscepti ex matrimonio cum initiatis ordinibus sacris in commune bonum atque ad aliorum terrorem seruituti subiiciuntur *cap. Cum multæ. 15. qu. 3.* cum ergo delicta apostasiæ à fide & rebellionis, vt rebellantes liberius in infidelitate permaneant, grauissima sint peccata, & dignissima, tum in se, tum etiam ad aliorum terrorem, quę nõ solum in delinquẽtibus, sed etiam in eorum filijs ad commune bonum puniantur, consequens profecto est, vt innocentes filii eorũ, qui ita rebellauerũt, ob parentũ delictum pœna seruitutis perpetuæ iuste potuerint multari, esto cum parentibus non effecissent vnam iniquam Rempublicam, aduersus quam Hispanis bellum iustum susceptum esset. Tertio, quoniam si ob ventrem fas est filium manc-pii innocentem redigere in seruitutem tanquam fructum eius, qui ob suum, vel suorum antecessorum delictum iuste aliquãdo in seruitutem redactus est, cur non etiam ob delictum eius, qui vt libere apostataret, in Reipublicæ maximum detrimentum rebellauit, erit vas redigere in seruitutem filium eius, tanquam illius fructum? Præsertim, cum in re proposita pater in filio puniatur, eoque intuitu ea pœna filio in Reipublicæ bonum, ad aliorum que terrorem infligatur. Adde, Rempublicam iuste timere potuisse, ne pro affectu filiorum in parentes, huiusmodi innocentes, cum ad perfectam ætatem deuenirent, vestigia patrum sequerentur, eaque de causa prudenter iudicare deberet bono communi expedire, vt in seruitutem redacti per varios dominos diuiderentur, qui curam eorum agerent. Quamuis autem hæc ratio sola sufficiens non sit, vt innocentes illi seruituti subiicerentur, præcedentes tamẽ coadiuuat.

11 *Ad primum.* Ad primum ergo argumentum in contrarium, concessa maiori, ad minorem dicendum est. Quam uis pœna iuste imponi non possit nisi propter culpam; culpam tamen Reipublicæ, aut parentum interdum sufficere, vt Reipublicæ membra, aut filij, in bonis externis, honoris, famæ, aut libertatis iuste puniantur.

13 *Ad secundũ.* Ad secundum dicendum est, ostensum esse, qui in regno Granatensi rebellauerunt, effeciss fimul cum liberis suis vnam iniquam Rempublicam sub vno principe. Esto autem illam non effeciss, ostensum est, parentum peccata fuisse satis, vt innocentes filii iuste in seruitutem redigerentur. Hæc quod attinet ad secundum titulum.

14 *Tertius titulus emptionis ab ipso seruo aut à parente.* Tertius titulus est. Emptio & venditio. Ponendumque in primis est, hominem, sicut non solum externorum suorum bonorum, sed etiam proprij honoris & famæ esse dominus, vt tractatu 4. ostendimus: sic etiam dominium esse suæ libertatis, atque adeo stando in solo iure naturali, posse eam aliena re, seque in seruitutem redigere. Id quod constat, non solum ex illustri illo Beati Paulini episcopi exemplo, qui eximia in Deũ & proximos charitate se vltro in commutationem pro libertate filii cuiusdam viduæ in seruitutem dedit, sed etiam ex illo *Exod. 21. & Deut. 15.* de seruo Hebræo qui septimo anno iuxta legem erat dimittendus liber. Subiungitur namque. *Si autem dixerit, nolo egredi, eo quod diligat te, & domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat, assumes subulam, & perforabis auremeius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi vsque in æternum.* Si tamen quis suæ libertatis prodigus esset, absque rationabili causa se seruituti subiiciens, non minus imo magis peccaret, 15

Paulini illustre factum.

caret, quam si, non solum pecuniarum, sed etiam honoris & famæ, sine aliorum tamen scandalo, esset prodigus. Hoc ita constituto, ius Cæsareum (secluſa venditione, qua parentes filios suos vendant, de qua statim erit sermo) solam eam emptionem, & venditionem libertæ personæ ratam & firmam habent, in qua interueniunt sex sequentes cõditiones. Prima, vt is qui venditur, sit maior viginti annis. Secunda, 16 vt quando venditur, sciat se esse liberum. Tertia, vt permittat se ab alio vendi, vt de pretio participet. Quarta vt re ipsa de pretio participet. Quinta, vt is, qui illum vendit, sciat eum esse liberum. Sexta, vt 17 qui eum emit, arbitretur illum esse seruum. Cõcurrentibus simul his sex conditionibus, valida est venditio, & vsq; adeo ille seruus ementis efficitur, vt 18 sto ei postea pretium iustum pro illo offeratur, non teneatur eum manumittere. Quod si quacunque de causa illum manumittat, manet ille, non ingenuus, vt antea erat, sed libertinus. Quacunque autem illarum sex conditionum deficiente venditio est nulla, conceditur& venditio proclamatio ad libertatem. Hæc omnia constant *ex l. 1. & 4. ff. quibus ad libertatem proclamare non licet. l. liberu ff. de liberali causa. l. non ideo l. si ministerium. C eodem titul. l. & seruorum, & l. homo liber. ff. de statu hominum, & ex §. penultimo, Instit. de statu hominum, notatque glossa ibi, & cum ea* D. *Antoninus 3. p. tit. 3. §. 5. Syluester & Angel. verb. Seruitus, & Doctores communiter.* Illud vero obseruandum est, ius hoc solum habere vim, vbi ius Cæsareũ 20 vim habet. Quin & leges illæ solum videntur loqui de liberis hominibus, qui cum legibus illis fiunt subiecti, permittunt seipsos vendi aliis hominibus, qui eisdem legibus astringantur, vt satis innuit *l. non ideo C. de liberali causa.* Quo fit, vt si aliquis eiusmodi legibus subiectus seipsum sine illis conditionibus liberè vendat in loco, vbi leges illæ non vigent, venditio sit valida: eo quod iure naturali disponere possit de sua libertate, volentique & consentienti non fiat iniuria. Efficitur deinde, vt si aliquis, legibus quidem illis subiectus, sine illis conditionibus emat aliquem in seruum, attamen in loco vbi leges illæ non vigent, vt Aethiopem in Aethiopia, validus sit contractus, vereque ille, qui emptus est, seruus reddatur: Efficitur præterea, vt si homo, legibus illis non subiectus, seipsum sine illis conditionibus vendat in loco, vbi huiusmodi leges vigent, emptio sit valida: eo quod leges illæ solum in fauorem libertatis eorum, qui illis subiiciuntur, latæ fuerint.

21 Sciendum est item, iure naturæ fas esse parentibus in graui sua necessitate filios vendere. Id quod ex *Exod. 21.* etiam colligitur. Cum vero quondam, referente Conarruuia *3. variarum resolutionum cap. 14. n. 4.* lege Romuli licitum esset patribus, ter vendere filios, si casu semel atque iterum manumitterentur, idque etiam nulla parentes cogente necessitate; postea tamen iure Cæsareo *l. 1. & 2. C. de patribus qui filios suos distraxerunt*, sancitum est, vt non nisi 22 nimia paupertate & egestate parentes cogente id liceat, alioquin alienatio sit nulla. Præterea, vt quotiescunque emptori iustum prætium offeratur pro filio aut filia ita venditis, aut æquale aliud mancipium, is qui ita fuit venditus, non solum maneat liber, sed etiam sit ingenuus, ac si nunquam in seruitutem incidisset. Quod de venditione dicitur, intelligerem etiam de permutatione, aut quocunque alio contractu, quo filius alienaretur, vt grauissimæ patris necessitati subueniretur. Merito autem Couar. 23 *loco citato, cum multis aliis quos citat*, affirmat, deueniente postea patre ad priguem fortunã, cogi posse, vt filium, quem ita vendidit, redimat. Facultas 24 autem illa filios in graui parentum necessitate vendendi, intelligitur, interim dum filii sub patria sunt potestate: factis vero filiis sui iuris, id parentibus non licet, vt ait Gloss. *l. 2. Cod. de patribus qui filios suos distraxerunt*, & habetur *l. 8. tit. 17. p. 4. legum Castellæ*, af-

A firmarque Aries Pinellus *ad rub. Cod. de bonis matern. p. 2. n. 23.* Imo si filius esset coniugatus, esto de iure communi non ideo egrederetur patriam potestatem, vt de huius Regni & Castellæ iure egrediatur; vendi non posset: quia id cederet in detrimẽtum vxoris, neque etiam hodie potest pater vendere filiũ ordinibus sacris initiatum, vt Couar. *loco citato* ait; esto ordo sacer eum non eximat à patria potestate. 26 Præterea, quia filius de iure Cæsareo non est sub matris potestate, de eodem iure vendi non potest à matre, vt affirmat citata, & cũ ea Aries Pinellus *loco citato*. 27 Dubium est, vtrum si occurrat æqualis patris necessitas cum nimia paupertate & egestate, aut etiam maior, vt si in seruitutem sit redigendus, aut occidendus, vel mutilandus nisi filium vendat fas sit patri filium vendere. Glossa citata, quam Couar. B *loco citato*, & alij sequuntur, ne gat: quoniam, inquiunt l. 2. citata solum concesit facultatem in casu nimiæ paupertatis & egestatis. Placet tamen magis sententia Pinelli *loco citato, n. 27.* contrarium affirmantis. Ea namque lex per epicheiam ad casus in quibus par, aut maior est ratio, extendenda est: quoniam, si eiusmodi etientus legislatori tunc occurrissent, illos procul dubio etiam expressisset. Quod admonuerim, legem secundam citatam solum habere vim in locis, in quibus ius Cæsareum viget, vt de præcedentibus dicebamus Quare, & in Aethiopia, & in aliis similibus locis standum est iuri naturali, nisi forte eo in loco ius aliquod peculiare sit ea in 29 parte. Quo fit, vt in euentibus, in quibus iure naturali fas est patri aut matri propter egestatem, aut aliam similem causam filium vendere, si venditio fiat in loco vbi nullum est peculiare ius, venditio sit valida, venditusque maneat vere seruus. Neque vero illo priuilegio fungi poterit, vt scilicet reddito pretio competenti, aut mancipio alio æquali, restituatur libertati, sitque ingenuus: eo quod lex illa in fauorem libertatis eorum, qui legi illi subiecti sunt, sit lata. Idem dic, si in eodem loco vendatur aliquis, qui extra illum locum subiectus est iuri Cæsareo, vt si aliquis nostrorum apud Aethyopes necessitate compulsus suum illis filium vendat.

D Cæterum dubium est, quidnam de illis dicẽdum sit, qui apud Aethiopes aut Brasilenses sunt interficiendi à suis, & forte comedendi, si tamen merces, vel pretiũ aliquod pro illis offeratur, à morte vindicantur: poteritne tunc aliquis, eo cum illis pacto 30 inito, vt mancipia ipsius fiant, mercede aut pretio oblato suæ illos seruituti subiicere? Cui dubitationi inprimis respondendum est si ille iusto à suis esset interficiendus, qui captus ab illis bello iusto, aut ob aliud delictum ea pœna dignum, tametsi iniquè esset comedendus, licite posse emi, & redigi in seruitutem. Ratio vero est, quia neque iustitiæ, neque charitatis lege tenetur quisquam illum à iusta morte eruere. Nec solum æquum est, sed etiam pium & perhumanum, misere periturum hominem soluto pretio redimere, mortemque illius cum seruitute E permutare. Quod si vili emeretur, esset quidem iusta seruitus, nec quicquã mancipio restituendum, cum illius seruitus empta non fuerit, sed pro vita permutata: comparatione vero illorum, qui vitam illam vendiderunt, si pretium esset nimis vile, iniustitia committeretur, nisi forte vendentes id tacite donare voluisset. Si vero iniuste esset interficiendus, maior est difficultas, cuius elucidandæ causa dicendasunt nonnulla. Primum est: si is, qui pretium of- 31 fert, eruere illũ posset vi, aut alia ratione gratis sine fuo detrimento, lege charitatis teneretur sub reatu lethalis culpæ id efficere, vitamque vna cum libertate incolumẽ illi seruare. Secundum est si ille mi- ser haberet vnde tuto solueret postea pretium mutuo esset illi exhibendum. Tertium est, si non haberet, & pretium, habita ratione valoris rerum in

Parentes quousque vẽdere filios possint.

Interficiendus licite emi in seruum possit.

eare.

ea regione, non attingeret valorem perpetuę seruitutis, nefas esset pro eo pretio redigere illum in perpetuam seruitutem. sed eruendus esset à morte, vel vt ad tempus seruiret, quousque pretium compensaret, & lucrum cessans, si quod forte ei, qui tale pretium exhiberet, tunc cessaret, vel vt constitutus in sua libertate operaretur, illudque persolueret. Cum enim in hoc euentu totum ius vitæ huius sit penes ipsum, & nihil penes eos, qui iniuste volunt eam ipsi eripere, sane pro illo pretio non emitur vita, vt mors (quocunque pretio vita comparata) commutari illi iuste posset in perpetuam seruitutem, vt in casu, in quo vita iuste foret auferenda, paulo antea dicebamus: sed dumtaxat, agendo vtiliter negotiũ huius, pretium loco huius offertur, ne iniustitia aduersus eum committatur: eaque de causa solum fas est, exigere ab hoc quantum valet pretium in bonum ipsius oblatum: non vero quantum valet vita, idve quod in mortis commutationem poterat ab eo exigi. Quartum est, si pretium esset æquale seruituti, emere illum posset in seruum perpetuum. Ita Nauarr. *in manual. cap* 23. *numer.* 95. Ratio est, quoniam non censetur simpliciter pauper, qui vires habet ad laborandum, aptusve est ad seruiendum, vt merè gratis eleemosynę præcepto teneamur illi exhibere valorem quemcunque, quoad euadendam extremam aut grauem necessitatẽ indiguerit: quare sicut fas est paciſci cum huiusmodi hominibus, vt seruiant tanto tempore, quanto fuerit opus, vt & pretium, & lucrum, si quod ea de causa cessauerit, compensetur: sic etiam fas erit paciſci, vt perpetuo seruiant, si pretium perpetuæ seruituti sit æquale. Confirmatur, quoniam quando parentes in graui sunt necessitate, fas est emere ab eis filios, parentibusque ipsis fas est eos vendere, vt ab ea eruantur, idque non solum quando filij & parentes barbari sunt, sed etiam quando tam illi, quam ementes, subiecti sunt legibus Cæsareis, vt *ex leg.* 2. *C. de patrib. qui filios suos distraxerunt*, est manifestum: ergo stando in solo iure naturæ fas erit illum emere pretio iusto, qui eo pretio extremè indiget: cum non sit de illius seruitute, quam de seruitute filiorum, maior ratio. Tertio, si quid obstaret, esset solum præceptum de eleemosyna, quo ita extremè, aut grauiter indigenti pretium, quo ab ea necessitate eruereatur gratis impertiri teneremur: cum ergo præceptum de eleemosyna solum obliget de charitate, & non de iustitia: sanè licet, qui ita paciſceretur cum illo extreme indigenti, lethaliter peccaret contra charitatem, nõ tamen contra iustitiam, quin potius iustũ, validumque contractum celebraret, quo sibi in seruum perpetuum illum compararet: quare, cum postquam seruitus illa iuste esset contracta, dominus mancipij non plus teneretur in eleemosynam eam illi donare (præsertim si non de superfluo status esset comparata) quam teneretur donare libertatem cuicunque alteri suo mancipio: efficitur sanè, vt saltẽ postquam seruitus ea ratione esset contracta, licitè illum in seruum perpetuum possideret. Quod si his adiũgas, charitatis lege bonum spirituale illius præponderare bono eiusdem corporali, ac libertati, inuenies (saltem quando ille infidelis esset, cui seruitus multum ad spiritualem saltẽ conferret, eo quod adduceretur ad Christianos, & baptizaretur, ratioque educationis, & morũm illius multo melior haberetur, quam si suæ libertati, relinqueretur) præceptum charitatis & eleemosynæ non postulare, vt gratis illi daretur pretium, sed potius in recompensationem pro perpetua seruitute. Nos autem potiſſimum intendimus, nostrum hoc & Nauarri assertum verum omnino esse, quando seruitus cõferet, vt, qui ita emitur, vna cum vita corporis salutem animæ consequatur; quod sæpe in Brasilica regione, & in Aethyopia euenit. Quamuis autem non negemus, habere etiam locum, quando seruitus ad spiritualem salutem eius, qui ita emeretur, non cõferret, vt rationes, quas confecimus, persuadere videntur: non dubitamus tamen, suadendum esse Christianis, vt quando, qui ita esset emendus, Christianus esset, gratis omnino pretium exhiberetur, vel commodatum, si ille simpliciter non esset pauper: id namque præsertim erga fidei domesticos, Christiana postulat charitas, neque vnquam audiuimus Christianum suam, aut suorum filiorum libertatem Christianis vendidisse, vt ab extrema, vel grauí necessitate erueretur: neque si quisquam esset, qui necessitate oppressus vellet se, aut suos filios vẽdere Christianum reperiret, qui eos emeret: sed merè gratis, vel mutuo illi subueniret. In confirmationem eorum omnium, quæ dicta sunt, accedit ratio illa non contemnenda Nauarri. Quod licet in seipsum magis sit, vt pretium gratis, & ex eleemosyna exhibeatur etiam quando is, qui à morte iniusta esset eruendus, infidelis esset, posito tamen hominum in hoc mundo statu, eorumq; auaritia, & fragilitate, pium magis est asserere, fas esse in eiusmodi euentibus emere illo pretio eorum libertatem, qui in hunc modum extrema laborant necessitate: eo quod, nisi hoc ita asseratur, rari admodum sint futuri, qui pretio merè gratis oblato, proximos suos à morte velint liberare. Quo fit, vt contraria opinio præbere facile possit occasionem, ne multi à temporali morte pariter & æterna eruantur. Nauarrus *loco citato* vult, eos, quorum seruitus modo explicato emeretur, gaudere priuilegio *legis secundæ. Cod. de patribus qui filios suos distraxerunt*, ita scilicet, vt quoties serui illi, vel aliquis alius, iustum pretium, vel mancipium illis æquale, offerret possessori, maneret liberi & ingenui, ducto argumento à paritate rationis: quoniam eadem videtur esse ratio de filio in extrema patris necessitate vendito, & de patre, aut homine liberis carente, qui ad eandem necessitatem euadendam seipsum vẽderet. Quamuis autem id placeat, quando tam emens, quam vendens, iuri Cæsareo esset subiectus: non tamen placet, quando iuri Cæsareo non esset subiectus: eo quod lex illa in fauorem solum libertatis subditorum illi iuri fuerit condita, vimque non habeat vbi homines Cæsareo iuri non reguntur.

Quartus titulus est natiuitatis conditio. Qui nãque nascitur ex matre ancilla, siue pater liber sit, siue non, siue nascatur ex matrimonio legitimo, siue ex copula fornicaria, est seruus: quia partus sequitur ventrem. Ita habetur *l. patrum C. de rei vendicatione* §. *penult. Institut. de iure personarum* §. *sed & si quis*, *Institut. de ingenuis cap. vnico de natis ex libero ventre*, estque communi vsu in Hispaniis comprobatum. Si tamen mater, vel quando concepit, vel tempore partus, vel intermedio tempore libera sit, proles nascitur libera: eo quod in fauorem libertatis partus sequatur ventrem, pro quocunque tempore liber fuerit, dum fœtus intra illum contineretur. Ita habetur §. *sed & si quis*, *institut. de ingenuis*, traduntque doctores communiter. Vbi tamen id in fauorem libertatis constitutum non esset, natura rei potius postulat, vt solum tempus partus spectetur, standumque esset iuri aut consuetudini eius loci. Si autem quoad alia esset alicubi aliud peculiare ius aut consuetudo, nempe vt proles sequeretur patrem, vel vt ad illius seruitutem necessarium esset vtrumque parentem esse seruum, vel aliud simile, standum esset illi iuri aut consuetudini, vt *ex cap. licet de coniugio seruorum* colligitur, & docet eo loco Panormitanus. Ius tamen Cæsareum, quo vtimur, maxime hac in parte rationi consentaneum est. Primò, quoniam de matre constat: de patre vero nihil potest esse certum. Secundò, quoniam mater periclitatur in partu; pater verò non item. Tertio, quoniam licet pater præcipue ad generationem cõcurrat: partus tamen quodammodo est magis fru-

32 *Quartus titulus naturalis conditio.*

ctus

ctus matris, plusque concurrit ad nutritionem & educationem filiorum, & plus impeditur à seruitio domini, tam dum grauida est, quàm dum proles educatur, quam pater.

SVMMARIVM.

1 *Hesperides Insulæ duodecim numero à Lusitanis repertæ, iisque iure occupationis cedunt.*
2 *Lusitanorum cum finitimis Africæ locis commercium, quibus mercibus & quomodo mancipiis inter se contrahunt.*
3 *Quibus modis mancipia dictis locis seruituti addicantur.*
4 *Leuissimum furtum, & numer. 13. capite aut seruitute perpetua ibi punitur.*
5 *Barbara punitio filiorum consanguineorum, aut familiæ, obdelictum patrisfamilias.*
6 *Lusitani non inquirunt, iusta vel iniusta mancipiorum seruitus sit, & quare.*
7 *S. Thom. Insula, quando à Lusitanis reperta.*
8 *De Manicongi regno.*
9 *Angole regnum.*
10 *Capti in bello Angolano seruos esse.*
11 *Quadrifaria hominum conditio.*
12 *Filiæ pro mancipiis, bobus rebusque similibus in vxores venduntur.*
14 *Quibus ex causis ac probationibus Sofala non solum nocentes sed totam quoque progeniem punit.*
15 *Sofala ciuitas.*
16 *In bello Sofali capti, mancipia esse.*
17 *An seruitutem subeant, qui ante vel post bellum vel tempore ipsobelli negociatione sola cum illis aut cum aliis nationibus à Lusitanis comparati sunt.*
18 *Ex quibus regnis iuste mancipia asportentur, & quid de Iaponensibus & Chinensibus iudicandum, numer. 20.*
19 *Mancipia ab infidelibus possessa, & in Lusitaniam adducta exiguo pretio vindicantur libertati.*

EX QVIBVS LOCIS MANCIPIA A Lusitanis asportentur. Et quæ eorum iure belli Lusitanorum iustè videantur in seruitutem redacta.

DISPVTATIO 34.

1 AD huius rei intelligentiam sciendum est, Lusitanos suis nauigationibus anno 1446. reperiisse insulas viridis promontorij, quod antiqui Arsinarium promontorium nuncuparunt. Sunt verò insulæ illæ numero duodecim, quas quondam Hesperides appellarunt. Earum præcipua Diui Iacobi dicitur, in qua sita est sedes Episcopalis Archiepiscopatui Olysiponensi suffraganea, & gubernator regis Lusitaniæ residet. Has insulas Lusitani vacuas inuenerũt, easque colere & habitare cœperũt. Quo fit, vt gentium iure Lusitanorũ dominio, tanquam primo occupãtium, legitimè accesserint. Inde cum Africæ finitimis locis commercium habere cœperunt: pacificè ad Aethyopes illos suas merces asportantes, indeque alias extrahentes. Loca illa Africæ (quæ à Ialophis, Mahometana secta iam infectis, incipiunt, complectuntur; & varia idololatrarũ dominia) Guineæ superior à nostris appellatur, & Lusitanè, Guinè de riba. Merces quas ex his locis Lusitani reportant, sunt, auri nonnihil, ambari, & algaliæ, quam nostri vocant, pro harum mercium qualitate, non parum, ceræ, bouinorum coriorum plurimum: mancipiorum verò ingens multitudo, quæ

Hesperides Insulæ.

2

A licet non tam vili pretio ab eis emantur, quam vili emuntur mancipia Guineæ inferioris, de quibus statim erit sermo, tantum tamen lucrum inde mercatores reportant, vt in Insula viridis promontorij quartam horum mancipiorum partem regi persoluant, ifve, qui reditus hos regis locatos habent, quos nostri Contratadores, do Cabo Verde appellant. Et insuper ex reliquis tribus partibus soluunt vigesimam partem. Ex iis autem mancipiis, quæ, facta hac tota diuisione, pertinent ad mercatorem, cum in Lusitaniam perueniunt, soluit mercator. In primis decimam partem eorum, quæ salua perueniunt. Atque hanc decimam vocant. Deinde ex remanentibus soluit sisam, hoc est, decimam partem.
B Nisi in suum ministerium aliqua asporter. Ex his enim quæ in ministerium asportantur, quamuis decima soluatur (nisi qui ea asportat, exemptus sit à tributis, vt sunt ecclesiastici) non tamen soluitur sisa. Conductores vero illorum reditum hoc gaudent priuilegio, vt ex singulis mancipiis quæ in Lusitaniam asportant, soluant solùm sisæ trecentos nummos æreos, quos res vocant. Vtrum vero decimam etiam soluant, non est mihi exploratum. Quando verò ex Insulis illis extrahuntur mancipia, non in Lusitaniam, sed ad alia loca, ex singulis, quæ ita extrahuntur, persoluuntur ibi decem aurei. Quando autem ex fluminibus & locis Africæ asportantur mancipia, non in Insulas, sed in Lusitaniam, soluitur in Lusitania quarta pars eorum, quæ salua perueniunt, & insuper vigesima pars remanentium.
C Atque ex reliquis soluitur sisa, exceptis iis, quæ in proprium famulatum asportantur.

Iam vero titulus, quo mãcipia hæc Lusitanorum seruituti subiiciuntur, non est ius aliquod belli, quod Lusitani cum illis gentibus habeant: sed sola emptio, pro mercibusve permutatio. Quare iuxta ea, quæ disputatione præcedente dicta sunt, vt legitimè à Lusitanis titulo emptionis aut permutationis possideant, necesse est, quando eis venduntur, aut permutantur, aliquo alio titulo legitimè redacta iam fuisse in seruitutem. Nisi fortè aliquod eorum à Lusitanis ematur, vt à morte suorum iusta, vel iniusta eruatur, iuxta ea, quæ disputatione præcedente dicta sunt. 3

Facta autem diligenti inquisitione, dicam paucis, quod de hac re comperire potui. Nostris temporibus eiusmodi mãcipia (nisi forte aliquod quam rarissimè) non asportantur à Lusitanis iocalibus, rubeo aliquo pileo, aut aliis munusculis, & partũ pretij donariis, vt nõnulli scripserunt. Quia potius audio in viridi promontorio examen fieri, an aliquid à nostris commissum sit contra infideles: tum quia id postulat debitum regimen: tum etiam, ne id infidelibus occasio sit nostros interficiendi, qui inter illos morantur, excludendique nostrorum cõmercium. Facile namque id efficerent, si aliquid tale præsentirent: tametsi non adeo callidi sint, ac nostri, nostrosque suspiciant. Sequentibus autem titulis dicuntur redacta in seruitutem, antequam nostris vendantur.
D

Inter illos rari sunt reges potentes, qui populos multos sibi habeãt subditos, sed diuisi sunt in multos veluti regulos, duces, aut similes dominos. Sũt autem à temporibus antiquis, etiam antequam nostri eo appellerent bella inter illos, quibusdam populis cum aliis dimicantibus, prædasque in se inuicem exercentibus, nulla, vt fertur, iuris ac iustitiæ habita ratione. Hac ratione à populis, qui sub vno sunt domino, capiuntur multi de populis, qui sub alio sunt Principe, rediguntque in seruitutem: & ex his venduntur multi Lusitanis. Ferturque, cum Lusitanorum nauigia ad locum aliquem, seu flumen eorum perueniunt, Aethyopes acui magis ad prædas in finitimis oppidis exercendas, vt habeant captiuos, quos in commutationem pro mercibus
E

vendant.

vendant. Commorantur præterea inter Aethyopes illos Lusitani aliqui, qui inter eos mercaturam exercent, quos & Tangosmaos appellant. Hi etiam, cum nauigia aliqua Lusitanorum ad locum aliquem appellunt, ingrediuntur cũ aliquibus ex ipsis Aethyopibus interiora earum regionum, secumque deferunt merces, quas in eorum nundinis, aut foro, vbi res inter illos venduntur, commutant pro mancipiis similiter captis, quæ vincta secum publice ad nauigia portant, venduntque mercatoribus nauigiorum. Fertur præterea, in huiusmodi locis ius dicti subditis sub arbore aliqua præside domino loci, senibusq; quibusdam ad plura suffragia sententiam ferentibus. atque hac ratione aliquos seruitutis perpetuæ, loco mortis naturalis, damnari, & interdum plecti morte naturali. Leuissimum vero furtum, etiam vnius gallinæ, aut rei leuioris, consueuerunt punire pœna capitis, aut perpetuæ seruituris. Dictumque mihi est, regulum quendam ex illis suum propriũ filium deprehensum in leui quodam furto, in pœnam iussisse, vt venderetur Lusitanis in seruum. Quæ causa est, vt inter illos quam rarissima sint furta. Tanta vero fertur esse inter eos barbaries, vt pro delicto patris interdum progenies tota, non solum filiorum, sed etiam fratrum, iubeatur interfici, aut in seruitutem redigi. Quod si Princeps alicui eorum succenser, facile illum interfici iubet, aut subiici seruituti, etiam cum familia.

Lusitani nihil omnino curant de titulo, quo ij, qui ipsis in commutatione pro mercibus venduntur, à suis, aut ab eorum aduersariis in seruitutem redacti sint: sed quotquot illis afferuntur, tot emunt, modo, pro pretij quantitate, illis placeant. Quin dicunt, nec si de titulo inquirere vellẽt, quicquam certi possent reperire: idque ægre patereatur Aethyopes, non secus ac inter nos ægre ferret venditor mercis alicuius, si ab emptore interrogaretur de titulo, quo eam comparauit. Denique quantum intelligere potui ex mercatoribus, qui eiusmodi mancipia in Aethyopia emunt, eaque inde huc asportant (cum quibus locutus sum, quique nihil eorum, quæ retuli, diffitentur) illi nihil aliud curant in hac negotiatione, quam suum lucrum & commodum; miranturque, si quis illis scrupulum velit iniicere, satisque præclarum cum Aethyopibus, quos ita emptos asportant, factum esse putant, cum hac ratione ad fidem adducantur, & præterea longe meliorem vitam, quoad corpus, inter nos ducant, quam inter suos nudi, vilique cibo nutriti. Interrogati huiusmodi mercatores, num interdum ab Aethyopibus vendantur in nauigia mancipia, de quibus vel præsumptio sit, vel constet, furto esse ablata à suis oppidanis? Respondent, id aliquando, tametsi non admodum frequenter, accidere. Interrogati rursus, quanam conscientia ea emant, cum sciant furto esse ablata, neque legitime in seruitutem redacta? Quidam respondit. Quoniam, nisi emantur, sunt continuo interficienda ab ijs ipsis, qui ea furati sunt, ne res detegatur, ipsique à suis ob delictum interficiantur. Alius dixit, multos non audere ea emere: quoniam si res detegatur, periclitabuntur ipsi mercatores: eo quod lex mercatorib. ab Aethyopibus sit imposita, vt priuatim nullum ita emant, nisi accedente simul sine aliquo Aethyope, qui & interpres sit, & videat, num furto sit ablatum. Itaque comperi hæc etiam emi. Quod si interdum non emantur, raro mercatores propter conscientiam id non efficere, sed vt pœnam, indignationemq; Aethiopum fugiant.

Inter Aethiopes Guineæ superioris, cum quibus Lusitanis est commercium, rari dicuntur esse, qui carnibus vescantur humanis. Fertur tamẽ superioribus annis ascendisse reginam quandam cum ingenti exercitu, multosque subiugasse, militumque pastum magna ex parte fuisse Aethyopes, quos debellabant, eaque ratione interficiebant, vt illorum carnibus vescerentur.

Qui à nobis hactenus sunt explicati, tituli sunt, & modi, quibus mercatores Lusitani eiusmodi mãcipia asportant. Et de negotiatione ipsa, & his titulis, neque in Episcopo viridis promontorij, neque in aliis sacerdotibus ibi commorantibus, neque etiam in hoc regno vllum video esse scrupulum: sed mercatores & Tangosmaos, quos vocant, absoluunt. Neque pœnitentes credo his de rebus confiteri, vllumve dubium mouere in confessionibus, neque confessarios quicquam interrogare. Quod si illis in locis, vel Episcopus, vel Regius gubernator Tangosmaos pœna aliqua interdum afficiunt, id solum est, quod intra annum ad confitendum & communicandum non accesserint, vel quod cum infideli aliqua concubuerint (quod eo in loco punitur) vel ob aliquem alium excessum; non vero quod negotiationi illi intenderint. Quid autem de his titulis, negotiatione que hac censendum sit, disputatione sequenti dicetur. Modo solum narramus factum.

Anno 1473. Lusitani progredientes suis nauigationibus repererunt sub linea æquinoctiali Insulam Diui Thomæ, similiter vacuam, quam colere & inhabitare, gentiumque iure tanquam primo occupantes legitime possidere cœperunt. In ea est hodie sedes alia Episcopalis, Archiepiscopatui Olyssiponensi similiter suffraganea. Inde Lusitani commercium suis nauigantibus cum finitimis Africæ regnis ac locis habere cœperunt. Atque hæc omnia loca Guineam inferiorem, Lusitane vero Guine de naxo appellãt. Est vero aliquid hoc loco de duobus præcipue illius commercij regnis dicendum. 7 *D. Thomæ Insula.*

Primum est Manicongi regnum, quod à multis annis fidem cum suo rege fuscepit, estque in spiritualibus episcopatui Insulæ Diui Thomæ subiectũ. Ex hoc regno, cum omnes Christiani sint, nullum asportatur mancipium neque propter delicta seruituti subiiciuntur, sed aliis pœnis à suo rege puniuntur. Tametsi audiam præteritis annis, in seditione quadam de contentione regni loco regis defuncti, multos in seruitutem fuisse redactos ab eo, qui extitit victor. Ex hoc tamen regno Lusitani, qui in eo habitant (quosque Pomberos ibi appellant, vt in Guinea superiori Tangosmaos) aliique Aethyopes, interiora alia infidelium loca ac dominia persuadentes, mercibus ex Lusitania asportatis, ingentem emunt mancipiorum copiam, quam vinctam, publice asportant, venduntque mercatoribus Lusitanis, qui eo cum nauibus & mercibus appellunt. 8 *Manicongi Regnum.*

Secundum regnum est Angolæ, vt nostri vocant, quod à nobis omnium, quæ in eo sunt commercio, est remotissimum. Dixi, vt nostri vocant: quoniam prouincia illa vastissima est, cuius incolæ, communi nomine Ambundi vocantur, & prouincia ipsa Ambundia: diuisaque est in multas alias prouincias, eo pacto quo Italia & Gallia in prouincias multas sunt diuisæ. Constat præterea multis quasi regibus, quos Sobas vocant, & partes prouinciæ, quibus singuli dominantur, Mirindas appellant. Quidam horum Sobarum, ab hinc circiter octoginta annis, adiutorio quorundam Lusitanorum qui ex Manicongi regno negotiationis causa ad eum deuenerant, bellum inferre cæpit finitimis Sobis, quos sibi subiecit ac tributarios fecit, relinquens illis dominia, quæ antea habebant: atque ita mirum in modum imperium suum dilatauit. Et quoniam Soba ille, Angola Inene, hoc est, magnus, dictus est, Lusitani prouinciam illam Angolæ regnum appellarunt, cuius caput est, ciuitas nomine Cabaça. 9 *Angolæ Regnum.*

Cum rege hoc bellum hac occasione est hodie Lusitanis. Ad hunc regem semel atque iterum, ipso postulante, asseueranteque velle se esse Christianum,

num, missi sunt sacerdotes ex Lusitania, & ex Insula D. Thomæ, & inter eos monachus quidam ordinis Diui Bernardi. Quia tamen commercium cum Lusitanis, eorumq; adiutorium ea via intendebat, non vero salutem animæ suæ, diffidens se fine sacerdotibus habiturum secum Lusitanos, nullus inde fructus subsecutus est, sed sacerdotum quidam in eius regno mortui fuerunt, alii vero in Lusitaniam sunt reuersi, calicesque & sacra alia ornamenta apud illum postea reperta sunt. Temporis progressu cum cerneret se Lusitanorum commercio destitui, legatos ad Ioannem tertium Lusitaniæ Regem misit, quibus sacerdotes efflagitabat, affirmans velle cum suis baptismum suscipere, offerensq; Regi ditissimas argenti fodinas, quas in suo regno habebat, atq; mancipiorum commercium.

Legatis illis à Lusitano rege benignè susceptis, perhumaniterque tractatis, tandem circa annum millesimum quingentesimum sexagesimum dimissi sunt, addita insuper Regis benignissimi legatione, cum qua missus est Paulus Diaz Nouais, & quatuor ex nostra societate, qui votis illius satisfacerét. Qui cum peruenissent, compererunt Angolam Inene defunctum, locoq; illius filium eius Dambi Angolam regnantem. Cùm verò in regia sua ciuitate alacriter eos suscepisset, ac benigne primo tractasset, cupiditate motus, occupare cœpit bona omnia legati ac cæterorum Lusitanorum, quæ, vt pro mancipiis in Lusitaniam remittendis commutarent, secum detulerant, dicens, velle se in mancipiis ea illis persoluere, quod & fecit; dolose tamen: quadam quippe simulatione illa ab eis postea abstulit, non tam mancipiorum cupiditate, quàm vt eorum in Lusitaniam regressum impediret. Denique omnes bonis suis spoliauit, ex quib. multi mortui ibi sunt, alii vero vacui ad nauigia deuenerunt: legatumque & duos illos ex nostris, inuitos atque fine vllo fructu, apud se retinuit, sperans ea ratione futurum, vt Lusitani in suo regno commercium haberent. Duo vero alii ex nostris, non longo tempore post-quàm eò appulerunt, aeris inclementia obierunt. Sicq; pauci ex Lusitanis, qui eò deuenerant, in Lusitaniam reuersi sunt. Cùm verò legatus duoque illi patres, & quidam alii ex Lusitanis, variis tétatis modis, Regeque etiam Lusitano id curante, obtinere suum egressum non possent; tandem ea ratione barbarum illum Regem persuaserunt, vt permitteret legatum & vnum ex nostris regredi, dicebát enim, eo pacto facilius quod sperabat & optabat, euenturum, ipsis coram Lusitano Rege causam totam, negotiumque illius alterius patris agentibus, qui apud illum tanquam obses remanebat. Post aliquot verò annos ille etiam pater, qui Franciscus Gouea vocabatur, iniuste detentus, ac diutino exilio afflictatus, mortuus est.

Paulus verò Diaz anno millesimo quingentesimo septuagesimoquarto expeditionem à Rege Sebastiano ad iniuriam, quam AEthyops ille Rex Lusitano regno intulerat, vindicandam obtinuit. Neque parum ad eam comparandum contulit fama, quæ tunc erat, & indies succreuit, esse in eo regno argenti fodinas non paucas. Vidi ego instructionem, quæ post longam discussionem data præfecto classis fuit ab iis, quibus in Lusitaniæ regno cura examinandi, quæ ad Regis conscientiam spectant, eamque exonerandi, commissa est, præscribentem, quonam pacto cum Rege illo se gerere deberet antequam bellum illud moueret, exigendo videlicet primum ab eo compensationem pro iniuria illata, &c. Quæ instructio, si, vt par erat, fuit exacte seruata, neque auaritia ducem ac milites obcæcante, vlla facta fuit illius trâsgressio, sane nihil erat, quod amplius ad iustum bellum posset desiderari. Missi etiam sunt in ea expeditione viri ex nostra societate, qui ducis ac militum confessiones ad hunc vsque diem audiunt, illisque concionantur, & qui multos AEthyopum ad fidem conuerterunt, sperantque vt regnum totum facile fidem suscipiat, si Lusitanorũ ditioni, vt cœpit, subdatur.

Ex relatione nostrorum, qui in ea expeditione profecti sunt, accepi. Cùm eo appulissent, gubernatorem fixisse sedem in ea maritima introitus regni parte, quæ Loanda dicitur, compertoque defunctum fuisse Dambi Angolam regnareque. Quilonge Angolam pronepotem Angolæ Inene, misisse ad illum ingens quoddam munus, quod significauit se à Rege Lusitano deferre auo illius Dambi Angolæ, vna cum responso eorum, quæ à Lusitano Rege postulabat. Atque hoc & aliis muneribus ac beneficiis cœpisse cum illo habere amicitiã & commercium, adiuuareque illum in bellis, quæ cum finitimis Sobis habebat; sicque amicitiam & commercium inter eos perseuerasse, plusquam per quatuor annos, nulla illi aut suis illata iniuria, quin potius præstitis multis beneficiis atque obsequiis. In fine vero huius temporis, cùm barbarus ille ingentem copiam mercium delatam sciret in Regiam suam ciuitatem, ex tredecim, aut quatuordecim nauigiis, quæ eo appulerant, esseque in ea triginta aut quadraginta Lusitanos, qui sua, aliorumque negotia agebant, cupiditate tantæ mercis timens ne forte superare simul non posset tot Lusitanos, finxit bella variis in locis, in quæ illos diuisit, præcepitque omnes eadem die interfici, quod & factum est, obtendens Lusitanos velle occupare illi regnum, sicque merce illa, atque aliis Lusitanorum bonis potitus est, cœpitque bellum gubernatori Lusitano inferre: qui, cum regionis interiora permissu Regis esset etiam ingressus, coactus est exurere alia bona, quæ secum habebat, seque recipere cum suis ad fluuium quendam, vnde illi bellum commodius posset inferre, adiungendo sibi Sobas finitimos, timore ne eos, ipsorumque bona perderet, illosque protegendo atque adiuuando aduersus Angolam, aliosque Sobas, atque dilatando eorum dominia, illosque omnes vasallos atque tributarios Lusitano Regi efficiendo. Quod & feliciter successit. Etenim non semel cum hoste illo, qui fere decies centena hominum millia aduersus illum congregauit, confluxit, eumq; superauit, obtinuitq; iam loca, in quibus fodinas argenti esse fertur. Ob commemoratas iniurias, aliasq; multas à barbaro illo Rege nostris illatas, non dubitatur bellum illud esse iustum, eosque ex hostibus, qui eo bello capiuntur, legitime in seruitutem redigi.

Quia vero complura alia mancipia, tum ex eo regno, tum ex finitimis locis regni Manicongi, & aliis asportantur, titulo emptionis, ac permutationis pro mercibus, atque aliqua donata à Sobis, vel in tributum ab eis soluta, operæpretium erit, quæ relatione accepimus partim ab aliis, & præcipuè à nostris, qui inibi commorantur, referamus, vt coniici melius possit, iustene eiusmodi mancipia possideantur. Et quoniam, paucis mutatis, eadem fortasse videtur esse ratio de mancipiis, quæ in Guineæa superiori, & in Cafreria (de quibus inferius erit sermo) à Lusitanis emuntur, de quibus non tantam habemus lucem, eo quòd nostri inter illos non commorentur.

In vnaquaq; Mirinda dicuntur esse quatuor hominum genera. Primum eorum, quos Mocotas vocãt; & sunt nobiles inter illos, ac proinde liberi. Secundum eorum, qui nati sunt ex hominibus naturalibus illius Mirindæ, quos filios Mirindæ vocant, suntque agricolæ, aut mechanici. Atque hi etiam liberi sunt. Tertium eorum, quos Quifico appellant. Atque hi sunt mancipia annexa Mirindæ, seu maioratui Mirindæ, quæ proinde cum sua tota sobole transeunt vna cum Mirinda in successorem. Eiusmodi Quifico adeo antiquum est inter illos, vt de o-

de origene illius nulla extet memoria, sed sola traditione inter eos sit conseruatum. Et cum inter illos nulla sit scriptura, quando hac de re interrogantur, respondere solent, sic vsu fuisse receptum à suis maioribus. Quartum est mancipiorum, quæ Mobicas vocant, & sunt, quæ Sobæ, & alii priuati sibi in mancipia acquirunt, de quibus proinde pro libito disponunt. Nec solum Lusitanis ea pro mercibus, sed multo magis ab antiquissimis temporibus ea commutant ac vendunt inter se. Deferrique inter illos consueuerunt ad nundinas, & ad publicum forum, atque ibi venduntur & permutantur, pretiumque esse solent multarum aliarum rerum.

12 Mos præterea est inter illos, vt qui filias habet, eas in vxores vendat pro mancipiis, bobus, & aliis similibus rebus: eo modo, quo Laban filias suas Iacob Patriarchæ in vxores vendidit. Qui inter illos plura mancipia habet, ditior solet reputari: eo quod illis ad agriculturam, & alia sua negotia ac ministeria vtantur, eisque emant sibi necessaria. Filii etiam, quos domini ex suis ancillis generant, mancipia inter illos sunt, à propriisque parentibus vendi consueuerunt, non secus ac si ab eis geniti non fuissent: id quod in causa esse solet vt Sobarum propinqui, mancipia etiam sint, atque Lusitanis & aliis sæpe vendantur.

13 Quartum hoc hominum genus frequentius cõsueuit redigi primo in seruitutem bellis, quæ Sobæ quam sæpissime inter se gerunt, nulla de iustitia belli ratione habita sed vnoquoq; conante subiicere sibi alterum, ac dilatare suum Imperium. Qui autem, vel in conflictu belli, vel excursionibus capiuntur ex aduersariis, misere subiiciuntur seruituti. De Sobis, qui Angolæ parent, significatum mihi est, esse frequentes lites & contentiones inter eos, quas Mochanos vocant, easq; ad Regem deferunt, Regem vero differre causæ definitionem, interim dum munera ei ab vtroq; offeruntur: quando vero munera cessant, quod vterque sibi iam exhaustus, respondere, vt armis rem definant, sicque illos bella inter se gerere.

14 Multi etiam ex primo & secundo hominum genere, quæ commemorata sunt, redigũtur à propriis ipsorum Sobis in seruitutem, ob delicta interdum grauia, interdum leuissima, quæ non ipsi, sed aliqui suorum propinquorum, ipsis insciis, commiserunt, & interdum ob sola indicia, aut suspicionem, vel veram, vel ab ipso Soba confictam.

In primis, si Soba vel leue indicium habet, aliquẽ machinari illi mortem, aut insurgere velle aduersus eum, vel adiuuare velle alterum aduersus se, vel aliud simile, interficit, aut in seruitutem redigit, omnibusque bonis suis spoliat, non solum eum, de quo talem habet suspicionẽ, sed etiam omnes propinquos illius, eosq; omnes, qui ad illum pertinent, dictisque Sobæ statur, absque alia, vel inquisitione, vel iudicij tela: quin potius, si quisquam subditorum detegit veritatem, quam Soba negat, eo ipso, in seruitutem redigitur, aut interficitur cum omnibus, qui ad ipsum pertinent, sufficitque inter illos testis vnus ad condemnandum aliquem de crimine, quod ei imponitur. Non potest autem non esse iniquum, nõ solum quemquam ob solam suspicionem ac indicia interficere, aut in seruitutem redigere, aut prixare omnibus bonis suis, sed etiã multo magis innocentes propinquos illius, aut ad eũ pertinentes, eadem pœna afficere, esto de delicto illius alterius plene constaret, iusteq; ille alter tanta pœna afficeretur. Fertur etiam solam Mirindam totam, aut maiorem illius partem posse conqueri, aut contendere iudicio cũm Soba. Quod si priuatus aliquis cum eo cõtendere velit aut de eo conqueri, ipsum, & omnes propinquos ipsius, atque omnes ad eum pertinentes, reputari incurrere crimen læsæ maiestatis, eaq; de causa interfici, aut seruituti subiici, at-

A que spoliari omnibus suis bonis. Hæc vero omnia, & alia his similia, probãt milites & mercatores Lusitani, qui inibi commorantur, propter lucrum. Sunt n. singulis ex his Sobis, qui Lusitano regi parent, præpositi singuli Lusitani, qui tanquam domini sunt illorum, & cum quibus Sobæ mancipia & bona eiusmodi diuidunt. Neque religiosi persuadere possunt contrarium, Lusitanis illis obtendentibus, morem illum eius patriæ non esse iniquum, sed necessariũ pro regionis qualitate. Significatum etiam mihi est, quando Soba aliquis condemnandus, puniendusq; est à gubernatore Lusitano pro aliquo crimine, id, pro more patriæ illius, fieri in exercitu, conuocatis Sobis omnibus cum suis: tunc; proponi causam aduersus reũ corã iudicibus ad id deputatis. Quod si, iuxta morem eius regionis, dignus comperiatur

B morte, & qui tanquam læsæ maiestatis reus plectatur, non solum interficitur ipse, sed continuo insiliunt alij in eos, qui illum fuerant comitati tanquam milites illius, esto nobiles, aut de filiis Mirindæ illius sint, & interficiunt multos ex eis, reliquos vero in seruitutem redigunt. Accurrunt etiam in domũ Sobæ illius, eamq; diripiunt, & omnes de familia illius in seruitutem redigunt, etiam vxores & filios, sicque plurimi innocentes misere in seruitutem rediguntur, repientur que Lusitani mancipiis & bonis innocentum, pro culpa vnius nocentis.

Inter multa alia exempla, quibus mihi significatum est, quam iniuste multi illis in locis in seruitutẽ redigantur, hæc referam. A quodã Soba dono missus est puer in præsentia cuiusdam ex nostris patribus. Interrogans autẽ pater ille, an vere esset mancipium, & qua ratione seruitutem incurrerit, comperit, quendam illius fratrem aspexisse vnam é mulieribus Sobæ illius, eaq; de causa, illum, propinquosq; omnes illius, spoliatos omnibus suis bonis, tanquã læsæ maiestatis reos, in seruitutem fuisse redactos, neque alia ratione nobilem illum puerum seruituti fuisse subiectum, quam ob leue illud delictum fratris sui, in quo ipse nullam habuit culpam. Tunc pater curauit, vt pristinæ suæ libertati restitueretur.

Solus Angolæ rex pauones habet, eosq; in magno numero. Legem tulit, vt si quis pennam aliquam ex illis extraheret, ipse & omnes propinqui eius bonis omnibus spoliati, interficerentur, aut seruituti subiicerẽtur. Aliam tulit, vt qui contingeret cucurbitas in palmis ipsius appensas, vt vinum ex palmis in eis stilletur, ipse, & propinqui omnes illius, spoliati omnibus bonis interficerentur, aut mancipia ipsius efficerentur, similesque alias leges habet, auaritiæ, crudelitatis, atq; iniustitiæ plenas, quibus ob leuia aliorum delicta, innocentes multos spoliat bonis suis, & vel interficit, vel mancipia sua iniuste efficit. Longum esset percensere exempla alia, quibus multi iniuste seruituti subiiciuntur.

Si defunctus aliquis debita aliqua reliquit, Soba in captiuos accipit filios omnes illius, esto debitum exiguum sit, longeque plus valeant filij. Tempore etiam pacis, homines vnius Mirindæ furripere solent eos, qui alterius sunt Mirindæ, eosque vendunt in mancipia. Fertur etiam in quodam fluuio, vbi loci dominus nostris est inimicus, negotiationem fieri solum de nocte, Aethyopibus nocturno tempore asportantibus ad nauigia captiuos, quos vendant. Quæ sane negotiatio valde est suspecta; quandoquidem facile Aethyopes de nocte adducẽt homines furto à suis, aut ab alienis oppidis ablatos. Etiam fertur, interdum dominos Mirindarum mittere aliquos ad aliqua loca, in quibus paratas habẽt insidias, vt capti ibi deferantur ac vendantur mercatoribus Lusitanis. Præterea fertur, si pater filio, aut alicui vxorum, leui etiam de causa, succenseat, id interdum sufficere, vt filium, aut vxorẽ vendat. Et nonnunquam, vt tintinnabulũ aliquod, aut speculum, vel rem aliam ex mercibus Lusitanorum,

quam cupit, possideat, filium aut filiã sine alia causa vendere. Denique fertur, in hac inferiori Guinæa multos vesci carnibus humanis, sæpeque accidere, vt in foro publico, dum mercatoribus mancipia emenda offeruntur, nisi mercator tantum in pretio ascendat pro aliquo mancipio, quantum lucri in foro ex carnibus illius solet acquiri, potius miserum mancipium interfici, quam vtuum vendi, tanta est hominũ feritas ac barbaries, Lusitani mercatores, siue sint qui nauigiis ad varia loca negotiationis causa appellunt, siue quos Pomberos vocant, atque interiora regionum mercimonii causa penetrant, siue alii incolæ regni Angolæ ac Manicongi, nihil omnino de titulis curant, aut inquirunt quibus vel in seruitutem rediguntur, quando ipsis venduntur, vel iam antea redacta sunt, sed promiscue omnia accipiunt, modo in pretio conueniant. Neque Episcopus insulæ Diui Thomæ, neque alii sacerdotes seculares, qui in eis locis commorantur, vllum eis scrupulum iniiciunt, vt de mancipiis Guineæ superioris dictum est. Ex regno autem Angolæ, & ex aliis locis Guineæ inferioris asportantur quotannis greges mancipiorum, non solum in hoc Lusitaniæ regnum, sed etiam in Brasilicam regionem, vbi ad saccarum colendum ac conficiẽdum necessaria sũt, & in varias alias noui orbis partes, tum ad varia alia ministeria, tum præcipue ad auri argentique fodinas. Et cum totidem, & eo plures, quotannis interficiantur, multique bello pereant, adeo homines in ea regione multiplicant, eo quod multas habeant vxores, & terra humida & calida sit, vt satis, superque in ea remaneant. Tametsi fama sit, multo plures fœminas in ea esse, quam mares, propterea quod multi bello quotannis pereant.

Mancipia Guineæ inferioris asportari primum debent in insulam D. Thomæ, nisi prius mercatores in ea conueniant, vt ex Angolæ regno in Brasilicam regionem deferantur: & tunc ex singulis mãcipiis soluuntur tria millia nummorum æris, quos res vocant. Ex iis, quæ ad insulam D. Thomæ asportantur, soluitur regi, aut conductoribus redituum regis, quarta pars, & insuper vigesima remanẽtium, nisi nauigiis regiis, aut conductorum redituum regis, accesserint ad negotiandum: nam tunc soluunt partem dimidiam eorum. Quando ex insula Diui Thomæ mancipia in Lusitaniam deferuntur, solum soluitur ex eis fisa, eo modo quo de mancipiis Guineæ superioris supra dictum est. Si vero conductores redituum regis ea asportant, soluunt ex singulis solum trecentos res.

15 *Sofalæ ciuitas.* Anno 1501. Lusitani vltra promontorium bonæ spei Sofalam nauigationibus suis deuenerunt. Postquam vero sedem ibi collocarunt, cum finitimis regnis commercium habere cœperunt. Præter aurum vero, mercesque alias, inde etiam mancipia robusta, proceræque magnitudinis, quæ Cafres appellant, in Indiam asportant, & inde in Indicis nauibus nonnulla in Lusitaniam. Hæc magna ex parte empta, in commutationemque pro aliis mercibus asportari solebant. Anno autem 1569. à rege Sebastiano missus est Franciscus Barreto nobilissimus strenuissimusque dux, qui paulo antea Orientalis Indiæ fuerat gubernator, multaque fortiter & feliciter gesserat, vt de Rege Monomotapæ, Sofalæ finitimo, iustam sumeret vindictam. Eo quod quorũdam Mahumetanorum inuidia ac suasu, patrem nostræ Societatis Condisaluum à Silueira Comitis Sortelhæ filium iniuste & in Christianam religionem ignominiose interfeciſſet. Cum enim hic pater, qui in India paulo antea fuerat prouincialis, de regis illius consensu verbum Dei in eo regno disseminasset, multaque hominum millia ad fidem conuertisset, Mahumetani quidam vanos, puerilesque timores regi iniecerunt, patrem videlicet illum

Monomotapa Regnum.

A venesicum esse, futurumq; nisi interficeretur, vt ipsius veneficiis & incantationibus Rex ipse regnum amitteret, eaque de causa, patre rem totam præsciente, morremque expectante, illum interfici iussit, & vna cum eo Ecclesias iam extructas dissipauit atque extinxit. Hanc itaque præcipue vlturus iniuriam, nec sine magna spe obtinendi locupletissimas aurifodinas, quæ in eo regno sunt, profectus est Franciscus Barreto (quem nonnulli ex nostris etiam comitabantur) simili fere instructione illi, de qua paulo antea locuti sumus, quam nos etiam vidimus. Licet autem aliquot annis bellum illi, eiusque successori cum eo rege fuerit, & cum quibusdam aliis, qui illi adhęserunt, quos prius necesse erat debellare, multaq; fortiter gesserint, tandem multis ex nostris veneno illorum hominum, bello, &
B languoribus paulatim vna cum Francisco Barreto consumptis, cessauit bellum illud magnaque pars militum, qui incolumes remanserunt, in Indiam profecta est.

16 De mancipiis, quæ iure illius belli capta sunt, idem est censendum, quod de mancipiis, quæ belli iure Lusitanorum in regno Angolæ capiuntur, paulo antea dictum est, nempe dubitandum non esse iusto titulo in seruitutem à nostris esse redacta. Fertur etiam nonnullos illorum regum quasdam alias iustas causas belli nostris postea dedisse, nostra inuadendo ac deprædando. Si qui autem alii illorum hominum iusto similiter bello, vel postea, vel ante bellum à Francisco Barreto illatum, capti à nostris sunt, idem etiam de his est censendum.

17 Quod vero ad ea mancipia attinet, quæ vel ante
C bellum, vel post bellum, vel tempore ipso belli, negotiatione sola cum illis, aut cum aliis nationibus, quæ in tota illa Africæ parte, quæ Cafraria nuncupatur, plurimæ sunt, à Lusitanis sunt comparata, idem fere dicendum censeo de titulis, quibus in seruitutem sunt redacta, & de modo negotiationis Lusitanorum, quod de mancipiis Guineæ superioris dictum est. Eodem enim modo sunt bella & latrocinia inter illos, quo inter Aethyopes Guineæ superioris. Fertur etiam tempore famis, aut dum aliquis inter suos ære alieno est grauatus, debitumque ab eo exigitur, adducere filios venditum, vt sic sub ueniat necessitati. Inter hos etiam Aethyopes dicuntur esse nationes, quæ carnibus vescantur humanis. Porro hi omnes Aethyopes mancipia vendunt, tum Lusitanis, tum etiam Mahumetanis, qui inter illos
D commorantur, illaque cum aliis mercibus ad alios Mahumetanos transmittunt, eisque ea in seruos vẽdunt. Hæc quod ad Africam attinet.

18 *Indiæ Asiaque mancipia.* Quod vero ad Asiam spectat, ex India asportant Lusitani varia mancipiorum genera pro nationum varietate, cum quibus vel bellum vel commercium habent. Illud summatim dicam. Si mancipia ex illis regnis sint, cum quibus Lusitanis iustum est bellũ, non esse quod vereamur affirmare, iuste esse in seruitutem redacta. Eiusmodi, inter alia sunt, quæ ex regno sunt Calecut. Semper enim à principio ingressus nostrorum in Indiam Rex ille fuit nobis infestissimus, semperque fuerunt Lusitanis cum eo
E bella. Audio tamen anno 1586. initam cum illo fuisse pacem. Eiusmodi etiam sunt quæ ex aurea Chersoneso à multis dicta, asportantur hoc est, ex Insula Samatrensi, & ex locis circa Malacham eidem insulæ vicinis. Totum namq; illud Aurea Chersonesus quondam dicebatur. Nam, quæ nunc insula Samatra dicitur, olim vt fertur, lingula quadam, seu Ithmo continenti iungebatur, quo maris irruptione dissecto, Insula ex peninsula relicta est. Nostri Samatrenses vocant Dachens, illos vero alios Malaios. His adde, qui Insulam Iauam incolunt, quos nostri Iaos appellant. Cum his enim omnibus iustum bellum fuit fere semper Lusitanis. Sunt autẽ hi omnes vultu & corporis magnitudine quasi medii inter

Indos

Indos & Aethiopes, qui Africam incolunt. Idem dicendum est de cęteris mancipiis eorum regnorum, cum quibus iustum bellum Lusitanis erat quo tempore in seruitutem sunt redacta: de quibus non potest certa præfigi regula. Dixi, Samatrẽsem insulam à multis Auream Chersonessum dici: quoniam alij rectius arbitrari videntur, insulam potius Ceilon esse Auream Chersonessum.

Asportantur vero multa alia mancipia ex prouinciis, cum quibus Lusitanis nullum est bellum, vt ex Cambaia, Pegu, Sina, Iappone, & ex nonnullis aliis. Et quamuis in Cambaiæ regno, & in aliquibus aliis Indiæ, dicantur esse frequentes fames hominesque tunc non solum filios, sed seipsos vilissimo pretio vendere, fertur tamen multos, etiam quando multa viget fames, aliorum furari filios, eosque non solum nostris, sed etiam infidelibus vendere. Licet autem non solum quodam Indiæ Concilio 19 prouinciali, sed etiam legibus regis Lusitaniæ cautum fuerit, ne ij infideles, qui Lusitanorum ditioni subsunt, eiusmodi mancipia possideant, eoq; ipso, quod ad nostrorum terras perueniunt, persoluto illis paruo quodã pretio, quod inibi, rerum circumstantiis expensis, prudenter constitutum est, diligenter ab eorum manibus vendicati, libertate donentur, eaq; occasione multi eorum facile fidem Christianam suscipiant: licet etiam Mahumetanis, qui in illis degunt regionibus, sub grauibus pœnis sit prohibitum, ne eiusmodi mancipia asportent, aut emãt, ea quod ea soleant obcæcare vt plurimum suæ peruersæ sectæ erroribus: nescio tamen, an de mancipiis eiusdem generis, quæ à Lusitanis emuntur & asportantur, diligens fiat examen, sintne legitime in seruitutem redacta nec ne, & an ipsi, dum ea ab infidelibus emunt, vllum examen efficiant, fuerintne legitime seruituti subiecta, subiicive tunc primum possint, quando ea ab infidelibus emunt.

20 *Iapponensia mancipia.* Porro quando inter Iapponenses principes intestina bella frequentissima sint, de eorum tamen bellorum iustitia merito dubitari potest. Eo quod nulla ab infidelibus illis iustitiæ ratio haberi videatur in bellis inferendis, sed qui potentior est, aut in maiorem spem victoriæ erigitur, alios vi & armis aggrediatur, ac sibi subiicere conetur: quo posito, is, qui iniusto bello appetitur, iusto sane bello se tuetur. Illud etiam præsumendũ ac credendum est, bella, quæ principes Iapponenses Christiani hodie cum aliquibus infidelibus habent iusta esse: quandoquidem patres ex nostra Societate apud illos concionantur, eorumq; confessiones audiunt, neque permitterent quicquam iniustum aduersus alios moliri. Haud tamen scio, an mercatores Lusitani dum Iapponẽses aliquos in seruos & ancillas emunt, examen efficere curent, bellone iusto sint capti, legitimeq; redacti sint in seruitutem, an non.

Sinensia mancipia. De Sinensibus mancipiis, quæ Lusitani emunt & asportant, est maius dubium, quonam titulo iuste aliquando sint redacta in seruitutem, atque adeo quonam iure iuste valeant possideri ab ijs, in quorum potestatem deuenerunt, esto legitimo pretio ea comparauerint. Etenim cõstat, Sinarum prouincias perpetua pace frui, quippe quibus nullum omnino sit bellum, nisi cum Tartaris, qui à nostrorũ commercio longissime distant. Constat præterea, eas prouincias abundantissimas esse, neq; vnquam inter ipsos esse famem, vt aliqui Sinarum necessitate oppressi, filios suos vendere legitime possint. Itẽ constat Sinarum iudices neminem suorum seruitutis perpetuæ damnare, nisi forte vt regi suo in aliquo ministerio ancillentur. Quo fit, vt nullus iustus titulus ex his, quos disp. 33. commemorauimus, sese offerat, quo in seruitutem redigi Sinæ huiusmodi potuerint. Nisi forte pirata aliquis Sinarum, vna cum suis, vel de Sinarum consensu, vel quod Lusitanis esset infensus, à Lusitanis sit captus. Quod ne- A que credo, neque tolleret scrupulum de fœminis Sinis, quæ à Lusitanis captiuæ asportantur.

Ne vero disputatione sequenti ad Sinas regrediamur, illud dicam. Si, vt fama est, origo seruitutis eorum Sinarum, qui à nostris possidentur, non alia fuit quam furtum, quo se inuicem Sinæ furantur, vt extraneis vendantur, nullus profecto eorum legitime possidetur, quantumcunq; magno aliquo pretio de manu furis fuerit emptus, aut de manu cuiuscunque alterius venditoris, *in cuius potestatem deuenerat.* Ratio est, quoniam rei furto ablatæ nunquam comparatur dominium, ad quemcunque, & quocunque pretio comparata deueniat: sed restituenda est suo domino statim, ac cõstat furto fuisse ablatam, nisi forte tanto tempore fuerit bona fide possessa, quantũ ad eam præscribendam est necessarium: quare, cum libertas nullo tempore præscribatur, vt *ex l. vlt. C. de longi temporis præscriptione, quæ pro libertate, & c. ex l. vsucaptionem. ff. de vsucapionibus, & ex l. 6. tit. 29. p. 3. legum Castellæ* est manifestum: nec si nostris legibus libertas præscriberetur: id locum haberet aduersus alienam Rempublicam, in qua illæ non vigent, & cuius sunt homines, de quibus disputamus; consequens profectò est, vt si homines furto à principio fuerint ablati, tam ipsi, quam progenies fœminarum, quæ à principio fuerint eo modo in seruitutem redactæ, liberi sint, nec iustè retineri possint captiui. Quin potius restituendum illis sit, quod *disputatione sequenti explicabitur.* restituẽdum esse ei, qui cum liber esset, captiuus fuit detentus, tam quando bona fide, quam quando mala fuit retentus: quod idem propter eandem rationem de quocunque alio sine legitimo titulo à principio in seruitutem redacto existimandum est. Postquam hæc scripseram, ea contuli cum patre quodam ex nostra societate, qui diu in regione Sinæ commoratus fuerat, interioraq; penetrârat, eaque probauit.



SVMMARIVM.

1 *Carolus quintus mancipia noui orbis libertate donauit ac in posterum seruitutem veruit.*

2 *Philippus 2. Granatensium rebellantium liberos seruitute exemit.*

3 *Quando mercatores mancipia in Lusitaniam iuste adducant aut in illa comparant.*

4 *Iuste emitur, qui ob sufficiens delictum authoritate publica in seruitutem est redactus.*

5 *An quis ex consanguinitate vel familia ob crimen delinquentis in seruitutem redigi possit, & nu. 7.*

6 *Quod delictum sufficiens sit ad damnandum seruitute.*

8 *Inquirere tenentur mercatores num mancipia ob alterius delictum sint damnata.*

9 *Quando licitum sit emere infideles qui se proscribunt: eorum item liberos cum grauis annona aut necessitas vrget.*

10 *Aes alienum an sufficiens causa distrahendi liberos.*

11 *Si subest rumor vel suspicio mancipia quædam iniuste vendi aut liberos extra causam famis grauisque necessitas distrahi, tenetur mercator de causa inquirere.*

12 *An iusta mancipiorum emptio sit pro re vili aut minimo pretio.*

13 *Si morali facta diligentia externis non constet, vtra duarum rerumpub: inter se bellum gerentium iustum bellum gerat, licet illis emere tum res mobiles quas milites bello cœperunt tum etiam captiuos, & quid iuris si postmodum iniusta belli causa ementibus innotescat.*

14 *Si milites durante bello mobilia ab hostibus capta recuperent an illa priorib. dominis restituere teneantur.*

15 *Quando constat duas respublicas vtrinque inter se iniuste pugnare an capta fiant capientium, liceatque exterius ea ab aliis emere.*

16 *Qui sine inquisitione d^na iustitia belli promiscue ab vtraque rerumpublicarum inter se bellantium bello capta emunt, præsertim mancipia, peccant mortaliter.*

17 *Bella inter Aethyopes rarissime iusta pr[illegible]muntur.*

18 *Iniustitia quæ in negociatione seruorum Aethyopia à Lusitanis committitur, quodque illa mederi conueniat.*

19 *Quod interim dum nationes infideles sunt, seruituti ob fidei beneficium, quod seruis communicatur, faciendum sit, quatenus iustitia & proximi charitas patiuntur.*

20 *Discrimen inter eum, qui verisimiliter credens aliquid esse suum, at non certus omnino, illud occulte accipit ab eo, qui bona fide id cœpit possidere, & inter eũ qui dubius, an quod sibi venditur aut donatur furtiuum sit, illud accipit.*

21 *Si mercatorem contingat mancipia emisse cum inuincibili ignorantia, quod non essent iusto titulo in seruitutem redacta, & postea dubitare incipiat, ad quid teneatur.*

DE MANCIPIIS ET COMMERCIO *Lusitano quid censendum.*

DISPVTATIO 35.

DE hac re nihil facilius ac certius dici potest, quam ea mancipia, quæ aliquo illorum titulorum qui *disp.* 33. explicati sunt, à principio in seruitutem sunt redacta, licite asportari & possideri: quæ vero non ita seruituti sunt subiecta, neque licite asportari, neque posse retineri, esto competenti alias pretio comparata sint, & esto bona fide ad hãc vsque diem quocunque longo tempore sint possessa, vt paulo ante ostensum est. Quia tamen morales sermones, quo vniuersaliores, eo minus vtiliores sunt, minusque veriores ad actiones in particulari exercendas, vt Arist. 2. *Ethicorum cap.* 7. prudenter docuit: & si quis ea expendat, quæ circa huius rei fidelem historiam (neque omnes, qui dici poterant, abusus continentem) disputatione præcedente dicta sunt, facile intelliget rem hanc, non solum scrupulis, sed & apertis animarum periculis in multis esse plenam, aliquid in particulari pro meo munere, atque ad meam exonerandam conscientiam, tametsi inuitus, dicere aggrediar. Non quod rem tantam solus definire audeam, neque quod tantum mihi tribuam, vt in ea meis dictis ac iudicio velim stetur: sed tum vt pro mea tenuitate Confessariis timoratisq; aliis, qui de hac re interrogant, consulam, præsertim cum nõ defuerint externi scriptores, qui negotiationem hanc lethalis culpæ intrepide damnent: tum etiam, si forte disputatione hac id assequi valeam, vt ij, quibus regni huius Lusitaniæ gubernatio est commissa, quiq; examinandi ea, quæ ad regis conscientiam attinent, eamque exonerandi curam habent, necnon qui regis confessiones audiunt (quos omnes & singulos vna cum Episcopis Viridis promontorij, & Insulæ Diui Thomæ, non dubito sub reatu lethalis culpæ teneri id efficere, si, vt minimum, res hæc vt dubia se illis offerat) regi suggerant, vt eam expendi ac iudicari per viros doctos ac timoratos, vt in conscientia tenetur, efficiat: qui, facta prius diligenti ac certa inquisitione de titulis ac modis, quibus re ipsa eiusmodi homines in captiuitatem rediguntur, captiuique asportantur, statuant, quid iuste, & quid iniuste fiat, quidq; facto opus sit, vt tam regis conscientia, quam negotiantium, mancipiaq; à negotiantibus ementium, tuta sit.

1 Carolus namq; Quintus, cum dubia oriri cœpissent circa mancipia noui orbis, rem examinari fecit, atq; vt suæ, suorumque conscientiæ consuleret, legem Christiano Imperatore dignam tulit, vt omnes libertate donarentur, nullusque deinceps seruituti subiiceretur. Philippus secũdus eius filius, Rex noster catholicissimus, cum oriri cœpissent dubia circa innocentes filios eorum, qui in regno Granatensi rebellarunt, iusténe mancipia fieri possent, legem quoque tulit, vt omnes libertate donarentur: cum tamen, vt *disp.* 33. ostendimus, ad id, nostro iudicio, minime teneretur: cur ergo, cum res, de qua agimus, statim in aliquibus vt dura, periculisque plena se offerat, neque desint scriptores, qui eam tamquam iniustam lethalis culpæ damnent, timoratosque multos hodie conscientia propria pungat: cur, inquam, rege id iubente, non examinabitur, resecabiturque, si quid compertum fuerit iniuste fieri, publicaque autoritate ac maturo iudicio approbabitur, quicquid iuste & licite sit? Ita enim fiet, vt rumores iniustitiæ, scandalumq; si quod est, cesset, & Rex suæ suorumque conscientiæ consulat, & neque confessarij, virique alij docti & timorati negotiatores sine causa conturbent; aut si quid dignum resecatione fuerit compertum, vt negotiatores, auaritia excæcati, deinceps in re perspicua aduersus confessarios, & viros doctos, non se protegant, obiicientes, negotiationem hanc in spirituale mancipiorum bonum cedere, neque vero ipsos esse primos, qui eam aggrediantur, neque regem, aut Episcopos illarum regionum tali negotiationi aduersari, aut vllum ipsis scrupulum iniicere. Quæ omnia, si res in se iniusta sit, nullius sane ponderis sunt ac momenti, vt à lethali culpa, onereque restituendi excusentur. Ego sane non dubito, si vel Philippo Regi Catholicissimo, vel quondã Emanueli, Ioanni 3. Sebastiano, & Henrico, Christianissimis, piissimis, minimeque auaris Lusitaniæ regibus, res hæc, vel semel, vt dubia fuisset proposita, ita vt in ea aliquod iniustitiæ periculum persensissent. quin statim eam examinari ac decerni iussissent: sed cũ hæc longo maris tractu à Lusitania peragantur, paulatimque cœperint, & posteriores principes nec discutere soleãt, nec forte expediat quæ tempore suorum antecessorum sunt introducta, quando circa illa nullum dubium sese offert, ad locaque illa, vbi hæc peraguntur, viri docti & timorati raro accedant, rarique sint inter nos, qui hæc curent, & ad ea attendant, rariores vero qui ea principibus suggerere, vel possint, vel audeant, mirandum non est, si res hæc ad principum aures, qui, vna cum suis, variis aliis rebus sunt intenti, nõdum peruenerit, neq; illi, vt par erat, ad hunc vsq; diem fuerit consultum.

Rem itaque aggredientes, non vt eam plene definiamus, sed vt lucem aliquam ad illius integram definitionem afferamus, conabimur certa ab incertis separare.

Sit ergo prima conclusio. Si mancipia sint ex eis locis, in quibus disputatione præcedente dictum est esse Lusitanis iustum bellum, eoque tempore inde sint asportata, quo tale fuit bellum, non est quod mercatores, qui illa inde asportant, vllam inquisitionem faciant, sintne iuste in seruitutem redacta, quando verisimilis aliqua præsumptio in contrariũ de aliquo, aut de aliquibus non se offert: & multo minus est quod inquisitionem faciant, qui in hoc regno à mercatoribus, aut ab aliquo alio, ea emunt, aut quouis alio titulo comparant. Idem est, quando cessauit bellũ, & nullus est rumor aut præsumptio, quod aliqui de illis locis iniuste sint in seruitutem redacti. Prima pars probatur, quoniam cum illis in locis bellum iustum sit Lusitanis, & præterea quilibet venditor præsumatur bonus, vendereq;, quod suum est, aut ius habere ad id vendendum, nisi verisimiles aliquæ coniecturæ in contrarium se offerant, meritoque se offerre debeant; sane in ea negotia-

3 1. *Conclusio.*

gotiatione præsumendum ac præsupponendum est mancipia omnia, quæ vendenda exponuntur, belli iure redacta esse in seruitutem, nisi de aliquo, aut de aliquibus in particulari se offerrent verisimiles coniecturæ, quod iniuste seruituti essent subiecta, Confirmatur, quoniam sicut in quacunq; alia negotiatione scrupulosa, superfluaq; esset inquisitio, an quod venditur, legitime vendatur, nisi legitima causa præsumendi, timendive contrarium se offerret; ita & in hac negotiatione superflua, scrupulosaque est inquisitio an mancipiū quod venditur, legitime in seruitutem fuerit redactum quando nullus in contrarium est rumor, nullaq; legitima causa dubitandi sese offert. Secunda pars, nempe quod multo minus teneantur inquisitionem facere, qui eiusmodi mancipia, in hoc regno emunt à mercatoribus, &c. notissima est. Tum quia pro illis pugnat eadem aut maior ratio. Tum etiam quia longius distant, nec, si vellent, vllam facere possent fructuosam diligētiam de singulis in particulari. Tum deniq; quoniam ad regem, ministrosq; regis spectat vigilare ac discutere, an mācipia, quæ in hoc regnū, ex locis præsertim sui commercij, asportantur, legitime seruituti fuerint subiecta. Tertia vero pars, nempe quod eadem sit ratio, quando cessauit bellum, & nullus est rumor, &c. probatur. Quoniam militant eædem rationes, præsumendumque est eiusmodi mancipia, vel esse de numero eorum, quæ bello sunt capta, vel ex fœminis in eo captis fuisse progenita, vel iusto alio titulo redacta esse in seruitutem. Ex hac conclusione constat, de Turcis, aut Mauris, deq; progenitis ex illis, qui venditioni exponuntur, nullam necessariam esse inquisitionem, an legitime redacti sint in seruitutem, quando de aliquo in particulari non se offert legitima aliqua dubitandi ratio, an liber sit: fuit namque semper legitimum bellum Christianis cum his nationibus.

4 a. *Conclusio.* Secunda conclusio, In vtraq; Guinæa, & in quocunq; alio loco, fas est emere eum, qui ob sufficiens ad id crimen publica autoritate pro loci regimine

5 in seruitutem est redactus. Ob crimen vero alicuius nefas est in seruitutem redigere vxorem, aut fratrem aliosue consanguineos, aut affines magis remotos, imo neque filios, tā qui sint sui iuris, quā qui in patria sunt potestate, nisi crimen adeo esset atrox & fœdum, vt in Reipublicæ bonum, atq; aliorum exemplum prudentis arbitrio iudicaretur puniendum etiam esse seruitute filiorum: potiusque puniendus esset in filiis, quia ex eo delicto traherent originem, quam in aliis, raroq; erit crimen patris, quod seruitute filiorum iuste possit puniri, atque adeo simpliciter est dicendum, illis in locis emi non posse filium qui ob solum delictum patris in seruitutem sit redactus.

6 *Quod delictum sufficiens ad damnandum seruitute.* Prima pars ex dictis *disput.* 33. est manifesta. Hanc autem possumus tradere regulam. Crimen, quod inter nos prudentis arbitrio iuste puniretur pœna deputationis alicuius ad perpetuo remigandum in triremibus, nec non crimen quod inter nos paulo leniori pœna esset dignum, iudicari debet sufficiens, vt iuste aliquis damnetur seruituti perpetuæ. Probatur, quoniam durior multo est pœna, miserandaque magis est seruitus remigantium in triremibus, quam sit seruitus communium seruorum. Adulterium itaq; vxoris alicuius Aethyopum, esto illi multas habeant vxores, esset satis, vt tam ipsa, quam adulter perpetuæ seruituti damnarentur. Item vis illata pudicitiæ cuiusq; fœminæ. Furtum item rei notabilis pro qualitate regionis, & alia crimina his similia. Furtum vero rei leuis, vt vnius gallinæ, ad id non esset satis, Nisi forte esset experientia inter illos, ea ratione homines à furtis contineri, & nisi minima furta ita seuere puniantur, furta augeri in detrimentum Reipublicæ. Quemad modū enim in exercitu nō damnamus, minima quæq; sub mortis pœna prohibita, capite plecti, aut seruitute in triremibus, quoniam id exigit militaris disciplina, & bonum commune exercitus: sic etiam quando bonū cōmune Reipublicę indigeret, vt minima quæq; furta seuere punirentur, licita esset ea pœna, præsertim si ante delictum commissum, notum omnibus fit, subeundam illi esse, qui illud commiserit. Vnde cum compertum experientia sit, Aethyopes inter nos furti vitio esse deditos, audiamusq; quam rarissima esse furta in locis vnde asportantur, cū tamen lōge minor sit rerum custodia inter illos, quam inter nos: vtique quemadmodum non facile asserendum est: iuste illis in locis homines ob leuia furta seruitute dānari, ita nec temere id est damnandum. Deniq; si ii, qui ob leuia furta seruitutis perpetuę inter illos dānantur, interficiēdi sunt à suis nisi à Lusitanis emantur, emi tunc licite possunt, quandoquidē ea ratione eruuntur à morte, quæ nō sine culpa, pro more regionis illius, sufficiente, foret infligēda.

7 Reliquum conclusionis ex eo est manifestum, quod lumen ipsum naturæ docet, nefas esse pro vnius delicto punire alterum omnino innocentem, præsertim tanta pœna, quanta est seruitutis perpetuæ; nisi forte filium, dum est sub patria potestate, propter coniunctionem maximam, quam habet cū patre, cuius est quasi pars, & in quo pater ipse delinquens punitur. Neq; tunc filius innocens est puniēdus, nisi quam rarissime, postulante id bono maximo Reipublicę. Neq; scimus, toto iure canonico & ciuili filium vnquam seruitutis esse damnatum, nisi solum illum, qui nascitur ex crimine vtriusq; parentis desistere nolētium à damnato, nullo, & scandaloso matrimonio initiati ordinibus sacris: neque tunc filius ille damnatur, vt alicui alteri seruiat, quā Ecclesiæ. Cum ergo fama sit, mercatoresq; ipsi fateantur, inter Aethyopes ob vnius crimen, etiā leuissimum, interdū seruituti addici filios, vxores, & fratres delinquentis: fane, dū mancipia mercatoribus venduntur, interrogare & inquirere tenentur num ob crimē alterius sint dānata, docereq; Aethyopes, neq; ius naturæ, neq; sanctissimam nostram legem id pati, neq; ipsos posse ea tuta cōscientia emere, aut possidere. Idemq; facere tenētur inquirēdo, nū pater leuiter offensus filiū aut vxorē vendat, aut sine aliqua iusta causa: quādoquidē fatentur sępe Aethyopes sine iusta causa proprios liberos, & vxores vēdere. aliqū sola cupiditate obtinēdi tinninabulum aut aliquas alias Lusitanorum merces. Neque est, quod mercatores, fuam excusantes anaritiam, obtendant, laturos ægre Aethyopes, si de titulis, quibus in seruitutem redacta sint mancipia, quæ ipsis vēdūtur, interrogent, modoq; prędicto illos admoneant, quæ liceāt, & quę non. Nullus namq; fert ægre, quod doceatur ius naturale, quod ipse ignorat de eoq; admoneatur: multoq; minus id præsumendū est de Athyopibus, qui Lusitanos suspiciūt; quin potius ędificabūtur, suspicientq; sanctissimā nostrā legem, ac religionē, quæ id prohibet, ad eamq; afficiētur. Quod si mercatores de titulis prædicto modo inquirere nō velint, cū confiteantur Aethyopes vendere quam plurimos prædicto modo iniuste in seruos, omnino à mercatura eiusmodi mancipiorum abstineant. Quando namq; suspicio est aliquos vendere non sua, abstinendum est omnino à negotiatione cum illis. Isq;, qui ab illis aliquid tale emit, non dicitur possessor bonæ fidei, quin potius, præter peccatum, quod ab illis emendo committit, tenetur postea facere debitam diligētiam, vt sciat, an res illa legitime fuerit vendita. Quod si nulla occurrat diligentia, quæ ad illud sciendū possit deinceps fieri ad hucq; perseueret dubium, an legitime fuerit vendita: tunc pro quantitate dubii, quod remanet, incūbit onus restituendi partem valoris rei emptæ. In reque proposita restitutiō faciēda est mancipio, cuius est libertas, de qua est dubiū, an legitime fuerit vendita.

9. 3. Conclus.

Tertia conclusio. In iis Indiæ locis, in quibus sæpe fames admodum grauiter premit homines infideles, & in quibuscumque aliis similibus locis, & euentibus, fas est accedere cum annona, aut pecunia, emereque filios infidelium, vel etiam parentes ipsos, qui se voluerint vendere in seruos. Nefas tamen est denegare illis annonam, si iustum offerant pretium, cogerequeillos, vt vendant libertatem: cũ tamen fas sit, si vnus libertatem offerat, & alius pretium, nec vtrique possit subueniri, præponere eum qui libertatem offert. Nefas etiam est emere ab infidelibus filios, quisub eorum sunt potestate, nisi in graui admodum eorum necessitate, cui aliter non possit commode subueniri. Quod si extra eam necessitatem quis eos emat, tenetur illis restituere libertatem, cuius nunquam comparauit dominium, & insuper pretium obsequiorum, commoditatum que omnium, quas ex illis reportauit. Parentes tamen ipsos poterit emere extra grauem eorum necessitatem, si illi sua sponte velint seipsos venderé. Filios etiam qui sub patria sunt potestate, si doli sint capaces, aptique ad celebrandum contractum, poterit extra grauem eorum & parentum necessitatem emere, de eorum simul ac parentum libera voluntate: modo tamen eo in loco non sit lex, quę cõtractum talium filiorum irritum faciat.

Prima pars huius conclusionis manifesta est ex iis, quæ *disputatione* 33. dicta sunt. In graui namque necessitate, & parentes seipsos, & filios, qui in ipsorum sunt potestate, licet vendere. Locutus sum de graui infidelium necessitate: quoniam cum seruitus sub Christianorum potestate in bonum ipsorũ spirituale cedat, charitas est libertatẽ eorum emere, vt ea occasione Christiani fiant. Quod si Christiani essent, lex charitatis postularet, non solum vt liberi relinquerentur, sed etiam vt mere gratis sæpe eis subueniretur, vt eadem disputatione dictum est.

Secunda pars, nempe nefas esse cogere illos, vt libertatem vendant, si iustum pro annona offerant pretium, fas tamen esse præponere eum, qui offeret libertatem, quando vtrique non posset subueniri: probatur. Quoniam tyrannidem quandam contra proximi charitatem aperte sonat, venditorem iusto pretio pro annona, qua proximus indiget non contentum, velle viteriùs extorquere libertatem. Quando autem vtrique non posset subueniri, cum seruitus, & in maius commodum venditoris annonæ cedat, & in salutem spiritualem infidelis, præponis optime posset, qui libertatem in pretium offerret.

10 Tertia pars, nempe nefas esse emere filios ab infidelibus nisi in graui eorum necessitate, ex eo est manifesta, quod extra illam, naturale ius talem potestatem parentibus deneget: neque positiuum ius eam contra filiorum bonum potest tribuere, licet eam possit arctare. Vt autem *disput.* 33. dicebamus, vbi ius Cæsareum non viget, matres etiam, patribus non reuentibus, vendere possunt filios, vt sæpe in India, fame grassante, vendere eos solent. A Es solum alienum non est sufficiens causa, vt pater filium vendere possit, vtà debito liberetur, nisi quando, iuxta morem patriæ, pater iuste vel iniuste seruituti, pro debito esset subiiciendus, aut grauissimo alio malo afficiendus: tunc enim, vt ab eo periculo, iuste vel iniuste imminente, se liberaret posset filium seruituti mancipare.

Quarta pars, videlicet, si quis extra grauem parentum necessitatem eos emat, teneri restituere illis libertatem, cum aliis quæ ibi subiiciuntur, ex eo est manifesta, quod contractus patris in eo euentu sit nullus, vtpote extra limites paternæ potestatis celebratus, ac proinde filij libertatem suam non amittant, cuius sunt domini. Eo autem ipso, quod quis hominc libero tanquam mancipio vtatur, tenetur restituere obsequia, & emolumenta, quæ ex illo percepit, quatenus ex illis factus est locupletior dumtaxat, si bona omnino fide, vere credens suum esse mancipium, eo vsus est: integre autem si mala fide eo est vsus, vt inferius dicemus.

Reliquum vero conclusionis, ex eo est manifestum, quod cum vnusquisque dominus sit suæ libertatis, libere potest eam vendere, etiam extra grauem necessitatem, imo & sine vlla necessitate, tametsi peccet eam prodigendo, vt *disput.* 33. dictum est. Quare si legibus loci, in quo contractus celebratur, irritus non sit; validus erit. Idemque est de contractu & consensu filij doli capacis, patris etiam accedente consensu: modo legibus eius loci maior aliqua authoritas necessaria non sit, vt contractus ille validus sit.

Tota hæc conclusio in aliquibus Indiæ locis quam sæpissime habet locum. Aduertendum vero est, quando rumor est, multos afferri ad vendendum, qui filij non sunt vendentium, sed sunt furto ablati; vel in euentu aliquo particulari indicia & coniecturæ occurrunt, quibus id merito est timendum, nefas esse emere eos, qui ita offeruntur, nisi prius fiat sufficiens examen, constetque moraliter ementi, illum iuste vendi. Quod si aliter ematur, tenetur emptor ad ea omnia, quæ in calce 2. conclusionis dicta sunt. Idemque est, si, quando non est fames: neque constat de graui patris aut matris necessitate, à patre aut matre filium quis emat. Atque in locis Indiæ confessarij hac de re examinare tenentur pœnitentes, quando occurrit aliquis, de quo, ex qualitate status, modique negotiationis, præsumptio est, illum mancipia ab infidelibus emisse.

Circa pretium etiam, quo eiusmodi mancipia emuntur, nec non ea, quæ ex Guinæa, præsertim inferiori, asportantur, est non leuis scrupulus. Emuntur namq; in aliquibus Indiæ locis de manu parentum, interdum pretio quatuor aut sex regalium argenti. Item in Guinæa vno speculo ex ijs, quibus pauperes fœminæ inter nos vtuntur, vel paulo pluribus mercibus, femicubito panni cærulei, viridis, aut rubei coloris. Aliis mercibus ex vitro, aut auricalcho confectis, quæ parui apud nos penduntur, similibusque aliis rebus quæ inter illos æstimantur, adeo vt interdum mancipium non pluris constet mercatori, quam nummo vno auri, aut etiã minori pretio. Hæc ita esse non diffitentur mercatores, testimonioque esse possunt tributa, quæ ex illis regi solui supra commemorauimus: et quod tam mercatores ipsi, quam illi alij, quos portugallenses aut Tangomaos appellant, qui vt plurimum emunt immediate mancipia ab Aethyopibus, & iterum vendunt mercatoribus, in hac negotiatione multum lucrantur: præterea, quod sumptus faciant, in annona mancipiorum dum ea asportant, & quousque ea in hoc regno vendunt, & quod multa eorum, antequam vel ad hoc regnum perueniant, vel vendantur, moriantur: hæc autem omnia esse non possunt, nisi vilissimo pretio vendantur in AEthyopia Præterea, cum loca illa calidissima, molesta, minimeque salubria sint, ad ea nequaquam mercatores, nisi spe ingentis lucri accederent.

Ego negotiationẽ hanc in Guinea ex hoc capite damnare non auderem, neque legi hactenus, qui eam damnet, aut in dubium ex hoc capite eam reuocet. Ratio est, quoniam res illæ, licet inter nos vilipendantur, apud illos tamen obpenuriam & raritatem plurimi æstimantur, tametsi ad id conferat rudis, agrestisque ipsorum natura. Præterea transportatio earum tam longo maris tractu, tanta molestia & periculis, earum pretium multum in illis locis merito auget, posito quod AEthyopes illis rebus delectentur, ac proinde eas velint emere. Item abundantia mancipiorum, quæ illis in locis vẽdenda exponuntur, vilius multo efficit illorum pretiũ,

quam

quam si pauciora venderentur Item sumptus faciendi in mancipiis asportandis molestia, & periculum in eisdem asserendis, tum ne mancipia ipsa, tum etiam ne mercatores ipsi pereant, merito mercatorũ comparatione, vilius multo facit pretium illorũ quam si hæc omnia non interueniant. Neque hac in re attendi debet valor hominis, qua homo est, neque item quatenus Christi sanguine est redemptus, vt quidam de negotiatione hac admirans, eamque hac sola ratione suspectam habens, obiciebat: sed commoditas, quæ à mercatore ex mancipio asportando percipitur.

Quare dummodo iuxta valorẽ, æstimationemve, tam mancipiorum, quam mercium in eo loco, commutatio fiat, non iudico ex hoc capite negotiationem hanc esse damnandam, interim dum aliud non mihi elucet: præsertim cum tam longo tẽpore, nemine scrupulum injiciente, sit introducta, nec vlla in contrarium vrgens ratio sese offerat. His omnibus accedit. Aethyopes ipsos inter se mancipia vendere pro rebus vilissimis illius regionis, quę tamen ab eis æstimantur, vt pro pilis Elephantorũ, quæ collo ornatus causa appendant, pro dentibus pantherarum, quæ similiter collo appendant, & pro aliis similibus rebus.

De illis aliis, quę in India vili illo pretio venduntur, si id esset, quia annona, quæ à mercatore asportatur, & quam pro mancipio cõmutat, licet in loco vnde asportatur mercatori solum quatuor, sexve regalibus argenteis constaret, nihilominus maris longo tractu delata propter illius penuriam in loco, in quo *mancipium venditur*, multo valeret, nõ adeo esset mirandum. Veruntamen audio mancipia eiusmodi vendi in commutationem pro ipsis nummis *argenteis modici illius valoris* relati.

Vt ergo, qui tam longe ab illis locis distamus aliquid de hac re, iuxta ea quæ ad aures nostras pervenerunt, dicamus, sciendum est. In regno Cambaiæ, in quo inter alia regna hęc mancipia emi consueuerunt, solere pueros vendi à parentibus fame non multum premente, cum non sint multi, qui necessitate compulsi filios suos vendant, sex, octo, aut decem pardaos, vt vocant (deest huic nummo ad valorem eius aurei nummi, quem Lusitane cruzado, Hispane vero ducado appellamus, quarta pars) delati vero huiusmodi pueri ad ea Indiæ loca, quæ ditionis regis Lusitaniæ sunt, vendi consueuerunt aliis Lusitanis, quindecim, viginti, vigintiquinque, triginta, quadraginta, & interdum quinquaginta huiusmodi nummis, quos pardaos vocant, pro qualitate puerorum. Quando vero multa viget fames in regno Cambaiæ, multique sunt, qui necessitate pressi filios suos vendant, pretium admodum minuere consuenerunt, ne & ipsi, & filii pariter pereant: & tunc interdum eos vendunt vilissimo illo pretio, non solum Lusitanis, sed etiam Mahumetanis, aliisque infidelibus, in spirituale detrimentum puerorum,

His positis, dico in primis. Quando commune *pueorum pretium non est illud vtile*, sed aliud lõge maius, nec est aliqua peculiaris ratio quare puer aliquis, minori pretio, quam alii, ematur (vt esset si vita illius periclitaretur multum, aut essent faciendi magni sumptus in illo curando & nutriendo, periretque, si in parentum potestate reliqueretur, &c.) vtique si puer vili illo pretio ematur, emptionem esse iniustam, emptorem q; in conscientia teneri, puerum libertate donare: non plura obsequia ab eo exigendo, neq; longiori tempore, quam pro quantitate pretij, quo illum comparauit. Neq; inscitiam venditoris, neque illius necessitatem excusare emptorem, quin & peccauerit puerum emẽdo vili illo pretio, & teneatur modo explicato restituere illi libertatem, quando communis necessitas, abundantiaque venditorum non effecit, vt illud esset commune pretium puerorum tunc in illa regione. Imo dico, quando aliunde non constaret vẽditorem parentem esse pueri, præsumendum ex tã vili pretio esse, puerum furtiuum esse. Ea autem præsumptio, si emptionis tempore adfuit, ita vt emptor à principio non fuerit bonæ fidei possessor, non solum emptorem obligaret, vt moralem efficeret diligentiam ad sciendum, an puer esset furtiuus, sed etiam, si nihil certi pro vtraq; parte comperiret, vt pro quantitate dubij, an puer furtiuus esset, minueret de tempore, quo alioquin puer pro pretio seruire tenebatur.

Illud deinde addo, nempe, si spectata communi hominum necessitate, & multitudine eorum, qui filios suos vendendos exponebant, illud erat commune tunc pretium puerorum in ea regione, quam vis de iustitiæ rigore non auderem cogere emptores, vt pueros vili illo pretio comparatos libertate donarent, contenti vt ad tempus solum seruirent, maius, vel minus, pro quantitate pretij: nihilominus *proximi charitate, præsertim quæ in Christianis esse debet*, maxime ad fidei domesticos, postulante, vt pueri illi postquam baptismo fuerint abluti, non possideantur vt serui perpetui, atque adeo vt non vendantur aliis vt mancipia, sed vel ad tempus aliquod, vel ad vitam solum eos ementium, eis vtantur tanquam famulis prout fuerit pretium, quod pro illis dederunt, attentisque aliis circumstantiis concurrentibus: atque ita audio viros religiosos, & timoratos consulere, quin & præcipere in India, quandoquid simile in confessionibus, aut extra cõfessiones comperiunt. Prior pars ex eo probatur, quod illud sit tunc commune & iustum pretium mercis illius in ea regione, attentis circumstantiis *concurrentibus*. Secunda vero pars *alia non indiget* probatione: nihilominus non auderem, postquam de iustitiæ rigore dominium vili illo pretio est comparatum, ad id præceptũ cogere, renuentique absolutionem denegare, aut ei, qui puerum ita emptum alteri longe maiori pretio vendidisset, injungere restitutionem: sed solum illi suaderem, vt si cum domino mancipij efficere commode posset, vt, accepta pretij parte, post certum tempus illud manumitteret, id efficeret.

13 *Dubium.*

Enimuero antequam quartam conclusionem subiiciamus, duo sunt nobis dubia examinanda. Primum est, an quando facta morali diligentia (si quæ fieri possit) externis non constat, vtra duarum Rerumpublicarum *inter se bellum* gerentium, iustum bellum administret, sed res anceps est, vnde merito externis est præsumendum, vtramq; si non materialiter, cum id fieri nequeat, certe formaliter aduersus alteram gerere iustum bellum, quia Christianorum Respublicæ sunt, credendumque est, vtramque partem belli causam accurate expendisse, & ex doctorum virorum consilio bellum gerere, cum res morales sæpenumero dubiæ sint, plurimæque dentur opiniones pro vtraque parte verisimiles, an, inquam, tunc fas sit externis hominibus, eamere ab vnaquaque illarum Rerumpublicarum, tum res alias mobiles, quas milites bello ceperint, tum etiam captiuos. Demus enim, disputationis gratia, Christianos, à Christianis captos, posse in seruitutem redigi. Ad quam dubitationẽ, saluo meliori judicio, respondendum est. Licite quidem illiusmodi res emi & retineri posse, modo, qui emit, paratus sit eo ipso, quod de belli iniustitia illius Reipublicæ, à qua illas res emit, ipsi fuerit exploratum, talia mancipia libera relinquere, illisque persoluere seruitia & commoda, quæ ex eis perceperit, quatenus inde factus fuerit locupletior, si venditor eisdem mancipiis non plene satisfecerit: & simili ratione, modo paratus sit reddere res alias, aut si illa non supersint, reddere si quid ex illis factus sit locupletior: & insuper, modo animum habeat, vt quoties

Responsio.

occasio

occasio & spes se obtulerit sciendi, an bellum ex parte talis Reipublicæ fuerit iniustum, id inquirere studeat.

Couaruuias *Regula peccatum parte 2. §. 11. à nu. 6.* arbitratur iure Cæsareo vtramque Rempublicam ita bellantium comparare dominium rerum, quas
14 milites bello capiunt: eaque de causa iure Cæsareo constitutum esse, vt si nostri milites, etiam durante eodem numero bello, eademque belli causa quippiam mobile recuperent ab hostibus, fiat militum capientium, nec teneantur illud restituere prioribus dominis, à quibus hostes illud acceperant. Exceptis tamen quibusdam rebus, quibus ius Cæsareum priuilegium postliminij concessit, hoc est, quod eo ipso, quod ad nostros limites regrederentur, redirent ad statum, in quo erant, antequam ad manus hostium deuenirent, atque adeo earum dominium ad eos pertineret, quorum erant, antequam ab hostibus caperentur. Ait namque Couar. licet quemadmodum cum fur aliquid furto accipit, nec ipse comparat dominium illius, neque antiquus dominus illud amittit, eaque de causa ad quemcunq; res illa quocunq; titulo perueniat, restituenda est antiquo domino: sic etiam quando de iniustitia belli ex parte illius Reipublicæ constat, quicquid eius milites ex contraria Republica capiant, illius non comparent dominium, sed apud eos maneat, quorum erant ea bona, atque ita, si illa bello recuperentur, non fiant recuperantium, sed restituenda sint prioribus dominis: nihilominus quando vtraque Respublica arbitratur se iustum gerere bellum, id locum non habere, sed semper quicquid bello capitur, fieri capientis. Atque hac ratione ait, Romanos prudenter arbitrantes, sicut ipsi bella dumtaxat iusta inferre intendebant, sic quoque bellum posse esse iustum ex parte aduersariorum, ius illud constituisse, nempe, quod bello capta fierent capientium, exceptis nonnullis rebus, quibus iustis aliquibus de causis priuilegium postliminij conceserunt. Sane iura multa Cæsarea, quæ in materia de bello referemus, id aperte sonant. quare ius Cæsareum nostram sententiam confirmare videtur. Quia tamen re ipsa, quemadmodum fieri nequit, vt bellum sit materialiter iustum ex vtraque parte: ita etiam fieri nequit, vt ex traque parte dominium comparetur earum rerum, quæ eo bello capiuntur sed solum ex parte eorum, quorum est iustitia: ex parte vero aliorum, licet inuincibiliter ignorent se iniustum bellum gerere, nulla ratione possint re ipsa dominium comparare, sed solum ex eorũ præsumptione & existimatione, neque omnino est Rempublicam aliquam tale bellum mouere, vt præsumere debeat, aut tuta conscientia possit, aduersarios perinde comparare dominium rerum, quas eo bello capiunt, ac comparent homines, qui de ipsa sunt: sane non arbitror iura illa in foro conscientiæ vllam vim habere, imo neque in exteriori foro inter Christianos, vt in materia de bello dicemus: quo fit, vt iura illa, meo iudicio nihil efficiant ad nostram sententiam comprobandam, sed aliunde ostendenda sit.

Ratio, quæ eam mihi persuadet, hæc est. Quoniam vtraque quæque illarum Rerumpublicarum, siue simul materialiter habeat iustum bellum, siue non, interim dum sibi persuadet bellum ex parte sua esse iustum, licite potest retinere bona ita capta, possidere que illa, vt sua, quin etiam subditi cuiusque illarum Rerumpublicarum, interim dum princeps bellum illud gerit, esto merito de iustitia belli dubirent, dummodo tamen de iniustitia eis non constet, non solum licite pugnant, sed etiam, iussi à principe, tenentur pugnare, licite que retinent quæ tali bello comparant, vt in materia de bello ostendemus: ergo dum illi eiusmodi res licite, vt suas, possident, fas erit vnicuique illud idem ius ab eis emere, resque cum eodem onere, vt scilicet cum primum de iniustitia belli constiterit, eas restituant simili modo possidere. Confirmatur, quoniam id in nullum damnum, quin potius in non mediocre hominum contrariæ Reipublicæ commodum cedit: quandoquidem ea ratione multiplicantur homines. qui eo ipso, quod de belli iniustitia innotuerit, tenentur singuli integre res illas eis restituere quique oblata spe & occasione agnoscendi iniustitiam belli, eam tenentur inuestigare, vt res ablatas dominis restituant.

Secundum dubium est. An quando externis constat, duas aliquas Respublicas in hoc sensu iniquepugnare, quod neque de iustitia, aut iniustitia belli quicquam curant, sed vtraque conatur, siue iure siue iniuria: alteram spoliare, sibique subiicere, qua de causa paciſci cum hostibus recusant, sed perseuerare in bello volunt, seseq; mutuo iniuriis afficere, qualia verendum est, ne sint multa infidelium, barbarorum præsertim, bella, vtrum, inquam, capta tunc vtrinque efficiantur capientium: atque adeo homines vtrinque eo bello capti serui capientium fiant, possintque ab externis tuta conscientia emi in seruos perpetuos. *25 Dubium.*

Ad hoc dubium, saluo meliori iudicio, dicẽdum arbitror, quamuis durum videatur admittere, bello ita iniusto capta fieri capientium: nihilominus quando id ita de vtraque Republica constaret, non esse improbabile fieri capientium, posseque externos illa emere: saltem post emptionem non auderem præcipere ementibus, vt illa restituerent: sicut neque ante emptionem genus illud mercaturæ cõsulerem. Ducor autem ad hoc probabiliter existimandum. In primis, quoniam licet Respublicæ illæ lethaliter peccent ita præliando, quintumque decalogi præceptum transgrediantur, quoties aliquem interficiunt, nefasque sit cuiquam externorum partem alteram adiuuare, imo peruersus sit cõtractus, aut quasi contractus, quo tacito vel expresso consensu mutuo volunt, vt capta vtrinque sint capientium, & vt quæ Respublica præualuerit, alteram sibi subiiciat: non secus ac peruersus contractus est, quo aliquis cum aliqua de pretio paciscitur, vt copiam sui corporis contra sextum decalogi præceptum efficiat, aut quo aliquis cum aliquo paciscitur, vt alium iniuste interficiat nihilominus contractus est æqualis vtrinque: eaque ratione, quemadmodum in pacto de fornicatione, aut de altero iniuste interficiendo, paciscentes tenentur re integra desistere à contractu, si tamen vel fœmina copiam sui effecit, vel ille alius alterum inique interfecit, de iustitia debetur illis pretium quod reuera suum efficiunt, dum in illius possessionem mittuntur: sic etiam, licet eo modo iniquo bellantes, teneantur semper à bello desistere: quæ tamen capiunt sua efficiunt, ex iniquo illo, attamẽ æquali, tacito vel expresso contractu. Quin, si vna illarum Rerumpublicarum, ita inique bellantium, alteram pene deuictam haberet, deuicta vero pacem peteret, sane licet ea quæ vinceret, in eo sensu teneretur à bello desistere, quod nullum posset iuste interficere, iuste tamen spoliare & subiicere sibi posset aduersarios: eo quod aduersarii idẽ erga ipsam in eo euentu similiter feciſſent: & post factum iuste, vt illius taciti & æqualis contractus, id quod acciperet, possideret. Ducor deinde, non solum, quia, vt dictum est, æqualis est vtriusque Reipublicæ conditio, sed quoniam cum vtrinq; & fiant, & facta sint damna ac iniuriæ, & neutra pars parata sit ad restituenda damna alteri, sanè vnusquisq; ex tacito vel expresso consensu suæ Reipublicæ, retinere sibi poterit capta ab hostibus eo bello in recompensationem damnorum, quæ hostes suæ Reipublicæ intulerũt, paratique sunt deinceps inferre. Durum namque profecto esset, præcipere vnicuique ita bellantium *Responsio.*

restiti-

restituere hostibus, quę ab eis accepit, & damna, quæ intulit, cum hostium Respublica neque velit, neque parata sit restituere vicissim, quæ accepit, & damna, quæ intulit. Quod si eiusmodi homines licite sibi retinere possint, quæ bello ita iniquo acceperunt, sane vnusquisque externus licite emere ab eis poterit ius illud, quod in res eiusmodi comparant, easque similimodo possidere. Forte non deerit, qui ex hoc capite sedare velit conscientias emētium mancipia ab infidelibus in vtraque Guinæa, & in Cafreria, eaque in hoc regnum, & ad alia loca asportantium, negotiationemque hanc iustam ac licitam proferre audeat.

16 4. Conclus. Sit nihilominus 4. conclusio. Mihi longe verisimilius est, negotiationem hanc ementium eiusmodi mancipia ab infidelibus illis in locis, eaque inde asportantium, iniustam, iniquamque esse, omnesque qui illam exercent, lethaliter peccare, esseq; in statu damnationis æternę, nisi quē inuincibilis ignorantia excuset, in qua neminem eorum esse affirmare auderem. Regem præterea, & omnes, qui regni clauum in manu tenent, nec non Episcopos promontorij viridis, & Insulæ Diui Thomæ, & qui horum omnium cōfessiones audiunt, singulos in suo gradu & ordine, teneri curare, vt res hæc examinetur, & statuatur quid liceat, & quid non liceat, & vt iniustitię in posterum efficaciter relecentur: nisi eis aliquid, quod me lateat, in facto ipso innotescat, aut principia alia eis eluceant, quæ ego ignorem. Ducor, quoniam lethale est peccatum, non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, cum onere restituendi, emere ea, de quibus verisimilis est præsumptio, aut esse merito debet (quamuis ea ignarus obcæcante de ea non curetur) titulo iniusto esse comparata, nec esse vendentium: vt siquis ea emat, de quibus verisimiliter debet præsumere ea esse furto comparata, sane, si sine præuio examine, quo certo comperiatur non esse furto comparata, illa quis emat, vt sibi omnino retineat, lethaliter peccat, neque est à principio bonæ fidei possessor, sed tenetur postea facere debitam diligentiam, vt comperiat, an res empta aliena sit, eoque comperto, tenetur integre eam restituere, quod si nihil certi comperire valeat, pro quantitate dubii remanentis, an aliena sit, tenetur partem valoris illius, maiorem vel minorem pro quantitate dubij, restituere: cum ergo ex his, quæ hac & præcedente disputatione dicta sunt, & ex iis, quæ iam nunc expendemus, merito quicunq; ille in locis eiusmodi mancipia ab infidelibus emit, debeat sibi persuadere, vt plurimum sine iusto titulo in seruitutem esse redacta: efficitur vt emendo illa, sine vlla inquisitione de titulo, quo seruituti sint subiecta, & sine iusta causa depellendi præsumptionem, quæ est, aut esse debet in contrarium, lethaliter peccet, neque incipiat bona fide possidere, sed teneatur, quoties se occasio obtulerit, veritatem inquirere, quod si non se offerat, vt regulariter se non offeret, teneatur restituere mancipio (in cuius libertatis detrimentum emptio facta est) pro quantitate dubii, aut præsumptionis remanentis: non quidem partem valoris mancipij, sed partem eius, quod sua mancipii scilicet intererat, liberum esse, quod sane longe plus est quam commodum, quod alij ex ipsius seruitute reportant, atque adeo quam valor mancipii aliorum comparatione. Dixi, sed partem eius, quod sua, mancipij scilicet intererat, liberum esse: quoniam illud est damnum, quod mancipio intulit, quodque illi est restituendum, & non valor illius præcise, vt aliis seruiat.

Solum restat, vt probemus minorem totius huius progressus, nempe vnumquemque ementium illis in locis mancipia de manu infidelium sibi persuadere debere, vt plurimum, titulo iniusto esse redacta in seruitutem, expendendo nonnulla. Atque A vt altius principium petamus, illud in primis pono. Communem esse doctorum conclusionem, quam in materia de bello ostendemus, nefas esse externis quamcunque duarum Rerumpublicarum, bellum inter se gerentium, adiuuare præliando aduersus alteram, interim dum est dubium, vtra earum iustā belli causam habeat aduersus alteram, eademq; ratione nefas illis esse, sine vlla prorsus inquisitione de iustitia belli, vtramuis illarum adiuuare, propter periculum quod est, ne, si iustitia alteram Rempublicam tueatur, iniuria illi inferatur, præliando ita aduersus eam. Vnde Doctores merito affirmant, quoties, sine præuia inquisitione, externi ita præliantur, lethaliter peccare, non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, nec censeri bonæ fidei possessores eorum, quæ eo bello capiunt, sed B teneri postea inquirere de iniustitia belli, illaque comperta, teneri integre restituere, quæ ita occuparunt, & insuper omnia damna, quæ intulerunt: quod si neque de iustitia, neque de iniustitia belli possit quicquam esse certum, teneri pro quantitate dubij restituere partem damnorum, & partem eorum quæ acceperunt, etiamsi illa non superstent, neque ex eis facti sunt locupletiores, idq; propter iniustitiæ peccatum, quod præliando eo modo commiserunt.

Hoc posito, dico. Sicut illi ea de causa lethaliter peccant contra iustitiam, nec censetur bonæ fidei possessores eorum, quæ tali bello capiunt, restituereque tenentur modo explicato: sic quoque externi, qui, sine vlla inquisitione de iustitia belli, promiscue ab vtraque Rerumpublicarum inter se bellantium capta in bello emunt, præsertimque mancipia titulo talis belli in seruitutem redacta, lethaliter peccare contra iustitiam propter periculum, cui se exponunt, emendi ea, quæ ementium non sunt, emendiq;, in grauissimam mancipiorum iniuriam, seruitutem, seu potius libertatem, quam capti homines non amiserunt, & cuius dominium retinent, tenerique similiter modo explicato eam mancipiis ipsis restituere. Atque hoc solum satis esse deberet ad damnandum lethalis peccati iniustitiæ negotiationem mancipiorū, de qua disputamus. cum nullam inter Aethyopes inquisitionem Lusitani faciant de iustitia belli, neque de aliis titulis, quibus mancipia, quæ ipsis venduntur, in seruitutem sint redacta, sed promiscue emant, quæcunque ad eos afferuntur.

Sed iam ad Aethyopum bella veniamus. Sane 17 quam rarissime præsumendum est ea iusta esse. Etenim, qui se inter eos potentiores arbitrantur, alios iniuste inuadunt, & opprimere conantur: atque hi sunt, qui maiores mancipiorum venalium prædas asportant, aliis iniuriam sustinentibus. mancipiisq; ipsis iniuste suam libertatem amittentibus. Narrauit mihi quidam dignus fide, qui inter Cafres longo tempore fuerat versatus, quiq; parum scrupuli in emendis eiusmodi mancipiis habebat, esse in ea regione inter alios quendam velut regem, qui subditos audaces & præferoces habebat, quos cæteri multum timebant: hunc q; vt magnā mancipiorum E copiā quæstus gratia cogeret, consuesse de nocte in loca circumuicina impetum facere, militibus in varios pagos distributis, ita scilicet vt alij in pagum vnum, alij vero in alium confertim irruerent. Vbi vero ad proxima loca ventum est, & iam colloquiis apta voce quam maxime contendere ac proclamare, se aduenisse, admonereque vt sibi consulant, & aduertant, quanto sint ipsi armis superiores, porrectioresque illis, foreque, vt. nisi tot in seruitutem tradant, omnes internecionem ferant; tunc miseros illos, perterritos, ne omnes cædantur, ingredi domum, & hunc exponere extra domum filium vel filiam, & claudere ostium, alium vnam ex vxoribus, &c, eoque modo captiuos duci ac vendi. Co-

mes

mes patris noſtri Gondiſalui à Sylueria, inter alios illorum hominum mores, quos ad nos ſcripſit, referebat, tantam eorum eſſe barbariem, vt qui ab vno eſſet ſpoliatus, alium longe diuerſum diriperet, ſolum obtendens, ſe quoque ab aliis eſſe ſpoliatum. Ex quibus patet, quam raro præſumendum ſit eſſe bella iuſta inter Aethyopes, vt ſine vllo prorſus examine tuta conſcientia mercatores emere ab illis poſſint mancipia belli titulo in ſeruitutem redacta.

Multo autem minus credendum eſt, inter AEthyopes eſſe bella de communi quaſi conſenſu & pacto tacito & iniquo diuerſarum Rerumpublicarum mutuo inuicem bellare volentium, iuxta ea quæ *dubio. 2. ante quartam concluſionem* dicta ſunt, vt mercatores, vel illo lubrico & ſcrupuloſo modo, nunquam ante factum conſulendo, obtendere poſſint, ſe iuſte emere mancipia bellititulo comparata. Neque ſi veriſimilis aliqua eſſet coniectura, eſſe interdum eiuſmodi bella inter Aethyopes, mercatoribusque daremus fas illis eſſe emere mancipia eiuſmodi bello comparata, poſſent licite ac iuſte ea emere, antequam illis conſtaret, ea, quæ in particulari emunt, tali bello, aut aliquo alio iuſto, in ſeruitutem eſſe redacta: quin ſi, ſine vlla inquiſitione, aut in dubio, an iuſte in ſeruitutem eſſent redacta, illa emerent, & lethaliter contra charitatem ac iuſtitiam peccarent, & reſtituere tenerentur modo ſupra explicato.

18 Quod de Aethyopum bellis, quibus ordinarie capiunt mancipia, quæ Luſitanis vendunt, præſumendum eſſe arbitror (iuxta ea, quæ mercatores ipſi, nulla tormẽtorum vi coacti, dum interrogantur, reſpondent) eſt, potius illa eſſe latrocinia, quam bella. Etenim dum Luſitanorum nauigia eo appellunt, aut antequam appellant, vt ea parata habeant, ii, qui in quibuſdam pagis ſub vno domino degũt, accedunt de nocte, aut aliquo alio tempore, ex locisque finitimis prædas agunt, & mancipia, quæ vi capiunt, ſecum adducunt, raroque exercitus congregant, & collatis ſignis congrediuntur. Neque propugnacula habent, aut oppida aliter, quam vallis, aut arboribus munita. Quin & negotiatio hæc Luſitanorum occaſio, incitamentumque videtur illis eſſe, exercẽdi inter ſe eiuſmodi hominum prædas, aut certe longe frequentius, atque in maiori hominum numero, quam ſi non eſſet ea negotiatio, idque præſertim in vtraque Guinæa, ad quam Mahumetani mercatores non accedunt, neque ſcimus qui alij hoc negotiationis genus illis in locis exerceant quam noſtri. Id quod negotiationem quoque inficit atque damnat.

Quod ſi his adiicias, mancipia quæ interdum vendenda afferuntur, non quidem capta ex alienis pagis, ſed furtim accepta ex oppidis ipſorummet capientium, & præterea, quam multa alia mancipia bis in locis Luſitanis vendantur, ſine crimine ad perpetuam ſeruitutem ſufficiente, & ſine iuſta cauſa à propriis parentibus, maritis, & à pagorum dominis ſeruituti ipſorum venditione ſubiecta, quam multa vendi conſtat, tum ex dictis *concluſione 2. & diſputatione præcedente*, iunctis iis quę *concluſione 3.* addita ſunt, tum etiam ex ipſorummet mercatorum confeſſione, inuenies ſatis probatam minorem illam propoſitionem, ad quam probandam tam multa dicta ſunt, ſimul etiam probatam inuenies 4. ipſam concluſionem.

Hoc loco nihil de ſæuitia dicam, qua interdum eiuſmodi mancipia tractantur, dum ab illis, quos Tangos maos aut pomberos appellant, ab interioribus locis ad nauigia aſportantur. Fertur enim prę ſcindi interdum brachium vnius, mortuumque relinqui: eo vero, tanquam flagello, alios percuti atque agi, vt mortis timore iter faciant, aliasque ſæuitias in eos exerceri. Dum enim miſeri à ſuis auelli, vinctoſq; ita ſe produci vident, partim à more patriæ, partim ſeruitutis metu, mortisque horrore (meturunt quippe ne interficiantur & deuorentur) retardati pergere renuũtij etiam, qui eos ducunt, interdum non qualicunque eorum paſſu ſunt contenti. Nihil item dicam de ſæuitia, qua in nauigiis, dum aſportantur, tractari ſæpe ſoleant, & quam multi fint, qui, vt multum lucrentur, tam multos aſportant, vt neceſſe ſit plurimos illorum mori propter nauigii anguſtias, quibus velut carcere noctes atque dies includuntur. Nihil de concubinatu, tam Tangomaorum cum fœminis, quas aſportant, & quas in ſuum obſequium in illis locis relinquunt, in quibus vxores non habent, quam etiam mercatorum. Nihil item de concubinatu mancipiorum ipſorum inter ſe, dum maſculi permixti fœminis aſportantur. Hæc enim, & his ſimilia, vitia ſunt negotiantium, quę negotiationem ipſam non efficiũt per ſe iniuſtam & illicitam, illis tamen nocent, tum ad Epiſcopos, parochos, & confeſſarios ſpectat, tum etiam & gubernatores illarum prouinciarũ, & huius regni, ad aliosque regis miniſtros: expedire atque forte, vt aliquæ ea de re conderentur leges. Hæc omnia nimul ſumpta in cauſa eſſe poſſunt, vt quam rariſſimi, aut prorſus nulli ſint, qui in hoc negotiationis genere progreſſus multos in diuitiis efficiat, vt ab ipſiſmet mercatoribus audiui, Deo nõ fauente, propter multa, quæ in ea interueniunt, peccata. Atque vtinam grauiora alia infortunia ob hoc negotiationis genus tanto tempore diſſimulatum, vt aliqui timent, non euenerint.

Sit nihilominus quinta concluſio. Interim dum illis omnibus nationibus (in quibus oſtium magnũ & euidens apertum eſt, deſidiaque noſtra pereunt) concionatores non ſuppetunt, aliique Eccleſiaſtici miniſtri, qui ea, quæ Ieſu Chriſti ſunt quærant, ſane viris piis huic cauſæ ſeruitutis fauendum eſt, quantum ſalua conſcientia fieri poſſit: eo quod miſeris captiuis tantum bonum, quantum eſt fides, extrahi à barbara illa & impia hominum colluuione, & inter Chriſtianos viuere, ac vitam finire, tametſi cum ſeruitutis perpetuæ miſeria coniunctum, ea ratione obueniat. Quia tamen faciendа non ſunt mala, vt eueniant bona, iique qui illos aſportant, non ſpirituale eorum bonũ, ſed temporale ſuum lucrum quærunt: non plus negotiationem hanc approbare fas eſt, nec Epiſcopis Viridis promontorij, & Inſulę Diui Thomæ confeſſariis, aut iis, qui regni huius clauum tenent, eam permittere licebit, quam iuſtitia, & proximi charitas patiantur. Illud dicam, incertum mihi eſſe, quo iure reges Luſitaniæ prohibere aliis nationibus Chriſtianorum poſſint, ne cũ illis infidelibus commercium, ſicut Luſitani, habeant: niſi concionatores, miniſtrosque Euangelij illis ſubminiſtrent. Ea enim lege, eaque de cauſa à Summis Pontificibus ipſis ſolis huiuſmodi cõmercium conceſſum eſt, atque ea ſola eſt ſufficiens ratio, quare aliis nationibus (quibus alioquin de iure gentium eſt commune) interdicatur. Quod ſi miniſtri Euangelij ad nationes illas barbaras idonei mitterentur, in ſuisque regionibus ad fidem conuerterentur, tunc ſane omnes pij conſulere potius deberent ac fauere miſerorum hominum libertati neque aliter ſeruitus cuiuſque illorum eſt permittenda, quam ſi luce clarius eam iuſtam eſſe conſtet. Tum quod libertatis cauſæ, quippe quæ piiſſima eſt, per ſe ſit ſuffragandum. Tum etiam quod id magno eſſet adiumento, vt fides noſtra, moresq; Chriſtiani in illis locis propagarentur. Quod ſi, quę Dei ſunt, curaremus, contentique eſſemus commerciis aliis iuſtis cum illis nationibus, vtique Deus bonorum operum largus remunerator, facile multas auri argentique fodinas illis in locis patefaceret, ſatiaritque cultura, quæ ibidem, vt in D. Thomæ inſula, vigere poſſet, & aliarum rerum vtilitate multiplici, lucrum, quod ex mancipiis percipitur, compenſaret,

19 *5 concluſ.*

ret, simulq; res omnes nostras protegeret. Quamuis autem aliud non esset lucrum, quam tutas ab æterno interitu habere conscientias hoc vnum satis esse deberet.

Verum enimuero quousque mercatores, qui vel immediate mancipia ab Aethyopibus emunt, vel ea inde asportant restituere teneantur, quando eis certo moraliter non constat mancipiū, quod emunt, iusto titulo in seruitutem esse redactum, iam sæpius inculcatum est. Duo quædam admonuerim. Primū est. Latum esse discrimen inter eum, qui verisimiliter credens aliquid esse suum, at non certus omnino, illud occulte accipit ab eo, qui bona fide id cœpit possidere; & inter eum, qui dubius, an quod sibi venditur, aut donatur, furtiuum sit, illud accipit, siue soluto pretio accipiat, siue gratis. Ille namq; primus intégre omnino tenetur restituere, quod ita accipit: secundus vero solum tenetur restituere partem, pro quātitate dubij, an res sit aliena. Ratio autem huius discriminis est, quoniam interim dum certum non est id, quod quis bona fide cœpit possidere, suum non esse, nullum ius est, vt in totum, vel in parte illa re spolietur, neque esto ipse merito incipiat dubitare an sua res sit, tenetur quicquam illius dare, quousque omnino sibi persuadeat rem nullo modo esse suam: eo quod in dubio melior sit conditio possidentis, quando possessio bona fide incepit. At verò quando res titulo gratuito, aut onerosо accipitur de manu alicuius, quia is, qui eam accipit, etiamsi dubius, an res aliena sit, eam accipiat, succedit in totum ius certum, aut dubium, quod is, qui illam tradidit, habebat; inde oritur, quod licet teneatur diligenter indagare, vtrum aliena sit, compertoque eam alienam esse, teneatur integram restituere, manente tamen dubio, an tradentis fuerit, an potius aliena, solum teneatur restituere partem pro dubij quantitate: eò quod licet ipse propter dubium nunquam inceperit bona fide possidere, non tamen illi constat rem ad alterum pertinere, aliquemq; iniuste esse deiectum à sua possessione. Atque ex hoc fundamento dicimus, emptorem rei alicuius in dubio, an res tempore venditionis fuerit vendentis, non teneri integre eam restituere, interim dum omnino non constat eam vendentis non fuisse.

21 Secundum est, si aliquando ex aliquibus circunstantiis contingat, aliquem ex prædictis mercatoribus emisse mancipia cum inuincibili ignorantia, quod non essent iusto titulo in seruitutem redacta, esto postea ignorantiam depellat, meritoque dubitare incipiat, an iusto titulo seruituti fuerint subiecta; teneri quidem facere moralem diligentiam, vt sciat, an iniuste seruituti fuerint subiecta, interim tamen dum id non constat, nihil omnino teneri restituere, eò quod in dubio melior sit ipsius cōditio, qui ab initio bona fide cœpit possidere. Quod si cōperiat iniusto titulo fuisse in seruitutem redacta, tenetur restituere libertatem mancipiis, si adhuc supersint, idque in quo ex illorum obsequiis aut quouis alio modo ex illis factus fuerit locupletior, iuxta ea, quæ disputatione sequenti in simili euentu dicemus.

SVMMARIVM.

1 *Qui bona fide mancipia à mercatoribus comparant, licitè illa retinent, & si de titulo seruitutis dubitare incipiāt, aut de iniustitia illius certiores fieri possint, ad quid teneantur.*

2 *Bonæ fidei possessor, si deprehendat mancipium iniustè seruituti fuisse subiectum, ad quid obligatus sit.*

3 *Mancipia quæ quis sibi persuadet iniustè in seruitutem fuisse redacta, quatenus ea non quidem à mercatoribus, sed à tertio bonæ fidei possessore comparata retinere possit.*

4 *Si quis bona fide & absque ratione dubitandi de iniustitia tituli emat mancipia à mercatoribus, qui ea ex Aethyopia asportant.*

5 *Ad quid teneatur, qui dubius de iusta seruitute mancipii à mercatoribus id asportantibus aut à tertio, qui bona fide possidere non cœpisset, comparauit.*

VTRVM QVI IN HOC REGNO, & aliis possident mancipia, de quibus conclusione quarta præcedentis disputationis dictum est, licitè illa retineant, & an licitè emi possint.

DISPVTATIO 36.

DIximus de cœnoso fonte mancipiorum, quæ ex vtraque Guinæa & Cafreria asportantur. Nunc aliquid etiam de riuis inde deriuatis ad hominum pacandas conscientias, dicendum est. Quare in hac disputatione sermo non erit de mercatoribus, qui ex illis locis ea asportant, sed de reliquis possessoribus, ad quos inde deriuantur.

Sit ergo prima conclusio. Quicunque bona fide emerunt eiusmodi mancipia à mercatoribus, aut ea vlterius possident derivata ab aliis, qui bona fide ea aliquando possidere cœperunt, quales regulariter sunt possessores omnes, de quibus in hac disputatione nobis est sermo, licite illa retinent. Esto autem dubitare incipiant propter ea, quæ disputationibus præcedentibus dicta sunt, aut propter rationes alias dubitandi, quæ occurrant, an iuste in seruitutem sint redacta, licite illa retinent, neque ad vllam restitutionem tenentur, quousque omnino sibi persuadeant, ea in particulari, quæ possident, non fuisse titulo legitimo seruituti subiecta: quod tamen raro continget. Si tamen occurrat via, qua spes sit certo sciendi, an sine sufficienti titulo fuerunt seruituti subiecta, tenentur id inquirere? Quod si omittāt, omissioque in causa sit, vt veritas non possit in posterum deprehendi, aut saltem non tam bene, tenentur restituere mancipio arbitrio prudentis partem eius, quod mancipii intererat veritatem detegi, maiorem vel minorem pro quātitate spei. Quod si postea certo aliunde deprehendatur, mancipium iuste in seruitutem redactum, cessat obligatio illi restituendi: eo quod eo ipso constet, ex omissione illa culpabili inquirendi de titulo, nullum illi damnum fuisse illatum. Mancipium vero affirmare, se iniuste redactum esse in seruitutem, etiamsi modū iniustum, quo seruituti fuit subiectum, narret, regulariter non sufficit, vt possessor omnino sibi debeat persuadere rem ita se habere, quippe timeri iuste possit, ipsum libertatis desiderio id effingere, ac mentiri. Qui tamen semoto omni dubio, sibi omnino persuaderet, rem ita habere, teneretur sane hominem libertate donare, eaque omnia efficere, quæ conclusione sequenti dicemus.

1 1. Conclus.

Primum & præcipuum, quod longa hac cōclusione asserere intendimus, ex eo est manifestum, quod illi omnes, vel fuerint à principio bonæ fidei possessores suorum mancipiorum, vel iis successerunt in iure suorum mancipiorum, qui aliquando bonæ fidei possessores eorum fuerunt: vt autem in calce disputationis præcedentis ostensum est, quicunque bona fide cœpit aliquando possidere, vel ei successit in iure, qui bona fide aliquando cœpit possidere, ad nullam restitutionem tenetur, quousque sibi omnino constet, rem, quā possider, suam non esse; eo quod in dubio melior sit conditio possidentis. Porro cùm ad subditos non spectet examinare, an merces, quæ ad hoc regnum asportantur & in eo venduntur, legitime à subditis huius

regni asportentur & vendantur, sed id ad principem & ad eius ministros pertineat, subditorumque sit, prouidentiæ & administrationi superiorum se committere, sane quam facillime omnes, qui hactenus mancipia vel à mercatoribus ipsis, vel ab aliis emerunt, bonæ fidei possessores erunt, talesque merito sunt censendi. Ea autem, quæ à nobis disputationibus præcedentibus dicta sunt, licet persuadere videantur, plurima mancipia asportari ex illis locis iniuste seruituti subiecta, non tamen persuadent omnia, ac proinde de nullo in singulari id persuadent.

Reliqua, quæ in eadem conclusione adduntur, alia non indigent probatione: præsertim cum constet, bonæ fidei possessorem simul ac oritur dubiũ, an res, quam possidet, sua sit, continuare bonæ fidei possessionem desinere, tenerique in conscientia ac de iustitia inquirere veritatẽ, vt, si comperiat rem, quam possidet, suam non esse, eam restituat. Quare, si quis id omittat, tenetur restituere alteri pro quantitate spei, quæ erat vt sciretur alienam esse, idque propter verisimilitudinem damni, quod ea omissione illi intulit. Quod si postquam culpabiliter id omisit constet, rem alienam fuisse, veritatemq; tũc fuisse deprehendendam, si diligentia debita fuisset adhibita, sane tunc, qui illam omisit, nõ solum rem tenetur restituere, sed etiam fructus ac emolumenta, quæ à tempore talis omissionis ex ea percepit. In re autem proposita teneretur, præter libertatem, restituere mancipio obsequia & emolumenta à tempore talis omissionis ex eo percepta: esto inde factus non fuerit locupletior.

2 Secunda conclusio. Bonæ fidei possessor mancipii, aut qui bonæ fidei possessori in iure mancipij successit, statim ac certo deprehendit, mancipium iniuste fuisse seruituti subiectum, illud tenetur restituere suæ libertati, nihil obstante pretio quantocunq; maximo, quo illud emerit: quod non à mancipio, sed à venditore debet recuperare. Tenetur præterea restituere illi seruitia exhibita, & si quem alium fructum ex illo perceperit: solũ tamen quantum ex his fuerit factus locupletior, atque id in defectum aliorum, qui iniuste illud seruituti subiecerunt: qui procul dubio omnia illi restituere ante omnes alios tenentur, tanquam causæ præcipuæ & iniustæ totius damni illati. Quod si tale mancipium ancilla sit, & titulo natiuitatis ex illa filios aut alios descendentes captiuos habeat, hos etiam omnes libertati tenetur restituere, persoluereque illis obsequia & fructus, si quos ex illis percepit, quantum similiter inde factus fuerit locupletior. Quod si aliquod prædictorum mancipiorum fuerit mortuũ, quantum ex obsequiis fructibusque ab eo perceptis factus fuerit locupletior, tenetur illius hæredibus restituere. Quod si hæredibus careat, restituendum id quidem erit pauperibus, aut in aliis piis operibus pro anima talis mancipii erit insumendum. Hæc tota conclusio probatione non indiget: quoniam bonæ fidei possessor licet ex parte iniustæ acceptionis nihil restituere teneatur, eo quod nõ fuerit ipse in culpa, ex parte tamen rei possessæ, & emolumentorum, quæ ex illa percipit, quando comperit rem non esse suam, restituere tenetur quantum inde factus fuerit locupletior, idque quando alius, qui tanquam causa iniusta damni præcipue ad id tenetur, non restituit. Nihilominus aduersus venditorem talis mancipii integrum illi ius manet iudicio agere, & expetere quantum sua intererat emptionem fuisse validam, remque verè fuisse venditoris.

3 Tertia conclusio. Etiam postquam quis ex iis, quæ duabus præcedentibus disputationibus dicta sunt, aut aliunde sibi persuaderet, mancipia quæ ex prædictis locis asportantur, magna ex parte iniustè esse redacta in seruitutem, posset licitè ea emere, nõ quidem dum possidentur ab iis mercatoribus, qui illa asportant, sed postquam iam ab aliquo alio bona fide possideri cœpissent: teneretur; postea moralem facere diligentiam, vt sciret, an mancipium, quod emit, aut titulo gratuito eo modo cœpit possidere, legitimè à principio fuerit redactum in seruitutem, idque si via aliqua occurreret, qua id sciri certo posset. Quod si nulla occurrerit, vt regulariter non occurret, vel facta morali diligentia nihil certi possit reperiri, ad nullam restitutionem tenebitur mancipio, sed licitè poterit illud possidere. Probatur conclusio, quoniam, vt ostensum est, is, qui bona fide aliquando eiusmodi mancipia possedit, quique illi in titulo successerunt, legitimum in ea mancipia ius habent: orto autem dubio, an iustè fuerint à principio redacta in seruitutem, tenentur quidem facere moralem diligẽtiam, si via ad id accommodata occurrat, vt rei veritatem certo deprehendant, non tamen, antequam certo comperiant iniustè fuisse redacta in seruitutem, tenentur ad vllam restitutionem: ergo hi alij possunt emere aut accipere merè gratis ab eis ius illud, ea mancipia cũ eodem onere sumentes. Neque id sane in detrimentum ac præiudicium mancipiorum, quin potius in eorum bonum ac commodum cedit: quandoquidem hi alij, eo quod verisimiliter putent ea iniustè fuisse seruituti subiecta, maiorem curam habebũt, acriusque propriæ conscientiæ stimulis pungentur, vt, quoties spes veritatem deprehendendi se offerat, moralem ad eam cognoscendum diligentiam adhibeant; neque illi alij ab eodem onere liberi maneant. Ab hac conclusione est excipiendum, quando, si eiusmodi mancipia in possessione priorum dominorum manerent, rei veritas posset deprehendi, mancipiaque facile possent libertate donari: asportata vero in longinquam aliquam regionem, eo commodo priuarentur: quod tamen raro admodum eueniet.

4 Quarta conclusio. Qui in posterum bona fide emerent eiusmodi mancipia de manu mercatorum, qui illa ex AEthyopia asportant, eo quod rationes dubitandi, an à principio iustè fuerint in seruitutem redacta, ad eorum aures non peruenirent, aut quia quacunque alia ratione essent bonæ fidei eorum possessores tuta conscientia possent ea retinere, donec certo illis constaret, iniustè fuisse in seruitutem redacta. Probatur conclusio, quoniam reuera esset bonę fidei possessores: in dubioq; melior esset ipsorum conditio, vt illa sibi retinerent.

5 Postrema conclusio. Qui dubius, propter rationes nostras, aut propter quascunque alias eiusmodi mancipia emeret, aut acciperet de manu mercatorum, qui illa asportãt, aut de quocunq; alio, qui neque bona fide possidere cœpisset, neq; successisset in titulo alicui, qui bona fide aliquando possedisset, sane teneretur ad restitutionem mancipiis faciendam, maiorem vel minorem pro quantitate dubij, an iustè à principio fuerint in seruitutem redacta. Probatur conclusio, quoniam neq; is, nec antecessores ipsius essent possessores bonæ fidei, vt melior esset conditio ipsorum possidentium: quare, cum succedant in iure dubio, an antecessores iustè possederint, tenentur ad restitutionem arbitrio prudentis faciendam mancipiis pro dubij quantitate.

SVMMARIVM.

1 *Iniusto titulo capti, licitè fugere possunt: iniurias item & damna tam à capientibus, quam eorum socijs recuperare.*

2 *Qui seipsos vendiderunt, vel à parentibus venditi sunt, aut à matre aliquo horum titulorum in seruitutem redacta nati, licitè fugere non possunt, vt nec captiui in pœnam delicti seruituti subditi.*

3 An

2 c. Concluſ.

3 3. Concluſ.

4 4. Concluſ.

5 5. Concluſ.

3 *An mancipia iure belli in seruitutem redacta filij item nati ex matre iure belli seruâ aufugere possint.*

4 *Affirmans Couar. & Soti sententia.*

5 *Infertur minoris valoris seruum esse iusto bello captum, quam aliis iustis titulis in seruitutem redactum.*

6 *Item nefas punire eiusmodi seruos, si fugam ad suos accipiunt, vinculis tamen eos constringere ne fugiant licere, Vide num.10.*

7 *Denique seruis istis fugitiuis iuis sequentibus vim inferre non licere.*

8 *Denique qui eiusmodi seruis consilium aut auxilium præstant vt fugiant, ad nullam restitutionem teneri, secus vim esse in aliis seruis.*

9 *Negans aliorum sententia.*

10 *Captus bello ita iusto, vt de iustitia capientis & iniustitia aduersarij constet, lethaliter peccat si fugiat, teneturque seipsum restituere, licet ad suos perueniat.*

11 *Damnatus iuste ad pœnam, quæ ad ipsummet spectet exequi & adimplere, tenetur in foro conscientiæ eam implere.*

12 *Limitatur prædicta prima conclusio.*

13 *De capto bello non ita perspicue iusto, quin pars altera saltem formaliter iuste pugnaret, ad quid teneatur, vel etiam cogi posset.*

14 *Soluuntur argumenta opinionis affirmatiuæ.*

15 *Præmium capientium seruos fugitiuos, & pœna eos celantes remissiue.*

VTRVM MANCIPIIS, LEGITIMO titulo in seruitutem redactis, fas sit fugere ad suos.

DISPVTATIO. 37.

DVbium non est, eos homines, qui sine titulo iusto captiui detinentur, fugere posse ad suos, aut quouis alio voluerint. Quare, cum Turcarum, & Maurorum bellum aduersum nos ex eorum parte sit iniustum, dubium non est, nostros, qui apud illos captiui detinentur, licite posse fugere quo velint occulte, & palam, ac vi etiam adhibita: posseque quoscunque alios licite eorum fugam adiuuare. Quin etiam fas illis est, in recompensationem iniuriarum & damnorum, quæ acceperunt; nec non obsequiorum, quæ illis exhibuerunt, & quia perpetuo nostris cum illis bellum est, accipere non solum ab eis, à quibus iniuria sunt affecti, competentem recompensationem damnorum & iniuriarum: eo quod illis in locis non sit, qui ius illis dicat, sed etiam tam ab illis, quam ab aliis, iure belli, atque ex præsumpta nostrorum Principum voluntate, accipere quæcunque potuerint: modo in particulari aliquo euentu scandalum non interueniat. Fere in his omnibus consentit Caietanus 2.2.q. 66.artic.8.

Quæstio ergo solum habet locum, in captiuis legitimo titulo seruituti subiectis. Neque de his omnibus controuersia est inter Doctores. Omnes namque conueniunt, eos, qui vel seipsos vendiderunt, vel à parentibus legitime venditi sunt, vel ex matre, aliquo horum duorum titulorum in seruitutem redacta, nati sunt, fugere licite non posse. Quod si fugiant, teneri seipsos restituere, nec non damna inde suis dominis subsecuta, si, vnde ea restituant, habeant. De ijs vero captiuis, qui in pœnam delicti iuste in communem perpetuam seruitutem sunt redacti, licet Doctores non loquantur, credo tamen idem prorsus fuisse dicturos. Etenim sicut iusto exilio damnati fugere inde non possunt, sed per seipsos tenentur eam pœnam exequi ac implere: sic etiam, qui ob delictum seruitute communi sunt iuste mulctati, fugere de seruitute non possunt, sed per seipsos tenentur eam exequi pœnam, eo ipso, quod per sententiam iuste est eis inflicta: est enim vtrobique eadem ratio. Solum ergo est controuersia inter Doctores de mancipiis iure belli in seruitutem redactis, nec non de filiis natis ex matre iure belli seruituti subiectæ, an fas eis sit ad suos fugere.

Affirmans Couar. & Soti sententia.

Couarruuias *1.variar.resolutio.cap.2.num.10.& regula peccatum par.2.§.11.num.6.* asseuerat, fas illis id esse, eo ipso, quod egrediantur fines eorum, à quibus captiui tenebantur, consequi libertatem. Quia tamen, inquit, interim dum eos fines non egrediuntur, libertatem non consequuntur, nefas est illis fugere, vt intra eos diuagentur, eo quod iniuriam facerẽt dominis priuando eos seruitio ipsis debito, cũ nondum dominium eorum amiserint. Ad glossam autem *c.iuu gentium dist.1.in verbo, seruitutes*, quę affirmat, peccare captiuum bello iusto, si fugiat dominum suum: respondet, intelligendam esse, quando fugit, vt non egrediatur fines intra quos non consequitur libertatem: secus autem quando fugit, vt redeat ad suos. Sotus etiam *4.de iustitia.q.1.art.2.ait*, se non audere cogere in eas angustias seruos captos bello iusto, vt non possint fugere ad suos.

Probatur.

Confirmat vero Couarruuias suam sententiam *ex l.nihil interest.ff.de captiuis & postlim.reuers.* vnde id videtur colligi. Tum etiam *ex l.23.titulo 14.par.7.legum Castellæ*, quæ id expresius habet, dum statuit. Si Sarracenus iuste à nostris captus fugiat, eo ipso, quod ad suos peruenit, consequi libertatem, adeo vt, si postea sua sponte regrediatur ad mercaturam inter nostros exercendam, cogi non possit ad pristinam seruitutem. Idem innuitur *l.23.titulo.29.p.3.*

Ex hac sententia colligunt nonnulli. Primo, minoris valoris esse seruum bello iusto captum, quam sint serui iustis aliis titulis in seruitutem redacti: eo quod facilius multo illius, quam aliorum, possit amitti dominium absq; vlla culpa & contra domini voluntatem. Secundo, nefas esse punire eiusmodi seruos, quod fugam ad suos arripiant: quandoquidem pœna infligi iuste nequeat, nisi propter culpam: hi vero nullam culpam cõmittant, fugam ad suos arripiendo. Addunt nihilominus, fas esse compedibus ac vinculis eos cõstringere, ne fugiãt, Addunt etiam, quamuis licitum eiusmodi seruis sit fugere, labique dum fugiunt è manibus eorum qui nomine & iussu dominorum eos insequuntur, nefas tamen illis esse, vim inferre insequẽtibus. Quem admodum, inquiunt, fas est malefactoribus fugere ministros publicos, qui eos insequuntur, non tamẽ vim vllam illis inferre: alioquin daretur bellum iustum formaliter & materialiter ex vtraque parte. Tertio, eos, qui eiusmodi seruis consilium aut auxilium præstant, vt fugiant, ad nullam teneri restitutionẽ dominis: eo quod cooperentur ad id, quod iustum ac licitum est, cum tamen, qui aliis seruis cõsilium aut auxilium ad fugam præbent, restituere teneantur illorum dominis valorem serui, & si quæ alia damna inde eis sint subsecuta.

Negant sententia aliorum.

In contraria sententia est aperte glossa illa citata, quæ vniuersim asserit, seruum bello iusto captum peccare, si fugiat dominum suum. Respondetque ad *l.nihil interest* in contrarium citatam, intelligendam esse, quando bellum ex parte capientium fuit iniustum. Eãdem sententiam amplectuntur Turrecremata, & alii ibidem, D. Antonius 3. *parte.titulo.3.capitul.6.§.4.* Fortunius *l.manumissiones.ff.de iustitia & iure*, & Nauarrus *in Manu.capitulo.17.num.103* qui latius rem hanc persequitur *in vltima editione.*

1. Conclus.

Sit prima nostra conclusio. Captus bello ita iusto, vt de iustitia capientium, & iniustitia aduersariorum

riorum consistet, lethaliter peccat, si fugiat dominum suum, teneturque seipsum restituere, esto ad suos perueniat. Probatur primo, quoniam possessor erat legitimus ac indubitatus illius dominus, & ipse fugiendo seipsum ab eo furatur, vt habetur *l. 1. C. de seruis fugitiuis.* ergo & peccat lethaliter, & tenetur seipsum restituere, non solum ex parte rei acceptæ, sed etiam ex parte iniustæ acceptionis. Confirmatur eum peccare lethaliter, etiamsi extra fines capientium atque ad suos fugiat, quoniam *l. 3. C. eodem titulo* statuitur, vt deprehensus in eiusmodi fuga, puniatur, vel amputatione alterius pedis: vel deputatione ad metalla: tam grauis autem pœna non poterit iuste statui, nisi pro culpa lethali. Hac vero in re potius standum est legibus Codicis, quam Digestorum, non solum quod posteriores sint, sed etiam quod sint Principum Christianorum, statuanturque supposita iustitia, quæ in Christianorum bellis esse debet. Ac sane consuetudine est receptissimum, seruos fugientes tunc maxime puniri, quando deprehenduntur fugere ad suos, quocunque titulo in seruitutem iuste sint redacti. Adde, si nefas esset punire seruos bello iusto captos & ad suos fugientes, inutilem admodum reddi eiusmodi seruitutem. Quo idie namque serui fugam arriperent ad suos, scientes, se nec peccare, nec posse licite ipso ea fuga puniri. Vnde plus domini insumerent in eis quærendis & asportandis, quam esset eorum tum obsequium, tum etiam valor. Præterea, eiusmodi seruitus dominis esset multorum peccatorum occasio, dum continere se non possent, quin seruos toties fugam ad suos arripientes, eaque tot damna ipsis inferentes, punirent. quare potius homines iuste interficerent hostes suos in bello, quam ad tale seruitutis genus eos asportarent: quod in detrimentum ipsorum met seruorum redundaret. Quo fit, vt minime credendum sit, gentium iure tale seruitutis genus fuisse introductum.

Secundo, si vera esset contraria sententia, serui, de quibus loquimur, liberi manerent statim, ac egrederentur fines eorum, qui illos possident, siue peruenirent ad suos, siue ad extraneos: authores namque contrariæ opinionis affirmare videntur, non ideo illos libertatem consequi, quod ad suos peruenient, sed quod egrediantur fines eorum, qui illos possident: ac sane mirum esset, quod, iuxta eorum sententiam, Turca à Lusitanis captus, & fuga ad Regem Marrochiensem perueniens, non conqueretur libertatem, sed teneretur in conscientia, vel ad suum dominum redire, perseuerareque in seruitute, vel transire ad suos. Quod si nobis dent, quod eorum verba videntur significare, sequeretur, si Turca, aut Aethyops iusto titulo belli possessus à Lusitano, fines Regni Lusitaniæ egrederetur, peruenireque in Regnum Castellæ, præsertim quando hæc duo Regna diuersos habebant Reges, consequeretur libertatem, neque esse Lusitano restituendum. Sequeretur præterea, in Regno Castellæ nō posse capi, aut si iuste caperetur, eo quod Castellanis etiam esset iustū bellū aduersus illum, capienté nequaquam teneri restituere illum Lusitano: contrarium tamen habet consuetudo recepta.

Tertio captus bello iusto, eaque ratione in seruitutem redactus, eo ipso censetur damnatus iuste pœna seruitutis perpetuæ, capiensque, aut is, in quem capiens illum transfert, vere cōsequitur dominium illius: sed damnatus iuste, ad pœnam, quæ ad ipsummet spectet exequi & implere, tenetur in foro conscientiæ eam implere: ergo eiusmodi captus, subtrahere se non potest à seruitute fugiendo ad suos. si autem se subtrahat, tenetur seipsum restituere. Quod autem seruitus perpetua pœna sit, quam seruus ipse tenetur exequi & implere, manifestum est. Tum quia, vt supra dicebamus, est eadem ratio de ea, & de exilio. Tum etiam, quia si nō egrediatur fines possidentium, tenetur seruus eam per seipsum exequi, vt aduersarij etiam affirmant. Tum denique, quia legitime redactus in seruitutem quocunque alio titulo, eam implere tenetur per seipsum, nec potest fugere.

Ex his constat suadentem fugam homini bello iusto capto, aut ad eam illum adiuuantem, teneri restituere domino valorem mancipii, & si quæ alia damna illi vlterius inde sequantur.

Ab hac conclusione excipitur, quando fidelis aliquis iuste esset captiuus apud infideles, indeque fugisset, neque sine notabili detrimento spirituali apud illos posset commorari: tunc enim satis esset, si illis debitam recompensationem in pecunia, aut alia ratione exhiberet, neq; cum tanto suo spirituali periculo teneretur redire. Præsertim cum mores illorum pessimi occasio maxima illi essent detrimēti spiritualis. Quod si ab infidelibus cogeretur ad malū, aliquaue alia iniuria illi fieret, vt sibi ludeis vel Saracenis circumcideretur, tunc sane in recompensationem iustam, & quia inter illos non esset, qui ius ad eam iniuriam vindicandam illi diceret, eaque esset præsumpta voluntas principum suæ Reipublicæ, vel Summi Pontificis, qui Reipublicæ Ecclesiasticæ supremus est princeps, & ad quem spectat iniurias in detrimentum spiritualis boni, religionis que Christianæ cedentes, vlcisci, posset fugere, nulla facta compensatione, si iniuria tanta pœna esset digna. Nauarrus & quidam alij citant ad hoc probandum *c. nulla. 54. d.* Caput tamē illud, cum solum loquatur de infidelibus, qui inter Christianos commorantur, & ad quos leges & iurisdictio Christianorum se extendunt, nihil sane probat, quando infideles legibus Reipublicæ Christianæ non sunt subiecti.

12 *Exceptio.*

Secunda conclusio. Quando bellum non esset ita perspicue iustum, quin pars altera, saltem formaliter iuste pugnaret, præsertim subditi illius, qui in dubio Regi suo parere tenentur, tunc captus bello ita iusto, licet iuste retineri possit & coerceri ne fugiat, vique reduci si fugiat, licite tamen fugere potest ad suos, aut quocumque velit, neque tenetur se restituere. Probatur, quoniam in eo euēta æqua est conditio captiui, ac domini sui: neque minus pertinet ad eum dominium sui & possessio suæ libertatis, quam ad suum dominum, estq; bellum iustum formaliter ex vtraque parte: ergo poterit pro iure suo subtrahere se à seruitute, fugereque quocumque velit, præsertim cum vi redactus fuerit in seruitutem, vique cœperit possessio domini sui.

13 *2. Conclus.*

Ad *legem, nihil interest*, cui Couarruuias nititur, & ad quædam alia apertiora iura Cæsarea, quæ citare posset, de quorum numero est. §. *Item ea quæ ex hostibus. Institut. de rerum diuisione*, vbi habetur: Mancipium, quod bello iusto cœpimus, iure gentium fieri nostrum: si tamen euaserit à nostra potestate, & ad suos reuersus fuerit, pristinum statum recipere: dicendum est, id locum non habere, quando bellum contrariæ partis aperte est iniustum, vniuersimque neque habere locum in foro conscientiæ, nisi in casu secundæ nostræ conclusionis: & tunc solum, vt ipse se possit tueri in sua libertate: non vero ita, vt dominus non possit eum seruituti subiicere: neque item in foro exteriori in bellis Christianorum propter ea, quæ *disputatione. 35. dubio primo. ante quartam conclusionem* dicta sunt. Quare curandum hodie non est de iure illo Cæsareo propter ea, quæ ibi dicta sunt, & repetentur in materia de bello. Quia tamen, etiam Turcæ & alij Mahumetani, qui aduersus nos iniustissimum bellum habent, arbitrantur bellum ex parte sua esse iustum, inde est, quod quicumque captiui regulariter arbitrentur se posse fugere, & tam ipsi, quam

14 *Ad probationem contrarii.*

quam sui, existiment illos consequi libertatem, fa-
tum ac fines nostros egrediuntur, præsertim si ad
ipsos, vel ad eorum amicos deueniant. Atque ad
hoc respicientes Romani, constituisse videntur iu-
ra illa. Ad leges autem Castellæ, quæ manifeste lo-
quuntur quando bellum est perspicue iniustum ex
parte aduersariorum, & iustum ex parte nostra, di-
cendum est, conditores illarum legum secutos
fuisse ius Cæsareum, neque intendisse constituere
aliud nouum ius positiuum in eo Regno: quare ne-
que de illis in conscientia, aut exteriori foro, sicut
neque de iure Cæsareo ea in parte est curandum.
Nisi forte iura illa seruarentur, ne Saraceni offen-
derentur, arcerenturque à mercatura & commer-
cio cum nostris, atque ne similiter cum nostris age-
rent, qui, cum aliquando fuissent ipsorum captiui,
manusque eorum effugissent, ad mercaturam cum
illis exercendam, aut ad aliquid aliud tempore pa-
cis inter illos agendum reuerterentur.

Dispositionem huius Regni circa eos, qui ca-
piunt seruos fugientes, nec non præmium illis pro-
positum, & pœnam, nisi intra quindecim dies certiorem dominum faciant, habes *libro 5. Ordinationum titulo 41.*

SVMMARIVM.

1 *Pecora pro iure nostro licite mutilare ac interficere possumus.*
2 *Quale ius in seruos eorumq; operas & bona nobis tribuatur aut denegetur.*
3 *Quomodo seruis aduersus dominorum sæuitiam & iniurias prouideatur.*
4 *Matrimonium seruis à Dominis prohiberi non posse.*
5 *Quinque casus, quibus serui non dominis sed sibi acquirunt.*

QVOVSQVE IVS DOMINORVM IN seruos se extendat. Et an mancipia habere possint rei alicuius dominium.

DISPVTATIO 38.

DOminium in seruos non tam amplum ius tri-
buit dominis, quam dominium in pecora, quæ
pro iure nostro mutilare etiam, ac interficere
licite possumus. Tribuit quidem illis ius ad om-
nes eorum operas, quas recta ratio postulat, vt
pro eorum conditione ac viribus præstent, ad om-
nes eorũ fructus, vt ad partus ancillarum, & ad re-
liqua emolumenta, quæ ex eis commode percipi potuerint, vsque adeo, vt siquid, vel donatione, vel testamento, aut ab intestato, vel quacumque alia ratione acquirant, non sibi, sed dominis, iuxta ciuiles leges, id acquirant, vt *ex §. 1. Instit. de iis qui sunt sui vel alieni iuris*, & ex plerisque aliis iuribus constat. Intelligendum tamen id est cum limitationibus, quas subiiciemus. Quando namque gentium iure introductum est, vt qui iusto bello caperentur, temporali morte in perpetuam seruitutem misericorditer commutata, redigi in seruitutem possent, eo pacto intelligere seruitutem potuerunt, neque ipsa, vt ex ciuilibus legibus, consuetudine neque ipsa constat, eam intellexerunt, vt dominium in seruos ea omnia iura comprehenderet. Reliquæ autem seruitutes, quæ emptionis titulo, aut in pœnam pro delicto, vel quocumque alio titulo postea introductæ sunt, instar primæ illius sunt introductæ, eodemque modo intelliguntur, nisi in earum aliqua iure ciuili facta sit aliqua exceptio: vt in ea, qua pater filium vendit, quæ merito cæteris mitior est aliquantulo, facta est.

Licet autem ius dominorum in seruos tam la-
te pateat, non tamen se extendit ad eorum vi-
tam, cuius dominium sibi soli Deus reseruauit,
atque adeo neque ad membra, & salutem mancipij, quæ quasi partes quædam vitæ illius sunt, à quibus vita ipsa pender; & multo minus se extendit ad salutem illius spiritualem, quasi aliquid præcipere ei, aut ab eo exigere possint, quod cum spirituali illius salute pugnet. Quare, si eorum domini, vel vitam, vel membrum ab eis eripiant, vel immoderatis laboribus, inedia, nuditate, vel iniusto supplicio, aut aliqua alia ratione indebita, & quæ vim coerciuam dominorum in seruos excedat, valetudini aut corpori eorum noceant, vel aliquid, quod contra eorum spiritualem sit salutem illis præcipiant, aut quocumque alio modo iniuria eos afficiant, sane & lethaliter peccant, si iniuria, attenta qualitate personæ, & circumstantiis concurrentibus, notabilis sit, & ad restitutionem damnorum ipsismet mancipiis, aut hæredibus eorum faciendam, rencitur: punirique debent à potestatibus publicis; non solum pro damnis iniuste eis illatis, sed etiam pro iniuriis, quæ damni rationem non habuerint: estque illis à confessariis iniungenda pro eiusmodi iniuriis debita satisfactio mancipiis facienda, quando per potestates publicas iniuria punita non fuerit, ne miseri homines omni subsidio careant in damnis & iniuriis, quibus à dominis iniuste afficiuntur. Porro tantum potest esse aliquando damnum, ac iniuria, vt non minus, quam libertate, compensetur. Leuiora autem damna & iniuriæ, quæ in exteriori foro, nec punientur, nec audientur, compensari poterunt, remittendo illis aliquid de labore, quid iuste alias illis esset iniungendum, conferendo illis meliorem victum ac vestitum, condonando illis delicta alia, pro quibus licite possent puniri, aliisque similibus rationibus. Licet autem seruo non permittatur agere in iudicio aduersus dominum suum, nisi in causa suæ libertatis, & in aliis quibusdam euentibus, qui ad commune bonũ spectant, vt patet *l. vlt.*, *iuncta glossa ibi. ff. de iudiciis*; permittitur tamen ei recurrere ad iudicem, eique denunciare iniurias & damna, quæ à domino suo patitur: iudicique ipsi præcipitur, vt ex officio suo procedat de plano ad inquirendam veritatem denunciationis, & ad viridicandum seruum ab iniuria, vt patet *Institut. de iis qui sunt sui, vel alieni iuris. §. vltimo, & l. 1. §. seruos, & §. quod autem. ff. de officio præfecti vrbi.* notatque Panormitanus. *cap. Nouit de iudiciis, numer.* 48. in eiusmodi denunciatione necessarium non esse, vt præcedat monitio. Quod si dominus seruum suum interficiat tanquam homicida est puniendus, non secus ac si alienum seruum interficeret, vt habetur Institut. *de iis qui sunt sui vel alieni iuris*, vbi scriptum legimus. Præcipit Princeps, vt si intolerabilis videatur sæuitia dominorum, cogantur seruos suos, bonis conditionibus vendere, vt pretium dominis detur. Et infra. Sed dominorum interest, ne auxilium contra sæuitiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur iis, qui iuste deprecantur, ideoque cognesce de querelis eorum, & si vel durius habitos, quam æquum est, vel infami iniuria affectos esse cognoueris, venundari iube, ita vt in potestatem domini non reuertantur. Et *l. 1. §. quod aut. ff. de officio præfecti vrbi*, habetur. Si domini seruos sæuitia, si duritia, si fame premant si in obscœnitatem eos compulerint vel compellant, apud præfectum vrbis exponant. Et *l. si lenones. C. de Episcopali audientia* statuitur, vt si domini ancillis necessitatem peccandi imposuerint, liceat Episcopis eas à seruitute liberare, liberati in pœnam delicti dominorum eas donando. Hinc Diuus Antonius. *3. par. titulo 3. capit. 5. §. 7.* merito affirmat, quando dominus seruum suum ad peccandum solicitat, ita vt ea de causa seruus in periculo

lethalis peccati sit, posse licitè fugere dominum suum, si ille admonitus polit desistere. Adde, nec teneri reuerti, nisi periculum cesset, & dominus paratus sit nullam pœnam, nullumque grauamen ea occasione & causa illi inferre: quandoquidem dominus in culpa fuit, seruusque legitima causa fugit, neque vllam pœnam commeruit. Eadem confirmari possunt ex illo *Exodi vigesimoprimo*. *Qui percusserit seruum aut ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit.* Et infra: *Si percusserit quispiam oculum serui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. Dentem quoque, dimittet eos liberos.* Quamuis autem leges hæ, quia si excusserit seruo aut ancillæ, similiter iudiciales erant, cessauerint, æquitate tamen nitebantur, tenenturque hodie naturæ iure, qui similia crimina in seruos suos commiserint, satisfactionem competentem seruis ipsis efficere, qua homines ac proximi sunt, & quatenus damnum & iniuria in eos quoad ea, quæ dominorum potestati minime subsunt, redundat. Vnde merito Abulensis ad eum locũ *quæst.* 27. adnotauit, eum, qui alienum seruum occidit, aut ita percutit, vt illum ineptiorem ad seruiendum, mi norisve valoris reddat, ad binam restitutionem teneri. Vnam domino serui faciendam, quatenus in damnum illius cesit. Alteram verò seruo pro damno illi illato. Simul etiam puniri debet per publicas potestates pœna aliqua, quæ in compensationẽ pro iniuria seruo illata cedat. Hinc constat, minus peccare eum, qui seruum proprium, quam qui alienum iniuste percutit: eo quod ille vni tantum, hic vero duobus damnum ac iniuriam inferat.

5 *Matrimonium, & vsus illius prohiberi seruis non possunt.*

Sicut ius dominorum in seruos ad ea, quæ hactenus dicta sunt, non se extendit: ita neque vt illis cõiugium matrimonijque vsum prohibeant, tum ad naturam propagandam, tum etiam in subsidiũ salutis eorum spiritualis, & remedium contra concupiscentiam: quod cuique iure naturali licet, neque gentium iure, quo seruitus fuit introducta, tolli aut impediri potuit. Quo fit, vt nefas sit dominis, prohibere seruos suos ne matrimonium contrahant, *vt habetur c. 1. de coniugio seruorum, ac alibi.* Quod si eos prohibeant, iniuriam illis faciunt, dominisque inuitis contrahere possunt, & ab Ecclesia protegentur, ac defendentur aduersus eos. Hæc quod attinet ad primum eorum, quæ in hac disputatione proposita sunt.

Quod vero ad secundum spectat, dicendum est. Eos licet regulariter, quicquid acquirunt, dominis, vt iura præscribunt, acquirant; in sequentibus tamen euentibus sibiipsis acquirere, verumq; dominium comparare.

Serui sibi acquirunt. Primo.

Primus est, si interueniat pactum inter ipsos & dominum, vt quotidie aut singulis hebdomadibus, mensibus, vel annis, certum quid ei soluant, reliquũ verò de suis laboribus ac lucris sibi reseruent, aut aliud simile pactum. Id quod frequentissime fit in hoc Lusitaniæ regno, vsuque receptum est. Atque ea ratione multi serui propria pecunia seipsos redimunt. Licet enim domini comparatione serui, ea ratione qua seruus est, neque amicitia, neque iustitia sit: ea tamen ratione, qua homo est, vtrumque esse potest, vt Aristoteles 8. *Ethicorum, capit.* 11. affirmat. Quo fit, vt tunc dominus stare teneatur contractui, neque vsurpare possit, quæ sibi seruus eo modo cõparauit.

Secundo.

Secundus, si quid dominus tacite vel expresse donet suo seruo, aut velit eum tanquam suum habere, siue ex alterius donatione, siue ex ludo, aut quacunque alia ratione. Quemadmodum enim inter dominum & seruum, nõ qua seruus est, sed qua homo, cui accidit vt sit seruus, esse potest contractus, vt paulo ante dictum est: ita etiam donatio, & postquam semel libere est facta per dominum, reuocari non potest, nisi iusta interueniat causa. Quare distinguendum est de iis, quæ dominus tacite vel expresse concedit seruo, non solum ad vsum ea cõcedat, an etiam, vt sint serui, ita vt libere de illis possit seruus disponere. Atque in priori euentu seruus non comparat dominium: in posteriori verò illud acquirit.

Tertio.

Tertius, quando seruo, vel à domino, vel ab aliquo alio restituitur aliquid pro damno aut iniuria sibi illata in iis, quæ domini potestati non subiacẽt, iuxta ea, quæ supra dicta sunt. Quia enim restituuntur pro iniuria sibiipsi facta, qua homo est, & quoad ea, quæ domino non subiacent, verè comparat illorum dominium.

Quarto.

Quartus, si quid ei sit donatum aut relictum, ea tacita vel expressa conditione, vt sit serui, & non domini. Sicut enim licet pater vsumfructum habeat in bonis aduentitiis filij, si quid tamen ea conditione filio relinquatur, vt vsusfructus ad ipsum, & non ad patrem pertineat, comparat sibi filius rei ipsius vsumfructum, *vt disputatione octaua* dictum est: sic etiam, si ea lege aliquid relinquatur seruo, vt sit illius, & non domini, sane ad dominum nulla ratione pertinebit: quandoquidem vnusquisque de bonis suis disponere potest vt voluerit, imponereque illis potest conditionem, ne ad hunc vel ad illum deueniant: tunc ergo dominium illorum bonorum, nõ ad dominum, sed ad seruum pertinebit. Relinqueretur verò aliquid cum conditione tacita, vel ad seruum, & nõ ad dominum pertineret, si, verbi gratia, diceretur, dono aut relinquo seruo Petri tantùm, vt se redimat.

Quinto.

Quintus, si bonis suis, quorum est dominus, ludo aut aliqua negotiatione, sine vllo præiudicio obsequiorum, quæ domino debet, aliquid lucretur: illud namque suo peculio cedit.

Hæc omnia cum iure Cæsareo non pugnant, quin potius illis suffragatur, dum manifestè docet, seruos interdum habere bona sua propria, possegq; illis bonis inire pactum validum cum dominis suis. Etenim *l. 1. §. seruos ff. de officio præfecti vrbis.* inter alia, de quibus dicitur eum posse cognoscere, hæc verba habentur: Seruos, qui sua pecunia emptos, vt manumittantur, de dominis querentes audiet. Et *l. vlt. ff. de iudiciis.* inter alios euentus, in quibus permittitur seruis agere in iudicio cum domino suo, vnus hisce verbis connumeratur. Sed & si quis suis nummis redemptos se, & non manumissos, contra placiti fidem asseuerant. Quare iura, quæ docent, seruum nõ sibi, sed domino acquirere, intelligenda sunt regulariter, & quando aliunde contrarium non constat. De contractibus tamen seruorum lege, quæ inferius *disput. 261.* dicentur.

SVMMARIVM.

1 *Nouem modi, quibus mancipium seruitute exeat.*

QVIBVS MODIS MANCIPIA A seruitute liberentur.

DISPVTATIO 39.

Mancipium à seruitute liberatur. Primo.

ALiquid etiam dicendum est de modis, quibus mancipia à seruitute liberentur. Primus vulgatissimusq; est, per manumissionem siue ea mere gratis fiat, siue aliquo interueniente pretio, aliove imposito grauamine, aut alia simili ratione.

Secundo.

Secundus, si dominus, aut alius, eo sciente nec contradicente, infantem exponat, aut expositionem, se inscio factam, approbet postea: eo namque ipso talis infans manet liber. Item si seruum ægrotum exponat, aut illi deneget alimenta necessaria, habetur pro derelicto, consequiturq; eo ipso libertatem, neq; qui illum suscipit, curam ve illius habet, ius in talem seruum acquirit. *Hæc definita sunt capi-*

tulo.

vnico. de infantibus & languidis exponitis. l. 2. & 3. C. eodem titulo. l. vltima. ff. pro derelicto. & l. vnica. §. sed dicimus. C. de latina libertate tollenda.

Tertio. Tertius, si dominus necessitatem fornicandi ancillæ imponat, ea, imploratо Episcopi auxilio, per eum ab omni miseriarum necessitate absoluitur, vt habetur *l. si lenones. C. de episcopali audientia.* Glossa autem eo loco affirmat, omnes semper eam legem intellexisse, vt illa per Episcopum libertate donaretur.

Quarto. Quartus est, si Iudæus, vel paganus, vel hæreticus, seruum iam Christianum quocunq; titulo possideat: eo enim ipso seruus ille libertatem cõsequitur, nullo persoluto pretio: quod si possideat seruũ nondum Christianum, & seruus ille baptismum susc ipere voluerit, eo ipso, quod Christianus fuerit effectus, consequitur similiter libertatem, & esto dominus postea fidem etiam suscipiat, non propterea seruus ille amittit suam libertatem. Ita habetur *l. Deo nobis. §. His ita. C. de episc. & cler.* Porro sanctio hæc, similesque aliæ, quæ subijcientur, intelliguntur de infidelibus, qui Ecclesiæ, membrisve illius, quoad iurisdictionem temporalem sunt subiecti, quia videlicet degunt in terris iurisdictionis Ecclesiæ. Eiusmodi namque infidelibus, pro temporali iurisdictione, quæ in eos habetur, merito interdicitur, ne possidere incipiant mancipium iam Christianum, iureque hoc illis grauamen imponitur, vt si quod aliud possidere velint, ea lege illud possideant, vt si ille ad fidem conuertatur libertatem, nullo pretio persoluto, consequatur. Infidelibus vero, qui neque temporali iurisdictioni Ecclesiæ subsunt, interdici non potest, ne seruum, etiam Christianum, possideant, nec vllum grauamen ea in parte illis imponi. Gregorius 9. *cap. vltimo de Iudæis & Saracenis*, postea constituit, vt si Iudæus mercimonij causa mancipium infidele emisset, & tale mancipium susc ipere vellet baptismum, persolutis Iudæo duodecim solidis (id est, nummis aureis valoris quatuordecim regalium argenti, & nouem marauedinorum, vt infra *disp. 278.* explicatur) maneat liberum. Quod si neque mancipium sit soluendo, nec̃ alius loco illius soluat, tenetur Iudæus intra tres menses, à die susc epti baptismi, exponere illud venale: quod si non exponat, tunc transactis illis mensibus, manet liberum, nullo persoluto pretio. Quod si venale illud exposuerit, nec sit Christianus, qui illud emat, tunc mancipium illud, vel ostiatim stipem petet ad soluendum, vel seruiet infideli, quantum satis sit ad eam pecuniam compensandam, vel eum dimittet vt alteri seruiat, aliove modo lucretur pecuniam, quam illi persoluat. Si vero Christianus intra tres præscriptos menses illud emat, minime illud efficit seruum perpetuum, sed quousque compensẽt pecuniam pro eo redditam: nec enim plus iuris in eum comparat, quam haberet Iudæus, postquam ille fuit baptizatus. Atque hæc est mens illius iuris. Lege etiam *caput primum & secundum eiusdem tituli. & cap. mancipia. & cap. fraternitatem. 54. dist.*

Duo hic admonuerim. Vnum est, si mancipium mercimonij causa non esset comparatum, sed vel esset vernaculum, hoc est, natum ex ancilla Iudæi, vel ad proprium seruitium pretio comparatum, tunc mere gratis manere liberum. Alterum vero est, dispositionem capitis vltimi de Iudæis, habere locum in mancipio pagani, vel Mahumetani iurisdictioni temporali Ecclesiæ subiecti, idque ex paritate rationis, & propter ea, quæ iam nunc subiungam.

Quinto. Quintus est, si Iudæus mancipium suum infidele circumciderit: eo enim ipso in delicti pœnam manet liberum. Ita habetur *l. vnica. C. ne Christianum mancipium.* Idem credo hodie esse intelligendum, si Mahumetanus iurisdictioni temporali Ecclesiæ subiectus, mancipium suum paganũ circumcidat. Ducor. Tum quia est eadem prorsus ratio. Tum etiam, quia cum illa eadem lege, nulla mentione facta de pagano & hæretico, fuerit paulo antea constitutum, vt si Iudæus Christianum mancipium possideat, mancipium illud maneat liberum. *l. Deo nobis. §. His ita. C. de Episcopis & cleris*, referens se Imperator ad *l. vnicam. C. ne Christianum mancipium*, ait. *Repertа lege iubemus, vt nullus Iudæus, vel paganus, vel hæreticus seruos Christianos habeat, quod si inuenti in taliregasu fuerint, sancimus, seruos omnibus modis liberos esse secundum antiquiorem nostrarum legum tenorem. In præsenti autem hoc amplius decernimus, &c.* hæc Imperator. Vbi vides, quod de Iudæis dixerat, de hæreticis etiam & paganis, eo quod sit eadem ratio, velle esse intelligendum. Eademque ratione vtraque lex hodie est etiam intelligenda de Mahumetanis, qui tunc neque paganorum, neque hæreticorum nomine comprehendebãtur. Porro, quod si Iudæus mancipium suum circumcidat, consequatur eo ipso libertatem, iure canonico est etiam sancitum, *in Concilio Tolet. 3. cap. 14. & refertur cap. nulla, 54. dist. & in Concilio Toletano 4. cap. 57. & habetur de conferat. d. 4. cap. plerique.* Tam autem, quæ hoc quinto modo, quo mancipia libertatem consequuntur, quam quæ quarto præcedente dicta sunt, locum non raro habebunt in ijs infidelibus Indiæ Orientalis, qui ditioni Christianorum sunt subiecti.

Sexto. Sextus est, si vir solutus suam ancillam habuerit concubinam, & cum ea eo pacto perseuerauerit vsque ad mortem: licet enim tam ancilla, quam filij, si quos ex illa genuerit, serui maneant, interim dum ille viuit, integrumque illi sit tempore mortis seruos illos relinquere, vel legando eos, aliqui tanquam tales, vel pronunciando vt serui hæredũ maneant: si tamen nihil de illis pronunciet, tunc demum morte domini tam ancilla, quam filij, si quos ex illa susceperit, manent ipso iure liberi. Ita habetur *l. vlt. C. communia de manumissionibus.* Nec refragantur Ordinationes huius Lusitaniæ regni *libro 4. titulo 71. in principio*, dum postquam statutum fuerat, vt filij naturales plebei hominis, id est, de piaon, succederent patri, perinde ac si essent legitimi, subiungitur, idem dicendum esse de filio, quem huiusmodi vir piaon solutus genuerit ex sua ancilla, dummodo tempore mortis talis patris filius ille liber maneat. Illud constat, priuilegium hoc locum non habere, quando dominus ancillæ clericus erat, vel coniugatus, vel aliquo alio modo impeditus, ne cum ea tunc posset matrimonium contrahere. Præterea ex eo, quod quis ad tempus suam ancillam habeat in concubinam, si tamen non perseueret cum ea in concubinatu, vel quia duxit aliam vxorem, vel aliqua alia ratione, sane ancilla illa, esto dominus eius ex ea genuerit filium, non gaudet eo priuilegio, vt satis clare videtur colligi ex ea lege. De filiis vero ex ea genitis dicendum videtur, eos gaudere illo priuilegio. Verum iurisperitis relinquo, quousque hæc consuetudine sint recepta: inclinandumque semper est in fauorem libertatis, filiorum præsertim, qui nulla interueniente ipsorum culpa eo modo geniti sunt. Couarr. *in epitome in quartum decret. parte 2. §. 7. num. 1.* colligit *ex authentico de triente & semisse. §. vlt.* esto dominus talis ancillæ matrimonium cum ea postea contrahat, neque illam neque filios, quos ex ea genuit, libertatem consequi, sed solum gaudere priuilegio *l. vltima. C. communia de manumissionibus.* Si tamen, vel sola mater manumittatur, filios eo ipso manere etiam liberos. *Castella in.* In Regno autem Castellæ eo ipso, quod dominus matrimonium contrahit cum sua ancilla, tam illa, quam filij ex ea geniti, libertatem consequuntur, iuxta *l. 1. titulo 13. & l. 5. tit. 22. p. 4. legum Castellæ.*

Septimo. Septimus est, si persona libera contrahat cum serua, ignorans seruitutem, & dominus vel illam ei tradat in matrimonium, non deregendo illi seruitutem, vel sciens illos ita contrahere, seruitutem non deregat, eo ipso persona illa serua, siue masculus sit siue fœmina, consequitur libertatem. Ita habetur *in authentica de nuptiis, § si vero ab initio. & l. 1. titulo 5. partit. 4. legum Castellæ.* & tradunt glossa vlt. & doctores *cap. vltimo, & cap. 1. de coniugio seruorum.* Et affirmant Couar. *loco citato*, Aluarus Valasc̃us *de iure emph. quæst. 36. nu. 4. & 5.* Item si quis in matrimonium tradat suam ancillam libero homini, qui illius seruitutem non ignorat, attamen dotis instrumẽtum ancillæ conficiat, eo ipso illo illa libertatem consequitur, vt constat *ex l. vnica § sed & si quis homini, iuncta authẽtica ad hoc. C. de latina libertate tollenda:* & affirmant Couar. & Aluarus Valasc̃us *loco citato.* Hinc constat, quando vel vterque contrahentium est seruus, vel licet alter sit liber, non ignorat seruitutem alterius, esto dominus expresse consentiat in matrimonium sui mancipii, dummodo instrumentum dotale ei non conficiat, mancipium illud libertatem non consequi: in quo (vt Valasc̃us adnotauit) sæpe errat vulgus.

Octauo. Octauus, si quis suum seruum hæredem instituat, vel tutorem eum filio suo relinquat, non ignorans eum esse suum mancipium: eo enim ipso in vtroq; euentu censetur libertatem illi concedere, vt inferius *disp. 154.* ostendimus.

Nono. Nonus est, si quis suum proprium mancipium adoptet in filium: eo enim ipso liber efficitur, vt habetur *§. vlt. inst. de adoptionibus*, atque in calce disp. 127. dicimus.

SVMMARIVM.

1 *Serui eorum hæreticorum & Apostatarum, qui in tribunali Inquisitionis damnantur liberi sunt stando in iure communi & de iure Castellæ si Christiani erunt tempore delicti Dominorum & quid in Lusitania.*
2 *Responsum ad fundamentum Authoris.*
3 *Refellitur.*
4 *Responsum ad aliud fundamentum Authoris.*
5 *Refellitur.*
6 *Responsum ad iura canonica ab Authore allegata.*
7 *Refellitur.*
8 *Responsum ad c. vlt. de hæretic.*
9 *Satis fit responso.*
10 *Ad confirmationem contrariæ sententiæ respondetur.*
11 *Altera confirmatio, quæ etiam refellitur.*

VTRVM CHRISTIANA MANCIPIA eorum, qui in tribunali inquisitionis de crimine hæreseos aut apostasiæ à fide damnantur, libera maneant.

DISPVTATIO 40.

LIcet disputatione præcedente in 4. modo, quo mancipia consequuntur libertatem, in genere fit ostensum, Christiana mancipia hæreticorum, cæterorumque in fidelium, qui temporali iurisdictioni Ecclesiæ subduntur, eo ipso consequi libertatem, est tamen peculiaris difficultas, an id locum etiam habeat in Christianis mancipiis eorum hæreticorum, & apostatarum, qui in tribunali inquisitionis damnantur.

1 *Libera sunt de iure communi & in Regno Castellæ.* Alfonsus à Castro *2. de iusta hæreticorum punitione cap. 7.* Iacobus Simancas *de catholicis institutionibus titulo 61. à num. 8.* & Franciscus à Penha *ad 3. partem directorii quæstio. 119. comment. 168.* partem affirmantem veram existimant, & est vsu recepta in Regno Castellæ: citatq; ad id Franciscus à Penha sanctionem quandam primæ Hispalensis instructionis, qua, approbantibus Regibus Catholicis Ferdinando & Elisebeta, anno 1484. constitutum est, vt mancipia iã Christiana, quæ in bonis horum hæreticorum, & apostatarum reperirentur non addicerentur fisco, sed libertate donarentur. Vnde dicunt Simancas & Franciscus à Penha, si aliquis horum hæreticorum intra tempus gratiæ ad Ecclesiæ vnitatem redeat, atque ea de causa omnia bona sua illi sint à rege concessa, nihilominus Christiana illius mancipia donari libertate, quam per dominorum delictum fuerant consecuta.

Sententia hæc semper mihi visa fuit vera, stando in solo iure cõmuni tam Cæsareo, quam canonico.

A iure vero Cæsareo, tanquam ab antiquiore incipiendo, suaderi potest. Primo, *ex l. vnica, C. de Christianum mancipium, & ex l. Deo nobis. § His autem C. de episcopis & cleris*, quibus in iuribus (vt disput. præcedente in modis 4. & 5. quibus mancipia libertatem consequuntur, relatum, deductum q; est) fuit sanctum, tum vt Christianum mancipium eo ipso, quod esset alicuius Iudæi, pagani, vel hæretici, consequeretur libertatem: tum etiam, vt quod eorum infidele mancipium transire vellet, ad religionem Christianam, eo ipso, quod baptismum susciperet, consequeretur etiam libertatem, quam non amitteret, esto dominus eius postea Christianus fieret: sed cum primum Christianus aliquis in hæresim aut apostasiam à fide incidit, verum est dicere, mancipia Christiana, quæ possidebat, aut quæ durante eo crimine ad eius potestatem quocunque titulo deuenerunt, esse mancipia hæretici; ergo eo ipso vi iurium, quæ citauimus, consecuta sunt libertatem. Cum ergo iura, quæ postea proscriptionem bonorum hæreticorum statuerunt, neque priora illa iura ea in parte abrogarint, neque gratia ditandi fiscũ, præiudicandive libertati Christianis mancipiis iã antea in fidei fauorẽ concessæ, sint introducta, sed solũ vt pœnæ acerbitate hæreses extirpentur, neq; nique vlla ratione prioribus illis iuribus aduersentur: eo quod lex confiscationis solum ea hæreticorum bona fisco addicat, quæ secluſa ea lege, crimine commisso, futura erant hæretici, de quorum numero sane non sunt mãcipia Christiana, quę vi priorũ legũ in primo hęresis puncto efficiebantur libera consequens profecto est, vt stando in iure Cæsareo & canonico, mancipia Christiana eorũ hæreticorũ seu apostatarum, qui de crimine hæreseos in tribunali inquisitionis damnantur, libera sint, neque ad fiscum Regis pertineant.

Secundo, quoniam *l. Manichæos C. de hæreticis*, qua, inter alias pœnas, primo instituum fuit, vt bona hæreticorum fisco addicerentur, neque eorum filii aliter ad hęreditatem paternam admitterentur, quã si, relicto errore, catholicam fidem amplecterẽtur, conceditur hæreticorum mancipiis in fidelibus, vt si ad fidem transire voluerint catholicam, libera maneant: ergo, quod hæretici bonorum confiscatione puniendi sint, non tollit, quo minus vi priorum legum mancipia eorum Christiana libertatem consequantur, neque cum cæteris hæreticorum bonis ad fiscum spectent.

Tertio, *lege canonica c. 1. & apertius c. 2. & c. vltimo de Iudæis & Saracenis, & cap. mancipia, & c. fraternitatem. 54. d.* Christiana mancipia Iudæorum, temporali iurisdictioni Ecclesiæ subiectorum, sunt ipso facto libera: sed hæretici ad Iudaismum apostatantes (quorum in Hispaniis sunt fere mancipia, de quibus nunc agimus) vere sunt Iudæi ad iurisdictionem Ecclesiæ temporalem & spiritualem pertinentes, tametsi baptizati, eaque ratione apostatæ à fide: cum ergo, vt in prima ratione dictum est, lex confiscationis solum sit eorum bonorum, quæ secluſa

clusa ea lege in puncto criminis hæreseos & apostasiæ futura erant apostatæ, neq; gratia dicendi fiscum sed puniendi magis hæreticos lata sit: efficitur, vt eiusmodi mancipia libera maneant, nec ad fiscum pertineant.

Quarto *cap. vltimo. extra de hæret.* à Gregorio 9. declarantur absoluti à debito fidelitatis, dominij (noua editio habet, hominij) & totius obsequij qui cunque lapsis manifeste in hæresim aliquo pacto, quacunq; firmitate vallato, tenebantur astricti (ea omnia sunt verba textus) ergo mancipia hæreticorum, atq; adeo apostatarum à fide catholica, eo ipso, quod de crimine dominorum constat, manent libera, ac proinde non pertinent ad fiscum. Confirmatur hæc ratio, *ex cap. quicunque §. illorum autem, de hæreticis libr. 6.* vbi Alexander 4. pronunciat, emancipationem filiorum ab hæreticis, post crimen patratum, effectam nullius esse momenti, etiamsi post emancipationem ipsam constet, dum illam fecerunt, fuisse hæreticos. Reddit vero Summus Pontifex rationem, quoniam talis emancipatio facta est de hominibus sui iuris: *cum dignum*, inquit, *sit, vt propter tantii atrocitatem delicti filij esse in parentum hæreticorum desierint potestate.* Hæc textus ille. Cum ergo filii non alia ratione effecti fuerint sui iuris, patre patrante delictum, etiam antequam de delicto constaret, nisi quia iuxta dispositionem Gregorij 9. *ca. vltimo citato*, omnes, qui illi erant subiecti, eo ipso ab omni debito fidelitatis, dominij, totiusque obsequij sint absoluti, consequens præfecto est, vt Christiana mancipia eo ipso, quod dominus in hæresis crimen incidit, sui iuris ac libera maneant, nec ad fiscum pertineant.

Cæterum Ioan. Andreas, Francus, Geminianus, & Perusinus *c. quicunque §. illorum de hæreticis li. 7.* Ioan. Anania & Marianus Socinus *c. vltimo extra de hæreticis*, censent, seruos eorum, qui de hæresi & apostasia damnantur, libertatem non consequi, sed pertinere ad fiscum, perinde atque alia eorundem hæreticorum bona. Id vero neque alij fundamento innixi, neque aliter docent, quam, dum comparant manumissionem mancipij factam ab hæretico post crimen commissum cum emancipatione filij eodem tempore facta, asseuerando emancipationem esse nullam, vtpote factam de homine iam sui iuris per delictum patris, vt habetur. §. *illorum*: manumissionem vero esse nullam, non ea ratione, quasi mancipium fiat sui iuris, consequaturque libertatem per crimen domini; sed quia hæreticus iam potestatem non habet in suum mancipium, quod statim ipso iure cum cæteris bonis eiusdem hæretici, *iuxta caput cum secundum leges de hæreticis lib. 6.* est confiscatum.

Franciscus vero à Penha hos DD. exponit, vt loquantur solum, de mancipiis nondum Christianis: hi namque cum neque iure Cæsareo, neque canonico, eo ipso, quod dominus est hæreticus, libertatem consequantur, sane ad fiscum pertinent, perinde ac alia hæreticorum bona. Quod si Christianis etiam id intelligant, profecto audiendi nō sunt, cum neq; vllo solido fundamento nitantur, neque iuri Cæsareo & canonico, contrarium statuenti, satisfaciāt, illiusue meminerint. Porro distinctio hęc, Christianorum mancipiorum à non Christianis, fit aperte ad hunc effectum in illa instructione Hispalensi citata: sic enim habet. Domini rex & regina voluerunt, seruos quorumcunque hęreticorum libertate donari, si in eorum potestate existentes Christiani fuissent.

De Lusitanor. regno quid.

In hoc vero Lusitaniæ regno, cum tempore Ioannis Tertij inquisitionis tribunal erigi cœpisset, nec tamen vsque ad tempora Regis Sebastiani bona eorum, qui in eo tribunali damnabantur, fisco addicerentur: propterea quod ij, qui ex Hębræis originem ducebant, pacto pro certa aureorum summa cum rege inito, id ab eo adeptum annorum numerum obtinuissent: eo tempore expleto, cum de eisdem bonis in posterum confiscandis, iudicesq; ad id muneris creando ageretur, dubitari cœpit, an Christiana horum hominum mancipia, quæ in hoc regno non in paruo numero erāt futura, libera manerent: an ad fiscum regis pertinerent. Ad id enim vsq; tempus, cum bona horum hominum eis ipsis, aut eorum ab intestato hæredibus iuxta initum pactum relinquerentur, nulli miserorum mancipiorū causa in mentem venit, atq; ita, vna cum cęteris bonis, eorum dominis relicta sunt. Cum vero viri aliqui docti conuenissent, vt de hoc, & de quibusdam aliis dubiis iudicium ferrent, nulla lege lata, quæ priores abrogaret in hoc regno, nulliq; consuetudini præscriptæ initętes (quę à tempore, quo erectū in hoc regno fuit inquisitionis tribunal, ad illud vsq; tempus, præsertim aduersus legē canonicam, & aduersus libertatē esse non potuit) statuerunt, eiusmodi mancipia libera non manere, sed ad regis fiscum pertinere. Ni fallor, non alio fundamento ducti, quam illo iurisperitorum, quos retulimus, & quod illa sit communis eorum sententia, nullis aliis eiusdem iuris interpretibus refragantibus.

Paucis admodum annis, postquam hæc ita constituta sunt, cum in Eborensi Academia, exponendo 2.2. D. Tho. ad hanc ipsam disputationem, quā modo pertractamus deuenissemus, prius re cū quibusdam ex inquisitoribus hæreticę prauitatis collata, quibus nostra sententia nō displicuit, fundamentis supra positis innixi, cū Alphonso à Castro & Iacobo Simancas asseruimus: stando in iure cōmuni, Christiana horum hominum mancipia libera manere. Addentes si iudicaretur expediens, vt libertate nō donarētur, sed ad fiscū pertinerent: præsertim ne spes libertatis illis esset occasio crimina suis dominis imponendi: id hac ratione posse in posterum fieri. Si imperiales leges (quæ, vt 2. *lib. Ordin. tit. vl. 5.* habetur, vim habent in hoc regno in ijs, quæ priuatis eiusdem regni legibus, consuetudinibusq; præscriptis non repugnant) ea ex parte, qua contrarium statuunt abrogarētur. Quod ad leges vero canonicas attinet, abrogatio etiam hac in parte à Summo Pontifice obtineretur. Dicebā tamen mācipia, quæ à tempore erecti tribunalis inquisitionis in hoc regno, vsq; ad id tempus libertatem vi legū imperialium & canonicarum erant sortita, sed per ignorātiam ea non potiebantur, libera omnino esse, neq; eam vllo tempore aduersus ea mancipia posse præscribi, vt constat *ex l. vltima. C. de longi temporis præscriptione quæ pro libertate, ex l. vsucapionum. ff. de vsucapionibus. ex §. sed aliquando Inst. de vsucapion. & ex l. 6. tit 29. par. 3. legum Cast. lla.* Idem dicendum est de filiis eiusmodi ancillarum, soboleq; per lineam fœmininam vlterius procreata.

Non defuit postea, qui nostra fundamenta eneruare fuerit conatus, asseueretq;, fiando in solo iure communi, eiusmodi mācipia libera minime manere, sed ad fiscum spectare, atq; adeo nullum earum vnquam à principio erecti tribunalis inquisitionis in hoc regno libertatem esse consecutum.

2 *Responsio ad quod dā nostrum fundamentum.*

Vt vero suam tueatur sententiam, ad *legem Deo nobis §. hæc ita*, respondet. Ibi solum esse sermonem de hæreticis, qui publicè in sua hæresi, & cum suis bonis viuere, habereque sua conuenticula permittebantur, qualiter in Germania & Gallia hodie multi permittuntur. Ratio vero quare constitutum est, vt Christiana eorum mancipia eo ipso essent libera, fuit quia periculum erat, ne inter eos peruerterentur: cum ergo, inquit, hæretici & apostatæ, de quibus loquimur, viuere in suo errore non permittantur, statimq; ac deprehenduntur: omnia ipsorum bona & cum illis mancipia omnia eripiantur, vt lata postea sententia fisco applicentur, efficitur, vt & ratio illius legis in his mancipiis cesset, & hæretici,

tici, de quibus loquimur, in eorum numero, de quibus in ea lege est sermo, minime cõprehẽdatur.

3 *Refellitur*

Ad hoc autem in primis respondeo, cum lex vniuersim de Christianis mancipiis hæreticorum lata sit, nulla facta restrictione, quod tales hæretici viuere cum suis bonis publicè permittãtur, sane quod postea grauiores pœnæ in hæreticos latæ sint, nec viuere in suo errore publice permittantur, bonaq; eorum, si in errore deprehendantur, fisco applicẽtur, non tollit quin priuilegium illud Christianorũ mancipiorum, in fidei & libertatis fauorem introductum, integrum maneat; præsertim cum adhuc in fidei fauorem cedat, quatenus ea ratione mancipia in fidelia spe libertatis in eo euentu assequendæ, ad fidem alliciantur & cum dum lex non distinguit, ac excipit, nec nos distinguere aut excipere debeamus: ac demũ cum in dubio, verbis legis standum sit, sitq; in fidei & libertatis fauorem inclinandum, sane non video qua ratione adhuc vi legis illius perdurante, possit contrarium tuta conscientia affirmari. Id quod inde etiam potest confirmari, quoniam, si post illam legem, quęcunq; aliæ pœnæ in hæreticos essent latæ, etiam capitis diligenterq; inquirerentur, nec permitterentur in suo errore perseuerare, solaq; confiscationis bonorum pœna non esset lata, profecto nullus esset, qui affirmare auderet, Christiana mancipia eiusmodi hæreticorum vi prioris illius legis liberã non manere: cum ergo lex confiscationis, neq; gratia ditandi Principes, neque minuendi fauorem & priuilegia fidei ac libertatis, sed solum ad coercendum & puniendos magis hæreticos lata sit: consequens absque dubio est, vt etiam post legem confiscationis, Christiana hæreticorum mancipia libertatem consequantur.

Deinde ex ipsomet iure ciuili ostendamus, etiam post legem confiscationis, ereptionisque per confiscationem Christianorum mancipiorum de potestate hæreticorum, eiusmodi mancipia consequi libertatem. Lex nãq; confiscationis lata fuit à Theodosio *l. Manichæos*, & vsque adeo mancipia & alia bona hæreticorum de eorum potestate eripiebantur & applicabantur fisco, vt neque filij in eis succederent, nisi paternã defererent impietatem, catholiciq; essent. Eademq; lege, nihil confiscatione impediente: concedebatur libertas mancipiis infidelibus eorum hæreticorum, quorum bona erant confiscanda, dummodo ad fidem Catholicam trãsire vellent. Quo fit, vt, vel ex ipsamet lege constet, quod fisco applicãda essent bona hæreticorũ, neq; mancipia in potestate hæreticorum essent permãsura, nec deuentura essent ad filios non catholicos, nihil omnino impedire, quo minus libera manerẽt. Post *legem* vero *Manichæos* à Theodosio latam, Iustinianus, qui Theodosio fuit posterior, tulit *l. Deo nobis*, de qua est controuersia: quę sane minime abrogauit legem confiscationis à Theodosio latam, quin eam supponens, imo eam, & *legem vnicam. C. ne Christianum mancipium*, à Constantino latam referens. §. *hinc ita*, dixit. *Repetita lege iubemus*, &c. Quo fit, vt quæ in ea sancita sunt, intelligenda etiam sint de Christianis mancipiis eorum hæreticorum, à quibus ob hæreseos crimen mancipia forent eripienda, & applicanda fisco.

4 *Responsum ad aliud fũdamentum*

Ad *legem* vero *Manichæos*, vnde secundo loco nostram sententiam confirmauimus, respondet. In primis, legem illam solum habere locum in mancipiis Manichæorum & Donatistarum, de quibus solis in ea est sermo: cum tamen iam hodie nulli tales sint. Deinde vero neq; his seruis lege illa tribui libertatem, sed solum statui, extra noxam eos esse, si dominum sacrilegum euitãtes, ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliori transierint. Quia tamen, inquit, glossa Accursij verba illa, extra noxam sint, exponit, id est, liberi sint, plerique ctediderunt ea lege libertatem eiusmodi seruis concedi, cum tamen verbum, noxa, in lingua latina nunquam seruitutem significet, quasi eos esse extra noxam, sit esse liberos: sed vel culpam, vel pœnã significat: quare sensus est, à culpa & pœna sint immunes.

Ad primum horum dicendum est, quamuis de solis Manichæis & Donatistis in ea lege expresse fit sermo, quia tamen eadem est ratio de cæteris hæreticis, & rationes, quæ in ea lege reddũtur, quare eo modo illi sint puniendi, in omnes quadrant, ideo merito ad omnes legem illam esse extẽdendam, de omnibusq; esse intelligendam. Accedit, Iustinianum *l. Deo nobis. §. hinc ita*, eam de hæreticis omnibus fuisse interpretatum, dum ratione *legis huius, & legis vnicæ. C. ne Christianum mancipium* dixit, *repetita lege, &c.* ipseque de omnibus vniuersim in eo. §. loquatur.

5 *Refellitur.*

Ad secundum dicendum est, aperte eum esse sensum illius legis, neque solum Accursium eam ita intelligere (cuius glossis, quando communi Doctorum sententiæ non reiiciuntur, neque est lux aut consuetudo præscripta in contrarium, standum est in hoc Regno, vt habetur *2. li. Ordinat. titul. 5.*) sed etiam communem Doctorum sententiam: Neque Accursius nomen, noxæ, seruitutem in sua glossa intellexit, sed culpam, & pœnam: breuissime tamen aperuit sensum totius periodi circa illud verbum, noxam, exponendo, id est, liberi erunt: verbum nãque illud, erunt, quod futuri est temporis, si periodum totam expendas, manifeste indicat illam nõ esse expositionem solius vocis, noxam; sed totius periodi: cuius sane ille est legitimus sensus. Theodosium quippe statuere, vt serui absq; noxa, id est, culpa ac pœna, deserere possint dominum suum sacrilegum & hæreticum, & transire ad Ecclesiam fidẽ catholicam amplectendo. Deoq; fideliori seruitio famulando, profecto non aliud est, quam eo libertatem consequi eo ipso, quod catholicam fidem amplectantur. Atque id est, quod Accursius breui illa sua glossa voluit. Licet autem aduersario daremus, neque ea lege comprehendi hæreticos & apostatas nostri temporis, neque seruos, etiam Manichæorum & Donatistarum, libertatem consequi vi solius illius legis, negare tamen non potest, non obstante lege confiscationis bonorum Manichęorũ & Donatistarum, quæ ea lege lata est, mancipia Christiana eorundem Manichæorum & Donatistarum libertatem consequi, vi legis Deo nobis, quę postea à Iustiniano lata est: eadẽque ratione hodie mancipia Christiana hęreticorum nostri temporis, nihil impediente lege confiscationis bonorum hæreticorum, consequi etiam libertatem vi legis Deo nobis.

6 *Responsum ad iura canonica.*

Ad iura canonica, quibus tertio loco nostram sententiam confirmauimus, respondet. Iura illa solum loqui de Christianis mancipiis eorum Iudæorum, qui in terris Christianorum morantur, nondumq; baptismum susceperunt, quales sunt hodie multi in Italia, & in aliis prouinciis Christianorum. Quare, inquit, sine probabilitate extenduntur ad Christiana mancipia neophitorum Hebręi sanguinis, qui ad Iudaismum deficiunt. Hi namque in iure, non iam sub titulo de Iudæis, sed sub titulo de hæreticis & apostatis comprehenduntur.

7 *Refellitur.*

Ad hoc dicendum est, quamuis illis iuribus expresse sit solum sermo de mancipiis Iudęorum, qui baptismum non susceperunt, eo quod in locis, quibus decretis illis subueniebatur, solum hi essent, gratiaq; subueniendi eorum excessibus iura illa lata sint, nihilominus per epicheiam esse censendum, mentem eorum, qui ea iura condiderunt, non fuisse, vt si illi iidem baptizarentur, fingentesque se esse Christianos comperirentur Iudæi eorũ Christiana mancipia, propter dominorum infidelitatem, non potirentur in fidei fauorem priuilegio eodem, quo gauderent, si domini baptismum non susce-

fuſcepiſſent: præſertim cum illos fuſcepiſſe baptiſmum, non tollat eos vere eſſe Iudæos, vt antea erant: nec minuat, ſed augeat eorum infidelitatis culpam: tales autem ſunt quotquot in Hiſpaniis ob crimen apoſtaſiæ ad Iudaiſmum puniuntur: originem quippe ab eis Iudæis trahunt, qui inter Chriſtianos morabantur, quique fingentes ſe eſſe Chriſtianos, perpetuo inter ſe eo ritu vixerunt. His accedit, Gregorium Magnum, *cuius ſunt duæ illæ epiſtolæ decretales cap. mancipia, & cap. fraternitatem, 54. diſt.* & Gregorium IX. *cuius eſt caput vltimum extra de Iudæis & Saracenis*, leges ciuiles, & præſertim legem Deo nobis, ſecutos, iura illa condidiſſe: addentes limitationem illam, quando mancipium mercimonij cauſa eſſet emptum, &c. voluiſſeque, vt integre ſeruarentur, vt ſatis aperte innuit Gregorius Magnus *cap. mancipia citato*, in quo earum legum meminit. Imo vero, cum leges illæ in fidei fauorem, atque ad Eccleſiæ petitionibus ab Imperatoribus fuerint latæ, vim quodammodo canonicarũ legum, ex petitione ipſa & approbatione Eccleſiæ, vſuque earum, habere videntur: conſtat autem ex his, quæ hactenus diximus, Chriſtiana mancipia apoſtatantium à fide *l. Deo nobis* comprehendi. Ad hæc confirmari hoc ipſum poteſt, quoniam ſi non eſſet lex, quæ bona apoſtatantium à fide, fiſco addicerentur, ſane nullus eſſet, qui dicere auderet, Chriſtiana mancipia apoſtatantium ad Iudaiſmum illis canonibus non comprehendi: cum ergo lex confiſcationis nihil ab illo eximat canonibus, quod, ea ſecluſa, eis comprehenderetur, neque fiſcus in aliis bonis apoſtatantium à fide ſuccedat, quam in ijs, quorum apoſtatæ eſſent domini à puncto temporis commiſſi delicti, conſequens profecto eſt, vt ad Chriſtiana mancipia eiuſmodi hominum ad Iudaiſmum deficientium canones citati ſe extendant.

Reſponſum ad c. vlt. de hæret.

Ad *cap. vltimum extra de hæreticis*, vnde quarto loco confirmauimus noſtram ſententiam, reſpondet. Ex eo quod eo capite pronuncientur abſoluti ab omni debito fidelitatis, & totius obſequij, quicunque lapſi manifeſte in hæreſim tenebantur aſtricti, nequaquam colligi, mancipia eorum manere libera. Erenim debitores hæretici cenſentur ibi abſoluti ab obligatione ſoluendi hæretico, non tamen fiſco, qui in eorum bonis ſuccedit: & vaſalli cenſentur abſoluti ab obſequio & obedientia, alioquin illi debita, non tamen ab obſequio & obedientia præſtanda ei, qui in eo iure ſucceſſerit. Eodemque modo, licet mancipia vi illius capitis ab eius dominio maneant abſoluta, ita vt amplius neque parere, neque ſeruire illi teneantur, nihilominus non cenſentur abſoluta à poteſtate fiſci, qui in bonis hæretici ſuccedit. Hoc ipſum valide, vt ait, confirmat, quoniam ius, quo bona hæreticorum indiſtincte publicari præcipiebãtur, iam antea erat conditum ab Innocentio 3. *cap. vergentis*, *eodem titulo*: quare licet *cap. illo vltimo* poſtea à Gregorio 9. mancipia abſoluantur à dominio hæretici, non ſequitur reddi ſui iuris: quandoquidem iam virtute præcedentis ſtatuti capienda erant à fiſco vna cum cæteris bonis eiuſdem hæretici.

Statũ fit.

Ad hanc reſponſionem dicendum eſt, licet mancipia Chriſtiana, de quibus loquimur, vi præciſe illius capitis non efficiantur ſui iuris, nec liberentur à fiſci poteſtate (vnde, quæ Chriſtiana non ſunt, licet vi illius capitis liberentur à debito, quo hæretico tenebantur aſtricta, non tamen liberantur à poteſtate fiſci) nihilominus quemadmodum filiifamilias hæreticorum, quia nulli alteri, quam patri, tenebantur aſtricti, vi illius capitis cenſentur eo ipſo, quod pater incidit in hæreſim effecti ſui iuris, vt Alexan. 4. *cap. quicunque. §. illorum, de hæreticis lib. 6.* pronunciat, eaque de cauſa vſusfructus bonorum ipſorum aduentitiorum, non ad fiſcum, ſed ad ipſoſmet filios à die commiſſi à patre criminis ſpectat: ſic etiam, cum Chriſtiana mancipia eorundem hæreticorum, iuxta ciuiles leges ab Eccleſia receptas & approbatas, à die commiſſi criminis dominorũ conſequerentur libertatem, ſane cenſendum eſt Gregorium 9. *eo. c.* intendiſſe illis conferre omnem abſolutionem, quam iuxta antiquiora iura conferre illis potuit, atq; adeo effecit illa ſui iuris à die commiſſi delicti dominorum, non ſecus ac (pronunciante id Alexan. 4.) filiosfamilias eorundem hæreticorum ſui iuris ſimili modo effecit.

Ad confirmationem dicendum eſt, quamuis lex publicationis bonorum iam antea ab Innocentio 3. *cap. vergentis* lata fuerit, non tamen vt ipſo iure à die commiſſi crimnis publicarentur (id enim poſt Gregorium 9. à Bonifacio 8. *c. cum ſecundum leges, de hæreticis lib. 6.* ſancitum eſt) ſed à puncto latæ ſententiæ: quare cum Chriſtiana mancipia hæreticorum, tum antiquioribus iuribus, tum etiam à Gregorio 9. facta ſint ſui iuris ſtatim à crimine dominorum: conſequens eſt, vt confirmatio pro nobis pugnet: quippe cum libertas eiuſmodi mancipiorum temporẽ antecedat ius in re, quod virtute capitis vergentis poſt ſolam latam ſententiam comparat fiſcus. Sæpe autem oſtendimus ſupra, legem confiſcationis nihil omnino præiudicare libertati, iure Cæſareo & canonico iam antea Chriſtianis hæreticorum mancipiis conceſſæ. Neque animo ditandi fiſcum, ſed puniendi & coercendi magis hæreticos, fuiſſe eam legem introductam, vt Innoc. 3. *cap. vergentis* ſatis aperte innuit.

10

Vlterius confirmat ſuam ſententiam, quoniam licet daremus, inquit, de iure communi Chriſtiana mancipia hæreticorum libera manere: cum tamen poſt erectum in Luſitania ſanctæ Inquiſitionis tribunal, nõ conſtet tale ius fuiſſe ſeruatum: credi poteſt, illud apud nos nunquam fuiſſe receptum, atq; adeo iam modo eſſe per contrariam conſuetudinẽ abrogatum. Quamuis enim directe aduerſus libertatem nullo poſsit tempore præſcribi, tamen contra ius poſitiuum, ſeruo in aliquo caſu libertatẽ ſtatuens, non eſt quod præſcriptio nequeat procedere: quia talis præſcriptio non præiudicat directe libertati, quaſi per eam homo liber capiatur in ſeruum, ſed immediate tollit beneficium iuris poſitiui, quo ſeruus redditur liber, ac ſolum conſequenter operatur, ne ſeruus conditionem ſeruilem amittat.

11

Alia eiuſdẽ confirmatio.

At cum iura communia, de quibus eſt controuerſia, recentia non ſint ſed antiquiſſima, & non ſolum totam ius canonicum, ſed & ciuile, quatenus iuribus & conſuetudinibus particularibus huius regni non repugnat, receptum fuerit ab Emanuele Luſitaniæ rege 2. *lib. Ordin. tit. 5.* non video, qua probabilitatis ſpecie affirmari poſsit, ea iura communia, de quibus agimus, nunquam fuiſſe in hoc Luſitaniæ regno recepta. Si quæ ergo contraria conſuetudo hac de re eſt in hoc regno, ſolum cœpit à tempore, quo erectum in eo eſt Inquiſitionis tribunal, eo quod antea quam rariſſime, aut nunquam ſe obtulerit occaſio fiſco applicandi bona hæreticorum, apoſtatantiumve à fide, præſertim inter quæ eſſent mancipia, atque ſi aliquando ſe obtulit, incertum ſit, an libertate ſint donata. Licet vero iam hodie ab erecto inquiſitionis tribunali in hoc regno tranſierint quadraginta anni, quod tempus ſufficiens eſt ad præſcribendum aduerſus leges, etiam canonicas videndum eſt, an dubia, quæ hac de re intermedio tempore inſurrexerunt, impedimento ad præſcribendum fuerint.

Reſellitur.

SVMMARIVM.

1 *Animalia quæ fera, & quæ non fera.*

2 *Animalia & reliqua omnia, quæ domino carent, iure gentium ſunt primo capientis.*

3 *Ani-*

3 *Animalia mansueta dominum habent, & licet à fera interficiantur, aut alia ratione pereant, partes & corium sunt domini animalis.*

4 *Feras cuique venari & capere licet, atque eo ipso quod ipsas coperit, dominum earum comparat, siue in fundo proprio, alieno vel communi capiat.*

5 *Animalium immansuetorum amittimus dominium, vbi ad pristinam redeunt libertatem, & quando ad libertatem rediisse censeantur.*

6 *Animalium cicuratorum amittimus dominium, cum prius amissa redeundi consuetudine se recipiunt ad suam naturalem libertatem.*

7 *Quando eiusmodi animalia censeantur redeundi consuetudinem amisisse.*

8 *Falcones & similia animalia aucupio & receptui ad aucupis manum assuefacta, quando consuetudinem redeundi amisisse censeantur.*

9 *Quamdiu columbarum dominium retineamus.*

10 *De apium dominio.*

11 *Dominium ferarum, quæ in locis suprascriptis, aut in saltibus Principum continetur, ad quem pertineant, & quid in piscibus lacuum ac paludum magnæ vastitatis.*

DE ACQVISITIONE ET AMISSIONE dominij ferarum.

DISPVTATIO 41.

COnsequenter dicendum est de acquisitione & amissione dominij rerum ratione carentium. Et primo earum, quæ antea nullius erant propriæ. Vt vero à ferisincipiamus (ferarum nomine etiam pisces & volucres comprehendendo) sciendum est.

1 *Animalia, quæ fera, quæ non item.*

Animalium ratione carentium, vt colligitur *ex §. feræ, & sequentibus, instit. de rerum diuisione*, quædam suapte natura esse fera, quædam non item. Posteriorisgeneris sunt oues, boues, porci, gallinæ, anseres, & id genus alia. Prioris vero lepores, cerui, grues, perdices, & pleraque alia; inter quæ pisces omnes commemorantur. Sciendum est deinde, quædam esse animalia eiusdem appellationis, aut etiam speciei, inter quæ, vel propter complexionem, vel propter educationem, quædam fera sint, quædam vero domestica, vt in anatibus, anseribus, columbis, & aliis cernere licet: sicut etiam quædam, suapte natura fera, educatione cicurantur, vt cerui, accipitres, quædam vero suapte natura domestica, sibi ipsis in syluis diu relicta, efferantur, vt sues, capræ, aliaq; id genus complura.

2 *Animalia, quæ domino carent, primo capienti fiunt.*

His ita constitutis, generalis hæc regula est statuenda. Quæ bruta animantia domino carent, gentium iure fiunt primo occupantis. Quæ regula in reliquis etiam rebus locum habet, vt patet *§. feræ, Instit. de rerum diuisione, l. 1. ff. de acquirend. possess. l. 1. & 3. ff. de acquir. rerum domin. ius naturale, & c. ius gentium, d. l. 1.* estque omnium consensu receptissima.

3 Vt vero à mansuetis omnino animalibus nos expediamus, sciendum est, regulariter illa omnia proprios habere dominos & esto longe aberrent, aut à lupo, aliaue fera capta deferantur, nõ amitti eorum dominium, adeo vt si ab ea interficiantur, aut alia ratione pereant, carnes eorum, & quicquid aliud ex eis remanserit, ad illius dominium spectent, cuius illa erant animalia. Quin etiã si quis propria industria ac labore eiusmodi animalia, eorumve partes extrahat de ore lupi, aut alterius bestiæ faucibus, esto peritura alioqui omnino essent, nisi ipse ea extraheret, tenetur sane ea domino animalium restituere, quamuis iure possit ab eo pretium sui laboris ac industriæ exigere, quatenus vtiliter negotium illius egit. Hæc omnia habentur *l. Pomponius. ff. de acquirendo rerum domin. 5. lib. Ord. huius Lusitaniæ regni. tit. 41. §. Pomponius. ff. familiæ hercisc. & §. Gallinarum, Instit. de rerum diuisione.*

Quod ad fera animalia attinet, de quibus est præsens disputatio. Si talia sint, quæ ad nullius dominium spectent, vtique stando in solo iure naturali ac gentium, fas est cuique ea venari ac capere. Atq; eo ipso, quod ea ceperit, gentium iure dominium eorum comparat, siue ea in suo proprio agro, siue in communi, siue in alieno capiat. Ita habetur *Instit. de rerum diuisione, § feræ, & l. 3. ff de acquirendo rerum dominio.* 4

Eiusmodi animalium tamdiu dominium retinetur, quamdiu in nostra custodia coercentur. Cum primum vero nostram custodiã euadunt, in suamque naturalem libertatem se recipiunt, amittitur eorum dominium, rursusque fiunt primo capientis. Censentur vero suam naturalem libertatem consecuta, quando mansueta non sunt, quæ abire & redire soleant, eoque pacto custodiam fugiant, vt domini custodientisve oculos fugiant: vel esto adhuc sint in conspectu, difficilis sit eorum prosecutio & comprehensio. Hæc habentur *§. feræ citato, & l. 3. 4. & 5. ff. de acquirendo rerum dominio.* Quo fit, vt aues, quæ in caueis, ne fugiant, continentur, regulariter suam censeantur consecutæ libertatem statim, ac caueas egrediuntur: quippe cum continuo difficilis esse soleat earum captura. Nisi forte intra domorum claustra egrediantur, in quibus vel claudendo fenestram, vel alia ratione earum non sit difficilis comprehensio. Item si, quod ad mansuetudinem quandam essent redactæ, vel quod alas habeant abscisas, vel alia quauis ratione difficilis non sit earum captura, sane interim dum conspectum non fugerent, minime censeretur amissum earum dominium. Quin, esto conspectum fugerent, dum facile paulo post essent capiendæ, nequaquam earum dominium amitti crederetur. Hæc enim omnia prudentis arbitrio, circumstantiis concurrentibus spectatis, iudicanda sunt. 5

Porro earum ferarum, quæ educatione cicuratæ sunt, quæque abire & redire domum solent, vt esse solent quidam cerui, tamdiu dominium retinetur, quamdiu illæ animum redeundi retinẽt: statim vero ac animum illum amittunt, earum quoq; amittitur dominium, fiuntque capientis, esto facilior aliquantulum sit earum comprehensio, quod de pristina mansuetudine partem aliquam retineãt. Tunc vero redeundi animum amisisse censentur, cum reuertendi consuetudinem amiserunt. Hæc omnia habentur *Instit. de rerum diuisione, §. pauonum, & l. naturalem, ff. de acquirendo rerum dominio.* 6

Nauar. *in Manua. c. 17. n. 128.* Syl. *verb. inuentum, q. 2.* Maior *in 4. d. 15. q. 10.* & quidam alij, iuxta glossam quandam *l. de quibus. ff. de legib. in verb. inuenta*, arbitrantur, satis esse si eiusmodi animalibus bis non redire contingat diebus & horis consuetis, vt reuertendi consuetudinem amisisse censeantur, fiantq; primo capientis. Arbitror tamen prudentis arbitrio relinquendum esse, quando consuetudinem reuertendi amisisse sint censenda. Si namque dum non reuertuntur, facili negotio quæruntur, atque asportantur, aut non longe fugiunt in sylua, sed in suburbanis commorantur, aut vagantur per alienas domos, esto per octo, aut quindecim dies, aut etiam per mensem, non reuertantur, censenda non sunt, consuetudinem amisisse reuertendi: velle autem, quod glossa illa in re, de qua loquitur, recte doceat ad id, de quo disputamus, accommodare, sanæ rationi minime est consentaneum. 7

§ *Falconum dominium.*

Quod vero ad falcones, & similia animalia, aucupio, & receptui ad aucupis manum assuefacta, attinet: quamdiu illa consuetudinem ad manum aucupis redeundi non amittunt, esto extra nostrã custodiam sint, eorum apud nos dominium perseuerat.

rat. Quod si illam aliquando amitterent, ad suamq; naturalem feritatem redirent, sane, esto stigmata haberent impressa ac notas, vt cuius erant agnoscerentur, fierent profecto capientis. Quoniam regula illa vera est vniuersim, ferarum amitti dominium simul ac ea ad suam libertatem ac feritatem redeũt. Quia tamen eiusmodi animalia semel assuefacta raro consuetudinem reuertendi ad manum amittũt. in dubioque præsumendum est, eum non amisisse, quærendi sunt proprij domini, illisq; sunt restituenda, vt *li. 5. Ord. huius regni, tit. 41.* statuitur. Ibidem, vltra impensas factas, præmia inuẽtoribus cõstituũtur.

9 *Columbarũ dominium.*

Earum vero columbarum, quæ in nostro commorantur columbario, tamdiu dominium retinemus, quamdiu eo redire consueuerunt. Quod si domicilium mutent, continuo dominium earum amittimus. Idem dicendum est de apibus, quæ in nostris aluearibus commorantur. Quod si examen totum ex nostro aluearioconuolet, dominium illius retinemus quamdiu est in nostro conspectu, difficilisque non est illius consecutio & comprehensio. Statim vero, ac disparet, difficilisve est illius comprehensio, dominium illius amittimus. Noua autem examina, quę certis temporibus ex aluearibus egrediuntur, eius sunt, cuius erat examen, à quo sunt progenita. Ferarum namque fructus & partus, generationis, originisue titulo, eius sunt, cuius erant ferę, ex quibus sunt progeniti, vt *ex §. item ea quæ ex animalibus, Inst. de rerum diuisione* est manifestum. Est nihilominus in his etiam examinibus seruanda regula paulo anteà præfixa, nempe, statim, ac disparent, difficilisue est eorum comprehensio, eorum amitti dominium. Quæcunque vero examina domino carent, fiunt primo ea occupantis, esto in alieno agro, alienaue arbore consederint. Imo vero esto ibi fauos confecerint, tam fauí, quam agmina, sunt primo occupantis. Si tamen dominus agri præuiderit posse prohibere alios, ne suum agrum ad ea occupãdum ingrediantur, vt ipse prior illa accipiat. Quod si contra eam prohibitionem alius ingrediatur, eaque præoccupet, erunt quidem ea ita occupantis, sed tenebitur domino agri ad ea, quæ in sequentibus dicemus. Si vero dominus agri iam antea illa inueniſſet, & tanquam sua occupasset, & tamen in arboris aut rupis cauitate vbi ea inuenit illa reliquisset, vel quia aptus esset locus, vel quousque alueare pararet, tunc vtique dominium eorum comparasset. Porro in aliquibus regionibus mos est, aluearia in locis desertis constituere, si forte peregrinum aliquod examen in ea confluat. Quo posito, eo ipso, quod examen aliquod in eo alueari incipit habitare, efficitur domini illius aluearis: nisi forte prius examinis dominus illud insequẽretur. Hæc, quæ de apibus & columbis dicta sunt; aperte constant ex §. *apum & §. pauonum, instit. de rerum diuisione, ex leg. naturalem §. apum. ff. de acquirendo rerum dominio, & ex leg. 3. §. Nerua, & sequenti ff. de acquir. possessione.*

10 *Apum dominium.*

11 *Dominium ferarum in circũseptis. & in saltibus principum.*

Ferarum dominium, quæ captæ aliquando, aut quasi captæ, inclusæ in locis circumseptis continentur, vt in viuariis, piscinis, stagnis, & aliis similibus locis, nec non earum quæ in eisdem locis ex illis procreantur, ad eum spectat, qui eas in tali custodia retinet, vt colligitur ex *l. 3. §. item feras. ff. de acquiren. possess. & ex §. item ea quæ ex animalibus, instit. de rerum diuisione.* Quæ autem in circumseptis saltibus magnæ vastitatis continentur, ita vt nunquam captæ, aut quasi captæ fuerint, sed semper fuerint in sua naturali libertate, tametsi septum illud præstet, vt & ferę intus contineantur, cum nullus fugæ detur locus, & vt alij venatores arceantur, atque ita ferę fœlicius multiplicentur: nihilominus tamen ad illius dominium non pertinent, cuius est saltus: tametsi ille solus eas venandi ius habeat, sed in sua sunt naturali feritate, ac libertate. Idem dicendum est, de piscibus lacuum, ac paludum magnæ vastitatis. Ita colligitur ex *l. 3. §. item feras citato.* & affirmat Couar. *regul. peccatum p. 2. §. 9. n.* 15. opinionem deserens, quam alibi fuerat secutus. Confirmari vero potest ratione. Quoniam ferarum, esto in agro nostro sint, non prius comparatur dominium, quam illæ capiantur: eiusmodi autem ferę ex eò, quod in tam vasto loco circumseptæ sint, non cõsentur captæ, sed sunt in sua naturali libertate ac feritate. Maiori ergo cum ratione, quæ in saltibus principum, & in aliis locis minimè circumseptis continentur, in quibus venari est prohibitum, ad eorum dominium non pertinent, quorum sunt saltus, vt *l. 3. §. citato* habetur. Quin potius, esto ferę captæ aliunde asportentur, & mittantur in saltus magnæ vastitatis, siue circumseptos, siue non, aut in lacus, seu paludes, vt ibi multiplici prole propagentur, dominium earum non pertinet ad dominum saltuum, lacuũ, aut paludum. Ratio est, quoniam eo ipso, quod ibi missæ sunt, suam naturalem libertatem sunt consecutæ, ac proinde antequam iterum capiantur, ad nullius pertinent dominium.

SVMMARIVM.

1 *Animal ita ab vno percussum vel canibus suis prosecutum, vt ab eo esset capiendum, ad ipsum totum pertinet, esto alius illud præoccupet, si vero certum non erat, fuisse ab illo capiendum, tunc aut solum fuit occasio, vt alius eam capiat, & tunc tota est capientis, aut simul fuit in causa, vt animal teneretur, & tunc inter vtrumque prædam diuidendam est, seruata proportione causalitatis.*

2 *An fera, quæ in laqueo aut alio venatorio instrumento ab vno ad venandum aut piscandum exposito ab altero inuenitur, sit eius, qui venatorium instrumentum ita exposuit, an vero alterius, qui eam ibi reperit, indeque eam extraxit.*

FERA PERCVSSA AB VNO ET CAPTA ab alio, aut extracta de laqueo alterius, ad quem pertineat.

DISPVTATIO 42.

PRior ex his duabus quæstionibus excitatur *l. naturalem §. quæsitum est. ff. de acquirendo rerum dominio, & §. item quæsitum est, Instit. de rerum diuisione:* duæque contrariæ referuntur sententiæ, & vtrobique ea eligitur, quæ dominium talis feræ tribuit, non quidem percutienti, sed eam capienti. Idemque sancitur *lib. 12. titul. 28. part. 3. legum Castellæ.*

Distinguendum tamen est, si enim vulnus lethale erat, sufficiensue vt caperetur, percutiensque ita feram insequebatur, vt moraliter eam esset capturus, ipsi proculdubio tota debetur. Ratio est, quoniã licet ante naturalem illius apprehensionem dominium illius non comparet, vt ex dictis *disp. 2. & 3.* est manifestum, nihilominus sola percussione ad capturam sufficiente consecutus est ius ad eam capiendam ac possidendam atque adeo ad illius dominium cumparandum, quatenus causam sufficientẽ dedit sine qua tunc non caperetur: quo fit, vt ipsi soli debeatur. Neque aliud significare videntur iura citata, vt ex ratione, quam subiungunt, est manifestum. Definiunt namque ea ratione eam esse capientis, quoniam multa accidere solent, vt percutiens eã non capiat. Quibus verbis satis aperte indicant, quãdo moraliter esset certum à percutiente ipso fuisse capiendam, tunc quidem ad eum solum prædam pertinere. Mirum quippe esset, feram primo ictu ab aliquo ante suos oculos interfectam, ad ipsum solũ non pertinere, sed esse primo eam occupantis contrariumque habuit semper cõsuetudo. Si vero per-

cussio sufficiens non erat, vt caperetur, aut percutiens non insequebatur feram, eaque ratione ad potestatem illius moraliter loquendo non erat deuentura: tunc, cum non prius dominium illius aliquis comparet, quam eam apprehendat, fit capientis. Quamuis, si percussio vnius non solum est occasio, sed & causa, vt ab alio capiatur, æquitas & iustitia postulat, vt pro quantitate causæ, quam alius, vt caperetur, dedit, eam inter se diuidant. Dominiũ tamen & possessio solum est eam capientis, atque occupatis: alter vero solum habet ius, tanquam concausa, vt sibi aliquid ex ea concedatur. Lusitaniæ lex, quæ huic nostræ fauet sententiæ, statim subiicietur, Lege Sylu. *Verb. inuentum q. 2. pronunciato. 2. & Aug. eodem verb.* Idem dicerem, quando vnus venando suis canibus leporem excitat aut cuniculum, & dum canes feram insequuntur, alius casu iliam interficit, aut capit. Si namque capienda certo erat à canibus, qui eam excitarunt, tota debetur venatori, cuius sunt canes.

Si vero certum non erat fuisse ab illo capiendam, tunc aut solum fuit occasio, vt alius eam caperet, & tunc tota est capientis: aut simul fuit in causa, vt lepus teneretur, & tunc inter vtrumq; præda diuidenda est seruata proportione causalitatis, qua vterque ad feram capiendam concurrit.

Quod ad secundam quæstionem attinet, nempe an fera, quæ in laqueo, aut alio venatorio instrumẽto, ab vno ad venandum aut piscandum expositio, ab altero inuenitur, sit eius qui venatorium instrumentum ita exposuit, an vero alterius, qui eam ibi reperit, indeque eam extraxit *l. in laqueum. ff. de acquirendo rerum dominio.* aperte innuit, esse extrahentis illam de laqueo. Eodemque modo intelligit legem illam ac sequitur *l. 21. titul. 28. p. 3. legum Castellæ* rametsi addat, aliquibus in locis contrariam consuetudinem esse. Eandem sententiam, vbi nos cõtrarius non fuerit, amplectuntur Nauar. *in Manu. c. 17. num. 176.* Couar. *regula peccatum p. 2. §. 8. num. 13.* Maior. *4. d. 15. q. 16.* & alij. Sylue. *loco citato*, & quidam alijcitant quasdam glossas iuris in contrarium, quas non reperio. Addit vero Syluester. Licet rigor iuris videatur velle, feram esse extrahentis illam de alieno laqueo.

Nihilominus hic, sicut in quæstione præcedente, distinguendum esse arbitror. Si namque fera ita sit in alieno laqueo irretita, alioue instrumento cõclusa, vt moraliter certum esset, eam peruenturam ad manum eius, qui laqueum tetendit, nisi alius eam extraheret tunc in foro conscientiæ tota illius est, qui venandi instrumentum exposuit. Ratio est, quoniam licet ante naturalem apprehensionem manibus suis forte illius dominium non consequatur: eo tamen ipso, quod propria industria, vtensque iure suo eam ita irretiuit, solus ipse ius comparauit, vt per naturalem apprehensionem & extractionem de suo venatorio instrumento, dominium illius acquireret, eaq; ratione ipsi soli tota præda debetur. Dixi, forte: quoniam cum fera iam non sit in sua naturali libertate, sed capta sit in instrumento ad eã capiendam exposito, cur sicut feram esse ita inclusam sufficit, vt perseueret postea in dominio & possessione illius, non sufficiet etiam, vt à principio dominium & possessio illius comparetur? Iura tamen innuunt, nondum dominium & possessionem esse comparatam: plusque exigi solet ad comparandum dominium & possessionem, quam ad perseuerandum in eis semel iam comparatis. Nostra sententia indubitata est in hoc Lusitaniæ regno non solum in conscientia, sed etiam in exteriori foro: est enim sancita. 5. *li. ordinationum tit. 41. §. penultimo.* Idem dicunt multi seruari multis in locis in regno Castellæ, imo Antonius Cordubensis *in tractat. de casibus conscientiæ, quæst. 119. circa l. 17. titul. 4. lib. 3. fori.* qua idem sancitum affirmat ac sane, nihil impediente iure communi, id est in foro exteriori esse vbique seruandum arbitror. Ratio vero, quæ me mouet, est, quoniam lex in laqueum, & aliæ similes, si recte expendantur, non videntur condere nouum ius positiuum, quo contrarium eius fiat, ac iudicetur, quod stando in solo iure naturali faciendum, iudicandũque esset: sed solum, videntur velle statuere & explicare quid rei natura, gentium iure suppositio, habeat: est enim lex in laqueum non aliud, quam relatio sententiæ Proculi ea de re: sola autem rei natura spectata, extra controuersiam nostra videtur sententia: quam, præter rationem paulo ante confectam possumus confirmare. Quoniam si, vt videbimus, spectata sola rei natura, qui in agro, aut saltu alieno contra domini voluntatem venatur, non solum iniuriam illi facit sed etiam tenetur illi restituere, quã tum domino agri aut saltus intererat, eum tunc nõ venari, vt communis doctorum sententia affirmat, consonantque ius commune, & leges Castellæ: quanto magis qui agnoscens venatorium instrumẽtum alienum esse, atque id esse contra præsumptam domini voluntatem, iniuriam illi faciet, si ferã quã in eo ipso irretiuit, inde auferat, tenebiturq; illi restituere iacturam, quæ ei ex tali extractione accidit: quæ pro culdubio in re, de qua disputamus, est integer valor feræ. Id Proculum in errorem induxisse videtur, quod nec attenderit, quamuis ex feræ illaqueatione dominus venatorii instrumenti non cõparet feræ dominium, comparare tamen ius, vt solus ipse eam efficiat suam nec item aduerterit, iniustitiã, onusq; restituendi non solũ oriri ex eo, quod alter habeat dominium rei, quæ eo inuito aufertur, sed etiam ex eo, quod comparatum ius habeat ad eã suam efficiendam. Ad hæc, si priuatus quisq; venari aut piscari alterum prohibeat quando iure ei liceret, sane illi iniuriam faceret, teneturq; damnum inde subsecutum illi restituere, vt affirmant doctores; estque manifestum, nempe quantum sua intererat, tunc temporis piscari, aut venari: ergo pari ratione, qui laqueos alterius, ad venandum aut piscãdum pro iure suo expositos amouet, aut dissoluit, eaq; ratione est impedimento, ne feræ illis illaqueentur & capiantur, tenetur illi restituere quantum sua intererat, rẽtia aut laqueos non esse amotos vel dissolutos: maiori ergo cum ratione restituere ei tenebitur, si feras iam in eis irretitas & captas inde eripiat, sibiq; eas assumat. Ac sane si quis naturæ lumẽ consulat, facile inueniet, intellectum respuere contrariam sententiam tanquam rationi minime consentaneam. Si vero fera ita erat illaqueata, vt euadere probabiliter posset, tunc, qui eam de laqueo extraxerit (spectata duntaxat rei natura) solum restituere tenetur domino laquei partem feræ aut valoris illius maiorem vel minorem pro quantitate probabilitatis quæ erat, illam esse in potestatem tendentis laqueos deuenturam. Ratio est, quoniam cum nondum esset consecutus dominium ac possessionem illius, sed solum ius vt eam suam efficeret, neque certum esset, eum apprehensione illius naturali effecturum eam suam, sane, spectata duntaxat rei natura, solũ illi debetur pars pro quantitate probabilitatis & spei, quæ erat, fore, vt ab eo caperetur, & pro quantitate causæ, quam capturæ feræ illius dedit: isque, qui illam de laqueo extraxit, comparauit in eo euentu dominium & possessionem illius. Dixi, spectata duntaxat rei natura. Quoniam in hoc regno propter legem supra citatam forte fera tota domino laquei adiudicabitur; solumque concederetur ei, qui illam extraxit, actio negotiorum gestorum aduersum eum, qui laqueum exposuit, vt sibi persoluat laborem & industriam, quando id in bonũ domini laquei cesserit. Quod si, dũ venator animal vagum persequitur, in laqueum incidat ab alio expositum, tunc quidem, si laqueus ita fuit cum causa vt caperetur, vt alioqui euadere potuisset, diuidendum

dum est inter venatorem & eum, qui laqueum exposuit: eo quod vterque in causa fuerit vt comprehenderetur. Si vero sola insecutio venatoris sufficiens omnino erat, vt caperetur, totum quidem pertinet ad insecutorem: quoniam laqueus ad hoc, vt caperetur, per accidens se habuit. Ex his dubia alia, quæ facile poterunt suboriri, dissolui commode possunt.

SVMMARIVM.

1 *Venatio rationabili ex causa prohiberi potest, & reipsa multipliciter est prohibita.*

AN VENATIO LICITE POSSIT prohiberi, & quousque in communem vtilitatem sit prohibita.

DISPVTATIO 43.

VEnationem hoc loco sumimus, vt aucupium & piscationem comprehendit. Porro cum illa, quantum ex se, licita sit, iureq; naturali & gentium omnibus sit permissa, eo quod gētium iure feræ mā serint indiuisæ & omnibus communes, fiantque eodem gentium iure primo capientis: non defuerunt quidam, quos Couar. *reg. peccatum p. 2 §. 8. nu. 1.* & alij referūt, qui asseuerauerint, principes nō posse prohibere venationē. Ea ducti ratione, quod principes nullam supra ius naturale ac gentium habeant potestatem. Cæterum cum neque naturali, neque gentium iure sit venatio præcepta, sed solum, stando intra solos limites talis iuris licita sit ac permissa, superuenireque possint legitimę causę, quibus expediens, decensque sit eam, vel aliquibus personis, vel certis quibusdam locis, aut temporibus vel aliquibus instrumentis prohiberi, sane ridiculum est affirmare potestates publicas non posse sub quibusdam certis limitibus & terminis venationem prohibere. Neque enim id est naturali aut gentium iuri aduersari, sed est per potestatem, quam habent iusta de causa coarctare id, quod stando in solo iure naturali & gētium erat licitum; quod sane fas esse principibus, non semel supra ostensum est.

1 *Venatio potest prohiberi*

Solet vero venatio in communem vtilitatem mérito prohiberi. In primis certis quibusdam anni temporibus, in quibus feræ grauidæ sunt, suosque filios procreant. Deinde certis quibusdam instrumentis, quibus plurimi capiuntur pisces minutissimi, idque ne ea ratione valde feræ minuantur, & cibus Reipublicæ necessarius deficiat. Hac eadem ratione solet merito prohiberi, ne nimis tempore lepores, cuniculi, perdices, & columbæ capiantur. Prohibari etiam solet, ne homines piscentur mittendo in flumina & paludes eas res, quibus tum pisces moriuntur, tum aquæ etiam inficiuntur. Idque sub flagellorum pœna *combaraco & preguaon*, vt vocant prohibitum est in hoc regno *4. part. legum extrauag. tit. 14. l. 3.* Est enim id valde pernitiosum Reipublicæ. Reliquas harum rerum prohibitiones in hoc regno lege si placet *5. lib Ordin. tit. 84. & tit. 14. citato §. 1. 2. & 3.* Prohibitiones vero regni Castellæ habentur *7. l. nouæ collect. tit. 8.*

SVMMARIVM.

1 *Venatio Ecclesiasticis quousque prohibita, & si ex periculosa venatione mors alicuius sequatur, quando irregularitatem incurrant.*

2 *Venatio religiosis quousque illicita ac indecens.*

VENATIO QVOVSQVE ECCLESIASTICIS sit prohibita.

DISPVTATIO 44.

1 CVm ratione statūs clericos minime deceat venatio, ac si frequens sit & immodica, animum à rebus diuinis seiunctum distrahat: præsertim cum in causa esse soleat, vt illud, quod de reditibus Ecclesiasticis pauperibus erat erogandum, cum canibus, accipitribus, equis, & ministris ad eam necessariis, vane & inordinate insumatur: merito clericis est prohibita venatio, maxime cum canibus & accipitribus, vt patet *extra de clerico venatore c. 1. & 2.* & *34. d. cap. 1. ac alibi & in Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reformatione* inter alia, de quibus canonici admonentur, vnum est, vt ab illicitis venationibus aucupiis, choreis, &c. abstineant. Episcopi, si frequentes sint in huiusmodi venationibus iuribus citatis suspendi iubentur à communione tribus mensibus, presbyteri duobus, & diaconi officio. Cæterum ex solo venationis capite, non facile damnes clericum culpæ lethalis. Quod si venatio ex suo genere periculosa esset, ne inde casu mors aut mutilatio alicuius sequeretur, qualis esse solet aprorum venatio: tunc sane, si Ecclesiasticus talis venationis causa esset, ex eaque sine alia ipsius culpa, mors aut mutilatio alicuius sequeretur, irregularitatem ex homicidio aut mutilatione casuali incurreret: eo quod dedisset operam rei sibi illicitæ, & aptæ, vt inde effectus ille sequeretur.

Bene notat Medina, *de rebus restit. quæstio. 12.* quieta & minime tumultuosa venatio, necessitatis, aut honestæ recreationis causa clericis non interdicitur. Idem docere videtur Panormitanus, *extra de clerico venatore*, & alii.

2 *Religiosis quousque illicita.*

C Religiosis, eo quod plus eos dedeceat, maiori cū ratione interdicta est venatio, vt *Clement. 1. de statu monachorum §. porro* est manifestum. Aliud tamē est, aspicere alios venantes, nullo incomposito motu aut cursu aspicientis, indeque honestam sumere recreationem: aliud vero quempiam per seipsum venari, illud primum nulli est prohibitum: quamuis & ab eiusmodi aspectu abstinere debeant viri, quò religiosiorem vitam profitentur, nisi casu accidat aliquando reperiri inter venantes. Secundum vero est, quod prohibetur, quando venatio est inquieta tempore quadragesimæ & aliis, in quibus ratio postulat, vt minori recreationi, & distractioni vacemus, magis indecens est ea venatio, quæ limites recreationis illorum temporum transgreditur, quam aliis anni temporibus.

D

SVMMARIVM.

1 *Potest quis de iure communi prohibere alios venari in agro suo, nisi ius sit penes alium, vt in saltibus principum.*

2 *Princeps legem ferre potest vt nullus prohibeat venari in agris satis, nisi ex venatione notabile damnum immineret.*

3 *Iure Lusitaniæ venari licet in loco alieno, modo inde aliud detrimentum non sequatur & locus septus non sit.*

E 4 *Venari prohiberi potest vnaquæque communitas in terris suis extraneis stando in solo iure naturali & communi quamuis interim dum non prohibentur venari possint.*

POSSITNE VNVS QVISQVE PROhibere venationem in agro suo & vnaquæque communitas prohibere extraneis ne in terris ipsius venentur.

DISPVTATIO. 45.

1 LIcet feræ, quæ in alienis agris & locis capiuntur, iure gentium & Cæsareo sint capientium:

de iure tamen communi integrũ est vnicuique prohibere aliis, ne in suo fundo, aut loco venentur, vt constat *ex instituta de rerum diuisione, §. fera & l. 3. ff. de acquirendo rerum dominio.* Quo fit, vt vnusquisque vsurpare sibi possit ius venandi in suo proprio loco, aut ab aliis illud vendere, aut locare. Excipitur, nisi tale ius iam antea esset alicuius alterius: vt in saltibus principum aliisque locis, quæ in hoc regno Coutadas vocant, de quibus disp. sequenti erit sermo. Licet enim in illis multi priuati homines suas habeant possessiones, iustamen in illis venatum exercendi, non ad ipsos, sed ad eum spectat ad quem tale ius pertinet. Quin potius possessiones illæ perpetuo eam habent quasi seruitutem vt non earum domini, sed ille alius in eis venari possit: & ad quemcunque quocunq; titulo pertranseant, cum eo transeunt onere & seruitute.

Ius Lusitanum.

Postulante autem id bono communi, potest princeps legem ferre, vt nullus prohibeat venari in agris suis, nisi quando essent tales, vt ex venatione notabile damnum immineret: vt si conculcandæ essent segetes, aut vineæ pastinatæ damnum ex venatione essent reportaturæ. In hoc autem regno id constitutum videtur: *quinto* enim *li. Ordinat. tit. 101.* sancitum est, vt nullus absque facultate regis in montibus, & terris, aut in flumnibus, vel lacubus, etiamsi ipsius sint, constituat Coutadas, in quibus venatio aut piscatio, vel passus sint aliis prohibita: atque ita audio consuetudine esse receptum. Quare in hoc regno iuri communi hac in parte videtur derogatum: tantumque iuris est vnicuique ad venandum & piscandum in loco alieno, quantum domino loci, modo inde aliud detrimentum illi non sequatur: quod intellige, cum locus septus non est. Sicut autem, standoin solo iure communi ac lumine naturali, fas est vnicuique prohibere aliis ne venentur, aut piscentur in suo agro: sic quoque vnaquæque communitas, aut populus prohibere potest extraneis, ne in terris ipsius propriis venentur, aut piscentur: cum sit par ratio, nec minus dominii habeat vnaquæque communitas in terris suis, quam vnusquisque in suo agro. Ita affirmant Medina *de rebus restituen. q. 12.* & alij. Quare Victoria *in relectione de Indis noui orbis p. 2. n. 4.* plus iusto concedit extraneis ius venandi & piscandi in terris aliorum. Licet enim standoin solo naturali & gentium iure, fas sit cuique, interim dũ non prohibetur, venari & piscari in terris aliorum: & si quid cœperit, gentium iure illius dominium acquirat. eo quod res ita captæ nullus alius esset dominus. nihilominus vnaquæque communitas titulo dominij terrarum, quæ ad ipsam spectant, sibi soli poterit vsurpare ius venandi & piscandi in eis aliosque à tali venatione & piscatione prohibere. Atque iuxta hæc intelligendum puto §. *flumina autem, Instit. de rerum diuisione*, videturque nobiscum cõsentire. Sotus 5. *de iustitia q. 3. a. 3. ad 2.*

Victoria opinio refellitur

SVMMARIVM.

1 *Venandi loca sibi solis pœnasque moderatas aliis ibi venantibus statuere, quousque principibus & magnatibus liceat.*

2 *Venationem ac piscationem rerum aliquarum lucri ac reditus gratia quousque liceat principibus sibi reseruare.*

3 *An vero ad suam solam honestam recreationem possit princeps sibi soli vendicare ius venandi aut piscandi in aliquo loco non sibi proprio sed communi aut in quo sint etiam prædia aliqua priuatorum.*

4 *Magnatibus & priuatis non temere loca concedi debent in quibus ipsi soli habeant ius venandi aut piscandi & qua ratione multa in Lusitania concessa videantur.*

5 *Bona & Iura populo communia alia principibus donari non possunt.*

6 *Cum quis est in possessione venandi aut piscandi an ei scrupulus injiciendus sit.*

7 *An liceat principibus imponere pœnas mortis mutilationis membrorum vel flagellorum venantibus in locis prohibitis.*

PRINCIPES ET MAGNATES QVOusque deputari sibi possint loca ad venandum & piscandum, quæ cæteris sint interdicta.

DISPVTATIO 46.

IN Primis si principes supremi sint habeantque loca aliqua, quorum dominium proprietatis ad ipsos solos spectet, non dubium est, fas illis esse, venationem in eis, piscationemque interdicere, sibique duntaxat eiusmodi ius reseruare: nec non publica potestate quam habent, moderatas pœnas venantibus aut piscantibus in locis designatis, absque ipsorum facultate, statuere. Etenim sicut quicunq; priuatus, stando in solo iure gentium & communi, potest id efficere in suo proprio agro, vt disputatione præcedente ostensum est: ita maiori cum ratione principis idem in suis prædiis ad tuam honestam principique competentem & accommodatam recreationem, poterit efficere. Magnates alii, qui superiorem agnoscunt, idem quoque efficere possunt in locis quorum dominium proprietatis ad ipsos solos spectet, nisi principis lege contrarium sit constitutum, vt disputatione præcedente retulimus institutum esse in hoc Lusitaniæ Regno. De facultate tamen principis (quam ex rationabili causa æquum est concedat) poterunt etiam certos saltus, ac bona designare, ac præscribere, in quibus nulli alteri venari fas sit: ac moderatas pœnas statuere, si ad id iurisdictio eorum se extenderit: sin minus, ex facultate principis.

Deinde princeps, vel de consensu libero populorum, vel sua propria autoritate, si necessarium omnino iudicaretur ad suam competentem sustentationem, vel ad sumptus in regni defensionem necessarios, vendicare sibi posset ius venandi, aut piscãdi in aliquo, vel aliquibus locis alioquin communibus, tale vel tale genus piscium, vt tyrannorum in locis, ad quæ confluere solent. quæ latine tynnaria, Hispane vero *almadranas* vocant, vt inde non exiguos sumptus haberet. Probatur, quoniam in primis, si populi consentirent, nulla illis fieret iniuria. Deinde, quoniã regi fas est imponere tributa, etiam renuente populo, quando ita necessarium est, vel ad cõpetentem regis sustentationem, vel ad regni defensionem & vtilitatem: ergo eorum loco & vt singuli non grauentur, fas illi erit vsurpare ius piscandi in aliquo loco, aut piscandi certum piscium genus vel aliud ius simile: præsertim cum pauci piscaturã illam exercere deberent. Nefas tamen esset, interdicere populi cõmunes alias piscationes: tametsi, pro Reipublicæ necessitate, posset rex constituere in illis maiora vel minora vectigalia, prout ex illis maiora vel minora lucra solent homines asportare.

An vero ad suam solam honestam competentem recreationem possit princeps sibi soli vendicare ius venandi aut piscandi in aliquo loco, non sibi proprio sed communi aut in quo sint etiam prædia aliqua priuatorum, potest esse maius dubium. Et quidem consentientibus iis populis, quibus locus ille esset communis, nemini potest esse dubium id licitum esse: solêtque interdũ populi aliqui, vt ad se regem attrahant, cuius præsentia ditari & nobilitari solent, non solum regibus libenter concedere, sed etiam suis hæc propriis sumptibus ea illi præparare. Semper tamen priuatis hominibus, qui ibi haberẽt, prædia aliqua, resarcire teneretur, vel princeps, vel

commu-

communitas ipsa detrimentum, quod in illos, plusquam in reliquos redundaret. Etiam sine consensu populorum, ait Sotus 4. *de iustitia, qu. 6. art. 4.* posset princeps aliquem aut aliqua communia Reipublicæ loca, moderata tamen, ad decentem suam recreationem, quam & regius status, & Reipublicæ splēdor postulat, sibi vendicare, in quibus solus ipse ius venandi haberet, arbitror tamen cum Medina *de rebus restituendis. q. 12.* opus esse compensationem aliquam facere, non solum priuatis hominibus, qui ibi prædia aliqua haberent, quantum esset detrimentū, quod illis inde eueniret, sed etiam populis quorum loca illa erant communia, eamq; maiorem vel minorem pro ratione detrimenti, quod vsurpatione, illius iuris, multiplicationeq; ferarum in eo loco illis proueniret: quod quidem præstare posset, vel remittendo illis tributum aliquod, vel aliqua alia ratione. Ducor ad hoc ita asserendum. Quoniam Respublica tota est, quæ regi tenetur tribuere, quæ ad sumptus necessarios, regiumq; splendorem necessaria sunt: nec plus quidam, quam alii, sed omnes proportione quadam æqualiter grauandi: quare si ad regium statum ac splendorem necessarium est, vt Rex ius illud, in quorundam detrimentum, sibi vsurpet, necesse est, vt alii ad illud eis resarciendum contribuant: vel certe, vt de bonis regis, à tota Republica illi concessis, aut aliunde acquisitis, id resarciatur. Quando autem iure belli prouincia aliqua vsurparetur, sRexque vel saltus, quibus antiquus princeps vtebatur, sibi eodem modo vendicaret, vel alios sibi de nouo constitueret, cessarent sane hæc omnia, vt disputatione sequenti dicetur, vbi de onere, quo similia loca ad venandum aliis interdicta possideri debent, erit sermo.

Porro magnates, & alij priuati, non, nisi modo à principio huius disputationis explicato, obtinere possunt similia loca, in quibus ipsi soli ius habeant venandi, aut piscandi vel certe de consensu populorum, qui ipsis subditi sunt: modo libere consentiant, & non metu dominorum, ne scilicet, si illorum voluntati refragentur, eos habeant infestos, approbanteque id simul rege in hoc regno (idemque videtur esse fere in aliis) compensandoque damna priuatis, qui omnino libere noluerint aliter consentire. Neque facile est concedenda multiplicatio eiusmodi locorum, præsertim cum raro subditi libere consentiant, damnaque grauissima ex multiplicatione ferarum soleant in populos promanare. Cum autem ad principem spectet remunerare de Republica, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, bene meritos: ea de causa interdum aliquibus concedit, vel ius aliquod suum venandi aut piscandi in aliquo loco, vel ius aliud, quod de nouo constituit in loco alioquin communi. Quando autem iure belli terræ in Hispaniis, & præsertim in hoc Lusitaniæ regno, de Saracenorum potestate extrahebantur, multa eiusmodi iura videntur concessa ab Alfonso Henriquez, primo Lusitaniæ Rege, & ab aliis regibus monasteriis Fratrum Diui Benedicti, Bernardi, canonicis regularibus Diui Augustini, & aliquibus magnatibus, quibus terræ, magna ex parte cultoribus tunc vacuæ, & iura in flumi nibus donabantur. Atque hinc magna ex parte videntur habuisse in hoc regno ortum similia iura quorundam monasteriorum, & aliquorum magnatum. Reges tamen non timere, neque sine ratio nabilissima causa, bona, & iura coronæ regiæ dissipare possunt, præsertim cum deficientibus ea ex causa necessariis vectigalibus, necesse sit populos tributis grauare, atque opprimere. Multo minus possunt donare quibus libuerit, bona & iura alioquin communia: maxime cum ea ratione aliquando eueniat, vt cum ciuitates aliquæ circumcirca innumeras habeant syluas, quæ quondam communes erant donatione earum per reges facta, non relinquantur populis loca, in quibus vel pecora pascant, vel vnde ligna ad vsus necessarios colligant, sed necesse illis sit pecunia, etiam in ipsismet syluis, ab iis, quibus à rege donatæ sunt, ea comparare. Sane nō video, qua ratione eiusmodi donationibus spoliari potuerint populi iure sumendi inde ligna ad vsus quotidianos. Præsertim cum, si eiusmodi homines de Republica aut de rege bene meriti, ratioque postulabat, vt præmiis ac beneficiis afficerentur, fieri id debuisset, vel de bonis regis, vel sumptibus totius Reipublicæ: non vero spoliando quosdam dūtaxat populos prædiis & bonis ad vsus quotidianos illis communibus.

Animaduertendum est cum Caietano *in summ. Verbo. Venatio*, Medina *q. 12. itata*, Gabriel *in 4. d. 15. q.* 5. & aliis, quādo ab antiquo, cuius initij nō est memoria, aliquis est in possessione iuris venādi aut piscādi, de quo loquimur, nō esse q; scrupulus ei iniiciatur: imo nec si tāto tempore sit in ea possessione, quantū ad illud præscribendum sit satis, consonatque *l. si quisquam. ff. de diuersis & temporalibus præscriptionibus, & l. sane si navis. ff. de iniuriis.* Obseruat tamen Couar. *loco citato nu. 1. & 10.* examinandum esse, an tyrannide, iniustoque titulo cœperit possessio talis iuris. Si namque fama esset tyrannide iniustoque titulo cœpisse, conquerentibusque populis, & minimè ob timorem audentibus se opponere ac reclamare, vtique cum possessor malæ fidei nullo tempore præscribat, esto de initio possessionis non constaret, retineri non posset talis possessio, sed restituenda essent damna illuc vsque iniuste ea ratione illata.

Illud postremo cum Doctoribus citatis, Nauarro *in Manuali cap. 17. num. 121.* Syluest. *verbo restitutio. 3. num. 2, & verbo Venatio*, & communi Doctorum sententia, obseruandum est, nefas esse principibus imponere pœnas mortis, vel mutilationis, imo neque flagellorum, venantibus in loco prohibito. Quod si ad terrorem aliquando imponerentur, secus haliter peccaret, qui eas executioni mandaret, cum onere restituendi damnum illatum. Nisi forte aliquis sæpius leuioribus pœnis, & admonitus; desistere non vellet, grauēq; damnum inferret: tunc enim flagellorum pœna, si id illius conditio ferret, posset puniri.

SVMMARIVM.

1 *Venandi qui loca habent interdicta quousque restituere teneantur damna quæ dederint feræ.*

QVOVSQVE, QVI HABENT LOCA cæteris ad venandum interdicta, restituere teneantur damna, quæ fera intulerint.

DISPVTATIO. 47.

ADhanc dubitationem cum distinctione respondendum est. Si namque locus ad venandum interdictus totus sit eius quoad proprietatem, qui solus ius ad venandum in eo habet: alii vero intra illum prædia aliqua habeant, quæ, postquam locus est interdictus, vel emerunt, vel in emphyteusim à domino illius loci acceperunt: sane ad nullam restitutionem tenetur damnorum, quæ bestiæ illius loci intulerint. Probatur, quia in primis, non tenetur restituere damna, quæ prædiis intra eum locum constitutis intulerint: quandoquidem prædia illa cum eo onere, & ea quasi seruitute à principio sunt vendita, aut tradita in emphyteusim, ita vt licet possessoribus eorum fas sit inde abigere feras, nefas tamen illis sit eas interficere, sed sustinere tenentur damna, si quæ feræ intulerint, eaque ratione prædia illa

illa minoris erant valoris, quando vendita aut trãdita sunt in emphyteusim; ergo qui habet ius, vt solus ipse in eo loco venetur, non tenetur ea damna restituere. Deinde neque tenetur restituere damna, quæ locis circum vicinis tales feræ intulerint. Tum quia vnicuique fas est feras illas interficere in eis locis, sibique ipsi eas accipere: in emolumentumque Reipublicæ, & præcipue illorum locorum vicinorum cedit, esse tot feras, quæ venatione à quocunq; capi possint. Tum etiam quoniam propter damna, quæ per accidens sequuntur locis circum vicinis, coniuncta cum tanto eorum, si eo vti velint, & Reipublicæ commodo, non tenetur quis minuere feras sui saltus.

Quæ dicta sunt, locum etiam habent, quando prædia quæ in loco interdicto includuntur, à principio non erant illius, qui solus ius venandi in eo habet. Nihilominus domini prædiorum, vel pretio accepto, vel gratis & mere libere consenserunt, vt solus ille ius ibi haberet venandi: eo namque ipso consenserunt, vt prædia illa eam quasi seruitutem haberent, sustinerentq; damna & grauamina, quæ ex multiplicatione bestiarum in loco ita interdicto, poterant ipsis & eorum successoribus suboriri. Si qui tamen non consensissent, aut non libere, sed principum aut magnatum timore, ne ipsis infesti essent, eosq; aliis oneribus grauarent, cõsensum præbuissent, tunc his, successoribusq; in ipsorum prædiis, restitutio esset facienda damnorum omnium, quæ receperunt, & quæ in futurum recipient: esto primarii populi, iique, quibus populi regimen cõmissum est, consensissent. Ratio est, quoniam nulli priuatorum, etiam de consensu rectorum populi, iuste inferri potest damnum in suis rebus propriis, ipso inuito.

Item si princeps aliquis iure belli terras aliquas sibi subiiciat, expulsis inde & spoliatis earum habitatoribus, vt Reges Hispaniarum, pulsis Saracenis, terras multas in Hispanis ditioni suæ subiecerunt, tunc quidem, si princeps ibi loca aliqua in saltus suæ recreationi competentes sibi deputet, cæteris q; interdicat quia simili modo à principibus, qui inde expulsi sunt, possidebantur, vel quia de nouo vult ea ad id muneris deputare, sane quamuis in eis prædia aliqua quibusdam priuatis, vel simul, vel postea concedat, locaque vicina aliis gratis, aut tributo aliquo, vel pretio accepto distribuat, ad nullam restitutionem tenebitur damnorum, quæ feræ eorum locorum intulerint. Ratio est, quoniam cum eo onere censetur princeps ea prædia & loca concessisse. Quare ad examinandum quando, & quousque dominus loci, alijs ad venandum interdicti, restituere teneatur damna, quæ feræ illius loci dederint, aspiciendi, atque expendendi sunt tituli & modi, quibus is locus à principio est aliis ad venandum interdictus.

Quando autem locus aliquis, siue communis maneat populorum quoad proprietatem, siue non, postquam alij in eo prædia sua habebant, cæteris ad venandum interdicitur, vt frequentius fieri solet: tunc sane, siue princeps illum sibi ad venationem deputet, siue aliquis alius de consensu principis, tenetur omnibus & singulis, qui intra locum interdictum prædia habent, restituere damna omnia, quæ feræ illis intulerint: nisi, vt dictum est, à principio de communi ac libero omnino consensu omnium & singulorum, qui intra illos limites habent prædia deputatus interdictusque fuerit: vel nisi, postquam deputatus fuit, facta fuerit compositio aliqua cum omnibus & singulis pro damnis, quæ in futurum illis euenire possent, siue parua siue magna ea demum futura sint aut aliqua alia ratione illi cõsentiant, & grauamen illud in posterum remittant. Eo namque ipso quod semel illud rite remiserint, liber manet dominus loci interdicti à restituendis damnis quæ feræ in posterum dederint. In casu autem proposito intelligenda est communis doctorum sententia asserentium, dominum eiusmodi locorum teneri in conscientia restituere damna omnia & singula, quæ ferę eorum locorum dederint, neque aliter absolui posse nisi serio statuat id opere implere: & nisi, postquam id iunctum fuit, opere impleuerit. Ita Caietanus *in Opus. 17. responsionum 12. responsione*, Nauar. *in Manu. c. 17. num. 120.* Couar. *regula peccatum parte. 2. §. 8. n. 11.* Gabr. *in 4. d. 15. quæ. 5.* & plerique alij. Merito autem nonnulli admonent, non esse satis, si dominus loci tantum de tributis, alioquin sibi debitis, remittat iis populis, quibus ferę damnum inferunt, quantum fuerit damnum: nisi ex remissione illa tantum vnusquisque recipiat commodum, quantum fuit damnum, quod accepit. Cum enim multi in vnoquoque oppido sint, qui tributa persoluant, nec tamen prædia habeant, in quibus damnum à feris recipiant: aut qui non pro quantitate prædiorum tributa soluant: sane sola remissione tributorum facta populis, quibus dãna simul sumpta æqualiter compensentur, satisfactum non erit vnicuique pro quantitate damni sibi specialiter illati, ac proinde tuta non erit conscientia principis aut magnatis, qui curare, operęq; præstare tenetur, non solum, vt ad æqualitatem ipse satisfaciat, sed etiam, vt ad vnumquemque eorum, qui damnum receperunt, restitutio damnorum ad æqualitatem perueniat. Si quis autem continua sua & suorum vigilia noctu atq; interdiu ab abigendis feris à prædiis suis damnum euitauit, tunc quidem valor vigiliæ & laboris illius, inter damna, quæ est passus, erit computandus. Porro damna computari debent quoad lucrum dominis prædiorum ex eo cessans, quod fructus suo tempore in ea quantitate non percipiant, qua eos essent percepturi, detrahẽdo, non solum si quas maiores expensas in eis percipiendis in maiori illa quantitate erant facturi, sed etiam nonnihil pro maiori labore quem erant subituri: non tamen quanti æstimatur maior ille labor, si aliunde æquale lucrum suo labore non potuerunt percipere. Quod si damna non possint singulis ad æqualitatem quotannis compensari, vt propter ferarum multitudinem, magnitudinemque damnorum aliquãdo eueniet: sane tunc tenetur princeps, aut quicunque alius interdictam habens venationẽ curare, vt ferę minuantur, aut venationem assidue exercendo: aut aliis liberam faciendo facultatem, vt feras ibi cõfectentur, aliterque non potest absolui. Neque satisfaciet, si liberam subditis suis concedat facultatem vendendi prædia & bona sua, ac recedendi, si eam iacturam nõ velint sustinere, vt magnates nonnulli respondere solent, dicentes: malle se subditis carere, quã eiusmodi feris ad suã oblectationem. Non, inquam, ita quis satisfaciet. In primis, quoniam prædia, subiecta illi iacturæ, longe minoris sunt pretij, nec ipse minorem illum valorem resarcit. Deinde quoniam populi non sunt propter principes & dominos temporales, qui illos regũt, sed è contrario, principes & rectores instituti sunt incommodum populorum: neque suæ oblectationis gratia cogere subditos possunt, vt domicilium mutent, & bona sua vendant, esto sine alia sua iactura possent id efficere, nedum cum id esse nõ possit sine magno miserorum detrimento. Non etiam erit satis, si dominis prædiorum liberam faciant facultatem interficiendi feras in suis solis prædiis repertas, quando id ad damna impediẽda ac compensanda non fuerit sufficiens. Aduerte tamẽ, quod si ad Reipublicæ splendorem, supremique principis competentem oblectationem, bellicasque exercitationes suorum in feris interficiendis, expediret feras in magna multitudine in loco aliquo conseruari, posset princeps, quando aliter damna non possent compensari, concedere is qui iacturam indeac-

de acciperent, tribuere æque commoda præda in aliis locis, eosque cogere, vt vel damna sustinerent, vel alio migrent. Admonent præterea doctores, quoad damna, quæ subditi ex feris iam acceperunt, satis quidem esse, si subditi libere omnino ea dominis remittãt, vt domini tuti sint in conscientia: attamen non esse satis, si præcipui, rectoresque populorum, omnium nomine, ea remittant, nisi singuli de plebe remittant, vnusquisque in singulari damnum quod accipit, regulariterque præsumendum non esse singulos mere libere & gratis remittere.

A

SVMMARIVM.

1 *Non licere columbas etiam extra columbarium aucupari nisi vbi lex est, vt extra certos limites à quocunq; capi possint.*

2 *Columbaria an licita sint: & licita esse defenditur.*

AN COLVMBARIA LICITA SINT.

DISPVTATIO 48.

CVm duabus disputationibus præcedentibus coniuncta est hæc disputatio. Etenim columbaria loca quædam sunt ad aucupium aliis interdicta: quia, cum dominium columbarum, quæ in eis suum habent domicilium, ad columbariorum dominum spectet, nefas aliis est, etiam extra columbaria eas aucupari: nisi vbi lex est, vt extra certos limites à quocunque capi possint. Cum vero huiusmodi aues alieno grano & fructibus vescantur, neque id restitui consueuerit, aut facile possit, non immerito dubitatur, an columbaria licita sint.

B

C

Paluda. *in 4. d. 15. quæst. 2. conclu. 5.* Maior *ibid. q. 28.* & quidam alij, ea damnant tanquam illicita: affirmantque dominos columbariorum restituere teneri damna, quæ columbæ tempore messis, & dum semina terræ mandantur, aliis inferunt. Ac sane negari non potest, tempore messis reperiri stomachos columbarum, pullorumque earum plenos tritico, vt sæpe experimẽto didici. Vtrum vero sint solum ex granis, quæ de spicis decidunt, dum multipliciter messis agitatur, quousque ad aream perueniat, aut de spicis, quæ de messorum manibus, aut alia ratione decidunt: an vero etiam ex aliis, id sane ignoro: verisimile tamen videtur illas etiam alias spicas depasci, præsertim dum segetes demessæ iacent in agris, antequam ad aream asportẽtur. Negandum item non est, dum semina terræ mandantur, inueniri grana aliqua tritici in earum stomachis, granis vitiæ Syluestris permixta. Lusitani *ervilaca* vocant, & aliis rebus, quibus reliquo anni tempore vescũtur, vt experimento etiam didici animo expendendi, an licita essent columbaria. Fertur tamen, columbas solum deuorare grana, quæ discooperta inueniunt, aut quæ solo rostro possunt inuenire, nihilque pedibus, aut alia ratione discooperire.

a

D

Illud admonuerim, non satis consultum esse damno aliorum, qui intra leucam; aut duas leucas in circuitu columbarij agros habent, ex eo, quod columbarij dominus in agro ipso, in quo columbarium est collocatum, semina quot annis mittat, vnde tempore messis columbæ vesci possint. Quoniam certo multorum annorum experimento compertũ habeo, nihil minus solere colligi ex eo agro, quam ex aliis. Vnde id impedimento non est, quo minus columbę fructibus aliorum vescantur. Neq; item sufficienter hæc quæstio dirimitur, si dicatur: licita quidem esse columbaria, dummodo intra columbarium sufficiens pastus columbis ministretur. Tum quia id non impedit quo minus, dum egrediuntur, bonis alienis vescantur: præsertim cum pastus, qui messis tẽpore, aut dum semina terræ mandantur, in agris reperitur, melior esse soleat, quam qui intra columbarium esset ministrandus. Tum etiam quia longe maiores essent sumptus, quam emolumentum quod ex columbis prouenirent. nullusq; esset, qui iis impensis columbarium alere vellet. Quare simpliciter, & sine limitatione, aut damnanda sunt, aut probanda columbaria, si moraliter sit loquendum.

E

Columbaria licita defenduntur.

Quamuis autem res hęc scrupulo aliquo non careat, Nauar. *in Manual. c. 17. num. 126.* & suo modo Sotus *4. de iustitia q. 6. a. 4.* Syluester *Verbo Rest. 3. q. 4.* Caiet. *verbo columbarium*, & alij, colũbaria non damnãt, neque ego damnanda iudico, vbi lex non est, quæ ea prohibeat, quin potius cõsuetudine recepta sunt, interimque dum damnum notabile non sentitur, vt credo regulariter non sentiri: sicut neque ex coturnicibus & perdicibus sentiri consueuit. Ducor autem his rationibus, quæ simul sumptæ non modicam videntur habere vim. Prima, q. regulariter vicini nec conquerantur, nec sentiãt damnum: vnde tacite quasi consentire columbariis videntur. Secunda, quoniam à columbis, quæ in eis habent domicilium, pulli auferuntur, quod in causa est, vt minus multiplicent. Quod si alibi nidos facerent, multiplici prole in dies augerentur, vt aliæ aues syluestres. Tertia, quod multis in locis columbæ, non ita sunt propriæ dominorum columbariorũ, quin extra leucam à columbariis possint à quocumque licite capi, & interfici non secus ac reliquæ aues omnibus cõmunes. Quarta quod columbaria in cibum, & ornamentum Reipublicę inseruiant. Quinta, quod à Republica, & illius moderatoribus non improbentur, sed permittantur legesque in fauorem eorum, qui columbaria struunt, condantur. Quod si illicita essent, nefas profecto foret moderatores Reipublicæ ea permittere. Sexta, quod columbæ deuorant mala semina, vt lolium, nigellam, vitiam Syluestrem, quæ est quasi innatum earũ pabulum, aliaque eiusmodi: vnde in causa sunt, ne inter segetes tantum herbæ nascatur, vt eas suffocet. Vt autem à fide dignis accepi in locis vbi multum est millij, vt inter Durium & Minium vtilissima sũt columbaria, gaudentque agricolæ columbarum multitudine: eo quod deuorent grana vento de spicis decidentia, quæ nisi deuorentur, perdunc fata. Alij addunt, columbas mittere stercora in agros, eaque ratione compensare etiam damnum, si quod inferunt. Parum tamen puto emolumenti inde agris prouenire, nisi quando de columbariis stercus extrahitur, & in magna quãtitate in agros mittitur. Accedit, eam innatam simplicitatem columbis videri, vt neque spicas, dum calami erecti sunt, contingant, neq; semina terræ mandata discooperiant, sed solum deuorent grana, quæ alioquin peritura erant, vt multi affirmant. Testaturq; præter earum Christi ore in Euangelio assertam simplicitatem, quod ex agro, in quo columbarium est collocatum nihil minus colligi consueuerit, quam ex remotis ab eo agris. Ac sane decebat, vt quãdo medium hoc genus inter colũbas domesticas & mere Syluestres (quas nostri Torcazes vocant) quod in columbariis habitat, non aliter ad hominum cibum commode possit conseruari, eam illi author naturæ inderet simplicitatem, vt damnum in vicinis agris non afferret. Quod si quis experimento deprehendat, eas detrimentum, quod alicuius sit põderis & momenti, bonis aliorum afferre, is necesse est afferat, illicita esse columbaria, dominosque eorum teneri aliis damna, quæ illis intulerint, restituere.

SVMMARIVM.

1 *Venari aut piscari aliquem iniuste prohibens ad quantam restitutionem ei teneatur.*

2 *Venatione capta tempore instrumentis aut & personis prohibitis obnoxia non sunt restitutioni, satisque est soluere pœnam lege prohibitam, si sententia condemnatoria feratur, neque regulariter in ea venatione culpa lethalis intervenit.*

AD QVAM RESTITVTIONEM TEneatur, qui iniuste alios venari prohibet. Et num ex venatione, solum in commune bonum aut ratione status prohibita, obligatio restituendi oriatur.

DISPVTAT IO 49.

1 QVi iniuste alium venari, aut piscari prohibet, contra iustitiam peccat, restituereque ei tenetur æstimationem damni, lucrive, quod iniuste impediuit. Vt si vnus missurus erat rete in mare, & alius iniuste eum impediat, restituere tenetur, non quidem quantum poterat capere, sed prudentis arbitrio pretium quo ille eiusmodi spem poterat vendere: aliquidque adhuc detrahendum est de pretio, si quod aliud lucrum ante emolumentum percepit, aut percipere commode poterat, dum ita fuit impeditus, aut si quam iacturam erat passurus in retibus, aut aliquid plus erat insumptus piscando, quam insumpsit, si etiam labore multo erat piscaturus, & quieuit, aliquid item de pretio est detrahendum: licet non quantum ille labor æstimabitur: quando quidem potius elegisset is, qui impeditus est, maius suum lucrum cum eo labore, quam carere eo labore. Quod de piscatione dictum est, intelligendum est de aucupio, & venatione. Ita Gabriel *in 4. d. 15. q. 5.* Nauarr. *in Manuali, cap. 17. numer. 120.* Conar. *reg. peccatum. par. 2. §. 8. numer. 12.* & alij. Potestque probari, quoniam qui iniuste contrauenit iuri, quod alius habet, eaq; ratione impedimento est, ne emolumentum percipiat, quod pro suo iure erat percepturus, reuera & cõtra iustitiam peccat, & damnum infert, lucrumve impedit iniuste: ergo tenetur illud restituere.

Addit Conarr. si piscator ex piscibus capiendis soluturus erat partem decimam Ecclesiæ, decimam quoque partem lucri illius restituendam esse Ecclesiæ. Hoc tamen non arbitror esse verum. Quoniam decima solum debetur de perceptis, neque consuetum est, quando animalia, aut homines damnum satis inferunt, illudque persoluitur, decimam partem restitui Ecclesiæ. Durumque admodum esset asserere, eum, qui iniuste esset in sauia, ne alia femina terræ mandaret, debere Ecclesiæ decimam partem damni dati. Hæc quod attinet ad primam eorum quæ proposita sunt.

2 Quod vero attinet ad secundum, ea, quæ sunt capra venatione aut piscatione, quæ ex eo tantum est illicita, quia in bonum commune est prohibita certis anni temporibus, aut certis instrumentis, vel alia simili ratione, obnoxia non sunt restitutioni, sed fiunt capientis: satisque est soluere pœnam lege statutam, si condemnatoria sententia feratur: sin minus venator ad nihil aliud tenetur. Hæc communis est doctorum, potestque probari, quoniam eiusmodi venatione non accipitur alienum, neque præiudicatur iuri cuiusquam alterius, sed solum capitur, quod est commune, iureque gentium fit capientis: leges præterea, quæ iuste illam vetant, licet prohibeant factum: non tamen prohibent acquisitionem ferarum: ergo quæ ita capiuntur, fiunt capientis, neque restitutioni sunt obnoxia. Imo regulariter trãsgressio eiusmodi legum non est culpa lethalis, sed venialis: eo quod inde non sequatur notabile detrimentum Reipublicæ. Idem etiam colligere licet ex pœnis earum, & ex illarum executione, si quando ad terrorem sint grauiores aliquæ statutæ. Forte in hoc regno culpa esset lethalis piscari offas medicatas, aut eas escas in fluuiorum aut paludes proiiciendo, quibus & pisces enecentur omnes, & aquæ inficiantur, idque attestatur pœna flagellorum, fune ad collum alligato, ob hoc crimen statuta. Si tamen ita fieret, vt ex aqua nullum, neque hominibus, neque pecoribus immineret periculum, pœnaque non cũ ea seueritate executioni mandetur, non auderem condemnare culpæ lethalis. In regno Castellæ *l. 9. tit. 8. lib. 7. nouæ collect.* mitior multo pœna statuitur, quæ culpam nõ iudicat lethalem. Multo minus obnoxia sunt restitutioni, quæ capiuntur venatione ex eo solũ prohibita, quia decens fit ratione status, qualis est venatio Ecclesiasticorum.

SVMMARIVM.

1 *Venatio ex eo illicita, quia quod capitur ad aliũ quoad dominium spectat ex suo genere culpa est lethalis cum onere id restituendi, etiam ex parte rei acceptæ.*

2 *Idem censendum in regno Lusitaniæ de columbis quæ in columbariis aluntur, quocunq; loco capiuntur semper namque dominium earum apud dominum columbarij perseuerat.*

3 *Columbæ capientes in regno Castellæ extra leucam a columbariis licitè id officiunt, ad nullamq; tenentur restitutionem.*

4 *Si columbæ capiantur intra leucam ab vno columbario, nihilominus sint alterius columbarij, quod distat plus per leucam, dicendum est fieri capientis.*

5 *Si columbæ intra leucam capiantur instrumentis tamen venatoriis lege prohibitis dominium earum comparatur: attamẽ peccat venialiter qui talibus instrumentis contra legis præscriptum eas capit.*

6 *Columbas artibus attrahere ex alicuius columbariis vt in suo domicilio collocet, vel vt extra leucam eas capiat, peccatum est cum restitutionis onere.*

DE RESTITVTIONE EX VENAtione animalis, cuius dominium ad alium pertinet, & quid de columbarum aucupio.

DISPVTAT IO 50.

1 QVando venatio ex eo est illicita, quod dominium animalis, quod capitur, ad alium pertinet, tunc venatio ex suo genere est lethalis culpa contra iustitiam: & quod capitur, obnoxium est restitutioni, non solum ex parte iniustæ acceptionis, sed etiam ex parte rei acceptæ, ita vt animal ita captum carnes illius, & quicquid aliud ex eo ad cuiusuis manus deuenerit, obnoxium omnino sit restitutioni. Si vero bona fide consumatur, tunc in defectum eius, qui illud cœpit, restituere tenetur, qui id consumpsit, quantum inde factus est locupletior. Hoc totum affirmant doctores communiter, resque satis est manifesta. Cum enim dominium talis animalis sit alterius, sane, dum illud capitur, furtum committitur: & quicquid illius exiit, ad eum pertinet, cuius erat tale animal, vt de partibus animalis domestici *disputa. 41.* ostendimus. Quando autem animal quod venatione capitur, ad alterius dominium spectet, ostendimus late *disput. 41. citata.*

2 Quod idem in hoc Lusitaniæ regno censendum est de columbis, quæ in columbariis aluntur, quocunq; loco capiuntur: semper namque dominium earum apud dominum columbarij, in quo habent domicilium, perseuerat, neq; in hoc regno factam scimus potestatem eas alicubi aucupandi, aut consuetudinem esse ea de re præscriptam. Quare si quis vel in hoc regno, vel in aliis, mortuas columbas vendat,

Ius Lusitanum.

dat, quæ ab emptio captæ præsumantur sine legis facultate, ex die emi non possunt. vt de reliquis furtiuis dicendum est. Quod si emantur, tenetur emens debitam adhibere diligentiam, vt sciat, an alienæ reuera sint, & quis sit illarum dominus, vt ei illas restituat. Si vero facta diligentia, neque an furtiuæ, sint, neque de domino quicquam certi possit comperire, pro quantitate dubij remanentis tenetur in venditoris defectum, restituere vel pauperibus, vel præsumpto domino, partem maiorem vel minorem valoris earum, vt supra de mancipiis emptis in dubio, an iuste fuerint in seruitutem redacta, diximus. Quod si bona fide eas consumpsit, & postea sciuit alienas fuisse, restituere similiter, in defectum venditoris, tenetur, si quid inde forte fuit factus locupletior. In Regno Castellæ *l. 7. tit. 8. lib. 7. noua collect.* sub pœna flagellorum inhibetur, ne quis columbas vendat, nisi dominus sit columbarij, aut de illius facultate.

3 *Ius Castella.* Verum in Regno Castellæ referente Couarr. *regula peccatum par. 2. §. 8. numer. 14.* Ant. Cordubensis *in tractatu casuum conscientiæ quæst. 121.* & aliis constitutum est, vt columbæ columbariorum à quocunque possint capi extra leucam à columbariis, idque argumento à contrario sensu colligitur aperte *ex l. 7. tit. 8. libro 7. noua collectionis.* Dubitant vero Cordubensis & alij, an si capiantur extra leucam, obnoxiæ nihilominus sint restitutioni dominis columbariorum. Quamuis autem neutram partem iudicent improbabilem, verius tamen censent, obnoxias eas esse restitutioni. Legē vero, quæ statuit, vt extra leucam possint capi, dicunt esse solum permissiuam vt impune id fiat: non vero conferre ius vt licite ac iuste capiantur. Ducuntur autem, quoniam reuera dominium illarum, etiam quando sunt extra leucam illam, perseuerat cum domino columbariorum: ridiculum namque esset asseuerare, dominum columbariorum, interim dum domicilium non mutant, earum dominium amittere, quoties leucam illam egrediuntur, illudque recuperare, quoties illam ingrediuntur: si ergo tunc capiantur, in conscientia domino columbarij, tanquam vero adhuc earum domino, erunt restituendæ. Hæc sententia improbabilis omnino, meo iudicio est. Respublica namque, præsertim cum animal illud quasi medium, sit inter domesticum & ferum, rebusque alienis pascatur, statuere optime potest, vt cum eo onere dominus columbarij dominium illius retineat, vt si extra leucam capiatur, ea ipsa captione amittat dominium, & fiat capientis: idque censendi sunt voluisse, qui legem illam condiderunt. Alioquin profecto lex illa iniqua esset, indignaque legislatore Christiano, quæ sine vllo prorsus emolumento: præter commune ius, permitteret, vt impune caperentur, dominoque earum denegaret actionem aduersus venatorem, & nihilominus relinqueret venatorem obnoxium, vt illas in foro conscientiæ perinde restitueret, ac si talis lex lata non esset.

4 *Dubium.* Interrogabis. Quid si columbæ capiantur intra leucam ab vno columbario, nihilominus sint alterius colūbarij, quod distat plusquam per leucam? *Soluitur.* Dicendum est, fieri capientis. Nihilominus raro posse euenire, vt id sciatur: in dubioque præsumendum est, eas esse eius, quod est intra leucam.

5 *Dubium. Satisfit.* Interrogabis rursus. Quid si capiantur extra leucam, nihilominus instrumētis venatoriis lege prohibitis? Dicendū est, peccare quidem venialiter, qui talibus instrumentis contra legis præscriptum eas capit, nihilominus dominium earum comparare. Quoniam transgressio vnius legis, non præiudicat iuri per alteram legem concesso.

6 Licet vnicuique fas sit in suo columbario ea efficere, quæ ad cōseruationem suarum columbarum in eo, & per accidens ad inuitationem aliarum, vt A ibi sui collocent domicilium, accommodata iudicaueritne fas tamen est, ea semina in eo spargere, aut eis artibus vti, quæ inseruiunt ad attrahendum columbas ex alienis columbariis: id namque contra iustitiam esset, cum onere restituendi damnum aliis allatum. Idem est si similibus artibus quis vteretur ad attrahendas columbas extra leucam à columbariis, vt ita attractas ibi auferet. Ita Medina *de rebus restituendis, quæ. 3.* Nauarrus *in Manuali, c. 17. num. 127.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Venans vbi alius solus ius habet peccat contra iustitiam* B *teneturque soluere pœnam si damnetur & restituere damnum, si quod inde alteri euenit, fuit tamen efficax, quod ita cepit quando fera in sua naturali erant libertate quare qui ab illo emit aut dono accepit, licite id facit, ad nullamque restitutionem tenetur.*

2 *Venatione captum ex vastissimo principis saltu modicæ aut nulli restitutioni obnoxium est.*

3 *Venans in saltu prohibito deprehensus ac soluens pœnam an insuper restituere teneatur damna.*

4 *Quando fera nullo modo aut fraude venantis de loco prohibito egrediuntur licite extra eum capiuntur ad nullamq; vel pœnā vel restitutionem capies tenetur.*

5 *Venans, vel piscans in agro alieno inuito domino fundo* C *in iure communi suum efficit, quod capit: restituere tamen tenetur domino agri, si quod damnum illi ea ratione ortum aut lucrum cessauit.*

6 *Qui in aliena communitate contra illius voluntatem cædit ligna, non comparat eorum dominium.*

AD QVAM RESTITVTIONEM TENEATUR, qui in loco ad venandam interdicto, aut in prædio alieno, vel loco communitatis alterius, ipsis inuitis, venatur.

DISPVTATIO 51.

QVando venatio, aut piscatio, ex eo est illicita, quod locus sit interdictus, in quem venandi, aut piscandi in eo ad aliquem in particulari pertineat, & nihilominus dominium ferarum illius loci, nul- D lius est, vt regulariter, iuxta ea, quæ *disputatione 41.* dicta sunt, esse solet, eo quod feræ in eo in sua naturali sint libertate, tuncquid animalia ibi venatur, aut piscatur, peccat quidem contra iustitiam: comparat tamen dominium eorum, quæ ita capit, & tenetur soluere pœnam lege statutam, modo tamen feratur sententia, & insuper restituere tenetur damnū inde ei subsecutum, in cuius fauorem locus est interdictus. Hæc est Medinæ *de reb. restituen. q. 12.* Couar. *regula peccatum p. 2. §. 8.* & communis.

Quod is, qui ita venatur, aut piscatur, contra iustitiam peccet, probatur. Quoniam contraeuenit iuri legitime alteri, vt supponimus, concesso vt solus ipse in eo venetur. Pro quantitate tamen damni in- E de illi, qui tale ius habet, subsecuti, iudicandum est, an culpa ad lethalē peruenerit, an vero solum sit venialis: non autem pro quantitate valoris animalium, emolumentique, quod is, qui venatus aut piscatus est, reportat. Si tamen venator longe maius damnum dare intendit, sed idcirco id non dedit, quia non potuit, inde etiam expendendum est, an culpa venandi in loco prohibito ad lethalem peruenerit.

Quod vero is dominium comparet animalium, quæ ita cepit, ex eo est manifestum, quod animalia illa nullius adhuc erant, gentiumque iure fiant capientis: cum ergo animalia ita capta restitutioni nō sint obnoxia, sed solum, qui ea cepit, teneatur damnum restituere, si quod intulit: efficitur sane, vt is,

ad cu-

ad cuius manus, siue pretio, siue alia ratione, vel ipsa, vel eorum carnes transierint, esto sciat vbi, & quo modo capta sint, ad nullam restitutionem teneatur, sed tuta conscientia ea, & accipere, & retinere possit.

Quod vero is, qui ea animalia ita iniuste cepit, teneatur soluere pœnam lege statutam, modo condemnetur à legitimo suo iudice, probatione non indiget: supponimus enim pœnam moderatam, iustamque esse.

Quod denique restituere teneatur damnum ea ratione ei subsecutum, qui solus ius ibi piscandi, aut venãdi habet, probatur. Quoniam si quod damnũ, lucrumve cessans inde illi subsecutum est, proculdubio tale damnum contra ipsius ius, atque adeo contra iustitiam illatum illi est: damnum autem iniuste illatum, restitutioni est obnoxium. Damnum vero, atq; adeo restitutio arbitrio prudentis, atrẽtis circumstantiis concurrentibus, pensanda sunt. Sane quando venatio fuit in vastissimo principis saltu, modica, aut nulla, etiam de iustitiæ rigore est, iniungenda restitutio. Quia non quantum valent animalia restituendum est, non solum postquam capta sunt, sed etiam dum in saltu ipso versantur, estq; industria apponenda vt capiantur. Si namq; animalia essent domini saltus, non plus foret illi restituendũ ostensum autem est, ea nullius esse interim, dũ sunt in saltu. Solum ergo illi est restituendum, quantum sua intererat, ea non esse capta, eo quod plura animalia per ipsum, & per suos forent capienda, nisi ea iniuste essent capta: cum vero tot alia in saltu remaneant, neq; id impedimento regulariter sit, vt quotquot voluerit, possit capere: sane nulla est restitutio iniungenda: quoniam id solum in iniuriam, non vero in damnum illius cessit: pro iniuria vero, præcisa à damno, non debetur restitutio, sed pœna solum, si sententia feratur, vt suo loco ostendemus. Porro, q; dominus saltus plus vel minus ægre ferat, animalia in eo capi, conducet quidẽ, vt iniuria maior vel minor fit, nõ vero vt damnũ accrescat. Eodẽ modo iudicandum est de restitutione pro piscibus in loco prohibito captis. Si namque quis piscetur eos pisces, qui in eo loco non cõmorantur, sed trãseunt, neq; impedimento sit, quo minus is, qui solus ius habet ad piscandum, per se, vel per alios, quibus facultatem cõcedit, eos capiat, neq; ex eo quod eos ipse tunc capiat, decrescit pretium aliorum: sane ad nullam restitutionẽ tenetur. Si vero inde detrimenti aliquid ei, qui solus piscandi ius habet, quacunque ratione eueniat, id totum tenetur illi restituere.

Cæterum de iustitiæ rigore, vltra pœnam lege statutam, debetur restitutio integri damni ex venatione, aut piscatione in loco prohibito dati, non secus ac fur, esto pœnam flagellorum, aut capitis, vel aliquam pecuniariam pro furto subeat, tenetur integrum furti damnum ei restituere, à quo rem furto abstulit: Nisi, vt recte Medina, *q. 12. citata* ait: is, qui solus ius habet venandi, aut piscandi, contentus esse soleat solutione pœnæ: quod ex statuto, vel consuetudine ipsa est iudicandum. Si namque dominus vltra pœnam exigere non soleat solutionem damni censendum est, sola pœna esse contentum. Quod si ex magnificentia domini saltus intelligeretur, non curare damni restitutionem, sed solum statuere pœnas, vt feræ tutæ sint, nullusque eas venari audeat vt regulariter de principibus & magnatib. est præsumendum, iniungenda non esset damni restitutio, etiam quando crimen fuit occultum, pœnaque non exigitur. Præsertim, si non leuis esset suspicio de tyrannide in prohibitione venationis, & oppressione populorum, maxime si is, qui est venatus, longe maiora damna in feris saltus in suis bonis suscepisset. Et certe in hoc Lusitaniæ regno inusitatum omnino videtur, vt pro eiusmodi rebus restitutio iniungatur; totque sunt loca ad venandum prohibita, vt principes, & magnates contenti esse deberent pœnis, quas venatores soluunt, quando in delicto comprehenduntur.

Porro quando feræ, nullo dolo ac fraude venãtis, de loco prohibito egrediuntur, & extra eum capiuntur, licite quisque eas capit, ad nullamque vel pœnam, vel restitutionem tenetur. Ita affirmãt doctores communiter resque est satis manifesta: quoniam tunc, neque ex parte rei captæ, quæ omnibus est communis, neq; ex parte loci venatio est illicita.

De iure communi, si quis, inuito domino, fundum proprium alterius ad venandum, piscandum, aut aucupandum ingrediatur, iniuriam illi facit: & licet venator, aut piscator animalium, quæ ibi ceperit dominium consequatur, tenetur tamen ad restitutionem faciendam domino fundi, nõ quidem animalium, sed damni, lucrive cessantis, quod illi inde fuerit subsecutum. Ita Medina & Couar. *locis citatis*, & doctores communiter: eodemque modo hæc omnia probantur, quo de eo, qui in saltu ad venandum prohibito similiter venatur, paulo antea probata sunt: est enim vtrobique eadem ratio consonantque §. *fere, instit. de rer. diuis. & l. 3. ff. de acquir. rer. dom.* habetque id: verum etiam in aucupio auium syluestrium, vt constat *ex l. diuus. ff. de furt. præd. & ex l. item si fundum. §. aucupiorum. ff. de vsufruct.* Quare reiicienda est contraria sententia Soti. *4. de iust. q. 6. art. 4.* & quorundam aliorum, qui Sotum secuti, aucupium excipiunt. Si ergo dominus fundi animal illud capturus erat, nisi alius contra ipsius prohibitionem illud in eo fuisset venatus, piscatus, aut aucupatus, restituere illi tenetur valorem integrum animalis: quoniam æquale est damnum, quod contra iustitiam illi intulit, lucrumve quod illi iniuste impediuit. Quod si res dubia erat, plus vel minus pro quantitate dubii tenetur domino restituere. Si vero moraliter erat certũ, nullũ lucrum ea de causa impediendum, eo quod neque dominus agri animal erat capturus, neque alterius ius ad illud capiendum locaturus, ad nullam prorsus restitutionem tenetur. Quando ergo *l. 16. tit. 28 p. 3. legum Castellæ* statuitur, vt si aliquis venatione aliquid in fundo alieno capiat, domino fundi id antequam capiatur, prohibente, res ita capta sit domini illius fundi: intelligendum id demum est, non quod ipso facto dominus fundi dominium illius acquirat, sed quod illi in foro exteriori sit adiudicanda: tum in pœnam eius, qui in alieno fundo inuito domino venationem exercuit: tum etiam in recompensationem damni, si quod forte ea ratione accepit, vt recte Medina *loco citato* eam legem exponit. Quare ante latam sententiam is, qui rem illam cepit, solum ad id tenetur, quod paulo ante dictum est. Couarruuias *loco citato* longam circa illam legem disputationem texit, parum meo iudicio necessariam.

Porrò hæc eadem locum habent in eo, qui in terris, aut fluuiis alterius cõmunitatis, ea inuita, venatur, aut piscatur: iniuriam namque illi facit, teneturque ad restitutionem damni, si quod inde illi communitati obueniat: cõparat tamen dominium animalium quæ ita ceperit. Neque obstat, quod, qui in aliena cõmunitate contra illius voluntatem cædit ligna, non comparet eorum dominium. Quoniam ligna, cum ex terra nascantur, illique adhæreant, ad illius dominium pertinent, cuius est terra illa: & idcirco, si cedantur, aut colligantur contra domini voluntatem, dominium eorum apud eum, cuius antea erant, perseuerat: feræ vero cum ex se inuicem procreentur, nec terræ adhæreant, sane dum in sua sunt libertate, nullius sunt propriæ, sed gẽtium iure fiunt capientium. Quæ de venatione in agro alieno, aut alienæ communitatis de iure communi dicta sunt, locum non habent in hoc Lusitaniæ regno, iuxta ea quæ *disput. 45.* dicta sunt.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Venantes restituere tenentur damna, si quæ satis & aliis rebus venando inferant, & quando lethaliter ea inferendo peccent.*

DE CVSTODIBVS LOCORVM INterdictorum, & de damnis, quæ venantes inferunt fatis, &c.

DISPVTATIO 52.

DE custodibus locorum ad venandum interdictorum esset hoc loco dicendum, nisi commodius rem totam de custodibus vniuersim in vnum locum in materia de restitutione referuaremus. Quod vero ad damna attinet, quæ venantes, equis, canibus, & pedibus suis, vel quauis alia ratione fatis, atque aliis rebus inferunt, dum feras quærunt, aut insequuntur, dicendum est, teneri ea integre restituere. Si tamen certo scientes se illa integre propriis dominis esse restituturos, ea intulerunt, non est quod facile peccati lethalis damnetur. Tum quod damnum ad æqualitatem resarciendum non sit notabilis iniuria, quæ proximo fiat. Tum etiam quod præter intentionem oblectationis, ac prædæ animo, non vero nocendi, iniuriam ve faciendi inferatur: id quod non solent homines admodum ægre ferre. Nisi forte alicui rei in particulari damnũ inferretur, quam prudens quivis deberet aduertere, futurum vnumquemque ægre, si destrueretur. Dixi, propriis illorum dominis: quoniam si quis notabile aliquod damnum inferat fatis, aut aliquibus aliis rebus, de quibus postea non facile sciri poterit cuius sunt, vt proprio illorum domino restitutio fiat, dubium non est, tunc temporis peccare lethaliter, esto animo integre restituendi pauperibus, illud inferat: id enim in notabilem dominii illarum rerum iniuriam ac damnum cedit. Nisi vero venãtes, qui talia damna intulisse comperientur, serio proponant, iis similia nocumẽta deinceps non inferre, iure absolui nequeunt. Dixi etiam, certo scientes se illa integre restituturos: quoniam si vel res sit dubia, quia facile obliuioni tradetur, aut mutabitur animus, vel damnum non fit integre restituendum, certe culpa est lethalis huiusmodi damnum inferre, nisi adeo esset exiguum, vt ad lethalem culpam non sufficeret: manetque obligatio integre restituendi. In defectum vero eorum, qui præcipua causa illius fuerunt, quales esse solent, qui præcipui sunt venationis authores, quique secum alios deferunt, ij ipsi, qui nocumentum aliquo modo dederunt, licet non fuerint præcipua causa, restituere lane tenentur.

SVMMARIVM.

1 *Variæ species bonorum, quæ domino carent.*
2 *Thesaurus quid.*
3 *Pro derelictis quæ.*
4 *Missilia quæ.*
5 *Vacantia bona quæ: ad fiscum quæ spectant.*
6 *Vacantia bona peregrini per Episcopum in pias causas sunt distribuenda.*
7 *Vacantia bona quænam iure Lusitano in redemptionem captiuorum concessa sint.*
8 *Bona vacantia presse sumpta in Lusitaniæ regno pertinent ad fiscum non vero thesaurus, & alia, quæ cum aliquando dominũ habuerint nunc domino carent.*

DE VARIIS BONORVM GENERIbus, quæ domino carent. Et quæ eorum vacantia dicantur, & ad quem pertineant.

DISPVTATIO 53.

1 COnsequenter disputandum est, de acquisitione dominii multarum aliarum rerum, quæ domino vacant: quæ cum multiplicia sint, primo erunt distinguenda. Quædam enim sunt, quæ nunquam dominum habuerunt, vt lapilli, & gemmæ, & id genus alia, quæ in littore maris, fluminibus, aliisque in locis inueniuntur. Insulæ quæ nunquam fuerunt habitatæ, & si quæ in continenti sunt alia similia loca. Præterea quicquid aliud, quod licet quondam dominum habuerit, temporis tamẽ longinquitate, quod desiit possideri, iam modo domino caret, aliquo ve ad quem, iuxta ciuilia iura, hereditario iure spectet. Eiusmodi sunt Insulæ, & loca quæ, licet quondam fuerint habitata, à multo tamen tempore sunt deserta, & sine domino. Sunt etiam res aliquæ mobiles, quæ licet aliquando fortè habuerint dominum, temporis tamen decursu, nullius iam sunt: vt multa, quæ à tempore longinquo naufragiis in fundo maris continentur, & casu aliquo, vel extrahuntur, vel reperiũtur in littore: & similia, quæ in terra post longum tempus, quo alicubi reposita, recondita, aut amissa sunt, reperiuntur.

Porro inter hæc omnia, ea solum, quæ alicubi reposita post longum tempus reperiuntur, habent rationem thesauri, iuxta illud Pauli iurisconsulti. *leg. nunquam ff. de acquiren. rer. dom.* Thesaurus est quædam vetus depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat: sic enim fit eius, qui inuenerit, quod non alterius fit. Alioqui, si quis aliquid, vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ condiderit sub terram (intellige, & adhuc dominum habet) non est thesaurus. Hactenus iurisconsultus ille. Et *leg. vnica. C. de thesauris lib. 10.* docetur, nomine thesauri intelligi, non solam pecuniam, sed etiam quæcunque alia mobilia. Sic enim in ea lege scriptum legimus. Thesaurum, id est condita ab ignotis dominis tempore vetustiori mobilia. Ex quibus constat, ad rationem thesauri duo necessaria esse. Vnum vt fuerit quondam repositus. Alterum vero, vt tantum interceserit tempus, quod domino iam careat. Libuit distinguere thesaurum à cæteris mobilibus rebus quę tempore antiquo dominũ habuerunt: quoniam de acquisitione dominij thesauri sunt quædam peculiaria positiua iura, eaque ratione de eo in particulari *disputat. 56* futurus est nobis sermo. Interdum vero sumitur thesaurus latius, vt comprehendit etiam eam pecuniam, quæ dominum habet, vt constat *ex l. thesaurus ff. ad exh. benatum.*

2

Quædam alia bona, siue immobilia, siue mobilia sunt, quæ cum de proximo dominum habuerint, ex eo domino vacant, quod ab eo derelicta sint, vt sint primo occupantis. Id quod interdum accidit expresso actu prioris domini: interdum vero præsumpto: & tunc, quæ ita relinquũtur, dicuntur haberi pro derelictis: quando autem id sit præsumendum, *disput. 55.* dicetur.

3 *Pro derelictis quæ.*

Cum bonis derelictis computantur ea, quæ in iure Missilia nuncupantur. Eiusmodi sunt, nummi, & alia, quæ aliquibus in locis, quando possessio Episcopatus, aut similis rei accipitur, vel in alis solemnitatibus, aut cuentibus, solent iactari, vt sint primo capientium, vt habetur *l. quæ ratione §. penuli. ff. de acquir. rer. dom. & §. hoc amplius instit. de rer. diuis.* Quamuis hæc, vt ibidem dicitur, non careant domino: sed voluntate eorum, qui illa vel proiciunt, vel proiicere iubent, trãsferatur eorum dominium in primo capientem.

4 *Missilia quæ.*

Bona etiam eorum, qui ex hac vita ab intestato discedunt, neque hæredes relinquunt, qui illis iuxta iuris ciuilis præscriptum, ab intestato succedant, eo ipso domino vacare censentur. Atq; ea sunt, quæ in iure peculiari nomine bona vacantia appellantur. Ex dispositione vero iuris communis, si defunctus sit, eo ipso ad fiscum deuoluuntur, ad Regis sumptus, in Reipubliceque subsidium. Ita habetur *l. 1. §. vlt. ff.*

5 *Vacantia bona quæ.*

Ad fiscum spectant.

§. vlt. ff. de iure fisci. l. 1. & leg. vacantia. C. de bonis vacantibus libro 10. & alias sæpe. Idem est de iure huius Lusit. Regni, vt ex lib. 2. Ordin. titu. 15. § 16. & ex lib. 4. tit. 69. constat, & de iure Regni Castellæ, vt habetur leg. 12. tit. 8. lib. 5. noua collect.

6 Ab hac dispositione iuris excipitur, quando peregrinus aliquis in hospitali ab intestato discedit, bonaq; illius, iuxta hactenus dicta, vacare debebãt, applicandaque erant fisco: nam tũc bona illius mobilia ibi reperta per Episcopum loci in pias causas sunt distribuenda, vt in authentica omnes peregrini. C. communia de successionibus, constitutum est. Qui autem ab intestato iuris dispositione defuncto succedant, inferius cum de vltimis voluntatibus erit sermo, dicetur.

7 Ius Lusitanum. Rex Emanuel lib. 1. Ordinat. titu. 69. §. vltim. concessit, vt quando aliquis ex hac vita discederet, nec hæredem ab intestato haberet, qui illius bona vellet acceptare, tunc quidem res deferretur ad eum, cui eo in loco iniuncta est cura eleemosynas in captiuorum redemptionem recipiendi, vt ea demum bona captiuis impenderentur: modo minister ille hæreditatem eo modo vacantem vellet acceptare. Alioquin curator eis bonis præficeretur, qui aduersus creditores fideliter ea defenderet. Tunc vero, si persolutis debitis, bona aliqua remanerent, vtique tanquam vacantia ad Regis fiscum pertinerent, nullumq; ius captiui ad ea haberent. Quod verò Emanuel Rex eo loco non intenderit bona omnia vacantia captiuorum redemptioni deputare, sed solum quando defunctus hæredem, aut hæredes habet, illique, propter defuncti debita, hæreditatisque onera, ipsam adire recusant, non solum expendenti verba illius. §. erit manifestum, sed etiam colligitur ex eo, quod libr. 2. Ordinat. titul. 17. §. 19. & §. vltimo constituitur, vt si bona vacantia eorum, qui ab intestato discedunt, coronæ Regni sint addicta, &, vt ita dicam, in corporata, ac si post eam incorporationem, à Rege alicui concederentur, cum bonis de corona Regni traditis computentur: quod sane nequaquam statueretur, si vniuersim vacantia bona in redemptionem captiuorum essent deputata. Adde lib. 4. Ordinat. titul. 69. aperte innui, eiusmodi bona occupanda esse à Regiis quæstoribus (quos *Almoxarifes* vocant) tanquam bona ad Regis ærarium spectantia. Adde etiam, quod cum possint aliquando vacare multa aureorum millia, tam mobilium, quam immobilium bonorum, verisimile non est, Regem tantam pecuniarum summam captiuorum redemptioni voluisse deputare.

Regina Catharina, quo tempore loco Regis Sebastiani hoc Regnum moderabatur, priuilegium (quod vidi, & cuius exemplar habeo) concessit, vt bona eorum hominum absentium, quorum neque notitia, vbinam essent, haberetur, neque inuenirentur hæredes, in redemptionem captiuorum traderentur, *manposteiro*, vt vocant, eo modo, quo eorum bona, qui ab intestato discedunt, illi tradi consueuerunt: ea tamen lege, vt si quando, vel absentes illi, vel eorum hæredes compararent, sua illis bona integre persoluerentur.

Verum enim vero circa hoc priuilegium obserua, in redemptionem captiuorum non concedi eorum bona, quos constat discessisse ab intestato, nec habere hæredes, vt satis ex verbis ipsis priuilegij manifestum est: præsertim cum se referat ad cõcessionem bonorum discedentium ab intestato per Regem Emanuelem factam. Quo fit, vt bona eorum, de quibus constat, & ab intestato discessisse, & hæredes non habere, ad Regis fiscum pertineant.

Illud etiam obserua, neque ex hoc priuilegio neque ex illa alia concessione Regis Emanuelis haberi, bona, quæ inueniuntur, & quorum ignoratur dominus in redemptionem captiuorum à regibus esse concessa. Imo vero neque de eis disponere ad Regem spectat: cum potius in pias causas, pro animabus eorum, quorum sunt ea bona, arbitrio inuentientium, aut Summi Pontificis, vel Episcoporum insumi debeant. Audio etiam receptatores eorum, quæ ad redemptionem captiuorum spectant intuitu priuilegij Reginæ, multa eiusmodi bona ab iis, qui ea inueniunt, extrahere, illisque in seculari tribunali adiudicare. Imò, dum hæc Eboræ exponerem, comperi eiusmodi ministrum eodem priuilegio extraxisse de manu inuentoris frustum auri in agro repertum, quod thesauri rationem habebat, & ab antiquissimis temporibus domino caruit (videbatur enim esse frustum antiquissimi idoli) rotumque proinde ad inuentorem iuxta ea, quæ disputatione sequenti dicemus spectabat. Hæc omnia inde ortum habent, quod neque Reginæ priuilegium, neque Regis Emanuelis concessio satis expenduntur: quæ proculdubio ad nihil horum se extendunt.

Dubium est hoc loco, vtrum in hoc Lusitaniæ Regno ea omnia, quæ hac disputatione commemorata sunt, ad Regem ipso iure pertineant. Partem, quæ affirmat, suadere videtur. §. *ille* 16. *citatus. titul.* 15. *libr.* 2. *Ordinatio.* cuius hæc sunt verba. Item *dereito real he, todos os bens vagos, à que naõ he achado certo senhorio*: cum ergo thesauri, & cætera commemorata, præsertim ea, quæ dominum aliquando habuerunt, bona vacantia sint, quibus certus dominus non inuenitur: efficitur, vt ad Regem pertineant.

Pars tamen, quæ negat, est proculdubio ampliectenda nempe neque thesaurus, neque cætera alia, præter ea quæ proxime diximus, peculiari nomine in iure appellari bona vacantia, eo §. comprehendi. Atque adeo in hoc Regno, cum nulla alia lex sit, quæ circa thesauros quicquam disponat, standum erit circa eos dispositioni iuris communis. Ducor primo, quoniam de iure communi, neque thesauri, neque ea, quæ habentur pro derelicto, neq; ea ferę, quę aliquando fuerunt captæ, & postea ad suam naturalem libertatem se receperunt, computantur inter bona vacantia: esto aliquando habuerint dominum, & modo eo careant, quin potius de eis peculiaria alia iura sunt constituta: nomine q; bonorum vacantium solum intelliguntur bona eorum, qui sine hæredibus ab intestato discedunt, vt ex iuribus supra citatis constat: Cum ergo Ordinationes huius Regni in ea significatione sumant vocabula, in qua à iure communi & doctoribus vsurpantur, legesque regnorum peculiares, quantum commode fieri possit, ita intelligendæ sint, vt à iure communi non discedant, cui legislatores particulares, præsertim Lusitani, se conformare studuerunt (vt huius Regni Ordinationes cum iure communi cõferenti erit satis manifestum) efficitur, vt in eo §. nomine, bens vagos, solum intelligantur bona eorum, qui sine hæredibus ab intestato discesserunt, ac proinde vt thesauri, & cætera alia, quæ domino carent, non censeantur in ea comprehensa. Secundo, quoniam eodem libro *titul.* 17. §. 19. & §. *penultimo*, dum commemorantur bona, quæ ad fiscum Regis pertinent, regnique coronæ possint incorporari, & deuenitur ad bona vacantia, solum commemorantur eorum bona, qui sine hæredibus ab intestato discedunt. Tertio, quoniam thesauri simpliciter non sunt bona vacantia, quippe cum ex eo inuenientis efficiũtur, quod propter temporis longinquitatẽ, quo à nullo possidentur, in nullius sint bonis, neque fuerint proximè. Quo fit, vt sicut thesaurus ad descendentes illius, qui illum abscondit, non spectat, eo quod longinquitate temporis, quo à nullo possidetur, omnes dominiũ & ius ad illum amiserint: ita etiam neque ad Regem spectet, qui toto eo tempore possessionem etiam illius non habuit.

buit. Adde, neq; vsum in hoc Regno, quod sciam, obtinere, vt vel thesaurus, vel aliquid aliud eorum, quæ domino carent, Regi adiudicetur, præter bona eorum, qui sine hæredibus ab intestato discedunt. Hęc tam multis dixi, vt nullus decipiatur, existimans thesauros in eo. §. comprehendi: vt ego aliquando deceptus sum.

Iam vero bona, quæ longissimo tempore possideri non desierunt, nihilominus tamen ignoratur, quisnam sit eorum dominus, ad quemue iure pertineant, qualia regulariter sunt inuenta, & similia alia bona, vtique neque inter vacantia, neque inter ea, quæ domino carent, computantur, sed appellantur bona incerta: & post debitam diligentiam, vt sciatur ad quem spectant, eo non comperto, regulariter sunt pauperibus restituenda. Cæterum de his infra peculiaris erit sermo in materia de restitutione.

SVMMARIVM.

1 *Metallorum venæ stando in solo naturali ac gentium iure ad illos quoad dominium spectant quorum sunt prædia in quibus sunt vt & saxorum venæ iure tamen communi & particularium regnorum principi aut reipublicæ ad sumptus publicos oneraque reipublicæ sustinenda deputantur.*

2 *Metallorum venas quærentibus ac inuenientibus, quæ concedant leges Lusitaniæ.*

3 *Et quid de iure Castellæ.*

4 *Venæ aureæ marmoreæ vel similes quas possessor maioratus extrahit iure dominij fundi an ad ipsum pertineant: an vero refundendæ sint in commodum & augmentum bonorum maioratus.*

5 *Vena fundi dotalis an cedat in augmentum dotis.*

METALLORVM VENAE, ANTEquam inueniantur, an dominos careant.

DISPVT. 54.

1 HOc loco obiter examinandum est, an auri, argenti, & aliorum metallorum venæ, antequã inueniantur, computandæ sint inter bona, de quibus disputatione præced. dictum est. Mihi dubium non est, stando in solo gentium iure, illas ad eos quoad dominium pertinere, quorum sunt agri, aut prædia in quibus reperiuntur: non secus ac venæ saxorum, & venæ aquæ, quæ in eisdem prædiis reperiuntur, ad eosdem quoad dominium spectant. Cum enim eiusmodi venę ibi generentur, partesq; quædam prædij sint, dubium non est, ad eum eiusmodi metallorum fodinas ex natura rei, quoad dominium, pertinere, cuius est prædium. Longe vero diuersa est ratio de thesauro, qui neq; in prædio, in quo reperitur, fuit genitus, neq; pars prædii est, sed industria humana fuit in eo repositus. Quo fit, vt eiusmodi metallorum venæ computandæ nõ sint inter bona, quæ domino careant, quæq; ad præcedẽtem, & duas sequentes disputationes spectant. Dixi, stando in solo gentium iure, pertinere quoad dominium ad prædij dominum: quoniam regulariter de iure ciuili, vel communi, vel particularium Regnorum, vbicunq; fuerint repertæ merito solẽt esse deputatæ Principi, aut Reipublicæ, ad sumptus publicos, oneraq; Reipublicæ sustinenda. Vnde

2 §. 15. *titul.* 15. *lib.* 2. *Ordinationum huius Lusitaniæ regni* 1 *Ius Lusitanum.* sic habet. Item *dereito real he, os veieros & minas douro & prata, ou qualquer outro metal.* Vt tamen lucri spe homines alliciantur ad eas in bonum publicum quærendas & aperiendas, statui solent variæ leges pro temporum & locorum varietate, quibus vel pars aliqua eorum, quæ inde fuerint extracta, vel præmia alia inuentoribus constituuntur. Quinta autẽ parte legum extrauag. eiusdem regni *tit.* 6. *leg.* 1. *anno.* 1557. omnibus est concessum, vt in quacunq; huius regni parte, præter eam quæ transmontana dicitur quærere & aperire possent venas quorumcunq; metallorum, tam in propriis, quam in alienis agris, persoluto dominis alienorum prædiorum damno, si quod in eis aperiendis & quærendis illis dederint. Ac præter certum quoddam præmium, quod venam inuenienti lex illa constituit, fodinam ipsam ad certam vsq; distantiam, tam quoad longitudinem, quam quoad latitudinem, illi concedit: ita tamen, vt deductis expensis, quinta metallorum pars, quę inde extracta fuerit, regi persoluatur. Lege alia, quę eo loco disponuntur.

B In regno Castellę omnes huiusmodi fodinę ad Regem similiter spectãt, integrumq; est omnibus, etiam exteris, eas quærere & aperire, etiam in alienis prędiis. Quondam à Ioanne. 1. *l.* 3. *tit.* 13. *lib.* 6. *nouæ collect.* sancitum fuerat, vt, deductis expensis, tertia pars metallorum, quæ extraherentur, pertineret ad inuentorem relinquæ vero duæ ad Regẽ. Posteą Rex noster Philippus. *l.* 4. *eiusdem tituli*, idẽ statuit, esto vena esset valde abundans & fructuosa ea tamen lege, vt inuentor reciperet tertiam partẽ, quousq; illi obuenirent centum mille ducati: deinceps vero solum reciperet quartam partem, quousque alij centum mille ducati eidem obuenirent: in postremum vero solum reciperet quintam partem C Nouissime *l.* 5. *eiusdem tituli* statuit, vt quando ex centum libris (Hispanis, quæ sedecim sunt vnciarũ centum autem Hispanicas libras quintal in eo Regno vocant) plumbi & argenti permixti extraheretur, selibra Hispanica argenti (marco vulgo dicitur) persolueretur Regi octauæ solum pars argenti, reliquum vero pertineret ad inuentorem: qui tamẽ expensas omnes facere teneretur. Quando vero extraheretur vltra selibram, nec tamen, quod extraheretur, excederet tres selibras, persolueretur quarta pars. Quod si tres selibras excederet, nec sex superaret, persolueretur tertia pars: si vero sex superaret persolueretur dimidium Regi. Circa fodinas autem auri vniuersim constituit, vt dimidium auri, quod extraheretur, Regi persolueretur: D relinquum vero pertineret ad inuentorem, qui tamen expensas omnes facere teneretur. Antonius Gomezius *ad l.* 45. *Taur. nu.* 51. *iuxta legem illam Ioan.* 1. *locutus est, quam citat. ostauam. titul.* 12. *lib.* 6. *Ordinat.* Sotus vero 5. *de iustitia q.* 3. *ar.* 3 nescio vnde permotus, asseruerit, consuetudinem in Regno Castellæ esse, vt quinta pars metallorum persolueretur Regi: reliquæ vero quatuor pertinerent ad inuentorem.

E Molina *lib.* 1. *de primogeniis c* 23. *num.* 8. innuit, venę aureę, argenteæ aut alterius metalli partem quandam ad Regem pertinere, aliam ad inuentorem, & reliquam ad dominum fundi: non tamen citat *legem* 5. §. 15. *tituli citati*, qua constitutum est, vt damna alia domino fundi persoluantur, & insuper accipiat centesimam partem metallorum, quæ fuerint extracta. Si autem fundus sit de numero bonorum quæ vinculo primogenij sunt alligata, disputat vniuersim, an, quod ex marmorea, aurea, aut quauis alia vena talis fundi possessor maioratus extrahit iure dominij fundi, ad ipsũ pertineat; an verefundẽdũ sit in cõmodũ & augmẽtũ bonorũ maioratus. Quicquid autẽ sit de dispositione *l. diuortio.* §. *si vir in fundo. ff. soluto matrimonio*, circa ea, quę maritus ex similibus venis fundi dotalis extrahit vtrum cedant in augmentũ doris, an vero ad maritũ spectẽt, sane in re proposita dicẽdũ est, quicquid possessor maioratus ex eiusmodi venis extrahit, suũ id

3 *Ius Castellæ.*

4

5

efficere. Si tamen vel de nouo venam aperiat, inde que detrimentum notabile quoad alios fructus in posterum recipiendos, fundo obueniat, quod ex ipsamet vena successoribus in maioratu, in posterũ non resarciatur, vel vena, ante institutionem maioratus aperta, aliter vtatur, quam precedentes possessores illius fundi ea vti consueuerunt, indeque similiter detrimentum obueniat fundo quoad fructus, qui ex eo erant percipiendi, tenetur profecto bonis vinculo primogenituræ alligatis resarcire damnum, quod intulit, seruareque indemnes possessores in futurum in eodem maioratu.

Posterior pars huius nostræ assertionis ex eo probatur, quod possessor maioratus tenetur seruare indemnes successores futuros in eodem maioratu vt eodem modo fruantur bonis primogenituræ, vinculo alligatis: ergo, sic vel in aperienda de nouo vena, detrimentum notabile bonis inferat, ne æquale commodum ex eis successores percipiant, vel vtendo aliter vena iam aperta, quam antecessores vti consueuerint, simile detrimentum inferat procul dubio tenetur resarcire detrimentum illud in ipsismet bonis maioratus. Dixi, notabile detrimentum: quoniam, vt Molina *loco citato* cum Iulio Claro notat, modica deterioratio in percipiendis commodis ex re, cuius quis est dominus, siue is tantum habeat dominium vtile, vt feudatarius & emphiteuta, siue simul habeat proprietatem, vt habet possessor maioratus, in consideratione non venit.

Prior verò pars ex eo probatur, quoniam possessor maioratus, cum dominus reuera sit bonorũ maioratus, interim dum ipse viuit, vtique non solum fructus, sed & quæcumque emolumenta potest ex eis percipere, suaque illa efficere: dummodo bona illa deteriora successoribus nõ relinquat. Neque valet argumentum à viro comparatione dotalis fundi, cuius dominium simpliciter pertinet ad vxorem, & ex quo solum id potest percipere, quod fructus rationem habet, ad possessorem maioratus qui vere ac simpliciter est dominus bonorum maioratus.

Iuxta posteriorem partem huius nostræ assertionis dico. Si in hoc Regno tertius aliquis inueniat venam auri, aut alterius metalli in fundo alterius, vinculo primogenituræ alligatæ: cum iuxta iura huius Regni, dominus fundi nihil ex ea vena habeat sed solum sit illi persoluendum nocumẽtum, quod ex apertione illius venæ fundus ille fuerit passus: vtique si nocumentum ad futuros successores in eo maioratu se extendat, quia similiter priuabuntur fructibus partis illius fundi, resarciri debere nocumentum illud in bonis immobilibus, aut quæ pro immobilibus reputentur, vniendaque illa esse maioratui, vt successores indemnes etiam seruentur.

5 *Vena fundi dotalis an cedat in dotis augmentum.*

Quod ad dotalem fundum attinet, illud breuiter dicendum est. Si vena, vel marmorea, vel quæcunq; alia, talis sit, vt lapides, qui inde extrahuntur aut quicquid aliud inde emitur, ibidem renascatur & accrescat, vt aliquibus in locis euenire solet in marmoribus, & in alijs similibus rebus, tunc sane, quod ita extrahitur, inter fructus fundi reputatur, pertinetq; proinde ad virum, cuius est vsusfructus fundi dotalis, vt constat *ex l. diuortio. §. si vir in fundo ff. soluto matrimonio & ex l. vltima. ff. de fundo dotali.* Si vero, quod ex vena extrahitur, ibi non renascatur, *ex eisdem iuribus, & ex l. si ex lapidicinis. ff. de iure dotium* constat, non computari inter fructus, sed inter partes ipsius fundi, ac proinde, quantum est ex natura rei, dominium illius ad vxorem pertinere, cedereq; vel ipsum, vel pretium illius, si vendatur aut distrahatur, in dotis augmentum: non secus ac si pars alia fundi à fundo diuideretur, aut venderetur, vt ex iuribus citatis constat. Nihilominus. *l. si fundus. ff. soluto matrimonio*, merito sancitum est, si lapidea vena, vel quæcunque alia aperta iam erat in fundo, qui in dotem marito fuit traditus, ex eaque vel lapides, vel quodcunque aliud solebat extrahi, tunc quod matrimonio constante inde extrahitur, non cedere in dotis augmentum, sed pertinere ad maritum. Cuius rei hæc ibi redditur ratio, *quia palam*, inquit Iurisconsultus, *fit eo animo dedisse mulierem fundum, vt is fructus ad maritum pertineat, nisi contrariam voluntatem in dote dando declarauerit mulier*: consentiuntq; glossa & Bart. ibi: atque alij Doctores communiter. Etenim quando res aliqua quæ ad certum vsum & emolumentum erat iam destinata, fruenda traditur, censetur ad illum tradita, quo semper frui solita est, & consonat aperte, *Litem si fundi. ff. de vsufructu.*

Tota difficultas est solum, quando vena de nouo aperitur, idque quod extrahitur, ibi non renascitur, an aliquando ad maritum pertineat. Et quidem cõueniunt omnes, quando venæ apertio non cessit in commodum fundi, quia inde nõ effectus fuit fructuosior & melior, pertinere ad vxorem, cedereque in dotis augmentum. Quando vero cessit in commodum fundi, quia videlicet extractis lapidibus aut re alia simili, fructuosior quacunque ratione est redditus, controuersia est inter iurisperitos.

Illud mihi est certum, spectata sola rei natura, pertinere ad vxorem, cedereq; in augmentum dotis: eo quod res ita extracta non habeat rationem fructus fundi, sed partis inde ex scissæ. An vero ex quadam æquitate iurisconsultus, *l. diuortio. §. si. vir in fundo. q. soluto matrimonio.* voluerit illud concedere viro, quando ea ratione reddidit fundum fructuosiorẽ, vt sonare videtur textus ille, vel non, sed pertineat ad vxorem, vt sonare videntur. *l. vltima. ff. de fundo dotali. l. si ex lapidicinis. ff. de iure dotium, & l. 27. titul. 11. par. 4. legum Castellæ*, iurisperiti iudicent.

SVMMARIVM.

1 *Res quæ domino carent, eoue ad quem de iure pertineant, gentium iure sunt primo occupantis: fallit ibid.*
2 *Insulæ repertæ in mari desertæ iure gentium fiunt primo occupantis, & quid iure Lusitaniæ.*
3 *Bona quando pro derelicto habita censentur.*
4 *Quæ vi tempestatis iactantur, aut ex naufragio accipiuntur, habenda non sunt pro derelictis. & de iniquis quorundam locorum legibus, quibus huiusmodi bona dominis locorum applicantur.*
5 *Quæ de incendijs eripiuntur non habentur pro derelictis sed propriis dominis restituenda sunt.*
6 *An ligna, aliaque res similes quæ fluminum vi præsertim dum inundant, asportantur, pro derelictis habeantur.*

DOMINIVM EORVM BONORVM, quæ disputatione 53. domino carere ostensa sunt quo modo comparetur, thesauris & bonis vacantibus exceptis: & quæ res pro derelictis sint habendæ:

DISPVTATIO 55.

1 *Domine, eorum ad quę pertineant carentia si nullius sint, occupantis.*

STatuenda nobis est hæc regula, quam *disp. 41.* etiam præscripsimus, Quę res domino carent, eove ad quem de iure pertinent gentium iure sunt primo occupantis. Ita habetur. §. *ferè. Instit. de rerum diuisione*, cuius hæc sunt verba. *Quod ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. l. 3. ff. de acquirendo rerum dominio, & l. 1. ff. de acquiren. possess.*

Excipitur

Excipitur ab hac regula, nisi de aliquibus in particulari aliud iure ciuili constitutũ sit: vt de thesauris constitutũ esse ostendemus disputatione sequenti, & de bonis vacantibus ostendimus *disput.* 53. eaque de causa hæc duo bonorum genera excepimus in titulo huius disputationis. Quo fit, vt reliquarum rerum, quæ *disputatione* 53. domino carere ostensæ sunt, realis earum ac naturali occupatione dominium comparetur, fiantque primo occupantis. Consonat §. *lapillorum Instit. de rerum diuisione*, cuius hæc sunt verba. Item lapilli & gemmæ & cætera, quæ in litore maris inueniuntur, iure naturali (hoc est gentium) inuentoris sunt. Si tamen, vt glossa ibi exponit, apprehendantur. Eademque est ratio de cæteris rebus, quæ domino carent. Consonat etiam §. *Insula eodem titulo*, qui sic habet. Insula, quæ in mari nata est (quod raro accidit) occupantis fit: nullius enim esse creditur. Nescio an §. 9. *titul.* 15. *lib.* 2. *Ordinationum huius Regni*, eiusmodi Insulæ, & quæcunque aliæ Regno vicinæ, Regi applicentur: sic enim habet. Idem *dereito real he, as ilhas adiacentes ao Reino à que saon meis chegadas.* Id tamẽ locum habebit comparatione subditorum: non vero extraneorum, si eas prius occupauerint, quibus ius alterius regni præiudicare non potest, quo minus gentium iure vtantur. Neque ius hoc Lusitanum colligitur *ex l. Insula. ff. de iudicijs*, si recte expendatur. In more autem videtur positum, vt subditi cuiusque Reipublicæ, si vel Insulã, vel locũ aliũ desertum reperiant, illum suæ Reipublicæ addicant, præmio à principe, aut Republica accepto.

Ius Lusitanum.

De bonis pro derelicto habitis sermo habetur Instit. *de rerum diuisione. §. penultimo & vltimo, & ff. pro derelicto per totum.* Quando igitur certo non cõstat, rem aliquam ab eo esse derelictam, cuius antea erat, coniecturis id est iudicandum. Si namq; facile potest eam recuperare, & tacet ac negligit, verisimile est eam dereliquisse & cõtemnere. Gabriel *in 4. d. 15. q. 3. dub. 7.* Nauar. *in Manuali c. 17. n. 170.* post Federicum, docent, si quis tempore tempestatis librum aperturã proiiciat in mare, esse signum contemnere illum, & derelinquere: secus autem si clausum & coopertum illum proiiciat. Puto tamen hoc & his similia, non esse vniuersim vera, neque aliam tutiorem ac meliorem posse cõstitui regulam, quã similes euentus prudentis arbitrio esse relinquendos, vt spectatis circumstantijs omnibus concurrentibus coniiciant, ac iudicent, an dominus rei cẽsendus sit eam reliquisse. Etenim si quis ea ratione librum apertũ proiiciat in mare, quod periculum nõ patiatur moram illum claudendi, aut etiam operiendi, vel proiiciendi non sit spes librum euasurum, & casu euadat, certe domino est restituendus: nisi aliunde cõtempsisse, ac reliquisse sit manifestũ. Ea tamen, quæ in tempestatem ita iactantur, vt verisimile sit, dominos, esto mortem euadant, reuersuros nõ esse, neq; alios eorum nomine ad illa quærendum & recuperandum, verisimile est haberi à propriis dominis pro derelictis, idq; affirmare videtur. *l. falsus. §. si iactum. ff. de furtis.* Regulariter vero, quę vi tempestatis iactantur, aut ex naufragio accipiuntur, habenda non sunt pro derelictis, vt constat *ex §. vltimo Instit. de rerum diuisione. l. falsus. l. 2. §. vlt. & l. quiescunque. ff. ad legẽ Rodiam. Interdum. §. 1. ff. de acquirend. poss. l. quæ ratione. §. vltim. ff. de acquirendo rerum dominio, & l. naufragia. C. de furtis.* Sunt vero quorundam locorum leges, quę statuunt, vt eiusmodi bona, tanquam aberrantia, efficiantur dominiloci, ad quẽ appulerint. Ita Couar. *reg. peccatum. p. 3. §. 1. n. 5.* Gabriel *vbi supra dub. 6.* Nauar. *c. 27. nu. 118.* Caietanus *verbo excommu. c. a. 23.* & alij. Quin hodie capientes, animo sibi vsurpandi, bona eorum, qui naufragium faciunt, non solum sunt excommunicati ipso facto, eo ipso, quod in mora sunt restituendi, iuxta caput excommunicationem de raptoribus, sed etiam sunt excommunicati in bulla Cœnæ Domini, eo ipso, quod bona illa, vel de ipsa naui, vel asportata ad litora, vel quacunque alia ratione, animo sibi ea retinendi accipiunt. etiamsi de manu eorũ, qui illa prius iam occupauerant, scienter tamen, illa accipiant.

Bona pro derelicto.

Multo minus, quæ de incendijs, vel eripiuntur, vel accipiuntur, habenda sunt pro derelictis: sed proprijs sunt dominis restituenda.

De lignis, similibusq; alijs rebus, quę fluminum vi, præsertim dum inundant, asportantur, pro ligno rum qualitate, distantia domini, industria ad illa eripienda apposita, prudentis arbitrio est iudicandum. an habenda sint pro derelictis, sintque proinde occupantium effecta. Si namq; exigui sint pretij, dominusq; inde multum differ, pro derelictis, sunt habenda. Quod si talia sint, vt merito iudicandum sit domini voluntatem esse, vt sibi restituantur, tunc ipse tenetur soluere industriam, & laborem, qui in illis eripiendis est positus. Poterit etiam. qui ea in suo prędio habet, iudicio agere ac petere, vt lignorum domino tempus constituatur, in quo vel illa inde auferat, vel habeat pro derelictis: transacto vero eo tempore, si domino prædij adiudicentur, comparat eorum dominium. Ita Nauar. *c. 17. n. 176. & Gabr. quæst. citata.*

SVMMARIVM.

1 *Thesaurus arte prohibita inuentus ad fiscum spectat.*
2 *Si thesaurus non sit inuentus arte prohibita, ad quem aut ad quos pertineat.*
3 *An si quis ex facultate domini agri quærat in eo thesaurum illum sibi an domino agri acquirat.*
4 *Thesaurus inuentus in agro quem quis emit sciens ibi latere totus est inuentoris.*
5 *Thesaurus in loco sacro aut Ecclesiæ inuentus pertinet quoad medietatem ad moderatorem eius Ecclesiæ.*
6 *Thesaurus in fundo dotali repertus, quoad partem, quæ fundi domino debetur, pertinet ad vxorem. vsus tamen constante matrimonio pertinet ad virum.*
7 *Thesaurus in prædio maioratus repertus quoad portionem, quæ domino prædij debetur pertinet ad possessorem maioratus.*
8 *Thesaurus inuentus in prædio locato pignorato aut cuius quis vsumfructum habet quoad portionem domino fundi debitam pertinet ad dominum directum.*
9 *Thesaurus repertus in fundo feudali aut emphyteutico, quoad portionem, quæ dominio fundi debetur, dividendus est inter proprietarium & feudatarium aut emphyteutam.*
10 *Ius Castellæ circa Thesauros.*

THESAVRI, QVANDO INVENIANTVR, AD QVEM PERTINEANT.

DISPVTATIO 56.

QVid hoc loco thesaurorum nomine intelligatur explicatum fuit *disputat.* 53. De iure cõmuni, si thesauri magica arte, aut alia legibus odiosa ac prohibita, inueniantur, ad fiscum pertinent, *mãs.* etiamsi in proprio inuenientis agro reperiantur. Ita colligitur *ex lege vnica. C. de thesaurus lib. 10. & affirmans glossa ibi*, & Doctores communiter. Naua. *in Manuali c. 17. n. 175.* ait, legem videri pœnalem, eaq; de causa videri, inuentorem posse illũ retinere ante latam sententiam. Aduerte tamen quod si ante latam legem illam ad fiscum, tanquam reditus regius, pertinebat, sane lex illa non est pœnalis, sed solũ

Ius Castellæ.

illum cõcẽdit inuentori ac domino agri, sub cõditione, quod arte magica, aut alia ratione lege prohibita, non inueniatur; alioquin illum sibi reseruat, vt antea, tanquam reditus regius, ad se pertinebat. Atq; hoc sane secundum est, quod lex illa sonare videtur. Quod si ita est, lex non est pœnalis, sed ante latam sententiam thesaurus fisco est restituendus. Atque ex hoc capite defendi optime potest, thesaurum magicis artibus inuentum deberi fisco ante latam sententiam. Non vero ex eo, quod acquisitus sit contra legem diuinam & humanam, vt Aluarus Valascus *de iure emphyt. par. 1. q. 15. nu. 4.* vult: id namque minime sufficit, vt ante latam sententiam debeatur: sicut neque, quod acceptum est pro homicidio patrando, homicidio ipso subsecuto.

2 Quod si thesaurus nõ sit inuentus arte prohibita, distinguendum est. Quia si inueniatur in agro ipsiusmet inuenientis, totus efficitur inuenientis. Si vero in agro alieno, tunc si casu, aliud intendendo, fuit inuentus, dimidium pertinet ad inuentorem, & aliud dimidium ad dominium agri. Quod si ager sit ciuitatis, oppidi, vel etiá Cæsaris, seu Regis, medietas illa pertinet ad ciuitatem, oppidum, aut regem, aut alium, cuius fuerit ager, aut locus in quo fuit inuentus. Si autem thesaurus de industria fuit inquisitus, totus pertinet ad dominum agri aut loci, in quo fuit repertus, siue is sit priuata persona, siue ciuitas, oppidum, aut quicunque alius. Ita habetur *l. vnic. C. de thesauris lib. 10.* §. *thesaurus Institut. de rerum diuisione. l. si is qui. ff. de acquirendo rerum dominio, & l. 3. §. in locis. ff. de iure fisci.* Obseruat vero optime Caietanus. *2. 2. q. 66. art. 5. ad 2.* & post eum Nauar. *loco citato*, cum eiusmodi leges pœnales non sint, sed solum ex quadam æquitate statuant circa comparandum dominium thesaurorum inuentorum, vim habere in foro conscientiæ ante latã sententiam, ita vt inueniés casu thesaurum in loco alieno, teneatur dimidium domino loci, in quo fuit inuẽtus, restituere, nulla expectata sẽtẽtia: inueniens vero illum de industria, totum tenetur, deductis expensis, restituere.

3 Dubium est, an si quis ex facultate domini agri quærat in eo thesaurum, illum sibi, an domino agri acquirat. Respondet optime Sylueſter *verb. inuentum, à num.* 8. Quod si dominus agri, sciens ibi esse thesaurum, facultatem faciat quærendi illum, vt sit inuentoris, efficitur inuentoris: quia libere cedit suum ius. Si vero quærendi eum facultatem faciat, ignorans opes, quas in suo agro habet, cum tamen, qui eam facultatem petit, sciat eas ibi latere: tunc quidem totus domino agri acquiritur: eo quod de industria censeatur in eo loco thesaurum quæsiuisse, nec facultas illa fuerit sufficienter voluntaria ex parte concedentis, propter illius ignorantiam existente ea scientia ex parte illam postulantis ac obtinentis, atque ita non fuerit sufficiens ad dominiũ transferendum. Consonat. *l. vnica. C. de thesauris lib. 10.* & censentit Antonius Gomez. *ad l. 45. Tauri num. 51.* Quod si sine vlla scientia, quod thesaurus eo in loco lateret, pereretur, & obtineretur facultas: totus efficeretur inuenientis. Idem esset, si cum sola spe illum inueniendi, præsertim si coniecturæ, quæ erant ad illum inueniendum, si vllius essent momẽti, domino agri exponerentur. Atq; in hoc euentu vera est opinio Nauarri *loco citato, nu. 172.* qui absolute affirmat, thesaurum de industria quæsitum in alieno agro, ex facultate domini agri, esse totum inuentoris.

4 Dubium est deinde, an qui emit agrum sciens in eo latere thesaurum, integrum illum sibi comparet. D. Thom. *2. 2. q. 66. articu. 5. ad 2.* partem innuere videtur affirmantem: eademque est nobis amplectenda cum Dominico Soto. *5. de iustitia, q. 3. articu. 3. ad secundum.* Nauar. *vbi supra, num. 175.* & aliis, aduersus Angelum. Probari autem potest. Primo, quoniam eam innuit Christus Dominus *Mat. 13.* dicens, *Simile est Regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.* Secundo, quoniam dominus agri non est dominus thesauri, qui in eo latet: quandoquidẽ neque est pars agri, neq; fructus illius, imo ex iis, quæ *disp. 53.* diximus, constat thesaurum, antequam inueniatur, vacare domino, eaq; ratione stando in solo naturali ac gentium iure est primo occupantis: non secus ac feræ propter eandem rationẽ sunt primo occupãtis: ius vero Romanorum fuit, quod exquadam æquitate, atque ad pacem conseruandã statuit, vt vel totus, vel dimidium illius, esset domini agri: cum ergo, qui scit eum in illo agro latere, non teneatur id detegere domino agri, sed possit vti ea scientia in suum proprium commodum, post habito commodo alieno: consequens profecto est vt nihil ea scientia impediente, possit licite agrum illum emere eo pretio, quo iuste emeretur, si in eo non lateret thesaurus, vt, comparato ita dominio agri, suũ efficiat thesaurũ illũ integrum. Hinc patet quam falsa sit quorundam sententia, quos Sylueſt. *vbi supra* refert, qui asseruerũt eum, qui ignoranter emit agrum, in quo thesaurus latebat, & postea illum inuenit, suum eum non efficere.

5 Dubium præterea est, vtrum qui inuenit thesaurum in loco sacro, aut in Ecclesia, illum integrum sibi acquirat. Et quamuis *Institut. de rerum diuisione.* §. *Thesaurus.* aperte statuatur, esse totum inuenientis, & *l. 32. §. si in locũ. ff. de iure fisci*, dicatur, dimidium illius pertinere ad fiscum: nihilominus dicendum est cum Nauarro, *n. 175. citato*, Couaruuia *regula peccatum par. 3. §. 2. nu. 3.* Antonio Gomez *ad l. 45. Tauri nu. 52.* Angel. & Sylueſtro *verbo inuentum.* & aliis, dimidium esse prælati, eiusve cui fuerit talis locus sacer. Ratio est, quoniam, vt Ang. & Sylueſter adnotarunt, hodie Ecclesiæ hac in parte prælatorum esse censentur.

6 Porro thesaurus in fundo dotali inuentus, quoad portionem, illius, quæ domino fundi debetur, licet constante matrimonio pertineat ad maritum quoad vsum, dissoluto tamen matrimonio, aut facto diuortio, pertinet integre ad vxorem. Ita habetur *expresse l. diuortio §. si fundum ff. soluto matrimonio.* Ratio vero ibi redditur, quoniam thesaurus non computatur inter fructus agri: & licet fundus dotalis constante matrimonio sit viri, quoad vsum fructum, simpliciter tamen, etiam constante matrimonio, est vxoris. Idem affirmat communis Doctorũ sententia, quam refert & sequitur Molina *libr. 1. de primog. c. 23.*

7 Thesaurus vero in prædio vinculo primogenii legato repertus, quoad portionem, quæ ex illo domino prædii debetur, integre pertinet ad possessorem maioratus eo tempore, neq; tenetur, quicquam successoribus reseruare. Ratio est, quoniam non est pars maioratus, imo neq; fructus, quin potius stando in solo iure naturali & gentium, totus futurus erat primo occupantis: quo fit, vt quod dispositione iuris ciuilis possessori tunc, tanquam vero domino fundi debeatur, nullum vinculum bonorum primogenii sortiatur, sed liberũ omnino maneat, vt de illo, vt libuerit, disponat. Lege Molinam *loco citato.*

8 At quando is, qui neq; vtile, neq; directum dominium in fundo aliquo habet, inuenit in eo thesaurum, tunc, esto fundum illum in pignus accepe-rit, aut locatum illum habeat, nihil portionis illius thesauri, quæ domino fundi debetur, ad eum pertinet. sed ad dominum agri. Quare, si casu illum reperiat, dimidium debetur domino agri, & dimidium ipsi iure inuentoris. Ita habetur. *l. si is qui. ff. de acquirendo rerum dominio.* Quod si de industria illum

Dubium. *Thesaurus in fundo dotali inuentus.* *In prædio maioratus repertus.* *In prædio locato, aut cuius alius quis vsum fructum habet.*

lum quærat, ac inueniat, totus debetur domino agri. Idem omnino dicendum est, si nudus vsufructuarius thesaurum inueniat in fundo, cuius habet vsumfructum, vt affirmant Aluarus Valascus *de inre emphy. p. 1. q. 15. nu. 1.* & Molina *lib. 1. de primog. n is c. 23. n. 2.* Bartol. & communis Doctorū sententia, colligiturq; *ex l. diuortio. §. si fundo. ff. soluto. matrim.* vbi ea ratione dicitur, thesaurum inuentum in fundo dotali, in quo vir habet vsumfructum, non ad virum, sed ad vxorem pertinere, quod thesaurus in fructibus fundi non computetur.

9 *Repertum in feudali aut emphyteutica prædio.*

Tota difficultas est, quando thesaurus inuenitur in prædio feudali, aut emphyteutico, an portio illa, quæ debetur domino fundi, pertineat ad proprietariū, an ad emphyteutam, aut feudatarium. Aluarus Valascus, & Molina *locus citatis* affirmant, communiorem doctorum sententiam esse totum pertinere ad emphyteutam, aut feudatariū (tametsi ipsi aliā, quam referemus sententiā sequantur) eaq; ratione, si feudatarius, aut emphyteuta in eo fundo thesaurum inueniāt, integrum sibi illum acquirere. Citant vero glossam *in §. Thesauros, in verbo, Suo. Institut. de rerum diuisione.* quam dicunt, id affirmare, doctoresq; communiter illam sequi. At certe ex glossa illa nihil tale colligi potest: quin potius pares ea in parte efficit, nudum proprietarium, & emphyteutam, aut feudatarium, vt quicunq; illorum in prædio suo illo pacto eum inuenerit, suum illum efficiat. Vnde merito in margine huic glossæ, alia apponitur, quæ in hunc modum habet. Quid si cōcurrant, vnus contra alterum vel ambo contra tertium (quiscilicet in prædio vtriusque thesaurum inuenerit) quid iuris: remittitque responsionem ad Angelum ibi.

Nauar. *n. 173. citato*, post Angelum & Sylvestrum *verbo inuentum*, & quidam alij, quos Aluarus Valascus refert, idem Aluarus Valascus & Molina affirmant, si proprietarius thesaurum in eo agro inueniat, teneri tradere dimidium emphyteutæ, aut feudatario, eo quod non sint nudi vsufructuarij, sed vtile dominium simpliciter habeant, quod alios post mortem transmittunt. Similiter si emphyteuta, aut feudatarius thesaurum in eodem agro inueniant, teneri tradere dimidiū proprietario. Quod si obiicias. Tunc ergo, si vel proprietarius, vel emphyteuta, aut feudatarius thesaurū in eo agro inueniant, nihil differunt ab extraneo, qui in agro omnino alieno thesaurum inuenit: quando quidem non plus quam dimidium thesauri inuenti, tradere domino agri tenetur. Respondet Alua. Valascus, hac ratione inter eos differre, quoniam illi de industria possunt quærere thesaurum in eo agro & ex illo ita inuento vsurpare sibi dimidium: extraneus vero non item. Nescio tamen quid Nauar. & alij responderēt in eo, in quo extraneus aliquis in agro emphyteutico thesaurum casu inueniret, an medietas, quę ad dominum agri spectaret, diuidenda esset inter emphyteutam & proprietarium. Aluarus Val. *n. 10.* cum Portio & Angelo. *§. thesauros Institut. de rerum diuisione*, respondet, totam illam medietatē pertinere ad solum emphyteutam: quia, inquit, quando habens directū dominiū concurrit cum habente vtile ad idē, præfertur habens vtile citatque ad id Bartolum *l. procuratore. ff. de procuratorib.* Nihil tamen in Bartolo eo in loco reperio vnde colligatur, quod in re proposita affirmant.

Authoris sententia.

Ita hac re credo dicendum esse, semper, id, quod de thesauro inuentori iure inuentoris debetur, tribuendum esse proprietario, aut emphyteutæ, vel feudatario, qui illum in feudali, aut emphyteutico prædio inuenerit. Reliquum vero, quod iuxta iuris dispositionem debetur domino agri, diuidendum esse inter proprietarium & emphyteutam, aut inter proprietariū & feudatariū. Eodēq; modo, si extraneus in eo prędio thesaurū inueniat, portionē, quæ ex illo domino prędij debetur, similiter esse diuidēdā inter vtrūque: sicut etiam inter eos dominiū prędij diuisū est. Ducor ad hoc ita asserēdum. Primo, quia, data opinione Nauarri, & cæterorum, id postulat æquitas, reique ipsius natura, vt ex se est manifestū. Secundo, quoniam hoc consonat magis glossæ illi receptæ. *§ Thesauros*, longeq; melior est hæc decisio eius dubij, quod glossula illa altera circa eam mouet, quam decisio Angeli, ad quam eadem glossula remittit. Tertio & potissimum, quoniam, cum nullum sit ius, vnde contrarium colligatur, hoc tamen colligitur à simili ex *l. a qui. ff. de acquir. rerum dominio*, vbi traditur, semper diuidendum esse, quod ex thesauro inuentori cedit, ab eo, quod cedit domino agri. Eaq; ratione ibi definitur, quod si seruus qui à tribus, aut quatuor possidetur, casu thesaurū inueniat in fundo alieno, dimidium illius sit domini fundi, & alterum dimidiū inter dominos serui diuiditur, in ea proportione, in qua vnusquisq; dominiū illius habuerit: à simili ergo, qñ vnus in communi agro cū altero, vt emphyteuta in cōmuni agro sibi cū proprietario, aut è contrario, proprietarius in cōmuni agro cū emphyteuta, thesaurū inuenit, medietas, quæ illi iure inuētoris cedit, perinde ac si extraneus aliquis eundem thesaurum in eodē agro inueniſſet, integra illi debetur, altera vero medietas, quæ domino agri debetur, diuidenda erit inter vtrumq;, sicut dominium inter vtrumq; diuisū est. Ibidem etiam subiungitur, si communis ille seruus in agro vnius illorum thesaurū inuenerit, dubium nō esse, eā partem, quæ domino agri debetur, ad solum agri dominum pertinere; de reliqua vero esse solum dubium, an in eo euentu diuidenda sit inter plures illos dominos. an solū pertineat etiā ad dominū agri, propter rationem, quæ ibidem subiungitur.

Cum in hoc Lusitaniæ Regno circa thesauros inuentos nihil constitutum sit, sanc quæ hactenus dicta sunt, vim in eo habent.

10 *Ius Castel.*

Quod ad Regnum Castellæ attinet, Antonius Gomez. *ad legem 45. Tauri num. 51* refert. *l. 8. tit. 12. li. 5. 6. Ordinationum*, qua sancitum est, vt deductis expēsis, tertia thesauri pars sit inuentoris: reliquæ vero duæ ad Regē spectent. Quod si thesaurus in agro alieno inueniatur, vult Antonius Gomezius tertiam illam partem diuidendā esse inter inuentorē & dominū agri: modo tamen thesaurus casu inueniatur. Si namq; de industria inueniatur, vult totū pertinere ad dominū agri. Tandem postquam hæc ita retulit, vult legem illam intelligendam esse solum de metallorum venis, quas minas vocamus: non vero de thesauris: sed circa thesauros standum esse in eo regno dispositioni iuris communis.

Couar. *regula peccatum. p. 3. §. 2. nu. 4.* refert legem *7. tit. 12. p. 6. earundem Ordinationū* sancientem, quocunq; in loco thesaurus inueniatur, quintam partē esse inuentoris: reliquas vero ad Regem pertinere. Aitq; id ita haberi in antiquis Ordinationib. manuscriptis: in vulgatis autem excusis haberi quartam partem esse inuētoris: reliquas vero Regis, atq; hoc posteriori modo habet hodie *l. 1. tit. 13. lib. 6. nouæ collect.* cui est standum. De metallorum venis quid in eo Regno statutum sit, diximus *disp. 54.*

Paludanus *in 4. dist. 15. q. 3. art. 5. conclusione 1.* & D. Antoninus. *2. p. ti. 1. c. 15. §. 2.* affirmant, thesaurum de consuetudine, vbicumque reperiatur, esse Principis. Dum vero in Regno Castellæ iuxta hanc communem consuetudinem lex paulo ante citata sancita sit qua quarta pars inuentori tribuitur, & reliquæ ad Regem spectant, nulla de domino agri facta mentione, non dubito, quando nihil in eo Regno domino agri debeatur: quādoquidē fiādo in solo iure naturali & gentiū, nihil illi debeatur. eaq; lex dispositioni iuris ciuilis cōmunis derogauerit.

Dominus agri in Castella nihil debetur.

Sotus 5. *de iustitia. q. 3. art. 3.* secutus Sylvestrum *Sotus.*

verb. inuentum, ait, auſcultandam non eſſe Paludani ſententiam, quoniam, inquit, conſuetudo illa, in nulla bene inſtituta Republica fuit introducta. Addit, in Hiſpaniis ſeruari ius commune, & ſi alicubi conſuetudo illa vim obtinuit, per vim, & contra ius naturæ ac gentium fuiſſe introductam. Exiſtimat etiam, contra iuſtitiam eſſe, Principem exigere ſibi partem aliquam de theſauris inuentis: & idcirco conſuetudinem illam vim non habere in foro conſcientiæ, eſto alicubi introducta iam ſit. Merito tamen Couar. hanc Soti ſententiam impugnat. Etenim licet ſtando in ſolo gentium iure, ea inuenta, quæ domino carent, ſint primo occupantis: nihilominus quemadmodum ius ciuile ſtatuere potuit, vt qui caſu theſaurum in agro alieno inueniret, in interiori & exteriori foro, teneretur tribuere illius dimidiũ domino agri, qui vero illum de induſtria inueniret, teneretur tribuere eidem totum, vt ipſemet Sylueſter & Sotus admittunt: cur etiam non poterit ſimili modo ſtatuere, vt ad ſuſtinenda Reipublicæ onera, theſauri, qui deinceps inuenientur, pertineant integri ad Regem, aut vt in illis certam aliquam habeat partem? Neq; enim id eſt ſtatuere aliquid contra ius gentium, ſed rationabili ex cauſa impedire, ne dominium theſauri inuẽti ſit alicuius, cuius eſſet ſtando in ſolo naturali ac gentium iure, efficereq; vt ſit alicuius alterius; id quod poteſt optime Reſpublica facere: non ſecus ac efficere poteſt, vt venatio aliqua illicita ſit, quæ ſtando in ſolo iure naturali ac gentium eſſet licita, *vt diſputatione 43.* oſtenſum eſt, & plura alia his ſimilia oſtẽdimus *in ſuperiorib. poſſe* eam efficere. Sane ſtatuta Principum, nec facile, nec ſine fundamento improbanda ſunt: Sotus vero, vt hæc improbet, nulli alteri nititur, quam gentium iuri, quæ in nullius ſunt bonis, primo occupantis fieri, vt ciuiles leges docent: hoc vero quam infirmũ ſit, ſatis ex proxime dictis eſt manifeſtum. Caietanus, Nauarrus, & cæteri Doctores citati nobiſcũ hac in parte conſentiunt, quatenus affirmant in foro conſcientiæ circa theſauros legibus ciuilibus cuiusque loci eſſe ſtandum: quod ſane non aſſeuerarent, niſi exiſtimarent, poteſtatẽ eſſe in Republica ad theſaurorum dominia iuſtis de cauſis, quibus placeret, applicandum.

Reſtitur.

SVMMARIVM.

1 *Alluuione quando dominium acquiratur & amittatur*
2 *Inſula in flumine nata cuius ſit.*
3 *Alueus relictus & alius de nouo à flumine occupatus, cuius ſint.*
4 *Inſula in fluuio nata, & alueus à fluuio relictus iure Luſitaniæ ad Regem ſpectant: fallit num. 5.*
6 *Vtrum alluuionis augmenta ſolum proprietario cedant an verum etiam nudo fructuario, quoad vſumfructum, & feudatario ac emphyteutæ, quoad vtile dominium.*
7 *Ædificiũ, plantæ, materia, quomodo domino ſoli cedãt,*
8 *Ex aliena materia confectum, cuius erit.*
9 *Tabula picturæ cedit.*
10 *Prudentis arbitrio perſoluendum ac compenſandum eſſe id, quod in alterius dominium modis explicatis cedit.*

DE ACQVISITIONE ET AMISSIONE dominii per alluuionem, & vnionem, aut permixtionem cum re altera.

DISPVTATIO 57.

CVm hactenus dictis videtur quodammodo coniunctum, vt de his propoſitis modis, quibus dominiũ comparatur & amittitur, aliquid dicamus: de quibus *Inſtituta de rerum diuiſione à §. præterea, quod per alluuionem, & ff. de acquirendo rerum dominio*, eſt ſermo. Atque vt ab alluuione ordiamur, ſi flumen paulatim decurſu temporis aliquid fundo alicuius adiecerit (quod in iure incrementum latens appellatur (gentium iure illius efficitur, cuius eſt prædium, cui ita eſt additum. Similiter ſi eodem modo aliquid detraxerit, dominium illius amittitur. Si tamen flumen ſimul detraxerit partem aliquam fundi vnius, eamque adiunxerit fundo alterius, manet eius, cuius antea erat. Ita habetur. *Inſtituta de rerum diuiſione §. citato, & l. adeo. §. 1. ff. de acquirendo rerum dom.*

Inſula autem quę in flumine interdum naſcitur, ſi in medio ſit fluminis, eorum efficitur, qui vtrinq; è regione prædia habuerint: eſtque inter eos æqualiter diuidenda. Atque hoc, & quodcunq; aliud ſimile, appellatur incrementũ patẽs. Quod ſi ex vna parte ripæ multi habeant prædia, diuerſis partibus Inſulæ è regione reſpõdentia: tũc medietas Inſulæ, quæ eſt verſus eam ripæ partem, inter eos ita eſt diuidenda, vt quæ pars illius medietatis fuerit è regione prædij vnius, dominio illius cedat: quę vero fuerit è regione prædij cuiuſuis aliorum ad cum ſimili modo pertineat. Si vero Inſula, in flumine nata, vni parti ripæ fuerit propinquior, tota cedit dominio illius, aut eorum, qui è regione prædia in ea ripa habuerint. Quod ſi Inſula primo nata ſit è regione vnius prędij, & poſtea accreſcat, adeoque extendatur, vt eſſe incipiat è regione prędij alicuius alterius, tota Inſula perſeuerat illius, cuius antea erat. Ratio eſt, quoniam incrementũ illud, & extẽſio, accreſcit Inſulæ, quæ iam antea habebat dominum; eaque de cauſa, ſicut illud incrementum accreſcit Inſulæ, ſic etiam cedit dominio illius, cuius antea erat Inſula. Porro ſi ea ratione fiat Inſula aliqua, vt flumen diuidatur, cingereque incipiat partem prædij alicuius: tũc illa, ita flumine cincta, eius erit, cuius erat antea. De Inſula de nouo in medio mari nata, dictũ eſt *diſp. 55.* hæc omnia habentur. §. *Inſula Inſtit. de rerum diuiſione. l. adeo. §. 1. inter eos. l. ergo, & l. Inſula ff. de acquirendo rerum dominio.*

2 *Inſula in fluuio nata.*

Cæterum ſi fluuius, naturali alueo derelicto, per partem aliam fluere incipiat, alueus relictus eorum efficitur, qui prædia vtrinque habent, eſtq; eodem prorſus modo inter eos diuidendus, quo dictum eſt, In ſulam de nouo in fluuio natam eſſe diuidendam. Alueus vero, à fluuio de nouo occupatus, efficitur publicus. Quo fit, vt ſi poſt longum tempus iterum fluuius ad priorem alueum reuertatur, alueus, qui de nouo relinquitur, non ad eos, quorum antea erat, ſed ad eos, qui vtrinque habent prædia, pertineat. Ex quadam tamen æquitate, ſi fluuius, dum ſuum deſerit alueum, agrũ integrum alicuius occupet, illi, vel in totum, vel quoad partem relinquitur: nõ tamen ex iuris rigore. Quod ſi fluuij, aut maris inundatione ager alicuius occupetur, non propterea eius eſſe deſinit, cuius antrẽ inundationẽ erat. Eaq; de cauſa, ſi aqua receſſerit, ad eum pertinet, cuius ante inundationẽ erat. Hæc omnia habẽtur, *Inſtituta de rerum diuiſione. §. quod ſi naturali, & l. adeo. §. Inſula, & l. ergo. ff. de acquir. rerum dominio.*

3 *Alueus relictus, & alius de nouo occupatus.*

In hoc regno dubium eſſe poteſt, an Inſula in fluuio nata, & alueus à fluuio relictus, ad regem ſpectent: eo quod *§. 7. tit. 15. lib. 2. Ordinationum*, dominium fluuiorum, eſto quoad vſum omnibus cõmunes relinquantur, regi tribuatur. Sic enim habet §. ille. item *dereito real he, eſtradas publicas, & ruas publicas antiguamente vſadas, & os rios nauegaueis, & aquelles de que ſe faZen os nauegaueis, ſe ſam cabedais que corran continuadamente em todo tempo, & pero que ouſo aſſi das eſtradas & ruas publicas, como dos rios ſeia ignoralmente comun à toda algente & a qualquer outra couſa animada, ſempre a propriedade de dellas fica no patrimonio real.* Standum tamen erit conſuetudini. Aluarus Vala-

4 *Ius Luſitanum.*

Valascus de iure emphyteutico *par.1.q.18.nu.6.* affirmare videtur. in hoc regno pertinere ad regem, propter §. *illum citatum*, idque in praxi audio receptum.

Eodem numero admonet,ea, quę de alueo fluuij dicta sunt,intelligenda esse,quando fluuius naturaliter mutat alueum:secus autem quando industria humana, vt tempore Ioannis 2. in parte quadam Tagi, & fluminis Beneuentani in hoc regno effectum est. Atque inprimis id fieri nequit, nisi de principis mandato: vt constat *ex. l.1. C. de alluuionibus.* Deinde vero dominis prædiorum, quæ de nouo fluuius occupat, totum damnum soluendum est, æquitasque postulat, vt rex in hoc regno, aut quicunq; alij,ad quos antiquus alueus spectare debebat,illum cedant, vt dominis prædiorum noui alnei damnum persoluatur.

Illud etiam in dubitationem vocari potest, vtrũ scilicet alluuionis augmenta, de quibus hactenus locuti sumus,solum proprietario cedant,an verum etiam nudo fructuario,quoad vsum fructũ, & feudatario ac emphyteutæ,quoad vtile dominium. Et quidem *l. item si fundum. §. huic vtimur. & §. si Insula. ff. de vsufructu.* sancitum est, vt incrementum alluuionis latens cedat vsufructuario : patens vero, qualé est Insulæ natæ in medio fluminis,non cedat.

Quod ad feudatarium attinet,Gregorius Lopez *ad l.30. tit.28. par.3. legum Castellæ*, & Aluarus Valascus *quæst.16 citata nu.2.* citant *c.1. §. siquis de mansu, de contro. inuest.* quod de consuetudine feudatorum neque incrementum patens, neq; latens ad feudatarium pertineat,sed ad solum proprietarium *l. tamen 30. Castellæ citata* constitutum est, vt ad eum pertineat solum incrementum latens, non vero patens. Quo fit, vt de iure Regni Castellæ iuri illi feudorum ea in parte derogatum sit.

Deniq; quod attinet ad emphyteutam, communis sententia Bartoli & aliorum quos Aluarus Valascus refert,est non solum incrementum *latens*,sed etiam *patens*,ad eum pertinere. *Latens* quidem argumẽto à minori ad maius : ab vsufructuario ad emphyteutam,qui plus iuris in re emphyteutica habet quam merus vsufructuarius. Neque simili ratione ex feudo quicquam cogit, quoniam quod peculiariter,& contra id, quod rei natura alioquin postulat, in feudis constitutum est,extendendum non est ad emphyteutam. *Patens* vero, quoniam sicut decrementum agri emphyteutici pertinet ad emphyteutam, neq; ea de causa minuitur pensio,quam tenetur soluere,nisi fundus totus destruatur : ita etiam incremẽtum, quodcunq; illud sit,ad eundem pertinere debet, nec propterea augẽda est pensio. Lege,si placet, alia, quæ Aluarus Valascus eo loco de hac re disputat. Atque hæc de alluione.

Porro ea,quę solo adhærent,vt ædificia, & plantæ,postquam radices egerint,eius sunt,cuius est solum: siue ab alio confectum sit ædificium,aut plantæ sint dispositæ,siue à fundi domino. Idem dicendum est de materia in alieno ædificio collocata, vt de calce,parietibus,& lignis,& de ea parte materię, ex qua in ædificio statua est confecta, saltem interim dum ædificium non est dissolutum, aut statua non est confracta. Quod si planta, quæ prope alienum erat solum, in eo radices agat, efficitur eius, cuius erat solum. Si vero partim habeat radices in alieno solo,& partim in proprio,erit communis vtriusq; domini. Si ex aliena materia quippiam aliquis conficiat,vt ex alieno auro aut argento vas aliquod, aut in aliena materia aliquid scribat, figuræ vasis,aut cuiusuis alterius rei,& characteres, efficiuntur eo ipso domini talis materiæ. Si tamen insignis aliqua & pretiosa pictura in vili tabula esset confecta, tunc sane tabula potius cederet in dominium eius,cuius est pictura, quam è contrario, pictura in dominium eius,cuius erat tabula.

7 Ædificia & plantæ domino soli cedunt.

Illud circa hæc omnia obseruandum est,semper prudentis arbitrio persoluendum ac compensandum esse id,quod in alterius dominium, modis explicatis,cedit: præsertim quando nulla culpa ex parte eius interuenit,cuius res illa alioquin erat futura. Hæc, & quędam alia : quę persequi latius ad iurisperitos spectat habentur Instit. *de rerum diuis. à §. Cum ex alieno,& l.adeo §. Cum quis,& l.qua ratione.ff. de acquir.rerum domi.& l.in rem actio.ff. de rei vendic.*

SVMMARIVM.

1 *Ciuis aut incola populi aut Communitatis potest iuxta præscriptum communitatis ligna in sylua cædere, atque ita eorum dominium sibi comparare, & idem in eo est qui in aliena sylua de facultate tacita vel expressa, eius qui illam potest concedere, ligna cædit.*

2 *Sylua licite etiam ijs quibus est communis interdum prohibetur quoad scissionem aut certam lignorum scissionem & quoad pastum glandium.*

3 *Sylua si communitatis sit, iusteque prohibitum incolis in ea ligna scindere ad pœnam tenentur lata sententia: non vero ad restitutionem, nisi damnum notabile sit.*

4 *Syluæ communi si scissione lignorum notabile damnum datum sit quando & quousque sit restituendum & quando non.*

5 *Si oppida propinqua propriam suam habeant syluam mutuoque oppidani vnius oppidi furari soleant ligna ex sylua alterius excusantur tam à lethali culpa quam ab onere restituendi, modo notabile damnum attentis circumstantijs concurrentibus non inferant. pœnam tamen tenentur soluere si deprehendantur.*

6 *Ex aliena sylua siue communi siue priuata ligna scindentes damnati tenentur soluere pœnam & damnum, quando est in mora positum : præsumiturque syluæ dominos id velle.*

7 *Ius Lusitanum.*

8 *In syluis à Rege priuatis concessis quousque priuati ipsis oppidanis prohibere possint.*

DE ACQVISITIONE DOMINII lignorum, quæ in communibus sylvis cæduntur, & vniuersim de syluis cæduis.

DISPVT. 58.

CONsequenter dicendum est de acquisitione dominij earum rerum in particulari, quæ licet antea non erant omnibus vniuersim communes, alicui tamen populo, cõmunitati, aut Reipublicæ communes erant, vt sunt ligna syluæ alicui populo cõmunis. Sequenti vero disputatione dicemus de vsu pascuorum, simili modo communium. In vtra que autem disputatione sermonem miscebimus de abusu & iniusticia in cędendis lignis alienis, pascendisque gregibus in alieno agro.

Sit igitur prima conclusio. Quando quis ciuis est, aut incola populi, aut communitatis, cuius est talis sylua, ac iuxta eius communitatis præscriptũ ligna cędit, licite id facit, eoq; ipso, quod ligna aliqua cædit sibiq; illa vsurpat, eorum sibi dominium comparat. Idem est de eo, qui in aliena sylua de facultate tacita vel expressa eius, qui illam potest concedere, ligna cædit. Hæc conclusio notissima est. *1 Cõcl. 1.*

Antequam sequentes cõclusiones subiiciamus, statuendum est cum Soto. 4. *de iustitia. q. 6. art. 4.* & aliis, fas esse cuiq; communitati syluam suam communem prohibere sub certis quibusdam pœnis, etiam iis, qui de eadem sunt communitate, quatenus ea ratione melius conseruetur, vel quoad glandes,

vel quoad ea ipsa ligna. idq; vel prohibendo ibi omnino scissionem lignorum (si aliunde possint cõmode asportari) vel prohibendo certam scissionẽ, quæ plus nocumenti plantis afferet, plusq; syluam ipsam deuastat Fundamentum hoc inde est manifestum, quoniam publica potestas ad omnia sese extendit, quæ ad communem vtilitatem, meliorem q; Reipublicæ, & bonorum ipsius, conseruationem spectant.

Hoc ita constituto, secunda conclusio est. Si iis, qui de eadem sunt communitate, contra præscriptam legem aliquid cædant, tenentur quidem soluere pœnam, si deprehendantur & damnentur, ad nullam tamen restitutionem tenentur communitati faciendam, nisi forte damnum notabile, attentis circũstantiis concurrentibus dederint. Hæc est Soti *loco citato*, & quoad priorem partem est manifesta. Quoniam lex illa pœnalis est iusta, vt supponimus: ergo si, *qui* eam est transgressus, deprehendatur, & condẽnetur, tenetur soluere pœnam, & non antea. Posterior vero pars probatur, quoniam credendum non est, communitatem eo rigore cum iis quibus ligna sunt communia, velle vti, vt teneãtur illa restituere: quare, si damnum extraordinarium, magnumq; attentis circumstantiis concurrentibus non sit, sane qui illud dedit, restituere non tenetur: imo ne q; lethaliter peccat. Quin potius, si prohibitio irrationabilis & iniusta esset, eo quod non relinqueretur oppidanis locus vnde ea commode possent asportare, nulla prorsus esset culpa asportare, de communi sylua ligna ad communes & quotidianos vsus necessaria, ac proinde tunc nulla posset infligi pœna, eo quod pœna, vt debeatur, iusteque infligi possit, culpam supponat.

Tertia conclusio. Quando oppidanus aliquis notabile, extraordinariumq; damnum dederit, tenetur illud restituere communitati, nisi de contraria voluntate communitatis constet, quia videlicet, quando nouit, quis similia damna dederit, solã pœnam exigit, eaq; contenta est, vel aliqua alia ratione. Porro quando damnum restituendũ est, non quidem est restituendum quantum valent ligna iã scissa & asportata, sed quantum valent in ipsa sylua antequam scindantur. ne q; tunc id totum restituere tenetur: eo quod oppidanus sit: & partem quamdam eorum sine onere restituendi potuit scindere sibique asciscere solum ergo incrementum damni supra id, quod sine restitutionis onere scindere potuit, tenetur restituere. Si tamen damnum illatum longe maius sit, quam valor lignorum scissorum, ac asportatorũ, eo quod nouæ plantę scissæ sint, aut aliqua alia ratione: tunc in restitutione facienda ad latitudinem damni dati est respiciendum: non vero ad lignorum scissorum valorem. Iam vero. an damnũ datum notabile sit, arbitrio prudentis, attentis circumstantiis omnibus concurrentibus, est expendendum. Id enim, quod vbi sylua est modica, & vbi admodum parce concedi solet facultas ad scindenda ex ea ligna conferetur damnum notabile, sane vbi sylua esset vastissima & abundantissima, aut vbi facile concedi solet facultas oppidanis, non solum ad ligna cædenda ad quotidianos vsus, sed etiam ad fabricandam propriam domum, non conferetur magnum & extraordinarium damnũ. Quo fit, vt hac de te certa aliqua regula constitui non possit, sed prudentis arbitrio, expensis circumstantiis omnibus res sit relinquenda.

Quarta conclusio. Si sint duo oppida propinqua quorum quoduis suam habeat propriam syluam, mutuoque oppidani vnius oppidi furari soleant ligna ex sylua alterius, excusãtur, tam à lethali culpa, quam ab onere restituendi: modo notabile damnũ attentis circumstantis cõcurrentibus non inferant: pœnam tamen tenẽtur soluere, si deprehendantur & damnentur. Hæc est Soti *loco citato*. Ratio autem illius est, quoniam communitates ipsæ sola pœna videntur contentę: reliqua vero esse volunt in mutuam compensationem. Præsertim cum ligna syluę quæ terra sua sponte producit, non tanti fieri cõ sueuerunt, deberẽtque esse omnibus vniuersim ad vsus quotidianos communia, nisi eorũ penuria timeretur. Quo fit, vt furtum in eiusmodi rebus, licet vere furtum sit, non tanti pendi consueuerit, vt furtum in aliis rebus, neque homines propter illud infamiam incurrant, aut tam acriter puniãtur, ac propter alia furta: quin potius æquum non esse, eos acerba aliqua pœna puniri. Si quem in confessione deprehenderem, qui, cum ligna in communi sylua sui oppidi haberet, in aliena ligna scidisset, illum reprehenderem, & ne vlterius ad cædenda ligna pergeret, curarem ea tamen dexteritate, vt scrupulum lethalis culpę; quando damnum non esset notabile, illi non iniicerem.

Quinta conclusio. Qui in aliena prorsus sylua, siue alicuius communitatis, siue dominipriuati, ligna contra domini voluntatẽ cæderet, & teneretur pęnam soluere, si deprenderetur ac condemnaretur, restituereque valorem lignorum, quanti æstimarẽtur in ipsa sylua antequam scinderentur, & peccaret lethaliter, nisi exiguitate damni dati, à tanta culpa excusaretur. Hæc est Soti *loco citato*, Medinæ de rebus resti. quæst. 12. versus finem, & communis. Cum n. qui ea scindit & vsurpat, verum furtum committat, sane vltra peccatum, ad illa omnia tenetur. Est tamen cũ Doctoribus citatis obseruandum, eos, qui ita scindunt ligna, non plus teneri ad damni solutionem, quam iuxta præsumptam dominorum syluæ voluntatem, quę ex statutis eorum, fama, & vsu magna ex parte deprehenditur: decetque eos non esse admodum seueros hac in parte propter rei ipsius qualitatem: qua in remitiores esse solent communitates, quam domini priuati. Vnde, si quãdo aliquis deprehenditur, solum exigi solet ab eo pœna, non vero aliquid vlterius pro dato, vt regulariter fieri solet: tunc is nihil amplius tenẽtur pro damno restituere. De eo vero, qui nõ deprehẽderetur, dicẽdum est, teneri ad aliquam pro damno restitutionẽ quando præsumptio est, dominum syluæ id in animo habere: & indubio, vel venia est obtinenda, vel restitutio facienda. Cessaret autem dubium, quãdo domino syluæ perspectum esset, quinam ligna cæciderint, & tamen vel subiiceret, vel saltem damnũ nullũ exigeret, esto graviter queratur, & minas iactet. Et quando omnino non est in more positum, vt aliud soluatur, quam pœna, cum delinquens deprehenditur, & dominus vult illam exigere. Aduerte autem communitates aliquas syluas suas custodire, habereq; leges pœnales aduersus extraneos ligna scindentes, non quidẽ eo intuitu vt damna soluantur, aut ne omnino extranei ligna scindant, sed ne nimiè scindantur, & deuastentur syluæ, itemq; vt ex pœnis stipendia custodibus soluantur, aliiq; publici sumptus fiant. Atq; in hoc euentu extranei, nisi damnum notabile dederint, ne q; lethalis culpæ sunt damnandi, ne q; est illis iniungenda restitutio. Quando vero de præsũpta volũtate cõmunitatis, aut domini, cuius est sylua, constaret, nequaquã prohibere, quo minus aliqui vicini ligna scindãt ad quotidianos vsus necessaria, eoq; cum illud nouerint, tacent, atque ita virtute cõsentiũt, tũc quidem ea scindere & asportare. nullum est peccatum.

In hoc Lusitaniæ Regno *li. 5. Ordinationum tit. 111. §. 1.* sancitum est, vt nullus, tã in eis locis, quę *charnecas* vocant, quam eis, quæ appellant *matos maninhos*, prohibeat, vel scindere ligna, vel extrahere de suberibus cordices, vel eas radices de terra euellere, quas nostri *cepas* vocant: & vt nemo pro his tributũ petat, vel statuat. Quod si quicquam in contrarium fuerit statutum, sit totum irritum & inane: & insuper graues pœnæ pro ea re statuuntur.

Item

Item *ibidem à §. 3. quoad ea loca, quæ contadas aut defesas* Regis nuncupantur, statuitur, vt seruentur ea, quæ sanctis ea de re statutis continentur. Quod vero attinet ad alia similia loca, quæ priuilegio regum aliquibus concessa sunt, sancitur, vt ea seruentur, quæ priuilegiis, & instrumentis eorum continétur. Ea tamē lege, vt si ea loca, quoad pastū & ligna cædenda iis, qui vicinas habent possessiones, voluerint esse prohibita, possessiones vicinorum sint etiam simili modo eis prohibitæ: possintque vicini easdem pœnas in eos exercere, quas ipsi in suis locis, iuxta sua priuilegia, à vicinis possunt extorquere. Præterea statuitur, vt si eiusmodi homines sua loca aliis velint interdicere, quoad pastū & ligna scindenda, tunc ipsi vti non possint locis, quæ *contadas, pastos: & reſios do concelho* nuncupantur esto eiusmodi loca prædiis non sint vicina. Quod si eis pascantur, constituitur, vt eisdem pœnis ipsi subiaceant, quibus alij in ipsorum locis subiacent. Denique sancitur, vt quando aliquis ex eo in aliquam pœnam inciderit, quod cōtra ea, qua inhibita sunt, aliquid in istiusmodi locis fecerit, pœna illa solum possit mandari executioni intra tres menses à commisso delicto: eoque tempore transacto delinquēs ad nullam pœnam teneatur, nisi aliud peculiariter fuerit alicui loco concessum.

In Sylua à Rege concessa quou; que primati prohiberi possint ligna cædere.

Cęterum Sotus & alij loco cit. merito obseruant, quando Rex alicui largitur oppidum cum nemore, aut solum nemus seu syluam, non plus posse hūc prohibere oppida nos à scissione lignorum, quam rex ipse eos potuisset prohibere. Ratio est manifesta, quoniam Rex non concessit, nec concedere potuit, plus iuris, quam ipse haberet: quando ergo syluæ totius erat oppidi, oppidanisq; alius locus non supperit inde commode asportare ligna possint ad necessarios vsus, prohiberi sane ab illis cædendis minime possunt: modo sylua ad id sufficiat. Quod si non sufficiat, solum potest illis præscribere certas ac rationabiles leges prohibitorias, quatenus postulat bonum commune, vt sylua in bonum publicum melius conseruetur. Ex titulis autem & originibus, vnde domini syluas possident, videndum est, prohibere ne possit oppidanos à liguorum scissione in syluis circumiacētibus. Ac sane quando in detrimentum commune à regibus, vel à ministris publicis in Sesmerias, quas in hoc regno vocant, concessæ essent, extrahere illas autoritate publica possent, populi de manibus eas possidentium, contendendo cum illis coram rege: id quod satis innuitur *quarto libro Ordinationum titulo. 67.a* §. 8. Leges autem variæ regni Castellæ, quę hac de re latæ sunt, & quibus oppidis subuenitur circa loca communia quoad pastum & ligna, quæ occupata fuerant, atque etiam Regis facultate concessa, habentur *li. 7. tit. 7. noua collect.* Quousque populorū domini in sylua populi sibi subiecti cædere possint ligna, commodius dicetur disputatione sequenti. De custodibus syluarum cæduarum dicetur in materia de restitutione.

SVMMARIVM.

1 *Ad quid teneatur, qui pascua communitatis alicui duntaxat ad pastum concessa & cæteris prohibita suis pecoribus depascitur.*

2 *Qui communitatis loca sibi cum aliis ad pastum communia contra præscriptas leges depascitur, ad quid obligatus sit.*

3 *Ex eo, quod quis dominium iurisdictionis alicuius oppidi habeat, non est dominus communium pascuorū, quatenus tamen ibi pecora pascere possit.*

4 *Dominus populi non est dominus syluæ cęduæ populo communi.*

5 *Si dominus populi damnum notabile in pascuis communibus dederit, tenetur illud restituere quēadmodum priuatus neque excusatur quod communitas id non petit quia non audet neque ex eo si remittat nisi remissio omnino libera sit.*

6 *Pascens aliena pascua vel communitatis vel priuati ipsis inuitis, lethaliter ex suo genere peccat soluere tenetur pœnam si damnetur & quando & quousque damna restituere teneatur.*

7 *Quando & quo iure princeps statuere possit vt fructibus collectis nullus prohibeat aliis pastum in suis prædiis.*

8 *De iure Castellæ & Lusitaniæ an quis prohibere possit alis agrum suum ad pastum.*

DE PASCVIS.

DISPVTATIO 59.

QVod ad pascua attinet, sit prima conclusio. Qui pascua suæ communitatis in commune bonum alicui duntaxat ad pastum concessa, & cæteris prohibita, suis pecoribus depascitur, & tenetur soluere pœnam, si quæ sit statuta, modo deprehensus condemnatusque sit, & lethaliter peccat, si damnum sit notabile, ad restitutionemque damni tenetur, prout fuerit præsumpta illius voluntas, cui faciendā esset restitutio: quę, modo conclusione quinta præcedentis disputationis explicato, est cōiiciendā; idemq; de restitutione dicēdum est, quod ibi circa ligna est explicatum. Conclusio ex dictis disputatione precedente est satis perspicua. Habet autem locum in aliquibus locis, in quibus pascua quædam, alioquin communia, vel locantur alicui ad sumptus aliquos publicos, vel inito pacto cum aliquo, qui carnes toto anno populo necessarias certo aliquo pretio vendere teneatur, illi conceduntur ad pascenda pecora ad id muneris necessaria. 1 *Conclus.*

Secunda conclusio. Qui communitatis loca, sibi cum aliis ad pastum communia, contra præscriptas leges depascitur, tenetur soluere pœnam, si damnetur: non tamen restituere damnum, nisi forte aliquando admodum esset notabile & extraordinarium, attentis circumstantiis concurrentibus. Idē dicēdū est, si qui sunt ex vicinis oppidis qui, mutuo sibi depascere soleant communia oppidorum pascua. Hæc etiam ex dictis *disputatione præcedente conclus. 2. & 4.* est manifesta: est enim in syluis cęduis, & in pascuis eadem ratio. 2 *Conclus.*

Tertia conclusio. Ex eo, quod quis dominium iurisdictionis oppidi alicuius habeat, non est dominus communium pascuorum illius oppidi, quæ in hoc Lusitaniæ regno Baldios vocant, sed integer populus ac communitas eorum habet dominium, quod recte probat Aluarus Valascus *de iure emph. qu. 8. à nu. 40.* Poterit tamen ibi pascere sua pecora sicut cæteri de populo, absque cuiusquam eorum præiudicio & grauamine: ita videlicet, vt pecora, quę in ea pascua induxerit, non multum quoad numerum superent aliorum pecora: tametsi, pro sua dignitate & loco in ea communitate, possit plura, quam quicunq; aliorum pascere. Couar. *de practicis quæstionibus cap. 37.* ait, receptum esse in auditoriis Castellę, vt possit ibi pascere pecora in duplo quam singuli ex præcipuis aliorum pascere permittantur. Et quamuis Couarr. originem recepti huius vsus non probet, certe vsus rationi est consentaneus quando, spectatis cæteris concurrentibus circumstantiis, inde non sequitur notabile grauamen populo: quale esset, pascua pecoribus communitatis non sufficere, si dominus populi duplū illum pecorum, vel armentorum numerum ibi alet rec; 3 *Conclus.*

ret: tunc enim minuere teneretur numerum, vt omnibus de populo commode sufficere. Hæc conclusio ex se satis consentanea est rationi, ex parte q̃ probatur à Couar. *loco citato*, quem lege, si placet: recipitur vero communiter ab aliis, qui post Couarruuiam scripserunt. Aduerte tamen, hoc non habere hodie locum in hoc Lusitaniæ regno l. nam q̃ 3. lata anno 1525. in comitiis de Torres nouas, & rursus Eboræ anno 1535. *& hac. 4. par. legum extrauag. titul. 6.* cautum est, ne hi, quos Alcaides mores vocant, aut eorum locum tenentes, in oppidis, vbi id muneris habent, neque etiam *commendatarij* in ciuitatibus, pagis, aut oppidis, vbi suas habẽt commendas, vllatenus possint pecora aut armenta habere, nisi habeant terras proprias ipsis optimatibus deputatas, aut suarum commendarum: & tunc, vt taxata ea habeat à præside prouinciæ. Quamuis autem lex nõ loquatur expresse de dominis oppidorum iurisdictionem eorum habentium, ait tamen Aluarus Valascus *de iure emph. q. 8. n. 43.* esse eandem rationem, communiq̃ interpretatione atque vsu esse ita receptum.

Lex Lusitanum.

4 *4. Conclus.* Quarta conclusio. Sicut dominus populi non eo ipso est dominus pascuorum communium: ita neq̃ syluæ cæduæ populo communi: quare licet vti possit lignis syluæ in suo gradu & ordine, sicut quiuis alius de populo: non tamen excedere potest proportionalem cum illis æqualitatem, ei suo modo similem, quæ de pascuis est explicata: neq̃ enim ei alios grauare licet. Quod si illam excedat, perinde tenetur restituere damna cõmunitati eo modo data, atque diximus præcedente dictum est quemcunq̃ aliũ de populo teneri: ad pœnas tamen non tenetur, nisi damnetur, aut illicite damnari impediat. Hæc satis est perspicua: neq̃ indiget probatione alia.

5 *5. Conclus.* Quinta conclusio. Si dominus populi damnum notabile in pascuis communibus dederit, tenetur illud restituere, non secus ac si quiuis alius de populo, qui simile damnum dedisset, & aduersus quẽ vires essent ad eum cogendum, teneretur id restituere: neq̃ excusatur ex eo, quod communitas id non petit. quia non audet: neq̃ ex eo, quod communitas illud remittat, nisi remissio sit omnino libera, eo modo, quo, dum de venatione esset sermo, explicauimus liberam esse debere. Quare si dominus oppidi depascat loca deputata pecoribus eius, cũ quo contractus est initus, vt certo pretio carnes necessarias populo vendat, *illi* faciẽda est restitutio. Si vero, quia ille experimento didicit dominium oppidi pascere ea pascua sibi *peculiari pacto* ascripta, ea de causa sequenti bus annis pretium carnium auxit: sane dominus oppidi restituere tenetur oppidanis damnum illius incrementi. Simili modo, si dominus oppidi ex eo, quod suis pecoribus ea pascua occupat, quę locanda erant ad sumptus aliquos publicos, in causa sit, vt vel minori pretio, vel nullo locentur, tenetur proculdubio damnũ illud cõmunitati restituere. Quod si cõsueto pretio essent locata, tunc damnum restituẽdum esset ei, qui illa haberet conducta. Quod si plura pecora, vel armenta pascat, quam par sit, attento suo gradu & ordine, idq̃ detrimentum aliis oppidanis inferat, vel lucri cessantis, vel damni emergentis, id totum vnicuiq̃ eorum restituere tenetur: nisi remissione omnino libera remittatur. Deniq̃ si dominus oppidi suis pecoribus damnum inferat priuatorum prædiis, pascendo eorum sata, &c. id totum tenetur restituere singulis. quibus damnum est illatum, esto ipse non sit *in culpa*, sed pastores ipsius. Quoniam sicut quicunq̃ alius de populo ea lege sua pecora ibi pascit, vt quod cuiq̃ damnum illa dederint, teneatur illud restituere, vel certe pecora ei tradere, ei damnum ab ipsis illatum fuit, quando *nulla* interuenit *culpa* ex parte ipsius, vt cum in materia de restitutione, de damno dato fuerit sermo, ostendemus: ita dominus oppidi eodẽ prorsus modo tenetur restituere damna, quæ sua pecora dederint. Quod si pastores in culpa fuerunt, potest quidem illos cogere, vt illud soluant in defectum tamen eorum, ipse eo modo tenetur illud restituere, quo dictum est.

Cæterum quia oppidani sæpenumero, *ne* dominium infestum habeant, aut ex verecundia, non audent de *eiusmodi damnis conqueri*, & cum illo expostulare, eaq̃ exigere, sane domini in suis locis, cum verisimile est pecora sua aliquid nocumenti dedisse, tenetur id diligenter inquirere, vel ex pastoribus ipsis iureiurando interposito, vel promulgatione in Ecclesiis oppidi facta, vt qui damnum aliquod fuerit passus, illud parocho detegat, aut alicui alteri aperiat, vt integre ipsi soluatur.

6 *6. Conclus.* Sexta conclusio. Qui aliena pascua, siue alicuius cõmunitatis ea sint, siue personæ priuatæ, cõtra illius voluntatem pascitur, lethaliter peccat, nisi dãni paruitate excusetur: tenetur q̃ pœnã soluere, si quæ statuta sit, modo tamen deprehendatur ac damnetur, & insuper damnum datum. Hæc conclusio eodem modo est intelligenda, quo quinta disputationis præcedentis explicata fuit: est enim eadẽ prorsus ratio de pascuis & de syluis cęduis alienis, ideoq̃ in ea explicanda & confirmanda non amplius immoror. Simile est damnum, quod sæpe dare solent aliqui, præsertim muliones, dum in locis alienis fænũ & herbam demetunt, & asportant, quæ domini eorum locorum suis armentis & pecoribus reseruabant: suntq̃ sæpe in causa longe maioris damni, quã sit pretium herbæ: eo quod illa deficiente, eorum armenta tempore hyberno pereant: teneturq̃ eiusmodi homines restituere pretium herbæ, & damna inde subsecuta, si illa aut attenderunt, aut attendere debuerunt. Quare domini eorũ, dum illos in Trãstagana regione, & alibi, ad quærẽdam herbam mittunt, admonere illos deberent, ne cui damnum inferrent, & vt potius sine herba redirent.

7 *7. Conclus.* Septima conclusio. Sicut, stando in solo naturali & gentium iure, potest vnusquisq̃ prohibere alii venationem in loco suo, vt in materia de venatione dictum est: & nihilominus Princeps in Reipublicæ commune bonum potest contrariũ statuere, fas videlicet cuiq̃ esse venari in alienis agris; sic etiam licet, stando in solo naturali & gentium iure, possit quisq̃ maiori cum ratione prohibere *aliis* pastum suis prædiis, potest nihilominus princeps, si ita expedire iudicauerit, statuere, vt *fructibus* collectis, nullus prohibeat aliis pastum in *suis* prædiis: modo prædia non sint vineæ, & similia alia quæ magnum detrimentum patientur, si omnibus sint quoad pastum cõmunia. Hanc affirmat & probat late ac docte Couar. *loco citato*. probationes breuitatis causa omitto. Hanc solam breuiter tangam. Quod cũ dominus prædij eo ipso sit dominus herbarum, & cæterarum plantarum, quæ in eo nascuntur, vel in eo fixas radices habent, vt *disput. 57.* ostensum est: sane sicut stando in solo naturali & gentium iure prohibere potest in prædio suo venationem ferarũ, quarum non est dominus: ita etiã longe maiori cum ratione prohibere ac vẽdere poterit pastũ herbarum suũ prædij, quarũ est dominus, vel illum suis pecoribus reseruare: id multis ex iure communi accersitis testimoniis *loco citato* probat Couar. Quia tamen commune bonum priuato est præponendum vtiq̃ potestas publica, cui omnes per cõparationẽ ad cõmune bonum subiacent: poterit cõtrariũ statuere, si eidẽ communi bono id expedire iudicauerit. Præsertim cũ, quod ita statuerit singulis de Republica prodesse possit: quippe cũ singuli in alienis agris pascere possint pecora sua: per accidẽs q̃ fit, quod vnus plura habeat prędia ad pastũ apta, quam alius, & temporis progressu possit è contrario id euenire.

8 *Octaua* Octaua conclusio. In regno Castellæ nullus priuatus

Conclusio. Ius Castellæ.

uatus absq; principis priuilegio, aut legitima præscriptione, prohibere potest aliis agrum suum ad pastum, conuertendo illum in locum, quem *dehesa* vocant, hoc est, aliis ad pastum interdictum. Quin potius, collectis cuiusq; agri fructibus, fas est cuiq; de populo, sua in eo pecora, nullo persoluto pretio, pascere: inregrum tamen cuiq; est colere suum agrum quocunq; culturæ genere, atq; adeo conuertere illum in vinetum, aut in simile aliud prædium, quod deinceps ea ratione sit aliis prohibitum ad pastum, quod eas habeat plantas, quibus ingressus pecorum nocebit. Ita Cou. *loco citato n.* 3. citatq; ad id peculiaria iura regni Castellæ, quæ fere habentur hodie *l.7.tit.7.& li.3.tit.14.l.1.c.8.nouæ collectionis.*

Ius Lusitanum.

In hoc autem Lusitaniæ regno simile aliquid videtur constitutum *lib.5.ordinat.titul.*111. ignoro tamen cõsuetudines & leges, quæ variis in locis vigẽt vel ex regis præscripto, vel eorũ magistratuũ, quos *Camara* vocant, quocirca nihil certi possum de hac re affirmare.

SVMMARIVM.

1 *Præscribere in iure Cæsareo idem quod excipere.*
2 *Exceptio quid.*
3 *Exceptio peremptoria & dilatoria.*
4 *Vsucapere proprie quis iure ciuili dicatur, & quis præscribere.*
5 *Præscriptionis vocabulum iure ciuili canonico & apud interpretes idem quod vsucapio.*
6 *An vsucapio sit rerum mobilium, præscriptio immobilium.*
7 *Vsucapionis seu præscriptionis definitio.*
8 *Panormitani definitio reijcitur.*
9 *Præscriptio latius patet quam vsucapio.*
10 *Præscriptionis late sumptæ definitio.*

EXCEPTIO, PRAESCRIPTIO, ET Vsucapio quid sint.

DISPVTAT. 60.

COnsequentur disputandum est de modis, quibus legis autoritate dominium amittatur & acquiratur. Primo autem loco se nobis offert præscriptio, & vsucapio. de quibus ante omnia explicandum est quid sint. Occasione vero præscriptionis, simul erit explicandum, quid exceptionis nomine in iure intelligatur.

1 *Præscribere in iure Cæsareo idem quod excipere.*

Præscribere, vt post Alciatum & alios Natar. *in Man.c.17.num.* 85. & copiosius Couar. *reg. possessor. p.* 2. *in initio, &* §.1. obseruant, apud autores Cæsareis iuris idem est, quod excipere: & præscriptio idem, quod exceptio. Exceptio vero, proprie loquendo, vt Couar. loco citato recte ostendit, est oppositio, quæ actionem seu litem aliquam intentanti opponitur: siue lis, & actio ea omnino impediatur ac cesser, siue non cesser, sed retardetur solum: dummodo tamen intentio, seu fundamentum, in quo actio & lis fundatur, non negetur: tunc enim proprie nõ diceretur exceptio, sed generali vocabulo appellaretur defensio. Lucem petamus ab exemplo. Si Petrus actionem, seu litem aduersus Paulum intenter, vt sibi soluat cẽtum aureos pro equo, quem illi vendidit: sane intentio & fundamentum huius actionis est venditio equi. Si ergo Paulus reus Petro actori opponat, se non emisse ab eo equum, non proprie dicetur excipere: eo quod intentionẽ ac fũdamẽtũ actionis neget: sed dicetur se defẽdere probatioq; eius, quod opponit & negat, ad actorẽ pertinebit. At vero si opponat se iam soluisse illi pretiũ dicitur proprie excipere: quia nõ negat actionis intentionem ac fundamentũ, sed excusationem ac exceptionem obicit, quod soluerit pretium: probatioque tunc exceptionis oppositę ad reum pertinet. Quia vero hæc exceptio, si probetur, omnino impedit ac extinguit actionem, appellatur exceptio peremptoria. Si vero opponeret eum, ad cuius tribunal vocatur, non esse suum iudicem, tunc quia esto id probaret, integra maneret actio coram legitimo alio iudice intentanda, diceretur exceptio dilatoria. Doctores itaque citati dicunt, in iure Cæsareo, idem esse præscribere, quod excipere: & præscriptionem quod exceptionem. Inde vero arbitratur Couar. significationem hanc in iure ciuili ortum habuisse, quod præscribere idem est, quod legem ac formam statuere: & quia quondam, quemadmodum actionibus, sic etiam exceptionibus præscripta erat quædam forma: excipere dictum est præscribere, & exceptio dicta est præscriptio.

2 *Exceptio quid.*

3 *Exceptio peremptoria & dilatoria.*

Ad rem ergo, de qua nobis præcipue est hoc loco sermo, vt accedamus obseruant optime Doctores citati, acquisitionem dominij, tam rerũ immobilium, quam mobilium, ex eo capire, quod quis tã to tempore bona fide & cum cęteris conditionibus eas possederit, quanto & cum quibus humano iure ad id sufficere est constitutum, neq; latine, neque à legum ciuilium cõditoribus, appellari præscriptionem, sed vsucapionem: earumque possessores, qui ea ratione comparant illarum dominium, non dici eas præscribere, sed eas vsucapere. Dum autem priores domini aduersus eos intentant actionem, qua tanquam suas vendicare sibi eas res volunt: cõtra vero possessores illis obiciunt, seu excipiunt. se tãto tempore & cum eis conditionibus illas possedisse, vt comparauerint iam earum dominium, eaque de causa locũ non habere actionẽ, quam intentãt: dicunt, eiusmodi peremptoriam exceptionem appellari in iure ciuili exceptionem: excipereque illo modo, dici præscribere. Atque in hac significatione (tametsi, vt inferius ostendemus, latius vocabulum pateat) inscribuntur tituli in iure Cæsareo, de longi temporis præscriptione, hoc est, de exceptione aduersus antiquos dominos, quæ ex eo præsentibus possessoribus competit; quod longo tempore & cum cõditionibus ad id necessariis res possederint inscribunturq; alij similes tituli: id quod non parum inseruit ad intelligendos textus iuris Cęsarei, *Inst. C. & ff. de vsucapionib.* & aliis, vbi iurisc5 sulti de præscriptione in ea significatione loquũtur.

4 *Vsucapio quid.*

Licet autem legum iuris Cæsarei conditores ita loquantur in iure tamen canonicõ & apud interpretes iuris vtriusq; vsurpatissimum est præscriptionis vocabulum, pro acquisitione dominij ex possessione, tempore, & cum conditionibus ad id requisitis. in eaque significatione nos illo deinceps vtemur cũ communi doctorum, & iuris canonici, nec non ciuilium iurium particularium regnorum vsu.

5 *Præscriptio in iure canonico, & apud interpretes idem quod vsucapio.*

Multi vsucapionem à præscriptione distinguunt quasi vsucapio sit rerum mobilium, præscriptio vero immobilium. Satis tamen Couar. *loco citato* ostendit, vtramque locum habere, tam in rebus immobilibus, quam mobilibus.

6

Vsucapionem definit Modestinus Iurisc5sultus *l.3.ff. de vsucap.* Esse acquisitionem dominij per cõtinuationem temporis lege definiti. Hoc est, per continuationem possessionis tempore à lege definito. vt ab ea definitum est, ac proinde cum conditionibus ad id statutis, nempe vt possessio sit bona fide, vt res possessa furtiua non sit, &c. vt in sequentibus fiet manifestũ. Cum enim, quod vnus ea via & ratione dominium amittat & alter illud acquirat, humano iure in cõmune bonum, ne videlicet rerum dominia sint incerta, & vt litibus obuietur, sancitum sit: sane ex impletione conditionum legibus ad id statutarum pẽdet, quod ea via dominiũ acquiratur: ac proinde non aliter melius definiri potuit vsucapio, quam quod sit acquisitio dominij per continuationem possessionis tempore lege definito

7 *Vsucapionis seu præscriptionis definitio.*

finito cum modo & conditionibus lege ſtatutis. Ipſum vero vſucapionis vocabulum, id vſucapionẽ eſſe; indicat: ſonat enim captionem, ſeu ăcquiſitionem dominij, vſu ac poſſeſsione rei.

Illud naturali philoſophia eſt perſpicuum, quãuis ſola introductio formæ ſubſtantialis in materiã ſit proprie generatio, alterationem tamen præuiam dici etiam generationem, ſumpta denominatione à termino, ad quem eſt tendentia: atque ea ratione, dum lignum alteratur ac diſponitur ad formam ignis, dici generari ignem, ita tamen, vt impediri generatio poſsit fierique vt nunquam in futurum verum ſit dicere, ignis eſt genitus: quod longe aliter cernitur, ſumpta ignis generatione pro introductione formæ ſubſtantialis in materiam: eo quod ſimul ſit, ignem eo modo generari, & eſſe genitum. Haud ſecus in re, de qua diſputamus, quamuis vſucapio proprie ſolum ſit ipſa actualis acquiſitio dominij, quæ conſequitur poſſeſsionem toto tempore & cum conditionibus ad id requiſitis, nihilominus poſſeſsio, quæ ad dominij acquiſitionem diſponit, dicitur etiam vſucapio, ſumpta denominatione à termino: & dum res ita poſsidetur, antequã dominium illius cõparetur, dicitur vſucapi: ita tamen, vt poſsit vſucapio impediri, & fieri, vt nunquam in futurum verum ſit dicere, rem vſucaptã eſſe ac præſcriptam: quod tamen non cernitur, ſumpta vſucapione pro actuali comparatione dominij, quæ ſimul ſit, & facta eſt. Sumpta ergo vſucapione & præſcriptione pro præuia poſſeſsione, & diſpoſitione ad actualẽ dominij conſecutionem, conſueuerunt Doctores dicere, vſucapionem ac præſcriptionem interrumpi, nẽpe quando poſſeſsio interrũpitur, aut ceſſat bona fides. nõ vero sũpta pro actuali ipſa conſecutione dominij, quo pacto à Modeſtino deſumpta eſt.

8 Panor. *in rub. de præſcr.* definit præſcriptionem. Eſſe ius quoddam ex tempore congruens legũ autoritate vim capiens negligentibus pœnam inferẽs & finem litibus imponens. Cæterum, ſiue definire intendat præſcriptionem pro exceptione, ſiue pro vſucapione certe definitio hæc, quam multi etiam Theologorum, amplectũtur, nobis non probatur. Præterquam enim quod longa nimium ſit, artique definiendi minime conſentanea, ſane cum præſcriptionis finis præcipuus non ſit, punire illius negligentiam, in cuius detrimentũ præſcribitur, ſed pro ſpicere communi bono, ne rerum dominia confuſa, incertaq; ſint, & vt litib via præcludatur, nequaquã ad præſcriptionis rationẽ eſt neceſſe, vt in pœnã ſit negligentiæ: quin potius ſæpiſsime erit cum ignorantia inuincibili, atq; adeo abſq; vlla culpa & negligentia eius, in cuius detrimentũ præſcribitur: partes autem omnes legitimæ definitionis rei cuicunque intra definiti ambitum contentæ debent conuenire.

9 *Præſcriptio latius patet quam vſucapio.* Illud prætereà eſt animaduertendum. Quamuis vſucapio ſit id, quod hactenus diſſeruimus & explicauimus: præſcriptionem tamen, quod ad rem præſentem attinet, latius patere. Interdum namque dicimus nos præſcripſiſſe aduerſus actionem perſonalẽ, quæ intentari in nos poterat, & præſcripſiſſe aduerſus ius, quod quis in rem aliquã habebat, eaq; ratione interdum extinctam eſſe ſeruitutẽ, quę illi iuri in ea re reſpõdebat, & ſimilia alia ſæpe dicimus, in quibus locũ nõ habet vſucapio, eo quod ea ratione, neq; dominium, neq; quaſi dominium cõparemus, ſed ſolum ius aliquod extinguatur, exceptionemq; legis autoritate comparemus ex non vſu illius iuris certo aliquo tempore, aut ex non intẽtata actione, vt iam amplius eſſe non poſsit vſus illius iuris, intentariq; non poſsit talis actio, vt ex dicẽdis in huius materiæ progreſſu erit manifeſtum. Sũptaergo præſcriptione, non pro vſucapione paulo antedefinita, ſed pro exceptione, non quacunq; ſed qua opponitur, tempore à lege dato, & interueniẽtibus conditionibus lege ſtatutis, extinctũ eſſe dominium, vel ius aliud quodcunq; (quo pacto ſumitur in titulis, quæ de præſcriptione ſunt in iure Cęſareo, & qua ratione comprehendit ea omnia, quæ dicta ſunt) ſic poſsimus eam definire. Eſt exceptio peremptoria, ex tempore legibus definito vim habens. Pro genere ponitur, *exceptio*. Per particulam, *peremptoria*, excluduntur, quæ peremptoriæ non ſunt. Per particulam vero, *ex tempore legibus definito vim habens*, excluduntur cęteræ peremptoriæ exceptiones, quę non ex tempore lege conſtituto, ſed aliunde vim habent, neq; ad materiam, de qua modo diſputamus ſpectãt. Porro nomine, *temporis conſtituti* intelligimus cõditiones reliquas lege ſtatutas, vt ex eo tempore talis exceptio oriatur. Non fecimus in hac definitione mentionem poſſeſsionis: quoniam eiuſmodi exceptio, extinctioq; contrarij iuris, non ſemper reſultat ex poſſeſsione: ſed interdum ſolum reſultat ex non vſu illius certo aliquo tempore, vt ex dicendis pãtebit. Parum admodum differt hæc noſtra definitio ab ea, quam de eadem re tradit Cou. *reg. poſſ. p.* 1. §. 1. *n.* 4, mutando etiam nonnihil à quadam alia, quam tradunt quædam gloſſæ & Godofredus, defenditque Alciatus.

10 *Præſcriptio latius patet quam peremptoria, finito.*

SVMMARIVM.

1 *Opinio negat.* 1.
2 *Argument.* 1.
3 *Argument.* 2.
4 *Opinio* 2.
5 *Opinio* 3.
6 *Opinio* 4. *affirmat.*
7 *Quarta opinio confirmatur, & ad* 2. *&* 3. *reſpond. vt & num.* 10.
8 *Obiectio.*
9 *Solutio obiecti.*
11 *Dominium etiam directum immobilium præſcriptione comparatur.*
12 *Reſpond. ad arg.* 1. *opin. negat.*
13 *Ad argument.* 2.

VTRVM PRAESCRIPTIO VIM HABEAT in foro conſcientiæ.

DISPVTATIO 61.

HOc loco ſolum nobis eſt ſermo de præſcriptione bona fide, quam ſolam probatius canonicum. De præſcriptione verò mala fide, quam ciuiles leges aliquãdo conſtituerũt, ſermo erit poſteà. De hac re variæ ſunt Doctorum ſententiæ, quas refert Gloſſa. *c. Vigilanti de præſcr.* Hugo, vt ex Ioanne Andrea refert ibidem Pano. Summa Roſella, & alij aſſeruerunt, vim non habere in foro conſcientiæ; eaque de cauſa, ſi poſt rem legitime præſcriptam, præſcribenti conſtet alienam fuiſſe, teneri eam reſtituere. 1 *Pars negãs*

Probant id primo, quoniam vt habetur *reg. locupletari, de reg. iuris lib.* 6 Non debet quis cum aliena iniuria, vel iactura locupletari: ſi autem, qui bona fide rem præſcripſit, ſciens poſtea alienam fuiſſe, eã non reſtitueret, locupletaretur cum aliena iactura: ergo tenetur in foro conſcientiæ eam reſtituere. 2 *Suadetur primo.*

Secundo, fundamentum præſcriptionis eſt bona fides: ergo quocunq; tempore ex eo ceſſat, quod cognoſcitur fuiſſe alterius, tenetur, qui eam præſcripſit, reſtituere. 3 *Secundo.*

Alij dixerunt, rem legitime præſcriptam, ſi titulo oneroſo fuit cõparata, vt quia fuit empta, aut permutatione acquiſita, reſtituendã non eſſe, eſto poſt præſcriptionem cõſtet fuiſſe alienã: quoniam cum ille, qui præſcripſit iuris autoritate præſcriptionis lege adiuuetur, potius indẽnitati propriæ, quã eius, cuius 4 *Aliorum reſtrictio*

cuius res illa ante præscriptionem erat, debet consulere. Si vero titulo gratioso acquisita fuit, vt donationis, legati, aut successionis ex testamento, vel ab intestato, restituendam esse: eo quod, qui eam præscripsit, non debeat tunc cum aliena iactura locupletari.

5 *Restitutio aliorum.*

Adrianus *in 4. de restitutione in propria quæstione de præscriptione*, & post eum Medina *de reb. restit. q. 16. & 18.* censent. Quando is, aduersus quem præscribitur, negligens fuit in re sua inquirenda & recuperanda, præscriptione ipsa amittere dominiũ lege intẽdente punire negligentiam illam Reipublicæ perniciosam ea pœna: atq; adeo tunc qui legitime eam, præscripsit, esto postea sciat fuisse alienam, non teneri eam restituere: eo quod legis autoritate comparauit dominium illius. Videturq; Adrianus lethalem culpam negligentiæ exigere, si ea pœna vim debeat habere, vt expendenti verba Adriani erit manifestum. Quando vero non fuit negligentia in eo, aduersus quem præscribitur, vel quia inuincibiliter ignorabat rem illam esse suam, aut alia de causa, tunc quidem neq; præscriptione amisisse dominium, neque alterum illud comparasse: eo quod vbi non est culpa locum non habet pœna: ac proinde si in eo euentu post tempus præscriptionis sciat fuisse alienã, teneri eam restituere: modo tamen consumpta non sit: tunc enim, cum obligatio restituendi non consurgeret ex parte iniustæ acceptionis: quippe cum bona fide esset consumpta, sed solum ex parte rei acceptæ, vtique solum teneretur restituere, quãtum ex illa factus esset locupletior. Ad hanc sententiam videntur accedere Castrus *2. de leg. pœna. c. 5.* Maior *in 4. dist. 15. q. 11.* Panor. *c. Vigilanti, de præscript. num. 6.* & alij. Quin & Scotus *in 4. d. 15. q. 2.* Gabriel *ibidem q. 14.* Conr. *de contractibus, q. 15.* & alij, dum affirmant præscriptionem in pœnam fuisse statutam negligentiæ domini, cuius res illa erat, in eadem videntur fuisse sententia.

6 *Præscriptio vniuersim habet in foro conscientiæ.*

Proculdubio tamen amplectenda est opinio, quam probat Glossa *c. Vigilanti, de præscript.* & quã sequuntur Caietanus *in Summa Verbo præscriptio.* Sotus *4. de iustitia. q. 5. a. 4.* Couar. *reg. possess. p. 1. §. 1. n. 4. & 5. & p. 3. in initio n. 1. & Latius toto §.* Paulus Castrensis *consilio 293.* Felinus *in rubrica de præscriptione.* & ad quam accedunt Sylu. *Verb. præscrip. q. 13* & multi alij ex iurisperitis, quos Panorm. & Syluester *locu citatis* referunt. Nempe, esto nulla adsit negligentia ex parte eius, aduersus quem præscribitur, si tamen re præscribatur interuenientib. conditionibus omnibus ad legitimam præscriptionem à iure statutis, eum qui illam præscribit, eo ipso legis autoritate comparare dominium illius: ac proinde, esto postea sciat, fuisse alterius, neque in exteriori, neque in conscientiæ foro teneri illam restituere.

7

Probatur hæc sententia, quoniam in principe est plena potestas, tam in subditos, quam in eorum bona, quatenus commune bonum & vtilitas publica postulat: sed hæc postulant, vt bonæ fidei possessor, interuenientibus certis quibusdam conditionibus, transactoq; certo quodam tempore, rem, quã possidet, præscribat, dominiumq; illius proinde consequatur, quod antiquus dominus, esto nulla interuenerit ipsius negligentia, amittat: lexq; si ea de re statuatur, est communis, & æqualis omnibus de Republica, vtpote quæ in tempus futurũ feratur: ergo iuste principes possunt illã statuere, quæ vim, etiam in conscientiæ foro, habeat, & cuius virtute dominium rei præscriptę in præscribentem transferatur: cum ergo principes re ipsa illam statuerint, vt *Instit. C. & ff. de vsucapionibus*, ac alibi est manifestum: & ius canonicum *extra de præscriptionibus*, eam approbauerit, vt in progresso liquido constabit: consequens profecto est, præscriptionis legem vim habere in foro conscientiæ, esto nulla interueniat illius culpa aut negligentia, aduersus quem præscribitur.

A Maior primo loco proposita receptissima est, constatque ex ijs, quæ, dum de dominio iurisdictionis esset sermo, dicta sunt. Eo namque ipso, quod Respublica aliquem in principem sibi delegit, potestatem illi tribuit condendi eas leges, quas in commune bonum, publicamq; vtilitatem expedire indicaret, neque populus contrauenire potest ijs legibus, quas tales esse constat: huic autem, de qua disputamus, non solum non contrauenit, sed etiam longo iam tempore illam recepit.

Minor vero probatur, quoniam, nisi ea lex esset 6
in Republica, dominia rerum incerta essent, in magnum Reipublicæ detrimentum: orirentur namq; quamplurimæ, & difficiles lites, & vna cum litibus odia: & cum post longa tempora difficile probari posset ius, cuiusq; perichitaretur iustitia: item laquei
B multi hominum conscientiis essent expositi: sæpe etiam eueniret, vt quod quis in dotem cum vxore ad matrimonij onera sustinenda acciperet, lite extraheretur, aut certe in dote defendenda plus necesse esset insumere, quam esset dotis emolumentum: expedientissima ergo est lex illa communi bono: Vnde Caius Iurisconsultus *l. 1. ff. de vsucapionibus, Bono publico*, inquit, *introducta est vsucapio, ne diu & fere semper incerta essent dominia rerum, cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium.* Quibus verbis aperte affirmat, præscriptionis lege vere transferri dominium: alioquin non minus, sed plus, post præscriptionis legem dominia manerent incerta. Id quod etiam aperte constat ex definitione illa Modestini *l. 3. ff. de vsucapionib.* quam disputatione præcedente explicauimus. *Est acquisitio*
C *dominij per continuationem, &c.* Neratius quoque *l. vltima, ff. pro suo* ait, vsucapio, etiam aliis causis concessa, interim propter ea quæ nostra esse existimantes possidemus, constituta est, vt aliquis litium finis esset.

Quod vero eam legem postulet commune bonum & vtilitas publica, esto nulla interueniat negligentia ex parte eius, aduersus quem præscribatur, vt in minori, quam probamus, subiungebatur, ex eo est manifestum, quod ea omnia, quæ de dominiorum incertitudine, litium multiplicitate, & difficultate, conscientiarum, & iustitiæ periculo, dicta sunt, æque vim habent, siue interueniat negligentia ex parte eius aduersus quem præscribitur, siue non. Quin potius, si nulla interueniente tali negligentia, lex bono communi non expediret, princepsq; eam
D condere non posset, quæ vim in foro conscientiæ haberet, quæque vere dominium transferret, sane multo magis essent incerta rerum dominia, longeque grauiora pericula conscientiarum subditorum ex ea orirentur, quã si ea lex non esset statuta: quandoquidem, qui præscriptam rem aliquam haberet, iudicare non posset, an is, aduersus quem ipse præscripsisset, culpabilem negligentiam in ea acquirenda & obtinenda habuerit: quare indigna prorsus esset ea lex, quæ à Principe Christiano, in tam euidens animarum suarum subditorũ periculum, sanciretur. Iam vero si, vt Adrianus vult, lethalis culpa
E negligentiæ esset necessaria, vt ea lex vim in conscientiæ foro habere posset, raro, aut nunquam, vere ea transferrentur dominia: quandoquidem raro, aut nunquam, lethalis culpa est, quemquam sua negligere, quod ad prodigalitatem spectat, quæ ex suo genere culpa est venialis: est ergo expediens bono communi, vt lex præscriptionis constituatur, quæ, etiam quando nulla est negligentia in illo, aduersus quem præscribitur, dominium in eum transferat, qui alioqui legitime præscribit, quæque vim in foro conscientiæ habeat. Ac sane miror Medinam, qui confitetur, vt præscriptionis lex vim in foro conscientiæ habeat, sufficere, si interueniat alia legitima causa, cur ita lata sit, esto negligentia ex parte eius, aduersus quem præscribitur, non interueniat, cul-

pam illam cum Adriano, vt vim in foro conſcientię habeat, exegiſſe: quicquam enim Medina in contrarium dicat, proculdubio, quæ à nobis ſunt propoſitæ rationes, ſunt ſufficientiſſimæ, longeq; plus ponderis habent, vt id ita ſtatueretur, quam negligentia illius, aduerſus quem præſcribitur.

Reliqua, quæ in probationem noſtræ ſententiæ aſſumpſimus, probatione non indigent, illo dumtaxat excepto: legem, quam de præſcriptione principes tulerunt, eos intellexiſſe, etiam quando nulla fuit culpa, aut negligentia ex parte eius, aduerſus quem præſcribitur. Quod probari poteſt. In primis, quoniam *id iure optimo ſtatuere potuerunt*, bonoq; communi, vt ſtatuerent, expediebat. vt vtrumque ſatis oſtenſum eſt: cum ergo abſolute, & ſine ea conditione legem præſcriptionis tulerint, nihilq; in iure ciuili ſit, quod eam reſtitutionem ſonet, proculdubio cenſendum eſt, legę præſcriptionis intelligendam eſſe, eſto negligentia & culpa ex parte eius non interuenerit, aduerſus quem præſcribitur. Deinde, quoniam cum iure canonico, *cap. vigilanti, & c. vlt. de præſcript.* Summi Pontifices ſolum reprobent præſcriptionem mala fide ſane à contrario ſenſu, omnem aliam, etiam vbi nulla interuenerit negligentia ex parte eius aduerſus quem præſcribitur, approbarunt in foro conſcientiæ, cuireprobatione illius alterius iniquæ præſcriptionis, conſulebant. Tertio, quoniam iura ciuilia, vt ſupra retulimus, ſolum reddunt cauſam legis iuſtæ præſcriptionis, ne dominia incerta maneant, & vt via litibus præcludatur: nihil vero de puniendæ negligentia eius, aduerſus quem præſcribitur, meminerunt: cum ergo duę illæ priores & præcipuæ legis cauſę æque vim habeant, eſto nulla talis interueniat negligentia, conſequens profecto eſt, vt præſcriptionis lex etiam tunc temporis vim habeat.

8 Obiicies forte *caput vigilanti*, citatum, vbi Alexander 3. ait, *Epheſinum legislatorem propter euitandam ſegnitiem inſtituiſſe præſcriptionem*: quibus verbis innuere videtur in pœnam negligentię fuiſſe introductam. 9 Dicendum tamen eſt, præterquam quod ibi ſermo eſt de præſcriptione mala fide, verba textus ſic habere. *Propter vitandam ſegnitiem, & longi temporis errorem & confuſionem, legem præſcriptionis tu liſſe.* Quibus verbis nulla mentio de pœna, aut culpa fit, ſed ſolum aſſeritur, finę legis fuiſſe, vt homines acuerentur ad inquirendas & comparandas res ſuas, & vt dominiorum confuſio, & incertitudo vitaretur. Præterea nos non negamus, legislatores ſimul forte intendiſſe, vt ſi quę culpabilis negligentia interueniſſet, illa etiam ea via puniretur, ſed ſolum dicimus, hunc non fuiſſe præcipuũ, ſed acceſſorium, ac minus præcipuum legis finẽ, quo ſecluſo, lex adhuc ſuam integram vim haberet. Felinus præterea & Paulus Caſtrenſis locis citatis obſeruant, ſi quãdo de negligentia mentio aliqua in iure fiat, non ſumi pro culpa proprie, ſed pro nuda & ſimplici negatione inueſtigationis & acquiſitionis rei ſuę, ſiue culpâ habeat coniunctam, ſiue non. Quo pacto ſumitur à Ioanne 3. *par. 6. legum extrauag. huius Luſitaniæ regni, titulo* 1. *l.* 1. quę de præſcriptione lata eſt.

10 Hæc quoque ratio addi poterat aduerſus Adrianum & Medinam, quod legibus pœnalibus non amittitur dominium ante latam ſententiam: ſed lege præſcriptionis, quando culpa interuenit, amittitur dominium ante latam ſententiam, vt Adrianus & Medina aſſeuerant: ergo præſcriptionis lex non eſt ſtatuta in pœnam pro negligẽtię culpa. Reſpondere tamen vtcumq; poſſent, quando pœna non eſt mãdanda executioni per ipſum delinquentem, vt in re propoſita cernitur; eo quod res præſcripta non ſit in poteſtate illius, qui in pœnã dominium amittit, ſed qui dominium lege præſcriptionis comparat, abſurdum non eſſe, ſi ſola legis autoritate ante vllam ſententiam dominium in pœnam amittatur.

Ex dictis facile erit intelligerẽ, nullam eſſe ſimilitudinem, qua Adrianus & Medina in ſuæ ſententiæ confirmationẽ vtuntur. Inquiunt enim, ſicut quando per ſentẽtiam in ſe iniuſtam res aliqua alicui adiudicatur, talis ſententia ſolum habet vim in exteriori, non vero in interiori foro: ſic etiam quãdo aliquis rem aliquam præſcribit abſq; vlla culpa & negligentia eius, aduerſus quem illam præſcribit, talis præſcriptio ſolũ habet vim in exteriori foro ad lites tollendas: non vero in interiori. Eſt tamen vtrobiq; diſpar ratio. Iudex namq; per ſententiã non tribuit ius, ſed ſolum illud declarat, & id circo, ſi is, cui res adiudicatur, ius non habebat antè ſententiam, neq; per ſentẽtiam illud comparat lex vero præſcriptionis, principis autoritate: quia id poſtulat bonũ commune, vere tribuit dominium ei, qui legitime rem aliquam præſcripſit, atque adeo efficit, vt qui, ſeclusa præſcriptionis legẽ non eſſet dominus rei, quam præſcribit, ea exiſtente dominium illius aſſequatur, eaq; de cauſa reſtituere non teneatur id, cuius ante præſcriptionem non erat dominus.

Argumentum. Diſcrimen.

Facile etiam erit ex dictis colligere, falſam eſſe communiorem illam Iuriſperitorum ſententiam, qua affirmant, vſucapione rerum mobilium comparari quidem dominium vtile & directum, at vero præſcriptione rerum immobilium ſolum comparari dominium vtile, non aũt directum. Contrarium namq; huius poſteriorис partis eſt proculdubio afferendum, cum Couar. *reg. poſſeſſor. par.* 3. *in initio a num* 2. & cum multis aliis, quando res immobilis, tanquam ſua, quoad vtrumque dominium tempore ad præſcribendum ſufficiente, bona fide ab eo poſſidetur, qui illam præſcribit: comparat enim, nõ ſolum dominium vtile, ſed etiam directum, vt ex iuribus citatis, & pleriſq; aliis eſt manifeſtum. Bart. *l. ſi quis vi.* §. *differentia. num. vlt. ff. de acquiren. poſſeſſ.* licet dicat, præſcriptione acquiri ſolum dominium vtile: addit tamen, longe diuerſum ab eo, quod eſt in emphyteuta, eſſeq; dominium quoddam maius. Neſcio tamen cogitare dominium vtile maius, quam ſit in emphyteuta perpetuo: commentitiaq; eſt ea diſtinctio. Longiorem de hac re diſputationem lege, ſi placet, apud Couarr.

11 *Dominium etiam directum immobilium præſcriptione comparatur.*

Ad argumenta, quibus prima ſententia confirmata fuit, dicẽdum eſt. Ad primum, regulam illam intelligendã eſſe, niſi iuſta de cauſa autoritate publica conſtitutum ſit, vt in commune bonum iacturam aliquam in aliquo euentu patiatur aliquis, quæ in alterius cõmodum cedat, vt in re propoſita cernitur.

12 *Ad primã argumenti.*

Ad ſecundum dicendum eſt, bonam fidem toto tempore ad præſcribendum dato, antequam dominiũ via præſcriptionis comparatur, eſſe fundamentum præſcriptionis: cognitionem vero ſuperuenientum poſt rem præſcriptam, & dominium illius comparatum, quod res illa ante præſcriptionẽ fuerit alterius, nihil impedire præſcriptioni iã peractę, neq; illam reuocare. Quod ſi quis, poſt rem aliquam legitime præſcriptam, arbitretur ſe teneri eam reſtituere, eo quod comperiat illã fuiſſe alterius, tunc talis conſcientia eſt erronea, teneturque is, qui eam habet, vel conſcientiam deponere, vel rem reſtituere, non quidem, quod ea res alteri ſit re ipſa debita, ſed ſolum, vt ipſe, ob ſuam erroneam conſcientiam, peccatum euitet, eo quod, vt *ad Rom.* 14. habetur, *Quod non eſt ex fide*, id eſt, quod credulitati & exiſtimationi aduerſatur, qua quis credit ſe ad aliquid in conſcientia teneri, *peccatum eſt.*

13 *Ad ſecundum.*

SVMMARIVM.

1 *Sola naturalis poſſeſſio ad præſcribendum non ſufficit: ſufficit tamen ſola ciuilis.*

2 *Infertur, rem alterius immobilem eo abſente aut ignorante occupatam, ne quidem à tertio, qui illam bonæ fidei ab occupante comparauit præſcribi.*

3 *Item*

3 *Item colonus, conductor, depositarius & alij similes non præscribunt, vt nec illi qui bona fide res alienas inscio proprietario ab ipsis comparauerunt.*

4 *Emphyteuta & vsufructuarius proprietatem non præscribit, attamen recte dominium vtile aut ius fruendi.*

5 *Curator, procurator, quatenus talis seruus. Item & filiusfamilias in iis, quæ dominis & parentibus acquirunt, non præscribunt sibi, sed iis, qui per eos possident.*

6 *Incapax possessionis vel dominij alicuius rei eam præscribere non potest.*

7 *Religiosus professus & coadiutores Societatis nihil præscribunt sibi, sed iis, qui per eos possident.*

DE PRIMA CONDITIONE AD præscribendum necessaria, hoc est, de possessione.

DISPVTATIO 62.

EXaminandæ iam nunc sunt conditiones ad legitimam præscriptionem necessariæ. Quarum prima est possessio: sine possessione namq; rei præscribendæ non datur præscriptio, vt habet *reg. sine possessione, de reg. iur. lib. 6.* Cum vero duplex possessio sit *ciuilis*, videlicet, & *naturalis*, vt disputatione duodecima dictum est, sola naturalis possessio ad præscribendum non sufficit, cum tamen sufficiat sola ciuilis, siue vera apprehensione, siue ficta sit cõparata, siue sine vlla apprehensione, vt in euentibus *disp. 3. & 13.* explicatis, maiorique cum ratione sufficiet, quãdo coniunctam etiam habet possessionem naturalem. Ita Couar. *reg. possess. par. 2. in princip. num. 7.* & Doctores communiter ita sentiunt.

1

2 Hinc est, quod si quis in alterius absentia, aut eo ignorante, occupet rem aliquam illius immobilem, eamq; alicui tertio vendat, qui eam bona fide retineat, hic tertius, interim dum dominus rei illius absens est, aut id ignorat, nequeat illam præscribere, neque id tempus ad præscribendum computetur: eo quod, vt *disp. 12.* ostensum est, solum habeat possessionem rei illius naturalem, ciuilis vero sit apud absentem, id ve ignorantem, quousque reuersus in naturalem possessionem non admittatur, aut credens se non præualiturum, vel quacunque alia ratione ab ea aggrediendæ desistat.

3 Eadem ratione colonus, conductor, depositarius, & alij similes, præscribere nõ possunt res, quas legitime ita retinent: eo quod ciuilis harum rerum possessio sit apud proprietarium, imo proprietarius per eos dicatur etiam possidere easdem res naturaliter, vt *disp. 12.* ostensum est. Quo fit, vt si horum aliquis rem aliquam eiusmodi immobilem alicui alteri, inscio proprietario, vendat, esto is, qui illam emit, bona fide eam retineat, præscribere eam non possit, neq; illud ad tempus præscriptionem valeat computari: eo quod possessio ciuilis non sit apud ipsum, sed perseueret in proprietario.

4 Emphyteuta vero, & vniuersim vsufructuarius, licet ciuiliter non possideat proprietatem rei, cuius habent vtile dominium, aut ius fruẽdi, eaq; ratione præscribere non possint proprietatem, sed, quod ad proprietatem attinet, sit idem dicendum de ipsis, & de colono, aut conductore, nihilominus, quia dominium vtile, aut ius fruendi, ciuiliter possident, vt *disp. 12.* ostẽsum est, præscribere possunt illud aduersus proprietarium, si bona fide sine legitimo titulo tanto tempore illud possideant, quantũ ad præscribendum ciusmodi incorporalia iura est necessariũ.

5 Qui alieno nomine, loco ve alterius possidet, vt tutor, curator, procurator, quia tales, seruus & filiusfamilias in iis, quæ dominis & parentib. acquirunt, non præscribunt sibi, sed iis, qui per eos possident.

Qui possessionis rei alicuius non est capax, præscribere eam non potest, & maiori cum ratione, si incapax sit dominij rei illius: quippe cum præscriptio non aliud sit, quam acquisitio dominij ex possessione bona fide, tempore ad præscriptionem alioquin requisito. Quia ergo laici, ex iuris humani dispositione, capaces non sunt possessionis rerum sacrarum vt *disput. 12.* ostensum est, neque etiam iuris decimas nomine proprio exigẽdi eo modo quo ad Ecclesiasticos spectat eas exigere, vt *ex cap. causam, de præscript.* est manifestum: hinc est, quod res has præscribere non possint. Ita Medin. *de rebus restituendis. q. 16.* Couar. *1. variar. resol. c. 17. num. 6.* Castrus *2. de lege pœnali. c. 5.* Syl. *verb. præscript. 1. q. 2.* & Doctores communiter: & quoad decimas habetur expresse *cap. causam citato.*

6

Hac eadem ratione religiosus professus, qui propter votum paupertatis capax non est dominij, nihil nomine proprio, seu sibi præscribere potest. Ita Medina *loco citato*, & alij, estque id satis manifestum. Idem dic de coadiutoribus nostræ societatis.

7

SVMMARIVM.

1 *Malæ fidei possessor vllo tempore non præscribit.*

2 *Ad possessionem apprehensio rei vera vel ficta regulariter; necessaria est cum animo possidendi.*

3 *Bona & mala fide possidere quid.*

4 *Medium an detur inter possessionem bona & mala fide.*

5 *Dubium an res sit possidentis, num præscriptionem interrumpat.*

6 *Pars affirmatiua suadetur primo.*

7 *Secundo.*

8 *Ad inchoandam præscriptionem satis non esse, si quis rem possidere incipiat cum dubio an sua sit, sed omnino bona fide opus esse.*

9 *Dubium post inchoatam præscriptionem superueniens, an res sit possidentis, num præscriptionem interrumpat.*

10 *Quando medium detur vel non detur inter possessionem bona & mala fide.*

11 *Si quis medio præscriptionis tempore non solum dubitet, an res sit sua, sed etiam simul ex inscitia dubiter, an existente eo dubio possit licite eam retinere, atque is bona an mala fide dicendus sit possidere.*

12 *Si quis id quod possidet, non putet sibi per leges vsurpare licere, etiamsi erret, non procedit vsucapio, neque is qui mala fide possidens credat esse rem, cum tamen sit Sempronij.*

13 *Habens bonam fidem respectu proprietatis rei, quam possidet, vel è conuerso ratione vsusfructus tantum poterit id eius rei comparatione, cuius habet bonam fidem proscribere. Idem est, si bonam fidem habeat comparatione vnius partis, aut alicuius iuris fundi.*

14 *Si quis ex vno capite non habeat bonam fidem, si tamen ex alio simpliciter habeat, bonam fidem præscribet.*

15 *Ad primum partis affirmantis argumentum.*

16 *Ad secundum.*

DE SECVNDA CONDITIONE, nempe de bona fide, & an dubium malam fidem efficiat.

DISPVTATIO 63.

SEcunda conditio ad præscriptionem necessaria est bona fides: possessor namque malæ fidei vllo tempore non præscribit, vt habet *reg. possessor, de regulis iuris lib. 6.* Et *cap. vlt. de præscriptione*, ex Latera-

1

nensi

nensi Concilio sub Innoc. 3. hæc verba habentur. *Quoniam quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio: cum generaliter sit omni constitutioni, ac consuetudini derogandum, quod absque mortali peccato non potest obseruari: vnde oportet, vt qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Hæc ibi. Quæ ante oculos sunt habenda in eorum fundamentum, quæ dicenda sunt.

2 Ad possessionem apprehensio rei, vera vel ficta, est regulariter necessaria, cum animo possidendi, hoc est, habendi illam vt suam. Hic autem animus actualiter, vel quasi habitualiter, postea perseverans, vt in dormiente, aut nihil de re quam possidet, cogitante, sufficit ad possessionem ciuilem continuandam, postquam semel actu apprehensionis vero vel ficto inchoata est, vt *disputat.* 12. est explicatum.

3 *Bona, & mala fide possidere, quid.* Hoc ita constituto, nunc rudi Minerua, antequã pressius rem examinemus, accipe quid sit bona, & mala fide possidere. Quando conscientia, hoc est, existimatio mentis, respondet animo, ita scil. quod sicut animus rem apprehensam habet actualiter aut quasi habitualiter vt suam, sic etiam existimatio & conscientia credit illam esse suam, dicitur esse bona fides ex parte mentis: isque, qui ita possidet, dicitur bona fide possidere. Quando vero animus, id est, voluntas, habet rem vt suam, & conscientia, mentisve existimatio credit esse alienam, dicitur esse mala fides: isque, qui eo modo possidet, dicitur mala fide possidere, vt colligitur ex Aug. *cap. si Virgo.* 34. *q.* 4. & ex aliis iuribus.

4 *Medium an detur inter possessionem bonæ & malæ fidei.* Porro in controuersiam vocant, vtrum comparatione eius, qui possidet, detur medium inter bona & mala fide possidere. Dinus *reg. possessor* censet, non dari medium. Couarr. vero *eadem reg. par.* 2 §. 7. à *numero* 2. asseuerat cum quibusdam aliis quos refert, dari medium. Eumque, qui dubius est, an res, quam possidet, sua sit, nec ne, neque esse possessorem bonæ fidei, neque malæ, sed esse in media quadam dispositione. Ac fane, si bona fide possidere non aliud sit, quam possidere credendo rem esse suam: & mala fide possidere, non aliud sit, quam possidere credendo rem esse alienam, negari non potest, eum, qui dubitat an res, quam possidet, sua sit, nec ne, mediam quandam dispositionem, inter bonæ ac malæ fidei possessorem, tenere. Cæterum de hac re statim apertam quid sentiam.

5 *Dubium, an res sit possessoris cum præscriptionem interrumpat.* Grauior quæstio est, vtrũ dubium, an res, quam quis possidet, sua sit, interrumpat præscriptionem: an vero possessio cum eo dubio sufficiens sit ad cõtinuandam, & perficiendam præscriptionem. Sotus 4. *de iust. tit. q.* 5. *art.* 4. Maior *in* 4. *d.* 15. *q.* 11. & Adrianus *de restit. q. de præscriptione* affirmant, interrumpere & impedire præscriptionem.

6 *Pars affirmans suadetur. Primo.* Potestque id probari. Primo quoniam interrumpit bonam fidem: quippe cum is, qui dubitat, an res, quam possidet, sua sit, nõ dicatur eam bona fide retinere, vt ex dictis patet: cum ergo ad præscriptionem bona fides sit necessaria toto tempore ad præscribendum statuto: consequens est, vt tale dubium interrumpat ac impediat præscriptionem.

7 *Secundo.* Secundo argumentatur Adrianus, sicut qui agit contra conscientiam ad alteram contradictionis partem determinatam, peccat: ita qui agit contra conscientiam dubiam: & vtrumq; comprehenditur verbo illo Pauli *ad Rom.* 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*: ergo qui rem aliquam possidet cum dubio, an sua sit, nõ secus se habet ad præscribendum, ac is, qui eam mala fide possidet: præsertim, cum, vt *ex c. vlt. de præscriptione* retulimus: mala fides propter peccatum impediat præscriptionẽ: fit ergo, vt is, qui dubitat, an res, quam possidet, sua sit, continuare non possit præscriptionẽ, & multo minus eã perficere.

Porro obseruant hi Doctores, quamuis dubium præscriptionem interrumpat, scrupulum tamen, hoc est, trepidationem sine argumentis sufficientibus, eam non interrumpere: idq; esto diu multumque possidentis animum soliciter. Maior addit, vt dubium præscriptionem interrumpat, necessarium esse, vt sit deliberatum, & tale, quale, dum de hæresi in hac 2. 2. differuimus, diximus requiri, vt dubius in fide hæreticus censeatur.

Sit vero prima conclusio. Ad inchoandam præscriptionem non satis est, si quis rem possidere incipiat cum dubio an sua sit, sed necessaria est bona fides, qua absque dubio existimet rem suã esse. In hac conueniunt Doctores communiter, colligiturq; aperte *ex l. bonæ fidei in principio* (quæ est 48.) *ff. de acquirendo rerum dominio*, eamq; innuunt *l.* 1 *C. de vsucapione transformanda*, & alia iura. Confirmari autem potest. Primo, quoniam qui in dubio, an res aliqua sua sit, incipit eam sibi omnino vsurpare, peccat: eo quod, cum immediate antea bona fide eam non possederit, non est melior conditio ipsius possidentis: cum ergo ea præscriptio, quæ propter conscientiam & existimationem esse nequit sine peccato, interdicta & reuocata omnino sit *c. vlt. de præscriptionib. & alibi*: consequens profecto est, vt possessio cũ dubio, an aliquid suum, ipsius videlicet possidentis sit, nequaquam ad inchoandam præscriptionem sufficiat. Secundo, quoniam ad præscriptionem bona fides requiritur: is vero, de quo disputamus, neq; per comparationem ad quæstionẽ speculatiuam, vtrum res illa sit sua, habet bonam fidem in sensu supra explicato, neque per comparationem ad quæstionem practicam, videlicet, an existente eo dubio, sine res illa sua nec ne, fas sit eã sibi vsurpare: quin potius per comparationẽ ad hanc quæstionem practicam habet malam fidem, eo quod conscientia tunc dictet, nefas esse eam sibi vsurpare: cum ergo in moralibus habenda sit ratio de fide per comparationẽ ad quæstionem practicam, hoc est, de dictamine conscientię circa agenda, de quo intelligendũ est illud Pauli, *Quod non est ex fide, peccatum est*, & non de fide & existimatione per comparationem ad quęstionem speculatiuam, nisi quatenus ex ea pendet fides & dictamen circa quæstionem practicam: manifeste sequitur, possessionem cum dubio, an res sit possidentis, quę in mala fide per comparationẽ ad quæstionem practicam constituit possidentem, non esse ad præscriptionem inchoandam sufficientem.

Secunda conclusio. Si post legitime inchoatam præscriptionem superueniat dubium, an res sit possidentis, tale dubium præscriptionem non interrumpit, quin potius possidens continuare, perficereque potest cum eo dubio præscriptionem. Modo tamen interim, dum dubitat, moralem efficiat diligentiam vt sciat, an res sit aliena. Hæc est aduersus Sotũ, Ant. de Butrio *c. vltimo de præscript.* & alios autores citatos. Eam tamen affirmant, Glossa, Panorm. Felin. & multi alij *c. vltimo de præscript.* Bartol. *l. naturaliter. ff. de vsucap.* Medina *de rebus restituendis. q.* 17. Couar. *regul. possessor. p.* 2. §. 7. *à num.* 3. & multi alij. Probatur primo ex Concilio Lateranen. *cap. vltimo de præscrip.* vbi ad continuandam præscriptionem solum exigitur, vt is, qui possidet, in nulla temporis parte, ad præscribendum, constituti, conscientiam habeat rei alienæ. Idem exigitur *cap. si virgo.* 34. *q.* 2. Idemq; apertius innuit *l.* 1. *C. de vsucapione transfor.* Secundo, cum in dubio melior sit conditio possidentis, fane qui rem aliquam bona fide cœpit possidere, esto superueniat probabile dubium pro vtraque parte, an res illa sua sit, licite continuare potest possessionem, eamque sibi retinere, modo moralem adhibeat diligentiam vt sciat, an aliena sit: cum ergo ius canonicum solum abrogauerit leges præscriptionis cum mala fide, idque ea ratione, quod res illo modo præscribi non poterant sine peccato, procul dubio mens eorum, qui ius canonicum cõdidere, non

8 1. *Conclusio.*

9 2. *Conclusio.*

fuit

fuit impedire, quo minus cum dubio, de quo loquimur, continuari, perficiq; possit præscriptio. Tertio, qui eo modo possidet, possidet bona fide per comparationem ad quæstionem practicam, cuius in rebus moralibus & in conscientiæ foro potissimum est habenda ratio: etenim proposita quæstione, vtrū qui dubitat, an ea res sua sit, nec ne, quam vsque ad hoc temporis momentum bona fide possedit, continuare licite possit possessionem, sane ratio & conscientia absque vllo dubio dictant, id licere posse: eo quod in dubio melior sit conditio possidentis, atq; adeo is bona fide continuat possessionem: cum ergo possessio bona fide sufficiat ad continuandam & perficiendam præscriptionē, consequens est, vt dubium superueniens post legitime inchoatam præscriptionem, nihil omnino impediat, quo minus præscriptio continuetur, ac perficiatur.

10 *Medium non datur inter possessionem bonæ & malæ fidei.*

Ex his iam facile patet, si fermo sit per comparationem ad quæstionē practicam non dari medium inter bonæ & malæ fidei possessorem, vt Dinus docebat. In principio namq; possessionis, solus is bona fide possidet, qui credit rem esse suam, eo quod is solus habere potest dictamen practicum, quo iudicet, se iuste possidere: is vero quivel alienam esse credit, vel dubitat an sua sit, possidet mala fide: quia vt ostensum est, vterq; iudicat nefas sibi esse eam, vt suā possidere. At vero post inchoatam bona fide possessionem, tam is, qui credit rem esse suam, quam qui dubitat an sua sit, possidet bona fide: solus vero, qui credit esse alienam, idq; sibi persuadet, possidet mala fide. Quo fit, vt sumpta bona & mala fide per cōparationem ad quæstionem practicam, quo pacto in re proposita simpliciter est sumenda, dicere optime possimus, toto tempore requisito ad præscribendum necessariam esse bonam fidem. Quod si bonam & malam fidem, quæ per comparationē ad quæstionem speculatiuam habentur, explicare velimus, indeque quodammodo illam metiamur, tūc quoniam sola credulitas, quod res sit eius, qui illam possidet, habet semper adiunctam bonam fidem, tam in principio, quam in medio possessionis, & sola credulitas, quod res non sit illius, habet semper adiunctam malam fidem tam in principio, quam in medio: dubitatio vero, an res sua sit, indifferens est ad bonam & malā fidem, eo quod in principio possessionis habeat adiunctam malam fidem, & in medo bonam: inde est, quod iura ad inchoandam præscriptionem exigant bonam fidem, credulitatemq; quod res sit eius, qui illam possidendam aggreditur: ad præscriptionē vero continuandam exigant, vt non interueniat credulitas rei alienæ, simulque merito dicant, per malam fidem interrumpi præscriptionem: in quibus omnibus cum hactenus dictis consonant.

11 *Dubium.*

Dubium est hoc loco, vtrum si quis in medio præscriptionis, non solum dubitet an res sit sua, sed etiam simul ex inscitia dubitet, an existente eo dubio possit licite eam retinere, inquam, is bona, an mala fide dicendus sit possidere. Dicendumque est, mala fide possidere, eo quod peccet possessionem ita continuando cum conscientia illa erronea: conscientiaque ipsa ac lumen naturale dictant, nefas tunc esse cum eo dubio practico possessionem continuare. Cæterum, quia hoc solum prouenit ex errore inscitiaue in existimatione illa practica, cum tamen ex natura rei existente illo dubio speculatiuo licite continuari possit possessio, sane mala illa fides ac error practicus in mente, licet sufficiat, vt peccatum sit continuare possessionem cum ea conscientia: stando tamen in solo iure naturali, communibusque legibus præscriptionis, non interrumperet præscriptionem. Ratio est, quoniam error in sola conscientia practica non admit ius quod quis, ea secluſa, re ipsa habebat. Non immerito dixi, stando in solo iure naturali, & communibus legibus præscriptionis. Quoniam *l. si fur. §. 2. ff. de vsucapionibus*, videtur sancitum oppositum. Verba quippe illius §. hæc sunt. 12 *Si quis id, quod possidet, non putet sibi per leges vsucapere, dicendum est (etiamsi erret) non procedere tamen eius vsucapionem: vel quia non bona fide videatur possidere, vel quia in iure errans non præcedat vsucapio.* Maiori ergo cum ratione, si quis rem aliquam possideat mala fide, credens esse Titij, verbi gratia, cum tamen non sit illius, sed Sempronij, comparatione cuius nullam malam fidem habet, quin potius inuincibiliter ignorat illius esse, sane non præscribet eam aduersus Sempronium, vt Couarr. *reg. possess. part. 2. §. 1. num. 5.* cum multis aliis recte aduotauit, quicquid quidam alij in contrarium dixerint. Si tamen quis bonam fidem habeat 13 comparatione proprietatis alicuius rei, quam possidet, & malam comparatione vsufructus, quia putat esse alterius: aut è contrario, bonam comparatione vsufructus, & malam comparatione proprietatis præscribere poterit id illius rei, comparatione cuius habet bonam fidem, & non id, comparatione cuius habet malam fidem. Idem est, si bonam fidem habeat comparatione vnius partis fundi, & non alterius, aut vnius iuris in fundo illo, & non alterius. Item licet quis ex vno capite non habeat bonam fidem, si tamen ex alio simpliciter habeat bonam fidem, sane præscribet rem, quam ita possederit vt si eam donō, aut quocunque alio titulo, ab eo illam accepit, quem credebat non esse legitimum dominum; si tamen alia via suam ipsius esse putauit, eam præscribere potuit: eo quod simpliciter bona fide eam possederit. Hæc omnia Couar. *loco citato.* 14

Cæterum duobus argumentis, quibus opinio Soti, Maioris & Adriani confirmata est, in hunc modū est satisfaciendum. Ad primum negandum est dubium post inchoatam præscriptionē superueniens, an res, quam quis possidet, sua sit, interrumpere bonam fidem, vt explicatum est. 15 *Ad primum partis affirmantis.*

Ad secundum dicendum est, antecedens esse verum per comparationem ad quæstionem practicam: secus autem per comparationem ad quæstionem speculatiuam, an res sua sit, nec ne, vt copiose aduersus eundem Adrianum *prima secundæ, quæstione decimona, articulo sexto* ostendimus. 16 *Ad secundum.*

SVMMARIVM.

1 *Titulus præsumptus ad præscriptionem requiritur.*
2 *Ignorantia affectata aut crassa malæ fidei possessorem efficit.*
3 *Medinæ falsa opinio.*
4 *Possessio ex iuris ignorantia ad præscriptionem non sufficit.*
5 *Quid de ignorantia inuincibili.*
6 *Obiectio.*
7 *Mala fides duobus modis sumitur.*
8 *Soluitur obiectio.*
9 *Putat Couarr. ignorantiam iuris inuincibilis saltem sufficere ad præscribendum intra tempus, quo suo titulo præscribitur.*
10 *Ignorantia iuris, etiamsi Theologice sit inuincibilis, non sufficit ad præscribendum etiam intra tempus, de cuius initio non extat memoria.*
11 *Opinatur Molina in immemoriali præscriptione præsumi interuenisse bonam fidem, atque adeo iuris ignorantiam abfuisse, nisi contrarium aliunde satis constet.*
12 *Respond. ad arg. Couarr. num. 9. relatum.*
13 *Ignorantia iuris valde obscuri præscriptionem non impedit.*

14 *Sed quid censendum quo ad errorem iuris, præsertim in minore, rustico, milite, muliere.*

DE TITVLO AD PRÆSCRIPTIONEM, & quæ ignorantia possessorem malæ fidei efficiat, vel ad præscribendum non sufficiat.

DISPVTATIO 64.

1 *Titulus præsumptus est qui ad præscribendum requiritur.*

DIsputatio hæc, quoad posteriorem partem propositam, appendix est præcedentis: quoad priorem vero, de titulo, ad doctrinę perspicuitatem præmittatur necesse est.

Positis ijs, quæ de titulo ad comparandum dominium, aut ius *disput. 4.* dicta sunt, quod ad rem præsentem attinet, dicendum est. Ad præscribendum necessarium non esse verum titulum: is namque, qui vero titulo aliquid possidet, reuera dominium, aut quasi dominium, vel ius in re habet, ac proinde comparatione eius, quod ita possidet, præscriptione non indiget. Ad multas tamen præscriptiones, vt in progressu videbimus, requiritur titulus, qui in hoc sensu sit præsumptus verus, quod reuera, quantum est ex se, erat verus titulus, sed propter circumstantiam, quam habet adiunctam, & quæ ignorantia facti probabiliter ignoratur, definit esse titulus verus: cum tamen verus ab eo credatur & præsumatur, qui rem eo titulo possidet. Quia ergo eiusmodi titulus verus non est, non transfert dominium in possidentem, dicitur tamen transferre in eum vsucapiendi conditionem, quatenus efficit illum habilem ac dispositum ad tanto vel tanto tempore cum eo titulo præscribendum. Exemplo res fiet manifesta. Tituli emptionis permutationis, donationis, &c. reuera, quantum est ex se, veri tituli sunt: si tamen, qui rem vendit, permutat, aut donat, non erat legitimus illius dominus: vtique propter hanc conditionem definunt esse vere tituli, neque transferre possunt dominium. Quod si is, qui rem aliquo horum titulorum possidet, probabiliter conditionem illam ignorabat, erit præsumptus titulus, de quo loquimur, qui, licet insufficiens fuerit ad transferendum dominium, sufficiens tamen est ad certo quodam tempore præscribendum rem, quæ ita possidetur: eaque de causa transtuliſſe dicitur vsucapiendi conditionem. Hęc de primo eorum, quę proposita sunt.

Transfert vsucapiendi conditionē.

2 *Ignorantia affectata, aut crassa mala fidei possessorem efficit.*

Quod attinet ad secundum, sciendum est. Vt quis bonæ fidei possessor dicatur, atque adeo præscribere possit, non satis esse, si credat rem, quam possidet, suam esse, nisi merito id sibi persuadeat. Si namque vel ex ignorantia affectata, vel quacumque alia ratione crassa, eam suam esse sibi persuadeat, non dicitur possidere bona fide, quin potius peccabit lethaliter, si res eius valoris sit, qui ad culpam lethalem sufficiat, tenebiturque eam restituere, non solum ex parte rei acceptæ, sed etiam ex parte iniustæ acceptionis. Quo fit, vt cum præscriptio cum ea fide peragi non possit sine culpa lethali, non secus iure canonico censenda sit reprobata, atque ea, quæ cum scientia sit rei alienæ, vt Medina *de rebus restituendis. q. 17. § penult.* recte ait, consentiuntque alij Doctores.

3 *Medinæ falsa opinio.*

Porro idem Medina *eadem q. § antepenult.* præmiserat, quod ad forum conscientiæ attinet, impertinens esse, vtrum qui rem possedit toto tempore ad præscribendum necessario, eam possederit ex ignorantia iuris, an facti: & vtrum eā possederit ex ignorantia iuris manifesti, an obscuri. Si namq; ait, ignorantia probabilis, seu inuincibilis fuit, tunc, siue ea fuerit iuris, siue facti, & siue fuerit iuris obscuri, siue manifesti, vere eam in foro conscientiæ præscripsit, eo quod bona fides adfuerit. Si vero ignorantia fuit vincibilis & crassa, tunc, siue ea fuerit iuris siue facti, & siue fuerit iuris obscuri, siue manifesti, eam non præscripsit in foro conscientiæ: quia non adfuit bona fides ad præscriptionem necessaria, hoc est, quæ esset sine culpa, negligentiaque sciēdi, quod præscribens tenebatur. In foro autem exteriori, quia in eo, inquit, proceditur ex præsumptione, neque ignorantia iuris præsumitur inuincibilis, saltem quando ius est manifestum, is, qui cum iuris ignorantia rem aliquam toto tempore ad præscribendum necessario possidet, non censetur eam præscribere, eo quod non præsumatur habuisse bonam fidem.

4 *1. Conclus. Possessio ex iuris ignorantia ad præscriptionem non sufficit.*

Couarr. *regul. possessor. q. 2. §. 7. num. 5.* longam de hac re texit disputationem. Vt vero paucis me expediam, sit prima conclusio. Falsa est proculdubio, & contra communem Doctorum sentētiam, quam Couarr. & alij referunt, Medinæ opinio, quatenus affirmat, in foro conscientię solum habendam esse rationem, an ignorantia, Theologorum more, vincibilis, vel inuincibilis sit, hoc est, cum peccato ob negligentiam sciendi, an res bene possideatur, vel sine peccato, non vero habendam esse rationem, an sit iuris vel facti, posito quod inuincibilis sit. Ratio vero fundamentalis, cur ea opinio falsa sit, hæc est. Quoniam cum præscriptio iure humano ciuili introducta sit contra id, quod & rei natura alioquin habebat, sane sicut in exteriori, sic & in conscientię foro, non maiores vires, neque sub aliis conditionibus locum habet, vt propter eam aliquis dominium suarum rerum amittat, & alius illud acquirat, quam eodem ciuili iure fuerit concessum, aut canonico, quoad ea, quę ad Ecclesię iurisdictionem spectant: constat autem iure ciuili sancitum esse, iuris ignorantiam ad eam non sufficere, sed solum facti, modo inuincibilis sit. Ita habetur *l. ita iuris. ff. de iuris & facti ignorantia*, cuius hęc sunt verba. *Iuris ignorantia in vsucapione negatur prodesse: facti vero ignorantiam, prodesse constat.* Et *l. nunquam in prin. ff. de vsucapionibus. Nunquam*, inquit Paulus Iurisconsultus, *in vsucapionibus iuris error possessoribus prodest.* Vnde subiungit, *eum, qui à pupillo absque tutoris autoritate ex iuris ignorantia aliquid emit, quod ignoraret ad talis emptionis validitatem id esse necessarium, vsucapere id non posse.* Idem habetur *l. 2. § si à pupillo. ff. pro emptore*, vbi definitur, *eum, qui à pupillo sine tutoris autoritate aliquid emit, si ignorauit pupillum esse, posse id vsucapere, quia ignorantia fuit facti: secus autem si sciret esse pupillum, ignoraret tamen necessariam esse tutoris autoritatem: tunc enim esset iuris ignorantia, quæ vsucapionem impedit.* Idem habetur *l. quemadmodum. C. de agricolis & censit. lib. 11.* Vbi aduersus emptorem contra legis prohibitionem dicitur. *Et hæredibus eius* (venditoris scil.) *& contra hæredes emptoris vendicationem damus, longi temporis præscriptione submota: malæ fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.* Idem habetur *regul. qui contra iura mercatur. de reg. iur. lib. 6. c. 2. § contractus, de rebus Eccles. non alienandis lib. 6.* & aliis iuribus. Idemque affirmant multæ Glossæ iuris canonici & ciuilis.

5 Confirmatur aduersus Medinam, sanctionem illā, quod vniuersim iuris ignorantia nulli ad præscribendum patrocinetur, non fundari in præsumptione, quod, qui ea fuit affectus, vincibilē ignorantiam habuerit, & cum peccato possederit. In primis, quia esto in foro exteriori constaret, parsque ipsa aduersa confiteretur, eum qui tempore ad præscribēdum necessario rem aliquam iuris ignorantia possedit, illam possediſſe inuincibili ignorātia & absq; vlla sua culpa, nihilominus in eodē exteriori foro non censeretur eā præscripsiſſe, sed adiudicaretur priori dominus

mino: cum ergo, quando sanctio aliqua in sola præ- A sumptione fundatur, & in exteriori foro cõstat non interuenisse id, quod præsumitur (præsertim si pars aduersa id cõfiteatur) non stetur tali sanctioni, esto sit præsumptio iuris & de iure, quam iurisperiti vocant, aduersus quam non admittitur probatio, sed sola partis aduersæ cõfessio; consequens profecto est, vt sanctio ista nõ fundetur in præsumptione vincibilis ignorantiæ & peccati ex parte possidẽtis. Deinde, quonia m præsumptio, quę ad condemnandũ sufficiat, solum habet locum in iis, quę raro aliter eueniunt: at vero licet raro eueniat, quemquam inuincibilem habere ignorãtiam eorum, quæ sunt iuris naturalis: frequentissimum tamen est ignorantiam esse eorum, quæ sunt iuris humani, non solum B apud indoctam plebem, quæ possidere & præscribere debet, sed etiam apud ipsos iurisperitos, tam multa enim & tã varia sancita sunt iure ciuili, vt vix vllus ea omnia ita in promptu habere possit, quin saltem ex inaduertẽtia & oblitione, erretur passim circa ea, quæ iuris sunt humani: non ergo est verisimile sanctionem, quod ignorãtia iuris nulli ad præscribendum patrocinetur, fundari in præsumptione, quod ea ignorantia vincibilis sit, & cum peccato: sed iura, supponẽdo ignorantiam tam iuris, quã facti posse esse inuincibilem, soli ignorãtiæ facti inuincibili tribuere voluerunt priuilegiũ, vt præscriptioni patrocinaretur: non vero ignorãtiæ iuris in- C uincibili. Sane si sanctio iuris, de qua disputamus, in sola præsumptione fundaretur, quod iuris ignorantia semper esset vincibilis & cum culpa possidentis, ac proinde vim non haberet in foro conscientiæ, quando iuris ignorantia esset inuincibilis, vt Medina contendit, iniqua omnino esset, vtpote, quæ ansam præberet iniustè homines spoliandi frequẽter in foro exteriori iis rebus, quas in conscientiæ foro legitime præscripsissent, & quarum facti essent legitimi domini, potiusq; peccata & iniustitias foueret, quam impediret.

6 *Argumentũ* Obiicies *l. quemadmodum. C. de agric. & censi. lib. 11. & reg. qui cõtra iura. de reg. iur. lib. 6.* vbi habetur, eum, qui contra iura mercatur, præsumi, imo neminem ambigere, esse malæ fidei possessorem: eademq; est ratio de quocumq; alio, qui contra quamcumq; aliã iuris dispositionem aliquid acquirit. Quo fit, vt sem D per iuris ignorantia malæ fidei possessorem constituat: cum vero id intelligi nõ possit re ipsa, eo quod constet dari interdum iuris ignorantiam inuincibilem: restat intelligendum esse in sola iuris præsumptione, vt Medina affirmabat.

7 *Mala fides duob. modis.* Ad huius argumẽti solutionẽ magnopere est obseruandum, fidẽ (quod ad præscriptionem attinet) duob. modis dici malam. Vno, quia est cũ peccato, idq; vel quia adest scientia rei alienæ, vel dubium in principio possessionis, iuxta ea, quæ disputatione præced. dicta sunt, vel certe negligentia sciendi an res sit aliena, quæ proinde vincibilẽ ac culpabilẽ efficit ignorantiam. Atq; eiusmodi fides dicitur mala, eo quod cum peccato, an vera culpa Theologica sit cõiuncta. Altero modo dicitur mala, hoc est, reproba à iure, & insufficiẽs, ac proinde vitiosa ad præ- E scriptionis effectum, vtpote carens conditionib à iure ad præscribendũ requisitis. Mala fides hoc posteriori modo accepta, suo ambitu cõplectitur malam fidẽ priori modo sumptam, & præterea quamcumq; aliam fidẽ, quæ, licet culpam Theologicã nõ habeat adiunctã, reprobata tamen est à iure, & insufficiens ad præscribendũ iudicata. Talis est existimatio de re, quod legitime possideatur, cum inuincibili iuris ignorantia, idq; siue culpa aliqua iuridica interueniat, hoc est, negligentia leuis aut leuissima, siue culpa Theologica etiã venialis, siue nulla prorsus culpa, tam Theologica, quam iuridica interueniat. Porro eiusmodi mala fides, quæ sine culpa Theologica interuenit, non est de qua Summi Pontifices *c. vigilanti. & c. vlt. de præscript.* loquuntur, dum eas præscriptiones damnant, quæ fiunt absq; bona fide, easq; leges reddunt irritas, quæ tales præscriptiones promittunt; sed solum illa prior mala fides, quæ culpam Theologicam adiunctam habet.

8 *Ad argum.* Ad argumentum ergo propositum dicẽdum est; in illis iurib. sumi malam fidẽ in posteriori illa acceptione, qua suo ambitu complectitur eam etiam fidem, quæ est cũ ignorantia iuris inuincibili, & absque vlla Theologica culpa. Quare illis in iurib. non est fermo de mala fide solũ præsumpta, sed de mala fide vera, vt ex l. quemamodum citata (vnde regula illa iuris desumpta fuit) est manifestum.

9 *Argument.* Couar. *loco citato* cum quibusdam alijs quos citat, arbitratur, ignorantiam iuris inuincibilem, licet nõ sufficiat ad præscribendum intra tempus, quo cum titulo præscribitur: sufficere tamen ad præscribendum intra tempus, quo fine titulo, iuxta ea, quæ in sequentib. dicemus, præscribi solet. Potissima illius ratio est. Quoniam cum eiusmodi ignorantia malã fidem non inducat, certe quamuis titulũ vitiosum reddat, sufficiens tamen erit ad præscribendum rẽ tanto tempore, quanto, si nullus interuenisset titulus cum sola bona fide præscriberetur. *Idem confirmat ex c. veniens. de empt. & vendit.*

Deinde ita Couar. rẽ inuoluit, vt nõ facile intelligas, quænam fuerit illius sententia: tandem namq; concludere videtur, quando ignorantia est iuris ita resistentis, vt reddat nullum contractum, seu acquisitionem rei, nõ sufficere ad præscribendum, etiam tempore, quo fine titulo cum bona fide præscriberetur, adducitq; exemplum de eo, qui emeret à pupillo sine tutoris authoritate, ignorans necessariam esse tutoris authoritatem: idemq; videtur dicturus, quoties ex iuris ignorantia aliquid aliud acquiritur deficiente solennitate aliqua, sine qua, ex iuris dispositione, est nulla talis acquisitio.

10 Quicquid tamen Couar. *loco citato* senserit, sit se- 2 *Concluf. vtrq; cã præscribendum tempore, quo sine titulo præscribitur sufficit.* cunda conclusio. ignorantia iuris, etiam si Theologice sit inuincibilis, sine culpa ve lethali aut veniali, non sufficit ad præscribendum. etiam intra tempus de cuius initio non sit memoria. Hanc, præter plures glossas, affirmant Molina *lib. 2. de primogeniis, c. 7.* à *num. 66.* Panorm. & Felin *c. de quarta de præscriptio.* & videtur communior Doctorum, quos Molina & Couar. citant, neque forte ab ea dissidet Couar: cuius mentem *dispu. 75.* explicabimus. Eam vero probant illa omnia iura, quæ affirmant, iuris ignorantiam ad vsucapionẽ nihil valere, præsertim *l. quemadmodum*, & regula *qui contra iura*: quæ duo iura affirmant, eam ignorantiam inducere malam fidem: possessor autem malæ fidei vllo tempore non præscribit, *vt habet regula possessor, de regul. iur. lib. 9. & asseuerant alia iura. Eadem conclusio colligitur ex ca. dudum, de decim.* Molina tamen *loco citato n. 57.* cum multis a- 11 lijs, quos citat, ait, in immemoriali præscriptione semper ob temporis longinquitatẽ præsumi interuenisse bonam fidem atq; adeo iuris ignorantiã abfuisse, quando id aliunde sufficienter non constat. Aduerte idẽ, cum dicimus, iuris inuincibilem ignorantiam impedire, quo minus præscribatur, intelligendũ id esse de ignorantia eius, qui possidet, quiq; præscribere rem debuit: secus autem de ignorantia eius, cui rem contulit, vt bene notat glossa. *§. sed tamen. versicem si in. Instit. de vsucap.* Vnde si is, qui in ancilla habebat solum vsumfructum, iuris ignorantia arbitratus partum illius durante vsufructu ad ipsũ pertinere illum vendidit ei qui nesciebat fuisse partum ancillæ, cuius venditor solum habebat vsumfructum, potest illũ vsucapere tempore sufficiente ad rem mobilem cum titulo præscribendam.

Ad argumentum Couarruuiæ negandum est iu- 12 *Ad Argum.* ris ignorantiam inuincibilem nõ inducere malam fidem late sumptam, qualis sufficit ad impediendã omnino præscriptionem, vt paulo antea explicatũ

est: cap. autem veniens, nihil habet vnde opinio suf A ficienter colligatur.

13 *Tertia conclusio. Ignorãtia iuris valde ob scuri præscriptionem non impedit.*

Tertia conclusio. Error ignorantiave iuris maxime dubij, neque eam præscriptionem impedit, in qua titulus requiritur. Hæc est Panormitani & Felin. *cap. de quarta citato.* Couar. *vbi supra nu. 9.* Molin. *num. 69.* & communis, *colligiturque ex c. cum dilectus, de consuetud.* Ratio autem illius potissima est, quoniã cum sint multa in iure valde dubia & controuersa, & circa quæ passim dissentientes sunt Doctorũ sententiæ, & quod vno tempore videtur esse verum, temporis decursu falsum censeatur, sane intolerabile omnino ac ineptum esset constituere, vt inuincibilis eiusmodi ignorantia præscriptionem impediret: quo fit, vt per epicheiam, censenda sit ea excepta.

Ait vero Molina *loco citato*, idem intelligendum esse de iuris errore, alioquin perspicui, in minore, rustico, milite, muliere, & in aliis, in quibus error iuris toleratur: citatq; ad id Couarruuiam, & quosdam alios. Couarru. tamen id minime asserit, neque credo esse verum, si namque vel mulier, vel minor, vel quicumque alius ex contractu apertè vsurario, vel aliter iniustò, aliquid iuris errore lucraretur, sanè quamuis error ille esset in eo inuincibilis, & absque vlla culpa, non tamen, quod ita iniuste acquireret, vllo tempore præscriberet. Quare licet in his personis iuris error toleretur ad effectũ, vt non puniatur, & vt inde in suis bonis detrimentum minime patiantur, non tamen illis, vt sibi aliena acquirant, & eorum dominiũ comparent, patrocinatur. Confirmatur hæc nostra sententia: quoniam quod ignorantia iuris præscriptionem impediet, non idcirco est sancitum, quod crassa & vincibilis, præsumatur, vt ex eo capite affirmandum sit, in rusticis & aliis iuris sanctionem ignorantes præscriptionem non impedire.

SVMMARIVM.

1 *Mala fides Authoris quatenus successori particulari ad præscribendum non noceat.*
2 *Successor vniuersalis & particularis quis.*
3 *Bona fides authoris prodest in accessione temporis tam vniuersali, quam particulari successori.*
4 *Mala fides authoris quomodo & quando successori vniuersali ad præscribendum noceat. & num. 6.*
5 *Si præter hæredis titulum hæres haberet alium, in rem, quæ fuit defuncti, quo illam posset præscribere, mala fides defuncti illi non nocebit.*
7 *Mala fides præsumpta aut ficta successori vniuersali nõ obest, quare hæres hæredis non vtendo accessione temporis defuncti recte præscribit.*
8 *Qui in beneficio aut alia dignitate malæ fidei authori succedit, non computando tempus authoris præscribit.*
9 *Suus hæres an titulo pro hærede rem ab authore bona fide & sine titulo possessam præscribat.*

QVANDO ET QVOUSQVE MALA fides authoris, hoc est, eius, à quo res in alium deriuata est, successori ad præscribendum noceat.

DISPVTATIO 65.

1 *Prima conclusio.*

SIt prima conclusio. Mala fides authoris successori particulari non nocet ad præscribendum quocumque titulo illi succedat, tametsi computare non possit ad præscribendum tempus, quo author mala fide possedit. Ab hac conclusione excipitur, quando res aliqua immobilis, quæ intra decem aut viginti annos (iuxta ea, quæ in progressu videbimus) erat præscribenda, ignorante illo, ad quem ea pertinet, possidetur: tunc enim ante triginta annos non præscribitur.

Ad huius & sequentis conclusionis intellectum sciendum est, solum illum successorem appellari vniuersalem, qui simpliciter & proprie est hæres alicuius, siue ex testamento, siue ab intestato, item siue solus sit hæres illius, siue simul cum aliis. Quis autẽ hic sit, explicabitur, dum de vltimis voluntatibus fuerit sermo. Qui verò eo pacto hæredes sunt, personam defuncti repræsentant. Legatarii vero, & ij hæredes, qui legatariorum potius, quam hæredum, rationem habent itemq; quicumq; alij, siue viuis, siue defunctis, in re aliqua succedant quocumq; titulo, siue oneroso, vt emptionis, permutationis, &c. siue lucratiuo, vt donationis legati, &c. dicũtur successores particulares, de quibus in nostra conclusione est sermo.

2 *Successor vniuersalis & particularis quis.*

Hoc ita constituto, prima pars conclusionis habetur expresse *l. ante vtum. ff. de diuersis & temporal. præscriptionibus. & §. inter venditorem. Instit. de vsucap.* Eisdem iuribus, iunctis Glosis ibidem, habetur secunda pars: vniuersim namque quando antecessor aut antecessores, bona fide rem præscribendã possederunt, potest successor in illa re, siue is sit particularis siue vniuersalis successor, cõputare ad præscribendum totum tempus, quo antecessores rem possederunt, quod iurisperiti vocant vti ad præscribendum accessione temporis authorũ: tempus autem quo antecessor, vel antecessores rem mala fide possederunt, non potest successor cõputare ad præscribendum, eo quod illo tempore non præscribatur. Vltima pars habetur expresse *in authentic. mala fides. C. de longi temp. præscript.* quæ desumpta est ex authentico, *vt sponsalitia largitas. §. rursus.* habetq; locum etiam quando successor particularis bona fide & cum titulo emptionis, aut quocunque alio, cœpit possidere. Quia tamen authenticum illud solum loquitur in præscriptione, quæ alioquin decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes erat peragẽda: hæc vero solũ habet locũ in rebus immobilibus, vt in progressu videbimus; sane authenticum illud non habet locum in præscriptione rerum mobilium sed peragetur tempore, quo alioquin tales res forent cum titulo præscribendæ.

3

4 *2. Concluſ.*

Secunda cõclusio. Mala fides authoris vsq; adeo nocet successori vniuersali ad præscribendum, vt esto vniuersalis successor bona fide possideat, neq; vti velit accessione temporis, quo author possedit, sed velit computare præscriptionem a tempore, quo ipse bona fide cœpit possidere, non possit illam vllo tempore præscribere, idque siue talis res immobilis sit, siue mobilis. *Ita habetur expresse l. cum hæres. ff. de diuers. & tempor. præscript. l. si mala fide. C. communia. de vsucap. & §. diutina. Instit. de vsucap. & affirmat Panormit. c. 2. num. 8. & c. si diligenti. num. 29. de præscriptio. & communis sententia Doctorum.* Ratio vero, cur ita iure statutum sit, est. Quoniam hæres vniuersalis personam defuncti repræsentat, illique succedit in omnibus oneribus, eaque de causa, quasi vna omnino reputatur possessio defuncti & hæredis, & quia illa vna possessio habuit vitiosum initium, tota possessio iuris fictione vitiosa reputatur: atque hæc est ratio, quam tria illa iura citata aperte reddunt. Habesque hoc locum non minus quando hæres inuẽtarium confeciſſet, quam quando illud non confeciſſet, vt recte aduersus quosdam probat Couarru. *reg. possessor. par. 2. §. 9. num. 5.*

Quando autem hæres præter hæredis titulũ, haberet alium in rem, quæ fuit defuncti, quo illam posset præscribere, tunc mala fides defuncti ei non noceret. Vt si defunctus. cum prius rem aliquam pignori vni dediſſet eam alteri vendidiſſet, hæresque eam redimiſſet, sane sicut ille, cui defunctus illam vendidit, præscribere illam potuit quoad illud pignoris

gnoris onus, nihil mala fide defuncti impedien-
te: sic etiam hæres, qui non iam titulo hæredis, sed
redemptoris illam possidet. *Ita habetur expresse l. ante vitium citata.*

6 Couar. §. *citato*, licet à nostra 2. conclusione, quã communem esse fatetur, discedere nõ audeat, multum tamen tergiuersatur, quasi hæres non vtendo accessione temporis defuncti, sed cõputando à tempore, quo ipse bona fide cœpit possidere, præscribere rem possit tẽpore necessario ad fine titulo præscribendum. Quia tamen, si quæ à nobis dicta sunt expendantur, comperietur nihil omnino efficere, quæ Couar. adducit, non amplius hac in re immoror. Qui tamen recte loco citato admonet, quamuis defunctus rem cum titulo alioqui ad præscribendũ sufficiente possedisset, vt si illam emisisset, si tamen mala fide eam possedisset, sciens esse alienam, hæredem neq; ex illo titulo cum bona fide posse illã præscribere: quoniam sicut bona fides hæredis, vna cũ titulo pro hærede, non sufficit hæredi ad præscriptionem, mala fide defuncti illam impediente: ita neq; titulus defuncti, qui cum eadem mala fide fuit coniunctus, sufficiet.

7 Illud etiam placet, quod *nu. 6.* cum Accursio & aliis addit, videlicet quando iura disponunt, successorem vniuersalem præscribere non posse, quando in authore mala fides præcessit, intelligendũ id esse, de mala fide vera, nõ autem de præsumpta aut ficta. Quare licet hæres, qui proxime successit defuncto mala fide possidenti, præscribere non possit cũ bona fide; hæres tamen huius hæredis præscribere potest eam rem, non vtendo accessione temporis possessionis duorum præcedentiũ, qui præscribere nõ potuerunt. Ratio est; quoniam iura duplicem fictionem in vna & eadem re & ex eodem capite detestantur. Primus autem hæres fictione tantum iuris, quatenus personam defuncti repræsentabat, censebatur mala fide possidere: quare, si in secundo hærede fingamus etiã ex eo mala fide possidere, quod personam primi hæredis repræsentat, concurrent duæ fictiones ex capite repræsentationis sui autoris.

8 Illud recte cum Panormitano, Felino *c. de quarta. de præscript.* & alius obseruat, eum, qui in beneficio, aut alia dignitate succedit alicui defuncto mala fide possidenti aduersus alium, ad quem tale beneficium vel dignitas pertinebat, posse illud cum bona fide præscribere, non computando tempus possessionis malæ fidei prædecessoris. Ratio est manifesta, quoniam id non possidet titulo hæredis illius (esto forte alioquin hæres illius sit) sed ex cõcessione aut collatione eius, ad quem spectabat beneficium aut dignitatem conferre.

9 Illud postremo est obseruandum, quãdo hæres de numero est eorum, qui sui hæredes in iure vocãtur, vt *disput. 179.* dicetur, esto prædecessor bona fide aliquid sine titulo possedisset, non posse eiusmodi suum hæredem id præscribere titulo pro hærede, sed vt illud præscribat, necesse est, vt computando tempus in quo prædecessor illud bona fide possedit, tantum eiusmodi hæres continuet possessionem cum bona fide, quantum necesse est rem possideri, vt fine titulo præscribatur. *Ita habetur expresse l. nihil pro hærede. C. de vsucapione pro hærede. & l. 2. ff. pro hærede.* Ratio autem est, quia, vt *disput. 180.* dicetur, hæres suus censetur continuare dominiũ sui prædecessoris tanquam vnus cum illo, & idcirco ante aditam hæreditatem comparat dominium illius, quod cæteris hæredibus non conuenit: eaque de causa ex eo, quod hæres existat, nõ censetur habere nouum titulum ad comparandum dominium rerum, quarum prior possessor erat dominus. Secus autem res habet in hærede non suo, vt in filio emancipato & aliis: si enim prædecessor possedit bona fide, titulus pro hærede, quo antecessori succedit, est verus ac legitimus ad præscribendum tempore, quo cum A titulo res illa præscribi consueuit. Ita Couarruuias *reg. possessor. par. 2. §. 5. n. 1.* & Anto. Gomez. *1. tom. var. resol. c. 9. & 19.* & Doctores communiter. Bal. & Alex. voluerunt, quamuis hæres suus, quatenus filius, nõ habeat titulum pro hærede sufficiẽtem ad præscribendum; illum tamen habere tanquam agnatũ aut cognatum eiusdem testatoris, atq; post longam disputationem tandem ad eam sententiam videtur accedere Couar. Anton. vero Gom. ex alio fundamẽto vult illum habere titulum sufficientem ad præscribendum, nempe, si renunciare velit successioni de iure ciuili, succedereque eligat de iure prætorio, iuxta quod non consideratur suitas aut patria potestas. Illos, si placet, legito. Vtinam tot tricę à iure abscinderentur.

B

SVMMARIVM.

1 *Quid nomine actionis realis, personalis, iuris, & seruitutis veniat.*
2 *Quatenus ius canonicum præscriptiones malæ fidei abrogauit.*
3 *Quomodo pœna à delinquente eiusq; hærede præscribi possit, & quid in hæretico, ibid. & nu. 4.*
5 *Debitum quomodo præscribi possit.*
6 *Licet quis per accidens excusetur à culpa, quod non restituat, propter quod non sit soluendo, vel quia longe distat à creditore aliaue de causa, nihilominus nullo modo præscribere potest.*
7 *Requisita ad præscriptionem iuris aut seruitutis.*
8 *Seruitutes rusticæ præscribuntur non vsu: non item vrbanæ, nisi contrarius præscriptioni iurium, in quibus facto præscribentis opus est.*
9 *Quæ requirantur in præscriptione iurium quæ simpliciter non vsu præscribuntur necessum sit.*
10 *Quid vero in præscriptione iurium quæ simpliciter non vsu præscribuntur necessum sit.*

C

VTRVM LEGES CIVILES, CONcedentes præscriptionem cum scientia iuris alieni, vim habeant circa pœnas, actiones, & iura, præsertim circa ea realia, quibus seruitutes respondent.

D

DISPVTATIO 65.

HAec etiam quæstio ad intelligẽtiam bonæ fidei ad præscribendum necessariæ non parum refert. Quid vero nominibus actionis realis, personalis, iuris, & seruituris intelligatur, ex iis, quæ *disput. 1. 2. 3. & 11.* dicta sunt, facile patet.

Cum vero, vt *disp. 63* retulimus, ius canonicum *c. vlt. de præscript. & alibi*, leges ciuiles, quatenus præscriptiones cum mala fide cõstituunt, abrogauerit, non defuerunt, qui affirmarint, id solum habere locum in terris tẽporalis dominij Ecclesiæ, eo quod, vt inquiunt, potestas Summi Põtificis ad leges principum secularium non se extendat. Contrarium tamen constat aperte ex iis, quæ *disp. 29.* dicta sunt: ostendimus namq; in Summo Pontifice esse plenissimam potestatẽ super omnes principes Christianos, & eorum leges ac statuta, quatenus animarum saluti, finiq; supernaturali fuerit necessariũ. Quare, quæ iure canonico hac de re constituta sunt, vim habent in quocunq; foro seculari cuiusq; principis Ecclesiæ subiecti, vt communis Doct. opinio affirmat. Imo vero Panorm. *c. vlt. de præscript.* & Medina *de rebus restituen. q. 17.* contendunt eas leges, etiã ante definitiones canonicas, fuisse ex natura ipsa rei nullas, idq; solum Summos Pontif. suis definitionib. declarasse.

Quidam alij dixerunt, ius canonicum solum reuocasse leges ciuiles quatenus cum mala fide admittunt rerum præscriptionem; nõ vero quatenus admittunt

mittunt præscriptionem iurium & actionum. Rationem huius rei reddunt. Quoniam res, quæ propriè præscribi, vsuve capi dicuntur, possidentur à præscribente, eaq; ratione cum conscientia, quod alienæ sint, retineri non possunt sine peccato tempore toto ad eas præscribendum necessario. Actiones vero personales, quas alii aduersus nos habẽt, & iura, etiam si ea in prædiis nostris habeant, à nobis nõ possidentur, atque ideo scientia nostra, quod illi eas actiones & iura habeant, non tollit, quo minus per hoc, quod illi tempore toto ad præscribendum necessario eis non vtantur, nos aduersus illos ea præscribamus: quippe cum sine vllo nostro peccato id esse possit.

3 *Prima conclusio.* Sit prima conclusio. Non solum quando lex ipsa pœnalis solum concedit actionem aduersus delinquẽtem intra certum tempus, sed vniuersum quoties ex lege pœnali cõsurgit actio ad pœnam aduersus delinquentem, præscribi potest actio & pœna ipsa, tam ab ipso delinquente, quam ab illius hæredibus, esto sciant eam actionem aduersus delinquentem competere, & pœnam, pro ea culpa esse debitam. Excipe in hæretico, nec non in iis, qui in bonis illius succedunt, quando illa possident cum scientia, quod fuerint hominis hæretici post crimen cõmissum. *Hæc conclusio est Couar. in epit. ad quartum decret. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 16. & reg. possessor. p. 2. §. 11. num. 5. Panorm. & Felin. multorumque aliorum cap. vlt. de præscript. & est consona Adrian. de restitut. quæst. de præscript. & Medin. de rebus restituendis q. 17.* Fundamentum illius est. Quoniam delinquens, & hæredes illius, esto sciant eam actionem competere aduersus delinquentem, obnoxiumque illum esse tali pœnæ, quin & actionem esse mixtam ex reali & personali, si bona sint ipso iure propter crimẽ fisco addicta, vt sunt bona hæreticorum & contradicẽtium incestas nuptias, quia tamen neq; tenentur offerre pœnam, neque curare vt intẽtetur actio, aut vt feratur sententia, sed solum subire pœnam, si sententia feratur, & executioni mandetur; sanè licitè pœnam retinent, nihil omnino impediente scientia, quam habent, quæ proinde non constituit illos in mala fide practica, neque simpliciter in malâ fide, tametsi Adrianus, & alii, valde impropriè illam malam fidem appellent: quare cum, quantum est ex parte bonæ fidei, conditionem ac dispositionem habeant sufficientem ad actionem & pœnam præscribendam, vtique si eo pacto toto tẽpore à iure constituto perseuerent, illas præscribent: quandoquidem *caput vlt. de præscrip.* solum derogare intenderit legibus, quæ præscriptionem cum peccato, vel cum occasione peccati admittunt.

Addit optimè Couarr. cum multis aliis, quando per sententiam solum adiudicatur pœna fisco, aut alicui alteri, ita vt neq; damnatus ipse, neq; illius successores sint sententiæ executores, nõ teneri eos offerre pœnam illi, cui adiudicata est, antequam exigatur eo quod executio ad eos non spectet. Quare si negligentia eorum, ad quos executio spectat, tanto tempore pœnam post sententiam latam possideant, quantum ad eam præscribendam sat est procul dubio illam præscribent, nihil omnino impediente scientia; quod lata sit sententia, quæ similiter non constituit illos in mala fide practica, neque efficit vt possessio & retentio illa cum peccato sit.

4 Posterior vero pars conclusionis idcirco est addita, quoniam, *vt habetur ca. accusatus. §. penult. de hæret. lib. 6. & c. 2. de præscrip. lib. 6.* hæreticus post mortẽ potest damnari, bonaque illius quocumque tempore possunt fisco addici. Et quamuis hæredes aliive successores in bonis illius, ea possint præscribere, si spatio quadraginta annorum, à morte talis hæretici, ea possederint cum ignorantia, quod fuerint hominis in hæresim lapsi; non tamen si scientiâ habebant fuisse bona hominis hæretici, sed potest fiscus quocumque tempore ea ab illis exigere, vt expresse habetur *c. 2. citato.* Peculiare autem est in fidei fauorem, vt licet eiusmodi successores cum ea scientia illa possint bona retinere, etiam post sententiã latam, interim dum fiscus ea ab illis, saltem per edictum publicum, non exigit; nihilominus speculatiua illa scientia impediat præscriptionem, vt Couar. *in epitom.* adnotauit.

Secunda conclusio. Ad extinguendum via præscriptionis debitum, quod quis tenetur soluere, nõ 5 *2. Conclus.* in modum pœnæ, sed in recompẽsationem damni, aut quacunque alia ratione, necesse est, vt non adsit fides rei alienæ, hoc est, conscientia quod alteri sit debitum, imo neque ignorantia crassa, alioquin nullo tempore præscribetur. Si vero tanto tempore adsit ignorantia inuincibilis, quod sit debitum, quantum ad præscribendum est necessarium, extinguetur tale debitum, & per consequẽs actio, quæ ad illud competit. *Hæc est Panorm. Adriani, & Medinæ locis citatis, & complurium aliorum.* Prior pars probatur, quoniam cum ea scientia, aut ignorantia crassa, retineri nõ potest debitum toto tempore ad præscribendum necessario absq; peccato, eaque de causa retentio & possessio illa est cum mala fide practica: cum ergo possessor malæ fidei practicæ vllo tempore non præscribat, omnisq; præscriptio, quæ absque peccato conficinequit, si iure canonico reuocata: consequẽs profecto est, vt eiusmodi homo præscribere nõ possit debitum. De actione vero, an illam præscribat, dicetur disputatione sequenti.

Hoc loco illud obserua, esto per accidẽs quis toto tempore ad præscribendum necessario excusaretur à culpa, quod non restitueret, vel quia toto eo tempore non esset soluendo, vel quia lõge distaret à creditore, aut quacunque alia simili ratione: nihilominus præscribere nullo modo posset. Ratio est, quoniam si eo tempore iusta de causa differat solutionem, solum id potest tuta conscientia efficere ea lege & animo, vt postea soluat, teneturq; eo tempore satisfacere eo modo quo possit, & cum nimium tenetur reddere creditorem indemnem, saltem seipsum de nouo ad solutionem in tempus futurum astringendo; neq; ratio vlla postularet, vt in eo euentu ius humanum in alterius damnum præscriptionem concederet: quare, quod per accidens talis retentio debiti excusaretur à culpa, id nequaquã ad præscriptionem sufficeret. 6

Posterior pars notissima est, quoniam tunc retẽtio & possessio esset cum bona fide, tam practica, quam speculatiua: quare optime sufficeret ad præscriptionem, tum debiti, tum etiam actionis: iuxta id, quod legibus ciuilibus, iusta alioquin de causa, est constitutum. Aduerte tamen, quod vniuersalis successor, cum defuncti personam repræsentet, nõ præscriberet, si defunctus cum mala fide, iuxta ea, quæ in priori parte huius cõclusionis dicta sunt, debitum retinuisset: secus autem si cum bona fide; quin & vti posset tunc accessione temporis, quo defunctus præscribere debitum & actionem incepisset.

Confirmat totam hanc conclusionem aperte *l. 1. tit. 1. par. 6. legum extrauag. huius Lusitaniæ regni.* Cum enim ante *lib. 4. Ordination. tit.* 80. sancitum esset, vt, quoties quis ratione alicuius contractus, aut quasi contractus, quippiam alteri deberet, teneretur, creditor illud exigere intra quinquennium à die, quo debitor id soluere teneretur, modo tamen in eodẽ oppido habitarent, transacto vero quinquẽnio, debitor præscriberet aduersus creditorem actionem & debitum, quod si in diuersis oppidis intra eandẽ Regni partem, quæ vulgo comarca dicitur, habitarent, teneretur illud exigere intra decennium: si vero in diuersis partibus Regni, quæ vulgo comarcas dicuntur, habitarent, teneretur illud exigere intra viginti annos; sin minus, actio simul & debitum aduersus

uersus eum præscriberetur: nihilominus Ioãnes 3. *l. illa extraug. citata*, legem proxime relatam reuocans, statuit, vt vniuersim quoties quicquã ratione contractus, aut quasi contractus, esset debitũ, creditor teneretur illud exigere intra 30. annos à die, qua debitor illud soluere teneretur, eoq; tẽpore transacto, debitor præscriberet aduersus creditorẽ actionem & debitũ; modo tamen bona fides toto eo tempore interuenerit: cum mala vero fide constituit, vt iuxta ius canonicum nullo tempore præscriberet.

7 Tertia cõclusio. Ad cõparandum via præscriptionis ius quoduis, vt eligendi, præsentandi, piscandi, venãdi, aut pascẽdi in loco aliquo; ius viæ, aquæductus, aut alterius seruitutis, non satis est vsus eiusmodi iurium toto tempore ad præscribẽdũ necessario cum scientia & patientia eius, ad quem pertinet tale ius concedere, neque item satis est quicunq; alius actus ex iis quibus *disp. 14.* diximus cõparari possessionem eiusmodi iurium, *nisi* simul toto eodem tempore adsit bona fides, quod is illud ad præscribentem pertineat, & quod licite ab eo vsurpetur, & retineatur. Hæc est Medinæ *q. 17. citata*, & multorum aliorum. Potest vero facile probari, quoniam, qui sine eiusmodi fide possideret, esset possessor malæ fidei practicæ, furtumque, aut quasi furtum iuris alieni committeret, quod non sine lethali culpa: possessor autem malæ fidei practicæ vllo tempore non præscribit. Mala autem fides adesset, si cum crassa ignorantia esset vsus iuris illius.

8 Porro antequam duas sequentes conclusiones subiiciamus, sciendum est, *vt constat ex l. hæc autem. ff. de seruit. vrban. prædior. iunct. l. seq. §. si viam. ff. de vsuca.* seruitutes rusticas, vt viæ, aquæductus, pastus, &c. præscribi per hoc solum, quod is, cui debẽtur, certo quodam tempore eis non vtatur; neq; esse necessarium actum aliquem eius, cuius est prædium, quiq; seruitutem debet præscribere: seruitutes vero vrbanas, vt tigni mittendi, &c. alias similes, non præscribi per solum non vsum eius, cui seruitus debetur, nisi simul interueniat actus aliquis eius, cuius est prædium, quiq; seruitutem debet præscribere. Vt si extraham tignum à pariete tuo, & aliud non immittam, non præscribes seruitutem aduersum me, nisi à te foramẽ obstruatur, atq; illud sit in causa ne ego tempore ad præscribendum necessario vtar iure meo, tignum aliud inferendo. Similiter, si habeo seruitutem in domo tua, ne tu altius eam tollas, ne mihi eripias prospectũ fenestræ, esto ego destruã aut obturem fenestram meam, non incipies præscribere aduersum me seruitutem altius nõ tollendi, nisi tu altius tuleris domum tuam. Hæc sunt exempla, quę adhibentur *l. hæc autem citata*.

9 Hoc ita constituto, fit quarta concl. Quando ad præscribẽdum ius, quod alius habet in re nostra, illud ve extinguendum, non satis est si ille non vtatur iure suo, sed simul etiam requiritur, vt præcedat aliquis noster actus, vt de iure per comparationem ad seruitutem vrbanam dictũ est, tunc sane necessaria est bona fides toto tempore ad præscribendum constituto, ignorantiave inuincibilis, quod ille ius tale habeat. Hæc autem bona fides esse poterit progressu temporis, si possessor talis prædii vrbani obliuiscantur iuris, quod ille alius habebat, raroque ante talem obliuionem erit bona fides. Nisi fortè merito præsumatur, eum cui seruitus erat debita, iuri suo tacitè cessisse. Quare dum scientia seruitutis adest, esto is, cui debetur, eam ignoret, lethalis erit culpa, vel domum attollere, vel aliquid aliud contra seruitutem debitam facere; neque vllo tempore cum ea mala fide præscribetur. Hæc omnia ex eo probantur; quoniam iniuria illi fit, cui ea seruitus debetur, ita contraueniendo iuri illius, ac perseuerando in deiectione illius à iure suo: cum ergo id non fit sine peccato, nullo tempore cum ea fide præscribetur.

A Quinta conclusio. Quando ad præscribendum ac extinguendum ius, quod alius in re nostra habet, satis est si ille tanto tẽpore iure suo non vtatur quãtum ad præscribendum est constitutum, neq; vllus noster actus ad id est necessarius, vt de præscriptiõe iuris per comparationẽ ad seruitutẽ rusticam dictũ est, tunc cum scientia ex parte eius, qui præscribere debet, quod alius ius illud habet, & quod eo non vtendo illud amittet, poterit optime præscribi. Probatur conclusio, quoniã qui præscribere debet, non tenetur admonere aliũ, vt vtatur iure suo, sed solũ non impediet vsum illius, quando ille vti voluerit seruitute: quare scientia illa nõ est mala fides practica, & idcirco potest legitime cũ ea præscribere. Cõsentiunt Panorm. Adrian. & Medina *locis citatis*, Syl- B uest. *verb. præscrip. n. 1.* & alij. De tẽpore, quo iura & actiones præscribantur, aliquid dicemus in seqq.

10 *5. Conclus.*

SVMMARIVM.

1 *Intellectus legis Lusitaniæ, qua famulorum seruitio intra triennium præscribitur.*

2 *Ius Castellæ pariter triennium salariis famulorum aliisq; rebus restituit.*

3 *Mercedem famulorum aut aliud simile cum scientia aut ignorantia crassa, quod debetur, neque triennio neque longiori tempore, tum in foro conscientiæ, tum in exteriori præscribi.*

4 *Regem constitui posse, vt qua actio personalis certo tempore, etiam cum mala fide præscribitur.*

5 *Famulis ex senten. Hisp. in. in foro seculari post triennii adiudicatur salarium, modo confessioni ac iuramento dominorum hæredum ve stare velit.*

6 *An admittendæ sint probationes, quod mercedes non sint solutæ.*

AN QVANDO DEBITVM OB MALAM fidem non præscribitur, præscribatur actio: & quid de triennali præscriptione mercedis famulorum.

DISPVTATIO 67.

1 IN hoc Lusitaniæ regno *lib. 4. Ordinat. tit. 20. iuncto tit. 19. præcedente. & l. 3. tit. 1. par. 6. legum extrauagan.* (quæ ex parte reuocata constituta *tit. 19. citato*) sancitũ est, vt nisi famuli aut famulæ, intra triennium à die quo dominis seruire desiterint, mercedẽ suorũ obsequiorum petant, non possint eã deinceps petere, neq; domini teneantur eam soluere: modo tamẽ duæ interueniant conditiones. Vna, quod domini triennio illo perseuerent in loco vbi in suũ famulatum eos receperunt, alioquin, *iuxta l. 1. tit. 1. par. 6. legum extrauag. disp. precedente relatam*, neq; debitum, neq; actio præscribetur ante triginta annos. Altera vero vt famulus aut famula vigesimũ quintũ ætatis annum attigerit, fin minus triennium illud, cõparatione talis famuli, solum incipiet à die, quo famulus ille 25. annum attigerit. Anto. à Gama *decis. 334.* merito ait, leges illas intelligi solum de obsequiis, quæ ob eam mercedẽ, quæ vulgo *soldada* aut *tornal* dicitur, præstari solent siue à principio de certa mercede fuerit conuentũ, siue non: non vero intelligi de obsequiis, quæ non pro tali mercede, iuxta patriæ morẽ impendi cõsueuerunt. Quare actio ad pretiũ pro eiusmodi obsequiis nõ præscribitur in hoc Lusitaniæ regno ante 30. annos, iuxta primam legem disputatione præcedente relatam. Illud etiã animaduertendum est, quamuis *tit. 20. citato* innuividea- tur, concedi dominis præscriptionẽ debiti elapso illo triennio; id tamen reuocatũ esse à Ioanne 3. in suo simili *l. 1. citata*, tãetsi ea reuocatione minime indigeret, cũ iure canonico iam antea irritũ esset factum. Non tamen *l. 1.* citata vocauit triennalẽ illã præscriptionem actionis, vt bene Anto. à Gama obseruat. *Ius Lusitan.*

In regno autem Castellæ *lib. 4. nouæ collect. t. 5. 17.* 2 *l. 9.* habetur similis sanctio de triennali præscriptio- *Ius Castel.*

ne,

ne,quoad omnia vniuersim obsequia famulorum. A Extenditurq; ad multos alios. Verba illius legis hęc sunt: *Mandamos quelos que ouieren viuido con qualquier persona destos nuestros Reynos, se an obligados a pedir loque pretendieren que se les quedare deueniendo del salario y acostamiento que tuuieren desus sennores, y otro qualquier seruicio que les ayan hecho, dentro tres annos quæ fueren despedidos de los tales sennores, y que passados aquel los no lo puedan mas pedir, excepto, si monstraren auerlo pedido dentro delos dichos tres annos a los dichos sus sennores y ellos no selo ayan pagado ni satisfecho, esto y mismo mandamos que se entienda y estienda a los botticarios, y ioyeros, y otros officiales mecanicos, y a los especieros, confiteros, y otras personas quæ tienen tiendas de cosas de comer: los quales, passados tres annos, no puedan pedir loque vuieren dado de sus tiendas, nilas hechuras quæ vuieren hecho.* B

3 His ita relatis, fit prima conclusio. Nihil impedi-
1 *Conclus.* entibus his & aliis similibus legibus, debitum mercedum famulorum, aut quodcunque aliud simile, cum scientia aut ignorantia crassa, quod debeatur, neq; tempore his legibus præfixo, neq; lõgiori, tum in foro conscientię tum in exteriori iudicari potest esse præscriptum. Hæc ex dictis disputatione præcedẽte est manifesta: quoniam præscriptio rei alteri debitæ cum mala fide, qualis ista est, iure canonico est reuocata, & ex natura ipsa rei vsq; adeo est nulla, vt ciuilis potestas nullam vim ei tribuere possit. Et expresse quoad mercedem famulorum eam affirmant Castrus 2. *de lege pœna. c.* 10. Couar. §. 11. *citat. n.* 3. & 4. Gama *vbi supra*, & plerique alij.

4 Secunda conclusio. Nihil iure canonico impedi-
2 *Conclus.* ente, constitui optime posset lex, vt talis vel talis a- C ctio personalis tanto vel tanto tempore, in hoc sensu, etiam cum mala fide, præscriberetur, quod trãsacto eo tempore actor nullo modo aduersus reum audiretur. Hæc est Adriani *quæst. de præscriptione citata*, & vera, quicquid multi reclament. Ratio illius est, quoniam quemadmodum iure ciuili licite sancitum est, vt nullo modo audiatur, qui læsionem infra dimidium iusti pretij in emptionis & venditionis contractu obtenderit, esto, qui læsit, in foro conscientiæ eam læsionem restituere teneatur, idque, quoniam si ea actio cõcederetur, multiplicarentur lites grauioraque mala Reipublicæ imminerent: sic etiam, si Reipub. iudicaretur expediens, in aliquo euentu nullam omnino actionẽ transacto certo tempore concedere, licita quidem esset lex, quæ eam omnino denegaret: neque iura canonica id impedire intendunt, nec, si vellent, iure possent: sed illud duntaxat volunt, ne debiti præscriptio cum mala fide concedatur.

5 Tertia conclusio. Quia præscriptio actionis intra
3. *Conclus.* triennium, de qua loquuntur, aliaq; id genus, ea de causa videtur introducta, ne pluries idem debitum soluatur, dum famuli quocunque tempore probare possunt obsequia exhibita, domini vero facile obliuisci possunt solutionis, eorumq; hæredes facile possunt eam rem ignorare, aut iustam aliam causam, cur nihil illis debeatur, aut non tantum, quantum petunt; placet dicamus cum Couarru. & Gama *loco citato*, aliisq; Doctoribus Hispanis, famulos post E triennium audiri in seculari foro, illisq; adiudicari mercedes, modo confessioni ac iuramento dominorum hæredumve stare velint; quasi vt similium legum tanquam præsumptio iuris & de iure, quod mercedes sint solutæ, inducta sit aduersus famulos, contra quam licet in iure non admittatur probatio, admittitur tamen partis contrariæ confessio.

6 Couarr. & alij censent, admittendas etiam esse pro-
bationes perspicuas & dilucidas, quod mercedes non sint solutæ. Ego vero multum ea de re dubito, neque sane, nisi ægre ac difficillime, pars illa negans probari potest, nempe, quod nunquam toto tempore antecedente facta fuerit solutio.

SVMMARIVM.

1 *Nomine mobilium & immobilium quid veniat.*
2 *Res mobiles priuatorum cum titulo & bona fide triennio præscribuntur.*
3 *Res mobiles Ecclesiæ eodem modo quo priuatorum præscribuntur.*
4 *Res mobiles sine titulo præscribũtur spatio triginta annorum tam aduersus Ecclesias quam priuatos.*

DE TEMRORE, QVO RES MOBILES præscribuntur, & quæ res immobiles, quæ vero mobiles dicantur.

DISPVTATIO 68.

A Disputatione 63. egimus de secunda conditione ad præscribendum necessaria, nempe de bona fide. Deinceps dicendum est de tertia, videlicet de tempore ad præscribendum necessario. Cæterũ, cum pro diuersitate rerum ac personarum varia sit ratio temporis ad præscriptionem necessarij, libet totã rem in varias disputationes perspicuitatis gratia diffecare. In lucem vero omnium primo loco dicemus, quæ res proprie mobiles dicantur, & quæ immobiles, quæ item cum rebus mobilibus, & quæ cum immobilibus computentur.

Vt Panorm. *c. nulli. de rebus eccles. non alien. num.* 9. 1
& 10. consone ad quædam iura ait, consentiuntque *Mobiles &*
Doctores communiter. Proprie nomine rerũ mo- *immobiles*
bilium atque adeo immobilium illis oppositarum, *res quæ.*
solum intelliguntur res corporales. Quæ si loco moueri possint, vt animalia, vestes, pecunia, naues, &c. dicuntur res mobiles: si vero loco dimoueri non possint, vt prædia, dicuntur res immobiles. Quando autem nihil est, quod cogat aliquid aliud nomine rerum mobilium, & immobilium intelligere, solæ res corporales sunt intelligendæ. Sæpe tamen necesse est, res etiam incorporales intelligere, vt iura, seruitutes, debita, actiones, &c. Tunc autem seruitutes & iura, non ad aliquid semel, sed iteratis vicibus faciendum, recipiendum, aut exequendum, cũ rebus immobilibus computantur. vt beneficiũ Ecclesiasticum, cathedra, commenda, ius patronatus, vsusfructus, census, tabellionis munus, & his similia, vt innuit gloss. *in verbo iura, consone ad textum c. 2. de rebus Ecclesiæ non alien. lib. 6. & colligitur ex Clement. exiui de paradyso. §. cumque annui reditus. de verbor. sign.* Vbi habentur hæc verba: *Cumque annui reditus inter immobilia censeantur à iure, &c.* Cum rebus etiam immobilibus computantur, debitum rei immobilis, aut quæ cum immobili computatur, & actio; aut ius ad rem immobilem, aut quæ cum immobilibus rebus computatur. Debita autem rerum mobilium, actiones item ad illa obtinenda, cum rebus mobilibus computantur. In hac ergo disputatione nomine rerum mobilium, res solũ proprie mobiles intelliguntur, quales sunt corporales. De actionibus namque, atque adeo de iure ad illas, quanto tempore præscriptione extinguantur; dicetur peculiari disputatione.

Sit igitur prima conclusio. Vt res mobiles priua- 2
torum præscribantur, sufficit, ac requiritur posses- 1. *Conclus.*
sio earum bona fide cum titulo per triennium. Ita habetur *Instit. de vsucap. in princ. & l. vnic. C. de vsucap. transfor.* ac alibi. Quod vero titulus sit etiam necessarius, colligitur aperte *ex l. Celsus. ff. de vsucap. & ex l. nullo. C. de rei vind.* & affirmat Couar. *reg. possessor. p. 2. §. 5. nu. 2.* & Doctores quos citat. eodem etiam tempore præscribuntur cum titulo res mobiles Ecclesiæ, etiamsi ea Romana sit, vt habetur aperte *in authent. quas actiones. C. de sacrosan. Eccles.* & afferunt Gl. ibi, Couar. *regu. possessor. par. 2. §. 2. num. 5.* & Doctores quos citat. 3

Secunda

Secunda concluſio. Res mobiles ſine titulo præſcribuntur ſpatio triginta annorum, tum aduerſus priuatos, tum aduerſus Eccleſias, etiam Romanam. Probatur, quoniam vt diſputatione ſequenti oſtenderur, hoc tempore præſcribitur res immobiles ſine titulo aduerſus priuatos: ergo maiori cum ratione præſcribentur eodem tempore res mobiles. Id quod de rebus etiam mobilibus innititur *l. ſicut rem. & l. ſi quis emptionis. C. de præſcript. 30. annor.* Cum vero circa res mobiles, ne præſcribantur, nullum priuilegium habeat Eccleſia vltra priuatos, ſatis patet ſpatio triginta annorum præſcribi etiam contra Eccleſiam, neque id quiſquam inficiatur. 4 2. Concluſ.

SVMMARIVM.

1 *Requiſita ad præſcriptionem rei immobilis priuati.*
2 *Præſentes & abſentes qui.*
3 *Si quis partim præſens, partim abſens eſt, ſolum tempus quo abfuit ad complendam præſcriptionem duplicandum.*
4 *Res immobiles iure Caſtellæ quanto tempore præſcribuntur.*
5 *Hypotheca quanto tempore aduerſus creditorem præſcribatur.*
6 *A quo tempore præſcriptio hypothecæ incipiat.*

DE TEMPORE QVO RES IMMOBILES aduerſus priuatos præſcribuntur.

DISPVTATIO 69.

1 1. Concluſ. VT res immobilis priuati præſcribatur, ſufficit & requiritur poſſeſsio cum bona fide & titulo per decem annos inter præſentes, & viginti inter abſentes, & per triginta ſine titulo tam inter abſentes, quã inter præſentes. Hanc totam concluſionem colligit Gratianus ex variis iuribus ciuilibus, §. *præſcriptionũ, quod habetur poſt cap. placuit. 16. q. 3.*

Prior illius pars, quod ſcilicet cũm titulo ſufficiant decem anni inter præſentes, & viginti inter abſentes, habetur expreſſe *Inſtit. de vſuca. C. de præſcrip. longi tempor. & l. ſi quis emptionis, in princ. C. de præſcrip. 30. anner.* eamq; affirmat communis Doctorum ſententia. Præſcriptionem hanc decem, aut viginti annorum, appellant iura præſcriptionem longi temporis. Ab hac parte concluſionis excipitur, quando erat mala fides in autore, qui titulum ſucceſſori particulari conceſſit; isque, aduerſus quem res præſcribitur, ignorabat à quo poſſideretur: tunc enim neceſſarium eſt tempus triginta annorũ, iuxta ea, quæ *diſput. 65. concl. 1.* dicta ſunt.

2 Præſentes & abſentes qui. Verum explicandum eſt, qui cenſeantur præſentes, & qui abſentes. Id quod ex profeſſo præſtat, *l. vlt. C. de longi temporis præſcript.* ſtatuens. Eos præſentes cenſeri, qui in eadem prouincia commorantur ſiue res præſcribenda ſit in eadem prouincia, ſiue non. Eos vero cenſeri abſentes, qui in diuerſis prouinciis commorantur. Vt tamen cum Bartolo quædã gloſſa ibi notat, verum illud erat, quãdo prouinciæ per præſidem vnum, communem omnium iudicem, regebantur, verumq; etiam eſſet hodie, ſi prouinciæ aliquæ ſimili modo regerentur. Quia tamen hodie ſingulæ ciuitates habent vt plurimũ ſupremos ſuos iudices ſub rege, regiosve Senatus, quorum iuriſdictio certis quibuſdam locorum terminis clauditur, ſpatiumque integrum iuriſdictionis cuiuſque comarcam vocant, intra quam ſunt varij alij iudices inferiores, qui prætori, vel iudici ſuperiori ſubſunt, inde eſt quod hodie, iuxta eandem gloſſam, quam Panormitan. *cap. de quarta de præſcript. nu. 30.* approbat, affirmatque eſſe communiter receptam, illi cenſeantur præſentes, qui in eadem regni parte, quam comarcam vocant, habitant: illi vero cenſeantur abſentes, qui in diuerſis eiuſmodi partibus degunt. Conſonantq; apertiſsime Ordinationes huius Luſitaniæ Regni *lib. 4. tit. 33.* quæ eodem modo de præſentibus & abſentibus loquuntur. A

Illud vero eſt obſeruandum, quando abſentia nõ eſt per decennium integrum, ſed ſolum per quandã illius partem, ſolam eam temporis partem eſſe duplicandam ad complendam præſcriptionem. Vt ſi duo, quorum vnus aduerſus alterum præſcribere debet, ſolum per quinquennium abſentes ſint, præſcriptio complectitur ſpatio quindecim annorum: ſi vero abſentes ſint per triennium dumtaxat, complebitur ſpatio tredecim annorum, & ſic de quacunque alia abſentiæ parte maiori vel minori. Ita habetur *in authent. quod ſi quis. C. de præſcriptione longi temporis.* 3 B

Poſterior pars cõcluſionis, quod ſcilicet cum bona fide & ſine titulo res immobiles priuatorum tam inter præſentes quam inter abſentes, triginta annorum ſpatio præſcribantur, præter §. præſcriptionũ citatum, colligitur aperte *ex l. ſicut in rem. l. ſi quis emptionis. §. quod ſi quis. Cod. de præſcriptione triginta annorum, & ex cap. Sanctorum, de præſcriptione*, vbi Eccleſia aduerſus priuatum præſcribit cum bona fide, ſpatio triginta annorum, eo pacto, quo quicunque alius priuatus aduerſum alium priuatum eandem immobilem rem præſcriberet, vt ibi Panormitan. exponit & affirmat; conſentitq; in hac poſteriori parte noſtræ concluſionis communis Doctorum ſententia. Præſcriptio autem triginta annorum, & quæcunque alia longioris temporis appellatur longiſſima, aut longiſſimi temporis præſcriptio. C

Illud hoc loco eſt animaduertendum in Regno Caſtellæ *libr. 4. nouæ collectionis tit. 15. l. 3.* ſic haberi: *En los fueros de algunas Ciudades ſe contiene que el que tuuiere o poſſeyere caſa, o vinna, o heredad por anno y dia, en paz y en faz de a quelque ſe la demanda, entrando y ſaliendo el morador en la Villa no ſea tenido a reſponder por ella, y es dubda ſi en la dicha preſcription de anno y dia es menester titulo y buena fe. Nos ticando eſta tuuda mandamos, que el que tuuiere la coſa anno y dia, no ſe eſcuſede reſponder por ella en la poſſeſſion ſaluo ſi tuuiere la coſa anno y dia con titulo y buena fe.* Ego hanc legem intelligo, non quod illo tempore anni & diei præſcribatur res ipſa immobilis, & efficiatur in foro conſcientiæ ipſius poſſidentis, eſto alioquin ſua non eſſet; ſed ſolum, quod in locis vbi eſt illa lex, præſcribatur actio eo tempore aduerſus eum, qui ita negligens fuit ad agendum, idque ad tollendas lites. 4 *Ius Caſtellæ.* D *Exponitur.*

Quo tempore res immobilis cum titulo, aut ſine titulo, præſcribitur aduerſus dominum illius, præſcribitur etiam aduerſus creditorem, cui titulo hypothecæ erat ſubiecta. atque adeo ius hypothecæ extinguitur, *l. 1 & 2. C. ſi aduerſus creditorem, & l. ſi quis emptione in principio. nuncta l. cum notiſſimi in princip. & Gloſſa 2. C. de præſcriptione triginta annorum, & libr. 4. Ordinationum Luſitanarum tit. 33.* Hoc tamen intelligitur, quando res illa poſſidetur ab aliquo tertio. Si vero poſſideatur ab ipſomet debitore, qui illam hypothecæ ſubiecit aut ab hæredibus illius, nõ præſcribitur, niſi ſpatio quadraginta annorum. Si item poſſideatur à quodam alio creditore, cui ſecundo loco hypothecæ ſit ſubiecta, & primus creditor illam exigat, vt inde ſibi debitum ſoluatur, tunc viuente communi vtriuſque debitore, ſecundus creditor illam non præſcribet, niſi ſpatio quadraginta annorum: poſt mortem vero illius eam, præſcribet triginta annis computatis à morte communis debitoris: quod ſi computare etiam velit tẽpus, quo communis debitor illam poſſedit, tunc ſane illam ſpatio quadraginta annorum præſcribit. Porro tempus præſcriptionis hypothecæ fluere incipit à die, quo debitum erat ſoluendum: vt in hypotheca, quam vxor computatione dotis habet in E 5 *Hypotheca quanto tempore aduerſus creditorem præſcribatur.*

bonis mariti, currere incipit à die soluti matrimonij, aut facti diuortij: quoniam ab eo die dos incipit deberi. Similiter si contractus erat, vt à tali vel tali die, vel adueniente tali vel tali conditione, aliquid solueretur, ad idque aliquid hypothecæ erat subiectum, tempus præscriptionis illius hypothecæ currere incipit à die ad solutionem statuto, vel conditionis impletæ. Hæc omnia habentur, *l. cum notissimi. §. 1. & sequentib. C. de præscript. 30. vel 40. annorum.* In
7 Regno tamen Castellæ hypotheca aduersus quemcumque præscribitur spatio triginta annorum, *l. 63. Tauri.* vt ad eam legem *num. 2.* notat Antonius Gomez. In hoc vero Regno *lib. 4. Ordinat. tit. 33.* statuitur, vt ab ipso debitore, hæredibus illius, & à secundo creditore præscribatur spatio viginti annorum, modo primus creditor præsens sit. Quod si sit absens, præscribatur spatio quadraginta annorum. Et quamuis initium supputationis temporis præscriptionis, tam in his euentibus, quam quando hypotheca possidetur ab aliquo extraneo, qui dominiũ illius comparauit, aliter videatur constitui, quam de iure communi; Antonius tamen à Gama *decis. 99.* ita Ordinationem illam interpretatur, vt simul necessarium esse dicat initium de iure communi constitutum, referatque, id ita aliquando in hoc Regno fuisse iudicatum.

Ius Castellæ.

Ius Lusit.

3 Quod possessor maioratus præscribit si tanquam rẽ ipsius maioratus illud præscribat, maioratui accrescit pertinetque proinde ad successores in maioratu: non vero ad alios hæredes præscribentis, esto postea cõstet rem illam non fuisse de bonis maioratus. Si vero nõ tanquam rem maioratus, sed ex alia causa, & tanquam aliter suum illud præscribat, tunc non pertinet ad maioratum. Ita Molina *lib. 1. de primogen. c. 26. num. 7.* & alij, quos citat, resque est satis manifesta.

SVMMARIVM.

1 *Beneficii ecclesiastici præscriptio.*
2 *Iuris patronatus præscriptio.*
3 *Ecclesiasticæ emphyteusis aut feudi præscriptio.*
4 *Seruitutum personalium præscriptio.*
5 *Realium seruitutum præscriptio, si titulus adsit.*
6 *Ad præscriptionem seruitutis negatiuæ necesse vt factum prohibitiuum interueniat.*
7 *Seruitutes reales continuæ aut discõtinuæ, quanto tempore sine titulo præscribantur.*
8 *In præscriptione seruitutum absque titulo opus scientia & patientia domini.*
9 *De amissione seruitutis per non vsum.*
10 *Seruitus per interualla vel alterno tempore concessa, perit non vsu, duplicato tempore.*

DE TEMPORE, QVO BENEFICIA, seruitutes, & alia intra ad aliquid iteratis vicibus faciendum, recipiendum, aut exequendum præscribuntur.

DISPVTATIO 70.

1 *Beneficii præscriptio.* QVia hæc omnia, vt *disputat. 68.* explicatum est, cum rebus immobilibus computantur, eodẽ tempore cum titulo, aut sine titulo, & inter præsentes, aut inter absentes præscribuntur, quo res immobiles, quando aliud iure aliquo peculiariter circa aliquod eorum non est sancitum: Idq; tanquam regula est ante oculos habendum.

Beneficium ecclesiasticum, non quidem aduersus Ecclesiam aliquam, sed aduersus priuatum, qui legitimum titulum ad illud habuerit, præscribitur possessione illius bona fide, interuenientequetitulo A colorato, vt vocant, spatio decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes: sine vllo vero titulo non præsumitur possessio beneficij bona fide, vt ait Glossa vltima *cap. contingit. de dolo & contumac.* Ita Couar. *regul. possessor. par. 2. §. 10. num. 9.* cum Felino & aliis, quos citat. Titulus autem ad beneficium non potest acquiri præscriptione: eò quod beneficium Ecclesiasticum non possit licite sine institutione canonica obtineri, vt habet *regul. 1. de regulis iur. lib. 6.* & constat *cap. ex frequentibus de institutionib.* affirmantque Couarr. *vbi sup.* & Doctores communiter.

Quando Ecclesia libera non est, sed à sua prima 2 *Iuris patronatus præscriptio.* institutione patronum habuit communis sententia Doctorum, quam Couarr. *§. citato num. 8.* refert, est, ius patronatum præscribi posse aduersus patronũ priuatum. Circa tempus tamen ad eam præscriptionem necessarium, variant Doctores. Quidã, quos ibidem Couar. refert, censent sufficere tempus ordinarium decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes cum titulo, & triginta sine titulo. Couarr. cum quibusdam aliis tãquam magis tutum censet, necessarium semper esse tempus quadraginta annorum: quamuis titulum non iudicet necessarium. Ducuntur hi Doctores, quoniam, inquiunt, agitur de præiudicio Ecclesiæ, cuius interest nõ mutare patronos: aduersus Ecclesiam autem, vt videbimus, nõ præscribitur breuiori tempore, quam quadraginta annorum. Certe hæc ratio apud me non multum ponderis habet. Primo, quia Ecclesiæ parum admodum interest, hunc vel illum habere patronum, æqueque euenire potest, vt is, qui præscribit, vtilior Ecclesiæ sit futurus, quam is, aduersus quem præscribitur, aut è contrario. Secundo, quoniam deiectione à possessione bona fide illius, qui cum titulo per decem aut viginti annos, aut sine titulo per triginta annos iam possederat, plus mutantur patroni Ecclesiæ. Tertio, quoniam in dubio melior est conditio patroni possidentis. Quarto, quoniam sine iure expresso aut vrgenti ratione, recedendum non est à tempore, quo priuatus de iure communi aduersus priuatum præscribere solet res immobiles. Ob has rationes mihi magis placet prior sententia, quam etiam confirmant, quæ in sequenti §. statim subiicimus. De iure patronatus, an præscribi possit aduersus Ecclesiam liberam, dicetur *disput. 75.*

Emphyteusis Ecclesiastica, aut feudum Ecclesiasticum, hoc est, rei cuius dominium directum ad Ecclesiam pertinet, præscribitur aduersus priuatum emphyteutam aut feudatarium, spatio ordinario triginta annorum sine titulo, aut decem vel viginti cum titulo. Ratio est, quoniam quod præscribitur, est dominium vtile, quod non est iam Ecclesiæ sed priuati. Ita cum Bartolo & aliis Aluarus Valas. *de iure emphyt. q. 17. à num. 13.* Antonius à Gama *decis. 149. num. 5* & copiosius Couarr. *reg. possessor. par. 2. §. 2. n. 6.* Consonat *cap. ad audientiam de præscrip.* & affirmãt gloss. ibi, Panorm. Felinus, & communis sententia Doctorum, quam referunt. Eam vero solum censent plurimi limitandam, quando inscia Ecclesia, cuius est dominium directum, & cuius interest hũc potius, quam alium, habere vasallum, aut emphyteutam, nouus emphyteuta rem possedit: si namq; de possessione erat conscia Ecclesia, consentiunt Doctores præscribi intra tempus ordinarium: eo quod, vt capite ad audientiam innuitur, negotium principaliter, non ad Ecclesiam, sed ad priuatum, aduersus quem præscribitur, pertineat. Si ergo feudum, & emphyteusis Ecclesiastica tempore ordinario præscribuntur aduersus priuatum, quanto magis ius patronatus: cum plus referat Ecclesiæ, hunc potius, quam alium habere emphyteutam vel vasallum, quam hunc vel illum habere patronum laicum.

3 *Ecclesiastica emphyteusis aut feudi præscriptio.*

Quod

4 *Seruitutum præscriptio.*

Quod ad seruitutes attinet, seruitus personalis: qualis est vsusfructus, præscribitur cum bona fide, tituloque concesso ab eo, qui illum non poterat cõcedere, inter præsentes quidẽ 10. annis, at inter absentes viginti: sine titulo vero triginta annis. Ita colligitur *ex l. vltima in fine. Codic. de longi temporis præscrip.* lege Antonium Gom *2. tomo variar. resolut. cap. 15. n. 25.* & Couarr. *1. variar. resolut. ca. 17. n 11.* vbi affirmat esse communem opinionem, vsum fructumque reputari partẽ dominii, quod ad præscriptionem attinet.

5 Quod idem dicendum est de reali seruitute, quæcunque illa sit, si titulus adsit, vt patet *ex l. vlt. in fine. Cod. de longi temporis præscript.*, & ex aliis iuribus: quæ citat Antonius Gomez. *vbi supra num. 26. & sequentibus.* Idem affirmat esse communiter receptum Couar. *1. variar. resolut. ca. 17. num. 11. ante vers. Ita vero.*

6 Aduerte tamen, quod cum possessio seruitutis negatiuę, vt altius non tollendi, & similium, non prius comparetur, quam altero contrarium moliente (vt domũ attollere) prohibeatur, & impediatur ab eo, qui possessionem cõparare debet. fane in seruitutibus negatiuis non prius: cum titulo, aut sine titulo, currere incipiet tempus præscriptionis, quam aliquid tale eueniat. Id quod memoriæ est commendandum, quoad omnia, quorum possessio in negatione consistit; vt quod aliquis ad electionẽ non admittatur; quod non venentur, aut non piscentur in tali vel tali loco. Antequam n. aggrediente aliquo, vel aliquibus, contrariũ facere, impediantur, & ille, qui obstat, præualeat, non censetur ea de re possessionem comparasse, esto titulum ad id habeat. Ita cũ Glossa *in l. 1. C. de seruitut.* Ant. Gom. *vbi supra nu. 28.* Antonius Padilla *in l. si quis ædificauerit. C. de seruit. à n. 14.* & communis Doctor. sententia, quam referunt.

7 Porro seruitutes reales si continuæ, aut quasi continuæ sint, præscribuntur sine titulo spatio 10. annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. Si vero sint discontinuæ, non præscribuntur sine titulo, nisi tẽpore, de cuius initio non extat memoria. Prior pars constat aperte *ex l. si quæ diuturno ff. si seruitus vendicetur, ex l. 1. & 2. nuclis Glossis ibi. C. de seruitutibus ex l. 1. §. vlt. & l. vlt. ff. de aqua pluuia arcen. & ex l. 15. tit. 31. p. 3. legum Castellæ*, quibus in iurib. habent; ad præscribendas seruitutes reales titulum non esse necessarium, sed satis esse lõgi temporis possessionẽ. Lege Doctores, quos Ant. Gom. *vbi supra n. 23. & 26. & seqq.* refert.

8 Aduerte tamen, quando in præscriptione eiusmodi seruitutum non interuenit titulus, non aliam possessionem obtẽdere aut probare posse, qui præscribit, quam per vsum earum cum scientia & patientia possidentis fundum, & idcirco, vt quis eiusmodi seruitutes sine titulo præscribat, necesse est consteт illũ, nec precario, nec vi, cum scientia & patientia prædium possidentis tanto tẽpore vsum eis fuisse, quantum ad præscribẽdum est necessarium, vt colligitur *ex l. 1. & 2. C. de seruitutib. & ex aliis iurib.* affirmantq; Doctores communiter.

Posterior conclusionis pars habetur expresse *l. 15. Castellæ citata*, & colligitur *ex l. seruitutes 14. illius tit. ff. de seruitutib. & ex l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quoti. & æsti.* cuius hæc sunt verba: Ductus aquę, cuius origo memoriam excesserit, iure constituto habetur; & ex aliis iuribus ciuilibus & canonicis, quæ Ant. Gom. *n. 27.* citat. Ex quibus etiam constat, consuetudinem, vsumve, de cuius initio nõ est memoria, vim veri tituli iuris præsumptione habere: eaq; de causa in ea præscriptione necessarium non esse, vt de scientia & patientia eius, aduersus quem præscribitur, consteт, neq; in seruitute, neq; in quocunq; alio iure præscribendo. Couar. *1. var. resol. cap. 17. n. 11.* inter has discontinuas seruitutes merito cõputat seruitutem pascendi in alienis agris, ad quam proinde exigit sine titulo tempus, de cuius initio nõ

A sit memoria, dicitq; ita esse receptum in tribunalib. regni Castellæ. Hanc vero solum habere locũ, quando est seruitus realis, vt regulariter esse solet, censendaq; procul dubio est, quando non expirat cum morte eius, qui illa vtitur. Hactenus de acquisitione seruitutis via præscriptionis. Quæ autem seruitutes affirmatiuæ, & quæ negatiuæ, quæ item continuæ, & quæ discontinuæ dicantur, *disp. 11.* explicatum est.

9 *De amissione per non vsum.*

Hic de amissione seruitutis per non vsum illam possidentis dicendum est. Quãdo ad præscribendã seruitutem vrbanã aduersus eum, qui possidet, necesse est, vt vltra non vsum illam possidentis præcedat actus domini prædii, iuxta ea, quæ *disp. 66.* ante conclus. quartam, & conclusione ipsa quarta dicta sunt, tunc, vltra eiusmodi actum & bonam fidẽ eadem conclusione explicatam; necesse est, ac sufficit, vt is, cuius est ea seruitus, desinat illa vti per decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes. Ita habetur expresse *l. 16. tit. 31. par. 3. legum Castellæ*, & colligitur *ex l. pen. C. de seruitutib.* neq; vllus titulus est necessarius ex parte illam præscribentis.

Reliquæ seruitutes per non vsum earum decem annis inter præsentes, ac 20 inter absentes amittuntur: neq; necessarius est titulus ex parte præscribentis, neq; ignorantia eo tempore, quod ad eum pertineant, aduersus quem eas præscribit, iuxta ea, quæ *disp. 66. concl. 5.* dicta sunt. Hæc patẽt *ex l. penult. citata.* Excipitur, quando seruitus est ad illam vtendum 10 per maiora interualla, quam horarum aut dierum, vt si sit ad vtendum aquæductu alternis mensibus, aut hebdomadis vel sane maioribus interuallis; tunc enim tempus duplicandum est, ita nempe, vt inter præsentes non præscribatur nisi per non vsum illius intra 20. annos, vt habetur *l. si fi. ff. quem admodũ seruitus amit. & l. vlt. C. de seruitut.* Quod tamen Couar. *1. var. resol. c. 17. n. 10.* cum communi sententia ait, extendendum non esse vltra seruitutes mere reales, neq; vbi duplum tempus excederet spatiũ quadraginta annorũ. An vero inter absentes tempus etiã sit in huiusmodi seruitutib. duplicandũ, vt fit quadraginta annorũ? Quidam affirmant: alii vero negant cum glosis *l. penult. & l. vlt. C. de seruitut.* quod quidem sancitum *l. 16. Castellæ citata.* Eadem l. constitutum est, seruitutem continuam non amitti nisi per vsum illius tempore, de cuius initio non est memoria. Ibidem tamen affirmat Gregor. Lopez contrarium esse dicendum de iure communi, atque adeo in hoc Lusitaniæ regno, in quo iuri cõmuni est standum. Hæc dicta sint de hac satis implexa in iure & doctoribus disputatione, propter multas & varias sanctiones, quæ de seruitutibus iure ciuili latæ sunt. Exceptio tamen quorundam iurium, quæ tempore ordinario non præscribuntur, subiicietur in seqq.

Lus Castellæ.

SVMMARIVM.

1 *Actiones ciuiles & debita 30. annis præscribuntur.*
2 *Iure Castellæ quanto tempore actiones personales, reales, mixtæ, instrumenta item quarentigiata præscribantur.*
3 *Actio aduersus Ecclesias quanto tempore præscribatur.*
4 *Mancipium quanto tempore iure Romano & Castellæ libertatem præscribat.*

DE TEMPORE QVO ACTIONES & debita præscribuntur, & quo mancipium præscribat libertatem.

DISPVTATIO 71.

1 *Actiones ciuiles & debita quanto tempore præscribantur.*

SErmo est de actionibus etiam ad res mobiles, & de debitis rerum etiam mobilium. Actiones igitur ciuiles de iure communi regulariter præscribuntur spatio triginta annorum, & pari etiam ratione debita, quæ illis exigi poterant, modo adsit ea

bona fides ad debita præscribenda, quæ *disp.66.* & *67.* explicata est. Patet *ex l.sicus in rem.in princip. C.de præscript.triginta annor.* Licet autem aliud esset quondam in hoc Lusitaniæ Regno, hodie tamen *l.1.tit.1. p.6.legum extrauagantium* idem constitutum est. In Regno vero Castellæ *l.63.Tauri* sancitū est vt quando vltra actionem personalem instrumento publico conceditur ius exequendi nulla expectata iudicis sententia, talis executio præscribatur decem annis. Porro contractus vbi id conceditur, appellatur contractus Guarentigius, qui secum habet paratam executionem. Ibidem item sancitum est, vt actio, seu obligatio personalis, præscribatur viginti annis. Præterea; vt executio à iudice ex tali actione cōcessa, præscribatur etiam viginti annis à tempore talis concessionis. Insuper sancitum est, vt quando obligatio adiunctam habet hypothecam, aut est mixta ex reali & personali, vt est petitio hæreditatis, & sūt quædam aliæ, non minori tempore præscribatur, quam triginta annis. *Disputat.69* retulimus *l.3.tit.5. lib.4.nouæ collect.* quæ in eo Regno, *in quodam euētu* concedit præscriptionem actionis rei immobilis, anno & die, adiecimusque quonam pacto lex illa esset intelligenda. Dixi, actiones ciuiles regulariter præscribi triginta annis: quoniam aliquando præscribuntur breuiori tempore, vt redhibitoria, & quanto minoris, de quibus sermo erit in materia de emptione & venditione, & quædam alia. In hoc autem Regno, & in Regno Castellæ, tribus annis præscribitur actio famulorum ad exigendam mercedem obsequiorum vt *disp.67.* dictum est.

1 *Leu Castella.*

2 *Actio aduersus ecclesias quanto tempore præscribatur.*

Cæterum aduersus Ecclesias, & alia pia loca, omnis actio, quæ decennio, aut longiori aliquo tempore alioquin durat, non præscribitur breuiori tempore, quam quadraginta annorum. Quod si Ecclesia Romana sit, durat spatio centum annorum. Actiones vero, quæ breuiori tempore, quam decennio præscribuntur, eodem modo præscribuntur aduersus Ecclesias, & aduersus priuatos. Hæc omnia patent *ex authentica quas actiones. Cod.de sacrosanct.eccles. iuncta glossa ibi*, idque affirmant Doctores, quos Couar. *reg.possess.par.2 §.2.n.5.* refert.

3 *Mancipium quanto tempore præscribat libertatem.*

Quod ad libertatem attinet, licet aduersus eam nullo tempore præscribatur, vt in materia de mancipiis ostensum est; debitum tamen seruitutis præscribitur cum bona fide mancipii tempore viginti annorum, vt habetur *l.2.C.de præscript.longi temporis quæ pro libertate.* An vero inter præsentes tempore decem annorum præscribatur, lex id non dicit, consonantiorque est iuri communi pars, quæ negat. Vt tamen ibidem glossa refert, quidā asseruerunt partem affirmantem, eaque sancita est in Regno Castellæ *l.23.tit.29.par.3.* Quando mācipium, siue mas, siue fœmina, bona fide tanquam liberum ex hac vita discessit transacto quinquennio à morte illius, neque circa bona illius, neque circa libertatem filiorum intentari potest actio, quasi ille vere esset mācipium, atque adeo tam bona illius, quam libertas filiorum quinquennio illo præscribuntur aduersus eum, qui contenderet illum vita functū fuisse mancipium. ita colligitur *ex l.1. & sequentib. C. & ff.ne de statu defunctorum.* & habetur *l.25.tit.29.par.3. legum Castellæ.*

Leu Castella.

SVMMARIVM.

1 *Res immobiles quanto tempore aduersus Ecclesiā, item monasteriorum ordinis D. Benedicti aliosq; eodem priuilegio vtentes præscribantur.*

2 *Ecclesia, summus Pontifex, quicumque etiam Princeps, eodem tempore quo priuati aduersus priuatum præscribunt.*

3 *Priuilegium temporis quod in præscriptione rerum Ecclesiæ adhibetur extenditur ad loca pia, monasteria, hospitalia, legata & donationes ad pias causas.*

4 *Priuilegium hoc non extenditur ad clericos ipsorumque bona, neque ad emphyteutam aut feudatarium habentes vtile dominium, cuius proprietas ad Ecclesiam spectat.*

5 *Quanto tempore præscribatur res, quæ pendēte præscriptione ad Ecclesiam peruenerit.*

6 *Præscriptio 40.annorum aduersus Ecclesias, vel longissimi temporis contra priuatos, non requirit titulū, sed tantummodo bonam fidem. Fallit nu.7.*

DE TEMPORE QVO RES IMmobiles, & quæ cum immobilibus computantur, aduersus Ecclesiam præscribantur.

DISPVTATIO 72.

RES immobiles, & ea iura, de quibus *disput.70.* dictum est, non minori tempore præscribuntur aduersus Ecclesiam inferiorem ad Romanam, quā quadraginta annorum cum bona fide, siue priuatus sit qui præscribat, siue alia Ecclesia. Aduersus Ecclesiam vero Romanā hæc ipsa non minori tempore, quam centum annorum, præscribuntur, etiāsi inferior Ecclesia sit, quæ illud præscribit. Aduersus monasteria & fratres ordinis D. Benedicti, eosque qui illorum priuilegiis gaudent, non præscribitur breuiori tempore quam sexaginta annorum. In his vero præscriptionibus, quę quadraginta annorum, aut longioris temporis sunt, regulariter necessarius non est titulus. 1

Sed antequam probemus singulas huius conclusionis partes, sciendum est. Quondā ad præscribendum aduersus Ecclesias, satis fuisse spatium triginta annorum, vt Alexander 3. *c.illud.de præscript.* ait, constatq; ex multis aliis canonibus *16.q.3.* ac alibi. Lege Couar. *reg.possess.§.2 par.2.n.1.& 2.* Sciendum quoq; est, aliquando omnibus Ecclesiis fuisse etiam concessum, vt aduersus nullam earum minori tempore, quam centum annorum præscriberetur, vt *ex authentico, vt Ecclesia Romana* constat. Vtrumq; autem hodie est reuocatum, vt ex probatione conclusionis erit manifestum

Prima pars nempe ad præscribendum aduersus Ecclesiam infra Romanam satis hodie esse spatium quadraginta annorum, patet *ex cap.illud* citatum, vbi id constitutum est *ex cap.de quart.c. cap. ad aures, de præscrip.cap.2.eadem tit.lib.6.ex authentica quas actiones. C.de sacrosanct.eccles.& ex l.26.tit.29.part.3. legum Castellæ.* estq; receptissima. Quod item verum est, etiamsi Ecclesia Romana, vel summus Pōtifex sit, qui aduersus Ecclesiam inferiorem præscribit, vt euenire potest, quando summus Pontifex non de plenitudine suæ potestatis, suave vtendo potestate, accipit aliquid ab Ecclesia inferiori, credens ad se, aut ad Romanam Ecclesiam pertinere. Quando namque de plenitudine suæ potestatis aliquid acciperet, necessaria non esset præscriptio. Hæc omnia Panorm. *cap cum nobis, num.11. de præscript.* & alii. Addit, Ecclesiam Romanam, summum Pōtificē, & quemcumque alium Principem eodem tempore præscribere aduersus quemcumq; priuatum, quo quiuis alius priuatus aduersus alium priuatum. 2

Hoc vero priuilegium extenditur ad loca pia, vt ad monasteria, hospitalia, & ad legata, & ad donationes ad pias causas, vt constat *ex authent. quas actiones iuncta l.vltim. C.de sacrosanct.eccles.& ex l.26.citata* affirmat Panorm. *c.de quarta citato, n.7.* id corroborans ex aliis iuribus Felin. & plerique alij, quos Couar. *loco citato nu.3.* refert ac sequitur. 3

Porro idem priuilegium ad clericos, ipsorumq; bona nō extenditur sed inter personas priuatas hac in parte annumerantur, vt *disp.70* dictum est. Est enim priuilegium hoc concessum nō clericis, sed Ecclesiis 4

cleſiis,& piis locis,vt Panorm.*c.ſanctorum.n.6.& 6.ſi diligenti.n.36.& 37.de præſcrip.* Couar.*1.var.reſol.c.4.n.3.& 4.*cum aliis quos refert,affirmant. Neq; item extenditur ad habentem dominium vtile rei, cuius proprietas ad Eccleſiam pertinet, vt ad emphyteutam,aut feudatarium Eccleſiæ,vt *diſputat.70.*oſtenſum eſt.

Secunda pars,nempe aduerſus Romanam Eccleſiam non præſcribi minore tempore quam centum annorum,probatur *ex c.ad audientiam. c.cum nobis.c. ſi diligenti.de præſcrip.ex c.2.eodem tit.lib.6.ex cap.nemo 16 q.3.ex authen.quas actiones.C.de ſacroſan.eccleſ.& ex l.26.tit.29.par.3.legum Caſtellæ.*Eſt autem in ea ſermo de bonis,quæ ſunt propria Eccleſiæ Romanæ, non vero de bonis inferiorum Eccleſiarũ, in qua Summus Pontifex iuriſdictionem habet vniuerſalem, vt Panorm.& alii notant *c.ad aud entiam citato.*

Tertia pars,nẽpe quod aduerſus monaſteria ordinis D Benedicti,& eorum qui priuilegiis illorum gaudent,non minori ſpatio præſcribatur,quam ſexaginta annorum,conſtat ex priuilegio ab Eugenio Papa anno 1434.eis conceſſo,quod ſic habet: *Nos in fauorem obſeruantiæ regularis ex certa ſcientia,motu proprio, ac de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ voluimus, ſtatuimus,& decernimus, quod contra profatas congregationis monaſteria loca,& perſonas,& bona aliqua non currat præſcriptio, niſi poſt lapſum ſexaginta annorum, non obſtantibus,&c.*Illud circa tres partes concluſionis hactenus probatas obſeruandum reſtat nempe ſi quis præſcribere incipiat rem aliquam immobilem priuati per quinquennium, verbi gratia cum titulo inter præſentes, & poſtea res illa ad Eccleſiam aliquã inferiorem ad Romanam deueniat, tunc, quia ſolũ deerat dimidium temporis ad præſcribendũ contra priuatum, in hoc euentu ſatis eſſe poſſidere deinceps per viginti annos cum bona fide,vt illam aduerſus eam Eccleſiam præſcribat. Quod ſi pertinere inciperet ad Eccleſiam Romanam, ſatis eſſet, vt aduerſus Eccleſiam Romanam eam præſcriberet, illam per quinquaginta annos poſſidere: idem dic, quando viginti annis illam poſſediſſet ſolum, dum pertinebat ad Eccleſiam inferiorem à Romana, ſi poſtea ad Romanam Eccleſiã pertinere inciperet. Ita Sylu.*verb præſcrip.1.q.7.*cum Panorm.& aliis,conſonantq; illa,quæ *ex authent.quod ſi quis.C.de præſcr.i. longi temp.diſput.69.*dicta ſunt.Poſtrema pars concluſionis habebat, in præſcriptionibus quadraginta, aut plurium annorum aduerſus Eccleſias, regulariter neceſſarium non eſſe titulum ſed ſufficere bonam fidem:quod etiam dicẽdum eſt de præſcriptionibus longiſſimi temporis aduerſus priuatos, hoc eſt,triginta aut plurium annorum. Dixi, regulariter:quoniam quando ius eſt in contrarium præſcribenti, vel alinde eſt præſumptio contra eum, quod mala fide poſſederit, niſi vel titulum oſtẽdat, vel probet tanto tempore poſſediſſe,de cuius initio non extat memoria,non præſcribet,vt habetur expreſſe *c.1.de præſcrip.lib.6.*Et inferius in peculiari diſputatione oſtendetur. Poſtrema pars concluſionis in primis probatur *ex c.1.de præſcr.lib.6.* vbi expreſſe habetur, extra duos illos euentus neceſſarium non eſſe titulum,ſed ſufficere bonam fidem. Deinde *ex c.ſanctorum.de præſcr.*vbi,quo tempore aduerſus Eccleſias præſcribebatur ſpatio triginta annorum,ſolum exigebatur bona fides, nedum modo quando quadraginta aut pluribus annis præſcribitur. Tertio probatur ex iuribus, quibus poſterior pars concluſionis.*diſput.69.*ſtatutæ,probat. fuit.Eandem affirmant gloſſ. *vlt.c.ſi diligenti.de præſcr.* Panorm.*c.illud.eod.in n.6.*Couar.*regu.poſſeſſ.par.2.§.3.à num.6.& §.5.n.2.*& communis Doctorum ſententia.

SVMMARIVM.

1 *Bona non cenſentur fiſco incorporata, niſi lata ſententia, etiamſi ſtatutum fuerit, ea ipſo iure in commiſſum cadere.*

2 *Bona ſeculari fiſco incorporata, quãto tempore præſcribuntur.*

3 *Item, nondum acquiſita, ſed ob nõ ſolutum vectigal debita.*

4 *Bona hæreticorum ob crimen hæreſis ipſo iure fiſco debita, an ab ipſis, eorumq; ſucceſſoribus præſcribantur.*

5 *Quo tempore de iure ciuili accuſatio hæreſeos aliorumq; criminum poſt mortẽ delinquentis in perſonam eius, bona, aduerſus fiſcum ſecularem præſcribatur.*

6 *Quo tempore bona hæretici defuncti aduerſus fiſcũ Eccleſiaſticum præſcribantur.*

7 *An in præſcriptione bonorum hæreticorum aduerſus fiſcum attendatur tempus in fiſco ſeculari vel eccleſiaſtico ad præſcribendum conſtitutum.*

8 *Bona vacantia fiſco non denunciata, vel denunciata quidem, nondũ tamen ab illo occupata, quanto tempore præſcribantur.*

9 *Quanto tempore bona aduerſus fiſcum eccleſiaſticum præſcribantur.*

DE TEMPORE AD RES PRAEſcribendas aduerſus fiſcum.

DISPVTATIO 73.

INter bona,quæ ad fiſcum ſpectant,quædam ſunt, quæ nondum adiuncta,&,vt ita loquar, incorporata ſunt fiſco;eiuſmodi ſunt pœna quæ amiſſo iam crimine fiſco debentur, nondum tamen lata eſt ſententia,neq; fiſcus ea vſurpauit: interim namq; dum ſententia non fertur,executionique mandatur,non cenſentur fiſco incorporata; ſed ſolum debita,eſto ſtatutũ fuerit, vt ipſo iure incurreretur; quo pacto hæreticis contrahentibus inceſtas nuptias,& aliis ſimilibus, ſtatuta eſt pœna confiſcationis bonorum, alia vero ſunt,quæ fiſco iam ſunt incorporata. 1

Hoc ita conſtituto,ſtatuamus ſequentes concluſiones cum Panorm.*c.cum nobis.nu.11.de præſcr.*Bart. *l.in omnibus.ff.de diuerſ.& tempor.præſcr.* & aliis in locis quæ Panorm.citat,cum Sylueſ.*verb.præſcrip.1.q.7.*Couar.*reg.poſſeſſ.p.2.§.2.nu.7.& in epitom.ad quartum decret.par.2.c.6.§ 8.num.16.* & cum pleriſque aliis,quos Couar.refert.

Prima concluſio.Bona ſeculari fiſco acquiſita & incorporata, non præſcribuntur minori tempore, quam quadraginta annorũ cum bona fide, *l.omnes, & l.comperit.C.de præſcript 30.annor.* Quando autem *§.res fiſci.Inſt.de vſucap.* res fiſci noſtri vſucapi non poteſt,intelligẽdum id eſt de eiuſmodi rebus fiſco iam incorporatis,vt ex iis, quæ ibidẽ ſubiunguntur, eſt manifeſtum. Vt vero Gloſſ.ibi ait, intelligendũ etiam eſt de ſpatio temporis,quo res priuatorũ præſcribuntur,nempe triennio,decennio,aut tricẽnio, ſecus autem de ſpatio quadraginta annorum, vt alia iura ſtatuunt.Etenim,vt probe Panorm.*ca.vlt.de præſcr.nu.15.*& alii Doctor. communiter obſeruant, quando ſtatuto aliquo negatur, rem aliquam poſſe præſcribi, intelligendum id eſt iuxta ſubiectã materiam,hoc eſt,de præſcriptione de qua tunc eſt ſermo,aut qua res alioquin erat præſcribenda:non vero de alia longiori,niſi id aperte exprimatur. Quare non ſolum in re propoſita,quod dictum eſt, locum habet,ſed etiam quando priuilegio aliquo cõcederetur,vt res aliqua,quæ alioquin quadraginta annis foret præſcribenda,nõ poſſet præſcribi: tunc enim adhuc non propterea cenſeretur præſcriptio immemorialis denegata: præſertim cum hæc non tã cenſeatur præſcriptio quam ex tam longa poſſeſſione, in qua nullus contradixit, præſumatur ac cenſeatur verum ac legitimum titulum præceſſiſſe. 2 *Prima concluſio.*

Secunda concluſio, Bona ſeculari fiſco nondum 3 *Concluſ.*

acquisita, illi tamẽ ea ratione debita. quod ob vectigal non solutum inciderit quis in commissum, hoc est, amiserit fisco rem, ex qua tributum debebat solvere, præscribuntur aduersus fiscum quinquennio. Ita habetur *l.2.C. de vectigalib. & commissis.*

4 *2. Conclusio.* Obiter inferamus hic tertiam hanc conclusionẽ; quæ plurimum lucis cõferet ad ea, quæ dicẽda sunt in quarta sequenti. Bona hæreticorum ob crimen hæresis, aut apostasiæ ipso iure debita fisco Ecclesiæ, nullo tempore præscribuntur, neq; ab hæreticis, neque à successoribus quibuscunque in illis: excipitur nisi successores cum ignorãtia; quod fuerint bona hæretici, illa possederint spacio quadraginta annorum: tunc enim illa præscribũt. Hæc tota conclusio ostensa fuit *disp. 66 conclus. 1.* & habetur. *ca. 2. de præscrip. lib. 6.*

5 *4. Conclus.* Quarta conclusio. De iure ciuili in crimine hæreseos, & apostasiæ, quinquennio post mortem hæretici aut apostatæ, tum actio, quæ aduersus delinquentem competit, tum bona illius aduersus fiscũ secularem præscribebantur. Ita habetur *leg. 2. C. de apostatis*, & affirmat *glos. l. Manichæos. Cod. de hæreticis.* Quæ etiam vult, idem esse in crimine læsæ maiestatis humanæ. Idemque est in quocunque alio crimine, in quo bona ipso iure confiscantur, vt dicemus *tract. 3. sequenti.* Consentiunt Couar. *locis citatis*, & Antonius Gomez *3. tomo variar. resolut. cap. 1. num. 81.* & alii Doctores, quos citant.

6 *Bartolus reiicitur.* Hinc infert Bartol. *l. 2. C de apostatis*, inquisitores hæreticæ prauitatis quinquennio post mortem hæretici inquirere non posse de crimine illius, ad effectum confiscationis bonorum. Merito tamen reprehenditur à Panorm. *cap. cum nobis de præscript. num. 8.* & ab aliis. Quamuis enim, quod Bartolus infert, verum esset iuxta leges ciuiles & per comparationem ad fiscum secularem; falsum tamẽ est iuxta leges Ecclesiasticas hac & *disp. 66.* citatas, iuxta quas inquisitores hæreticæ prauitatis procedunt, & per comparationem ad fiscum Ecclesiasticum, cõparatione cuius solũ præscribitur quadraginta annis à morte hæretici, & cum ignorantia, quod ea bona fuerint hominis hæretici. Cum vero hodie bona hæreticorum, & apostatarũ iuxta Ecclesiasticas leges fisco addicantur sane quamuis ex cõcessione Summorum Pontificum secularis, regioque fisco, & non Ecclesiastico applicentur, eodem tamẽ modo erunt confiscanda, neq; aliter præscribentur, quam aduersus Ecclesiasticum fiscum, vt Couar. *in epitom. num. 16. citato*, Simancas *in Cathol. instit. tit. 9. nu. 134.* & alij adnotarũt, atq; id in Hispaniis seruatur, fuitq; optimo iure ita à principio introductum, vt Anton. Gomez. *3. tomo var. resolut. c. 2. n. 81* recte ait: id quod haud scio an Couar. satis attenderit.

8 *5 Conclusio.* Quinta conclusio. Bona fisco secularis nondum incorporata, ei tamẽ ea ratione debita, quod morte alicuius sine legitimis heredib. vacauerint, si talium bonorum facta fuit fisco denunciatio, neque occupauit, præscribuntur aduersus fiscum quadriennio, siue titulus adfit, siue non, vt constat *ex l. 1. C. de quadrien. præscrip. & ex l. intra quatuor. ff. de diuersis & tempor. præscript.* necessaria tamen est bona fides. Quod si fisco facta non fuit denunciatio eorum bonorũ. & cum titulo & bona fide possideãtur, vt si quis bona fide ea emisset, præscribantur perinde atque bona priuatorum, videlicet mobilia per triennium, & immobilia per decennium inter præsentes, *l. quamuis. ff. de vsucap.* Si vero possideantur cum bona fide, & sine titulo, præscribentur spatio triginta annorũ. Id quod intelligendum etiam est de quibuscumque aliis bonis, quacunq; alia de causa fisco debitis, nõdum tamẽ illi incorporatis, vt constat *ex l. in omnibus. ff. de diuers. & temp. præscrip. l. 2. 3. & 4. ff. de requir. reis. & l. quære. C. ad l. Corn. de falsis.* Excipitur, nisi quid aliud in iure sit exceptũ, quod breuiori tẽpore aduersus fiscum præscribatur, vt habetur *l. 3. de requir. reis, & alibi.*

A Sexta conclusio. Quod ad fiscũ Ecclesiæ attinet, siue bona ad illũ spectantia incorporata iam fisco sint, siue nõ, præscribuntur aduersus fiscus Ecclesiæ inferioris à Romana spatio 40. annorum: aduersus vero fiscum Ecclesiæ Romanæ spatio centũ annorũ. Excipiuntur bona hæretici, quæ partim nunquam præscribuntur, partim vero præscribuntur à successoribus in illis spatio 40. annorum à puncto mortis hæretici cum ignorãtia, quod ea fuerint hominis hæretici, vt dictum est. Hæc conclusio est Panorm. *cum nobis, de præscript. n. 9.* elicitq; illam *ex 6. 2. de præscript. lib. 6.* neque scio quemquam, qui contradicat. Vt tamen verum fatear, caput illud nõ vrget. In priori namq; capitis parte solum est sermo de bo- B nis, quæ erant Ecclesiæ, ad Ecclesiam propter crimẽ regrediuntur: & authentica *quas actiones. l. vlt. C. de sacrosanct. eccles.* quæ in confirmationem poterat adduci, solũ probat quoad bona, ad quę obtinenda fisco seculari competeret actio per integrum decennium aut vltra: vnde aliis longius huius conclusionis examen relinquo. 9 *6. Conclusio.*

SVMMARIVM.

1 *Aduersus sedem Apostolicam non præscribitur.*
2 *Tributa & census nullo tempore præscribuntur.*
3 *Quæ supremæ potestati adhærent & innata sunt, à subditis non præscribuntur.*
4 *Bona Coronæ seu Domanii, quæ in priuatorũ cõmercio sunt, quanto tempore præscribantur.*
5 *Bona priuata Principis, quemadmodum aliorum præscribuntur.*

DE TEMPORE AD PRAESCRIBENDUM aduersus principem ea bona, quæ ad illius fiscum non spectant.

DISPVTATIO 74.

1 *Prima Conclusio.* SIt prima conclusio. Quæ summo Pontifici ex suo munere à Christo institutæ cõpetunt, nullo tempore, nullaq; ratione præscribi possunt aduersus eadem Apostolicam, quasi in aliquo sedis Apostolicæ potestas minuatur. Hæc est manifesta, quoniam illa potestas est de iure diuino: aduersus autem ius diuinum non datur præscriptio, neq; consuetudo, quæ vim vllã habeat. Ita Panor. *cum nobis. de præscr. n. 12.*

2 *2 Conclus.* Secunda cõclusio. Tributa & census quæ in subiectionis signum Principi debentur, nullo tempore possunt præscribi, quasi quis ea via maneat in posterum exemptus ad ea soluenda. Ita Panorm. *cum nobis citato.* Bart. *in omnibus. ff. de diuer. & temp. præscrip.* Couar. *reg. possess. par. 2 §. 2. n. 8.* & alij quos citat *iuxta l. comperit. C. de præscr. triginta annor.* & traditur *l. 6. tit. 29. par. 3. legum Castellæ.* Consonat *l. 1. tit. 15. lib. 4. nouæ collect.* illis verbis: *Tasa mismo loque las lè jes dizen, que las cosas del Reyno nose puedan ganar por tiempo, se entienda de los pechos y tributos a nos diuidos.*

3 *3. Conclus.* Tertia conclusio. Quod supremæ potestati ita est innatum, vt quasi ad rationem illius, qua super omnes alios est, pertinere videatur, à nullo subditorũ valet aduersus Principẽ præscribi; vt quod ad Principem ab eo non appelletur, quod coercere eum nõ possit quãdo ratio & iustitia postulauerit, defectusque illius corrigere, & quod nullis Principis legib. subiaceat. Quæ omnia, vt tractatu quinto patebit, ad primum & supremum gradum meri imperij spectant. Ita post Panormitanum *loco citato*, cum Baldo & plerisque aliis quos citant, Couarr. *loco citato, & de practicis quæstionibus c. 4. num. 1. & 2.* & Aluarus Valascus *de iure emphyt. q. 8. à nu. 29.* quin Baldus ait, Principem id non posse concedere, eo quod sit euiscerare, destruereque Imperiũ. Tota conclusio colligitur,

ligitur, argumento à minori ad maius, *ex l. comperit, citata*, & ex conclusione præcedente, eaque de causa illam hic præmisimus. Statuta item est hæc nostra conclusio in Regno Castellæ variis iuribus, quæ Couar. locis citatis refert, & habetur *l. 1. tit. 15. lib. 4. nouæ collect.* his verbis. *Pero la iurisdiction ciuil y criminal suprema, que los Reyes an por maioria y ponderio real, que es de fazer y cumplir donde los otros sennores y iuezes la menguaron, declaramos que esta no se pueda ganar, ni prescrivir por el dicho tiempo, ni por otro ninguno.* Item habetur *lib. 2. Ordinat. huius Lusitaniæ Regni tit. 26. in principio*, his verbis. *Em as doacoens feitas as Rainhas & aos Iffantes, & aoutros alguns senhores, foraon postas clausulas, quel he concediaon alguns terras, villas, lugares com toda sua iurisdicaon ciuil & crime, mero & mixto imperio, naon reseruando pera si parte algũa da dita iurisdicaon, & em outras reseruaraon alguna parte dela: & posto que as ditas doacoens assi largamente passassem, sempre foraon entendidas, & se entenderam, quæsi que a nos reseruada a mais alta superioridade, & real senhorio, que o Rey tem todos seus subditòs & naturars* & §. 15. subiicitur. *Et porque a corei cao he sobre toda iurisdicaon que esguarda a superioridade, & o maior & mais alto senhorio à que todos saon soieitos a qual assi he vnida & coniunta ao principado do Rey, que a naon pode de todo desi tirar defendemos*, &c. Confirmare possumus hanc & præcedentem conclusionem, quoniam cum præscriptio neque de naturali, neque de gentium, sed de ciuili iure sit, non plus se extendit, quam vnusquisque supremus princeps in suo Regno eam suis legibus voluerit esse extensam: at vero, præterquam quod ex iuribus citatis satis colligatur præscriptionem non se extendere ad ea, quæ his duabus conclusionibus continentur, sanè censendum est eam esse mentem, cuiusque supremi Principis in suo Regno: contrarium enim in perniciem ac detrimentum esset Reipublicæ. Hinc infero, cum nullis aliis legibus quisquam præscribere possit exemptionem à suo Principe, quam legibus & iure eiusdē Principis, eo quod in ordine ad suos subditos nullæ aliæ leges vim habeant: neque vero præsumendum sit mentem alicuius Principis eam esse, vt quisquam præscriptionis via omnimodam exemptionem ab ipsius potestate consequatur, fiatq; diuisio Reipublicæ, consequens omnino esse, vt nullus prorsus via præscriptionis consequi vnquam possit omnimodam exemptionem à supremo alias suo Principe. Id quod affirmat Panorm. *c. cum non licet. de præscript. num. 16.* Non ergo placet contraria sententia Couarr. *regul. possess. part. 2. §. 2. num. 80.* contrarium cum quibusdam aliis afferentis.

4 Quarta conclusio. Bona quæ ad Regni coronam ita spectant, vt nihilominus non repugnet iuri communi viri alicuius priuati, vt sunt saltus, prædia alia vrbana, aut rustica, & his similia, non præscribuntur aduersus Regni coronam minori spatio, quam centum annorum. Ita Couar. *regul. possessor part. 2. §. 2. in calce num. 8. & num. 9.* & multi alij, quos refert. Consentit Aluarus Valascus *de iure emphyt. q. 17. num. 12.* Probatur, quoniam *l. vltima, C. de sacrosanct. Eccles.* concessum est ciuitatibus, vt aduersus eas non præscribatur minori tempore, quam centum annorum etiam quoad bona, quæ ipsis vendita, donata, aut relicta fuerint; neque id reuocatum fuit, aut ad breuius tempus contractum per authenticam, quæ ibi subiungitur, quemadmodum coarctatum fuit idem priuilegium, quatenus concessum erat Ecclesiis inferioribus à Romana, & aliis piis locis: cum ergo idē priuilegium maiori cum ratione habeant bona totius Regni, qualia sunt ea, quæ ad coronam pertinent: consequens profecto est, vt minori tempore quam centum annorum, non præscribantur.

5 Quinta conclusio. Ea bona, quæ sunt Principis, non qua Princeps est, vt sunt bona, quæ ex suo patrimonio, aut aliunde, non vero ex Regni corona aut fisco, ad ipsum spectant, eo tempore præscribuntur aduersus Principem, quo præscriberentur aduersus quemcunque priuatum. Hæc etiam est Couar. *num. citato*, & aliorum quos refert: tametsi quidam refragentur. Probari autem potest, quoniam non constat de priuilegio, quod Regi quoad similia bona conueniat.

SVMMARIVM.

1 *Quando ius contrariatur vel præsumptio adest malæ fidei ad præscriptionem 30. vel 40. annorum titulo opus est.*

2 *Possessor malæ fidei, etiam ex ignorantia iuris minimè dubij an præscribat.*

B 3 *Requisita vt Episcopus in diœcesi alterius Ecclesias vel decimas præscribat.*

4 *Titulus in præscriptione longissimi temporis non requiritur, vbi simpliciter ius est in contrarium, sed tum demum cum ius resistit ac possessionem vetat.*

5 *Clericus & laicus quomodo exemptionem à decimis præscribant.*

6 *Laicus regulariter ius percipiendi decimas non præscribit: fallit ibid.*

7 *An ius patronatus à laico aduersus Ecclesiam præscribatur.*

8 *Ad quem spectet electio & confirmatio rectoris & prælati Ecclesiæ collegiatæ, & de præscriptione dicti iuris.*

C

9 *Bona maioratu affecta esse probari debet, quomodo item maioratus præscriptione introducatur.*

10 *Iurisdictio tam ciuilis quam criminalis præsumitur ad principem pertinere, quocirca priuato eam affectanti in contrarium incumbit probatio.*

11 *Quomodo & quo tempore iurisdictio aduersus Regem eiusque coronam præscribatur.*

12 *Quæ ad primum gradum meri vel mixti imperij spectant concessa, non censentur, nisi nominatim & expresse eorum aliquo concedatur.*

13 *Actus supremi gradus meri Imperij secularis.*

14 *Iurisdictio ciuilis, & criminalis, quæ ad alios gradus meri & mixti imperij præter supremum spectant, aduersus principem præscribitur.*

D 15 *Nonnullos actus supremi gradus meri & mixti imperij aduersus principem præscribi.*

17 *Priuatus contra priuatum quomodo iurisdictionem præscribat.*

18 *Ius Lusit. de vsu, cõcessione, præscriptione Iurisdictionis.*

19 *Tributa præsumuntur ad principem spectare, nisi contrarium probetur.*

20 *Quo tempore tributa aduersus principem eiusque coronam præscribi possint.*

21 *Alcaualas non præscribuntur.*

22 *Tributa superaddita & non consueta solui, quanto tempore præscribantur.*

23 *In regno Castellæ prohibentur noua tributa à subditis exigi.*

E 24 *Huiusmodi impositiones quo tempore aduersus subditos præscribantur.*

QVANDO POSSESSIO LONGISSIMI temporis, scil. triginta, quadraginta annorum, aut alterius maioris spatij certi sine titulo ad præscribendum non sufficiat.

DISPVTATIO 73.

NOn solum proxime precedens disputatio, sed & multę alię annecedentes, hanc ad ipsarum complementum exigere videntur. Possumus vero

quasi fundamentalem conclusionem statuere, quæ quando aliud non colligitur ex iure vel communi, vel particularium regnorum, est vniuersim vera, ac proinde illi est standum.

1 *1. Conclusio.* Quando ius non est in contrarium eius, quod præscribitur, neque aliunde est præsumptio malæ fidei possidentis, necessarius non est titulus ad præscribendum tempore longissimo triginta, quadraginta, aut plurium annorum iuxta ea, quæ disputationibus præcedentibus dicta sunt. Quando vero vel ius est in cõtrarium, vel est præsumptio malæ fidei, non satis est ad præscribendum possessio longissimi temporis, sed insuper titulũ probare necesse est; sufficiet tamen possessio temporis, de cuius initio non est memoria, esto titulus non probetur. Hæc tota conclusio colligitur, cum ex aliis iuribus, tum præcipue *ex c. 1. de præscript. lib. 6.* vbi tota habetur expresse & absque vllo ænigmate.

2 Quando de possessione aliqua constaret eã fuisse semper mala fide, aut ex ignorantia iuris minime dubij, tunc possessor, etiamsi tempus esset tantum de cuius initio non esset memoria, non præscriberet: quoniam possessor malæ fidei vllo tempore nõ præscribit, & iuris ignorantia, etiamsi inuincibilis ea sit, tollit præscriptionem ex iuris ciuilis dispositione, imo efficit possessionem mala fide, sumpto late malæ fidei vocabulo, vt *disput. 64.* ostensum est. Solum ergo habet locũ conclusio proposita, quando nõ constat aperte de mala fide, nec item perspectum est, possessionem ex iuris ignorantia prouenisse, sed tantum est de ea re præsumptio. Quamuis, vt *disputatione 64.* dictum est regulariter possessio tanto tempore, de cuius initio non sit memoria, vim tituli habeat, tollatque proinde præsumptionem ignorantiæ iuris ac malæ fidei, quando aliud iure in aliquo particulari casu non est constitutum: id quod satis colligitur *ex cap. 1. de præscript. lib. 6.* quatenus postremam nostræ conclusionis partem asseuerat.

3 A iure canonico ordiendo *cap. 1. de præscript. lib. 6.* sequens controuersia iuxta conclusionem propositam dirimitur: imo, vt eadem dissoluatur, eo in capite conclusio nostra est constituta. Episcopus vnus in territorio & diœcesi alterius possidebat quasdam Ecclesias & decimas, quas ab eo repetebat Episcopus in cuius diœcesi erant sitæ. Possessor earum se defendebat obiiciendo, legitime eas se præscripsisse possessione earum integris quadraginta annis. Respondet Bonifacius 8. *Cum ius commune contra talem possessorem faciat* (eo quod *cap. omnes 16. q. 7.* ac alibi in hunc modum sit constitutum, omnes basilicæ, quæ per diuersa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum canonum regulam, vt in eius Episcopi potestate consistant, in cuius territorio positæ sunt) *non satis esse ad legitimam præscriptionem, si probet quadraginta annis eas possedisse, sed insuper esse necesse, vt vel ostendat titulum, quo illas eo tempore possedit, vel probet eas possedisse tanto tempore, de cuius initio non sit memoria.* Nam, inquit Summus Pontifex, *licet ei, qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium ius commune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides: vbi tamen est ei ius commune contrarium, vel habeatur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi, nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cuius contrarii memoria non existat.* Hactenus Bonifacius.

4 Notat optime Couar. *1. variarum resolutionum c. 17. num. 7.* non satis esse, si ius quocunque modo sit in contrarium, ad hoc vt longissimo tempore, alioquin ordinati, præscribi non possit sine titulo: sed necessarium esse ius, quod resistat ac vetet possessionem illam, atq; adeo quod spectata rei qualitate, iurisque vehementi prohibitione, arbitrio prudentis, vehemens consurgat præsumptio, possessionem vel mala fide fuisse, vel certe ex iuris ignorantia. Atque hoc sane est, quod voluisse videtur idem Couar. *reg. possess. loco disputat. 64. citato*, qua in disputatione dicebamus non satis eo in loco se explicuisse. Vnde ex eo, quod prædia suapte natura à seruitutibus sint libera, quia tamen ius non vetat seruitutes concedi in alienis prædiis valdeque consuetum est in eis constitui, possessio quidem seruitutis in alieno prædio non censetur esse contra ius commune, vt tituli probatio sit necessaria. Quia etiam, licet de iure quarta decimarum & oblationum pertineret ad Episcopum, non tamen erat prohibitum illi cedere, neque inconsuetum erat eam alteri concedere, inde est, quod *capit. de quarta de præscript.* definiatur, clericum quendam aduersus Episcopum se potuisse defendere quadragenaria illius præscriptione: eo quod non esset præsumptio vehemens, vel de possessione illius mala fide, vel ex ignorantia iuris, præsertim cum clericus ille suo prædecessori in possessione illius quartæ succesisset. Hac eadem ratione *cap. cura de iure patronat.* Alexander tertius, licet statuat, vt nullus clericus vel Monachus, ex donatione laicorum vendicare sibi præsumat Ecclesias sine autoritate & consensu Episcopi Diœcesani, vel retinere taliter acquisitas, eo quod id sit contra iuris prohibitionẽ, talisq; collatio sit irrita & inanis, addit, nisi legitima fuerit præscriptione munitus, aut Diœcesani Episcopi habuerit postea consensum: quod Glossa, & Doctores intelligunt, de præscriptione triginta annorum. Quia 1. vt Glossa ibi ait, & approbat Panormitanus, non erat vehemens præsumptio, quod ex iuris ignorantia eas Ecclesias ita possedissent, idque vel quod Prælatis videntibus & tacentibus ex præsumpto illorum consensu eas possedissent, vel quod non immediate eas ipsi de manu laicorum susceperint, sed succesissent in earum possessione, loco illorum, qui de manu laicorum illas acceperant, idcirco Alexander tertius in eo euentu admittit præscriptionem quadraginta annorum, sine titulo alioquin legitimo. At vero quoniam in pacem & bonam Ecclesiarum administrationem est constitutum, vt Ecclesiæ omnes intra territorium cuiusque Diœcesis constitutæ ad Episcopum illius Diœcesis pertineant, & vt decimæ à parochianis Clericis spiritualia ipsis administrantibus soluantur, non vero aliquibus aliis: sane, quando de legitimo titulo aliud non constat, præsumptio est vehemens possessionem Ecclesiarum, ac decimarum vnius Diœcesis, qua ab Episcopo alterius Diœcesis possidentur mala fide aut ex iuris ignorantia fuisse introductam, nisi tanto tempore fuerint possessæ, vt de initio illius non sit memoria: ea namque possessio vim tituli, iuris præsumptione habet, & malæ fidei ac iuris ignorãtiæ præsumptionem excludit.

5 Eodem modo cum iure canonico arcte sit omnibus præceptum, vt decimas soluant, sane quamuis possit, non solum clericus, sed etiam laicus præscribere exemptionem à decimis, vt Couar. *1. var. resol. c. 17. num. 10.* probat: non tamen illam breuiori tempore præscribet, quam quadraginta annorum cum titulo, vel sine titulo, tempore, de cuius initio non sit memoria, vt Couarruuias ibidem. *iuxta caput primum de præscript. lib. 6.* subiungit. Ius vero percipiendi decimas, licet ex priuilegio Sedis Apostolicę possit habere laicus, quia tamen priuilegio seclusо, incapax est possessionis talis iuris, vt ique neq, tempore, de cuius initio non sit memoria, ius illud præscriber: incapacitate ad possidendum tale ius operante, vt neque tempore, de cuius initio non sit memoria, possit præscribi. Excipe, nisi constet antecessores suos, ante tempora Concilij Lateranensis sub Alexãdro tertio, circa annum 1179. illud possedisse. Ante illa namque tempora consuetum erat concedere

6

dere laicis de Ecclesia bene meritis similia iura: eo vero in Concilio vehementer fuit prohibitū, factiq; sunt in posterum incapaces iuris illius. Lege Couar. *cap. 17. citato num. 4. & in calce num. 5.* Eodem capite bene cum aliis obseruat, aliud esse consuetudinem alicuius loci, vt non soluantur decimæ, aliud vero præscriptionem. Consuetudo namque, etiamsi sit contra ius Ecclesiasticum expressum, vim habet eo ipso, quod est quadraginta annorum, esto nullus interueniat titulus: præscriptio vero non item.

7 *Iuris patronatus præscripto aduersus Ecclesiam.*

Porro communis, cum Archidiacono, est plurimorum Doctorum sententia, quam Couarruuias *regul. possess. par. 2. §. 10. num. 2.* refert, ius patronatus licet aduersus priuatum præscribi possit tempore ordinario, vt *dispur. 70.* dictum est, aduersus Ecclesiam tamen, patrono alioquin liberam, præscribi nō posse à laico. Ratio eorum est, quoniam, inquiunt, cum ius patronatus spiritualibus sit annexum, & quasi spirituale sit, laici sunt incapaces illud possidendi aliter, quam ex priuilegio sedis Apostolicæ, aut iuris communis titulo constructionis aut dotationis talis Ecclesiæ, vt *ex cap. Sacrosancta, de electione*, & ex aliis iuribus colligitur.

Merito tamē Couar. cum Ioanne Andrea & plerisque aliis excipit, præterquam quando non est omnino certum, Ecclesiam fuisse liberam, & qui præscribere ius patronatus debent sunt parochiani ipsi: tunc enim propter probabilitatem, quæ est, ab eis fuisse constructam, & propter obsequia & onera, quæ in illius vtilitatem quotidie præstare solent, admittendum est, posse illud præscribere tempore ordinario quadraginta annorum absque titulo, ad hunc solum effectum, quod quando non constaret aperte ius patronatus ad ipsos non pertinere, non possent ab illo expelli, sed in dubio sit melior eorum conditio.

8 Quando Ecclesia est collegiata, constat *ex cap. Sacrosancta, & ex cap. Messana, de electione*, rectoris & prælati electionem non pertinere ad patronum, sed ad Capitulum, nisi patronus, qui Ecclesiam ædificauit aut dotauit, id in pactum deduxisset. fuissetque illi concessum. Quod vsque adeo verum est, vt nulla consuetudo in contrarium vim possit habere, vt habetur expresse *cap. Messana citato*, tametsi approbatio rectoris & pastoris à Capitulo electi ad patronū spectet. Quamuis autem hoc ita sit, nihilominus quoniā, vel deducendo id in pactum tempore fundationis, aut dotationis Ecclesiæ, vel priuilegio Summi Pontificis, tacitaq; vel expressa illius concessione, à principio dotationis & fundationis Ecclesiæ, aut postea temporis progressu frequēs est, patronos Ecclesiarum collegialium habere ius eligēdi, ac nominandi rectorem ac prælatū, inde est quod quando eiusmodi patroni à tempore, de cuius initio non extat memoria, sunt in possessione eligendi & nominandi rectores & prelatos Ecclesiarum collegialiū, in hoc sensu censendi sint præscripsisse illud ius, quod non valeant eo spoliari ac deiici, esto nullum alium titulum probent ac ostendant: eo quod possessio illa tanti temporis, in re in Ecclesia multis frequenterq; concessa, vim tituli præsumpti habeat, vt dictum est, consonantq; varia iura. Atq, in hoc sensu Reges Hispaniarum præscripsisse sunt censendi ius eligendi ac nominandi rectores & Episcopos cathedralium & collegialium Ecclesiarum in Hispaniis, & in cæteris prouinciis illis annexis, quas ipsi erexerunt ac dotarunt, in eodemq; sensu accipienda sunt *cap. nobis, de iure patron. & cap. generali, de electione lib. 6* quæ aperte huic fauēt sententiæ. Longe apertius illi fauet Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 9.* cuius initium sic se habet. Sicuti legitima patronatuum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est: sic etiam, vt hoc colore beneficia Ecclesiastica in seruitutem, quod à multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Vt igitur debita in omnibus ratio obseruetur, decernit Sancta Synodus, vt titulus iuris patronatus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento, & ex aliis iure requisitis ostendatur, siue etiam ex multiplicatis præsentationib. per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve. secundū iuris dispositionē. In ijs vero personis, seu communitatibus, vel vniuersitatibus, in quibus id ius plerumque ex vsurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendū verum titulum requiratur. Nec immemorabilis tēporis probatio aliter eis suffragetur, quam si, præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sunt, authenticis scripturis probētur, &c. Ecce, præscriptio temporis, de cuius initio non est memoria, admittitur in iure patronatus, absque alterius tituli probatione, præsertim si sufficienter constet de vsu illius iuris proximis quinquaginta annis. Lege, quæ in eodem capite adduntur, & *sess. 15. ca. 12. & 24. c. 18.* & longiorem de hac re disputationem apud Couar. *§. 10. citato.*

9 *Bona tanū quam maioratus qui tempore præscribantur.*

Quod ad ius ciuile attinet, in primis quoniā bona omnia, quātum est ex se, libera sunt, quemadmodū à seruituribus, ita multo magis à vinculo primogenituræ, sane ad eum qui illa tanquā primogenij bona vult possidere, probare spectat eo vinculo esse affecta: quippe cui ius ipsum, naturaq; alioquin ipsorummet resistat. Hac de causā in Regno Castellæ *l. 14. Tauri* sancitum est, *vt qui legitimum titulum ostendere non valuerit*, vnde bona, quæ tanquā maioratus possidet, possidere ve contendit, eo vinculo affecta esse constet, nō aliter ex diuina sua, suorumque antecessorum possessione cēseatur probare tale vinculum eorum bonorū, quam si consuetudinem immemorabilem, quod tanquam bona maioratus fuerint possessa, & cum qualitatib. quæ id concludant, ostendat: nempe quod, cum antecessor in illis bonis plures filios legitimos habuerit, semper primogenitus in eis integre successerit, nulla ea de causa facta compensatione aliis fratribus. Præterea testes, qui id testificaturi sunt, esse debent bonæ famæ, testificaturiq; sunt, se id ita fieri vidisse spatio quadraginta annorum, & audiuisse fieri à suis maioribus & longæuis, qui etiam ita fieri id viderunt & audierunt, neque vnquam viderunt aut audierunt contrarium eamq; esse vocem & famam publicā, communemq; opinionem inter vicinos & habitatores loci illius. Quia ergo in eo Regno, non minor probatio, quam hæc, ad id exigitur, cōstat in eo, ad præscribendum sine titulo bona aliqua tanquam maioratus in detrimentum aliorum, qui in illis succedere debebant, num sufficere minus tempus, quam de cuius initio non sit memoria, & cum qualitatibus, & probationibus explicatis.

Molina eps. nio.

Aduertit vero Molina *lib. 2. de primog. cap. 6 nu. 51.* sufficere nihilominus ad præscribendū huiusmodi primogenia possessionem quadraginta annorum cum titulo: eo quod vniuersim, quando ad præscribendum sine titulo necessaria est immemoriabilis possessio, sufficiat possessio quadraginta annorum cum titulo, vt præter caput primum *de præscr. pt. lib. 6.* colligitur aperte *ex cap cum persona, de priuil. lib. 6.* & notant ibi communiter Doctores. Eo enim in capite ad præscribendam exemptionem ab ordinario, in qua ius commune præscribenti resistit, & quę per consequens tempus immemoriabile requirit, sufficere decernitur spatium quadraginta annorum cum tali titulo, qui licet non sufficiat per se ad comprobandam plene talem exemptionē, fuerit tamen sufficiens ad præbendā causam præscribendi. Idem etiam colligitur *ex l. 1. tit. 10. lib 5. nouæ collectionis legum Castellæ.* Cum enim *l. 1. titulo 19. lib. 4* eiusdem collectionis statuatur, ad præscribendum in eo Regno

quo sine titulo iurisdictionem ciuilem, & criminalé in oppido aliquo, necessarium esse tempus, de cuius initio non sit memoria: in illa alia lege sanctum fuisse sufficere cũ titulo, clausulaue generali, quæ id suo modo significet, spatium quadraginta annorum sine vlla interruptione. Hanc tamẽ doctrinam solum existimo esse veram, quando titulus non continet apertum defectum, qui illum reddat nullum & inualidum, sed res cum minimum manet dubia: tunc n. in eo sensu is, qui cum eo titulo possedit, præscripsisse est censendus, quod necesse non erit amplius titulum illum & causam examinare. Atq; hoc solum est, quod colligitur ex illis iuribus. Nec video cur in maioratibus ad præscribendum cum eiusmodi titulo non sit satis tempus ordinarium decẽ annorum inter præsentes, & v ginti inter absentes. Etenim si *c. personæ citato* tempus quadraginta annorum exigitur. id sane fuit, quia illud est ordinariũ ad præscribendum aduersus Ecclesias. Lege etiam illa Castellæ citata, si ad præscribendum cum illo titulo tẽpus etiã quadraginta annorum requiritur, id ex eo constitutum fuit quod præscriptio illa sit aduersus coronam Regni, posseturque iure optimo constitui tempus centum annorum, eo quod, vt *disputatione præcedente, conclusione quarta* ostensum est, aduersus Regni coronam non minori tempore, quam centum annorum, præscribatur: ex quadam tamen æquitate constitutum est solum tempus quadraginta annorum, propterea quod titulus ille tam aperte videretur, vt fere nihil amplius ad plenam probationem desiderari posse videretur. At vero bona maioratuum, de quibus modo loquimur, solum præscribuntur aduersus priuatos, qui hæreditario iure in illis succedere debebant, aduersus quos cum titulo, satis est spatium decem aut viginti annorum, & sine titulo satis esset spatium triginta annorum, nisi in contrarium esset illa iuris resistentia, malæq; proinde fidei præsumptio. Docet autem optime Couar. *regul. possess. par. 2. §. 3.* quando, quod ius resistat, necessaria est sine titulo præscriptio, de cuius initio non est memoria, cum titulo sufficere tempus alioqui ordinarium: vt aduersus Ecclesiam inferiorem ad Romanã, quadraginta annorum: aduersus Romanam autem ciuitatem, aut coronam Regni, centum annorum: consonantq; satis *cap. 1. de præscript. lib. 6.* & alia iura. Hæc quoad bona maioratuum, qui à priuatis constituuntur.

Quando vera.

Quando falsum.

Quoniam, vt tractatu quinto ostendimus, iurisdictio tota Reipublicæ ac Regni, tam ciuilis, quam criminalis, in Lusitaniæ & Castellæ Regnis penes Regem est, ab eoque in omnes alios deriuatur, & idem regulariter esse solet in aliis regnis: inde est, quod nisi contrarium probetur, de quacunque iurisdictione in particulari, multo magis præsumendum sit ad Regem pertinere, & non ad priuatos, quã de quibuscunque bonis præsumendum sit libera esse à vinculo primogenij, nisi contrarium probetur. Hinc est, quod ad quemcunque priuatum, qui iurisdictionem quamcunque ad se pertinere contendat, probare id spectet, & nisi sufficiẽter probet, succumbet: eo quod à parte Regis pugnet præsumptio, quod sua ea sit, vt affirmat communis Doctorum sententia, quos Couar. *de practicis quæstionib. cap. 1. & 4.* & Aluarus Valascus *de iure emphyt. q. 8. à n. 20.* referunt ac sequuntur. Inde etiam est, quod ad præscribendum eiusmodi iurisdictionem sine titulo, non minus tempus sufficiat, quam de cuius initio nulla exter memoria: eo quod præsumptio, ipsumq; ius resistat, vt Doctores, quos Couar. *regul. possess. par. 2. §. 3* refert ac sequitur, asseuerant. Quia vero præscriptio esse debet aduersus Regem, Regniq; coronam, aduersus quam non minori tempore, quam centum annorum, etiam cum titulo præscribitur, inde est, quod eiusmodi iurisdictio cum titulo non breuiori, quam centum annorũ, tempore præscribatur. Id quod affirmat Couar. §. 3. *citato de iurisdictione criminali*: de ciuili vero videtur asseuerare, satis esse spatium 40. annorum cum titulo. De vtraq; tamen puto veram esse nostram assertionem; cum vtrobiq; sit par ratio. Neque exceptio *ex l. 1. tit. 10. li. 5. nouæ collect. legum Castellæ*. paulo antea relata quicquam obstat. Tum quod, vt paulo antea dictum est, id ex rationabili causa, in eo solum euentu, de quo ibi erat sermo, constitutum est. Tum etiã, quoniam ibi non solum est sermo de iurisdictione ciuili, sed etiam de criminali, ac mero imperio, vt legem illam expendenti erit manifestum.

Illud etiam obserue, cum ad commune Reipubl. bonum spectet coronam Regni nõ minui, Regisq; iurisdictionem ac potentiam integras manere: præscriptio vero non maiores vires habeat, quam legibus ciuilibus pro principis arbitrio, vt expedire iudicauerit, concedatur, sæpe in Rebuspubl. merito statui, vt multa, quæ in Reipubl. & coronæ Regni detrimentum vergere poterant, nullo tempore, etiam de cuius initio non sit memoria, præscribantur.

Cæterum cum tam meri, quam mixti imperij, multi sint gradus, vt *tractatu 5.* explicabitur, ea, quæ ad primum gradum, non solum meri, sed etiam mixti imperij spectant, nulli censentur concessa, nisi nominatim & expresse eorum aliquod concedatur, idque etiamsi clausula aliqua vniuersalis apponatur, qua dicatur concedi omne merũ & mixtum imperium loci alicuius, ea enim clausula solum intelligitur de omni mero & mixto imperio inferiorum graduum. Ad primum vero & supremum gradum meri imperij secularis spectat potestas condẽdi leges, quæ totam Remp. obligent, potestas monetam proprio nomine cudendi, potestas quod ad ipsum vltimo appelletur, potestas tributa imponẽdi, potestas tabelliones & alios ministros publicos instituendi de nouo: secus autem eos eligendi, aut præsentandi, vel creandi loco defunctorum, aut alia ratione amatorum. Quod vero ad tabellones attinet, vide in hoc Regno, quæ *lib. 2. Ord. t. 1. 26. à §. 20. vsq; ad 28.* constituuntur. Item pertinet potestas veniam concedendi ætatis minoribus, potestas legitimandi illegitimum, potestas restituendi infami suã famam atque statum pristinũ, potestas remittendi pœnam delicti, quando nõ est pars læsa, quæ accusset, potestas cõcedendi, vt in causa aliqua procedatur appellatione postposita potestas concedendi vt cognoscatur de causa, quæ in rem iudicatam trãsiit, & reuocandi sententiam, quæ transiit in rem iudicatam, & si quid aliud est simile.

Communis est Doctorum sententia, quam Couar. *regul. possess. part. 2. §. 3.* refert ac sequitur, præscribi posse iurisdictionem aduersus principem, non solũ ciuilem, sed etiam criminalem ad merum & mixtum imperium in gradibus supremo inferioribus spectantem, atque adeo præscribi posse iurisdictionem criminalem puniendi malefactores vltimo supplicio, aliisque inferioribus. Atque cum clausula vniuersali totum merum & mixtum imperium alicuius ciuitatis, aut alterius oppidi cuipiã conceditur, supremum, quod ea clausula censetur ei concessum, est, posse punire mortis supplicio, idque nomine meri imperij, vt cum Bartolo *tractatu 5* dicemus, solet interdum solum significari: tametsi merum imperium multa alia comprehendat.

Aliqua etiam ex iis, quæ ad supremum gradum meri & mixti imperii pertinent, vt ius tabelliones instituendi, ius vectigalia indicendi, ius legitimandi illegitimos & quæ his sunt similia, posse præscribi aduersus principem, affirmat communis Doctorum sententia, quam Couar. *reg. possess p. 2. nu. 8.* refert ac sequitur. Vt enim hæc, licet raro & paucis, concedi tamen interdum solent: sic etiam præscribi aduersus principẽ possunt. Potestas vero condendi leges, quæ totam Rempublicam obligent, & vt

vlti-

vltimo ad aliquem appelletur, quemadmodum nulli vnquam subditorum conceduntur: ita neque præscribi possunt. His affinia sunt valde, potestas cudendi proprio nomine monetam, potestas concedendi, vt appellatione postposita procedatur, & vt cognoscatur de causa, aut reuocetur sententia, quæ in rem transiuit iudicatam.

16 Ad præscribendū aduersum Principem, regnive coronam, aliquid horum omnium, quæ ad iurisdictionem ciuilem, aut criminalē, merumve aut mixtum imperium, in quocunque gradu spectant, necessarium est sine titulo tempus de cuius initio non sit memoria, & cum titulo centum annorum tempus, iuxta ea, quæ hactenus dicta sunt, tametsi non desint, qui velint sufficere cum titulo tempus quadraginta annorum, quorum opinio propter ea, quę supra dicta sunt, nobis non placet. In præscriptione autem temporis, quod omnē excedit memoriam, non reputo necessarium probare scientiam & patientiā eius, aduersus quem præscribitur, quicquid multi in contrarium dicāt. Quoniam in ea præscriptione titulus præsumitur, & à principio interuenisse necessaria ad possessionem, siue id fuerit scientia & patientia vsus iuris, quod præscribitur, ex parte eius, aduersus quem præscribitur, siue actus corporalis, quo possessio talis iuris sit apprehensa, neq; ad continuandam postea possessionem, necessaria est scientia ex parte illius, aduersus quem præscribitur.

17 Dictum est, ad præscribendū aduersus principem Regnive coronam: quoniā aduersus priuatum, cum ius non resistat, neq; præsumptio sit, quod ad vnum priuatorum magis, quam ad alium, ea iurisdictio spectet, neque quisquam priuatorum priuilegium longioris temporis habeat, sane satis erit cum titulo tempus decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, atque triginta annorum sine titulo. Ita Couar. cum aliis quos refert §. 3. *citato, & de practicis quæstionibus cap.* 4.

Consentit cum his omnibus ius Castellæ *lib.* 4. *nouæ collectionis tit.* 15. *l.* 1. ab Alfonso 11. lata, & à Philippo 2. Rege nostro Catholico anno 1566. innouata, qua in hunc modum sancitum est. *Porque algunos en nuestros Reinos tienen y poseen algunas ciuidades, villas, y lugares, y iurisdictiones, ciuiles y criminales, sin tener para ello titulo nuestro, ni de los Reyes nuestros antecessores, y se ha dudado, si lo susodicho se puedo aquirir contra nos, y nuestra corona, por algun tiempo: ordenamos y mandamos, que la possession immemorial, probandose segun, y como, y con las circumstantias que la ley de Toro quiere, que es la l.* 1. *tit.* 7. *lib.* 5. *deste libro, baste para aquirir contra nos, y nuestros successores, qualquier ciudades, villas y lugares, y iurisdictiones ciuiles y criminales, y qualquiera cosa, y parte dello, con las cosas a el pertenecientes. Con anto que el dicho tiempo de la prescrition no sea interrumpido ni destaiado por nos, o por nuestro mandado o otros en nuestro nombre, natural o ciuilmente.*

18 In hoc autem Regno *lib.* 2. *Ordinat. tit.* 26. explicatur quousque vnusquisque Regi inferiorum vti possit iurisdictione sibi concessa, & quonam pacto intelligendæ, ac limitandæ sint donationes iurisdictionis aliquibus factę. Præterea §. 15. & 52. statuitur, vt iurisdictio nullo tempore, etiam de cuius initio non sit memoria, præscribatur aduersus Regem, neque quisquā plus iurisdictionis possit obtinere, vel ciuilis, vel criminalis, quā donatione Regis expressa fuerit illi concessum, aut sententia supremi Senatus, quæ in rem iudicatam tranierit, illi fuerit adiudicatum, omnisq; alia iurisdictionis possessio censetur nulla, inualida ac reprobata ad vllo tempore præscribendum. Lege Aluarum Valascum *q.* 8. *citata à num.* 21.

19 Cum tributa in Reipublicæ subsidium, ad onera-que illius portanda à subditis soluantur, sane nō minor est præsumptio omnia principi deberi, ad eum-

A que solum pertinere, quam iurisdictionem ciuilem & criminalem. Quo fit, vt nisi priuati sufficienter probent aliqua principis donatione, aut alia ratione ad se pertinere, princeps circa ea fundatam habeat suam intentionem, illique sine continuo adiudicanda. Stando vero in solo iure communi, sine titulo, non minori tempore aduersus principem Regniq; coronam præscribentur, quam de cuius initio non sit memoria, vt de iurisdictione ciuili & criminali dictum est: idque quando aliunde non constaret semper mala fide fuisse possessa: quando namque de mala fide constaret, nihilve impediente tempore de cuius initio non sit memoria, vehemens præsumptio, aut fama esset semper sine iusto titulo, malaque fide fuisse possessa, profecto nullo vnquam tempore præscriberentur. Consentiunt Ordinationes huius Lusitaniæ Regni *lib.* 2. *tit.* 45. §. 1. cum statuant, tempore, de cuius initio non sit memoria præscribi eiusmodi tributa, principi alioquin debita. Item eodem §. *iunctis* §§. *seqq.* quatenus statuunt, quando vehemens est præsumptio malæ fidei, nihil tempore, de cuius initio non sit memoria, impediente, præscribi nullo modo posse. Exemplumque ibi adhibetur. Quando in exigendis tributis transgressi sunt limites eius codicis publica autoritate conscripti, in quo continetur, quæ tributa in vnoquoque oppido, & à quibus exigenda sunt, quem ordinationes *foral* appellant. Lege etiam §. *pen. eiusdem tituli*, quæ nullo vnquam tempore præscribi possint, neque concessa censeātur, esto generalibus exuberantibusq; clausulis inter ea, quæ concedun-tur, comprehendi videantur. Cum titulo autem vult Couar. *reg. possessor, par.* 2. §. 4. & alij quos citat, præscribi tributa aduersus Regni coronam spatio quadraginta annorum, iuxta *cap.* 1. *de præscript. lib.* 6. Cæterum, persistendo in fundamentis supra iactis, dicendum est, aduersus coronam Regni cum titulo non minori tempore præscribi, quam centum annorum, eo quod hoc sit ordinariū tempus præscribendi aduersus coronam Regni: sicut tempus quadraginta annorum est ordinarium præscribēdi aduersus Ecclesias priuatas, de qua sola præscriptione sermo erat *capit.* 1. *de præscript. lib.* 6.

In Regno Castellæ *lib.* 1. *tit.* 15. *lib.* 4. *nouæ collectio.* quam Elisabet & Ferdinandus Reges Catholici tulerunt, & postea nepos eorum Carolus V. & pronepos Philippus II. innouarunt, peculiariter sancitum est, vt ea tributa (quę in eo Regno *Alcaualas* vocant) quę tempore seditionum Henrici IV. Elisabelis fratris, nec non seditionum tempore ipsius Elisabelis, quidam vsurparunt, nullo vnquam tempore, etiam de cuius initio non sit memoria, possint præscribi, nihil obstante scientia, & patientia principum, sed interrupta censeatur eorum possessio & fides, & reddita nulla omnino ad eiusmodi tributa vllo vnquam tempore præscribenda. Quo fit, vt tributa, de quibus ea lege est sermo, nullo vnquam tempore possint præscribi.

Comparatione subditorum qui tributa soluunt, quando illa non sunt de eorum numero, quę ab omnibus Regi solui consueuerunt, sed alia superadita, quę in Regno Castellæ impositiones communi nomine appellantur, sane, cum præsumptio sit potius per vim & metum, & denique inuoluntarie mixte à ducibus, marchionibus, comitibus, & aliis nobilibus extorta esse à suis subditis, quos vasallos vocant, quam subditos ex sua liberalitate, spontaneove ac iusto titulo ea cœpisse soluere, dicendum est, non minori tempore ius illa recipiendi præscribi absque titulo aduersus subditos, quam de cuius initio non sit memoria. Idque quando alioquin fama & indicia vrgentia non sunt, fuisse per iniuriam & iniustitiam extorta: eo namque dato, neque tempore, de cuius initio non est memoria, præscribentur: quippe

cum

cum malæ fidei possessor vllo tempore nõ præscri- A bat. Hoc totum, præterquam quod ex se & ex hactenus dictis est manifestum, colligitur aperte *ex cap. super quibusdam. §. præterea. de Verbor. significatione, & ex cap. quod latenter, de reg. iuris*, & affirmant id Panormitanus, Ioannes Andreas, Hostiensis, & alij *reg. quod latenter citata*, & alij, quos Couar. *reg. possessor, par. 2 §. 4.* refert ac sequitur.

Consentit *l. 7. tit. 15. lib. 4. nouæ collectionis* à Carolo V. ea de re lata: sic enim habet: *Mandamos, que todos aquellos, que por tiempo y espacio de quarenta annos han estado en possession de llevar algunas imposiciones, no sean qui tados ni priuados de la dicha possession por nuevas de imposiciones, ni por otros algunos. Saluo que sobre la propriedad se haga justitia a los que pretendieren tenella. Y en quanto a el derecho de la propriedad declaramos y queremos, que los señores que han llevado de sus vassallos algunas cosas, o otras personas prouaren la immemorial costumbre, por la manera y con las qualidades y circumstantias que por derecho y leyes destos Reinos se deuen probar, sea auida en lugar de titulo bastante.* Hanc tamen legem intelligo, quando non est fama, nec sunt vehementia alia indicia iniuste id à principio fuisse extortum.

23 In hoc autem regno sub grauibus pœnis prohibetur similia tributa à subditis exigi & accipi *lib. 2. Ord. tit. 26. §. 40. & 41. & tit. 45. §. 4.* Consentiunt nihilominus *Ordinationes titulo illo 48.* cum ijs, quę dicta sunt, quatenus statuunt, vt tempore, de cuius initio non sit memoria, præscribantur eiusmodi augmenta tributorum, quando ex circumstantiis, quæ ibi exprimuntur, non est vehemens præsumptio, iniuste & cum mala fide fuisse extorta. Libro tamen C *4. Ord. tit. 67. §.* Egeiramente statuitur, vt ex locis, quæ à iudicibus ad id constitutis dantur ad culturam (*dehesmeria* in hoc Regno vocant) nullum exigi possit tributũ, si antea locus ille à tributo erat exemptus. Quod si exemptus non erat, vt nullum posset addi tributum, idque in fauorem culturæ talium locorum, & esto exigatur, aut addatur, vt nullo tempore, etiam de cuius initio memoria non extet, possit præscribi.

24 Eiusmodi tamen impositiones, de quibus loquimur, credo præscriberentur aduersus subditos spacio decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes cum titulo tali, qui bonam fidem prudentis arbitrio argueret ex parte domini. Neque in hoc euentu arbitror necessarium esse spatium quadraginta annorum cum titulo, quicquid Couarr. D morus *ex cap. 1. de præscriptione lib. 6.* in contrarium dicat. Ratio est, quoniam quando cessat malæ fidei præsumptio ex parte præscribentis, vt in casu, de quo disputamus, cessat manifeste, sane tempus sufficiens ad præscribendum cum titulo aduersus priuatos, quales sunt subditi comparatione dominorum, est decem aut viginti annorum. Hinc dico ad præscribendos quoscunque alios annuos reditus, de quibus, attentis circumstantiis concurrentibus, præsumptio grauis non sit de possessione malæ fidei, satis esse spatium triginta annorum sine titulo, vt *dixi par. 7. o.* dictum est.

SVMMARIVM.

1 *Centenaria præscriptio immemorialis non est.*
2 *Immemorialis possessio magis priuilegiata est, quam centenaria. & in quo priuilegia eius consistant.*
3 *Et si constet, possessionem post longissima tempora ducentorum aut sexcentorum annorum cœpisse, non tamen ob id desinit esse immemorialis.*
4 *Centenaria possessio quomodo probetur.*
6 *Requisita a lege Tauri ad probationem possessionis aut consuetudinis immemorialis.*

PRÆSCRIPTIO TEMPORIS DE CVIus initio non est memoria, & centenaria, in quo differant: & quomodo vtraque probetur.

DISPVTATIO 76.

PRæcedens disputatio hanc in sui complementum exigit. Prætermissis vero aliis opinionibus (quas, si placet, lege apud Couar. *regul. possess. p. 2 §. 3. a num. 6.* & apud Ludouicum Molinam *lib. 2. de primog. c. 6. a nu. 43.* Centenaria præscriptio immemorialis non est: quocirca probata cẽtenaria possessione, probata non censebitur immemorialis præscri- B ptio, si de initio talis centenarię possessionis constet: semperque, iuris saltem præsumptione, possessio de cuius initio non extat memoria, excedere censetur centum annos, adeo vt si de possessione aliqua constet initium habuisse infra centũ annos, licet ignoretur quo tempore cœperit, non censeatur præscriptio, de cuius initio non sit memoria. Hac de causa 2 immemoriabilis præscriptio magis priuilegiata est in iure, quam centenaria: quando namque præsumptio iuris est in contrarium, in centenaria præscriptione titulus est necessarius, in immemoriabili nõ itẽ, quin potius eo ipso, quod immemoriabilis possessio, pbatur, titulus interuenisse præsumitur, probatusq; reputatur, ac censetur, non solum vim, metum, & malam fidem abfuisse, verum etiã ea omnia interuenisse, quæ ad legitimam possessionem sunt necessaria, quando aliunde iis contrarium non constat, vt disputatione præcedẽte dictum est. Vnde bene probat Couar. *§. 3. citato n. 9.* præscriptionem immemoriabilem semper sufficere ad præscribẽdum aduersus Romanã Ecclesiam, aduersus quam tempus centum annorum est necessarium: & eadem ratione ad præscribendum aduersus coronam Regni.

Illud vero animaduertendum est, ex eo, quod 3 constet, possessionem aliquam cœpisse post longissima quædam tempora, vt 200. 600. aut 1000. annorum, non tolli quod sit immemoriabilis, modo initium illius memoriam fugiat, qui modo sunt, etiam ex auditu & traditione suorum antecessorum, excedat. Constat namq; maioratus omnes, aut fere omnes Hispaniarum cœpisse post tempora Principis Pelagij, qui Hispanias à Saracenis primus cœpit vendicare. Constat item impositiones, quas multi nobiles à suis subditis accipiunt, longe minoris esse temporis, & nihilominus plures eorum maioratuũ, earumq; impositionem cœpisse à tempore, de cuius initio non extat memoria, constat, vt iura, quę præcedente disputatione citauimus, præsupponunt.

Centenaria possessio licet difficile probetur, pro- 4 *Centenaria p ssessio quomodo probetur.*
baritamen potest. In primis, publico instrumento, ex quo de possessione à tempore centum annorum, vel ante centum annos comparata constet. Deinde, testibus, quorum testimonium, vel præteritis tẽporibus ante illorum mortẽ ad rei perpetuam memoriam iuxta caput: quoniam frequenter, vt lite non E contestata, fuerit iuridice exceptum, vel qui de integro centum annorum spatio testificentur, si illorum ætas totum illud spatium octo aut decem annos excedat, eaq; de re illi sufficienter recordentur. Neque enim, vt eorum testimonium ea de re sit legitimum, necesse est vt quãdo id accidit, illi ad pubertatis annos deuenerint. Etenim licet in teste necessariũ sit, vt, quo tempore testificatur, annos pubertatis excedat, non tamen requiritur vt tempore, de quo testificatur, eosdẽ pubertatis annos excesserit, nisi quando id peculiariter in iure est sancitum, vt circa testamenta. *§. testes, iuncta glossa ibi. Instit. de testament.* constitutum est. Hos modos probandi centenariam possessionem tradunt, lateque ostendunt Panorm.

cap. cum

c. cum nobis de præscript. nume. 5. & 6. Couar. §. 3. *citato*, *n.* 8. & Molina *c. 6. citato à n.* 4.

Possessio immemoriabilis quomodo probetur.

Possessio immemoriabilis, iuxta gloss. vltimam *1. de præscript. lib. 6.* & Doctores, quos Couar. §. 3. *citato* refert ac sequitur, probatur per testes, qui testificentur se semper id audiuisse & vidisse, neq; vnquã audiuisse aut vidisse contrarium, eamque esse & fuisse semper communem opinionem & famam suorum maiorum, & neque extare, neque extitisse apud suos maiores memoriam de contrario, aut de initio illius possessionis. *Lex Tauri* 41. secuta expositionem Lapi ad eam glossam & multorum aliorum Doctorum, quos Couar. §. *citato nume.* 7. refert ac sequitur, addit, testes eius debere esse ætatis vt testificentur se spatio quadraginta annorum id vidisse & audiuisse. Vnde difficile probatur possessio, aut cõsuetudo, de cuius initio non sit memoria. Porro, B quicquid nonnulli in contrarium dixerint, necesse non est, vt testes quando id testificantur, ætatis sint quinquaginta quatuor annorum, quasi tempore, de quo testificantur, annos pubertatis attigerint, sed iuxta ea, quæ paulo antea dicta sunt, satis est si quadraginta octo, aut quinquaginta sint annorum.

Quasdam autẽ alias conditiones statuit lex Tauri necessarias, vt sufficienter probata censeatur possessio, aut consuetudo immemoriabilis vt disputatione præcedente retulimus. Couar. *nu. 7. citato* ait, in praxi, non obstante Taurina constitutione, fæpissime admitti opinionem glossæ, vt eam Lapus intelligit absque aliis solemnitatibus, quas lex Tauri addit. Molina *cap. 6. citato num.* 32. refragatur, affirmatque non solum in casu illius legis, & in casu. *l. 1. tit. 15. lib. 4. nouæ collect.* quem disp. præcedente retulimus, omnes illas conditiones esse seruandas, vt expresse duæ illæ leges statuunt, sed etiam, ex paritate rationis, in omnibus aliis cuentibus, in quibus in eo Regno possessio, aut consuetudo immemoriabilis fit probanda. At præterea, se semper vidisse eas rite seruari: tametsi subiungat, non esse scrupulose seruãdas: eo quod, vt Bartolus & alii docent, quod omissio modicæ solemnitatis non soleat vitiare actũ. Dicendum arbitror, neque extra Castellæ Regnum eas conditiones esse seruandas, neque in eo Regno extra casus legibus illis expressos: eo quod leges illæ à iure communi exorbitent, solumque in illis casibus id peculiariter disponant, neque interuenientib. illis circunstantiis vim vllam habeat argumentum à paritate rationis in iis, quæ sunt iuris meri positiui. Atque hoc solũ est, quod voluisse videtur Couarr. *loco citato*. Porro conditiones legis Tauri late & bene explicat Molina *loco citato à num.* 29.

SVMMARIVM.

1 *Lex ciuilis consuetudine decem annorum præscribitur.*
2 *Canonica vero quadraginta annis.*
3 *Consuetudo de re Ecclesiastica ac spirituali, quæ præter legem canonicam est, obligat post decem annos.*
4 *Consuetudo, quæ iure Ecclesiarum præiudicatur, quo tempore præscribi possit.*
5 *Si lex canonica vel ciuilis quid statuat, vt aduersus illud vel omnino præscribatur, vel nisi certo tempore tunc non præscribitur, aut saltem nisi expleto tempore.*

DE TEMPORE AD PRÆSCRIBENDUM aduersus leges necessario.

DISPVTATIO. 77.

QVamuis de consuetudinibus, & quanto tempore eis aduersus leges præscribatur *n. 2.* in materia de legibus fusius sit agendum: paucis tamẽ hoc loco, cum Panormitano, *capit vltimo de consuetudinibus num.* 11. & cum plerisque aliis dicendum est,

Aduersus ciuilem legem præscribi consuetudine decem annorum, hoc est, legem ciuilem vim suã amittere vbi consuetudo in contrarium decem annis viget. 1

Aduersus legem vero Canonicam præscribi cõsuetudine quadraginta annorum. 2

Consuetudo tamen de re Ecclesiastica ac spirituali, quæ est præter legem Canonicam, vim obligandi habet post decem annos. Vt si consuetudo alicuius loci sit, vt die aliquo quasi ex obligatione ieiunetur, aut vt dies aliquis in honorem alicuius Sancti quasi de obligatione seruetur, talis consuetudo obligare incipit post decem annos à tempore, quo introduci cœpit. 3

Consuetudo, qua iuri alicuius Ecclesiæ præiudicatur, esse debet quadraginta annorum, vt tali Ecclesiæ præiudicium inferat, quippe cum, vt supra dictum est, aduersus particularem Ecclesiam nõ præscribatur nisi spatio quadraginta annorum. Eadem ratione si consuetudo sit, quæ in aliquo præiudicet, non dico legibus à Summo Pontifice aut principib. secularibus latis, sed Ecclesiæ Romanæ, aut coronæ Regni, non minori tempore vim aduersus Ecclesiam Romanam, aut Regni coronam habebit, quam centum annorum: aut, si ius resistat, vt regulariter resistet, non minori tempore vim habebit, quam de cuius initio non sit memoria, siue id consuetudo, siue præscriptio appellandum sit. 4

Si lex aliqua, siue canonica siue ciuilis, statuat aliquid, adiiciatque, vt aduersus illud, vel omnino nõ præscribatur, vel nõ nisi tempore quadraginta, centum annorum, aut de cuius initio non sit memoria, vel quouis alio annorum spatio, tunc aduersus talem, legem, vel omnino non præscribetur, vel non nisi tempore, quo lex statuerit: idque esto interueniat bona fides & titulus, vt constat *ex l. vbi lex. ff. de vsucap.* Ratio est, quoniam præscriptio ex principum arbitrio & beneplacito pendet. 5

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio bifariam dicitur non currere.*
2 *Requisita ad præscriptionem cum titulo & sine titulo.*
3 *Causa sufficiens vt præscriptio cesset, dormiat, vel interrumpatur, sufficit quoque, ne currere incipiat si ante illius inceptionem adueniat.*
4 *Non quicquid impedit, ne præscriptio incipiat, impedit posteà ne continuetur.*
5 *Debita tantum prbscribi incipiunt à die quæ erant soluenda & debitor est in mora.*
6 *In iis quæ non vsu præscribuntur incipit demum præscriptio à tempore quo non vsus interuenit.*
7 *Præscriptio quando cessat seu dormit aduersus ecclesiam, Imperatorem, coronam regni & pupillum.*
8 *Præscriptionem non dormire aut cessare in bonis aduentitiis filij quorum pater habet vsumfructum nec etiã in fundo dotali.*
9 *Tempore hostilitatis dormit præscriptio & quid de tempore pestis.*
10 *Naturalis præscriptionis interemptio quæ.*
11 *Ciuilis quæ.*
12 *Triennalis præscriptio non interrumpitur litis contestatione.*
13 *Præscriptio longi temporis cum titulo interrumpitur litis contestatione non vero citatione: idem in possessione longissimi temporis cum bona fide & absque titulo.*
14 *Vt litis contestatione præscriptio interrumpatur opus est vt fiat coram iudice competente: præterea vt actor in causa obtineat, sed an necesse quod contestatio facta sit animo litem prosequendi, disputatur.*

15 *Præscriptio quæ cum scientia quod aliquid debeatur peragitur, quæque in odium non petentis introducta est, interrumpitur sola citatione: item per traditionem pignoris aut per exhibitionem nouæ cautionis.*

16 *Si præscriptio per litis contestationem aut citationem interrumpi nequierit, quibus modis interrumpi possit.*

17 *Ius Castellæ circa interruptionem præscriptionis.*

18 *An hodie aduersus ecclesiam Romanam præscribi possit non obstante bulla cœnæ domini quo quotannis excommunicantur occupantes ac retinentes res ecclesiæ Romanæ.*

19 *Interrupta præscriptione actionis realis, vel personalis, per litis contestationem quo tempore demum præscribi possit.*

20 *Quid de iure Lusitaniæ circa prædicta obtineat.*

21 *Quando præscriptio naturaliter interrumpitur, illa interruptio locum habet quoad omnes, at ciuilis interruptio interrumpentem tantum concernit.*

22 *Præscriptio semel interrupta, an iterum possit incipere.*

23 *Tempora præscriptionis in possessores continuantur.*

PRÆSCRIPTIO QVANDO NON currat, quia non incipit, quando cessat seu dormiat, quando interrumpatur, & quando perpetuetur, seu prorogetur.

DISPVTATIO 78.

EXplicatis conditionibus ad præscribendum necessariis, hac disputatione examinabimus, quæ sunt proposita: & duabus sequentibus dicemus quæ præscribi non possint, & quibus aduersus præscriptionem subueniatur.

Præscriptio interdum dicitur à Doctoribus non currere, quia nondum tẽpus illius incepit. Interdũ vero dicitur non currere, quia ea, quæ iam incepit, cessat & quasi dormit, ita vt, deducto tempore, in quo cessare aut dormire dicitur, tempus præteritũ à puncto, in quo incepit, continuari & cõputari possit cum tempore, quod sequitur postquam dormire definit, ad constituendum ex vtroque vnum integrum tempus ad præscribendum necessarium. Interdũ autem ea præscriptio, quæ incepit, dicitur interrumpi, quia tempus præscriptionis præteritũ extinguitur, ineptumque omnino iudicatur ad præscriptionem, ita vt si in posterum fit præscribendũ, necesse sit incipere & percurrere denuo totum tempus ad præscribendum requisitum.

Vt tempus eius præscriptionis, in qua titulus non
2 est necessarius, currat, seu incipiat, requiritur possessio & bona fides in sensu in superioribus explicato. Vt vero currat seu incipiat tempus præscriptionis, in qua titulus est necessarius, præter possessionẽ & bonam fidẽ, opus est, vt interueniat etiam titulus. Quare cum aliquando vna & eadem res possit longiori tempore præscribi sine titulo, & breuiori cum titulo, vt res mobilis triennio sine titulo præscribitur aduersus priuatum, & decennio cum titulo, si sit præsens, aut viceunio si sit absens, consequens profecto est, vt interdũ possit incipere longior eiusdem rei præscriptio sine titulo, nondum currere incipiẽte breuiori cum titulo eo quod plures conditiones ad hanc, quam ad illam, sint necessariæ.

Illud est obseruandum, ea omnia, quæ dicemus
3 esse causam sufficientem, vel vt præscriptio cesset ac dormiat, vel vt interrumpatur, esse etiam causam sufficientem, ne currere incipiat, si ante illius incep-

A ptionem aduenient. Neque enim minus requiritur, vt tempus præscriptionis incipiat, quam vt continuetur, postquã incepit. E contrario, non quicquid impediret, ne præscriptio inciperet, impedit postea ne continuetur. Esse namque aliquem filiumfamilias, vsque adeo impedit præscriptionem in bonis illius aduentitijs, quorum pater habet vsumfructum, vt interim dum sub patria est potestate, nulla præscriptio incipere possit aduersus eum, vt patet *l. 1. §. vlt. C. de annali exceptione, & l. 1. C. de bonis materni.* Quin potius, si pater quocunque titulo alienet quodcunq; illorũ bonorũ, solum, postquã filius patriam potestatem fuerit egressus, currere incipiet aduersus illum præscriptio triginta annorum rei ita alienatæ & nulla alia minor, vt habetur *in authentica nisi tricennale. C. de bonis materni.* Sitamen præ-
B scriptio bonorum aduentitiorum talis filij incepisset, antequam bona illa ad talem filium pertinere cœpissent non cessat, neque dormire incipit ex eo, quod ad talem filium pertinere incipiant, vt disputatione sequenti ostendemus. Similiter fundum aliquem esse dotalem, impediret omnino ne inciperet præscriptio illius aduersus vxorem, cuius esset, vt cõstat *ex l. sit rebus. C. de iure dotium*: si tamen præscriptio illius incepisset antequam talis fundus esset dotalis, ex eo, quod fundus esset effectus dotalis, non impediretur neque dormiret præscriptio. Idem est de quacunque alia re simpliciter alienari prohibita, vt disputatione sequenti ostendetur. Præterea, vt præscriptio currere incipiat, necesse est, vt res neque simpliciter sit prohibita præscribi, neque etiam comparatione eius aduersus quẽ erat præscribenda.
C Eo namq; ipso, quod res quæcunque lege aliqua est prohibita præscribi, quantumcunque adsit bona fides in possidente, imo & titulus alioquin habilis, incipere non potest præscriptio, lege id vetante ac impediente, vt habetur *l. vlt. lex ff. de vsucap.*

In debitis præscribendis præscriptio non incipit currere, nisi à die, qua iam erant soluenda, & debitor est in mora, iuxta ea quæ *disp. 69.* de hypotheca dicta sunt, & habetur expresse *l. cum notissimi §. illud autem C. de præscript. triginta ann. & lib. 4. Ord. sit. 8o. in principio.*

In iis etiam, quæ præscribuntur per hoc quod alius iure suo non vtatur, præscriptio incipit à die, qua incepit non vti tali iure, cum posset. Quod si intermedio tempore à puncto, in quo non vti incepit, vs-
D que ad punctum in quo complenda erat præscriptio, iure suo vtatur, interrumpitur omnino talis præscriptio, ita vt, si in posterum fit præscribendũ, computari debeat tempus à puncto, à quo, post talem vsum, iterum non vti incepit, cum posset.

Præscriptio cessat, seu dormit, aduersus Ecclesiã
7 quidem, quando vacat & caret prælato, aut habet illum, sed inutilem ad agendũ, quia excommunicatum, suspensum, captiuum, aut quouis alio modo impeditum, ac impotentem. Tempus enim illud totum computandum non est ad constituendum tẽpus integrum ad præscriptionem necessarium, *cap. 1. & cap. auditis. de præscri.* Addit *cap. 1. num. 3.* Panormitanus cum Bartolo, idem esse in præscriptione aduersus Imperatorem tempore, quo imperiũ vacat.
E Idemque esset aduersus Regni coronam tempore, quo Regnum vacaret. Tempore etiam schismatis dormit præscriptio aduersus Ecclesiã Romanã *c. cum nobis. de rescri.* Dormit ẽt aduersus pupillũ durante pupillari ætate: secus autem cũ ad pubertatis annos peruenit *l. sicut. vers. quo ergo. C. de præscri. triginta annorum in authentica nisi tricennale C. de bonis materni, & lib. 4. Ordinationum Lusitanarum. titul. 8o §. penultimo.*
8 Quidam inter casus, in quibus præscriptio dormire dicitur, computant, quando bona aliqua sunt aduẽtitia filij, quorũ pater habet vsumfructũ, & quando fundus est dotalis: sed perperã: quoniã licẽt id impediat ne præscriptio de nouo incipiat, nõ tamẽ, vt nõ

conti-

9 continuetur, paulo ante dictum est, & disputatione sequenti erit manifestum. Item tempore hostilitatis præscriptio dormit, *c. ex transmissa, de præscript. & cap. prima actione. 16. quæst. 3.* Eadem ratione dormit tempore pestis, præsertim si ea de causa ius in eo loco non reddatur. Quod si reddatur, & iusto mortis timore quis non accesserit ad litem contestandam, ait Panorm. *cap. transmissa citato*, saltem illi concedi beneficium restitutionis in integrum aduersus præscriptionem. Lege Panormitanum ibi, Syluestrum *verb. præscri. 1. q. 9.* & glossam vltimam *capit. non liceat, de præscript.* Iactus *de cessatione præscriptionis* disputantes.

10 *Interruptio præscriptionis duplex. Naturalis quæ.*

Interruptio præscriptionis, iuxta Panormitanum *capit. illud de præscript. nu. 6.* Couar. *reg. possessor p. 2. §. 12.* & communem doctorum sententiam, duplex est, Nempe *naturalis, & ciuilis*. Tunc præscriptio interrumpitur naturaliter, quando desinere incipit aliquid de substantialibus præscriptionis, videlicet vel possessio ciuilis vel bona fides, etiamsi deficiat, quia res creditur esse vnius, cum tamen sit alterius. Neque iam hodie vllam vim habent eæ ciuiles leges quæ solū, ad inchoandam præscriptionem bona fidem exigebant, quippe quæ iure Canonico sint abrogatæ. Si etiam desinere incipiat solus titulus (quod quam rarissime accidet, quin simul bona fides deficiat) interrumpetur ea præscriptio, quæ titulum requirit; nō vero illa eiusdem rei, quæ sine titulo peragitur. Hæc Panormit. & Couar. *locis citatis*, Syluester *verb. præscript. 1. q. 12.* & alii quos citant. Tametsi Felinus, & alii quos Couar. refert, censeant, defectu bonæ fidei nō interrumpi præscriptionem, sed dormire, ita vt si postea regrediatur bona fides, computari possit tempus præteritū, in quo fuit bona fides, cum futuro (in quo iterum regressa est, ad integrādum tempus ad præscriptionem necessarium, detracto solum tempore intermedio, in quo fuit mala fides. Prior tamē sententia est nobis amplectenda:

11 *Ciuilis quæ.*

Interruptio ciuilis est, quæ fit per actum aliquem iuridicum, ex iuris decreto & statuto præscriptionē interrumpentem, eaque de causa talis interruptio ciuilis dicitur.

12 Triennalis præscriptio non interrumpitur litis contestatione, imo vero procedit & perficitur etiā perdurante lite. Si tamen contestata iam lite perficiatur, & possessor postea damnetur, tenetur eam restituere ei, pro quo sententia fertur *l. 2. §. vltimo ff. pro tempore l. Iulianus. §. quantum ff. ad exhibend. & l. si post acceptum ff. de rei vendic.* ita Panormit. *c. illud citato, numer. 11.* Couarr. *vbi supra num. 4.* & alii.

13 Præscriptio decem aut viginti annorum cum titulo, interrumpitur per litis contestationē: non vero per solam citationem *l. mota lis* C. *de rei vendic.* Panormit. *cap. illud citato*, Bartol. & communis Doctorum sententia, quam refert & sequitur Couar. *vbi supra*. Idē est de præscriptione triginta, aut plurium annorum cum bonæ fidei possessione & sine titulo. Hæc n. propter bonæ fidei possessionē & prolongationem illam maioris temporis, æquiparatur præscriptioni decem, aut viginti annorum cum titulo, iuxta Panormitanum & Felinum *cap. illud citato*, & alios quos refert & sequitur Couar. *loco citato*, consentitque Gratianus *cap. Plicui §. Potest. 16. q. 3.*

14 Porro litis contestatio, vt interrūpat ciusmodi præscriptiones, necesse est fiat coram iudice competente, vt iuxta Glossas aliquas communiter receptas affirmant Doctores citati. Præterea si actor, qui litem mouit, in causa succubuerit, contestatio litis non interrumpit præscriptionem. Vnde effectus ille pendens est ex eo, quod actor non succumbat, tanquam à conditione sine qua præscriptio cæpta non censebitur interrupta, vt Couar. cum aliis, quos refert, affirmat, fauet *l. cuidente ff. de except. rei iudicatæ*. Panormitanus & alii quos Couar. refert, volunt, vt per litis contestationem præscriptio interrumpatur, necessariū etiā esse, vt c. contestetur animo litem prosequendi alioquin si actor, nullū impedimentū habens, litem contestatam deseruerit, non habebit effectum interrumpendi præscriptionem, argumēto à contrario sensu *l. vltima* C. *de præscript. triginta annorum*. Glossa tamen prima in eadem lege affirmat cōtrariam esse communem Doctorum opinionem, atque in hanc secundam, vt probabiliorem, propendet Couar. *loco citato*. Puto tamen in hunc modum conciliandas esse has duas opiniones, vt si ex circumstantiis concurrentibus constet, veneneritve præsumptio iudicis arbitrio sit, litem moram cōtestatamque esse animo solum interrumpēdi præscriptionem, eamque iuxta legem vltimam citatam, vt mox dicemus, perpetuandi, seu prorogandi, iudicandum esse tam in conscientia, quam in exteriori foro præscriptionem nec interruptam, nec prorogatam esse, id quod satis expendenti legē illam vltimam erit manifestum. Quando tamen nō est saltem vehemens talis præsumptio, tunc per litis contestationem interruptam prolongatamq; præscriptionem est censendum, siue, qui litem est contestatus, litem prosequatur, siue non: id quod satis aperte constat *ex eadem l. vltima*, atque hoc est, quod gloss. ibi, & communis Doctorum sententia voluit.

Præscriptio, quę (*vt dixi. 66. & 67. dictum est*) cum 15
scientia, quod aliquid debeatur, peragitur, quęque in odium eius, qui non petit introducta est, interrūpitur per solam citationem. Ita communis Doctorū sententia, quam Couar. *nume. 4. citato* refert ac sequitur, consentit Gratianus, *§. potest citato*, & habetur expresse *l. sicut, iuncta glossa ibi, & l. cum notissimi in principio, & §. imo. Cod. de præscript. triginta annorum*. Imo interrumpitur etiam per traditionem pignoris, aut per exhibitionem nouę cautionis, quæ à debitore creditori fiat, vt habetur *§. imo citato*.

In cæteris omnibus, in quibus dictum est, præ- 16
scriptionem ciuilem interrumpi vel per litis contestationem, vel per solam citationem, quando, qui illam eo pacto vult interrūpere, aut litem cōtestandi, aut aduersarium citandi facultatem non habet, vel propter aduersarii absentiam, vel infantiam, vel furorem cum neque tutorem neque curatorem habeat, vel quia est in magna potestate cōstitutus, præscriptionem interrumper, si iudicem adeat, libellū porrigat, remque in querimoniam deducat. Quod si iudicem adire non poterit, satis erit adire loci Episcopum, eique in scriptis rem manifestare. Quod si nihil horum possit efficere, satis erit, si rem publice proponat, vbi aduersarius habet domicilium, idque subscribatur, vel per tabellionem, aut scribam publicum vel per testes, si in eo loco non fuerit talis minister publicus. *l. vt perfectius. Cod. de annali exceptione. §. potest citato, versiculo si autem*. Penultima tamen lex *tit. 29 par. 3. legum Castellæ* per solam citationem videtur docere, etiam in præscriptionibus decem & viginti annorum cum titulo, nec non triginta cum bona fide & titulo, fieri interruptionem ciuilem præscriptionis, & ibi notat Gregorius Lopez, tametsi anceps sit. 17 *Ius Castel.*

Felinus *c. cum non licet, de præscript.* voluit, hodie 18
nullam rem præscribi posse aduersus Ecclesiam Romanā, ductus, q̄ quotannis in bulla cœnę Domini excommunicentur, occupantes ac retinentes res Ecclesię Romanę. Merito tamen Couar. *loco citato num. 5.* cum aliis eam sententiam reiicit: quoniā neq; ea excommunicatio ligat possidentes eas res bona fide, qui soli eas aduersus Romanam Ecclesiam possunt præscribere. Neque item, licet admonitio Summi Pontificis, tanquam iudicis supremi, vim citationis litisque cōtestatę ad præscriptionem interrumpendam habeat, id intelligēdum est, de admonitione in genere comparatione eius, qui bona fide possidet, quippe qui, vt inuincibiliter ignorat se possidere rem Ecclesię Romanę, ne per eā generalē admoni-

monitionem nulla ratione in mala fide cõstituatur.

19 Quandocunq; interrumpitur præscriptio actionis, si non solum interrumpatur per citationem, sed progressus fiat vsque ad litis contestationem, tũc eo ipso perpetuatur, seu prorogatur ac extenditur tempus necessarium ad præscribendam talem actionẽ vsque ad tempus quadraginta annorum, computandum à die, qua actor, qui item est contestatus, destitit ab illa prosequenda, transitque vis intentandi iterum eandem actionem ad hæredes illius, quousq; tempus illud quadraginta annorum compleatur. Ita sancitum est *l. vltima. C. de præscript. triginta annorum, & l.1.§.1. Cod. de annali exceptione.* Additque glossa communiter recepta *l. vltimæ citata*, id locum habere, non solum in actionibus personalibus, sed etiam in realibus, nec solum habere locum in actionibus, quæ alioquin spatio triginta annorum forent præscribendæ, sed etiam in aliis longe breuioribus vt in redhibitoria & aliis: consentiunt Couar. §. 12. *citato. n. 6.* & alii quos citat.

Credo tamẽ dispositionem illius legis vltimæ locum non habere in hoc regno: *lib. namque 4. Ordinat. tit. 80. §. 2.* statuitur, quod quando præscriptio actionis interrumpitur per citationẽ factam debitori, aut quouis alio modo, quo iuxta iuris dispositionem interrumpatur, incipiat iterum currere tantundem temporis, quantum à principio erat necessarium ad eandem actionẽ præscribendam. Quo fit, vt in hoc Regno locum non habeat perpetuatio seu prorogatio præscriptionis. Et quãuis, quæ vsq; ad illũ §. statuta erant circa actiones ciuiles personales, corrigantur *l. 1. tit. 1. part. 6. legum extrauagantium*, spatiumque requisitum ad præscribendas eas actiones protrahatur ad triginta annos, vt habet ius commune, quæ tamen §. illo 2. disposita erant, nequaquam innouantur, sed manent in suo robore antiquo.

Verum licet, quando interrumpitur præscriptio naturaliter, interruptio illa locum habeat quoad omnes homines, vt constat *ex l. naturaliter. ff. de vsucapionibus*, & affirmat communis doctorum sententia: quando tamen interrumpitur ciuiliter, solum habet locum comparatione eius, qui illam litis cõtestatione, aut citatione interrumpit, nisi quando ea ratione præscribens constituitur in mala fide: tunc enim, cum per malam fidem interrumpatur naturaliter, cessat præscriptio quoad omnes.

22 An vero postquam præscriptio semel est interrupta, possit iterum incipere. Si interruptio sit naturalis, fatentur omnes posse iterum incipere modo prudentis arbitrio adsit bona fides, vt Couar. *loco citato. num. 7.* affirmat: consonat. *l. penult. tit. 29. part. 3. legum Castellæ.* Idẽ procul dubio est dicendum, quando interruptio est ciuilis. Veruntamen si lis sit contestata necessarium est tempus 40. annorum à die, quo actor à lite prosequenda destitit, vt actio præscribatur, vt expresse habetur *l. vltima. C. de præscri. 30. annorum*, & inconsequentiam realis actionis requiritur idem tempus, vt res, de qua agitur, sit omnino præscripta. Si namq; intra 40. illos annos actio iterum, vel ab eodem actore, vel ab ipsius hæredibus intentetur, sane si vincant, res ad eum effectum aduersus eos non censebitur omnino præscripta: reus enim tenebitur illam eis restituere, quemadmodum intriennali præscriptione, quando lis cõtestata est ante absoluta præscriptionem, si is, qui præscripsit, tempore præscriptionis peracto damnetur, tenetur sane restituere actori rem mobilem, quã præscripserat, vt supra dictum est. Atque hoc est, quod intendit communis doctorum sententia, quam Couar. loco citato refert. Neque placet, quod cum Salyceto ibidem addit, quippe cõmuni doctorum sententiæ, & legi vltimæ. C. *de præscriptione triginta annorum* repugnet.

23 Illud in memoriã est reuocandum, ex eo, quod possessio de vno in alium transeat, si vterq; bona fide possedit, nec interrumpi, neque dormire præscriptionem, sed tempus vtrumque computandum esse ad constituendum integrum tempus ad præscribendum necessarium, vt ex dictis *disp. 65.* est manifestum.

SVMMARIVM.

1 *Res furtiuæ & vi possessæ, an ab auctore, eiusve hærede præscribantur.*
2 *Rem communem à Consorte non præscribi.*
3 *Successor vniuersalis, neque cum bona fide rem, quam defunctus mala fide possedit, præscribit.*
4 *Liber homo nullo tempore præscribitur.*
5 *Obedientia, Visitatio & solutio Procuratoris à subditis non præscribuntur aduersus Episcopum aut Prælatum: secus ab extraneo.*
6 *An contra Ecclesiasticam disciplinam præscribi possit.*
7 *Limites seu fines prouinciarum, Episcopatuum, parochiarum, ducatuum, comitatuum & quæ illis finibus cohærent præscribi non possunt.*
8 *Res publicæ præscribi nequeunt.*
9 *Res alienari prohibitæ, vt puta Ecclesiarum, pupillorum, minorum dotales, priuilegio, fidei commisso, vel maioratui subiecta, an & quomodo præscribi possint.*
10 *Mortuo possessore maioratus interrumpitur præscriptio.*

QVAE PRAESCRIBI NON possint.

DISPVTATIO. 79.

PRæterea, quæ in superioribus ostensa sunt præscribi non posse, vel quia possideri nequeũt saltem à laicis, vel quia quasi de ratione sunt supremæ potestatis, qua suprema est, vel quacunque alia ratione, quæ sequuntur præscribi etiam non possunt. 1

Res furto ablatæ, nec non quæ per vim possidentur, vsucapi nequeunt, non solum à fure, & ab eo qui per vim possessionem occupauerit, sed etiam à quibuscunque aliis qui bona fide ab eis eas emerint, aut quocunque alio iusto titulo bona fide eas possederint. Ita habetur *Inst. de vsuc. ap. §. furtiuæ quoque res.* Vt tamen ibi notat glossa, & approbant Doctores cõmuniter, intelligendum est id, de præscriptione longi temporis, triennii, decennii aut 20. annorum, de qua sola erat in eo §. sermo: secus autẽ de præscriptione longissimi tẽporis, triginta vel plurium annorum, *iuxta l. omnes, & l. sicut in rem. C. de præscri. 30. ann.* Ita Syluest. *verb. præscriptio. 2. q. 12.* Panorm. *c. nihil. n. 8. & c. si diligenti n. 29. & 30. de præscrip.* & Doctores communiter. Reiicienda est ergo opinio Soti, *4. de iustitia q. 5. art. 4.* asserenti, hæredem latronis, & eum qui tales rẽs à latrone emit, si bona fide eas possederunt, posse illas præscribere tempore ordinario. Est enim id apertissima iura, quæ nõ videtur legisse & contra communem Doctorum sentẽtiam. *l. 5. tit. 15. lib. 4. nouæ collect.* statuit rem vel furto ablatam, vel quam quis habuerit absconditam, præscribi non posse aduersus legitimum illius dominum. E

Eadem lex statuit, rẽ hæredibus, aut quibuscunq; aliis cõmunem, quã inter se nondum diuiserint, quo eũque tempore vnus eorũ eam possederit, nõ posse illã præscribere aduersus reliquos, quin eis reddere teneatur portiones suas. Idemq; est de iure communi: quia qui rẽ communẽ possidet, nomine suo, & aliorum, quibus est communis, cẽsetur illam possidere. *l. si communem. ff. quemadmodum seruitus amittatur.* 2

Successorem vniuersalem, qualis est hæres neque cum bona fide præscribere posse rem, quam defunctus mala fide possedit, dictum est *disp. 65.* 3

Liber

3 Liber homo nullo vnquã tẽpore potest præscribi. *l. vltima. C. de long. temp. præscript. quæ pro libertate. l. vsucapionem. ff. de vsucap. §. sed aliquando. Instit. eod. titulo, & l. 6. tit. 29. p. 3. legum Castellæ.*

4 Obedientia præscribi non potest à subdito aduersus eum, cui alioquin illam debet, *cap. cum non liceat. de præscrip.* Lege quæ dicta sunt *disput. 74.* Neque item possunt subditi præscribere aduersus prælatum, aut Episcopum, vt non visitentur. Neque item, vt
5 Episcopo non soluant procurationem illi debitam, dum ab ipso visitantur, *cap. cum ex officio de præscript. & cap. cum Ecclesiastica, de censib.* Alius tamen præscribere potest aduersus Prælatum, vt ad ipsum subditi talis Prælati pertineant, & vt ab ipso visitentur, & vt ipsi procuratio, & non antiquo Prælato, debeatur, vt in eodem *c. cum ex officio* subiungitur.

6 Contra neruum etiã Ecclesiasticæ disciplinæ, nõ valet præscriptio, vt quod in Ecclesia aliqua tempore interdicti celebrari posit pulsatis campanis & alta voce, *cap. cum inter de consuetudine.* Vt tamen verũ fatear, inde non probatur, non valere præscriptionem, aut consuetudinem in eo casu, sed merito essa reuocandam talem consuetudinem, vt in eo capite reuocatur, quod si cõsuetudo, & per consequẽs præscriptio esset, ipso iure nulla, sane Summus Põtifex non diceret se eã reuocare: quia nõ esset quod reuocaret, sed pronunciaret eam esse nullam: neque aliud probant iura alia, quæ solent citari.

7 Limites seu fines prouinciarum, Episcopatuum & parochiarum, & quæ eiusmodi finibus cohærent, vt si Ecclesia aliqua in confinio alicuius Episcopatus sita sit, præscribi non possunt. modo tamen sufficienter constet tales fines præfixos constitutosque esse, *cap. super eo de parochiis, & cap. quicunque iuncta Glossa ibi, cap. licet in regulis, & c. inter memorato 16. q. 3. Eadem ratione*, ait Hostiensis, *præscribi non posse limites ducatuum, comitatuum, &c.* Limites tamen prædiorũ præscribi possunt, *c. volumus 16. q. 4. & c. quia iudicante. de præscript.*

8 Res publicæ, id est, quæ in vsum aut commodum publicum sunt deputatæ, præscribi non possunt, neque in totum, neque in partem, vt viæ publicæ, pontes, &c. *l. vsucapionem ff. de vsucapionibus l. præscript. C. de operibus publicis*: habetq; id verum, etiamsi populus eis vti desinat *l. viam ff. de via publica.*

9 De rebus alienari prohibitis an præscribi possint, distinguit optime Panorm. *c. cum non liceat de præscript. nu 7* Prætermissis interim rebus, quarum possessio est aliquibus prohibita, qui proinde nullo tẽpore poterunt eas præscribere: eo quod sine possessione non detur præscriptio, seu vsucapio: cæterarũ rerum, quæ prohibitæ sunt alienari, quædam non simpliciter prohibentur alienari, sed sine quibusdã solemnitatibus, vt sunt res Ecclesiarum, res pupillorũ, & minorum. Quædam vero simpliciter prohibentur alienari, vt sunt fundus dotalis, res vinculo primogenituræ alligatæ, res sub fidei commisso relictæ, vt quando bona aliqua alicui relinquuntur, vt post mortem ipsius transeant omnia ad alterum, id quod in iure fideicommissaria substitutio appellatur, & quando aliquid in particulari alicui legatur: hæres namq; illud nõ potest alienare, sed integrũ teneturtradere legatario, quia potius eo ipso, quod hæres hereditatem adit, dominium talis legati trãsit in legatarium, imo iurisfictione cõfertur transiisse à puncto mortis testatoris, vt *disp. 3.* ostensum est.

De rebus prioris generis ait optime Panormitanus, posse præscribi aduersus Ecclesias & minores, esto nõ interuenerint solemnitates illæ, sintque proinde alienationes illæ ipso iure nullæ: modo tamen non interueniat mala fides ex parte possidentis: possessor namque mala fide vllo tempore non præscribit. & modo talis alienatio non sit facta ex ignorantia iuris, ex parte eius qui eiusmodi res accepit, aut possidet, quod solẽnitates illæ necessariæ essent, vt alienatio esset valida, sed solum interuenit ignorantia facti, quod is, cuius res illæ erant, pupillus esset aut minor, quod cum puruerit interuenisse solemnitatem aliquam necessariam, ex facti ignorantia non interuenerit: vt n. *disp. 64. & 75.* ostensum est iuris ignorantia impedit præscriptionem, non vero ignorantia facti, etiam in his ipsis alienationibus aduersus minores & Ecclesias vt ex *l. 2. §. si à pupillo ff. pro emptore. ex cap. de quarta de præscript.* & ex aliis iuribus disp. citatis ostensum est.

Illud tamen est animaduertendum, quamuis *lege illa 2. §. si a pupillo ff. pro emptore.* & aliis iuribus antiquis, sancitum fuerit, vt aduersus pupillum cum ignorantia facti posset præscribi, postea tamen de iure C. omnem præscriptionem etiam triginta annorum, pupilli comparatione sublatam esse, adeo, vt neque incipere, neque continuari tempore pupillaris ætatis posset, sed totum illud tempus semper subtrahendum sit *l. sicut in rem vers. quæ ergo C. de præscriptione triginta annorum, in authentica nisi tricennale C. de bonis maternis & lib. 4. Ord nationum huius Lusitaniæ Regni tit. 80. §. penult.* Imo vero licet quondam omnis præscriptio aduersus minores extra ætatem pupillarem admitteretur, eisque concederetur beneficium restitutionis in integrum aduersus talem præscriptionem: hodie tamen de iure C. sola præscriptio triginta annorum aduersus eos admittitur: nõ vero alia minor decem aut viginti annorum, etiãsi interueniat titulus, vt satis aperte constitutum est *l. vlt. C. in quibus caus. in integrum restit. necessaria non est, ius Lusis. & l. 3. C. quibus non obiicitur longi temporis præscrip.* Nescio tamẽ, an in hoc Lusitaniæ Regno hoc locũ habeat: *quarto* namque *lib. Ordinat. tit. 80. §. penult.* sanciri videtur, vt omnis præscriptio locum habeat aduersus minorem post annos pubertatis: concedatur tamen ei in integrum aduersus eam restitutio.

Quod ad res posterioris generis attinet, vt certa ab incertis separemus, si tales res præscribi cœpissent antequam rationem fundi dotalis, aut bonorum vinculo maioratus subiectorum ita sortirentur, vt per institutionem maioratus non posset id iam reuocari: vel antequam ad minorem vel ad filium familias pertinerent, aut quauis aliã ratione effecta essent bona lege, vel statuto, aut etiam vltima voluntate ex causã rationabili prohibita simpliciter alienari: conueniunt omnes non impediri præscriptionem, ex eo quod postea rationem sortiantur bonorum, quæ alienari non valeant: quin potius peragi præscriptionem eodem tempore, quo præscriberẽtur, si talem rationem non essent sortita. Ita colligitur aperte *ex l. si fundum ff. de fundo dotali*, vbi id expresse statuitur de fundo dotali: idemque pari ratione dicendũ esse affirmant de cæteris rebus, quę post cæptam præscriptionem alienari prohibentur. Panormit. *c. cum non liceat citato*, Antonius Gomez. *ad l. 40. Tauri, num. 90* Molina *4. lib. de primog. c. 10. à n. 40.* Bartol. & alii quos referunt. Excipitur, quando bona incœpta antea præscribi ad pupillum pertinere incipiunt: eo enim ipso dormit præscriptio quousque pupillare tempus pertranseat, siue is filiusfamilias sit, siue non, vt constat *ex l. sicut in rem. vers. quæ ergo C. de præscrip. triginta annorum, ex authentica nisi tricennale C. de bonis maternis & ex 4. lib. Ord. tit. 80. §. penult.*

Conueniunt deinde, bona vinculo maioratus astricta & quęcunq; alia alienari prohibita, præscribi aduersus successores tempore de cuius initio nõ est memoria: quoniam illa præscriptio vim tituli & facultatis Regię ad alienandum iuris præsumptione supponit, itemque interuenisse omnia ad id necessaria. Ita Antonius Gom. *nn. 90. citato*, & Molina *t. 10. citato n. 10.* & alii, quos referunt.

Præterea conueniunt bona maioratus & cætera alienari prohibita non posse præscribi aduersus suc-

cessorē in illis,præscriptione longi temporis decem, aut viginti annorum,id quod colligitur aperte *ex l. vltima §. sin autem sub conditione C. communia de legat.* illis verbis, *vt nec vsucapio,nec longi temporis præscriptio contra legatarium,vel fidei commissarium procedat, &c.* affirmantque Antonius Gom. *num. 90. citato*,Molina *cap. 10. citato num. 1.* Arias Pinellus *in authentica nisi tricennale num. 23. & 35. C. de bonis maternis* Cou. *reg. possess. par. 3. in calce §. vltimi in postrema editione*,& multi alii,quos referunt. Neque obstat *l. Stichon ff. de vsufructu legato*,quæ sufficere ait spatium longi temporis: hoc enim aliud iusilli antiquo hac in parte derogat.

Dubium vero est,vtrum eiusmodi bona,saltem spatio triginta annorum,præscribantur. Et quidem communis opinio,quam Molina *loco citato num. 20.* Couar. & Pinellus *locis citatis*,& Anton. à Gama *decis. 26. n. 5. & decis. 93 n. 3.* referunt ac sequuntur, affirmant præscribi aduersus possessorem,aut alienatem,& quemcumque successorem, postquam iam aduenit tempus,in quo in illis bonis debebat succedere: non vero antea,cum agere nō posset: & multo minus aduersus successores nondum natos. Fundamentum vero eorum est, quod *l. vlt. §. sin autem sub conditione*,solum prohibeat præscriptionem lōgi temporis: ergo argumento à contrario sensu,præscribi poterunt eiusmodi bona tempore lōgissimo triginta,aut quadraginta annorum. Anton. Gomez. *num. 9. citato*,affirmat, neque tempore longissimo aduersus illos præscribi. Recedendum tamen non est à communi sententia,quā lex illa C. satis innuit, sufficienterque elidit Arias Pinellus in illa authentica multa ex iuribus,quibus Antonius. Gomez. nititur. Couar. tamen loco citato non improbabile iudicat eiusmodi bona spatio triginta annorū præscribi omnino aduersus omnes successores, etiam nondum natos,multisque id docte confirmat: recedere tamen omnino non audet à communi aliorum sententia. Eum legito.

Illud vero est obseruandum cum in Regno Castellæ, mortuo possessore maioratus dominium & possessio tam naturalis quam ciuilis,bonorum omnium ad talem maioratum pertinentium,absque aliqua apprehēsione vera vel ficta transeat ad successorem,vt *disputat. 3.* dictum est;consequens esse, vt quoties moritur possessor maioratus, fiat interruptio præscriptionis bonorum omnium,quæ ad talē maioratū pertinent,eo quod,qui præscribere quōd cunque illorum cœperat,amittat possessionem: per amissionem vero possessionis præscriptio interrumpatur,vt disputatione præcedente ostensum est.

SVMMARIVM.

1 *Minores & Ecclesia aduersus quascunque præscriptiones restituuntur & quanto tempore.*
2 *Ex quibus causis maiores aduersus præscriptionem in integrum restituantur.*
3 *Quod tempus ad restitutionem maiori & ecclesiæ concedatur.*
4 *Maior non restituitur in integrum,si præscriptione non completa,tempus sufficiens habuit ad eam interrumpendam.*
5 *An ignorantia inuincibilis maioris aduersus quem præscribitur,restitutionem mereatur.*
6 *Obiectio.*
7 *Responsio.*

DE REMEDIO RESTITVTIONIS in integrum aduersus præscriptionem iam peractam.

DISPVTATIO 80.

Minoribus restitutio datur in integrum circa præscriptionem aduersus ipsos iam completam,etiamsi illa sit longissimi temporis,triginta aut plurium annorum,& esto nulla interuenerit eorum ignorantia neque impedimentum ad illam interrumpendum. Conceditur vero illis beneficiū hoc, solum quadriennio post impletum vigesimum quintum annū suæ ætatis,hoc est,vsque ad 29. expletum *l. vnica C. si aduersus vsucapionem l. vlt. C. de temporibus in integrum restitut. l. vlt. C. in quibus causis rest. in integrum non est necesse & lib. 4. Ord. Lusitanarum tit. 80. §. penult.* Hoc ipsum beneficium simili modo habet Ecclesia quadriennio tantum post impletam aduersus eam præscriptionem,etiamsi illa sit quadraginta,aut centum annorum,vt cōmunis Doctorum sententia affirmat,quam late refert ac sequitur Pan. *c. 1. de præscriptione à n. 9.* & Couar. *reg. possess. par. 3. §. vlt. n. 4.*

Maioribus etiam 23. annis restitutio in integrum conceditur circa præscriptiones peractas aduersus eos postquam erant maiores, quando tamen adest legitima causa eam concedendi. Vt si, dum quis erat in expeditione aliqua aduersus hostes, vel quauis alia ratione Reipublicæ causa aut commodo absens,vel apud hostes captiuus detinebatur, peracta fuit aduersus eum præscriptio,cōceditur illi restitutio in integrum. Variæ causæ iustæ huius concessionis cōmemorantur *ff. ex quibus causis maiores. 25. annis & c. C. quibus non obiicitur longi temporis præscrip. C. de rest. militum §. rursus institut. de actionibus,& l. 28. tit. 29. par. 3. legum Castellæ. Lege autem 1. ff. ex quibus causis maiores.* post cōmemoratas nonnullas eiusmodi causas addit iurisconsultus. Item si qua alia iusta mihi causa esse videbitur,in integrū restituā. Hinc Doctores,quoties causā aliquā iudicant iustā,vt restitutio in integrum aduersus præscriptionem concedatur, causaque illa non est de numero earum,quæ expressæ sunt in iure,dicere consueuerunt: ex ea causa petendam concedēdam esse restitutionem,ob clausulam generalem,si qua iusta causa esse videbitur.

Quando causa sufficiens est,vt maiori beneficium restitutionis in integrum concedatur, conceditur quadriennio duntaxat post quam tale impedimentum cessauit, & postquam, qui impeditus fuit, de præscriptione ipsa sciuit,ita vt quadriennium numerari incipiat à tempore,quo cessante impedimento, ignorantia inuincibilis præscriptionis cessauit: quia ex tunc,& non antea,censetur interuenire negligentia illud petendi. Ita Syl. *verb. præscript. 1. q. 14. & alii, argumento text. in c. 1. & 2. de in integrum restit. di. 6. in verbo, & negligenter omiserit.* Idemq; est in Ecclesia.

L. ab hostibus §. vltimo iuncta l. sequenti ff. ex quibus causis maiores,definitur. Maiori concedendum non esse beneficium restitutionis in integrum,si postquā causa & impedimentum cessauit,nondum completa erat præscriptio,sed supererat adhuc tēpus sufficiens,vt litis contestatione posset commode præscriptionem interrumpere. Quare tūc solum conceditur maiori quadriennium ad petendum restitutionem in integrum,quando ante præscriptionem completam non potuit commode illam interrumpere. Ita Couar. *reg. possess. p. 3. §. vlt. n. 3.*

Illud etiam controuertunt Doctores. Vtrū, licet ignorantia eius,aduersus quē præscribitur, præscriptionem non impediat,si tamen ea ignorantia inuincibilis sit,causa sit sufficiens,vt beneficium restitutionis in integrum maiori ex clausula illa generali cōcedatur,si qua iusta causa esse videbitur. Conueniuntq; Doctores communiter, esse causam sufficientē,vt saltē aduersus præscriptionē longi temporis 10. aut 20. ann. concedatur: onus tamen probādi interueniſſe inuincibilem ignorantiā,incumbere ei, qui tale beneficium petit: cui,nisi eam legitime probet nequaquā est concedēdum. Ita Pan. *c. 1. & c. vigilanti. n. 3. de præscri.* & cōmunis doctorū sentētia, quā Couar. *§. vlt. citato* refert & sequitur. An vero ex eo cap. concedēdum etiam sit aduersus præscriptionē longissimi tēporis,30. 40. aut plurium annorum,disputat late ibidem Couar. quem lege si placet.

6 *Obiectio.* Obiicies, si non solum minoribus & ecclesiæ cõceditur simpliciter beneficium restitutionis aduersus præscriptionem, sed etiam maioribus ex rationabili causa: inutilis ergo est præscriptio.

7 *Respons.* Neganda est tamen consequentia. Primo, quia vltra quadriennium, modo explicato, non conceditur. Secundo, quia, quando non interuenit legitima causa, maioribus non conceditur. Postremo, quia is, qui præscribit, semper comparat dominium rei, quam præscribit: neque tenetur illam restituere minori Ecclesiæ, aut maiori, qui legitimã habet causam petendi beneficium restitutionis, antequam illud petat & cõcedatur, resque illi adiudicetur. Quare & antequam beneficium petatur, legitime illam sibi retinet, & si intra quadriennium non petatur, ita deinceps legitime illam sibi retinet, vt repeti ab eo non possit.

Hæc dicta sint de hac molesta, oblongaque materia præscriptionis, in iure multiplicibus regulis, earumque variis temporibus mutationibus, multiplicibus item extensionibus, restrictionibus, ac exceptionibus variis in locis sparsis satis implexa, atq; inuoluta: quam tamen, quoad potuimus, in compendium redigere sumus conati.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum & contractus defectu solemnitatum in foro seculari, nulla, an in foro conscientiæ subsistant, vt illorum beneficio contrahentes aut hæredes instituti, frui possint.*
2 *Opinio affirmat.*
3 *Suadetur primò, & confirmatur.*
4 *Secundo.*
5 *Tertio.*
6 *Opin. negat.*
7 *Probatur primò.*
8 *Secundò.*
9 *Tertio, & confirmatur.*
10 *Quartò.*
11 *Quintò.*
12 *Sextò, & confirmatur.*
13 *Septimò.*
14 *Opinione quorundam relicta minus solemni testamento aut inualido contractu translata, tum in foro exteriori, tum etiam in foro conscientiæ retineri posse, donec ab hærede aut contrahente, rescissione repetantur.*
15 *Couar. & aliorum circa prædicta placitum.*
16 *Fundamenta propositæ quæstionis declarantur: Insuper Authoris sententia adfertur: & num. 24.*
17 *Probatur sententia Authoris, primò.*
18 *Secundò.*
19 *Tertiò.*
20 *Quartò.*
21 *Quintò.*
22 *Officium hæredis ex testamento, & ab intestato circa restitutionem bonorum minus solemni testamento relictæ.*
23 *An Couarru. opinio locum habeat in fideicommissis & legalibus.*
25 *Quatenus contractus minus solemnis obliget, & rescindatur, ad quem fructus medio tempore percepti spectent.*
26 *Resp. ad primum arg. opin. affirm. eiusque confirmationem.*
27 *Ad secundum.*
28 *Ad tertium & eiusdem confirmationem.*
29 *Resp. ad prim. arg. opin. negat.*
30 *Ad secundum.*
31 *Ad tertium.*
32 *Ad quartum.*
33 *Ad quintum.*
34 *Ad sextum, eiusque confirmationem.*
35 *Ad septimum.*

VTRVM PER TESTAMENTVM, aut contractum lege humana nullum, comparari possit dominium.

DISPVTATIO 81.

A Disputatione 60. agere cœpimus de acquisitione & amissione dominij legis autoritate. Hucusque autem solum differuimus, de præscriptione, quæ ad id ex eo capite vim habet. Institutum ergo vt prosequamur, examinandum est consequenter, an per testamentum, quod ob solemnitatum defectum lege humana est nullum, comparari possit dominium in foro conscientiæ. Et similiter, num per contractum, qui ob defectum solemnitatũ est etiam lege humana nullus, possit in eodem conscientiæ foro acquiri dominium.

B

Exempla sunt. Lege humana cautum est, vt testamentum, in quo non fuerit certus testium numerus aliæque solemnitates, de quibus infra suo loco erit sermo, sit nullum, non secus ac si conf ctum nõ esset. Quæritur ergo, num solum in exteriori, an etiã in conscientiæ foro sit nullum, ita videlicet. vt si in eo extraneus aliquis sit institutus hæres testatore fratres suos prætermittente, talis hæres in foro conscientiæ, nulla expectata sententia, teneatur relinquere hæreditatem fratribus defuncti, qui ab intestato illi succedunt, esto ipse certo sciat cõtrariam fuisse defuncti voluntatem. Item iure est sancitum, vt alienatio bonorum Ecclesiasticorum, in qua non interuenerint certæ quædam solemnitates, de quibus, dum

C de emphyteusi Ecclesiastica erit sermo, suo loco dicetur, sit ipso iure nulla. Quæritur ergo, num alienatio facta per donationem aut alium contractum, in quibus solemnitates illę nõ interuenerint, sit solum in exteriori an vero etiam in cõscientiæ foro nulla, ita vt accipiens talem rem Ecclesiasticam, irrequisitus, nullaque expectata sententia, teneatur rescinde re cõtractum, aut curare, vt eiusmodi solemnitates suppleantur. Præsertim quando vtrinque non fuerit æqualitas, sed id in minus commodum Ecclesiæ cesserit. Quando namque contractus, vel esset omnino æqualis, vel cederet in maius Ecclesiæ cõmodum, satis esset expectare, vt si Ecclesia id vellet &

D peteret, rescinderetur: quippe cum neq; is, qui cum ea contraxit, illam læserit, neque teneatur reddere Ecclesiæ, quod ab ea accepit, nisi Ecclesia, quod in recompensationem ei est datum, restituat.

1

Panorm. *c. quia plerique de immunitate Eccles. num. 42. & c. 1 de in integrum restit. numer. vlt.* Adrian. *quodlib. 6. conclusione 2.* Sylvest. *Verb. hæreditas 3. q. 7.* Medin. *de rebus restit. q. 23. ad finem*, & permulti alij ex iurisperitis quos Couar. *c. cum esses de test.* refert, affeuerant, eiusmodi testamenta & contractus valida esse in foro conscientiæ, modo constet eam fuisse voluntatem testatoris. Vnde consequenter dicũt si frater defuncti, qui ab intestato debebat succedere, sibi omnino persuadeat, defuncti voluntatem fuisse, vt extraneus, qui in minus solemni testamento reperitur hæres institutus, in bonis ipsius succederet, tenẽtur in foro conscientiæ relinquere illi hæreditatem, esto ipsi in foro exteriori adiudicetur. Secus autem, si res sit dubia, vt si dubium esset, an tale testamentum esset defuncti, vel si testator sciebat testamentum minus solemne esse nullum, hæresque in eo instituta erat vxor, quam verisimile sit solum, ne eam contristaret, instituisse eo pacto hæredem: cum constaret, hæreditatem ob testamenti defectum ad fratrem esse deuenturam.

2 *Panor. & multorum opin.*

Sententia hæc suaderi potest. Primo, quoniã seclusa lege humana eas solennitates, vt testamentum

3

sit validum, exigente (idem est de contractu) sane tale testamentum est validum ac sufficiens ad dominium transferendum: vt enim habetur *instituit. de rerum diuis. §. per traditionem*, nihil tam conueniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam habere: sed eiusmodi solemnitates idcirco iure ciuili in testamentis exiguntur, vt nequitiæ & fraudes euitentur, quæ cupiditate hæreditatis solet euenire: cum ergo, sine legis cessante, & lex obligare cesset: consequens est, vt quando constat, nullã nequitiam interuenisse, voluntatemque testatoris fuisse, vt bona ipsius ad extraneum ita instituum deuenirent, validum sit testamentum in foro conscientiæ, etsi careat solennitatibus iure ciuili requisitis.

Confirm. Confirmatur, inquit Adrianus, hæc ratio, quoniam cessante fine legis naturalis ac diuinæ de corrigendo proximo, quando non est spes emendæ, ad quã correctio fraterna præcipitur, & ordinatur, cessat obligatio præcepti de eo corrigendo: ergo quãdo constat nullam nequitiam interuenisse, ad quam tollendam iuris humanum solemnitates in testamento exigit, cessabit obligatio legis humanæ, ac proinde testamentum minus solemne validum erit in foro conscientiæ.

4 *Secundo.* Secundo, si eiusmodi testamentum esset nullum in foro conscientiæ, sequeretur, posse aliquando euenire, vt quis absq; vlla sua culpa relinquere non posset sua bona cui vellet: hoc autem, quando quis non habet descendentes aut ascendentes, quos necessario hæredes debeat instituere, videtur satis absurdum. Consecutio vero probatur, quoniam esse poterit in loco, vbi neque rebellionis sit copia, neque etiam numerus testium, qui iure ciuili exiguntur.

5 *Tertio.* Tertio ex sola voluntate testatoris minus solemni testamento expressa oritur naturalis obligatio: quippe stando in solo iure naturali, ea sola voluntas sufficiat ad trãsferendum dominiũ: item ciuilis lex, irritans testamentum minus solemne, fundatur in præsumptione fraudis ac nequitiæ, quæ interuenire facile potest: cum ergo in foro conscientiæ, quando de veritate constat, locũ non habeat ciuilis lex, quæ in contrarij præsumptione fundatur: idque quod naturaliter debetur soluendum sit in eodem foro: consequens profecto est, vt quando de testatoris voluntate constat, testamẽtum minus solemne vim habeat in foro conscientiæ.

Confirm. Confirmant præterea hi doctores suam sententiam ex dicto quodam Innocent. *cap. quod sicut, & quia propter, de electione*, quod Panormitan. *cap. 1. de in integrum restit.* commendat. Ait namque Innocentius, si electio aliqua, spectato solo iure naturali & gentium, valida sit, etsi desit solemnitas aliqua iure positiuo, vt sit valida, requisita, validam nihilominus esse in foro conscientiæ: eo quod solemnitas introducta sit iure positiuo ad vitandas fraudes: & in foro conscientiæ naturalis æquitas hac in parte rigori iuris positiui sit præferenda. Adhibet exemplum in casu *capitis, quod sint ciuitati*, nempe quando quis fuit electus à maiori parte Capituli, defuitque vnus, qui ad eam electionem non fuit vocatus: licet enim eiusmodi electio sit irritãda in foro exteriori, vt eo in capite definitur, valida tamen est in foro conscientiæ, isque qui ita fuit electus, tutus est in foro conscientiæ.

Iuxta horum omnium Doctorum sententiam legata relicta in minus solemni testamento soluenda sunt in foro conscientiæ. Præterea lethaliter peccat hæres ab intestato, cui de testatoris voluntate cõstat ex eo, quod hæreditas relicta fuit alicui extraneo in minus solemni testamento, eam petat in foro exteriori, teneturque illi restituere, non solum obtentam hæreditatem, sed etiã damna omnia ex eo, quod illam petierit & obtinuerit, subsecuta.

In horum Doctorum sententia fuit aperte Plinius iunior. Is namque 2. *libr. Epistolarum* sic ad Annianum scribit. *Admones me codicillos Attiliani, qui me ex parte instituit hæredem, pro non scriptis habendos, quia non sunt confirmati testamẽto. Quod ius nec mihi quidem ignotum est, cum sit iis etiã notum, qui nihil aliud sciunt. Sed ego propriam quandam legẽ mihi dixi, vt defunctorum voluntates, etiamsi iura deficerent, quasi perfectas tuerẽr. Constat enim codicillos istos Attiliani manu scriptos. Licet ergo non sint cõfirmati testamento, à me tamen, vt cõfirmati obseruabuntur.* Et li. 5. in hunc modũ ad Caluisium scripsit. *Hoc enim si ius aspicias, irritum, si defuncti voluntatem ratum & firmum est: mihi autem defuncti voluntas, vereor quam in partem iurisconsulti quod dicturus sum accipiant, antequam sure est.*

Contrariam sentẽtiam, nempe cuiusmodi testamenta & contractus in hoc sensu esse in foro cõscientiæ inualida, quod hæres ab intestato licite possit petere & retinere hereditatem alteri in eis relictam, omittereque solutionem legatorum in eisdem relictorum (modo non sint ad pias causas) idque esto ei constet euidenter contrariam fuisse voluntatem testatoris, & pari ratione, quod is qui contraxit cõtractu inualido propter defectum solemnitatis, possit illum licite rescindere, esto bona fide & ex ignorãtia ita contraxerit, affirmant Victoria 2. 2. *in principio materiæ de restitutione*, Sotus 4. *de iust. quæ. 5. artic. 3.* Couar. *reg. peccatum. p. 2. §. num. 3. 9. & 10. & c. cum esset de test. in vi. 6. Ledesm. 1. 4. q. 18. ar. 1. dub. 12.* & alij: tametsi inter eos, vt statim patebit, nonnihil sit dissidij. *6 Contraria sententia.*

Possumus vero eam probare. Primo, quoniam Respublica, seu Princeps, ad tollẽdas fraudes & impedienda damna, quæ facile possunt suboriri, habet potestatem condendi leges, quæ vniuersim irrita reddant & inefficacia ad transferẽdum dominium in foro cõscientiæ ea testamenta, & cõtractus, quib. defuerint solemnitates, quas iudicauerit expedire: quemadmodum ad tollenda alia incommoda statuere potuit, leges præscriptionis, quæ vim haberẽt in foro conscientiæ, & quibus aliquis absq; sua culpa amitteret dominium rei suæ, & acquireret illud alter, & similes alias, vt ex dictis in superioribus patet sed Principes eiusmodi leges circa cõtractus aliquos, & testamenta statuerunt, vt de contractibus suo loco erit manifestum, & de testamentis patet, *ex l. hac consultissima. Cod. de testamentis* vbi scriptum legimus. *Non subscriptum à testibus, & non signatum testamentum pro infecto haberi conuenit.* Et § *sequenti.* Ex *imperfecto testamento voluntatem tenere defuncti nõ volumus.* Et *l. ex imperfecto. C. eod. tit.* dicitur. Ex *imperfecto testamento neq; Imperatorem hæreditatem vendicare, esto in eos hæres sit institutus.* Et *Instit. quib. modis test. tollitur §. ex eo*, ait Iustinianus, *Imperfectum testamentum nullum est*, vt interim iura alia omittam: cum ergo leges humanæ iustæ vim habeant in foro conscientiæ, vt Panorm. & cæteri, cum quibus disputamus, confitentur, consequens est, vt eiusmodi contractus & testamenta minus solemnia, legibus humanis inualida, nullam vim in foro conscientiæ ad dominium transferendum habeant. *7 Suadetur.*

Secundo, non solum subditi, sed etiam eorum bona publicæ potestati subiacent in commune bonum, atque ad tollenda incommoda, quæ in Republica oriri possunt, vt in superioribus sæpe est ostẽsum: ergo licet vnusquisque, solo iure naturali spectato, seclusaque Principis ordinatione in contrarium, destribuere possit sua bona vt libuerit, poterit nihilominus Princeps, si id bono communi expedire, & Reipublicæ esse vtile iudicauerit, certos modos & formas præscribere ad ea incommoda tollenda, quibus ea demum fiat bonorum distributio, ita vt quicquid alio modo factum fuerit, irritum omnino reddat, nulliusque momenti: cum ergo id circa testamenta minus solemnia, & quosdã contractus, manifeste fuerit sancitum, vt ex iuribus citatis constat: cõsequens est, vt

est, vt nihil manifesta testatoris voluntate impedi- A
ente, ciusmodi testamenta & cõtractus nullam vim
in foro conscientiæ habeant, idque propter Princi-
pis statutum ea de re merito confectum.

9 Tertio alienatio facta à pupillo sine tutoris autori-
Tertio. tate est nulla in foro conscientiæ, idq; esto pupil-
lus cordatior sit, maiorique iudicio polleat quam
multi adulti, quorum alienatio est valida: ratio vero
huius rei est, quoniã lex humana indistinctè voluit
irritam esse pupilli alienationem, tametsi legislato-
res inde fuerint adducti, ad eam legem ita iuste fe-
rendam, quod pupilli ordinarie non tanto iudicio
polleant, quantum par est, vt sibi ea in parte sufficiè-
ter prospiciant: neque enim legislatores in cõstitu- B
endis legibus respicere debent ad euentus particu-
lares, sed ad id, quod per se & ordinarie bono com-
muni expedit: esto vero finis, propter quem lata est
lex, in aliquibus particularib. euentib. deficiat, non
propterea definit vniuersim obligare, exceptis aliq-
uib. inopinatis euentibus, in quib. contrarium ex-
pedit omnino bono communi, quos legislator ipse,
si occurrissent, exciperet, suntque proinde per epi-
cheiam censendi non comprehendi tali lege: ergo
pariratione, cum propter nequitias & fraudes quæ
facilè orirentur, bono communi expediat constitui,
vt testamentũ minus solemne sit, idque legislatores
indistinctè statuerint: sane, esto finis huius legis ali-
quando deficiat, deficereque re ipsa constet, nihilo- C
minus testamentum minus solemne erit tunc nul-
lum in foro conscientiæ.

10 Quarto, secluſa lege humana, nõ minor obligatio
Quarto. naturalis oritur ex alienatione facta à pupillo pol-
lente iudicio, q̃ oriatur ex volũtate testatoris expreſ
sa testamento minus solemni: sed lex humana per
potestatem, quam Princeps ad bonam Reipublicæ
administrationem in omnes suos subditos & in eo-
rum bona habet, vniuersim impediuit naturalem
obligationem, quæ ex pupilli alienatione poterat
oriri, etiam quãdo finis legis in particulari cessaret:
ergo eadem ratione leges, quæ statuerunt vt con-
tractus & testamenta minus solemnia essent nulla,
per eandem Principis potestatem vniuersim impe-
dire voluerũt, ne ex eis oriretur obligatio naturalis,
etiam quando finis legis in particulari cessaret. Neq;
enim lex cessat, sine illius in particulari cessante. D
Finis namque statuti, quo Concilium Trident. ma-
trimonia clandestina irrita effecit, fuit, ne orirentur
grauissima illa mala, quæ ex illis nota erãt oriri paſ-
simque pullulabant: quamuis autem in multis par-
ticularibus euentibus nullum omnino sit periculũ
cuiuspiam mali, non proinde definit clandestinum
matrimonium esse in illis nullum, impeditamque
habere obligationem naturalem, quę secluſa illa le-
ge ex eo oriri necessario debebat. Longe quippe di-
uerſa sunt, præcipere aut prohibere aliquid solum
quatenus conducit ad aliquem finẽ, & legislatorem
bono aliquo fine permotũ præcipere aut prohibe-
re aliquid absolute. In primo namque euentu, ex eo
quod aliquid conducat actu, aũt non conducat ad
eum finem, iudicandum est, an id sub tali præcepto
contineatur, nec ne. In secũdo vero, esto finis cesset
in particulari, nõ proinde desinit cadere sub præce- E
pto illud omne, de quo legislator, in cum finem re-
spiciens, in genere præcepit, aut quod prohibuit.

11 Quinto, si leges, inualida reddentes testamenta
Quinto. minus solemnia, vim non haberent in foro consci-
entiæ, quando de testatoris voluntate constaret, sa-
ne id occasio multorum peccatorum esset, atque ad
ea leges cooperarentur, ac proinde essent iniquæ.
Cosecutio probatur, quoniam earum virtute hæres
ab intestato cum lethali peccato hereditatem extra-
heret ab hærede extraneo constituto in minus sole-
mni testamento: generaliter autem omni constitu-
tioni est derogandum, quæ absque lethali peccato
seruari non potest, vt *cap. vlt. de præscript.* habetur.

Sexto, esto in foro exteriori hæres ab intestato 12
confiteatur, voluntatem defuncti fuisse, vt hæres in *Sexto.*
minus solẽni testamento constitutus obtineret hæ-
reditatem, adiudicabitur hæreditas hæredi ab inte-
stato: eo quod testamentum fuerit inualidum, per-
indeque censeatur, ac si confectum non fuisset: le-
ges igitur irritantes minus solemnia testamenta nõ
fundãtur in præsumptione nequitiæ ac fallitatis te-
stamenti, sed inde vim habent, quod reuera legisla-
tor, pro potestate, quam ad id in sua Republica ha-
bet, voluit vt eiusmodi testamenta essent omnino
inualida, quæcunque tandem fuisset voluntas testa-
toris. Consequentia probatur, quoniam quando lex
aliqua in sola præsumptione fundatur, vimq; pro-
pterea in foro conscientiæ non habet, sane si cõstat
de contrario præsumptionis ex confessione illius,
cui ea lex fauet, non standum in foro exteriori tali legi,
sed veritati: vt quia lex, quæ, antequam Concilium
Tridentinum inualida effecisset clandestina matri-
monia, statuebat, vt in exteriori foro censeretur cõ-
summatum matrimoniũ, si post sponsalia esset sub-
secuta carnalis copula, fundabatur in præsumptio-
ne, q̃ sponsi maritali affectu, animoq; consumman-
di matrimonium talem copulam habuissent, vtiq;
si is, qui contenderet vi illius copulæ alterum effe-
cisse suum cõiugem, confiteretur eam non fu-
isse habitam ex maritali affectu, animoque consum-
mandi matrimonium, in foro exteriori nõ iudica-
retur illos esse cõiuges, vt communis practica in fo-
ro exteriori ante Concilium Tridentinũ habebat,
affirmabatque communis sententia Doctorum. E-
tenim licet, quando præsumptio est iuris & de iure,
quam iurisperiti vocant, vt illa erat, non admittatur
probatio in contrarium, admittitur tamen confes-
sio illius, qui adminiculum ex ea lege contendit.

Possumus confirmare, leges inualida reddentes *Confirmat.*
testamenta minus solemnia, nõ fundari in præsum-
ptione, quoniam ad aliquid absolute statuendum,
nunquam lege præsumitur id, quod raro ex re ali-
qua, sed quod vt plurimum ac regulariter solet e-
uenire: at vero frequentius multo euenire soler, vt
testatoris volũtas ea fuerit, quę reperitur in testamẽ
to minus solemni saltem quando duo aut tres testes
omni exceptione maiores interfuerunt, quam con-
trarium: ergo lex, quæ eiusmodi testamentum red-
dit inualidum, non fundatur in præsumptione,
quod non ea fuerit defuncti voluntas.

Septimo, si contractus, iure canonico aut ciuili 13
propter defectum solemnitatis nullus, esset validus *Septimo.*
in foro conscientię: sane nullius momenti esset lex,
quæ illum nullum efficeret: imo vero esset iniqua,
quippe cum vi illius nullus talis cõtractus esset in se-
ipso & in conscientiæ foro inualidus; & in exteriori
foro absq; lethali culpa peti non posset, vt iuxta eam
canonicam aut ciuilem legem nullus pronunciare-
tur: quare cum hæc absurdissima sint, dicendũ pro-
cul dubio est eiusmodi cõtractus nullos re ipsa esse,
non minus in conscientia, quam in exteriori foro.

Subijciendum vero est dissidium, quod est inter 14
nonnullos ex Doctoribus, qui hanc sententiam se- *Dissidium*
quuntur. Sotus & Victoria locis citatis post Alexã- *inter Docto-*
drum, & quosdam alios ex iurisperitis, quos Couar. *res huius*
t.cap.cum esses de testam. num. 10. refert, afferuerunt, o- *sententiæ.*
pinionem hanc eatenus esse veram, quod humanæ
leges, irritantes contractus & testamenta minus so-
lemnia, concedunt celebranti talem cõtractum, ac
hæredi ab intestato nõ solum in exteriori, sed etiam
in conscientiæ foro, petere rescisionem contractus
& occupare hereditatem aduersus hæredem in mi-
nus solemni testamento institutum, eamque in iu-
dicio petere tanquam sibi re ipsa debitam, nihil cõ-
traria testatoris voluntate impediente. Simul etiam
affirmant, eiusmodi leges nõ tollere quo minus al-
ter, cũ quo talis contractus est celebratus, licite pos-
set retinere, quod eo cõtractu accepit, interim dum
in iu-

in iudicio non petitur, vt contractus pronuncietur nullus ac reuocetur: & quo minus hæres in minus solemni testamento inſtitutus accipere, & retinere ſibi in conſcientiæ foro poſſit bona ſibi relicta, diſſimulare ſæpe defectum talis teſtamenti, interim dum ab hærede ab inteſtato ea bona in iudicio non petuntur. Iraq; velle videntur, leges irritantes contractus, & teſtamenta minus ſolemnia, non abſtuliſſe ab eis vim transferendi dominium in contrahentes, iurer ſe, & inter hæredes in eis inſtituros, ſed ſolum in eo ſenſu irrita ea reddidiſſe, quod alteri contrahentium conceſſerunt facultatem petendi, vt tales contractus pronunciarentur nulli ac reuocarentur, & ſimiliter quod hæredi ab inteſtato facultatem conceſſerunt vſurpandi ac petendi ſibi hæreditatem, perinde ac ſi defunctus ab inteſtato diſceſiſſet, id que trahendo illis verum ius, ita vt iuſtè ſaluaque conſcientia id poſſent efficere. Eodem modo dicũt legatarium, cui in minus ſolemni teſtamento aliquid eſt relictum poſſe petere, & accipere legatum ſibi ita relictum, niſi hæres ab inteſtato reſiſtat, ac ſe opponat, ſimulq; hæredem ab inteſtato poſſe licite ſe opponere, vſurpareq; eiuſmodi legata, obiiciendo teſtamentum eſſe nullum, eaque repetere, ſi iam antea ab aliquo alio eſſent ſoluta.

Huius opinionis non aliud video fundamentum apud Sotum & Victoriam, quam quod leges ciuiles & Eccleſiaſticæ his de rebus nõ eo rigore videantur intelligendæ, vt impedire velint dominii translationem, aut aliud concedere, quam repetionem aut retentionem eorum, quæ eiuſmodi cõtractibus, aut teſtamentis minus ſolemnibus alienata, aut relicta alicui ſint. *Præſertim*, ait Victoria, *cum id confirmet vſus proborum virorum, qui cum ſciant, aliqua alienata eſſe ab Eccleſiis ſine ſolemnitatib. ad id neceſſarijs, ea retinẽt, dum non petuntur.* Neque Victoria & Sotus hanc opinionem tanquam certam ſequuntur, ſed tanquam ſibi veriſimilem.

15 *Couarr. & aliorum placitum.*

Couarruuias & Ledeſmius locis citatis & Antonius Gomez. *ad l. Tauri 2 num. 123.* aduerſus Victoriam, Sotum, & alios contendunt iura canonica & ciuilia in prædictis euentibus, non ſolũ concedere iuſtam rei petitionem, retentionem, aut occupationem eorum, quæ ita alienata, & relicta alicui ſunt, ſed omnino impedire dominii translationem, ac proinde poſſidentes aliquid titulo contractus aut teſtamenti minus ſolemnis, teneri illud reſtituere, etiam ſi nullus ſit, qui id petat: eo quod poſſideant alienũ inuito domino.

16 *Autor.*

Vt in hac graui, difficili, quotidiana & perunili, quæſtione dicã, quod ſentio, ſciendum eſt. Ex mente legũlatorum circa iura, q̃ quoad inutilitatem teſtamentorũ & contractuum minus ſolemniũ lata ſunt, pendere, tum legitimam eorũdem iurium interpretationem, tum proinde quæſtionis ſolutionem. Atque vt à teſtamẽtis, vltimiſve volutatib. ordiamur. Vnum è quatuor potuerunt legislatores intendere in eiuſmodi legibus cõdendis. Primum, relinquere vltimis voluntatibus ſuam vim, quã ex natura rei habent, neque impedire obligationem naturalem, quæ ex eis, ſtando in ſolo iure naturali, apta eſt ſequi: & nihilominus, præter fraudes, ementitaq; teſtamenta, & legata, quæ ob cupiditatem facile poſſent accidere, inducere præſumptionem iuris, & de iure, vt nulla iudicarentur teſtamenta, quibus deeſſet ſolemnitas aliqua iure humano requiſita. Hanc ſententiam videntur ſequi multi ex Doctoribus pro prima ſententia relatis: neq; dubito eam eſſe falſam, vt ſufficienter probant, præſertim quintum argumentum, & confirmatio ſexti, quæ pro ſecunda ſententia confecimus: neque dubitarem appellare iniuſtas leges ciuiles, quæ id ita ſtatuerẽt, vtpote quæ falſum ementitumque iudicarent, q̃ ordinarie non eſſet tale: eiq; fundamẽto innitẽdo, bona defunctorũ in eis casibus vt plurimum illis adiudicarentur: quibus neq uaquam eſſent debita, quique abſque peccato ea retinere non poſſent, & auferrentur ab eis, quibus eſſent debita.

A

Secundum potuit eſſe mens legumlatorum, pro poteſtate, quam in ſubditos, & in eorum bona ad communem Reipublicæ vtilitatem habent, caſſare atque irrita reddere teſtamenta, aliasq; eorum vltimas voluntates, in quibus quacunque de cauſa non interuenirent certæ quædam ſolemnitates eiſdẽ legibus ſtatutæ, impedireque ne ex eis vlla obligatio naturalis oriretur: idq; ne ementitis teſtamentis, aut codicillis, factaue in eis aliqua fraude, bona defunctorum contra eorum voluntatem iniuſte occuparentur. Præſertim cum ex eo, quod veræ eorum vltimæ voluntates ob ſolemnitatis defectum caſſarẽtur, bona eorum deuenire deberent ad ipſorum hæredes ab inteſtato, qui coniunctiſſimi ipſis ſunt, & quos æquitas poſtulabat, vt potius, quam alios hæredes inſtituerent. Sententiam hanc ſecuti ſunt Couar. Ant. Gom. & Ledeſmius *locis citatis*, mihiq; aliquando viſa fuit vera. Quoniam reuera, vt probant argumenta, quæ pro ſecunda ſententia confecimus, id potuerunt intendere, & efficere legislatores, ratio que, q̃ proxime reddidimus, ſufficientiſſima erat, vt id efficerent. Quin & iura, quæ ſupra retulimus & nonnulla alia, ſatis aperte, primo aſpectu, huic ſententiæ fauent. Præterea id conſonat cum vſu exterioris fori, quo teſtamenta eo ipſo, quod aliqua eis deeſt ſolemnitas, pronunciantur nulla, hæredeſq; ab inteſtato, eſto ſciant cõtrariam fuiſſe defuncti voluntatem, abſq; ſcrupulo occupant & poſſident eorum bona, neque legata in eis relicta ſoluunt, niſi fuerint pia: quod nequaquam abſque lethali culpa efficere poſſent, niſi legislatores, modo explicato, eiuſmodi teſtamenta irrita reddidiſſent. Ab hac ſententia neque modo recederem, niſi alia comperiſſem iura, quæ mihi perſuadent, hãc, quam proxime ſubiungam, fuiſſe legũlatorum mentem.

B

C

Autoris ſententia.

Tertium itaque eſſe potuit legumlatorum intentum, non quidẽ irritas reddere minus ſolemnes teſtatorum vltimas voluntates, impedireve ne ex eis ea naturalis obligatio emanaret, quæ ex natura rei nata eſt oriri: neque item ex præſumptione falſitatis eas nullas pronũciare, iuſque concedere hæredib. ab inteſtato, ſed duntaxat nõ admittere eas tanquã legitimas ad probandũ eam fuiſſe voluntatem teſtatoris: eo pacto, quo in hoc Luſitaniæ Regno 3. *libro Ordinat. tit.* 45. ſtatuitur, vt exceptis quibuſdã euentibus, qui ibi exprimuntur, nõ admittatur vel teſtium, quantumuis multorum, vel quæcunq; alia probatio, niſi ſcripturæ publicæ circa quemcunq; contractum aut diſtractum, qui in immobilibus valoré ſexcentorum æreorum nummorum, quos *reais* vocant excederit, vel in rebus mobilibus valorem triginta mille eorundẽ nummorum ſuperauerit: permittitur tamen ei, qui probationẽ ſcripturæ publicæ non habet, relinquere rem iuramento alterius: eſto tamen ille alius falſum iuret, ſufficienterque id probetur, puniturquidem vt periurus, non tamen propterea debitum ei adiudicatur: qui probatione per ſcripturam publicam, aut confeſsione debitoris caret, vt ibidẽ habetur. Simili modo dici poteſt, conditores legum, ſolemnitatum, teſtamentorum ac codicillorum, ad fraudes, ementitaq; teſtamenta & legata vitanda, itemque vt bono ipſorummet teſtatorum ac publico proſpicerent, nõ intendiſſe eis legibus adimere vim vllam vltimis voluntatibus, ſed duntaxat ſtatuere, vt quæ ſine eis ſolemnitatib. deinceps fierent, reputarẽtur nullæ ad fidem in foro exteriori faciendam, ipſoſmet teſtatores eiſdem legibus præmonendo, qualiter ſuas voluntates vltimas condere deberent, vt fidem facerent. Quod ſi hoc fuit legumlatorum intentum, dicendum eſt, leges ciuiles non reſiſtere vltimis voluntatibus minus ſolemnibus, quaſi ab eis vim ſuam, obligationemque

D

E

nemque naturalem auferant: sed duntaxat eis non assistere actionem ciuilem ex eis concedendo: eo quod iustis de causis insufficientes eas reputent ad fidem in exteriori foro faciendam.

17 Hanc autem fuisse legumlatorum mentem mihi persuadent nonnulla iura. Primum & potissimum est *l. vltim. C. de fideicommiss.* vbi Iustinianus aperte videtur interpretari iura, quę solemnitatem in vltimis voluntatibus vt sint validæ, exigũt. Cum enim testator quidem suum hæredem grauasset, vt hereditatem cuidam tertio restitueret, neque testium solemnitatem ad id necessariam adhibuisset, eaque de causa hæres neque fideicommissum soluere vellet, neq; manifestare fidei ipsius id à testatore fuisse cõmissum: ad eam litem dirimendam statuit Iustinianus, vt siue fideicommissum vniuersale sit, hoc est, de hereditate restituẽda, siue particulare, id est, de legato reddendo, esto testator non adhibuerit solemnitatem legibus requisitam, si tamen is, cui id restituendum venit, petat ab hærede aut legatario, vt iuret, an testator fidei ipsius commiserit, vt id sibi restitueret, teneatur iurare: si vero iurare renuat, vel fideicommissum confiteatur, cogatur illud soluere. Redditq; rationem, quæ ad institutum nostrum magnopere conducit, dicẽs. *Cum enim res per testium solemnitatem ostenditur, tunc & numerus testium, & minima subtilitas requirenda est. Lex etenim, ne quid falsitatis incurrat per duos forte testes cõpositum testamentum maiorẽ numerum testiũ expostulat, vt per ampliores homines perfectissima veritas reneletur. Cum autem is, qui aliquid ex voluntate defuncti lucratur, & maxime ipse hæres, cui summa autoritas totius causæ cõmissa est, dicere cõpellitur veritatem per sacramenti religionem, qualis locus testibus relinquatur, vel quemadmodum ad extraneam fidem decurratur, propria & indubitata fide relicta?* Hactenus textus ille. Ex quibus verbis aperte constat: solemnitatem, vel testium, vel quamcunq; aliam, solum exigi in vltimis voluntatib. vt fidem faciant in foro exteriori: non vero, vt vim in se habeant, & vt obligatio naturalis ex eis resultet. Ex eisdem quoq; verbis cõstat confessionem, quod ea fuerit testatoris voluntas, factam per eum, cui intererat irritam illam esse, satis esse, vt aduersus eũ sit valida, nihil impediẽte, quod in ea adhibita non fuerit solemnitas testiũ, vel quæuis alia iure ciuili requisita. Quin & hæredẽ ab intestato, qui ob defectum solemnitatis intenderit ad se pertinere hæreditatem, aut non teneri soluere legata, vel fideicommissa in testamento aut codicillo relicta, cogi posse in foro exteriori, vt iuret, an absque dubio sciat, vt sibi persuadeat, eam fuisse testatoris voluntatem, atque adeo se teneri in foro conscientiæ illi stare: quod si vel iurare renuat, vel confiteatur eam fuisse defuncti voluntatem, cogẽdum esse illi stare. Idem statuit idem Iustinianus *Instit. de fideicommissis. §. vlt.* commemorans eandem legem Codicis, quam post cæteras Cęsareas de vltimarum voluntatum solemnitatibus, constituerat.

18 Secundo idem mihi persuadet *l. etsi inutiliter. C. de fideicommiss.* Vbi Antonius Imperator ait, *Si testator inutiliter* (hoc est, sine debita solemnitate) *reliquit fidei commissum, & hæres sciens illam fuisse voluntatem defuncti, illud soluit, neq; ipsum, neq; hæredes illius possessor illud repetere*: reddit rationem dicens. *Cum nõ ex sola scriptura* (minus solemni scilicet) *sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videatur.* Ex quibus verbis aperte constat, defectũ solemnitatis non impedire, quo minus in conscientię foro fideicõmissum debeatur, ac proinde quo minus ex minus solemni testatoris voluntate obligatio naturalis oriatur.

19 Tertio idem confirmat *leg. non dubium C. de testam.* vbi etiam de legatis habetur, quod si hęres fideicommissa aut legata in minus solemni testamẽto relicta soluit, neque repetere illa potest, neque si annua aut menstrua sint, desistere ab eis persoluendis. Quod non aliunde est, nisi quia ex testamento minus solemni oritur obligatio naturalis, quæ sufficit, vt sit melior cõditio possidentis. Præterea, quia præsumitur hæredem ea soluisse ex conscientia, quod ea fuerit defuncti voluntas.

Quarto idem mihi suadet, quod cõmunior Doctorum sententia, quam Iulius Clarus, *li. 3. sententiarum §. testamentum n. 90.* Couar. *cap. cum esses de testa.* referunt, affirmat cum glossa *leg. quam quis. Cod. de iure & facti ignorantia*, & *leg. 1. Cod. de condictione indeb.* ex vltima volũtate minus solemni oriri obligationem naturalem. Atque hac de causa dicunt, præter alia, quæ ex hoc capite commemorauimus sancita esse iure ciuili, constituturum quoque esse *leg. militis §. veteranus ff. de militari testamento*, vt legatarius, qui sine vitio esset in possessione legati sibi relicti in minus solemni testamento, haberet exceptionem aduersus hæredem illud petentem, nec in exteriori foro teneretur illud soluere: eo quod esset melior cõditio possidentis: idque affirmant eo loco Bart. *numer. 18.* & alij DD. communiter. Atque ex illo iure volunt Emmanuel à Costa. *cap. si pater. p. 1. verb. in suo testamento numer. 14.* & alij, quos Gama *decis. 221.* & *347.* refert in hoc Lusitan. Regno, si vel maritus in minus solemni testamento relinquat vxori legatum tertiæ partis suorum bonorum, vel vxor marito, posse eiusmodi legatarium se tueri aduersus hæredes defuncti exceptione, quod si in legitima illius possessione. Etenim de iure huius Regni *l. 10. 4. Ordinat. tit. 7.* coniunx, qui superstes fuerit, alteri coniugi, eo ipso absque alia apprehẽsione manet in possessione omnium bonorum tanquam caput domus, ab illoque tenentur petere hæredes defuncti, quod ad ipsos pertinet. Atq; hic est alius casus, præter cõmemoratos supra *disp. 3.* in quo reperitur possessio ciuilissima absq; vlla apprehensione vera vel ficta. Obserua tamen, quod si legatum aliquod, aut fideicommissum relictum in minus solemni testamento solutum esset ab hærede ex ignorantia facti, nempe, quia ignorabat testamentum esse minus solemne, concederetur illi repetitio, nihil impediente possessione, in quam missus esset legatarius: secus autem, si esset solutus per ignorãtiam iuris, quia scilicet ignorabat ex testamento minus solemni nõ deberi. Ita habetur expresse. *leg. fidei commissum Cod. de condictione indebiti*, & *l. cum quæ Cod. de iure & facti ignorantia*, & affirmant gloss. & Bartol. ibidem Couar. *c. quamuis pactum part. 2. §. 4. n. 8.* & Doctores communiter.

Quinto idem mihi persuadet ius Regni Castellę. Etenim in calce *legis 3. Tau. quæ est 2 lib. 5. nouæ collect. tit. 4.* & quæ meminit *l. 1. præcedẽs*, eamq; explicauit, & coarctauit: constituta enim illis duabus legibus solemnitate tota in testamentis & codicillis hodie in eo Regno requisita, lubiũgitur. *Los quales dichos testamentos y codicillos, si no uuieren la dicha solennidad de testigos, mandamos que no hagan fe, ni prueuen en juyzio ni fuera del.* Ecce, nullam vim seu obligationem aufert à testamẽtis & codicillis ob solemnitatis defectum, sed solum statuit, vt fidem non faciant, insufficientiaque sint, vt ex illis quicquam, vel in iudicio, vel extra iudicium probetur.

Quod si hæc fuit legũlatorum mens, sane dicendum est, hæredem in minus solemni testamento institutum, non solũ posse occupare & retinere hæreditatẽ sibi relictam, celareq; defectum testamẽti, sed etiam posse, cessante scandalo, facere occultam recompensationem, si hæreditas in exteriori foro heredi ab intestato adiudicetur. Idem dicẽdum est de legatario, aut fideicommissario, cui in testamento aut codicillo minus solemni relictum esset legatum aut fideicommissum. Dicendum præterea est, hæredem ab intestato, qui sibi persuadet, aut merito persuadere debet, voluntatẽ testatoris fuisse illam, quæ in testamento, aut codicillo minus solemni continetur,

rietur, lethaliter peccare, si vel petat adiudicari sibi hæreditatem alterius relictam, vel non soluat legata, aut fideicommissa eo pacto relicta, tenerique ad restitutionem, tum horum omnium bonorum, tum etiam expensarum litis, aliorumque damnorum hæredi, fideicommissario, aut legatariis ob eam litem, bonorumque occupationem subsecutorum. Item (quod magnopere est aduertendum) in dubio an ea vere fuerit testatoris voluntas, teneri facere cōpositionem cum hærede, legatariis, & fidei cōmissariis ita minus solemniter institutis, pro dubij quantitate, sibi vsurpando partem eorum bonorum, & partē alteram illis relinquēdo. Vt enim in materia de mancipiis diximus, & in materia de bello, & alias sæpe est repetendum, quando aliquis nondum bona fide cœpit possidere aliqua bona arbitrans, semoto omni dubio, ea ad se in foro conscientiæ pertinere, non est melior conditio ipsius, idque potissimum locum habet, quādo agitur de occupandis iis bonis defuncti, de quibus est dubium ad quem in foro conscientiæ pertineant. Quod si facta morali diligentia desperetur sciri posse, ad quem à duobus, aut pluribus in foro conscientiæ pertineant, diuidēda sunt inter illos pro dubij quantitate. Præterea dicendum est, quando hæres ab intestato petit hereditatem in minus solemni testamento alteri relictam, vel renuit soluere legata, aut fideicommissa minus solemniter relicta, posse iuxta *l. vltim. Cod. de fideicommissis*, & debere in foro exteriori cogi, vt iuret, an sciat, omnino nouo sibi persuadeat, eam fuisse testatoris voluntatem, atque adeo debitam illis esse in foro cōscientiæ. Quod si, vel annuat, vel iurare renuat, adiudicanda ea esse hæredi, fidei cōmissario, aut legatariis in minus solemni testamento aut codicillo relicta, non quidem vitalis testamenti, aut codicilli, quasi fidem in foro exteriori faciat, sed vi propriæ confessionis formaliter aut virtute factæ ab hærede ab intestato quæ vim habet in foro exteriori, nihil impediente præsumptione in contrariū, & quod tale testamentum, aut codicillus minus solemnis fidem non faciant in foro exteriori. Denique dicendum est, aduocatos, qui sibi persuaserint eam fuisse legumlatorū mentem, quā tertio loco explicauimus, veramque esse hanc nostram sententiam, teneri in conscientiæ foro interrogare clientulos, qui eorū petunt patrocinium, vt ipsis tanquam hæredibus ab intestato in exteriori foro adiudicētur bona defuncti in minus solemni testamento aut codicillo aliis relicta, num sibi persuadeant, illam fuisse voluntatem testatoris: quod si annuant, aut ipsimet aduocati, illis negantibus, id sibi persuadeant, nō posse illis præstare patrocinium, vtpote ad rem iniustam, tenerique illos admonere, non posse petere ea bona in foro conscientiæ, si semoto omni dubio arbitrētur eam fuisse voluntatem testatoris, & in dubio teneri facere compositionem, vt dictum est.

23 Illud admonuerim, Couar. Ledesmij & Ant. Gomez. sententiam defendi nullo modo posse in fidei cōmissis, minus solemni testamento aut codicillo relictis, idque siue vniuersalia, siue particularia sint vt *ex l. vlt. C. de fideicom. & §. vltim. Instit. eodem tit.* est manifestū. Iulius Clarus *q. 90. citata* à Coua. dissentit etiam in legatis, quæ, propter ea, quæ superius diximus arbitratur deberi in foro conscientiæ, etiamsi in minus solemni testamento aut codicillo sint relicta. Quia iura vero omnia, quæ citauimus, nihil expresse dicunt de hæreditate, arbitratur verā esse Coua. opinionem quoad hereditatem in minus solemni testamento relictam, tametsi nō admodum sit firmus. Est vero ea sententia reiicienda tum quia eadē aut minor fit ratio de hereditate, quę de legatis & fidei commissis, vt cōparatio illius obligatio naturalis ex minus solemni testamento oriatur: tum vel maxime, quoniam ex ratione, quam Iustinianus *leg. vlt. C. de fideicommissis* reddit, aperte constat, solemnitatem testamentorum solum esse necessariam ad probationem eorum legitimam, & vt fidem in foro exteriori faciant: non vero vt ex testamentis obligatio naturalis oriatur: idemque satis aperte innuit *l. 3. Tauri.*

Quartum denique legumlatorum intentum esse potuit non auferre quidē à minus solemnibus vltimis voluntatibus vim naturalē, vt hæres legatarius & fideicōmissarius in eis instituti, occupare, retinere, ac consumere possent tuta conscientia bona eo pacto illis relicta, quousque vel ferretur sententia in cōtrarium, vel bona illa peterentur ab hærede ab intestato: secus autem statim ac peterentur, aut ferretur sententia. Hoc cum Alexandro arbitrati sunt Victoria & Sotus, nec tamen video id iuri alicui inniti, aut legitimæ rationi, quæ persuadeat eam fuisse legumlatorum mentem. Quin potius, quicunque id attente expenderit (arbitror) iudicabit illud improbabile, indignumque, quod sapiens legislator intenderit. 24

Expediret profecto, quandoquidem res hæc tota ex legumlatorum mente pendet, vt Christiani legislatores, vnusquisque in hoc Regno, disertis verbis explicarent, num intenderent irritas omnino reddere vltimas voluntates minus solemnes, impedireque ne ex eis obligatio naturalis oriretur, vt Coua. Ledesm. Ant. Gom. & ex parte Iulius Clarus arbitrantur: an vero eam non impedire, vt communior multorum Doctorum sententia existimat: ita enim fieret, vt & confessarii essemus vnanimes, & multo melius conscientiis hominum consuleretur. Hæc dicta sint quod attinet ad vltimas voluntates.

Quod vero attinet ad contractus, non dubito veram esse opinionem Couar. Ledesmii, & Ant. Gom. Tum quia id sonant aperte iura, quæ de inualiditate eiusmodi contractuum sunt lata, neque est ius aliud quo ea aliter interpretetur, vt sunt iura aperta, quæ interpretantur, non fuisse intentum legumlatorū auferre ab vltimis voluntatibus minus solemnib. vim obligandi naturalem, quam habent in foro cōscientiæ. Tum etiam quoniam, cum vnicuique contrarium cōster se vere celebrasse eum contractū minus solemnē, sane si ex eo oriretur obligatio naturalis, nullus eorum posset tuta conscientia ex eo capite illud reuocare, quod fuerit minus solemne nisi forte petendo, vt in pœnam alterius reuocaretur. Tum denique quoniam de matrimonio clandestino celebrato fine solemnitatibus in Concilio Tridentino statutis nullus negare potest nō oriri obligationem naturalem, esseque nullum omnino in foro conscientiæ. Eademque est ratio de aliis contractibus statutis simili modo ipso iure irritis. 25

Sunt vero hęc intelligenda cum hac moderatione. In primis enim, vt à principio dicebamus, quādo contractus esset oneroſus, & vtrinque æqualis, vnusquisque cōtrahentium expectare posset, vt alter, si vellet, peteret, illius reuocationem, ob solemnitatis defectum. Neque tunc æquitas ferret, vt quāndo contractus rescinderetur, fructus percepti soluerentur. Tum quia præsumendum esset eos bona fide esse perceptos & consumptos. Tum etiam, quoniam aduersarius toto eo tempore vsus ēt est re data in recompēsationem, ex qua fructus potuit etiam percipere, aut cum ea negotiari, vel emere rem fructiferam. Quādo ēt solemnitates in fauorem vnius dumtaxat partis essent introductæ, vt in fauorem minoris, ita vt nihil impediente defectu solemnitatis, possit minor ille velle, vt stetur contractui: tunc sane alter expectare optime potest, vt ex parte minoris petatur rescisio cōtractus. Præterea, quando solemnitas solū exigeretur, vt de finceritate & veritate constaret, ne palliaretur vsura, aut aliud malū sane si nihil mali interueniſſet, idque in foro exteriori ex confessione vtriusque partis constaret, non propterea, etiam in exteriori foro, esset rescindendus

dus contractus, eo quod præsumptio omnis mali eo ipso cessaret. V. g. Pius 5. in bulla censuum inter alia, ob quæ statuit, vt censualis contractus cum pacto de retro vendendo esset ipso iure nullus, vnum fuit, vt pecunia coram tabellione solueretur. Proculdubio tamen, si vere esset soluta, esto non in præsentia tabellionis, quia contrahentes ignorabant, id esse necessarium, tutam nō redderem conscientiam illius cōtrahentis, qui ex eo capite vellet rescindere cōtractum, neq; crederem iudices posse illum nullum pronūciare ob eum defectum, si is ipse qui rescindi petteret, cōfiteretur pecuniam fuisse solutam. Illud postremo admonuerim, aliquādo iuris rigorem esse prætermittēdum, q; ad eiusmodi attinet solemnitates, iudicandumque potius id esse, quod æquitas postulat, quodque verisimiliter ij ipsi legum conditores, si præsentes essent, iudicassent spectatis circumstantiis omnibus cōcurrentibus. Neq; enim prospicere potuerunt omnibus singularibus euētibus, dum id statuerunt, quod vt plurimum cōmuni bono expedire iudicarūt. Neque æquitas & charitas postulat, vt quod pro charitate & cōmuni bono statutū est, executioni mandetur, quando in particulari cū charitate & æquitate pugnare iudicatur. Exemplum sit, q; in Eborensi ciuitate accidit. Cum quidam mancipium quoddam quorundam minorum iusto pretio, spectatis tunc circumstantiis concurrentibus, emisset, vtiliterque satis actum fuisse, tunc negotium minorum ab omnibus iudicaretur, cumque essent solemnitates iure requisitæ obseruatæ, accidit, vt vna memoria excideret, & per inaduertentiam fuerit omissa, quæ ad iudicem potius, q; ad emptorē spectabat: non occurrit tamen iudicem de ea admonere. Aliquot vero postea annis elapsis, factisque expensis cum mancipio fugitiuo, qui sæpe in longinquas fugit regiones, casu euenit, vt mancipium illud valde vtile, eaque ratione magni pretij euaderet. Tūc autem minores, cupiditate illius, inquirere cœperūt, num via aliqua reperire illud possent, cum vero deprehēdissent solemnitatem illam non fuisse seruatam, mancipium & fructus omnes ex illo perceptos repetere cœperunt: atq; in prima instantia, nōn sine dolore ipsius met iudicis, qui naturam ipsam rei ac æquitatem longe aliud postulare cernebat, ne à iuris rigore discederet, sententiam tulit, vt restitueretur. Sane in eo euentu, in quo minorum negotium vtiliter fideliterque gestum est, & in quo si res è contrario accidisset, integrum non fuisset emptori ex illo eodem capite reuocare contractum, æquitatem potius & charitatem iudicarē fuisse sectādam, quam iuris rigorem, ob omissam bona fide leuem solemnitatem, ex qua nihil omnino commodi minorum pendebat: ita n. verisimile est ipsos legumlatores in eo euentu, spectatis omnib. circumstantiis, fore iudicaturos. Molina 2. *lib. de primog. cap. 6. n. 33.* ex Bart. & aliis, quos refert, affirmat, omissionem modicæ solemnitatis actum nō vitiare. Idem dicimus inferius *disp. 218.* cum multis, quos Greg. Lopez, & Aluar. Valas. referunt ac sequūtur, etiamsi solemnitas illa sit de forma seruari præscripta, vt actus sit validus. Quæ autem modica iudicāda sit, arbitrio prudentis est relinquendum.

Superest, vt respondeamus, ad argumenta vtriusq; opinionis à principio cōfirmata, quatenus cum nostra sententia pugnare videbuntur. Quin & argumenta pro opinione Panormitani & aliorum soluenda sunt, quatenus cum opinione Couar. Ledesmij, & Antonij Gomez pugnant. Cum enim, quod hi autores existimarunt, esse potuerit intentum legumlatorum, imo vero consultum forte plus fuisset saluti animarum, si illud fuisset eorum intētum, eo quod ex viginti vltimis voluntatibus minus solemnibus, vir vna non deducatur in forum contentiosum: & ex iis, quæ deducuntur, cum detrimento salutis hæredum ab intestato, adiudicari eis soleant bona defuncti: sane nullū horum potest vim habere: cum nullum eorum attingat iura, ex quibus nostram sententiam nobis persuademus.

Ad primum ergo pro opinione Panormitani & aliorum, in primis concedenda est maior. Id vero, quod *ex § per traditionem*, in illius probationem adducitur, solum habet verum, quando non adest legitima causa id impediendi, neque superuenit lex positiua, quæ ex tali causa id impediat. Deinde concedenda est etiam minor, & neganda est consequētia, & simul propositio illa quę quasi in consequentiæ probationem assumitur, nempe cessante fine legis in aliquo particulari, legem definere in eo obligare: id quod ex argumentis, quæ pro secunda opinione confecimus est, manifestum. 26 *Ad primum pro opinione Panorm. & aliorum.*

Ad confirmationem Adriani neganda est consequentia: lex namq; naturalis & diuina non vniuersim & absolute præcipit correctionem fraternam, sed cum limitatione, præcise quatenus inseruit ad fratris emendam: lex vero humana, quæ irrita reddit testamēta minus solēnia, iuxta opin. Cou. Ledesm. & Antonij Gom. licet originem habeat à fine, à quo legislator fuit motus, irritat tū ea testamenta, non præcise, quando est necessarium ad finem, sed absolute & omnino, vt dictum est: quare non est par ratio. Adde legem correctionis fraternę esse affirmatiuam, quæ non obligat ad semper sed aliquando, quando videl. iuxta finis exigentiam fuerit expediens: leges vero, de quibus loquimur, esse negatiuas vniuersim prohibentes, ne talibus contractibus & (iuxta opinionem Couarruuiæ) ne talibus testamentis dominium transferatur. *Ad confirm.*

Ad secundum dicendum est, id nullum esse absurdum in euentu aliquo particulari, neque præterea esse omittēdum quod postulat bonum cōmune. Quemadmodum etiam nullum est absurdum, si aliquis propter præscriptionis leges, quas postulat bonum commune, interdum sine culpa sua amittat dominium rei suæ. 27 *Ad secundum*

Ad tertium neganda est prior pars maioris, iuxta nostram quidem sententiam, quoad contractus, iuxta opinionem Couar. etiam quoad testamenta. Lex namque humana irritans eiusmodi contractus & testamenta, latāque à potestate publica, cui testator & bona illius subiacent per comparationem ad bonum commune, impedit ne ex ea obligatio naturalis oriatur, vt dictum est. Neganda est etiam posterior eiusdem maioris: lex namque illa non fundatur in præscriptione, sed vel irritat vniuersim testamentum minus solemne, quęcumque fuerit voluntas testatoris, idque quia ita postulat bonum cōmune, ne permissio testamenti minus solemnis occasio sit malorum in Republica, vel vt nos dicimus, non admittit illud in probationem sufficientem voluntatis testatoris, eaque de causa illi non assistit concedendo ex illo ciuilem actionem. 28 *Ad tertium*

Ad dictum Innocentij dicendum est, electionem illam non esse nullam, sed irritandam, si in ea non velit consentire, qui abfuit, & non fuit vocatus, eaque de causa electum illum posse perseuerare in munere aut beneficio, ad quod fuit electus, interim dum electio non irritatur. Quod si electio esset ipso iure nulla, non posset tuta conscientia retinere tale munus aut beneficium: eo quod careret titulo ad id necessario. *Ad confirm.*

Ad primum pro aliorum opinione dicēdum est. Probare quidem esse in Republica potestatem ad condendas eas leges: nō tamen probare tales leges conditas esse circa testamenta. Illæ vero, quæ in eo argumento referuntur, intelligendæ sunt solum in exteriori foro, atque ad effectum vt in eo fidem faciant, vt exponunt *l. vlt. Cod. de fideicommissis*, & alia iura, ex quibus nostram sententiam probauimus: non vero in foro conscientiæ. 29 *Ad primum alterius contrariæ sententiæ.*

Ad secundum similiter dicendum est, probare quidem 30 *Ad secundū*

quidem Principem, posse id efficere: non vero factum fuisse, quod ad testamenta attinet.

31 *Ad tertium.* Ad tertium dicendum similiter est, probare potuisse Principem id efficere, daroque, quod id fecisset, amissuram non fuisse legem suam vim, etiam in particulari euentu, in quo finis legis deficeret: non vero probare id factum esse, quod ad testamenta attinet. Adde cõtractus pupilli, neque etiam ex parte ipsius esse omnino nullos, sed parere obligationem naturalem, quã tamen elidere ac nullam reddere potest beneficio restitutionis in integrum, vt vtrunque *d. ff. 124.* ex iure ipso ciuili ostendimus.

32 *Ad quartũ.* Ad quartum dicendũ est, probare potuisse Principem impedire, ne ex testamento minus solemni oriretur obligatio naturalis, etiam in particulari euentu, in quo is finis cessaret, vnde ad id licite statuendum adduceretur: non tamen probare id statuisse. Præterea dictum est, ex contractu pupilli oriri obligationem naturalem.

33 *Ad quintũ.* Ad quintum dicendum est, habere vim aduersus eos, qui affirmant, legem fundarii in præsumptione, quasi lex iudicet testamenta & codicillos minus solemnia, esse emẽnita: non vero aduersus nos, qui dicimus, leges iusta de causa, & præmonendo testatores, nolle admittere probationem, quę ex illis elicitur, atque adeo illis non assistere in foro exteriori. Quod vero inde occasionem sumant peruersi vsurpandi, quod in conscientiæ foro vsurpare non possunt, imputandum non est legislatoribus, sed nequitiæ abutentium iis iuribus, quæ in commune bonum statuta sunt.

34 *Ad sextum.* Ad sextum negandum est, si hæres ab intestato confiteatur illam minus solemnem fuisse vere voluntatem testatoris, adiudicandam illi esse hæreditatem, vt *ex leg. vlt. Cod. de fideicommiss.* ostendimus. Licet enim leges negantes actionem ex testamento minus solemni non fundentur in præsumptione, sed solum in sufficientia iudicent eiusmodi testamenta, vt fidem faciant in foro exteriori: quãdo tamen adest confessio partis contrariæ, ea confessio censetur sufficiens legitimaque probatio.

Ad confirm. Ad confirmationem dicendum est, optime probare, leges illas nõ fundari in præsumptione, quod minus solemnis voluntas non sit vera testatoris voluntas.

35 *Ad septimũ.* Septimum vero argumentum probat optime nostram sententiam quoad contractus.

SVMMARIVM.

1 *Duobus modis à iudicibus aliisque ministris publicis accipitur: contra legem diuinam aut humanam, quid fieri vno ob honestam seu non turpem causam, altero ob turpem causam reme illicitam.*

2 *Trifariam res turpis seu illicita cẽsetur ex parte dantis, accipientis, & vtriusque.*

ACCEPTIO INTERDVM OB HONESTAM, seu non turpem causam, interdum ob turpem, & quot modis in genere turpitudo contingat.

DISPVTATIO 82.

TRactatio de acquisitione & amissione dominij lege humana postulat disputemus etiam, quousque, qui contra diuinam aut humanam legem aliquid accipiunt, dominium illius comparent, aut non comparent, teneanturque, aut non teneantur id restituere. Quo vero dilucidius id fiat, rem hanc in aliquot sẽcamus disputationes: in quarum lucem ac fundamentum id, quod propositum est, præmittimus.

A Res aliqua, tam à iudicibus & aliis ministris publicis, quam à quibuscunque aliis, duobus modis potest accipi contra legem diuinam, aut humanam atque adeo turpiter. Vno, ob honestam, seu nõ turpem causam, ac proinde ob rem licitam in se, qualis est ferre iustam sententiam, non demorari in expeditione negotij alicuius, & his similia, quæ licite exequi quis potest iuxta munus sibi commissum. Altero, ob turpem causam, rem ve illicitam, vt ob ferendam iniquam sententiam, ob homicidium, aut adulterium patrãdum, vel ob quoduis aliud, quod diuino aut humano iuri aduersetur. Primo autem loco in sequentibus disputationibus dicemus de iis B quæ accipiuntur ob honestam causam, & secundo de iis, quæ accipiuntur ob causam turpem. Explicauimusque quid habeat natura rei, secluſa humana lege, quæ acceptionem prohibeat, quid item censendum sit lege humana supposita.

Porro acceptio rei alicuius tribus modis potest a esse turpis, seu illicita, vt habetur *leg. 1. ff. de condition ob turpem causam.*

Primo ex parte dantis tantum, vt si quis det aliquid in pretium beneficij Ecclesiastici, q alius accipiat credens gratis sibi ac liberaliter dari. Secundo, ex parte accipientis tantum, vt qñ quis, vt fiæ necessitati consulat, soluit vsuras: turpitudo namque tunc est ex parte accipientis, & non ex parte dantis. Tertio, ex parte vtriusque, vt quãdo vnus dat in pretium beneficij, & alius eodem animo id accipit: vel C quando vnus dat pro ferenda iniqua sententia, aut patrando homicidio, & alius eo animo id accipit.

SVMMARIVM.

1 *Iudices, tabelliones, aliique ministri publici, an constitutum certum ac iustum stipendium excedere possint, & num. 8.*

2 *In quibus liceat iudici, tabellioni aut aliis ministris publicis præter consuetum pretium accipere, num. 7. & 10.*

3 *Non licere aggressoribus, aut furibus ne quidem à tertio quid accipere ne offendant, vel furentur.*

4 *Soti opinio refellitur.*

5 *Obiectio de inuentore, qui rem inuentam domino restituere tenetur, attamen pro ea restitutione pretium accipere potest.*

6 *Diluitur obiectio.*

9 *Testis pro testimonio aut veritate dicenda nihil accipere potest, expensæ tamen itineris & pretium laboris ipsi refundi debent.*

11 *Iure Castellæ an Notariis domum vel oppidum egredientibus, præter taxatum salarium liceat accipere.*

12 *Si constat non esse iustum pretium quatenus officiarij incrementum accipere possunt, & numer. 15. & 17.*

13 *Pretium lege taxatum quomodo crescente pecunia & valore rerum reddatur infra pretium iustum.*

E 14 *In dubio pretium iustum præsumitur & legi aut pacto standum.*

16 *Iustum pretium non æstimatur ex indigentia ministri publici ad alendam familiam.*

17 *Ministri possunt accipere incrementum pretij, vsque ad limites iusti pij.*

18 *Ministris Regis, an vltra stipendia ipsis quondam constituta, accipere liceat.*

19 *In præsenti disp. de eo quod vltra stipendium lege taxatum accipitur in pretium, non de largitionibus agitur.*

DE IIS QVÆ IVDICES, TESTES, tabelliones, & alij ministri publici, tanquam pretium, ob iustam causam accipiunt, quousq; illicite, & cum onere restituendi id accipiant.

DISPVTATIO 83.

IVdices, tabelliones, & quicumq; alij ministri publici, qui vel vt iustitiam administrent vel quodvis aliud munus exerceant, constitutum, vel ex conuentione, aut lege taxatum habent certũ ac iustum stipendium, nihil amplius in pretium pro eo munere exercendo possunt accipere. Si vero accipiant, restituere id tenentur. Ita Medin. *de restit. qu. 2. a. 2. §. contingit, & fusius quæst. 25.* Couar. *regul. peccatum p. 2. §. 3. n. 1. & 2.* Adrian. *quodlib. 10. a. 1. & restit. q. restat quærere.* Gabr. *in 4. d. 15. q. 6.* Nauar. *in Manuali c. 18. n. 33.* & Doctores communiter. Eiusmodi vero acceptio, ad concussionis & calumniæ vitiũ, iuxta Aug. *c. militare. 23. q. 1.* spectat, à quo Ioannes Baptista milites admonet, vt contenti suis stipendiis, abstineant. Probatur conclusio, quoniam qui à Republica constitutum habent certum pretium, aut præmium pro iustitia administranda, vel quouis alio munere exercendo, iam ex tacita vel expressa conuentione cũ Republica tenentur ex iustitia munus illud exercere pro eo pretio, aut præmio, quod consensu vtriusque partis eo ipso censetur iustũ, & à Republica ita taxatum. Qui item constitutum nõ habent certum stipendiũ pro munere exercẽdo à Repub. aut Principe soluendum, sed pro vnoquoque sui muneris actu, quem exercent, stipendium accipere debent à partibus, eo ipso, quod lex superueniens illud taxat, efficit id ita iustum, vt deinceps in indiuisibili cõstat non secus ac quando frumenti pretium lege iusta taxatur: cum ergo neque pro eo, ad quod aliquis iam ex iustitia tenetur, aliquid amplius iuxta communem doctorum sentẽtiam, in pretium possit accipere, eo quod transgrederetur iustum, neq; item vltra pretium vel cõuentione partium, vel lege taxatum, possit aliquid accipere, quia similiter transgrederetur prætium iustum: consequens profecto est, vt in euentibus, de quibus in cõclusione est sermo, si quid amplius in pretium accipiatur, iniuste id fiat, onusque restituendi incumbat.

Illud inprimis circa conclusionem propositam cum Medina & Couarru. locis citatis obseruandum est, in munere iudicis, tabellionis, aut cuiusuis alterius publici ministri, duo cerni. Alterum est, muneris exercitium, nempe iudicem litigantes audire, merita causarũ expendere, libros euoluere, sententiam proferre &c. tabellionem vero scribere, iudicẽ adire, mandata illius exequi, &c. Alterum autem, iuste id efficere, hoc est, iudicem iustam proferre sententiam, litigantes nõ retardare, & si quid aliud est necessarium, ne iniuste munus suum exequatur: tabellionẽ similiter fideliter scribere, secretum in iis, ad quæ tenetur, seruare, partes non retardare, &c.

Pro secundo eorum, quæ in munere cuiusq; publici ministri cernuntur, accipere non possunt pretium: quia ad id ex iustitia tenentur, posito q; munus ample ctantur. esset namq; contrarium in iustitia, nempe proferre iniustam sententiam, aut illius periculo se exponere, falsum scribere, partes plus iusto retardare, &c. Vniuersim autem nullus pro eo ad quod iam ex iustitia tenetur, potest quicquã accipere in pretium, siue id cadat sub iustitię ꝓceptum affirmatiuum, vt restituere alienũ, reddere pignus aduenientę tempore constituto, &c. siue sub negatiuo, vt sunt illa quæ cõmemorata sunt, nempe non proferre iniustam sentẽtiam, neque periculo id efficiendi se exponere, non scribere falsum in proximi præiudicium, non retardare plus iusto partes, & pleraque alia, vt non furari, nõ occidere pro ximum, &c. Cum enim hæc omnia ex iustitiæ rigore sint debita, sane, si quid in prẽtiu. pro illis accipiatur, consurget inæqualitas in materia iustitiæ, atque adeo consurget iniustitia cũ onere restituendi. Vnde *l. iurisgentium §. si ob maleficium. ff. de pact.* habetur, si ob maleficium, ne fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex conuentione. Cõcinunt *l. 2. & l. vlt. ff. de condictione ob turpem causam.* Cõfirmatur quoniam 3
si pro eiusmodi rebus fas esset aliquid in pretium accipere, sequeretur iniustos hominum aggressores posse aliquid iuste accipere ne eos interficerent, nec teneri postea restituere prẽtium, quo nihil potest dici, quod magis ridiculum sit, & absurdum.
Reuocanda est ergo Soti opinio 4. *de iustitia qu. 1. 7. art. 1. ad secundum*, asserentis eum qui furari vult, vel alium iniuste interficere, licet ab eo, cui iniuriam vult inferre, nihil accipere posse, vt desistat, accipere tamen posse pretium à quodam tertio: si is illud ei offerat vt desistat, nec teneri postea illud ei restituere, nisi in iudicio illud repetat, & qui accepit, cõdemnetur. Est namque opinio hęc contra communem Doctorum sententiam, & improbabilis omnino: quippe cum nihil venale in eo, quod desistat ab iniustitia patranda, reperiatur: & si tale aliquid reperiretur, vendi id non minus illi cui iniustitia patratur, quam cuidã tertio posset. Possumusque hoc confirmare aduersus Sotum, quoniam si vera esset ipsius opinio, sane vsurarius posset accipere pretiũ pro mutuo, si non ab eo cũ mutuo daret, certè à quodam tertio, ad cuius preces mutuo daret, vel ad cuius preces vsuram ab eo, cui mutuo daret, non acciperet, quod Sotus non admittet, id namque & probabilitate caret, & vsuris ad iniustitiis ostium euidens aperiret. *4 Sotus refellitur.*

Obiicies qui inuenit alienum, tenetur ex iustitia restituere id proprio domino: & tamẽ accipere potest pro ea restitutione pretium: vt enim *disp. 41.* dictum est *lib. 5. Ordin. huius Lusitaniæ Regni tit. 41.* constitutum est, vt vltra expensas in accipitre alieno capiendo & conseruando teneatur dominus soluere inuentori certum quid in præmium, quando, qui illum inuenit, est venator. Inuentori etiam ferat fugitiui, si seruus Aethiops fuerit, tenetur dominus soluere trecentos æreos nummos, quos *reaes* vocant: si vero, vel albus, vel indicus fuerit, tenetur illi soluere mille eiusmodi nummos: ergo falsa est generalis illa regula, quam statuimus. *5 Obiectio.*

Dicendum est, hęc non solum in pretium pro restitutione facienda, ad quã inuentor, postquam res ad eius manus deuenit, de iustitia tenetur, sed solui pro industria, labore ac molestia in capiendis & retinendis eiusmodi rebus, ad quæ non tenetur inuẽtor de iustitia, sed potest pro illis postulare iustum pretium, nõ minus quã iudex & tabellio quod suis muneribus (vt dicemus) exequendis. Dicẽdum est deinde, id merito autoritate publica statutum esse inuentoribus, non tam in pretium laboris & industriæ eorum, quam in præmium habita vtilitatis publicæ ratione, vt vel eo pacto venatores in capiẽdis accipitribus, & omnes vniuersim in capiẽdis ac deprehendendis fernis fugitiuis essent diligẽtiores, ne eiusmodi res suis dominis ac Reipublicæ perirent, & vt mancipia fugam arripere non auderent. Postquam autem hæc publica autoritate in commune bonum sunt statuta, aut priuata dominorum autoritate inuentoribus sunt re ipsa promissa, in conscientia & in exteriori foro illis debentur: nõ quidem vi restitutionis rerum inuentarum, quã faciunt, sed vi promissionis publica aut priuata autoritate factæ. Quando autem, postquam aliquid esset inuentum, & inuentor sua nequitia id nollet restituere, aliquid illi promitteretur, solum ad redimẽdam propriam vexationem, quia ille nõ vult aliter rem tradere: tunc in conscientia illud ei nõ deberetur, quia *6 Diluitur.*

donatio illa non esset spontanea. Regulariter vero, quando dominus rei aliquid, neq; aquam ab eo extorrum, inuentori tribuit, censendum est ex grato & liberali animo, atque ex affectu lætitiæ rei inuentæ id tribuere: vnde tuta conscientia illud accipitur ac retinetur, vt Couar. *loco citato* recte affirmat. Eodem titulo Ordinationum iubentur restitui reliqua inuenta propriis dominis absque vllo præmio, consonatque *l. si filius §. qui alienum ff. de furtis*. Semper tamen tenetur dominus soluere, si qui sumptus vtiliter in tabbus rebus recuperandis, & conseruandis sunt facti, & insuper pretium laboris & industriæ appositæ, si talia sint, quæ stipendio sint digna: potestque ad id in foro exteriori cogi actione negotiorum gestorum.

7 Ad rem igitur vt regrediamur, quod ad primum eorum attinet, quæ in munere cuiusque ministri publici reperiri dicebamus, dicendum est, posse pro illo recipere competens pretium, vel à Republica ipsa, aut Principe, vel à priuatis, in quorum bonum, & ad quorum petitionem illud exercet. Etenim actus muneris illius de se est dignus pretio, vt ex se est notissimum, illeque, qui eo fungitur munere, in se spectatus non tenetur de iustitia tale munus subire, gratisque vsum illius exercere, sed potest Reipublicæ Principi, aut priuatis ad id sua operam & industriam locare: estque id verum, esto actus sit proferre iustam sententiam, actus q; emanet à iuris prudentia, vel quacunque alia virtute intellectuali vel morali. Plusque iusto, meo iudicio rem hanc coarctat Nau. *in opusculo de datis & acceptis pro iustitia à numero. 43.* Quod enim emanent ab huiusmodi virtutibus, quodque actus sint, siue interni, siue externi, virtutum, nihil impedit quo minus, quatenus in vtilitatem Reipublicæ, aut aliorum exercentur, & quatenus antequam ad eos exercendos se astringat, non sunt debiti ab eo, à quo exercentur, possit pretium pro eis exigere, & accipere provt aliis vtiles sunt, remanente simul ei, qui illos exercet, bonitate virtutis, merito, & laude eorundem actuum. Porro, q; eiusmodi actus, quatenus virtutis actus sunt, aut etiam entitatiue excedant omne pretium, non tollit, quod, spectata vtilitate, quæ ex eis aliis prouenit, eorumque indigentia, æstimabiles sint certo aliquo finito pretio. Quare, etiam exercitium singularis cuiusque actus, de numero eorum, de quibus loquimur, vendi potest, & non sola obligatio ad illos exercendos, quicquid Nauarr. dicat: Nobiscum consentit Sotus *4 de iustitia. q. 7. art. 1. ad secundum*.

Nauar. refellitur.

8 Quod autem conclusione proposita asserimus, est. Posito, quod iudex stipendium publicum à rege aut Republica pro munere exequendo accipiat, nihil in pretium posse accipere à litigantibus, nisi forte emolumenta aliqua, quæ simul publica authoritate expressa, vel tacita, quasi in adiumentum & complementum sui stipendij sint ei concessa, vt pro subscriptione, sigillo aut alia simili re. Eiusmodi sunt, quæ in noua collectione Castellæ *lib. 3. titulo 9. l. 17. & titulo 10.* habentur. A paucis autem annis in hoc Lusitaniæ regno est introductum, vt sportulæ in aliquibus euentibus iudicibus ad id deputatis soluantur.

Asserimus item, si tabellioni, aut cuiusi alteri ministro publico taxatum erat quidnã pro, q; quis sui muneris executione accipere debet, vel superueniente postea lege iusta taxetur, nõ posse aliquid amplius in pretium accipere, tenerique, si accipiat, restituere: quia accipit vltra id, quod sibi debetur, vel ex pacto tacito vel expresso cum principe aut Republica quando munus accepit, vel ex lege iusta superueniente. Quando autem nihil pro munere alicuius exequendo publica autoritate esset taxatum, tunc, quia pretium iustum pro muneris executione, vt & cæterarum rerum, in indiuisibili non solet cõsistere, accipere poterit in pretium pro vnoquoque actu quicquid prudentis arbitrio, iuxta temporum, rerum & circumstãtiarum varietatem, fuerit iudicatum, non excedere iustũ pretium rigorosum.

De teste constat, accipere posse expensas itineris, & pretium laboris, si quem notabilẽ subire debeat, accedendo ex remoto loco ad testimonium ferendum, vel valorem operarum, quibus se priuat, lucri ve cessantis, ac damni emergentis, eaque illi deberi, vt habetur *cap. statutum §. proferendo, de rescript. libr. 6. cap. si testes §. libert. versicul. venturis 4. quæst. 3 leg. quoniam. C de testib. & 3. lib. Lusitan. Ordinat. tit. 42 §. 5.* vt tamen veritatem testetur, aut vt testimonium dicat, quando à publica potestate iubetur: affirmant merito Doctores citati, nihil pretij posse accipere, teneriq; quicquid eã ob causam acceperit restituere. Ratio tamen, cui nituntur, minime placet. Arbitrãtur namq; testem, à publica potestate iustum testificari, teneri de iustitia suum dicere testimonium: secus autem si non iubeatur. Item eo ipso, quod siue iussus, siue non iussus, ad testificandum accedit, teneri de iustitia verum proferre, nihilq; celare atque eã ob causam pro his, adque de iustitia tenetur, nihil posse accipere: quemadmodum de iudice & tabellione dictum est. Quinto tũ tractatu, aduersus multos, qui huius sunt sententiæ, ostendemus, testem, licet contra iustitiam peccet, falsum quid contra innocentem dicendo, itemque quando accedẽdo ad testificandum in causa est, veritatem celando, vt is, in cuius fauorem verum dicere tenebatur, alios nõ adhibeat testes, eaq; ratione ius suum non defendat: non tamen peccare contra iustitiam, sed solum cõtra charitatem, & obedientiam, ex eo quod, iussus à publica potestate, se abscondat nec testificetur, vel ex eo quod ad testificandum accedens, celet veritatem, adiuuareque definat innocentem. Ratio vero legitima, cur pro veritate dicenda nihil accipere possit. est, quoniam nihil est ibi pretio æstimabile, pro quo pretium accipi possit: & quoniam, vt in sequentibus ostendemus, vt aliquis legi diuinæ, aut humanæ pareat, eamque adimpleat, nullum potest pretium exigere vel accipere, atque adeo contra iustitiam peccat accipiendo tanquam debitum in recompensationem, quod ei non debetur. Porro *capit non sane 14. quæstione 5* prohibitum est, quicquam accipere proferendo testimonio, siue vero siue falso, & si quid probetur fuisse acceptum, repellitur omnino tale testimonium, vt habetur *capit. si testes §. lege Iulia. de vi. 4. quæstione 3.* Vtrum autem quod pro falso testimonio ferendo accipitur, in conscientiæ foro sit necessario restituendum, ex dicendis erit manifestum.

9 *Testium*

Deinde circa eandem cõclusionem propositam obseruandum est. Si quis à iudice, tabellione, aliove ministro publico petat, vt aliquid efficiat vltra id, q; pro munere suo pro pretio taxato facere tenetur, vt quod plus laboris vel studij, quam tenetur, negotio suo impendat, vel vt accedat, quo accedere non tenetur, vel à tabellione quis petat, vt scripturam in papyro scribi consuetam, & pro qua certum pretiũ est lege taxatum, conficiat in membrana, id que laboriosius sit, aut aliud simile efficiat: potest quidem pro iis, ad quæ ex munere suo non tenetur, moderatum pretium accipere. Ita Nauar, *in opusculo de datis & acceptis pro iustitia in calce num. 47. & numer. 48.* Potest vero probari, quoniam id pretio est æstimabile, neque minister publicus pro stipendio lege taxato id facere tenetur. Si tamen vel scandali periculum, in aliquo peculiari euentu timeretur, vel lege id alicubi ea de causa esset prohibitum, vel ne ea via abusus intromitterentur, tunc quidem peccatum esset id accipere, solum tamẽ insurgeret obligatio restituendi, quando lex incapacem redderet accipientem ad dominium rei ita acceptæ comparandum. In regno aũt Castellæ *lib. 4. nouæ collectionis tit. 16. & 17.* tabellionibus ita est taxatũ pretium, *Lex Castellæ* vt pro-

10

11

vt prohibitum illis sit, quicquam accipere, vt domum egrediantur ad conficiẽdam scripturam, aut quacunque alia ratione, vel occasione: quando tamen egrediuntur oppidum, in quo habitant, ad aliquid efficiendum, conceditur illis, vt vltrà pretium taxatum possint accipere stipendium, quod ibidem etiam taxatur. Titulo tamẽ 17. l. 2. §. 1. & 3. Philippus Secundus item eis concessit, vt quando domum egrediuntur in oppido, in quo commorãtur, ad scripturam conficiendam, aliquid amplius accipiant, idque illis taxat.

12 Illud etiam circa eandem conclusionem est obseruandum, id circo in ea dictum esse, taxatũ habeant certum iustum stipendium. Quoniam si constat non esse iustum, accipere possunt incrementum vsque ad limites iusti pretij pij, idque tunc maxime quando contra legem, quæ pretium taxauit, id iam consuetudine est introductum.

13 Porro ante quam hoc ipsum planius ostendamus sciendum est. Hac ratione pretium lege taxatum facile posse reddi infra pium iustum, quod crescente pecunia, decrescit valor illius ad res cæteras pecunia compensandas, atque adeo crescit valor creatarum rerum comparatione pecuniæ. Si ergo lex in Hispaniis antiquitus effecta, qñ in eis rara erat pecunia, sanè pretiũ, quod tunc propter pecuniæ paucitatem erat iustum, poterit modo esse manifestè infra infimum iustum propter pecuniæ abundantiam, quæ ob ingentẽ vim auri & argenti quæ quotannis ex nouo orbe, aliisq; locis in Hispanias asportatur nimium in modum excreuit. Vnde videmus à 50. ann. pretia rerum in duplo imo in triplo maiora euasisse. Nisi ergo fiat mutatio legum, facile euenire poterit, vt pretium lege taxatum, olimque iustum, sit modo manifestè infra iustum. Prouidendumque esset hac de re à publicis potestatibus, ne subditi propria autoritate contra legum præscripta pretia extenderent. Video postquam hæc ita docui, in multis prouisum esse in hoc Lusitaniæ Regno: tamẽsi multi conquerantur, plus iusto, & cum non leui populorum grauamine, rabellionum stipendia fuisse aucta.

14 Vt ad rem redeamus, dictum est, si constat pretium nõ esse iustum: quoniam in dubio legi, aut pacto est standum. Quod vero quando constat pretiũ non esse iustum, nec publica potestas illud auget, 15 possit minister publicus ab iis incrementum sumere in quorum commodum, & ad quorum petitionem suum munus exercet, probatur. Quoniam lex iniusta in conscientia non obligat, qualis est illa, de qua loquimur. Neque ministri publici deserere tenentur publica officia Reipublicæ necessaria, ipsisque collata, & quæ ab eis conuenienter exercentur. Nobiscum conueniunt hac in re D. Anton. 2. p. tit. 2. c. 5. §. 1. & 3. p. tit. 3. c. vlt. § 11. & Syluester verbo restit. 3. 16 q. 5. pronunciato 10. Illud tamen est obseruandum, iustum pretium, de quo loquimur, æstimandum, non esse ex indigentia ministri publici ad alendam familiam, vel ad subueniendum suæ paupertati, sed ex opere & obsequio, quod præstat, vt prudentis arbitrio tantum recipiat, quantum ratio dictat, vt attenta conditione seu qualitate & quantitate operis 17 mun eretur. Dictum est etiam, posse eos accipere incrementum pretij vsque ad limites iusti pij, quoniã si lex statuisset pium, seu infinitum pretium iustum, lex esset iusta & seruanda: nefas autem videtur propria autoritate, quando pretium est lege taxatum, & temporum varietate redactum est infra iustum, illud extendere, nisi quousque limites iusti attingat.

18 De ministris autem regis, quibus tenuia stipẽdia pro temporum conditione: quæ tamen quondam, quando minor erat copia pecuniæ, proportionata iudicabãtur, nõ auderem idem dicere. Quin potius arbitror. eos autoritate propria nullam posse capere compensationem. Ratio est, quoniam rex plurimos inueniet, qui pro eo stipẽdio ei libẽter eo ministerio deseruiant, neque submin istrare tenetur eiusmodi ministris, quæ eis ad competentem sustentationem sufficiant, sed solum inuamen quoddam: facile namque inueniet diuites, qui pro eodem iuua mine illi seruiant. Præterea eiusmodi munera adiuncta habere solent priuilegia, honorẽ, & eminentiam supra alios, dependentiamque aliorum ab eiusmodi ministris, quod nõ mediocris pars est præmij. Adde eiusmodi homines in recompẽsationem, quod fideliter eiusmodi ministeriis seruierint, sperare, vt ad alia maiora & vtiliora promoueantur, reque ipsa solere quasi ad præmium in illa promoueri. ea autẽ spes pretio est æstimabilis. Adde etiam, eos frequẽter petere & obtinere à rege donationes, aliaque emolumenta, quæ intuitu obsequiorum eis conceduntur. Eiusmodi ergo homines, si contenti non sunt suis stipendiis & emolumentis, neque à rege ad vtiliora munera promoueantur, illa deserant, neque deerunt, qui illa obeant. Idem dico de iudicibus à rege constitutis, qui si digne sua munera administrent, ad maiora & vtiliora solent promoueri. Illud tamen negandum non est, pauperibus qui eiusmodi muneribus abutendo facile ditescere possunt, vel regis bona occulte occupãdo, vel largitionibus ministra aliqua admittendo, non mediocrem inceritus æterni occasionem vna cum his munerib. concedi, esto alioquin timorati essent, recteq ue viuere optarent.

C Illud postremo circa eandẽ propositam conclusionem obseruãdum est, in ea solũ nos esse locutos de eo, quod vltra stipendium lege taxatum, acciperent in pretium. Quousque autem largitiones possint, aut non possint accipere, tanquam donationes ex liberalitate, aut ex animo gratõ, dicetur deinceps. 19

SVMMARIVM.

1 *Iudices à Summo Pontifice delegati quatenus possint à litigantibus munera in cibum & potum accipere.*

2 *Ab vtroque litigantium expensas accipere possunt, nisi proficiscantur ad aliquid, quod eorum alteri dumtaxat incumbit.*

D 3 *Iudices profectiones amplere non debent, nisi causa vtilitas aut necessitas exigit.*

4 *Quando litigantes sunt notabiliter pauperes expensas exigere non debent.*

5 *Iudex delegatus licet dines sit, aut pingue beneficium habeat, expensas accipere potest.*

6 *Vtrum integras expensas accipere possit, an verò tantum incrementum, quod plus insumit, quam si domi maneret, & quid in teste & Episcopo visitante.*

7 *Iudex ordinarius proficiscens, an expensas accipere possit.*

E 8 *An Iudex delegatus alicuius inferioris à Summo Pontifice accipere possit expensas, quando proprium domicilium egreditur.*

9 *Iudices à Summo Pontifice delegati, assessorem assumere, eique moderatum stipendium à litigantibus persoluendum constituere possunt.*

10 *Quid si iudex ordinarius assessore indigeat.*

11 *Delegati Summ. Pontif. præter commemorata nihil accipere possunt.*

12 *An huiusmodi delegati, si non habeant vt se competenter sustentent, quicquam accipere possint pro munere suo exequendo.*

13 *Sportularum nomine quid veniat.*

14 *Sportulas consuetudine præscripta à iudices à sede Apostolica delegati recipiant.*

15. *Remisso eius tui restitutio facienda est iudicè delegatum ab onere restituendi, nõ eximit, sed quid si restitutione facta donet ac reddat restituenti: & quid in Ordinario.num* 17.

16. *Quæ iudices delegati prohibentur à litigantibus accipere multo magis interdicta sunt iudicibus ordinariis.*

IVDICIBVS ECCLESIASTICIS QVOusque *permissum, aut prohibitum sit aliquid accipere.*

DISPVTATIO 84.

QVamuis statim post præcedentem disputationem explicandũ foret, quousq́, & sub quibus pœnis ministris curię Romanę à Greg.13. & aliis Pontificibus, prohibitum sit accipere aliq̃d pro iniustitia, aut gratia: quia tũ id cõmodius fiet si prius exposuerimus, quousq́ concessũ aut, prohibitum sit iudicibus ecclesiast. & episcopis aliq̃d accipere, quousq́ item de iure cõmuni, & præcipue de iure huius Lusitaniæ regni, & regni Castellæ secularib. iudicib. cæteris q́ ministris publicis permissũ, aut, prohibitum fit, idẽ fit, necnõ donationes his omnib. factę quousq́ stando in solo iure naturæ, aut ét suppositis legib. positiuis, validę sint, aut inualidę, consurgatq́, aut non cõsurgat obligatio restituendi: hæc, & pauca alia prius eo ordine, quo, pposita sunt, ſtabimus, deinde ad id, quod hoc loco explicandum fuisset, deueniemus.

1 Iudices à Sum. Pontif. delegati accipere possunt à litigantibus munera in cibo & potu, nõ vero in aliqua alia re, possuntq́ ea accipere modo ex mera libertate offerantur, arq́ adeo, vt glossa loco citando ait, nec tacite nec expresse petãtur, & modo sint tam exiguæ quãtitatis, vt intra dies paucos cõsumi possint. Ita habetur *c. statutum. §. insuper de rescript. lib. 6.* Cum vero numerus dierũ, intra q̃s cosumi possint, non definiatur prudẽtis arbitrio definiẽdus relinquitur, habita ratione iudicis recipientis, personæ largientis, rei, q̃ offertur, & cæterarũ circumstãtiarum cõcurrentiũ. Et cum textus de diebus in plurali numero loquatur, cum minimũ fas erit accipere, q̃ intra duos dies cõsumi possit, dũmodo vnus & idem frequẽter ea tẽporis, pgressu nõ offerat. Hæc omnia glos. loco citato, cõsonant *l. plebiscito ff. de officio præsidis, & l. solet §. vlt. ff. de offic. proconsulis.* Quę explicat, dũ munera accipi, phibentur, nõ intelligi cõprehẽdi, q̃ modo dicta sunt, quæq́ ibidẽ xenia appellãtur.

Obserua tñ, id verum esse, nisi ex lege, q̃ munera prohibet, hæc ét prohiberi constet. Glossa aũt *l. plebiscito citata, & alia in authentico vt iudices sine quoquo suffragio fiant §. scriptũ est exemplar*, affirmant, iam hodie neq́ de iure ciuili cõmuni fas esse iudicib. accipere eiusmodi xenia, nisi q̃n iudici stipendiũ nullũ est constitutũ. Ducuntur verbis illius authẽtici, *Administrationes accipientibus, hoc tuã denunciare volumus sedem, vt curialibus oẽm ferãt fauorem, nihil penitus ab eis accipientes.* Et paucis interiectis. *Sicut curialib. parcere te volumus, ita defensorum castigare, & retinere auaritiã sancimus, & ab eis præsumere accipere à nostris subiectis, nisi secundũ quod eis, administrat Respub. aut si nõ est aliquod eis publicum solatiũ, quantũ inculpabilis antiquitas definiuit, vt à spontaneis ipsis magis, quã ab inuitis accipiant, & hoc parum, & quantum eis ad mediocrẽ sufficit vitæ gubernationẽ. Sciant. n. quia, si citra hæc aliquid acceperint, non solum quadruplici subiacebunt pœnæ sed ét exilium habebunt continuum, prius eis plagis corporeis infligẽdis.* Forte ius illud canonicũ iuxta hoc authenticũ fuit sanctum: eiusmodi quippe iudices delegati, stipendium habere nõ solent, atq́ ita q̃n extra suum domiciliũ, propter causam ipsis cõmissam, pficiscuntur, accipere possunt moderatas expensas, hoc est, q̃ secum & cum suis, q̃s deferunt, illis diebus expenderint in cibo, potu, hospitio, & equitatu, modo, pro personę qualitate, non faciant incõpetentes & irrationabiles sumptus. Debent vero accipere expẽsas æque ab A vtroq́ litigãtium, nisi proficiscantur ad aliq̃d quod eorum alteri dumtaxat incumbit, vt ad sumendum testimonium alicuius absentis, qui sumptibus vnius litigãtium ad iudicem deberet accedere: tunc. n. ille solus soluere eas debet, nec tamen hi iudices quę-
rere debent occasionem proficiscendi extra domi- 3
cilium, vt eiusmodi expensas accipiant, quãdo causæ vtilitas aut necessitas id non exigit. Item, quando 4
litigantes fuerint notabiliter pauperes, exigere non possunt ab eis expensas. Hæc omnia habentur *ca. & §. is autẽ, iuncta glossa ibi*, consentitque *caput cum omni, de vita & honestate clericorum.*

Glossa §. *citato*, & Panorm. *c. cum ab omni, etiam ci-* 5
tato, n. 13. obseruant, iudicem delegatũ, ẽsto pingue B habeat beneficium vnde sustẽterur, diuesq́ sit, posse accipere eiusmodi expensas: id q̃ satis aperte innuitur *c. cum ab omni, citato.* Vtrum autem accipere solum possit incrementum, q̃ plus insumit, quam si maneret domi, an vero integras oẽs expẽsas. Glossa, Panormitan. *loco citato*, & plerique alij merito affirmant, accipere posse integras expensas. Idemque asserunt de teste, qui ad testificandum accedit. Vt etiam res habet in Episcopo cum ad visitandam, aut consecrandam Ecclesiam aliquam accedit.

An vero iudex ordinarius accipere possit expen- 7
sas, q̃n domiciliũ egreditur. Panorm. *loco citato*, cum glos. *ibid.* negat: eo q̃ iudex ordinarius, vt Episcopus reditus beneficij habeat, vt onera beneficio annexa sustineat. Excipitur in duobus casibus, de quibus C paulo antea dictum est, vt dispur. sequenti dicetur.

Vtrum vero delegatus alicuius inferioris à Sum. 8
Pontif. vt delegatus Episcopi, accipere possit expẽsas, q̃n proprium domiciliũ egreditur. Panorm. *loco citato*, & glossa §. *insuper citato*, distinguunt. Si namq́ delegatus sit ad causas vniuersas, nihil põt accipere, sed gratus tenetur ei, quidere. Si verò delegatus sit ad causam aliq̃ particularẽ, sed ex malitia, nihil ẽt potest accipere. Quod si bona fide, secluſaq́ malitia sit delegatus, accipere põt deinde ac delegatus Summi Pontif. In his omnib. consentit Syluest. *verb. index 1. q. 8. & 9.* Tametsi, cũ quadã glos. *c. cum ab omni citato*, neget vniuersim delegatũ ordinarij ad causam particularẽ, q̃ ordinarius per se ipsũ poterat expedire, accipere posse expẽsas. Quod placet, q̃n ordinarius D eã expedire tenetur: ideo. n. reditus beneficij habet vt onus sustineat, & cætera sui muneris exequatur.

Syluester ait, multis placere, delegatum ordinarij ordinariumque ipsum posse accipere à litigantibus munera in escã & potũ, nõ secus ac delegatus Sum. Pontif. põt ea accipere. Ratio eorũ est, q̃n id quondam concessum erat iudicib. secularib. ordinariis. Mihi vero id non placet, q̃n consuetudine præscripta non esset introductum. Esset que ẽt tunc dissuadendum propter periculum persuasionis iustitiæ, & q̃n boni speciem non habet: ab omni aũt mali specie abstinere debent oẽs, præsertim Ecclesiastici, qui cæteris exẽplo esse debent. Neq́ illud in hoc regno video consuetudine esse introductum. Ducor, q̃n iudices Ecclesiastici ordinarij, quasi in stipendium huius muneris, habent suũ pingue beneficium, tenenturq́ soluere delegatum, si quem sibi sustineant, E vt dictum est, & de iure authenticorũ, vt dictum est, videtur sublatum, quod iudicib. secularibus fuerat quondam concessum, q̃n stipendium publicum habent, vt suum munus exerceãt. *Capit. vero statutum*, solum id concedit merito iudicibus delegatis à Sede Apostolica, qui stipẽdium habere solent, neq́ est ad alios extendendũ, in quibus non est eadẽ ratio.

Iudices præterea à Sum. Pontif. delegati, si ad de- 9
cisionem causæ sibi commissæ assessore indigeant, hoc est, viro docto, qui ob rei difficultatẽ, cum eis de causa iudicet, cõstituere illi possunt moderatum ac competens stipẽdium à litigantibus soluendum. Ita habetur *c. statutum §. assessorem, de rescrip. lib. 6.*

2 Quid si iudex ordinarius assessore indigeat? Tonen-

nentur ne litigantes soluere stipẽdium illius, an potius ordinarius ipse? Panormit. *c. cum ab omni citato n.* 14. & Syluester *loco citato q.* 10. cum communi Doctorum sententia affirmant ordinarium soluere illud debere: eo quod, *vt* subeat onus totum iudicij, suscipit fructus beneficii. Notarius vero, & alij ministri similes, accipere possunt moderata & consueta stipendia, non solum quando de causa cognoscit iudex delegatis Summi Pontificis, vt habetur *c. statutum §. notarium de rescript. lib. 6.* sed etiam quando cognoscit iudex ordinarius: tametsi ea de re dubitet. Panormit. *loco citato.*

11 Delegati Summi Pontificis nihil amplius, quam quæ commemorata sunt, possunt accipere, neque in expensas, neque in salarium, neque in sportulas, quas vocant (quamuis de his dicemus statim, consuetudinẽ præscriptam esse in contrarium) neque tanquã munus mere liberaliter oblatũ, atque ad quicquam horum recipiendum vsque adeo incapaces efficiũtur, vt si recipiunt, teneantur id restituere: neque sat fit, si is, cui restitutio erat faciẽda, obligationẽ remittat, quoniam inualida est talis remissio. Ita habetur *c. statutum citato §. si quid,* & consonat in multis *c. cum ab omni citatum.*

Obseruandum est, quamuis munus, quod eiusmodi delegati exequuntur, in se sit dignum aliquo stipendio, ac proinde, nisi ius positiuum obstaret, possent illud exigere & accipere: nihilominus quoniam supponitur eos alioquin ex suis beneficiis Ecclesiasticis sufficientem habere sustentationem, ea iuberi esse contentos, inhabilesque ex rationabili causa reddi ad aliud recipiendum, præter ea, quæ 12 sunt commemorata. Atque hæc ratio redditur *c. cũ. ab omni de honestate clericorum* Hinc dubitant Doctores, quando aliquis eiusmodi iudex delegatus aliunde non haberet ex beneficio, aut aliis reditibus Ecclesiasticis, competentem sustentationem, an posset aliquid accipere pro eo munere exequendo. Panormit. *ad idem caput nu.* 11. Adrianus *quodlib.* 10. *art.* 2. *ante litteram H.* & alii affirmant, consonatque *cum ab omni citatum, & statutum in principio,* manifeste loquitur de iis iudicibus, qui beneficium habent Ecclesiasticum, dum ait: *sancimus, vt nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum* 13 *cathedralium canonicis, causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum eiusdẽ, de cætero committantur.*

Nomine sportularum, de quibus mentio est facta iure ciuili & canonico, intelliguntur, quæ iudicibus, vltra stipendium publicum, à litigantibus conferũtur, præsertim quando lege non est taxatum quantum conferri debeat, vt *loco citato* Panormitanus ait, & affirmant Doctores communiter. Id etiam quod lege taxatum est, solet interdum sportularum nomi ne comprehendi. Quin vniuersim munera, quæ intuitu cuiusuis muneris exequẽdi offerri solent (sumpro nomine à vase in quo munera antiquitus ferri consueuerant) sportulæ nuncupantur. Sic 1. *Regum* 9. dixit Saul ad puerum suum: *Sportulam,* id est, munus, *non habemus, vt demus homini Dei.*

Audio, à iurisperitis in foro tam secũlari quam 14 Ecclesiastico diu versatis, esse consuetudinem præscriptam, non solum in hoc Regno, & in Hispaniis, sed etiam in Romana Curia, vt iudices à Sede Apostolica delegati sportulas accipiant, hoc est, pretium à litigantibus, etiam quando eiusmodi iudices constitutum habent publicum stipendium. Estque standum huic consuetudini, quicquid Panormit. *c. cum ab omnium.* 10. in contrarium videatur innuere. Vniuersimque vbi circa omnia, quæ dicta sunt, consuetudinem in contrarium præscriptam inueneris, non facile damnes, quod iuxta eam fit.

Glossa *c. statutum §. si quid de rescript. lib. 6.* ait, *quamuis,* iuxta ea quæ ibi disponuntur, *sola remissio eius, cui restitutio est facienda, iudicem delegatum ab onere restituendi non eximat, si tamen is, cui facta fuerit talis restitu-* A *tio, id donec ac reddat restituenti, valida erit donatio: modo nulla intercedat fraus, sed syncere id fiat: & modo iudex, qui id restituit, non sit iam iudex delegatus illius, cui restituit: alioquin adhuc esset lege impeditus, ne quid a tali litigante posset accipere* Placet sane hæc sententia: plus namque est donare aliquid post restitutionem factã, quam restitutionem remittere, & caput citatum solum hoc secundum reddit inualidum, non vero illud primum: quare, cum odia sint restringenda, secluſaque lege illa positiua, valida sit ea donatio: sane sententia illius glossæ rationi est consentanea.

Panormit. *c. cum ab omni citato a n.* 9. notat, ea omnia, quæ iudices delegati prohibiti sunt à litigantibus accipere, multo magis interdicta esse iudicibus ordinariis, qui vt munus iudicandi subeant, deputatos habent fructus sui beneficii, idemque affirmant B cæteri Doctores communiter. Quo fit, vt si vel sportulas pro munere exequendo, vel quid aliud accipiant, teneantur id restituere. An vero si pars, cui restitutio est facienda, animo liberali id remittat, tuti sint in conscientia? Gloss. *c. statutum §. insuper, in verbo moderatas, de rescript. lib. 6.* in partem inclinat affirmantem: quoniam caput illud, dum remissionem restitutionis nullam reddit, loquitur solum de delegatis à Summo Pontifice, quibus id in pœnam statuit: pœnæ autem argumento à simili, aut à maiori ratione, extendendę non sunt: estque amplectenda omnino ea sententia.

In Clementina *nolentes, de hæret.* sub excõmunicationis pœna, à qua absolui non possint, præcipitur in- C quisitoribus hæreticæ prauitatis, vt restituãt, quæ prętextu officij inquisitionis modis illicitis extorserint, nec nõ si quæ bona Ecclesiarũ, ob clericorum delictũ, fisco addixerint. Additurq; nullo eos pacto nullaq; remissione ab onere restituẽdi immunes reddi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi quando ad consecrandas vel visitandas Ecclesias accedunt expensas accipere possunt.*
2 *Eiusmodi expensæ procurationes & collectæ appellantur.*
3 *An procuratio pro visitatione debita in victualibus tantum non etiam in pecunia recipi possit & n.* 5. 6. 8 9.
4 *Verum munus oblatum recipere non liceat.*
7 *An vna tantum procuratio recipi possit etsi multæ Ecclesiæ vna die visitentur & nu.* 9.
9 *Quantum in diœcesibus Lusitaniæ pro visitatione exsoluendum.*
10 *Præscribi non posse, quod ecclesiæ non visitentur aut procurationẽ non soluant cũ à proprio prælato visitantur.*

QVAE ACCIPERE POSSVNT EPISCOPI, quando ad Ecclesias consecrandas, aut visitandas accesserint.

DISPVTATIO 85.

CVm Episcopi & Archiepiscopi gratis officere teneantur reliqua, quæ ad eorum munus spectant, eaq; de causa fructus suorum Episcopatuum 1
& Archiepiscopatuum, vt disputatione præcedente dictum est, accipiant, in duobus tamẽ euentib. eis conceditur, vt expensas accipiant. Primus est quando accedunt ad consecrandas Ecclesias, vt habetur *cap. cum sit de simonia.* Secundus vero, quando accedunt ad eas visitandas, vt ex iurib. citandis erit manifestum. Porro eiusmodi expensæ procurationes appellantur in iure: eo quod eis tribuantur pro cura, quę de illis est habenda. Dicuntur etiam collectę. Est vero iure constitutũ, vt in his duob. suentib. illis tribuãtur, vt ea ratione ad Ecclesias cõsecrandas ac visitandas magis alliciantur, vt Panor. *c. cum sit citato* adnotauit.

Capite Romana §. procurationes de censibus libr. 6. sancitum est, vt procuratio pro visitatione debita 2

non recipiatur in pecunia, sed solum recipiatur mo A
derata in victualibus, & vt nulla pecunia vel à visita
tore, vel ab aliquo suorum, occasione sui muneris
aut consuetudinis, accipiatur. Item vt neque ipse, ne
4 que suorum aliquis, munus aliquod, etiam oblatum
accipiat, & si quid in contrarium fuerit præsump-
tum, accipiens incurrat maledictionem, à qua
non liberetur, nisi duplum restituat. Capite exigit
5 sequenti sancitum est etiam, vt qui procurationem,
visitationis gratia debitam, in pecunia exegerit, aut
oblatam in pecunia acceperit, vel munus contra
prohibitionem paulo antea relatam acceperit, vel
visitationis officio non impenso procurationem in
victualibus receperit, teneatur intra mensem resti-
tuere Ecclesiæ, à qua id fuerit acceptum, duplum e-
jus, quod ita receperit, idque sub pœna interdicti ab
ingressu in Ecclesiam, si fuerit Patriarcha, Archiepi- B
scopus aut Episcopus, & sub pœna suspensionis ab of-
ficio & beneficio si fuerit aliquis de numero inferio-
rum. Itéque vt nulla remissio facta ab eis, quibus re-
stitutio erat facienda, eos ab onere restituēdi liberet.
6 Cæterum *cap. felicis sequenti*, concessum est, vt Pa-
triarchæ, Archiepiscopi, Episcopi: & alii quibus ex
officio visitare incumbit, recipere possint procu-
rationem in pecunia, modo tamen pecunia eis offe-
ratur, & modo personaliter visitent. Additumque
7 est, eos vna die recipere non posse, nisi vnam procu
rationem, esto multas Ecclesias ea die visitēt, & esto
vnaquæque earum sufficiens sit ad integrum procu-
rationem soluendam.

Circa hæc tamen obserua, glossatorem eius tex- C
8 tus ad finem casus propositi asseuerare hodie prælatos habere dispensationem ad multas Ecclesias eadem die visitandas, & ad recipiendum ab vnaquaque earum integram procurationem. Obserua deinde, glossam ibidem, verbum illud, personaliter, intelligere, per se vel per visitatorem ad id delegatum, qui ad Ecclesiam perueniat, nec à remotis rationem Ecclesiæ exigat. Obserua tertio, in hoc Eborensi Archiepiscopatu (idem credo esse in aliis Lusitaniæ diœcesibus) antiquā esse cōsuetudinem, vt siue multæ Ecclesiæ eadem die visitentur, siue vna tantum, & siue visitentur per propriū pastorem, siue per alium ab eo delegatum, vnaquæque earum integram soluat procurationem in pecunia, idque siue illam of- D
9 ferat in pecunia, siue non, estq; taxatum, vt prætium sit selibra vnciarum octo argenti, quam marcum vocant, id est, sex ducati, & credo postquam in hoc Regno regalis argenteus ad valorem quadraginta terunciorum, quos *reais* vocamus, euectum est: eos-dem sex ducatos solui, esto selibra argenti, ad se-ptem aureos cum dimidio sit euecta. Porro eiusmo-di pretia in hoc Regno collectæ vocantur.

Quædam Ecclesiæ excipiuntur, quæ minorem quandam summam soluere consueuerunt, vel pro-pter paupertatem, vel quod forte aliis quondam fu erunt annexæ: Aliquibus in locis audio in more esse positum, vt aliquæ Ecclesiæ nihil omnino soluant, nisi à sui pastoris persona visitentur. In aliquibus e-tiam alijs, si pastor in propria persona eas visitet, tri-buitur ei longe maior copia pecuniæ, quam si per de E
legatum eas visitet. Vnde tamen hæ omnes antiquæ consuetudines habuerint ortum ignoro: illis tamen & quibuscunq; aliis, quæ præscriptæ fuerint reper-tæ, est standum. Quod autem Ecclesiæ non visitentur, aut procurationem non soluant, cum à proprio prælato visitantur, præscribi non potest, vt *disputa-tione 79.* ostensum est.

SVMMARIVM.

1 *Sportulæ quas de iure ciuili iudicibus accipere permit-titur.*

2 *Quid de Iure Lusitaniæ in sportulis, aliisque muneribus iudicum, senatorum cæterisque ministris publicis nec in personis illorum quæ ipsis subsunt constitutū est.*

3 *Quando iure Castellæ prohibentur vniuersim iudices accipere per se aut per alios quicquam etiam in esca & potu.*

4 *Dantes huiusmodi munera, immunes à pœna sunt, si rem detegant, ad cuius probationem tres testes singulares sufficiunt.*

5 *Pœna Notariorum, qui vltra stipendium quid etiam gratis oblatum recipiunt.*

QVOVSQVE DE IVRE COMMVNI iudicibus secularibus fas sit, aut non sit accipere, & quid circa eos, aliosque ministros publicos in hoc, & in Castellæ Regno sit sancitum.

DISPVTATIO 86.

AD initium *disp. 83.* diximus, quousque de iure cō
muni fas sit, aut non sit iudicibus secularibus
munera à litigantibus accipere. De eodem iure fas 1
iis erat accipere aliquas sportulas, vt duos aureos
ab vnoquoque litigantium in principio litis, & toti-
dem in fine. quando res, de qua erat controuersia,
valorem, centum aureorum superabat; nihil vero,
quando minoris erat valoris, vt *ex authentico de iudi-
ciis § ne autem* constat. Aliquibus etiam in locis cō-
suetudo fuit, vt acciperent decimam partem, aut a-
C liam valoris litis, vt refertur *c. cum ab omni de vita &
honestate clericorum*, neque id eo in loco videtur re-
probari.

Licet autem ea omnia, & alia forte his similia, fu-
erint eis de iure communi concessa: longe tamē plus
de iure huius Lusitaniæ Regni tam ipsi, quam alij mi 2
nistri publici arctantur. Nihil n. amplius, quam pro *1ms Lusit.*
prium stipendiū, aut quod cuiq; iuxta munus suum
præscriptum est vt accipiat, potest vel tanquam mu-
nus, vel qua cunque alia ratione recipere.

Quinto namque *lib. Ord. tit. 56.* iudicibus omnib.
senatoribus, cæterisque omnibus ministris publicis,
siue ad iustitiā, siue ad bona, aut domum Regis perti
neant, siue ad regimen cuiuscunque oppidi, omni-
busq; vniuersim aliis inhiberetur, ne sibi, filio, aut
cuicunque alteri, qui sub eorum potestate aut re- D
gimine sit, recipiant donum, aut munus quodcun-
que esto, qui dat, aut offert, nullū cum ipsis negotiū
gerat. Præterea vt nullus inferiorum ministrorum
publicorum possit administrare bona ministri sibi
superioris, nec quicquam, vt illius sit, emere, aut ali-
quid illi vendere, aut mutuo vel commodato dare.
Hæc omnia sub pœna amissionis officij, aut officio-
rū, si multa habuerint, & solutionis viginti loco cu-
iusque eorum, quæ ita acceperint, ita vt dimidiū ac-
cusanti, & dimidium fisco Regis applicetur. Ei ve-
ro, qui tale munus dederit, aut miserit, constituitur
pœna amissionis omnium bonorum, quæ eodem
modo diuidantur, præterea amissionis omniū offi-
ciorum publicorū, si quæ habuerit, & exilii quin-
quennio vltra mare. Eademque pœna statuitur
ministris inferioribus, qui ministris superioribus E
præstiterint aliquid eorū, quæ paulo antea comme-
morata fuere. Conceditur que actio ad bona & mu-
nera ita amissa petenda, solum per decennium à die
commissi delicti. Omnibus nihilominus ministris
publicis conceditur, vt à suis consanguineis ascen-
dentibus & descendentibus, nec non à transuersa-
libus vsque ad secundum gradum accipere possint,
quæcunque voluerint ipsis conferre. Eisdem etiam
ministris permittitur accipere panem, vinum, car-
nes, fructus, & cætera esculenta, quæ inter cogna-
tos & amicos conferri consueuerunt, à cæteris con-
sanguineis & affinibus vsque ad quartum gradum,
necnon ab aliis, cum quibus tam arctam habuerint
amicitiam, aut aliquod aliud impedimentum, vt id-

circo

circo iudices: sic nequeant in eorum causis. Quamuis aut prohibitio, quæ circa hæc in Ordinationib. quas *da fazenda* vocant, c.194. habetur, non sit tam arcta: quia tamen Ordinationes Regni posterius à Rege Emmanuele correctæ editeque fuerunt, vt ex tempore quo hæ & illæ tempore Emmanuelis Regis fuerunt excussæ, ex historia Regis Emmanuelis à Damiano Goes conscripta *cap. vltim.* constat, nec quia in Ordinationibus Regni res accuratius & exactius multo, quam in illis aliis, conscriptæ & in ordinem digestæ sunt fit, vt Regni Ordinationibus hac in parte standum sit.

In *eodem titul.* 5 6. § 2. statuitur, vt si is, qui misit munus, aut aliquid per se vel per alium dederit, negotium cum eo, qui accepit, gerebat, isque, qui accepit, iudex erat, accipiens amittat officium, & omnia bona sua, fisco Regis addicenda. Item vt, si quod accepit, valorem vnius aurei excesserit, exulet in perpetuum in Insula D. Thomæ: si vero non excesserit exulet quinquennio in locis Africæ: Quod si attigerit valorem duodecim aureorum, interficiatur.

§. 3. additur, vt si is, qui id recepit, iudex non sit, sed sit alius minister publicus, corã quo, qui vel per se vel per alium id dedit, negotium gerebat, & officium amittat, & triginta loca vnius soluat, ita vt dimidium accusanti, & dimidium fisco Regis addicatur.

§. 4. subiungitur, vt si quis prædictorum omnium ministrorum nihil quidem acceperit, acceptauerit tamen promissionem factam, amittat officium, & insuper soluat triplum valoris promissionis fisco Regis.

§. 5. & 6. sancitur, vt is, qui aliquid dedit, aut promisit iudici, vel cuiuis alteri ministro publico, cum quo negotium gerat, præter omnes supradictas pœnas amittat eo ipso partem, quæ cum eo contendebat, ius totum, quod habebat. Attamen si intra mensem, & antequam à Rege alia via sciatur, Regi reuelauerit, eiusmodi ministrum id accepisse, aut promissionem acceptasse, idque sufficienter probauerit, liberetur ab omnibus pœnis: non secus ac si nihil tale cõmississet. Si tamen sententia à tali iudice esset lata, nulla omnino esset, esto lata esset aduersus eum, qui rem ita detegit. Quod si, qui rem ita detegeret, aliquid aliud interuentu eiusmodi ministri obtinuisset, modo id in præiudicium tertij non cederet, totum esset ratum & firmum: cum tamen, si rem non detexisset, totum esset cassum & irritum, non secus ac si non esset obtentum. Additur, esto qui rem ita reuelaret, non posset id probare nihilominus talis reuelatio, & propria ea de re cõfessio, nihil ei nocebit.

Si ministri publici, perdurãte negotio, quippiam emant ab iis, qui cum ipsis negotium gerunt, aut illis vendant, reputatur ac si dono id accepisset, subiacentque tam ementes, quam vendentes, pœnis accipientium ac offerentium munera. Eisdem pœnis subiacet iudex, qui rogat quemcunque alium, vt aliquid remittat, aut condonet cuicunque alteri, esto is, qui rogatur, precibus non annuat. Hæc habentur *titulo citato. §. penultimo & vltimo.*

§. 8. eiusdem tituli prohibentur ministri bonorũ Regis, & qui Regis negotia quocunque modo curant, accipere quicquam ab iis conductoribus redituum & bonorum Regis, qui illis sunt subiecti, esto sua sponte, mereque liberaliter id illis offerant. Prohibentur præterea socij esse illorũ, aut cuiuscunque alterius ministri publici ipsis subiecti, in conditionibus reditum, & aliorum honorum: idq; sub pœna amissionis officiorum, tam dantis, quam accipiẽtis. si primum fuerint transgressi, & insuper solutionis viginti loco vnius. Si vero transgressi fuerint secundum sub pœna amissionis officiorum, & vt vnusquisque eorum soluat, quantum reditus aut bona illa fuerint conducta. Alia etiã sub simulib. pœnis prohibentur *eodem titulo, & lib. 4. Ordin. titu. 38. &* A *39 & par. 1. leg. extrauag. tit. 19. l. 1. & in Ordinationibus quas vocant da fazenda à c. 191. vsque ad* 194.

Eodem 5. lib. Ordinat. tit. 59. vniuersim prohibentur omnes ministri publici accipere pro vnoquoq; ministerio amplius, quam vnicuique taxatũ & præscriptum fuerit, sub pœna, vt si aliquid amplius accipiant, quod ad valorem quingẽtorum nummorum æreorum, quos *reais* vocant, non perueniat excellent biennio in locis Africæ & insuper nouẽ loco vnius appendant. Si vero, quod ita amplius acceperint, ad quingentos nummos æreos perueniat, siue ab vno siue à plúribus, & siue simul, siue successiue prædictam summã acceperint, præter pœnam prædictam pecuniarum amittunt officium, exilioque triennali mulctantur. Quod si quantitas ad duo mille eiusmodi nummos perueniat, præcipitur vt exilium sit B in Insula Diui Thomæ vsque ad Regis beneplacitũ. Si autem summa ad sex mille eiusmodi nummos pertingat, exulare præcipiuntur in eadem Insula in perpetuum, subiungiturque vt obtentu cuiuscunq; consuetudinis in contrarium, siue generalis siue specialis, esto per id temporis sententiæ in illius fauorẽ sint latæ, prædicti omnes ab eiusmodi pœnis nõ eximantur. Quo fit, vt aduersus hãc legem locum non habeat præscriptio.

Hoc loco subiiciendæ essent prohibitiones, quæ sunt de iure huius Lusitaniæ Regni, ne officia publica vendantur, aut pretio occulte accepto in alios transferantur, & ne per tertiam personam administrentur: vt vero dilucidius omnia tradantur, hac de C re peculiaris instituetur disputatio.

Quod ad Regnum Castellæ attinet, *lib. 3. nouæ collect. tit. 9 l. 3. vers. l. 6 & l. 5. & 6.* prohibentur omnes vniuersim iudices accipere per se aut per alios quicquam, etiam in esca & potu, à quibuscunque, qui vel causam coram ipsis sunt habituri, vel iam antea habuerint, nec non ab alijs, qui horum intuitu aliquid ipsis dederint, idque sub pœna amissionis officij, & vt inhabiles sint ad quodcunque aliud habendum 4 ac exercendum, & vt soluant, quod ita acceperint, & insuper duplum fisco Regis, & puniantur præterea arbitrio Regis. Qui autem eiusmodi munera iudicibus dederint, immunes sunt à pœna, si rem detegant: & tres testes singulares, hoc est, qui de diuersis numero criminibus testificentur, satis sunt vt iu- D dex condemnetur, modo testes sint omni exceptione maiores.

Libro etiam 4. *eiusdem collect. tit. 16. & 17.* taxantur 5 tabellionibus stipendia, quæ pro vnaquaq; scriptura & munere exequendo accipere debent, *& tit. 17. versus finẽ legis primæ*, eis præcipitur, vt nihil amplius accipiant, etiamsi mere gratis illis offeratur, idque sub pœna quadrupli, & vt prima vice suspendantur anno integro ab officio. secunda vero eo omnino priuentur, satisque est probatio trium testium singularium ad plenam probationem.

SVMMARIVM.

1 *An qui officium vel quid aliud interuentu ministri publici muneribus, aut policitationibus à se subornati obtinet, teneatur id reuelare aut restituere officium cũ fructibus perceptis, idque nulla expectata sententia.* E

POENAE STATVTAE DANTIBVS & accipientibus contra leges disputatione præcedente relatas, præsertim priuationis officiorum quousque in foro conscientiæ debeantur.

DISPVTATIO 87.

VT igitur à pœnis ordiamur, quæ dantibus & 1 accipientibus contra præscriptum legum disputatione præcedente relatarum sunt statutæ. Alicui videri posset, obtinentem officiũ, vel quoduis aliud,

aliud, nempe commendam, *teneam*, quam in hoc Lusitaniæ Regno vocant, aut aliquid aliud interuentu ministri publici muneribus, aut pollicitationibus à se subornati, teneri, aut detegere talem ministrum, intra mensem à delicto commisso, aut restituere Regi officium, & reditus ex illo perceptos, vel quodcumque aliud, quod à Rege obtinuisset, & emolumenta inde percepta, idque nulla expectata sententia. Ducique ad id sibi persuadendum hac non leui ratione posset: quoniam, vt *disputatione præcedente ex libro 5. Ordin. titul. 56. §. 6.* relatum est, talis collatio est ipso iure nulla, non secus ac si nihil tale fuisset à Rege concessum.

Cæterum quamuis hoc specie aliqua probabilitatis non careat, saluo tamen meliori iudicio; contrarium in re graui & quotidiana arbitror asserendum. Nempe, quando aliud non interuenit, quod collationem nullam efficiat, ex hoc solo capite non consurgere obligationem restituendi ante latã sententiam. Id quippe esset, illaque re subditorum conscientias in re, hominum fragilitate posita, quotidiana, admodumque difficili, postquam crimẽ semel esset commissum quod de Christiano Principe non est præsumendum: sed mens legislatoris fuisse videtur, vt collatio eo ipso, quod esset detecta, deductaque in iudicium, pronunciaretur & revera esset nulla. Id quod satis innuunt verba ordinationis eo loco, quæ sic habent, Et *de feobrindoje por otra maneira o tal despacho, ou cousa quelle for impetrada por aquelle que à dita peita recebeo, ou a promessa dela acceptou, sera nenhum, comoque naon fosse impetrada, ou auida.* Ecce, solum post derectionem statuitur, vt sit nulla, ermoque est ibi de derectione Regi ipsiusue ministris, facta delatione ad iudicium. Secundo quoniam cum officia publica, & pleraque alia, passim, postquam lex illa lata fuit, cõtra præscriptũ illius obtenta sint, neque vllus vnquam fuerat, qui ea restituerit, & multo minus: qui restituat reditus & emolumenta ex illis percepta, quia neque in mentem illis venit se ad id teneri: cum item nunquam à Regibus curatum sit, vt lex illa cum eo rigore executioni mandetur, sane *genseandnõ* est cum eo rigore obligare: leges namque non plus obligant, quam vsu tentium fuerint comprobatæ.

Ad reliquas verò pœnas, legib. disputatione præcedente relatas, non tenentur transgressores ante latam sententiam, etiamsi pœnæ illæ sint amissionis officiorum, quorum collatio ad Regem spectat. Id quod clare patet *ex toto tit. 56. citato*, in quo nunquam dicitur ipso iure, aut ipso facto, quin potius ex decursu totius tituli patet, pœnas in eo statutas locum non habere ante latam sententiam. Confirmatur id euidentissime, quoniam vt disputatione præcedente ex principio illius tituli retulimus, solum cõceditur decẽnium à commisso delicto, vt agatur aduersus eum, qui legem est transgressus & priuetur officio, quod sane non staret retur, si officium à puncto cõmissi delicti illius non erat, sed iniuste illud detinebat. Et quamuis interdum in aliquibus legibus disputatione præcedente relatis dicatur, & per esse *meo feito perca officio*, non est sensus, quod ipso facto aut iure illud amittat, sed quod propter tale factum puniatur pœna amissionis officii, vt satis constat ex ordinationibus quas vocant *da fazenda. capit. 194. §. vltimo*, vbi ponitur idem verbum & manifeste constat sumi in posteriori sensu. Adde, quamuis sumeretur in priori sensu, mentem legislatoris posse esse vt etiam officii, perinde, ac cæterarum rerum, non amittatur dominium, aut quasi dominium, ante latam sententiam.

SVMMARIVM.

1 *Minister publicus restituere tenetur quæ pro munere suo exequendo vltra id quod lege iusta taxatum est tanquam pretium accipit.*

2 *De iis quæ tanquam munera gratisue data cõtra id quod legibus præscribitur accipiuntur distinguitur & n. 6.*

3 *An conferens munera, vt vexationem redimat, peccet.*

4 *Quando ad redimendam vexationem quid dari censeatur.*

5 *An liceat publicis ministris eorumve famulis quid accipere, vt quem prius aut citius expediant.*

7 *Vtrum accipi prohibita ministris publicis sola lege humana, obnoxia restitutioni sint, nulla expectata sententia.*

8 *Pars affirmat. suadetur primo.*

9 *Confirmatur.*

10 *Suadetur secundo.*

11 *Soti & vtriusque Medinæ sententia.*

12 *Auctoris sententia.*

13 *Resp. ad prim. argum. in contr.*

14 *Ad confirmationem & ibidem intellectus* l. non dubium *c. de ll. explicat.*

15 *Ad secundum argumentum.*

QVAE CONTRA LEGES A MINISTRIS publicis accipiuntur, quousque & cuius conscientiæ foro sint restituenda.

DISPVTATIO. 85.

1 DE iis, quæ tanquam pretium accipit quicumque minister publicus pro munere suo exequendo, vltra id quod lege iusta taxatum, constitutumque est vt accipiat, dubium non est, restituendum esse tã quam iniuste acceptum, restitutionemque faciendã esse dann, aduersus quem iniustitia fuit commissa, iuxta ea, quæ *disp. 83.* dicta sunt.

2 De iis vero, quæ tanquam munera gratisue data, contra id, quod legibus præscribitur, accipiuntur, (quæ omnia pietas in hoc Lusitaniæ Regno vocantur) distinguendum est. Si enim ad redimendam solum vexationem conferantur, quia alioquin is, qui ea confert, merito timet ministrum publicum non præstaturum suum munus, vt oportet ac tenetur, vel aliqua alia ratione tam muoluntarie dentur, vt sufficiens id non sit ad transferendum dominium via donationis, tunc cõsurgit obligatio restituendi, quod ita acceptum est, nulla expectata sententia, itque restitutio in foro cõscientiæ facienda danu, vt ex iis, quæ subiiciemus, erit manifestum.

3 An vero, licet minister publicus peccet accipiendo, quod ei ad redimendam vexationem datur, is etiam, qui confert, vt vexationem suam redimat, peccet. præsertim existente lege, quæ collationem & acceptionem munerum prohibet, Sotus *4. de iust. dis quæst. 7. art. 1. ad. 2.* ait peccare. Communiter tamen Doctores affirmant non peccare. Quod sane verum est, quando certo constat iniuste vexari neque alia via euadet iniustitiam, nisi munus offerendo. In dubio autem, an iniustitia illi fiat, etiamsi ex affectu ad proprium commodum timeat fraudãdum se iri iure suo, nefas est munus offerre, & forte non aliud vo luit Sotus, neque confessarii faciles esse debent, vt ex quacumque iniustæ vexationis apparentia, munera offerri permittant.

4 Porro datur aliquid ad redimẽdam vexationem, non solum quando, nisi detur, imminens est periculum, quod iustitia euidens præuertatur, sed etiam quando cum publicus minister æqualis omnibus esse debeat, vt negotia eorum expediat, tempusque ad id rationabile & accommodatum adhibere debeat, ita vt segnis non sit, nec sua culpa partes remoretur, attamen ita se gerit, vt, nisi munus ei offeratur, eueniet, vt tot ex iis qui posterius accesserunt, ipti præponat, aut tam negligens sua culpa sit in negotio expedien-

pediendo, vt longe maiores sumptus expectando fi A nentur illas restituere. Cõfirmatur, quoniam quondam *leg. plebiscito ff. de offic. præsid. & l. solent. §. vltimo ff. de officio proconsulis* permittebatur iudicibus accipere à litigantibus esculenta, & poculenta aliqua, neque id prohibetur hodie iudicibus delegatis à Summo Pontifice, vt *ex cap. statutum. §. insuper de rescriptis lib. 6* constat, quod sane nulla ratione fuisset vnquam in iure concessum, si stando in solo iure naturali eiusmodi donationes essent nullæ.

Obiectio excluditur.

Neque refert, si quis dicat, esse magnum periculum iustitiam peruertendi, siquid detur iudici animo illum afficiendi, vt largitori faueat, idque iudex accipiat. *Exodi* namque 23. Iudicibus dicitur. *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Non, inquam, hoc refert, quoniã solum probat, esse causam iustissimam, vt dario & B acceptio prohibeatur, iudicesque nulla ratione debere munera accipere: nõ vero probat, donationem esse nullã, eaque non transferri dominium. Nec item refert, si rursus dicat, saltem quando, qui eo animo dedit, finem non est assecutus, quia iudex in contrarium, ac ipse munere suo intendebat sententiam tulit, donationem esse nullam, neque habuisse tantum voluntarii, quantum est necessarium ad dominium via donationis transferendum. Non, inquam, hoc etiam refert: quoniam, quod donans finem, quem sua donatione intendit, non assequatur, non tollit quo minus donatio sit valida, habereque censeatur voluntarium, quod ad trãsferendum dominium sufficiat vt dicemus suo loco, exemplũ adhibendo in eo, qui munera ad mulierem aliquã misit, animo alliciendi eam ad fornicandũ, nec tamen illa consentire vnquam voluit: eiusmodi namq; donationes censendæ sunt absolutæ, animo vt ea via finis intentus sequatur, non vero conditionales, quasi sensus donationis sit, do sub conditione, vt hoc facias: ac proinde validæ sunt in foro conscientiæ.

Alia excluditur.

Quando famulus alicuius ministri publici aditũ intempestiue ad Dominum suum alicui negotiatori daret, vel negotium alicuius domino suo intempestiue expediendum offerret, idque in causa nõ esset, vt alii non remorarentur, sed potius ea via minister publicus plura negotia expediret, quã alioquin teneretur, esseque expeditus: tunc tuta conscientia accipere posset eiusmodi famulus pretium moderatum, vt taie beneficium præstaret. Quamuis neque hoc ferre deberet timoratus minister publicus, ne hac occasione abusus in Rempublicam introducerentur.

Secundum est, licet donationes, de quibus loquimur, seclusa lege positiua, quæ eas prohibeat, licite fiant & accipiantur cum peccato, vel propter scandalum vel propter periculum peruersionis iustitiæ, vel quia non habent tantum voluntarii ex parte dantis quantum satis sit ad transferendum dominium, atque accipiantur cum grauamine Reipublicæ: interdum tamen posse fieri & accipi sine vllo peccato, vt quando ex amicitia datur aliquid ministro publico, etiamsi amicitia habuerit ortum ex eo quod sit minister publicus, aut quando ex gratitudine & gaudio rei iuste obtentæ aliquid ex mera liberalitate illi datur: in eiusmodi namque donationibus nihil vitii ex natura rei cõspicio. Porro quãdo datio & acceptio est mala propter periculum peruersionis iustitiæ, datio & acceptio induunt speciem iniustitiæ prout fuerit effectus, qui inde timetur, vel homicidij, vel damni in honore ac fama aut bonis externis proximi.

Quando ea, quæ ministri publici cõtra legis præscriptum accipiunt, ea liberalitate ac libertate eis dãtur, quæ intra limites donationis sit satis ad transferendum dominium, vt quia ex amicitia perinde cuique illorum dantur, ac si nõ esset minister publicus, vel quia ex gratitudine beneficii accepti dum bene est vsus suo munere, & ex gaudio rei iustæ obtentæ illi dãtur, vel etiã vt in posterum talem se gerat, qualẽ se gessit, diligenterque expediat negotium eius, qui munus mittit, vel denique antequam negotium expediat, munus ad eum mittatur, vt afficiatur ad diligenter atque in fauorem eius, qui munus mittit, negotium intra iustitiæ limites expediendum: in his, inquam, & in aliis similibus euentibus dicenda sunt nonnulla.

Tertium est, propter mala & damna, quæ huiusmodi dationes & acceptiones habere solent adiuncta, iure optimo lege positiua prohibentur, estq; in principe potestas, vt ipso iure nullas eas reddat, ita vt in foro conscientiæ teneatur accipiens restituere quæ ita acceperit, nulla spectata sententia. Quæ autẽ acceptiones, & à quibus, & quousque prohibitæ sint in vnoquoque Regno tum ex iure communi, tum ex particularibus legibus & consuetudinibus illius expendendum, iudicandumque est. De hoc tertio pronuntiato nullus est, qui dubiter: eo quod in principe sit plena potestas in subditos, & eorum bona, vt statuat quicquid communi bono expedire iudicauerit.

Primum est, seclusa lege positiua, quæ eiusmodi E acceptiones prohibeat, ministros publicos comparare dominium eorum, quæ ita accipiunt, nec teneri illa restituere. Probatur, quoniam collatio eiusmodi re vera est vera donatio, spectatoque solo iure naturæ, integrum est cuique dominium rei suæ sponte in alterum transferre, quippe cum nihil tam conueniens sit naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratã habere, vt *Institut. de rerum diuision. §. per traditionem.* scriptum legimus: ergo seclusa lege positiua, quæ eiusmodi acceptiones prohibeat ministri publici cõparant dominium rerum, quas ita accipiunt, nec te-

His ita constitutis, controuersia est, vtrum, quæ accipiuntur eiusmodi donationib. validis expectato solo iure naturali, obnoxia sint restitutioni in foro conscientiæ nulla expectata sententia, eo ipso, quod accepta sunt cõtra præscriptũ legis humanæ. Pars, quæ affirmat suaderi potest. Primo quoni-

7 *An accipere prohibita ministris publicis sola lege humana obnoxiata restitu-*

tution' ſin nulla expectata ſententia.

8 Pars affirmãs ſuadetur 1.

9 Confirm.

10 Secundo.

11 Soti, & vtrimq; Medina ſententia.

12 Auctoris ſententia.

am, quando lex prohibet acceptionem aliquam, efficit accipientem incapacem rei, quam prohibet accipere, redditque collationem talis rei inhabilem ad transferendum dominium: ſiquidem ad vtrumque eſt poteſtas in principe, vt paulo antea dictũ eſt: cum ergo accipiens non comparet dominium talis rei, conſequens eſt, vt nulla expectata ſententia reſtituere teneatur, quod ita accepit.

Poſſumus hoc nos validiſſime confirmare, *ex leg. non dubium. Cod. de legibus*, vbi inter alia habetur: *nullum pactum nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente: quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres, quam nouellas trahi generaliter imperamus, vt legislatori quod fieri non vult, tantum prohibuiſſe ſufficiat, cæteraque quaſi expreſſa ex legis licear voluntate colligere: hoc eſt, vt ea, quæ lege fieri prohibentur ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed prouiſectis etiam habeãtur: licet legislator fieri prohibuerit tamũ, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt, illud quoque caſſum, atque inutile eſſe præcipimus. Secundum prædictam itaque regulam, qua vbique non ſeruari factum lege prohibente cenſuimus, certum eſt, nec ſtipulationem huiuſmodi tenere, nec mandatum vllius eſſe momenti, nec ſacramentum admitti.* Hactenus lex illa. Ex qua apertiſſime videtur colligi, acceptionem quamcunque factam lege prohibente, eſſe ipſo iure nullam, ac proinde rem ita acceptam reſtitutioni eſſe obnoxiã in foro conſcientiæ nulla expectata ſententia.

Secundo, poſſumus eandem partem affirmantem ſuadere, quoniam, vt Doctores communiter affirmant, quando acceptio eſt mala, accipiens tenetur reſtituere rem acceptam, vel danti, ſi datio non fuit mala, vel pauperibus, aut fiſco, ſi datio mala fuit: cũ ergo ſuppoſita lege, Luſitana præſertim, quæ, vt relatum eſt, ſub grauiſſimis pœnis acceptionem & dationem prohibet, tam datio, quam acceptio malæ ſint, conſequens eſt, vt accipiens in foro conſcientiæ reſtituere teneatur rem ita acceptam, nulla expectata ſententia.

Sotus *4. de iuſtit. q. 7. art. 1. ad 2.* ductus, vt videtur, primo argumento propoſito, hanc amplectitur ſententiam, quando aliquid contra præſcriptum legum accipitur, vt alteri fiat iniuſtitia. Et quamuis ſubiungat ſtatim ſermonem de muneribus, quæ iudicibus offeruntur ne ſcias tamen diſcernere, tã ex iis, quæ eo loco docet, quam ex iis, quæ *1. lib. de iuſtitia, q. 6. artic. 6. ad tertium membrum 4. argumenti* dixerat, ſeu ferme eiuſmodi munera obnoxia eſſe reſtitutioni in conſcientiæ foro ante latam ſententiam, an non: multi tamen illi tribuunt partem affirmantem. Eandem amplectuntur Ioan. Medina *de reſtitut. quæſt. 20.* Bartol. Medina *in inſtructione Hiſpana de modo adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ folio. 226. §. 3. de los inuezes*, & quidam alij. Addit Bart. Medina: hac de re nullum eſſe dubium: quoniam eiuſmodi leges conuentionales ſunt inter principem & miniſtros publicos, vt ſub eo pacto officia hæc publica accipiant vt munera non accipiant, ad idque iureiurando ſe aſtringunt, eaque ratione incapaces fiunt dominii eiuſmodi munuſculorum. Neminem tamen ex his Doctoribus video inniti confirmationi, quam nos primo argumento adiecimus.

Mihi contraria ſententia placet. Nempe licet peccent, qui contra præſcriptum legum eiuſmodi donationes accipiunt, periurique ſint, ſi iureiurando ad eas non accipiendum ſe aſtrinxerunt, vt in hoc regno miniſtri publici ſe aſtringunt, & iudices omnes ac tabelliones in Regno Caſtellæ: Licet item, vt periuria, & alia mala, quæ eiuſmodi donationes comitantur, in poſterum vitentur, expediat, vt confeſſarij ſæpe, ſaltem in pœnitentiam, iniungant, vt quæ accepta ſunt reſtituãtur: idque eo magis, quo timor aliquis ſubeſſe poſſit, vt mere libere non ſint conceſſæ: nihilominus donationes, de quibus loquimur, validas eſſe, neque conſurgere obligationem reſtituendi ante latam ſententiam, aut ante latum præceptum, quo confeſſarius ad id pœnitentem aſtringat.

Moueor autem, quoniam huiuſmodi donationes, vt oſtenſum eſt, ſecluſa lege humana, validæ ſunt. In primis autem *leg. non dubium. Cod. de legib.* eas validas eſſe non impedit: quoniam præter alia, quæ in ſolutionibus argumentorum dicemus, vt bene Sylueſter *verbi lex. q. 28.* cum Panor. & Cardinal. *in Clementina 1. de reſcriptis* ait, lex illa ſolum habet locum, quando legislator prohibet aliquid non apponendo pœnam, ſecus autem quando, præter prohibitionem progreditur vlterius ad pœnam iniungendam, quod videre eſt in omnibus legibus, quæ eiuſmodi donationes prohibent.

Deinde vero leges Luſitaniæ non reddunt eas inualidas. Tum quia, vt *ex diſputat. 86.* conſtat, omnes apponunt grauiſſimas pœnas, in nullaque earum innuitur acceptionem eſſe inualidam. Tum etiã, quoniam, vt ex eadem diſputatione & *ex diſputa. 87.* eſt manifeſtum, etiam quando legibus illis ſtatuitur, vt quod obtinetur interuentu talis donationis eorum ſit irritum & nullum, id non habet locum, niſi poſtquam res ad iudiciũ fuerit delata, ſubſecutaq; fuerit ſententia. Imo neque pœna amiſſionis officij propter tale crimen obligat in hoc Luſitaniæ regno in foro conſcientiæ ante latam ſententiam, vt eadem diſputatione oſtenſum eſt. Tum denique quoniam *4 libro Ordinat. tit. 38. in principio*, cum iudicib. & quibuſdam aliis miniſtris publicis prohibeatur emere, permutare, eõducere reditus & alia bona immobilia, &c. in locis, ad quæ eorum iuriſdictio ſeſe extendit, ſubiungitur. *Et qualquer que o contrario fizer, aia por pena, que o contrato ſeia nenhum, & todo aquillo, que odito official por bem de lo receber ou ouuer, ſeia perdido & confiſcado pera a coroa de noſſos Reinos.* Hinc manifeſte conſtat, neque ſufficere, neque mentem legislatoris in ſimilibus legibus eſſe, vt eo ipſo, quod lege prohibeatur aliquid, quod ſecluſa tali lege eſt validum, ſit irritum & inualidum ante latam ſententiam; alioquin fruſtra inter alias pœnas, quæ locũ nõ habent ante latã ſententiã, apponeretur in ea lege; *& qualquir que o contrario fizer, aia por pena, que o contrato ſeia nenhum.* Quo loco obſerua pœnam hanc annullationis cõtractus in ea lege, meo iudicio, locum non habere, niſi poſt latam ſententiam. Tum quia ſimul eodemque tenore commemoratur & ſtatuitur cum aliis, quæ locum non habent ante latã ſententiam, vt legem illam intuenti eſt manifeſtũ. Tum vel maxime, quoniam verbo de futuro dicitur, *aia por pena que o contrato ſeia nenhum*: iuxta regulam autem Bartoli *l. 1. C. de pœna iudicis nu. 4.* quando lex loquitur per verbum futuri temporis, videlicet, amittat actionem, perdat cauſam, priuetur iure ſuo, aut aliis ſimilibus, ſemper intelligitur per ſententiã ferendam.

Leges etiam Caſtellæ non plus reddunt inualidas eiuſmodi donationes in eo Regno, quam Luſitanæ leges in hoc. Etenim *l. 5. & 6. lib. 3. noua collect. tit. 9.* ſolũ prohibent, ne iudices eiuſmodi donationes accipiãt ſub pœna amiſſionis officiorum ipſo facto, & vt ſoluant, quod ita acceperint, & duplum fiſco Regis. Ecce, leges illæ pœnam apponunt, imo inter pœnas computant, vt ſoluatur quod acceptũ eſt, & inſuper duplum, idque totum fiſco Regis; quæ pœna locum non habet ante latam ſententiam. Neque in illis legibus mẽtio vlla fit de iuramento, ſed leg. 3. antecedente, inter alia quæ iudices antequam munus iudicandi ſuſcipiant, iurare præcipiuntur, eo quod expediat, vt rite munus ſuum exequantur. Sextum eſt, quod neq; munera accipient, neque promiſſionem eorum acceptabunt: ad eadem ante, & multa alia, iureiurando ſe etiam aſtringunt iudices in hoc Regno. Impertinens vero eſt iuramentum

hoc,

hoc,esto eadem lege fuisset iussum,vt qui accipit,incapax fiat dominii rei,quam ita accipit,teneaturque illam restituere ante latam sententiam.Solum quippe est in causa, vt qui contra id , quod iureiurando spopondit,aliquid accipit,peritrus sit:non vero, vt quod accipit,non efficiatur accipientis,aut vt, postquam acceptum est,teneatur id restituere:præsertim cum forma iuramenti sit,se nihil acceperum ; non vero non retenturum,si id acceperit.Si namque forma hoc etiam secundum contineret,tunc sane obligatio consurgeret restituendi,quod contra præscriptum legis accepisset, non quidem de iustitia, quasi, quod accepisset,non effecisset suum , sed ex religione,quia teneretur implere secundam partem sub forma iuramenti comprehensam,vtpote licitam,& meliorem,quam sit retentio. Quod etiam dicunt aliqui ex Doctoribus,cum quibus disputamus, leges videlicet illas non esse pœnales,falsum profecto est, vt ex forma earum est manifestum.In legibus tamen pœnalibus duo attendenda sunt. Vnum est, pœna imposita:alterum vero,præceptum ipsum,ad cuius tutiorem obseruationem apponitur pœna. Et quidem ad pœnam nullus regulariter tenetur ante latam sententiam , etiam post transgressionem præcepti, pœnamque commeritam. Ad præcepti vero obseruationem tenetur continuo,esto lex pœnalis sit.Nullam vero fugiem,mentionem ve,conuentionis in illis legibus inuenio , vt iudices , qui eiusmodi donationes acceperint,incapaces sint earum , illasque restituere teneantur , præsertim cum illas non accipiant quasi in pretium,alioquin non essent donationes, de quibus loquimur.

Possumus deinde confirmare nostram sententiam *ex c.statutum §.siquid.de rescript.lib.6.* Quo in loco postquam iudex delegatus Summi Pontificis multa prohibitus esset accipere,addit ur.Siquid autem contra constitutionem præsentem receperit,ad ipsius restitutionem integram teneatur,nulla eorum , quibus restitutio facienda fuerit , remissione vllatenus profutura eidem. Ecce cum iam antea eodem capite prohibita esset acceptio,prioribus tamen verbis illius §. redditur nulla,iniungiturque obligatio restituendi: posterioribus vero annullatur remissio, quæ ab eo fieri poterat,cui restitutio esset facienda : quod sane vrgens est argumentum,solam præcedentem prohibitionem acceptionis non fecisse irritam dominii translationem,nisi sequentia adderentur. Quod si id locum habet in legibus Ecclesiasticis, quanto magis in ciuilibus,quæ,licet in conscientiæ foro validæ sint non tamen tantum, quantum Ecclesiasticæ , ad forum conscientiæ, sed plus ad forum , iudiciumque exterius respicitur.

Illud admonuerim ,quamuis transgressio legum, de quibus disputamus, lethalis sit culpa ratione iurisiurandi,quo iudices & alii ministri publici in hoc Regno & in Regno Castellæ ad earum obseruationem se astringunt; si tamen iusiurandum secludas, quando peccatum lethale esset,aut veniale,expendendum esset ex periculo perueriionis iustitiæ , aut scandali, quod inde immineret,ex quantitate rei,quæ accipere tur,& ex qualitate pœnarum,quæ earum legum transgressoribus opponuntur , & ex illarum executione. Illud obserua,cum res,quæ ita accipitur,ex dantis libera voluntate in accipientis dominium transeat,neque accipiens ad illius restitutionem,vt ostensum est, teneatur ; consequens esse, accipere duos solos,aut plures aureos,quantum est ex parte solius materiæ, secluss aliis capitibus, non effugere culpam lethalem in donationibus,de quibus loquimur , nisi ex pœnis legis.earumque executionis. aut ex periculo perueriionis iustitiæ, vel scandali,lethalis culpa sit. Quæ omnia prudentis arbitrio expedenda ac iudicanda sunt.

13 *Ad primū in contrarium.* Ad argumenta in contrarium respondendum est, Ad primum quidem negandum est antecedens, vt satis ostensum est. Licet autem in principe , quando prohibet ne aliquid accipiatur,potestas sit ,vt accipientem incapacem dominii rei illius efficiat, necesse tamen est,vt constet id sua lege intendisse. 14

Ad confirmationem dicendum est,in primis Bar. ad eam legem, & alios, quos Adrianus *de restitutione quæstione de ludo*,quæ incipit,*quia in superioribus dictum est,&c.folio 142.in codicibus paruis*,refert ac sequitur,intelligere legem illam, vt locum non habeat, quando lex aliqua prohibet aliquid,nec fiftit,sed vlterius progreditur cōfergendo modum infirmandi,quod cōtra eam legem actum fuerit : tunc enim,inquiunt,nō plus censetur infirmare, quam iuxta modum traditum.Vnde quia lex ciuilis,quæ ludum prohibet,non fiftit ibi,sed vlterius progreditur;concedendo in pœnam repetitionem eius,quod ludo comparatum est, ait Adrianus , lex illa non intendit irritum efficere, quod ludo comparatur. restitutionique obnoxium, nisi postquam in pœnam fuerit in iudicio repertum, lataque fuerit sententia. Panormitan. Cardin. & alii, quos Sylu. *verb.lex.quæstione* 28.vt d.ctum est,refert & sequitur , volunt, legem illam locum non habere, quando lex aliqua non solum prohibet aliquid , sed progreditur vlterius ad pœnam constituendam trāsgressoribus.Forte dispositio illius legis vim non habet,nisi in foro exteriori , & post latam sententiam, quasi eo ipso , quod aliquid contra legis præceptum factum est,dignum fit,quod in pœnam irritum & nullum pronuncietur , taleque proinde pronunciandum sit. Arbitrorque legem illam non amplius vsu esse receptam ;id quod & leges Lusitanæ supra relatæ satis testantur,& communis vsus in toto orbe: neque enim quisquam,quod contra legis cuiusuis prohibitionem nihil omnino expresse irritantis, contractum aliquem celebrauerit, vel aliquid acceperit, consuesit ante latam sententiam illum rescindere, aut restituere quod ita accepit : quare vsus eam legem est interpretatus , & forte contra eam præscripsit.Esset que sane incolerabilis , attenta iuris positiui amplitudine , multiplicibusque illius prohibitionibus.Imo neque in exteriori foro, quando leges sunt pœnales,& non apponitur clausula,quæ irritum reddat,siquid in contrarium fuerit factum, pronunciabitur irritum & nullum , quod contra eiusmodi leges fuerit actum , sed solum legis transgressor condemnabitur.vt pœnam soluat;id quod satis consonum est legibus huius Lusitaniæ regni , & Panorm. Cardin.Sylues.& alii affirmant Hæc tam multis dicta sint semel,ne sæpius lex illa,non dubium , nobis negotium faceſſat.

15 *Ad secundum.* Ad secundum argumentum neganda est maior,si vniuersim intelligatur. Quando n.in acceptione interuenit peccatum quod non est contra iustitiam cōparatione eius,qui dedit,sed contra principis obedientiam,aut aliam virtutem,licet quia accepit, puniri possit priuatione illius rei propter culpam , quam eam accipiendo commisit, non tamen tenetur eam restituere ante latam sententiam,vt ostensum est,fiet que ex dicendis magis manifestum.

SVMMARIVM.

1 *Sententia quæ fertur accepto vel promissione præcedente à iudice acceptata ipso iure nulla est.*

2 *An restitutio pretij fieri debeat parti danti , an vero fisco vel pauperibus applicandum sit.*

3 *Intellectus l.3.ff.de condit.ob turp.caus.*

QVOD IVDEX IN PRETIVM PRO ferenda iusta sententia accipit,cui sit restituendum.

DISPVTAT. 89.

ILlud in primis sciendum est,quando sententia fertur accepto pretio,esse ipso iure nullam, vt constat *ex.l.venales C.quando prouocare non est necesse , cap.cum ab omni,de vita & honestate clericorum* , & notant *Gloss.*

7. t. & Panormitan. *ibi. num. 7. Bart. l. 1. C. de pœna iudicis num. 5.* & Doctores communiter. Quin vt habetur *lib. 5. Ordinat. huius Lusitaniæ regni tit. 56. §. 5.* retulimusque *disp. 76* satis est, si præcesserit promissio per iudicem acceptata, vt sententia subsecuta sit ipso iure nulla, & consonat Bart. *ad finem legis vltimæ* C. *de pœna iudicis.*

Quod ad rem vero propositam attinet, quando nulla interuenisset culpa ex parte dantis, vt si omnino ad redimendam vexationem iuxta ea quæ disputatione præcedente dicta sunt, dedisset, conueniunt omnes restitutionem faciendam esse ei, qui dedit. Quando vero culpa ex parte illius interuenisset, vt regulariter accidit, eo quod id iustissimis de causis legibus sit prohibitum, & de se illicitum sit, quam plurimi volunt restitutionem non ei, qui dedit, sed vel fisco, vel pauperibus, aut alicui alteri esse faciendam. Dicendum tamen est cum Bartol. Medina *in instructione Hispana*, consonantque Sotus & alii, ante latam sententiam, qua is qui dedit, ob culpam commissam condemnetur ad amissionem rei, quam dedit, & applicetur vel fisco, vel pauperibus, vel alicui alteri rei restitutionem esse faciendam danti. Ratio est, quoniam nulla est lex positiua, quæ transferat dominium rei illius ante latam sententiam in fiscum vel in pauperes, aut in aliquem alium: Quare cum ex eo, quod iudici fuerit data, dominium illius non transierit in iudicem; consequens est, vt maneat apud dantem, ac proinde vt illi sit restituenda. Autores vero contrariæ opinionis sinde sibi eam persuaserunt, quod quando turpitudo est ex parte dantis, non conceditur ei repetitio, sed res adiudicatur fisco, aut alicui alteri, vt habetur *ff. de condictione ob turpem causam l. 3.* & aliis iuribus, idemque expresse disponitur *ibi. l. 2. §. sed etsi*, quando aliquid datur iudici, vt in fauorem dantis iustam pronunciet sententiam: quia præsumitur voluisse eum corrumpere. Id tamen solum habet locum in foro exteriori; at in conscientiæ foro non, nisi sequatur sententia, qua is, qui dedit, condemnetur ad illius amissionem. Ante latam vero sententiam ei procul dubio restituenda est, qui dedit: eo quod dominium illius apud eum perseueret. Idem prorsus dicendum esset de muneribus datis & acceptis contra legis prohitionem, de quibus disputationis præcedente locuti sumus, si iuxta sententiam eorum, eum quibus ibi disputauimus restitutioni essent obnoxia.

SVMMARIVM.

1 *Si quid à litigante iudici datum sit, vt pro se tantum sententiam ferat, etiã in causa iusta, an concedat repetitio: & intellect. l. 2. §. vlt. ff. de condit. ob turp. caus.*

2 *An datum iudici, vt prout iustum inueniret litigantem expediret, nec causam illius remoraretur, repeti possit.*

VTRVM IN FORO EXTERIORI aliquando actio ad repetendum ei concedatur, qui iudici aliquid dedit vt sententiam iustam pro se ferret.

DISPVTATIO 90.

PRætermissis aliis opinionibus, placet sententia Bartol. *l. 3. C. de pœnis iudicis.* Videlicet, si aliquis litigantium pecuniam, vel aliquid aliud iudici dederit, vt pro se tantum sententiam ferret, non concedi actionem ad id repetendum, etiamsi causa inueniatur iusta ex parte ipsius, quin potius eo ipso causam amittet: quia præsumetur intendisse corrumpere iudicem, ac proinde interuenisse turpitudinem ex parte ipsius. Atque in hoc euentu intelligit *l. 2. §. vlt. ff. de condict. ob turpem causam* disputatione præcedente relatam.

Si vero pecuniam, vel aliquid aliud iudici dedit, vt iudex, prout iustum inueniret, eũ expediret, nec causam illius remoraretur: tunc, inquit, de iure antiquo digestorum concederetur ei repetitio, eo quod turpitudo solum esset ex parte accipientis, non vero ex parte dantis. Nihilominus ait, cum in authentico, vt litigantes iurent, in principio, prohibitum sit litigantibus quicquam iudici dare quacunque de causa præter ea quæ iure sint expressa, post ius illud nouum semper erit turpitudo ex parte dantis, atque adeo nunquã ei concederetur actio ad repetendum, sed, quod ita acceptum fuerit, applicabitur fisco in foro exteriori, ad quem, iuxta *leg. Lucius ff. de iure fisci*, repetere expectat, quæ ita turpiter dantur & accipiuntur, vt Panormit. ait *cap. cum ab omni de vita & honestate clericorum, nu 8.* Ac sane hæc sententia Bartoli verissima est in hoc Lusitaniæ Regno, in quo iure optimo vniuersim est prohibitum quicquam dare iudicibus propter incommoda, quæ inde oriri possunt.

Panormitanus vero *loco citato* Couar. *reg. peccatum par. 2. §. 3. nu. 1.* Sylu *verb. iudex 1. q. 12. pronunciato 6.* & alii, quos referunt, dissentiunt à Bartolo quatenus asseuerat, de iure nouo authenticorum vniuersim denegari repetitionem: dicunt enim concedendam esse, quando ex coniecturis circunstantiisque concurrentibus sufficienter præsumitur dantis animum non fuisse corrumpere iudicem: eo quod tunc non cernatur turpitudo ex parte dantis. In eadem sententia videtur esse Nauar. *in opusculo de datis & promissis notabili 9. n. 14.* dum affirmat, eum, qui iudici aliquid dat, vt iudex iustitiam, seruet, vel citius sine alterius præiudicio ipsum expediat, non dare turpiter, neque peccare, & ideirco non incurrere pœnas extrau. de quia *disp. 92.*

Veruntamen licet ex natura rei, seclusaq; lege positiua, quæ dare prohibeat, turpitudo non cernatur; posita tamen lege positiua quæ iustis de causis id vniuersim prohibet turpitudo cernitur, etiam quando in particulari cessat finis legis, iuxta ea quæ *d. §.* dicta sunt: atque hac de causa plus placet opinio Barboli, nisi quando aliquid euidenter esset datum ad redimendam vexationem, quia scilicet apertissima erat iniustitia ex parte dantis, neque alia supererat ei via, vt iniustitiam imminentem vitaret, nisi aliquid largiendo iudici, vel quando iniuste, & cum dantis magno detrimento, iudex causam remorabatur, neque alia erat via, vt iniustitia illa cessaret, nisi iudicem muneraret: hinamque euentus per epicheiam non improbabiliter excipiendi videntur ab vniuersali legis prohibitione.

SVMMARIVM.

1 *Quod nullus loco alterius administrare possit officia publica nisi 25. annum expleuerit.*

2 *Tabellio scriba publicus vel quicunque alius qui à rege officium obtinuerit illud vendere non potest sine expressa regis licentia, & pœna si contra factum sit, & numer. 6.*

3 *Pœnæ à contrauenientibus non incurruntur, nisi præter partem venditionis sequatur traditio officij.*

4 *Efficiis tale officium sit incapax ita vt non possit illud retinere etiam ante latam sententiam.*

5 *Vendentem teneri restituere pretium emenți ante latam sententiam. quid autem post eam latam.*

6 *Qui officium vendidit an illud amittat ante latam sententiam.*

7 *Quando officium occulte venditum est, licet emptori illud à rege nulla mentione facta emptionis impetrare.*

8 *Renuncians officio in fauorem alterius, si inter 30. dies*

30. *dies, à renunciatione moriatur non valet collatio etiam à rege vi illius facta.*

9 *Possessor officij publici si crimen commisit propter quod officio priuari possit, an illud resignare queat facultate regia accedente.*

10 *Nullus officium publicum per alium administrare potest nisi expressa facultate regis.*

11 *Qui facultatem conferendi publica officia habet, neque illa vendere neque pecuniam pro collatione accipere potest.*

12 *Quibus officia conferuntur iurare debent sibimetipsis illa velle & non vt aliis ea vendant.*

13 *Pœnas hoc cap. comprehensas non habere locum ante latam sententiam.*

DE POENIS VENDENTIVM AVT ementium absque facultate regis officia publica, eaque per alios administrantium.

DISPVTATIO 91.

ANtequam ad alia transeamus, eum iis, quæ hactenus dicta sunt, coniunctum quodammodo esse videtur, vtid, quod propositum est, expediamus. In primis *lib. 1. Ordinat. tit 73.* sancitum est, vt nullus etiam loco alterius, administrare possit officia publica, nisi vigesimum quintum annum expleuerit, sub pœna amissionis officii, aut æstimationis illius, si officium erat alienum.

2 *Titulo 74.* sancitur, vt nullus tabellio, aut scriba publicus, vel quicunque alius, qui à rege officium obtinuerit, illud vendat sine expressa regis licentia, sub pœna amissionis officii, & pretii, quod pro eo acceperit, aut sperauerit, & vt emens obtinere illud non possit.

3 Circa hanc pœnam primo obserua, vt incurratur, non satis esse, si intercurrat pactum venditionis, sed simul necesse esse, vt sequatur traditio officii. Odiosæ namque & pœnales leges intelligendæ sunt de venditione consummata & sufficiente ad translationem dominii, qualis non est sola venditio, nisi sequatur traditio, vt *ex dictis disput 2. & 3.* est manifestum. Ita Antonius Gomez *ad legem 45. Tauri numer. 64. & 95.* & Couar. 2. *variarum resol. c. 16. num. 7.* & alii, quos citant, redibitque sermo de hac re cum de emphyteusi suo loco disputabimus.

4 Secundo obserua, quod cum emens tale officium incapax illius fiat, vt satis patet ex illis verbis legis, *& o comprador nunca possa auer, & si que à nos pera o darmos à quem for nossa merce*, non potest illud retinere, etiam ante latam sententiam.

5 Tertio obserua, vendentem teneri restituere pretium ante latam quidem sententiam ei, qui emit, iuxta ea quæ *disp 89.* dicta sunt (caueat tamen ne superueniente postea sententia, cogatur soluere illud iterum regi in pœnam) post latam vero sententiam regi.

6 Quod ad officium vero attinet, is, qui illud vendidit non videtur illud amittere ante latam sententiam, vt ex illis verbis legis patet. *O vendedor perca o preço que por tal venda receber, ou esperar de receber, & mais perca o dito officio*: sunt enim de futuro, & eodem modo, eademque serie verborum mentio fit de amissione officii & pretii: constat vero pretium non amitti ante latam sententiam.

7 Quando ergo vnus occulte vendidit officium alteri, & is, qui emit, nulla mentione facta de emptione illud à rege obtinuit, cedente illo antiquo possessore, collatio sane est nulla propter occultam venditionem, qua de causa emptor non potest illud in foro conscientiæ retinere. Ne ergo ipse pretium amittat, & alius officium, possent simulatione aliqua petere à rege, vt iterum rediret ad antiquum possessorem, quo obiecto, vterque esset turus in conscientia; eo quod antiquus possessor nunquam amisisset dominium, aut quasi dominium illius, & emptor licite recuperaret pretium, quod non amittitur ante latam sententiam.

Eodem tit. 74. §. 1. statuitur, renunciationem officii 8
publici in fauorem alicuius, vt virillius à rege illi conferatur, factam à possessore talis officii postquam in periculosum, aut in quemcunque alium morbum incidit, sed intra triginta dies à die renunciationis mortuus est, esse nullam, ita vt etiamsi virillius officium à rege conferatur, collatio sit nulla, maneatque officium denolorum ad regem, vt, cui voluerit illud conferat. Idem est, si collatio officii ad quemcunque alium pertineat.

Quando possessor officii publici crimen commiserat, propter quod dignus erat, vt eo priuaretur, neque renunciare illud potest in fauorem alterius, neque vendere, esto facultatem haberet à rege, vt illud venderet, idque sub pœna, vt soluat valorem dicti officii, dimidium accusanti, & dimidium fisco regis: is vero, qui virtute talis renunciationis, officium à rege obtinuerit, illud non amittit. Porro agi potest ad pœnam valoris officii aduersus eum, qui illud vendidit, aut renunciauit, solum intra biennium à die talis renuntiationis. Ad pœnam vero delictorum, quæ commiserat, agi potest tempore ordinario. Ita habetur *ibidem § 2.* 9

In *eodem tit. §. 3.* sancitur, vt nullus administret officium publicum per alium sine expressa facultate Regis sub pœna vt amittat officium, & vt is, per quē administratur, soluat etiam valorem officii, dimidium accusanti, & dimidium fisco Regis. De hac re lege etiam *l. 1. & sequentes, tit. 38. par. 1. & gum extrauag.* 10

Lib. 4. Ordinationum tit. 41. prohibetur, ne quisquam eorum qui facultatem habent conferendi publica officia, illa vendat vendive faciat, neque pecuniam pro collatione eorum accipiat, sub pœna, vt qui illa emerit, aut pecuniam pro eorum collatione largitus fuerit, amittat officium accusanti, & insuper omnia bona sua, dimidium accusanti, & dimidium fisco regis, poteritque, vtraque pœna exigi abeo toto tempore vitæ suæ, nulla eum iuuante præscriptione. Is vero, qui ita contulerit officium, punitur pœna amissionis potestatis illud deinceps conferendi, 11
transitque eo ipso potestas illa ad regem. Collatoribus insuper præcipitur, vt priusquam officia conferant, iuramentum ab iis, quibus conferenda sunt, exigant, quo affirmant, sibimetipsis ea velle, & non vt aliis vendant: si vero postea comperiatur, ea aliis vendere voluisse, puniantur tanquam periuri. 12

Hæ omnes pœnæ locum non habent ante latam 13
sententiam, arbitrorque eum, qui officium emisset ab habente potestatem ad illud conferendum, comparare dominium illius, validamque esse emptionē, vsque ad latam sententiam, vt satis indicant verba *ordinationis tit. 41. citato.* Vtrum vero fas sit regibus vendere officia publica, aut facultatem ad ea vendendum concedere, dicetur tractatu 6.

SVMMARIVM.

1 *Extrauag. Gregor. XIII.*

2 *Pœnæ prædict. extrauag.*

3 *Personæ quæ dict. extrauag. comprehenduntur.*

4 *Quando pœnæ extrauag. non incurruntur vel incurruntur.*

5 *Vtrum ex paruitate materiæ quæ promittitur, datur aut recipitur excusentur à pœnis extrauag.*

6 *Quid si quis pro gratia aut iustitia obtinenda aliquid ex gratitudine promittat.*

7 *De iis qui tales promissiones acceptant vel virtute earum postea aliquid recipient.*

8 *Promissione sola faciendi aliquid pretio æstimabile pro iustitia & gratia pœnæ extrau. incurruntur.*

9 *Quando aliquid datur in stipendium seu salarium consuetum si maius ordinario sit, an pœnæ extrauag. obtineant.*

10 *Summus Pontifex eximere potest à crimine & pœnis Simoniæ iure humano introductis. Item à pœnis prædict. extrauag.*

11 Recenseñtur actiones quas Gregor. 13. addidit pro quibus incurruntur pœnæ in prædict. extrauag. statuta.

12 Quomodo ij qui extra Romanam curiam commorantur facile pœnas extrauag. incurrunt.

DANTES, PROMITTENTES, ACCIPIENTES, aut acceptantes promissionem, pro iustitia aut gratia à Sede Apostolica obtinenda, eisque obtentis vtentes, quibus pœnis subiaceant.

DISPVTATIO 92.

EXaminandum est iam nunc, quod propositum est, quodque *disputat.* 84. fuisset explicandum. Quondam Bonifacius 8. extrauag. quandam de hac re tulit, quæ prima est inter communes, *in titulo de sententia excommunicationis.* referentibus tamen Paludano *in 4. d. 18. penultima colum.* Angel. *Verb. excommunica. 5. casu 25.* Syluest. *Verb. excommunicatio. 7. casu 46. numero 81.* Caiet. *eodem verbo post casum 18.* & aliis, quos Syluester refert, consentienteque Nauarro *de datis & promissis pro iust. num. 2.* illa reuocata fuit per Clementem 5. Anno vero 1574. innouata, auctaque fuit per sequentem Gregorii 13 extrauagantem.

Extrauag. Gregor 13. 1

Ab ipso Pontificatus nostri principio, quam maxime possumus, enitimur, atque contendimus, vt domus & curia nostra a sordibus expurgetur. Cui rei salubri consilio incumbens, felicis recordationis Bonifacius 8. excommunicauit, & anathematizauit omnes clericos, religiosos, & laicos vtriusque sexus, siue familiares curiæ, siue vndecunque alios, qui aliquod pactum facerent, seu quid parum, vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, siue sub verbis generalibus, & plane non expressis, siue specialibus & aperte expressis facta, quicquam darent, aut reciperent pro iustitia, siue pro gratia, siue pro se, siue pro alio, in causis vel iudiciis, seu alias per literas Apostolicas, & quibuscunque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda: & eam sententiam ad promittentes & acceptantes, dantesque & recipientes duxit extendendam. Illos etiam, qui sibi intra triduum non reuelarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subiacere. Ac decreuit, vt nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam absque speciali mandato sua absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis articulo constitutus. Sed ne quisquam admitteretur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam recepisset. Iustitiæ vero siue gratiæ expeditiones sic obtentæ, nullius prorsus essent roboris vel momenti. Et scienter illis vtentes simili sententia innodauit: ac reseruauit sibi absolutionem eorum cum prædictis ad pœnas similes in omnibus obligauit. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, vt plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus innixi huiusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes, turpissime nundinentur. Alij alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis, pollicitationibusque ambiant. Quidam etiam se talium operam atque industriam pretio & muneribus quæsisse affingant. Quæ cum pessima sint, & curiæ prædictæ existimationem grauissime offendant, in eos, qui talia agunt, animaduertendum fore arbitrati, constitutionem prædictam cum suis censuris & pœnis omnibus innouamus, eademque omnes extendimus ad audentes qualecunque horum facinorum, quæ adscripsimus, dantesque illis & aliis suprædictis auxilium, consilium, vel fauorem. Quin etiam eos omnes omni beneficio, officio ecclesiastico & seculari, siue temporali, siue perpetuo, ipso iure priuamus, ac priuatos esse declaramus: & præterea infamiæ subiectos perpetuæ, ac inhabiles ad illa & alia esse volumus. A quibus etiam, prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris sint exemplo. Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, complicesque ac fautores, & socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ anno Incarnationis 1574.

Pœnæ huius extrauagantis sunt. In primis excommunicationis latæ sententiæ, à qua non possint absolui, nisi de mandato speciali Summi Pontificis, aut in articulo mortis. Et vt non prius absolutionis beneficium impendatur, quam pauperibus erogatur, quantum qui absoluendus est, vel dedit, vel recepit. Hoc intelligo, quando re ipsa aliquid datum est, & receptum: illud enim solum restitutioni est obnoxium. Et quando per eum, qui absoluendus est, stat quo minus restituatur. Si enim id ad dantem non est regressum, neque obtinere potest à recipiente, vt illud restituat, neque quicquam aliud facere, vt eum effectu id restituatur, absolui posset: quia per eum non stat, quo minus restituatur. 2

Obserua, nisi peculiariter hæc extrauagante, & illa alia Bonifacii 8. esset præceptum, vt quod ita datum & acceptum est, restitueretur pauperibus, antequam dans & accipiens in foro conscientiæ beneficium absolutionis ab excommunicatione accip. rent, restitutionem ante latam in foro exteriori sententiam faciendam non fuisse pauperibus, sed danti, siue res restitutioni esset obnoxia, quia iniuste accepta, siue quia accipiens incapax factus esset dominii illius iure aliquo positiuo, vt ex supra dictis, præsertim *disput. octuagesimasecunda* est manifestum. Iure autem optimo in his extrauagantibus constitutum est, vt quia res & turpiter data, & turpiter accepta est, neque esse soleat in manu eius, qui dedit, sed qui accepit, qui proinde dominium illius non comparauit, sed tenetur eam restituere, restituio non fieret danti, qui ea indignus factus est, sed pauperibus: ita enim regulariter eueniet, vt dominus rei non fit executor suæ propriæ pœnæ, sed alius, cessatque ratio propter quam pœnæ legibus statutæ regulariter non debentur ante latam sententiam, ne scilicet delinquens executor efficiatur suæ propriæ pœnæ, quod durum difficileque admodum esset. Adde, in re proposita eum, qui beneficium absolutionis de mandato Summi Pontificis debet impendere, constitui quasi iudicem, vt pœnam executioni mandare præcipiat, antequam absolutionem impendat.

Deinde simul etiam in pœnam statuitur, vt expeditiones iustitiæ vel gratiæ, ea via obtentæ, fiat ipso iure nullæ. perindeac si concessæ, expeditæque non fuissent. Tertio, omni beneficio & officio ecclesiastico ac seculari, tam temporali, quam perpetuo priuantur ipso iure, infamiæque perpetuæ subiiciuntur, & redduntur inhabiles ad illa omnia officia & beneficia, & ad quæcunque alia. Insuper præsciuntur puniri aliis pœnis, prout cuiusque delictum postulauerit. Iis tamen, qui rem adhuc incognitam, & complices, fautores & socios detexerint, impunitas promittitur. 3

Hæc extrauagans vniuersalis est quoad omnes personas Ecclesiasticas, & laicas, mares & fœminas, comprehenditque non solum Episcopos, sed etiam Cardinales, vt bene probat Nauarrus in opusc. de datis & promissis notabili. sexto numero nono. Tametsi per epicheiam merito eos eximat à sola pœna omissionis beneficiorum & officiorum, nec non infamiæ & inhabilitatis ad beneficia & officia idemque non improbabile censeat de episcopis. Quo fit, vt Cardinales & Episcopi, si aliquod prædictorum criminum committant, excommunica-

tionem

tionem incurrant, cæterisque pœnis huius extrauagantis, præter illas commemoratas, subiaceant.

Pœnæ huius extrauagantis non incurruntur pro delictis in ea expressis, nisi quando fiunt pro iustitia vel gratia pro se vel pro alio apud sedem Apostolicam obtinenda, vt ex ipsamet extrauaganti patet. Incurruntur tamen siue iustitia, aut gratia per litteras Apostolicas sit expedienda, siue per solam signaturam, aut solo verbo viuæ vocis oraculo, vt constat ex illis verbis. In causis, vel iudiciis, seu alias per litteras Apostolicas, & quibuscunque aliis modis obtinenda. Quare, qui aliquod horum delictorum committeret, vt solo verbo absolutiones, dispensationes, indulgentias, vel alias gratias à Sede Apostolica obtineret, incurreret proculdubio pœnas huius extraua. Nauar. *vbi supra notabili 17. num. 25.*

Porro, qui aliquam earum actionum, quæ in hac extrauaganti prohibentur, efficeret pro iustitia vel gratia iam obtenta, nisi id etiam dirigeret ad aliam in posterum obtinendam, non incurreret pœnas huius extrauagantis. Quoniam, vt ex ea patet, solum prohibentur actiones in ea commemoratæ sub eis pœnis, quando fiunt pro iustitia, aut gratia obtinenda: pœnæ autem extendendæ non sunt vltra id, quod lex ipsa sonat. Ita Nauar. *vbi supra notabili 19. & 21. numero 28.* Id tamen, vt idem Nauar. *notabili 13. num. 22.* dixerat, intelligendum est, quando ante gratiam vel iustitiam obtentam non præcederet tacita vel expressa promissio eius, quod postea daretur: tunc enim illud esset explere, quod pro iustitia facienda esset promissum, & aperte prohibetur in hac extrauaganti sub pœnis in ea contentis: Imo sola præcedens promissio, siue postea impleretur, siue non, esset sufficiens, vt pœnæ in hac extrauag. statutæ incurrerentur.

Iam vero obtinere iustitiam aut gratiam apud Sedem Apostolicam, in primis est illam obtinere à Summo Pontifice & eius ministris, qua Summus Pontifex est iurisdictionem exercens spiritualem à Christo relictam: non vero qua dominium & iurisdictionem habet temporalem in Romana vrbe, & aliquibus aliis locis. Id namque per accidens conuenit Sedi Apostolicæ, Summoque Pontifici, qua Summus Pontifex: Quo fit, vt si aliquis crimina in hac extrauaganti commemorata committeret, vt iustitiam, vel gratiam temporalem à Summo Pontifice, vel eius ministris obtineret, quatenus temporale dominium, cum Sede Apostolica per accidens coniunctum non secus exerceat ac alii Principes in suis curiis & Regnis, non incurreret pœnas huius extrauagantis.

Deinde, est illam obtinere à Summo Pontifice, aut eius ministris, in curia Summi Pontificis aut in loco vbi Summus Pontifex residet, si aliquando contingat curiam, audientiam ve Summi Pontificis residere in vno loco, & Summum Pontificem in alios: vtrumque enim Sedes Apostolica, quod ad præsens institutum attinet, appellatur, vt ex Clementina: *Ne Romani §. sane de electione*, & ex aliis iuribus recte ostendit Nauar. *in opusculo de datis & acceptis notabili 18. nu. 26.* Iustitia vero & gratia, quæ à iudicibus delegatis à Summo Pontifice residentibus extra curiam, & locum vbi Summus Pontifex residet, obtinetur, vt à legatis à latere, nunciis, collectoribus, inquisitoribus & aliis, non dicitur obtineri apud Sedem Apostolicam; & idcirco, esto interuenientibus criminibus, de quibus in hac extrauaganti est sermo, obtineatur, non incurruntur pœnæ huius extrauagantis.

His ita constitutis, dicamus prius de actionibus pro quibus Bonifacius 8. pœnas constituit, & quas Greg. 11. innouauit; postea vero de iis, quas Greg 13. addidit. Prioris generis sunt quæ sequuntur. Prima facere pactum pro iustitia sibi, aut alteri obtinenda. Vterque enim consentientium in tale pactum incidunt eo ipso in pœnas huius extrauagantis. Secunda promittere aliquid ea de causa. Tertia, acceptare promissionem. Quarta, ex pacto vel promissione occulta, vel manifesta, siue sub verbis generalibus, & plene non expressis, siue specialibus, & aperte expressis, factis, quicquam dare. Quinta, illud recipere. Sexta, aliquid dare pro iustitia, vel gratia obtinenda, nulla præcedente pactione aut promissione. Septima, illud simili modo recipere: Octaua, confiti esse aliquid horum prædictorum omnium esse factum, & id non denunciare Summo Pontifici intra triduum per se, vel per alium, qui fideliter id illi referat. Nona, eum, qui conscius erat iustitiam aliquam aut gratiam prædicto modo esse obtentam, ea vti.

Cū omnes hæ actiones tanquam principales prohibitæ sint sub his pœnis, & nulla earum tanquam accessoria, singuli, qui aliquid horum efficiunt, esto res effectum non sortiatur, neque ipse vlterius progrediatur, sed ductus pœnitentia continuo desistat, incidit in has omnes pœnas. Quare, qui solum promitteret aliquid ea de causa, esto is, cui id promitteret non acceptaret, sed cum repelleret, incideret sane in has omnes pœnas. Excipiendum tamen arbitror illum, qui rem intra triduum non denunciaret: huic enim non aliam arbitror pœnam statuam esse in hac extrauaganti, quam excommunicationis ipso facto, neque æquum erat, vt pœnæ infamiæ, amissionis, & incapacitatis beneficiorum, & officiorum ea de causa illi imponerentur. Intelligenda præterea est denunciatio præcipi sub illa pœna iis solis, qui apud Sedem Apostolicam commorantur, vt cum Sylvestro recte affirmat, & ostendit Nauar. *in opusculo citato notabili 22. num. 34.*

Nauarrus *ibidem notabili 3. nu. 5.* vult in hac extrauaganti solum prohiberi sub pœnis in ea statutis pacta, promissiones, acceptationes promissionum, dationes, & acceptiones pro iustitia aut gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, quæ ante hanc extrauagantem, vel iure naturali & Diuino, vel humano in foro Ecclesiastico erant prohibita & mala. Dicitur illis verbis huius extrauagantis (quæ finem legis continent, à quo mens legislatoris, sensusque legis accipienda sunt) *vt domus & curia nostra à sordibus purgetur*: sordes autem hoc loco, non corporales, sed spirituales intelliguntur, de quibus Apocalyps. vltimo; *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*: quæ sane non aliud sunt, quam peccata. Item ex illis aliis verbis; *Quæ cum pessima sint, & curiæ prædictæ existimationem offendant, in eos, qui talia agunt, animaduertendum fore arbitrati*: ea namque omnia verba aperte sonant, quæ hic prohibentur, & non quasi in pœnam (vt prohibetur in pœnam vti expeditionibus gratiarum aut iustitiæ ita obtentis) peccata fuisse ante hanc extrauagantem. Ac sane placet hæc sententia. Non tamen vult Nauar. (vt seipsum explicat) ita omnia fuisse ante hanc extrauagantem prohibita, vt singula perinde inducerent obligationem restituendi, quod ita acceptum esset, ac post hanc extrauagantem eam inducunt.

Hinc *notabili 9 & sequentib.* vult, quamuis, qui pacisciatur, promittat, vel dat pro gratia obtinenda, incidat in pœnas huius extrauagantis; quamuis in eas etiam incidat, qui eadem facit, vel vt iudicem eorum pat, vel vt sententiam pro eo ferat in causa, de qua non constat esse iustam ex parte eius, cui fauet; quamuis denique eadem incurrat, qui eadem facit, vt iudex aliquid, quod ex ipsius pendet arbitrio, efficiat, videlicet, vt dilationem concedat maiorem, vel sententiam anticipet, vel deferat appellationi, aut aliud simile efficiat, saltem quatenus horum vnum quodque rationem habet gratiæ; nihilominus affirmat, neque in conscientiæ, neque in exteriori foro, si de animo & synceritate constet, eas pœnas incurrere illum, qui quippe eorum efficit, vel vt iudex rectam iusti. ita faciat, vel vt illam citius, quam alias erat facturus, absque cuiusquam præiudicio expediat (excipit, quando iustitia facienda esset circa spiritualia, quæ nondum es-

sint acquisita, idq; propter simoniæ vitiũ) vel ad redimendã suam vexationẽ circa ius iã quæsitũ. Ducitur, quoniam tunc, licet turpitudo sit ex parte iudicis, ac proinde non neget iudicem in his euentibus pœnas huius extrauagantis incurrere, nulla tamen est ex parte dantis: eo quod id neque naturali & diuino, neq; humano iure prohibitum sit, siue id fiat in causa propria, siue in aliena.

Ego vero hanc Nauarri sententiam solum probandam censeo, quando certo omnino cõstat de iustitia eius, in cuius fauorem id muneris datur, atque tunc in illis solum duobus euentibus, in quibus in calce disputationis nonagesimæ diximus, licere aliquid dare iudici, aut alteri ministro publico ad redimendam vexationem. Quando vero nulla esset vexatio, qui veram arbitrarentur opinionem Panarmitani, Couarruuiæ, & aliorum, quos eo loco retulimus, amplecti posset opinionem Nauarri hoc loco. Nos vero, qui cum Bartolo existimamus, hæc omnia, etiam ex parte dantis, extra illos duos euentus prohibita esse: iure saltem positiuo ciuili, quod in foro Ecclesiastico, quando contrarium iure Canonico non est dispositum, vim etiam habet, plenaque illa ex istimamus periculis peruertendi iustitiam, si admittantur, eo quod munera excæcent prudentes, & subuertant verba iustorum, nequaquam amplecti audemus hanc Nauarri opinionem; quin potius in eam partem propendemus, vt eos, qui talia efficiunt, pœnas huius extrauagantis incurrere arbitremur.

Cæterum illud placet, quod aduersus Ioannem Monachium *loco citato numer. 19.* Nauarrus affirmat. Nempe, illum pœnas huius extrauaganris, & illius alterius Bonifacii Octaui incurrere, qui promittit, aut dat aliquid iudici pro auferenda, aut differenda iustitia alterius. Tunc quia, credendum non est conditores harum extrauagantium hos voluisse excipere, qui in maiori culpa sunt, quam alii, qui earum pœnis subduntur, plusque attendendum est ad mentem, quam ad verba legumlatorum. Tum vel maxime, quoniam illud est obtinere iustitiam in toto aut in parte, vt in his extrauagantibus de iustitia est sermo: sumitur namque pro actu iudicandi siue interlocutorie, siue definitiue, sententia vero siue æqua sit, siue iniqua, ius vel iustitia appellatur, vt *ex illis verbis. l. ius plurimis modis. ff. de iustitia & iure*, constat. Prætor quoque ius reddere dicitur, etiam cum inique decernit, relatione facta, non ad id, quod Prætor ita facit, sed quod prætorem facere conuenit.

Vtrum vero ex parultate materiæ, quæ promittitur, datur, aut recipitur, excusentur à pœnis huius extrauagantis, qui aliquam actionum in eis prohibitarum exercent. Partem negantem suadere videntur illa eius verba; *seu quid paruum vel magnum promitterent, &c.* Nauarrus tamen *loco citato numero 17.* partem affirmantem non immerito credit veram, Quoniam in quacunque alia re paruitas materiæ excusare solet regulariter à culpa lethali, neque hæc videtur excipienda. Præsertim cum tam grauis pœnæ in hac extrauaganti imponantur; nec maior excommunicatio incurratur, nisi pro culpa lethali; nec æquitas postulet, vt pro leui re imponatur; & propter alia fundamenta, quæ adducit. Quare hanc extrauagantem intelligit de re magna aut parua, quæ tamen ante hanc extrauagantem sufficeret ad culpam lethalem: arbitraturque, quando res, quæ datur, aut promittitur, parua est, non sufficere culpam mortalem, quæ ex parte finalis intentionis, qua datur, aut accipitur, interueniat, vt promittens, dans, vel accipiens, pœnas huius extrauagantis incurrant. Quanti autem valoris esse debeat res, vt pœnis huius extrauagantis quis irretiatur, ait arbitrio prudentis esse relinquendum, attenta qualitate dantis, & accipientis, gratiæ, aut iustitiæ, quæ obtinenda speratur, & aliis circunstantiis concurrentibus. Si enim, inquit, spectatis omnibus circunstantiis, talis sit, quæ allicere non possit accipientem, censendum non est dantem, aut accipientem pœnas huius extrauagantis incurrere. Quo fit, vt non, quod in furti materia sufficeret ad culpam lethalem, sufficiat in re proposita, vt pœnas huius extrauagantis quis incurrat. Arbitror tamen hæc, nec multum, nec facile esse extendenda, sed cuique timorato, in hac materia trepidandum esse.

Vnde quod *notabili 11. num. 18.* Nauarrus subiungit, nempe, non incurrere pœnas huius extrauagantis illum, qui pro gratia aut iustitia obtinenda aliquid ex gratitudine promitteret, sine animo aliter se obligandi, quam ex sola gratitudine, neque item illum, qui aliquid amplius, quam ex gratitudine tenetur, promitteret, modo excessus tam paruus esset, vt solus ad incurrendas pœnas huius extrauagantis nõ sufficeret, idque esto in vtroque euentu sinistra aliqua intentio interueniret; sane indiget moderatione. Licet enim, quod quis iudici, vel gratiæ collatori generalibus verbanisque verbis dicat, se futurum gratum, inferuiturum illi, vel commendaturum illum in suis orationibus & sacrificiis, si tale vel tale quid efficiat, aut conferat vt oportet: regulariter non fit satis vt censendus sit pœnas huius extrauagantis incurrisse; nihilominus, quando, attentis circunstantiis concurrentibus, talis fuit promissio, & spes emolumenti recipiendi inde iniecta, quæ mouere potuit iudicem, aut gratiæ collatorem; ad id præstandum, quod alioquin non fecisset, sane neque promittentem, neque iudicem, aut collatorem gratiæ excusare auderem à pœnis huius extrauagantis, idque multo minus, quando iudex, aut gratiæ collator expertus esset, illum solitum esse verba operis implere numerando eos, à quibus iustitia in fauorem ipsius fuerit administrata, vel à quibus gratias alias accepit. Ducor primo, quoniam obligatio ex gratitudine non tam oritur ex eo, quod iudex pro munere suo efficiat, quod tenetur, aut gratiæ spiritualis collator pro munere etiam suo conferat beneficia Ecclesiastica, aut alias gratias vt oportet (quippe qui nihil de suo conferant stipendiumque, competentemve sustentationem habeant pro eiusmodi muneribus eo pacto administrandis) quam oriatur ex iis, quæ quis ex mera liberalitate largitur de suo: quare sicut, quæ ita promittuntur, non debentur iustitiæ administratoribus, & spiritualium gratiarum distributoribus, simpliciter ex gratitudine, sic neque eiusmodi promissiones proficiscuntur ex virtute gratitudinis, neque sunt aliud, quam inescationes ac instrumenta ad peruertendam iustitiam, enervandamque integritatem ac rectitudinem, quæ in distributoribus gratiarum spiritualium esse debet, denigrandumque decorem Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Neque enim minus excæcant & peruertunt verba prudentis, rectitudinemque iustorum, quam munera ipsa, neque sunt aliud quam munera in spe oblata & accepta ante iustitiæ administrationem, aut gratiæ collationem. Ducor secundo, quoniam esto quis iudici, aut gratiæ collatori, similes res promitteret intendens inducere super se maiorem obligationem, quam ex gratitudine, obligatio illa nullum sortiretur effectum, vpote nullo iusto titulo contracta: esset namque talis promissio ipso iure nulla, vtpote de re illicita, puniturque iudex, aut gratiæ collator, qui illam acceptaret: cum ergo promissiones factæ, ante iustitiæ administrationem, aut gratiæ collationem, ea de causa iure humano sint prohibitæ, quod subuertant corda iudicum, gratiæque collatorum; sane, cum promissiones de quibus loquimur, non minus illa subuertant, simpliciterque promissionis nomine contineantur, comprehensæ videntur in promissionibus hac extrauaganti prohibitis, atque adeo, qui illas efficiunt, incurrunt pœnas huius extrauagantis: vt Ioannes Monachius, cuius sententiam Nauarrus impugnat, recte (si hoc tantum voluit) asseruit.

Idem

7 Idem maiori cum ratione dicēdum est de iis, qui tales promissiones acceptant, vel virtute earum aliquid postea recipiunt, de quibus differit Nauarrus *notabili 13.num.21.* eodemque modo de iis loquitur, quo de promittentibus locutus fuerat *notabil.11.* tametsi dicat, iudicem, qui promissionem ex gratitudine factam acceptaret animo ea via iustitiam peruertendi, incurrere in pœnas huius extrauagantis: quia, inquit, licet promissio fuerit licita, acceptatio tamen illius eo animo esset mala, & in hac extrauaganti sub

8 pœnis in ea statutis, prohibita.

Porro, vt *notabili 16. nu. 25.* idem autor subiungit, etiam promissio faciendi aliquid pretio æstimabile pro iustitia aut gratia obtinenda est satis, vt pœnæ huius extrauagantis incurrātur: modo id notabile quippiam sit, moueatque animum possit eius, qui vel iustitiam administraturus, vel gratiam collaturus sit: qualis est promissio fabricandi illi domum, iter in

9 bonum illius faciendi, scribendi librum, &c.

Quando aliquid datur in stipendium, seu, vt vocant, salarium consuetum, suæ iudici, siue cuicunque alteri ministropublico, vt iustitia vel gratia, literæve earum obtineantur, vel ei, qui negotium gesturus est, suamue industriam adhibiturus effecturusue, vt literæ gratiæ, aut iustitiæ asportentur, non incurruntur pœnæ huius extrauagantis. Quoniam licet ea omnia tanquam in finem referantur, vt iniustitia vel gratia obtineatur, non tamen dantur aut accipiuntur quasi in pretium pro iustitia, aut gratia obtinenda, aut ad id adducatur, qui illam est administraturus, aut collaturus, quod solum prohibetur in hac extrauaganti; sed dantur tanquam mercedes debitæ ministris publicis, aut quibuscunque aliis, pro ministeriis quæ exercent. Est autem hoc verum, etiamsi solerentur stipendia maiora, quam sint debita, vel ante gratiam, aut iustitiam obtentam, vel post; modo tamen id non referretur, vt inde proxime vel remote moueretur minister publicus ad iustitiam administrandam in fauorem dantis, vel ad gratiam tunc, vel postea illi conferendam. Vnde iudex in Romana Curia ante latam sententiam maiores propinas, vt vocant, seu sportulas ab vtroque litigantium æqualiter exigeret, quam sibi essent debitæ, peccaret quidem contra iustitiam, tenereturque restituere incrementum, non tamen incurreret pœnas huius extrauagantis tam ipse, quam qui eas soluerunt: eo quod neque datæ, neque acceptæ essent pro iustitia obtinenda, sed tanquam pretium excessiuū pro ministerio exequendo. Si tamen vnus litigantium maiorem multo propinam debita offerret iudici, vt illum alliceret ad ferendam in sui fauorem sententiam, iudexque id acciperet, vterque incurreret pœnas huius extrauagantis. Eodem modo, si quis notario maius stipendium debito solueret, non incurreret pœnas huius extrauagantis. Si tamen id referret, vt notarius gratia, qua pollet apud iudicem, aut gratiæ collatorem, cum illis efficeret, vt in fauorem ipsius pronunciarent sententiam, gratiamve aliquam conferrent, incideret in pœnas huius extrauāgantis: sicut etiam incideret notarius, si eodem animo incrementum illud acciperet. Ita Nauarrus *vbi supra notabili 15. nu.22.& notabili 21.nu.19.& 31.*

10 Illud animaduertendum est cum Nauarro *notabili 9.nu.14.* consentiuntque Couarruuias *regul. peccatum parte secunda §. 8. num. 9.* Sotus & plerique alii, quos Couarruuias refert. Quod quemadmodum Summus Pontifex, licet neque se, neque alios purgare possit à simoniæ peccato, quatenus simonia iure Diuino est prohibita, nihilominus incidere non potest in pœnas iure humano simoniacis statutas, eximereque ab eis potest quoscunque voluerit, imo vero sua autoritate re ipsa censetur eximere omnes, qui cum eo, vel de consensu ipsius, efficiunt actum, qui alioquin esset simoniacus, tum à crimine simoniæ, quatenus iure humano est inductum, tum vniuersim ab omni pœna simoniacis statuta (quod dici consuetum Summum Pontificem purgare simoniam) sic etiam, qui actionem quamuis in hac extrauaganti sub pœnis in ea statutis prohibitam cum Summo Pontifice, vel cum ministris eius, de expresso aut tacito ipsius consensu efficeret, neque in peccatum obtalem actionem iure humano inductum, neque in pœnas huius extrauagantis incideret: quia similiter Summus Pontifex censeretur hæc omnia sua autoritate purgare. Quo fit, vt si aliquis successorum aliquam harū actionum tacite, vel expresse in Romana Curia permittat, continuo cessent pœnæ hac extrauagante eā actionem exercenti statutæ. Quod si, ignorante Summo Pontifice, aliqua harum actionum fiat cū aliquo inferiorū, tunc, esto gratia à Summo ipso Pontifice immediate fit concedenda, incurrit pœnas huius extrauagantis, qui illam exercet: eo quod Summus Pōtifex nequaquam purgare censeatur, quod ignorat.

His ita explicatis, subiiciendæ sunt actiones, quas Gregorius decimus tertius addidit. Ac primo, quas addidit tanquam principales, pro quibus incurruntur pœnæ in hac extrauaganti statutæ, esto nullus aliis effectus vlterius sequatur: deinde vero, quas addidit tanquam accessorias.

At qui tres addidit tāquam principales. Prima est, nundinari conquirendo expeditiones negotiorum, innitendo suffragationibus potentiorum. Quo loco aduerte cum Nauarro *opusculo citato notabili 27.n.37.* non prohiberi quemquam accipere stipendium pro industria & labore, quæ apponit in agendis aliorum negotiis apud Sedem Apostolicam siue ad gratiam, siue ad iustitiam, spectent; sed accipere pretium pro gratia aut iustitia obtinenda fauore potentiorum: sic ut potentes ipsi pœnas huius extrauagantis incurrerent, si pretium acciperent, vt suo valore & potentia gratiam, vel iustitiam aliis obtinerent. Eo autem ipso quod quis paciscatur, vel promissionem accepter, aut aliquid recipiat, vt suffragationes alterius gratiam aut iustitiam apud Sedem Apostolicam alicui acquirat, incidit in pœnas huius extrauagantis, esto nihil aliud vlterius efficiat, nullusque effectus inde sequatur: quia hoc est, quod tanquam principalis actio in hac extrauaganti prohiberur.

Secunda est, ambire, seu adire alliciendo donis, aut pollicitationibus eos, quos, gratia præstare arbitrantur, vt sibi, vel aliis, gratiam vel iustitiam ea ratione apud Sedem Apostolicam acquirant. Cū hæc etiam actio sit principalis, esto nihil vlterius fiat, aut sequatur, & esto alii pollicitationes aut dona non acceptent, incurruntur pœnæ huius extrauagantis.

Tertia est, fingere mentiendo se talium operam & industriam quæ fuisse pretio & muneribus. Cum si militer sit actio principaliter prohibita, eo ipso incurruntur pœnæ huius extrauagantis, esto nullum emolumentum ex tali fictione prouenial mentiendi, neque aliquid aliud vlterius sequatur.

Cum Gregorius decimus tertius extendat pœnas extrauagantis Bonifacii octaui ad exercentes tres actiones proxime explicatas, his verbis; Constitutionem prædictam cum suis censuris & pœnis omnibus innouamus, easque omnes extendimus ad audentes qualecumque horum facinorum; admonet bene Nauarrus *notabili 23.nu.33.* vt, qui has tres actiones exercent, pœnas huius extrauagantis incurrant, necesse esse, vt cum audacia, seu præsumptione eas exerceant, id quod saris aperte sonat verbum illud, audentes: quare qui absque audacia & præsumptione ex ignorantia culpabili aliquid horum efficeret, non incideret in pœnas huius extrauagantis: cum tamen, qui aliquam aliarum præcedentium actionum ex culpabili ignorantia efficeret, eas incurreret.

Ad tres alias accessorias extendit etiam Gregorius 13. pœnas huius extrauagantis. Nempe, ad dantes auxilium, consilium, vel fauorem ad aliquam, tam trium præcedentium, quam aliarum extrauagantis

Bonifacii 8. Cum vero hæ tres accessoriæ sint, saue, vt propter eas pœnæ huius extrauagantis incurrantur, non satis est, si quis consilium, auxilium, aut fauorem ad aliquam aliarum præcedentium dederit, nisi illa, ad quam aliquid horum datum est, fuerit secuta: illa autem secuta, esto nihil vlterius fiat, nullusque alius effectus vlterius sequatur, qui consilium, auxilium, vel fauorem dedit, incurrit pœnas huius extrauagantis, vt bene ait Nauarrus *notabili 30. num. 40.*

12 Illud postremo admonuerim, etiam eos, qui extra Romanam curiam commorantur, posse facile in currere has pœnas, si vel gratia, aut iustitia, actionibus in hac extrauaganti prohibitis imperata, scienter vtantur, vel consilium, auxilium, aut fauorem ad aliquam earum actionum dederint, vel etiam effecerint, literis aliquid promittendo, vel alia simili ratione.

SVMMARIVM.

1 *Pro operatione virtutis, ad quam quis quasi ex iustitia tenetur, nefas est pretium accipere.*

2 *Pro obedientia illi exhibenda cui iam est debita, nihil potest accipi tanquam pretium.*

3 *Regula: Quando quis pro opere ad quod tenetur ex præcepto, aut vt desistat a malo, vel illud non faciat, vt ex præcepto tenetur, possit aut non possit accipere pretium & quando teneatur id restituere.*

4 *Pro bonis operibus ad quæ quis non tenetur, cum sint supererogationis, & præsertim pro iis, quæ in aliorum commodum cedunt, quomodo pretium accipi potest.*

5 *Ex natura rei fas esse offerre munera more inuitantibus, & allicentis ad ea opera bona præstanda, quæ is, cui offeruntur tenetur gratis efficere: Idem est, vt desistat à malo.*

VTRVM LICITE QVIPPIAM ACCIPIATUR pro operationibus aliarum virtutum à iustitia.

DISPVTATIO 95.

HActenus disseruimus de his, quæ ob honestam iustitiæ causam accipiuntur, & de nonnullis aliis, quæ illorum occasione disputanda visa sunt. Vt vero integra sit tractatio de iis rebus, quæ ob honestam causam accipiuntur, dicendum erit, quousque pro operationibus aliarum virtutum licite aliquid accipiatur, siue operationes illæ debitæ sint ex præcepto, siue non.

1 De qua re sit prima conclusio. Pro operatione virtutis, ad quam quis quasi ex iustitia tenetur, nefas est pretium accipere: & si accipiatur, obnoxium est restitutioni. Verbi gratia, vouisti Deo peregrinationē, construere Ecclesiam, ingredi religionem, &c. nefas tibi est pro his rebus implendis pretium accipere, teneriſque ad restitutionem, si accipias. Probatur conclusio, quoniam non secus teneris hæc implere Dei comparatione, quàm si ex iustitia tenearis comparatione hominum: verum quia in ordine ad Deum non est iustitia, sed altior quædam virtus, nempe religio, teneris ex virtute religionis, sed quasi ex iustitia: ergo sicut pro iis, ad quæ ex iustitia teneris, nefas est accipere pretium, quia accipis tanquam tibi debitum in recompensationem, quod reuera non est debitum (id enim pretium significat) ita nefas est accipere pretium pro eiusmodi rebus.

1 2 Secunda conclusio. Pro obedientia illi exhibenda, cui iam est debita, nihil potest accipi tanquam pretium. Potest tamen interdum accipi pro onere quod ex obedientia præstatur, quando scilicet, qui iubetur non tenetur id efficere gratis. Prior pars ex eo est manifesta, quod obedientia post illius debitum contractum, ex iustitia aut quasi ex iustitia est debita. Posterior vero probatur, quoniam si postulante id bono publico, Rex præcipiat aliquibus vt proficiscantur ad bellum, licet illi teneantur quidem obedire, ne

2. Conclus.

A que vt Regi ea in re obediant, quicquam possint, tāquam pretium accipere; nihilominus, si sint bona, vnde illis possit solui stipendium, non tenentur ire gratis, sed pro labore & periculis, quibus pro Republica se exponunt, accipere possunt, vel à Rege, vel à tota Republica iustum stipendium: quod si absque debita causa non soluatur, tenetur siue Princeps, siue Respublica illis restituere. Quando vero subditus gratis tenetur exhibere, quod iubetur, tunc neq; vt obediat, neq; pro opere, quod ex obedientia præstat, potest quicquam tamquam pretium accipere: quia posito præcepto, siue Dei, siue hominis præsipientis, id debet gratis, id est, nullo ei persoluto pretio: quare si quid in pretium accipiat, accipit tamquā sibi debitum in recompensationem, quod reuera nō debetur, ac proinde accipit iniuste, teneturque id re-

B stituere.

Hinc possumus elicere hanc generalem regulam 3
ad discernendum vniuersim, quando quis pro opere, Regula.
ad quod tenetur ex præcepto, aut vt desistat à malo, vel illud non faciat, vt ex præcepto tenetur, possit aut non possit accipere pretium, & quando teneatur id restituere. Videndum namque est, num iure naturali, vel positiuo, Diuino aut humano ad id teneatur nullo postulato pretio. Quod si tenetur, nihil in pretium potest accipere; eo quod, id debeat gratis, & pretium quippiam debitum significet in recompensationem, quod ex iustitia sit soluendum: quare si quid tunc accipiat in pretium, accipit vt sibi debitum

C quod reuera debitum non est, ac proinde peccat contra iustitiam, tenetur que id restituere. Quando vero ita quis ex præcepto tenetur ad aliquid, vt nihilominus ratio, iustitiaque ipsa, postulet, vt compensetur pretio; quod potissimum cernitur in iis, ad quæ quis tenetur sola lege caritatis, & quæ cedunt in alium, aut Reipublicæ commodum; eo quod æquitas tunc postulet, vt opera, labor, & sumptus de necessitate præcepti caritatis in vtilitatem alicuius apposita ab eo cōpensentur; sumi potest aliquid, in pretium nihil impediente obligatione præcepti ad id efficiendum. Exempla reddent dilucidam vtramque huius regulæ partem.

Iuxta priorem partem regulæ, quoniam quiuis Christianus, vi præcepti Ecclesiæ, tenetur, audire se-

D crum diebus festis nullo postulato pretio, & abstinere à carnibus diebus quadragesimæ, & ieiunare, si ad legitimam ætatem peruenit, nullum potest recipere pretium, vt hæc omnia præstet, teneturque id restituere si recipiat. Neque sufficientem afferet excusationem, si dicat, se id recipere pro molestia, quam subit: quoniam eam tenetur subire ex præcepto, tanquam quippiam annexum ac coniunctum cum opere, ad quod ex præcepto tenetur. Eodem modo clericus accipere non potest pretium, vt baptismum suscipiat, quem iure Diuino positiuo suscipere tenetur, absque vllo pretii emolumento.

Vir etiam, aut mulier, vt à fornicatione desistant, accipere non possunt pretium: quia ad id iure naturali tenentur absque vllo pretio. Dices, saltem si mulier fornicando acceptura erat licite pretium, vt eam

E pateretur turpitudinem, poterit pretium accipere, non quidem vt non fornicetur, prout ex præcepto tenetur, sed pro lucro cessante ex eo, quod fornicari desistat. Negandum tamen id est: quoniam iure Diuino ad vtrumque tenetur absq; vllo pretio, nempe ad non fornicandum, & ad non quærendum pretium via fornicationis. Alioquin etiam, qui locare vult suam operam ad interficiendos alios iniuste, posset licite accipere pretium pro lucro, quod illi cessaret se ita non locando, quod est ridiculum. Quo loco obserua, aliud esse mulierem pacisci de pretio via fornicationis, aliud postquam ex pacto pretii fornicata est. pretium accepere. Primū est illicitum, teneturque proinde ab illo abstinere absque vllo pretio. Secundum vero est licitum, teque abstinere

tenetur

tenetur à pretio via illa iniqua commercio, ideoque vt illud non recipiat, pacisci poterit de compensatione iusta.

Maius dubium est de eo, qui adueniente tempore, in quo gratis subuenire teneatur simpliciter ac omnino pauperi extreme indigenti, illi non subuenit nisi accepto pretio, vel ab aliquo alio paupere, qui, quod ipse gratis, non velit dare rem, qua ille alius extreme indiget; eam ab illo emit, vel ab ipsomet paupere postquam deuenit ad pinguem fortunam, quia non aliter voluit ei subuenire, dum extreme indigebat; vtrum, inquam, qui eiusmodi pretium accepit, licet lethaliter peccauerit non subueniendo gratis, restituere teneatur pretium,

Pars, quæ negat, suaderi potest. Primo, quoniam, qui eiusmodi pretium accipit, non ex iustitia, sed ex caritate tenebatur subuenire gratis illi extremè indigenti, vt in materia de eleemosyna ostendimus: ergo accipiendo pretium non peccauit contra iustitiam, sed contra caritatem, atque adeo restituere illud non tenetur. Secundo: quoniam non accepit pretium pro ipso opere subueniendi extremè indigenti, sed pro re, qua illi subuenit, quæ reuera pretio illo æstimabatur: ergo licet peccauerit vendèdo tunc rē, quam lege charitatis exhibere gratis tenebatur, non tenetur tamen restituere pretium iam acceptum. Hæc duo argumenta satis probabilem mihi efficiunt hanc partem negantem, neque in rigore auderem ab ea discedere. Hæc de priori parte regulæ.

Iuxta posteriorem vero, licet vnusquisque sub reatu lethalis culpæ exhibere teneatur diuitem, qua extremè indiget, vt equum ad euadendam mortem, quæ iniusta est illi inferenda, medicinam, aut cibum, quibus extremè indiget; non tamen tenetur exhibere illam gratis, sed poterit exigere & recipere pretium. Licet etiam aduocatus, aut medicus, teneantur aliquando sub reatu lethalis culpæ exhibere suas operas iis indigentibus; non tamen gratis, sed pro pretio, si illi fint soluendo. Item, licet sub reatu lethalis teneatur quis aliquando liberare domum proximi ab incendio, aut prohibere ne diripiatur, non tamen gratis, si labor, & industria, quam apponit, pretio sint digna; quin potius agere poterit aduersus dominum domus actione negotiorum gestorum. Eodem modo, qui iussus à Rege proficiscitur ad bellum, exigere potest iustum stipendium à Rege aut à Republica. Quin & Apostoli, licet à Christo euangelizare, regereque Ecclesiam essent iussi, licite exigere & accipere poterant ab Ecclesia alimenta & subsidia vitæ necessaria, ad eaque subministranda tenebatur Ecclesia, vt late Paulus *prima ad Corinth. nono* docet ac probat; eaque ratione viris Ecclesiasticis decimæ in vitæ subsidium, non vero in pretium pro spiritualibus, quæ administrant, sunt depuratæ, vt alibi est dicendum.

Quando ergo *l. quarta §. si tibi ff. de condictione ob turpem causam. & l. solent ff. de præscriptis verb.* asseritur repeti non posse quod ob indicandum proprio domino seruum fugitiuum datum est; verum quidem id est, quando pro opera & labore assumpto in domini vtilitatem datum est, aut quando publica, aut priuata domini autoritate, promissum erat in præmium indicanti, vt homines allicerentur ad comprehendendos ac indicandos eiusmodi seruos, & quando dominus seruo ex liberalitate id dedisset: in his enim euentibus, licet sciret vbi seruus lateret fugitiuus, teneretur que lege caritatis illum indicare, compararet tamen dominium rei, quam ita acciperet; non quidem ex eo, quod efficeret id ad quod lege caritatis tenebatur, sed ex illis aliis prioribus legitimis titulis, vt disputat. octuagesima tertia dictum est.

4. Conclus. Tertia conclusio. Pro bonis operibus ad quę quis non tenetur, cum sint supererogationis, & præsertim pro iis, quæ in aliorum commodum cedunt, accipi potest pretium; modo immoderatum non sit, atque adeo iniustum quoad excessum, & modo in vendi-

A tione aut commutatione simonia non intercedat. Quando autem hæc interueniat suo loco in hac secunda secundæ dicetur. Probatur conclusio, quoniam ad ea non tenemur, in illisque exercendis cum minimum labor aliquis & industria, aut etiam molestia cernitur: ergo horum ratione, fas erit accipere moderatum pretium à paciscente ea de re nobiscum; vt fas erit accipere moderatum pretium pro inseruiendo infirmo; pro organis in Ecclesia ad eultum diuinum pulsandis, & cætera.

Ioannes Medina *de restitutione, quæstione vigesima sexta*, cum Adriano *quodlibet. decimo*, videtur asserere, peccatum esse facere opus quodcunque virtutis propter lucrum, aut aliud commodum temporale tanquam finem. Contrarium tamen ostendimus in hac secunda secundæ quæstione decimanona, & vigesimaseptima, articulo tertio, & prima secundæ quæstione decimanona, articul. septimo, modo tamen opus virtutis sit etiam volitum quia tale, aut propter alium finem bonum, ita vt lucrum aut commodum temporale sint finis partialiter volitus ac intentus. Aliqua alia docet *ibidem Medina cum Adriano*, quibus aperte refragamur primo secundo loco citato.

Quarta conclusio. Ex natura rei fas est offerre munera more inuitantis & allicientis ad ea opera bona præstanda, quæ is, cui offeruntur, tenetur gratis efficere. Idem est, vt desistat à malo. Fas etiam est eadem munera offerre sub conditione, si ille opera illa bona, ad quæ inuitatur, efficiat, aut à malo desistat. In hunc modum, dono aut donabo tibi hoc, si hoc feceris aut ab hoc malo desiteris. Fas præterea est ex natura rei munera eo modo oblata recipere, modo tamen de animo donandi absolute aut sub illa conditione consistet. Hæc conclusio videtur esse Medinæ & Adriani, locis citatis. Probari autem potest, quoniam sicut fas est allicere precibus aliquem ad id, quod tenetur facere gratis, & pro quo nefas est illi accipere pretium, cur etiam fas non erit illum muneribus & donationibus allicere; quando animus offerentis est reuera donare, esto non donaret, nisi ea via inueniret, ac speraret perducere illud ad bonum, quod optat? Sane nulla potest reddi legitima ratio. Præterea, vnusquisque donare potest, quod suum est, sub conditione, quæ mala non sit: ergo poterit donare sub conditione, si is, cui donat, efficiat tale bonum, aut desistat à tali malo, esto teneatur *gratis*, & efficere illud, & desistere ab hoc. Patet consequentia, quoniam neque conditio illa est mala, neque allicere vtrumque horum est malum, neque item aliquem lucro excitatum vtrumque horum efficere, imo nec intendentem simul commodum temporale eadem efficere est malum, vt conclusione præcedente dictum est; modo tamen id non accipiat in pretium: quare cum is, qui offert, donationē suā, aut conditione sub qua donat, non intendat nisi id, quod posita donatione ille, cui fit sub conditione, potest licite implere; consequens est, vt talis donatio licita sit, tam ex parte donantis, quam ex parte accipientis & implentis conditionem, ac proinde vt accipiens nequaquam restituere teneatur. Item licitum est habenti in alium potestatem, cogere illum minis & verberibus, vt id efficiat, aut ab eo desistat, quod efficere, aut à quo desistere tenetur gratis; vt licitum est patri cogere filium minis & verberibus, vt die dominica ad sacrum audiendum accedat, aut vt desistat à fornicatione: ergo licitum etiam erit ei dono, aut promissionibus ad idem illum allicere. Idcirco autem in conclusione apposita sunt verba illa, *ex natura rei*: quoniam, posita prohibitione iuris positiui, illicitum est dare aut accipere illo modo, vt de iudicibus & aliis ministris publicis dictum est.

Ex hac conclusione constat, licite matres & patres, dare aut promittere aliqua filiis sub conditione, si frequentent sacramenta, aut si ingrediantur religionem, vel etiam vt efficiant id, aut abstineant ab eo, quod facere, aut à quo abstinere teneantur gratis:

est enim

est enim in parentibus animus ea donandi. Item licite fieri legata, aut relinqui hæreditatem sub conditione, ne hæres aut legatarius fornicetur, aut sub conditione, vt cœlibem viram ducant.

Ex eadem conclusione constat, fancte & pie fideles inducere posse infideles ad donis & promissionibus vt baptismum fidemque Christianam suscipiant, eaque illis promittere, & dare sub conditione, si Christiani fiant, & non aliter; modo animus sit ea donandi sub illa conditione, non vero ea illis in pretium conferendi vt suscipiant baptismum. Item fancte & pie infidelibus iuste ad mortem damnatis, aut alia pœna dignis, condonari pœnam sub conditione, si Christiani fiant. Posseque aliquem sumere aliquam infidelem in vxorem sub conditione, si Christiana fiat: similique modo posse aliquam sumere infidelem aliquem in suum virum sub conditione, si ille Christianus esse velit. Plura diximus hac de re in hac secunda secundæ quæstione decima articul. octauo, quæ quartam conclusionem propositam confirmãt.

Ex eadem quoque conclusione patet, eum qui vt alliciat alium ad sibi mutuandum, aliquid dono illi dat, non peccare. Neque eum, qui accipit, peccare, aut teneri restituere, quod ita accipit, si sibi persuadeat eum qui dat, habere animum donandi, quamuis sciat illum non fuisse donaturum, nisi speraret se ea via consecuturum mutuum. Donatio namque ab soluta, quamuis facta sit animo alliciendi ac mouendi aliquem vt mutuo det, valida est, esto donans non daret nisi speraret se ea via consecuturum finem intentum. Neque qui donationem accipit, sciens donantem intendere eum finem, tenetur aut facere id, cuius intuitu alius donat, aut non accipere donationem; quin potius licite donationem accipit, integrũ que illi postea manet, annuere, aut non annuere votis donantis, vt dum de dõnationibus fuerit sermo, dicemus.

SVMMARIVM.

1 *Affirmat opin suadetur* 1.
2 *Secundo.*
3 *Tertio.*
4 *Res turpis, atque peccati bifariam in hoc subiecto sumitur.*
5 *Quomodo liceat secundum Medinam accipere pretium ob turpem causam.*
6 *Rem esse turpem non impedit iuste pro illa accipi pretium.*
7 *Spectato solo iure naturali accipiens moderatum & æquale pretium ob turpem causam neque iniustitiam committit neque tenetur illud restituere.*
8 *Pactio & acceptio pretij illicita est & peccatum antequam talis res turpis fiat quæ nullam vim obligandi tam in promittente quam in stipulante habet: post rem autem patratam illicitum non est petere & accipere pretium antea promissum aut constitutum.*
9 *Nauarri opin. reprobatur.*
10 *Obiectio ex l. si plagij ff. de verb. obligat. promissionem ob rem turpem non valere etiam postquam res turpis opere est impleta.*
11 *Diluitur.*
12 *Publica meretrix non solum licite retinet quod à potente alienare in pretium iustum aut gratuita donatione propter fornicationem peractam recepit, sed præterea conceditur ei actio in foro exteriori ad petendum pretium moderatum ipsi ante fornicationem promissum, & si de pretio non sit conuentum consuetum solui debet.*
13 *Quid de occulta fornicaria circa prædicta dicendum dist. num.*
14 *Coniugata filia familias monialis quibus tale pretium reddere teneantur. Et quid si illis tantum sit promissum.*
15 *Si fornicarij aut fornicariæ aliquid acceperint ab ijs qui partem non habent alienandi vel non in eum finem vt à religioso restituere tenentur.*
16 *Quod fornicariæ fraude, dolo, item blanditijs præter pretium conuentum extorserunt, an restitui debeat.*
17 *An quod occultæ fornicariæ accipiunt repetatur in foro exteriori.*
18. *Accepta ob turpem causam si pretium moderatum est in nullo foro nisi lata sententia aut lex incapacem reddat accipientem, restituenda sunt.*
19. *Cui restitutio facienda sit turpiter acceptorum in pretium.*
20 *Resp. ad 1. arg. opin. affirmat.*
21 *Ad secundum.*
22. *Obiectio.*
23 *Ad 3. argument.*

QVÆ ACCIPIVNTVR OB TVRpem causam obnoxiane sint restitutioni, & quousque in foro exteriori denegetur eorum repetitio.

DISPVTATIO 94.

1 *Restitutio nisi ob noxia non datur.*

COnsequenter dicendum est de iis, quæ ob turpem causam accipiuntur. Pars vero quæstionis propositæ, quæ affirmat, suaderi potest.

Primo, quoniam qui aliquid accipit, vt id bonum efficiat, quod de præcepto tenetur facere, continuo tenetur id restituere, vt disputatione proxima & aliis præcedentibus ostensum est: ergo maiori cum ratione, qui aliquid accipit, vt id malum efficiat, quod de præcepto tenetur vitare, tenebitur continuo id restituere.

2 *Secunda.*

Secundo, datio ob turpem causam est inualida: ergo accipiens tenetur restituere, quod ob eam acceperit. Consequentia est manifesta: antecedens vero probatur. Quoniam promissio ob turpem causam est inualida, vt constat *ex l. generaliter, & ex l. si stipuler ff. de verb. obligat. & ex ca. vltim. de pactis*, quibus in iuribus, ac alibi habetur, turpem omnem stipulationem, seu promissionem inualidam esse: ergo datio etiam ob turpem causam inualida erit.

3 *Tertia.*

Tertio, quod simoniace accipitur, retineri nequit, sed est statim restituendum: ergo pari ratione, quod ob turpem causam accipitur, retineri non poterit, sed erit continuo restituendum.

4

Pro declaratione & fine huius disputationis aduertendum est ex Ioanne Medina *de restitutione q. 20.* rem turpem, actum ve peccati duobus modis, quod ad præsens institutum attinet, talem esse posse. Vno, quia ratione sui est talis, siue quia de se est res mala, vt fornicatio, homicidium, &c. siue quia secundum se prohibita, vt comedere carnes in quadragesima, & aliquibus in locis, iudices accipere munera, alioquin licita. Altero, quia ratione circunstantiæ extrinsecæ est talis, puta temporis, loci, iuramenti, aut voti rei contrariæ, &c. Vt vendere, de se, non est illicitum neque prohibitum; est tamen illicitum in die festi, ratione circunstantiæ temporis, propter quam est prohibitum; & in loco sacro, ratione circumstantiæ loci; & seruire alicui illicitum non est in se; si tamen impediat impletionem voti de ingrediendo religione, aut si contra iuramentum id non faciendi in tuitu alicuius maioris boni, est illicitum & malum ex circunstantia extrinseca.

5 *Medinæ opinio.*

Hoc ita constituto, ait Medina, *licet fas sit accipere pretium ob turpem causam secundo modo, quando res, pro qua accipitur, est alioquin pretio æstimabilis, vt prote, quæ venditur in tempore, aut loco sacro, aut pro seruitio exhibito in impedimentum voti, aut contra iuramentum, vniuersim tamen nefas esse accipere pretium ob turpem causam primo modo, siue res, pro qua accipitur, sit peccatum commissionis, siue omissionis tantum. Ratio illius est, quoniam peccatum non*

non est quippiam vendibile, eo quod nullius sit valoris, sed tanquam quid turpe & inutile sit fugiendum. Hinc colligit, non solum coniugatam nihil posse accipere in pretium pro adulterio, aut virginem, vel aliam oculcam fornicariam: pro fornicatione; sed neque publicam meretricem, vsque adeo vt, si quippiam in fornicationis pretium accipiant, teneantur illud restituere. Addit tamen posse eas aliquid accipere per donationem liberam, esto monitum donationis fuerit, quod illæ in fornicationem consenserint. Atque ex hoc capite excusat meretrices, & alias fornicarias à restitutione eorum, quæ, vt copiam sui corporis faciant, accipiunt. Si tamen, inquit, fornicantium animus sit, non donare, sed dare in pretium turpitudinis tenentur tam illæ fornicariæ, quam meretrices restituere quod ita accipiunt. Idem quoad meretrices affirmant quidam, quos Couar. *regul. peccatum, par. 2. §. 2. num. 1.* refert. B

6 *Nemo esse tenetur, cui nihil expedit ultra pretium illa accipere.*

Contraria sententia, nempe rem, pro qua aliquid tanquam pretium accipitur, esse in se turpem ac prohibitam non tollere quo minus pretio sit æstimabilis, non quidem ratione deformitatis, & quatenus Dei est offensa, in quibus posita est ratio peccati, sed ratione defectationis, quam habet adiunctam, aut ratione laboris, detrimenti aut periculi, quod subit, qui in gratiam alterius simile quid exercet, affirmant Doctores communiter. D. Thomas, & cum eo Caietanus *2. 2. q. 32. art. 8. ad secundum. & quæstione 62. art. 5. ad secundum.* Adrianus *de rest. tutione in quæstione qua incipit: oritur alia quæstio an mercatrix, &c.* Panormitanus *capit. quia plerique de immunitate eccles. à numero 32.* Sotus *quarto de iustit. & quæstione septima articulo primo ad secundum.* Couarruuias § 2. *citato*, Nauarrus *in Manuali à numero 30.* & plerique alii; tametsi quidam eorum solum loquantur de actu meretricis pro quo pretium accipit. Eadem tamen est ratio de aliis, vt ostendemus. Couarruuias præterea *loco citato numero septimo* asseuerat, pro ferenda iniusta sententia accipi non posse pretium, etiam postquam expacto est iniuste lata: eo quod res illa non sit pretio æstimabilis. Mihi vero longe probabilius est contrarium, nempe exercitum illius actus esse pretio æstimabile, non quidem ratione iniustitiæ, quæ aduersus proximum exercetur, sed ratione periculi & discriminis cui se exponit, qui eam fert sententiam, cum restituere teneatur damna proximo inde subsecuta, & non solum proprium honorem & existimationem in periculum vocet, sed etiam bona sua, & salutem animæ in discrimen maximum adducat. Quo fit, vt non solum commissionis peccatum, sed & puræ omissionis esse possit pretio æstimabile ob ea, quæ commemorata sunt, sufficienterque euersa manent fundamentum, & opinio Medinæ. C D

7 *1. Conclus.*

Sit ergo prima de hac re conclusio. Spectato solo iure naturali, accipiens moderatum & æquale pretium ob turpem causam, neque iniustitiam committit, neque tenetur illud restituere. Hæc ex dictis est satis manifesta, quoniam pugnare in bello alterius iniusto, aut vindictam de aliquo sumere iussu alicuius & in gratiam alterius, vel mulierem copiam sui corporis facere alicui viro, imo & virum fornicari in gratiam fœminæ, pretio sunt æstimabilia. E Quo fit, vt accipere pro eiusmodi rebus turpibus moderatum & æquale pretium, nihil iniustitiæ contineat, ac proinde vt accipiens, spectato solo naturali iure, restituere illud non teneatur. Dictum est, moderatum & æquale pretium: quoniam sicut in aliis contractibus excessus pretii causa est iniustitiæ, accipiensque restituere excessum tenetur: sic etiam in re proposita, quando de formali, aut virtuali voluntate id donandi non constat ex parte dantis.

8 *2. Conclus.*

Secunda conclusio. Pactio & acceptio pretii ob rem turpem illicita est & peccatum antequam talis res turpis fiat. Post rem autem patratam illicitum non est petere & accipere pretium antea promissum aut constitutum. Quia vero promissio & pactio, traditioque pretii ante rem turpem patratam est peccatum, nullam vim habent obligandi. Quocirca neque, qui rem turpem promisit pro pretio, tenetur illam implere, neque, qui pretium pro ea promisit, tenetur stare promissis, pactumque implere, sed potest discedere à promissione & pacto ante rem turpem patratam. Post illam vero patratam, stando in solo iure naturali, tenetur soluere pretium. Peccatum autem, quod cernitur in promissione, pactione, acceptione pretii, & traditione illius ante rem turpem patratam, non est peccatum iniustitiæ, *sed est illius speciei cuius fuerit peccatum rei turpis, ad quam ordinatur.*

Primam partem huius conclusionis affirmant Caietanus *secunda secundæ quæstione 32. articulo septimo ad secundum.* Et Couarruuias *regula peccatum parte secunda §. secundo, numero primo.* Probatur quæ potest, quoniam antequam res turpis fiat, vt antea quam mulier copiam sui corporis faciat, aut antea quam quis, mercede conductus ad alium interficiendum, illum interficiat, promissio, pactio, datio, & acceptio pretii pro tali re turpi, ordinantur ad eam patrandam: sed, quod ordinatur ad lethale peccatum tanquam ad finem, est lethale peccatum eiusdem speciei cum fine: ergo illa omnia peccata sunt lethalia eiusdem speciei cum re turpi, ad quam ordinantur. Imo sunt vnum numero peccatum lethale cum peccato rei turpis, ad quam ordinantur, tanquam partes integrantes vnum numero peccatum, quod ex illis omnibus coalescit, nisi detur tanta interpollatio, moralisque discontinuatio, quæ sufficiat ad illa efficienda. diuersa numero peccata: non secus ac accipere pallium, accingere ensem, pergere ad interficiendum aliquem, stringere ensem, hominemque interficere, sunt vnum numero integrum peccatum lethale homicidii, nisi detur talis interpollatio, moralisque discontinuatio, quæ sufficiat ad multiplicanda distincta numero peccata illius speciei. Atque ex his prima & vltima pars conclusionis propositæ simul manent confirmatæ.

Secunda pars nempe, post patratam rem turpem, illicitum non esse petere & accipere pretium antea promissum, aut constitutum, neque etiam illud dare & accipere, est Caietani, & Couarruuiæ *loco citato.* Possumus autem eam probare, quoniam, vt in prima conclusione ostensum est, spectato solo iure naturali, illud est debitum ex iusto, neque ordinatur iam ad peccatum & rem turpem, quæ transiit, essque desiit, vt dicere possimus ex ordine ad illam tanquam ad finem inficiendo spectato solo iure naturali, illud est licitum, iisque, qui tale pretium exigit & accipit, exigit actum iustitiæ, accipitque quod sibi debetur: is vero, qui illud reddit, exequitur actum iustitiæ, in cuius contrario iniustitia cerneretur.

9 *Nauar.*

Vnde reiicienda est opinio Nauarri *in Manuali in editione Latina, loco citato, præsertim num. 40. & 41.* asserentis, peccare illos lethaliter, qui post crimen patratum pretium petunt tanquam sibi debitum. Ait namque non esse illis debitum ratione operis patrati, idque debere eos confiteri. Contrarium vero satis aperte constat ex dictis. Accedit, quod si eis non esset debitum, sane tenerentur id restituere, si ipsis datum esset vt debitum, atque in pretium, & non ex sola liberalitate: quod tamen Nauarrus ipse negat, dum de pretio, quod meretrices recipiunt, agit, reiicitque contrariam Medinæ opinionem. *At*, inquit Nauarrus, *si pretium petant tanquam sibi debitum propter opus turpe patratum, complacent in opere præterito & peccant.* Quis tamen non videat, necesse non esse complacere in opere præterito ex eo, quod quis petat & accipiat pretium pro eo sibi promissum ac debitum? Poterit namque dolere, tam de opere præterito, quam quod pretio fuerit adductus ad id patrandum, Deumque offendendum, firmiterque statuere, nihil tale in posterum efficere; & nihilominus exigere, & accipere pretium, & propter illud patratum commeruit,

Obiectio illius.

Satisfit;

ruit, sibique est debitum. Poterit præterea cohibere actum complacentiæ & displicentiæ circa actum turpem præteritum, peterequè & accipere pretium pro eo sibi iam debitum. Porro Nauarrus ideo aberrasse videtur, quod non attenderit latissimum discrimen, quod est inter pretium pro peccato antequam peccatum committatur, & postquam est iam commissum. Petitio namque, acceptio, & collatio pretii pro peccato antequam sit commissum, est vera culpa eiusdem speciei cum peccato, pro quo petitur, accipitur, aut datur: eo quod ordinentur vt peccatum illud fiat, ponaturque in rerum natura: at vero petitio, acceptio, & collatio pretii pro peccato iam commisso, tanquam quid iam commeriti & debiti, nulla est culpa: cum illa non ordinentur ad peccatum, vt fit: quod paulo antea cum Caietano & Couar. explicatum est.

Tertia pars, videlicet; neque promissionem, neq; pactum, neque solutionem pretii pro re turpi vllam vim habere ante rem turpem patratam, sed integrum esse cuique contrahentium discedere à pacto & promissione, eumque qui pretium accepit, teneri illud reddere, eo quod impletio contractus peccatum sit: habetur expresse. *leg. generaliter, & leg. si stipuler. ff. de verborum obligationibus* §. *quod turpiter Instit. de inutilibus stipulat. & cap. vltimo de pactis*, quibus in iuribus docemur, promissionem omnem, stipulationem, ac pactionem de re turpi, id est, quæ impleri nequit sine peccato, inualidam esse. Idem habetur 2. *quæst.* 4. per multa capita, præsertim *cap. in malis*. vbi dicitur. *In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.* Hinc patet, siquid cum meretrice constituerit sit, vt in futurum in peccatum consentiat, pactum posse ac debere rescindere: imo esse nullum antequam turpitudo sit peracta, paciscentemque ad nihil illi teneri: quin potius ipsam si quid in pretium accepit pro turpitudine futura, teneri id restituere ei, qui dedit, nec vult pactionem perficere. Idemque dicendum esse de eo, qui pecuniam accepit, vt interficeret alterum, aliquam ve aliam iniuriam illi inferret, & de quocunque alio, qui pro quocunque alio maleficio exequendo pretium accepit. Qui namque pecuniam dedit, desistere potest à contractu, antequam res fit peracta, & ideo, qui pretium accepit, tenetur illud restituere, neque vlterius progredi. Quod si desistere non velit, postquam, qui pecuniam dedit, illi significauit, se desistere velle à eo tracto, & maleficium perficiat, proximum interfici-endo aut quoduis aliud damnum illi inferendo, tenetur nihilominus pretium ei, qui dedit, restituere, & damna omnia illi, cui iniuriam intulit, subsecuta.

Hoc loco obserua, quamuis in foro exteriori, vt dicemus, concedatur meretrici actio ad pretium pro turpitudine commissa; non tamen illi concedi, vt, qui cum illa pactum iniit circa turpitudinem in futurum patrandam, cogatur stare contractui, illumque implere. In primo namque euentu cogitur fornicarius ad rem iustam & licitam, nempe vt soluat pretiũ debitum ex turpitudine cum meretrice peracta: in secundo vero cogeretur peccare, quod nullum ius, nullaque æquitas patitur.

Præterea, vt iura illa citata definiunt, pactum illud ante turpitudinem peractam est nullum, & ob id neque qui cum meretrice illud iniuit, neque meretrix ipsa cogi possunt, vt illud perficiant. Quin potius, si meretrix ante turpitudinem pretium acceperat, cogetur in foro exteriori illud reddere ei, qui, vt potest, desistere vult à contractu.

Quarta vero pars nempe; stando in solo iure naturali, post rem turpem patratam consurgere in foro conscientiæ obligationem soluendi æquale & moderatum pretium pro ea promissum, aut constitutum; satis patet *ex prima conclusione, & ex probatione 2. partis 2. conclusionis*. Iura ergo, quæ statuunt, promissionem & pactum de re turpi inualida esse, intelligenda sunt ante rem turpem patratam, præsertim in foro conscientiæ standoque in solo iure naturali.

Quod si quis nobis obiiciat. *leg. si plagii ff. de verborum obligat.* quæ sic habet, *si plagii faciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio* (id est, promissio sub certa quadam forma iure statuta) *ab initio non valet*: quibus verbis manifeste asseritur, promissionem ob rem turpem non valere, etiam postquam talis res turpis opere est impleta. Dicendum est in primis, Glossam ibi asserere non esse certum, promissionem factam ob rem turpem iam transactam, esse inualidam. Deinde melius dicendum est, inter hæc duo esse latum discrimen, scilicet, promissionem factam ob rem turpem patrandam obligare re turpi opere iam impleta, & promissionem, quæ fit ob rem turpem patratam eo intuitu, quod is, cui id promittitur, iam patrauerit, validam esse. Primumque esse, quod nos asserimus: secundum vero, quod ea lege negatur. Cum enim ea promissio mala & turpis sit, quippe quæ facta sit intuitu rei turpis iam patratæ & ad illam gratificandam, peccatumque sit illo eodem intuitu illam implere, neque pretium debitum sit ob rem illam turpem iam factam, eo quod facta non fuerit pro pretio antea promisso aut constituto, consequens est vt non sit par ratio, vt, si secunda promissio inualida sit, prima etiam sit inualida post rem turpem opere impletam. Iuxta hunc sensum legis citatæ, si quis post fornicationem patratam promittat aliquid meretrici, aut alii fornicariæ intuitu consensus, quem gratis præstiterat, vel promittat aliquid interfectori sui inimici in gratiam solius homicidii, inualida est promissio, neque eam tenetur implere, qui promisit: secus autem si alio intuitu non malo illis eisdem aliquid promisit; vt quod fornicaria fornicando honoris sui ac famæ iacturam fecerit, vel quod homicida periculis maneat expositus, aut quod signum maximum amoris exhibuerit. Itaque licet promissio intuitu actus peccati patrati sit nulla, valida tamen esse potest, si facta sit intuitu rei non malæ, quæ cum eo actu fuerit coniuncta. Posset etiam exponi lex illa, quod solum habeat locum in foro exteriori, quasi inualida sit, vt concedatur actio ad exigendum, quod propter plagium promissum est, etiamsi plagium fuerit iam factum: secus vero in foro conscientiæ ante latam in exteriori foro sententiam, vt nos loquimur. Postrema pars conclusionis simul cum prima probata fuit.

Tertia conclusio. Publica meretrix non solum licite retinet, quod à potente alienare in pretium iustum, aut etiam gratuita donatione propter fornicationem peractam recepit sed præterea conceditur ei actio in foro exteriori ad petendũ pretium moderatũ ipsũ ante fornicationem promissũ. Imo si, nullo cõstituto pretio copiam sui corporis facit, cogetur fornicarius soluere consuetum pretium: eo quod illa censenda non sit gratis, sed pro consueto pretio copiam sui corporis fecisse, idque attendere debebat fornicarius, vt Couarruuias §. *citato* recte ait. Hæc conclusio est communis, quam asseuerant omnes, quos ante primam conclusionem citauimus, & habetur *l.* 4. §. *sed & quod meretrici ff. de condictione ob turpem causam*. Vbi dicitur: meretricem turpiter facere, quod sit meretrix, quia id est contra ius naturale: non tamen turpiter accipere, cum sit meretrix. Horum autem verborum hic est sensus. Turpiter facit, quod sit meretrix, quia id est contra ius naturale: non tamen turpiter accipit cum sit meretrix, quia neque ex natura rei peccat ita accipiendo post turpitudinem patratam, neque id prohibetur, sed nulla de causa omnino permittitur in foro exteriori, sicut etiam meretricum fornicatio permittitur in eodem foro ad vitanda maiora mala: nihilominus tamen eadem acceptio appellatur alioquin turpis denominatione extrinseca: eo quod fiat ob causam turpem præteritam

10 Obiectio.

11 Diluitur.

12 3. Conclus.

tam, seu potius ex turpi causa præteritæ tanquam illius effectus. Quia ergo, quod ex aliis turpibus causis accipitur, non permittitur, sed punitur in foro exteriori denegatione repetitionis, & actionis ad illud petendum, si, postquam ex natura rei erat iam debitum, non fit solutum, applicationeque illius fisco, siue solutum iam esset, siue non: inde est, quod legibus ciuilibus de eo non dicatur, non accipi turpiter etiam post causam turpem patratam, quemadmodum dicitur de lucro meretricio. Atque ita cessant obiectiones Nauarri *loco citato à numero trigesimo quarto*.

15 De occulta fornicaria est dubium, an quod pro fornicatione accipitur pretium; restituendum sit in foro conscientiæ, aut saltem id ab ea in foro exteriori repeti possit. Quod ad primum attinet, quidam, quos Couarruuias §. *citato num. 1. & 2.* ac alii referunt, asseruerunt: quamcunque fornicariam, quæ meretrix non sit, restituere teneri in foro conscientiæ, quicquid in pretium suæ turpitudinis accipit. Est tamen improbabilis sententia. Cum enim copia, quam illa sui facit, multo maioris valoris sit, quam ea, quam facit publica meretrix, nullaque sit lex positiua, quæ incapacem illam reddat pretij, quod ea de causa accipiat: sane retinere poterit pretium moderatum, quod ita acceperit. Quod si nondum illud accepit, fuitque illi promissum, & secuta est turpitudo, tenetur promittens illud ei in foro conscientiæ soluere. Idem dicendum est de pretio, quod virgo accepit, illiue promissum fuit, vt copiã sui corporis faceret & de eo, quod accepit coniugata, aut monialis, aut eis promissum fuit, vt Sotus, Nauarrus, Couar. & alii locis citatis affirmant: cum sit eadem ratio de omnibus.

14 Vtrum vero coniugata teneatur reddere tale pretium marito, filiafamilias patri, ac monialis monasterio: Cum Dominico à Soto & aliis est dicendum, non secus teneri illud reddere, quam si labore manuum suarum id comparassent. Debent tamen illud eis reddere occulte, vt propriæ consulant famæ, vitenturque alia mala. Quin si quid illis esset promissum ac debitum ob fornicationem, necdum que esset solutum restitutio esset facienda non fœminis ipsis, sed marito, patri, aut monasterio, quando periculum esset eas non esse illis pretiũ tradituras.

15 Si fornicarij, aut fornicariæ, aliquid acceperint ab iis, qui potestatem non habent alienandi, tenentur id restituere. Atque hac de re examinandæ sunt fornicariæ, etiam si meretrices sint.

Si quid fornicaria acceperit à religioso, esto ille facultatem à suo superiore habeat alienãdi aliqua: quia tamen facultas illa non intelligitur ad eum finem: eo quod esset iniqua, neque in concessione generali comprehẽsum intelligatur: quod si in particulari fuisset propositum, nequaquam fuisset cõcessum, vt patet *regul. in generali de regulis iuris libro. 6.* restituendum est monasterio, nisi monasterium ipsum id ex rationabili causa condonet, videlicet, vt consulat famæ religiosi, aut propter paupertatem eius, quæ id accepit & consumpsit. Idem est, si superior ipse monasterij aliqua ob fornicationem propriam der. Quoniam neque de bonis monasterij facultatem habet conferendi quicquam in eum finem, neque de bonis, quæ ab aliis accipiat: quãdo quidem nihil potest efficere sibi proprium, neque aliter sibi ipsi concedere potest ius alienandi, quæ ab aliis acceperit, quam suis subditis, neque voluntas præsumpta superiorũ sit: vt eiusmodi res in eum pessimum finem alienet: quare facta ea alienatio vana est & irrita.

16 Si fornicariæ fraude, aut dolo quicquam extorserint superfluum ab eo, qui potestatem habet alienãdi, vt mentiendo se viro esse incognitas, aut non nisi à tali vel tali magnate, vel aliud simile, propter

Fornicaria restitua.

quod maius pretium accipiant, quam ex natura rei sit dignum & quam accepissent, si fraus illa non interuenisset, restituere tenentur, quod ita superflue extorserint. Quod vero blanditiis & lenociniis extorquent, cum sponte voluntarieque eis conferatur, restitutioni non est obnoxium, vt 1. 2. *quæstione 6 articul. 7.* ostensum est.

Quod ad secundum attinet, nẽpe, an quod occultæ fornicatiæ in pretium suæ turpitudinis accipiunt repetatur in foro exteriori, arbitror distinguẽdum esse cum Couarruuia *regul. peccatum par. 2. §. 2. numero 3.* Quædam namque occultæ fornicationes sunt, quæ si in iudicium adducantur, puniẽtur in foro exteriori, vt adulterium, incestus, &c. quædam vero quæ in foro exteriori non punientur, vt occultæ fornicationes fœminarum, quæ iuris sui sũt, nec tamen sunt meretrices. Si fermo sit de his posteriorib. arbitror, esto eiusmodi fornicariis promissum aliquid sit pro fornicatione, & fornicatio sit subsecuta, non audientur in iudicio, vt audientur publicæ meretrices, vel si audiantur, solum id forte, vt eiusmodi pretium fisco adiudicetur. Ratio est, quoniam ex stipulatione contra bonos mores non conceditur actio in foro exteriori, vt constat *ex leg. Marcalem. Codic. de condict. ob turp. caus.* Præsertim cum in hoc Lusitaniæ regno, licet eiusmodi fornicarię non acriter puniantur, puniantur tamen aliquo modo vt patet. *l. 1. tit. 6. par. 1. legum extra.*

Si tamen ab eiusmodi fornicariis in iudicio repetatur, quod iuste in pretium turpitudinis acceperũt, in primis non concederetur actio hominibus, qui pretium dederunt, eo quod iuste de manu illorum id acceperint, nec minor turpitudo fuerit dãtiũ quam accipiẽtium. Deinde vero neque fisco videtur concedenda. Quoniam, vt bene Couarruuias *loco citato* adnotauit, solum conceditur actio fisco circa turpiter accepta, quando accepta sunt pro crimine, quod à Republica puniri consueuit. Subiungit tamen propter famosam quorundam sententiam vsu nonnullorum iudicũ contrariũ esse in foro exteriori introductũ: quod tamẽ ipse nõ probat. In hoc autem Lusitaniæ regno, licet eiusmodi fornicariæ aliquo modo puniantur. vt ex lege citata liquet, suspicor cõsuetudiné non esse, vt, quod acceperunt, fisco addicatur. Præsertim cum similes leges non soleant ea seueritate executioni mandari, qua condũntur.

Si autem loquamur de occultis fornicariis prioris generis, in primis non conceditur eis actio, vt pretiũ cõparent pro subsecuta fornicatione antea promissum. Idemque est de quocunque alio crimine, quod in foro exteriori punitur, idq; ob eam causam, ne quis præmiũ & lucrũ pro eo crimine reportet, pro quo pœnam in eodem foro meretur, vt *ex l. Marcalem. Cod. de condict. ob. turp. caus.* est manifestum. Deinde vero fisco adiudicabitur pretiũ, quod eiusmodi fornicariæ acceperint: eo quod acceptio fuerit turpis, & iure humano prohibita. Idemque est iudiciũ de quocunque alio pretio accepto pro crimine iure humano prohibito, vt colligitur *ex l. Lucius, ff. de iure fisci.*

Ex hactenus dictis constat, accepta in pretium ob turpem causam, quando pretiũ est moderatũ, neque in cõsciẽtię foro, neque in exteriori, nisi post latam sententiam, obnoxia esse restitutioni. Nisi, quando lex incapacem reddit accipientem, vt reddunt extrauagantes Bonifacij 8. & Gregorij 13. *disputatione 92.* relatę: id tamẽ quam rarissime euenit.

Magna ergo ex parte cessat quæstio illa, cui faciẽda sit restitutio turpiter acceptorum in pretiũ. Ante latam enim sententiam, nulli est faciẽda, nisi lex incapacẽ fecerit accipientem. Post latam vero sententiam, facienda est illi, cui, eo modo accepta, per sententiam applicabuntur. Quod si nulli expresse applicentur, fisco censentur addicta. Quando vero

lex incapacem reddit accipientem, si simul etiam reddat incapacem dantem, vt extrauagantes citatæ reddunt, non solum quando aliquid datum est in pretium, sed etiam quando dono est datum: tunc si lex exprimat, cui restitutio sit facienda (vt regulariter solent exprimere, extrauagantesque citatæ præscribunt vt hat pauperibus) illi est faciēda: alioquin fisco. Quod si solum reddat incapacem accipientem, idq; quod accepit, nulla ratione erat ei debitum restitutio facienda est danti, apud quem perseuerat dominium rei, quam ita dedit: eo quo datio illa gratuita vim non habuerit dominij transferendi. Quãdo erat illi debitum, sed virtute legis factus est incapax illius, credo restitutionem faciendam esse, vel fisco, vel pauperibus, in modum pœnæ, ad quã exequendam obligat lex in eo euentu ante latam sententiam eo ipso accipientem effecit incapacem illius. Ex qualitate autem legislatoris, ac legis, coniiciendum est tunc, an mens illius fuerit, vt restitutio fieret fisco, cui similes pœnæ regulariter sunt debitę an potius pauperibus.

20 *Ad primũ argumentum in tio propositum*

Ad primum argumentum initio propositũ, concesso antecedente in euentibus disputatione præcedente & aliis antecedentibus explicatis, neganda est consequentia: quoniam in illis euentibus nihil est, pro quo pretium possit esse debitum, vt esse potest in actib. peccatorum, aut etiam in peccatis omissionis, vt ostensum est.

21 *Ad 2. cum.*

Ad secundum negandum est antecedens, quando res turpis, pro qua aliquid datur, opere est impleta, vt ostensum est. Ad probationem vero, concesso antecedente, de promissione pro re turpi, antequam ea res turpis opere completa fit, in quo sensu, vt dictum est, intelligenda sunt tria illa iura, quæ citantur, neganda est consequentia quando res turpis, quæ eo pretio est digna, est iam opere impleta.

22 *Obiicitur.*

Quod si obiicias, acceptio ob rem turpem est peccatum, ergo & retentio eius, quod ita acceptum est: peccat ergo, qui ob rem turpem accipit, nisi restituat, quod accepit, ac proinde restituere id tenetur. Ad hoc argumentum posset inprimis negari prima cõsequentia, vt eam negat Medina *de restitutione quæstione* 20. patitur enim in multis rebus instantiam. Qui namque propria autoritate accipit quod suum est, quando publica autoritate id potest commode obtinere, peccat accipiendo, non tamen retinendo, quod accepit. Maioris tamen perspicuitatis gratia, distinguendum est antecedens. Si enim intelligatur post rem turpem patratam, negandum est: si vero ante illam patratam, concedendum est; peccat tamen, non contra iusti iam aduersus eum, qui pretiũ dedit sed peccato eiusdem speciei, cuius est res turpis, ad quam ea acceptio ordinatur. Eodemque modo concedenda est consequentia, si consequens intelligatur ante rem turpem patratam, ita vt retentio fit ad eandem rem turpem opere ob tale pretium implendam. Si vero consequens intelligatur post rem turpem patratam, neganda est consequentia. Est quippe dispar ratio. Etenim acceptio ordinatur ad culpam, & idcirco est peccatum: receptio vero post rem turpem patratam, non ordinatur iã ad culpam & ideo non est peccatum.

Ad tertiũ.

Ad tertium concesso antecedente: eo quod res spiritualis, pro qua in simonia pretium accipitur, non sit vendibilis, sed quemadmodum data gratis, ita iussa à Christo gratis dari: neganda est consequentia: quia res turpes, pro quibus pretium iuste accipitur, ex se sunt vendibiles. Cui autem restituendum sit, quod simoniace accipitur, tam ante latam sententiam, qua, qui simoniace dedit, ad amissionem illius damnetur, quam post illam prolatam, alio in loco explicandum est.

(?)

SVMMARIVM.

1 *Quare in quæstione proposita dicatur de pœnis proprio-rum bonorum.*

2 *Quando pœna statuitur ipso iure aut ipso facto crimine commisso incurrenda, an delinquens continuo mittat dominium legitimamq; possessionem bonorum, teneaturq; ea in foro conscientiæ, fisco, &c. ante latam seu tiam de pœna soluenda offerre.*

3 *Affirmantium opin.*

4 *Probatur 1.*

5 *Maior primi argum. probatur.*

6 *Probatur 2.*

7 *Probatur 3.*

8 *Probatur 4.*

9 *Minor probatur.*

10 *Affirmant. opin. probatur 2:*

11 *Tertio.*

12 *Quarto.*

13 *Quinto.*

14 *Opinio negatiua.*

15 *Primò probatur.*

16 *Secundo probatur.*

17 *Tertio probatur.*

18 *Quarto probatur.*

19 *Quinto probatur.*

20 *Sexto probatur.*

21 *Quod lata sententia retrahetur confiscatio ad tempus commissi delicti atque alienatione contractus, &c. exinde inualidæ sint quando item fiscus ad debita & pretium rerum non solutum teneatur.*

22 *Dubium vtrum eiusmodi delinquentes retine ant dominium suorum bonorum à tempore commissi delicti vsque ad latam sententiam.*

23 *Illatio primo.*

24 *Illatio secunda.*

25 *Illatio tertia.*

26 *Ad 1. arg. op. affirmat.*

27 *Ad primam probationem maioris.*

28 *Ad secundam.*

29 *Ad tertiam.*

30 *Ad quartam.*

31 *Respond. ad probationem minoris.*

32 *Ad 2. arg. opin. affirm.*

33 *Ad tertium.*

34 *Ad quartum.*

35 *Ad quintum.*

36 *Delicto seruii plene probato si delinquens illud ex iniusta causa neget, tenetur fisco ad restitutionem, quin & ipse occultam restitutionem facere possit.*

37 *Quomodo statui possit pœnam bonorum propriorum delinquentis quæ ante sententiam debeatur quando ad id non est necesse vt executio fiat per ipsum delinquentem, sed per alium in cuius potestate illa bona sita sunt.*

POENA AMISSIONIS PROPRIO-rum bonorum quousque, commisso crimine, debita sit ante latam sententiam.

DISPVTAT. 95.

AD tractationem de acquisitione, & amissione dominii legis autoritate etiam spectat disputemus, quousque in pœnam dominium amittatur, illudque acquiratis, cui pœna applicatur. Reiicientes ergo pœnas corporales in tractatum quintum, quo in loco diximus, quousque, etiam post latam sententiam, teneatur, aut non teneatur, damnatus

mnatus earum aliquam executioni mandare: hoc loco solum dicemus de pœnis bonorum externorum, de quorum dominij acquisitione & amissione in hoc tractatu disputamus.

Dictum est in quæstione propositæ, *propriorum bonorum*: quoniam non eadem cernitur omnino ratio in bonis, quæ vel sunt communitatis, tametsi à potestatibus publicis priuatis hominibus conferantur, vt sunt officia publica, beneficia Ecclesiastica, &c: vel à priuatis institutа sunt, vt sint quasi communia, vt sunt collegiaturæ, quas vocant, & his similia: vel sub certis legibus aut conditionibus alicui relinquuntur, vt relinqui solent aliquando hæreditas & legata, consueueruntque donationes aliquæ conferri: vel denique sunt bona supernaturaliter Ecclesiæ concessa, quorum dispositio facultati Summi Pontificis, clauibusque Ecclesiæ subiacet, vt sunt participatio Sacramentorum, vsus munerum Ecclesiæ, communio in suffragiis ac bonis spiritualibus aliorum, &c. & si quæ sunt alia similia bona, quæ à bonis propriis cuiusque simili modo, ac quoduis horum, quæ commemorata sunt, valeant distingui. Propter discrimen ergo, quod cernitur inter pœnas, quæ instituuntur circa bona prioris & posterioris generis, in hac disputatione dicemus solum de pœnis circa bona propria, in sequenti autem de pœnis circa bona alia differemus.

2 *Quid controuertitur*

Conueniunt omnes, quando pœna lege non statuitur ipso iure, aut ipso facto crimine commisso incurrenda, non deberi ante latam sententiam, qua delinquens ad eam soluendam à iudice condemnetur. Tota vero controuersia est, quando pœna amissionis propriorum bonorum lege statuitur ipso iure, aut ipso facto incurrenda, quo pacto & hæreticis, & contrahentibus incestas nuptias, & plerisque aliis delinquentibus, est pœna confiscationis, amissionisue omnium bonorum statuta, an delinquens continuo commisso crimine amittat dominium, legitimam possessionem: & administrationem suorum bonorum, teneaturque, proinde in foro conscientiæ ea offerre fisco, aut cuicunque alteri, cui lege talis pœna applicatur: an potius ante latam sententiam, neque possessionem neq; administrationem, imo neque dominium amittat, sed tuta conscientia possit tanquam sua, obnoxia tamen vt, si sententia feratur, ad fiscum deuoluantur, illa retinere.

3 *Partem affirmantem quis asseuerit.*

Partem affirmantem asseuerat Alfonsus à Castro. *2. de iusta hæreticorum punitione c. 6.* & fusius *lib. 2. de lege pœnæ. cap. 10.* post Panorm. & Felic. *ca. 1. de constitut.* eundem Panorm. *cap. dilecti de arbitris*, & quosdam alios, Couarr. *in epit. ad quartum decretal. capit. 7. §. 8. nume. 10.* refert. In eâdem videtur propendere Ant. Gom. *3. tom. vari. resol. capi. 2. num. 5.*

4 *Eam probant. 1.*

Hanc suam sententiam probat Castrus. Primo, quoniam hæreticus (idem accipe de quocunque alio, cui bona ipso iure confiscantur) eo ipso, quod in hæreseos crimen incidit, dominium amittit suorum bonorum, bonaque illa efficiuntur fisci: sed nulla est lex, quæ illi, sic priuato dominio suorum bonorum, concedat possessionem aut vsum eorum: ergo sub reatu lethalis culpæ tenetur tradere illa fisco, cuius sunt. Consequentiam probat, quoniam retinere alienum, eoq; vt inuito domino, peccatum lethale est ex suo genere.

5 *Maior probatur. 1.*

Deinde probat maiorem. Primo *ex cap. cum secundum leges de hæreticis libr. 6.* quo in loco bona hæreticorum ipso iure decernuntur confiscata, tametsi præcipiatur, ne fiat executio confiscationis, antequam feratur sententia de crimine per iudicem Ecclesiasticum: si autem commisso crimine hæreticus ante latam sententiam maneret dominus eorum bonorum, sane bona illa non essent ipso iure confiscata, sed confiscanda per sententiam criminis declaratoriam. Confirmatur hæc ratio. Primo, quia bona hæreticorum esse ipso iure confiscata, non est aliud, quam potestate solius iuris, seu legis, nulla expectata iudicis sententia, esse confiscata. Secundo, quia quando ipso iure, aut ipso facto imponitur pœna excommunicationis pro aliquo delicto, statim commisso crimine incurritur excomunicatio absque alia iudicis sententia, vt communis sententia Doctorum affirmat, & obseruat praxis ac vsus Ecclesiæ: ergo idem erit quando bona ipso iure confiscantur.

6 *Secunda.*

Secundo probat eandem maiorem *ex eodem capite cum secundum leges*, in cuius initio dicitur, contrahentes incestas nuptias secundum leges ciuiles, eo ipso perdere dominium rerum suarum, & deferentes species illicitas, vt arma, ferrum, &c. ad Sarracenos, eo ipso earundem specierum, & rerum proprietate priuari, & fisco rerum & specierum dictarum proprietatem acquiri: idem vero est de hæretico: quoniam bona ipso iure confiscari, & dominium eorum ipso iure amitti, pro eodem in eo capite reputantur. Quod si quis respondeat, vt respondere solent autores contrariæ sententiæ, hæreticum retinere quidem dominium suorum ante latam sententiam, in hoc tamen sensu à puncto cõmissi criminis illud amisisse, quod lata sententia retrotrahitur effectus condemnationis ad punctum commissi criminis, ita vt virtute sententiæ priuetur dominio bonorum, quæ ab illo puncto habuit, argumentatur contra hoc Alfonsus à Castro. Quoniam, quod per diuinam potentiam esse non potest, fieri nequit per iudicis sententiam: sed diuina potentia fieri non potest, vt hæreticus, postquam fuit dominus suorum bonorum vsque ad latam sententiam, toto eo tempore dominus illorum non fuerit: eo quod id sit concedere potentiam ad præteritum: ergo neque sententia iudicis id efficere potest.

7 *Tertio.*

Tertio, si hæreticus dominus esset suorum bonorum ante latam sententiam, posset ea vendere, donare, aliisq; titulis in dominiũ & potestatem alterius trãsferre: quippe cum hi sint effectus veri dominij, quando quis lege aliqua prohibitus non est id efficere, vt prohibitus est pupillus: sed nulla alienatio facta per hæreticum à puncto commissi criminis vsq; ad latam sententiã est valida, quin potius omnes, lata sententia, rescinduntur ac pronunciantur nullæ: cum ergo aduersarij nullam legem possint ostendere, qua hæretico sit concessum alienare bona ante latam sententiam: consequens est, vt à puncto commissi delicti dominium eorum amiserit.

8 *Quarto.*

Quarto, si hæreticus ante latam sententiam retineret dominium suorum bonorum, illo ante eandem sententiam defuncto, sane filius Catholicus ei succedens compararet dominium eorundem bonorum: vnde sequeretur, si postquam ita successit constaret de crimine defuncti, de eoq; damnaretur, filium nõ posse spoliari bonis illius: eo quod nullus puniatur amissione bonorum, quorũ est dominus, ob culpã & peccatum alterius: consequẽs autem est contra *c. accusatus. §. in eo vero. de hær. l. 6. & contra. c. 2. de præscr. c. 2.* ergo hæreticus defunctus à puncto commissi ciminis amisit dominium suorum bonorum.

9 *Minor probatur.*

Deinde probat minorem eiusdem primi argumenti, quoniam si aliqua esset lex, quæ hæretico ante latam sententiam concederet possessionem ac vsum bonorum, quorum amisit dominium, maxime esset *c. cum secundum leges citatũ*, quatenus postquam statuit bona hæreticorum esse ipso iure cõfiscata, addidit: *confiscationis tamen huiusmodi executio, seu bonorum occupatio, fieri non debet per principes & alios dominos temporales ante promulgatam sententiam de crimine per personam ecclesiasticam ad id habentem potestatem: neq; n.* inquit Castrus, *aliam legem aduersarij ostẽ-*

ostendunt: caput autem illud non concedere hæreticis vsum & possessionem eorum bonorum in foro conscientiæ, ex eo probat, quoniam hæc consecutio nulla est; fiscus, dominive temporales prohibentur exequi confiscationem, & occupare bona hæretici ante latam sententiam, ergo hæretico ante eandem sententiam conceditur retentio & possessio eorum: plurima namq; sunt, in quibus prohibetur quis accipere, quod sibi est debitum: & tamen, quid possidet, tenetur statim illud ei restituere: vt, qui aliquid vendidit minus iusto pretio infimo, nisi defraudatus sit vltra dimidium iusti pretij, petere non potest in iudicio id, in quo est defraudatus, cum tamen, qui eum defraudauit, teneatur illud ei statim restituere, multaque alia sunt similia: *cum ergo*, inquit, *ex eo quod fiscus eo in capite exequi prohibeatur confiscationem ante latã sententiam, nequaquam sequatur concessum esse hæretico licite ea retinere, ostensumque sit eum teneri statim illa reddere, nisi possessio & retentio lege aliqua sit concessa: consequens est, vt laboriter peccet ea retinendo*: Adde, inquit, *esto eo in capite concessum esset hæreticis retinere sua bona ante promulgationem sententiæ, neque tamen ibi, neque alibi idẽ concessa esse aliis delinquentibus quib. bona sunt ipso iure confiscata, vt patrantibus crimen læsæ Maiestatis humanæ, cudentibus falsam monetam, incidentibus in crimen nefandum in hoc Lusitaniæ regno, & in regno Castellæ, & aliis similibus*. Neque argumento à simili potest permissio illa extendi ad alios, præsertim quãdo leges ad diuersos spectant legislatores, quo pacto caput cum secundum leges, spectat ad summũ Pontificem, & leges statuentes pœnam confiscationis delinquentibus commemoratis, spectant ad principes seculares in iis, quæ potestati Summi Pontificis minime subduntur.

10 *Eandem partem affirmantes probant Secundo.*

Secundo probat Castrus suam sententiam, quoniam hæreticus statim post sententiam iudicis Ecclesiastici declaratoriam criminis tenetur tradere omnia bona sua fisco, nulla expectata vlteriori sententia, qua condemnetur pœna amissionis bonorum propter tale crimen: ergo etiam statim commisso crimine, ante vllam illius declaratoriam sententiam, tenetur idem efficere. *Antecedens*, inquit, *aduersarii omnes concedunt, præter vnum Caietanum, qui arbitratus est, vt hæreticus teneatur tradere fisco bona sua, vltra sententiam criminis declaratoriam, necessarium esse adiudicari pœnam, quæ tamen sententia facile, inquit, impugnatur ex c. cum secundum leges citato, vbi ad confiscationis executionem & occupationem bonorum, non dicitur, necessarium esse promulgari prius sententiam per iudicem Ecclesiasticum de pœna, sed de crimine solum, nihilque aliud expectandum præcipitur*. Consequentiam vero probat, quoniam declaratoria sententia solum est necessaria, vt constet de crimine: vnde quando crimen est adeo notorium, vt nulla possit ergiuersatione celari, potest fiscus statim occupare bona delinquentis, nulla omnino expectata sententia, vt Dominicus, & Fel. affirmant: sed hæretico magis constat de suo crimine statim ac illud cõmisit, quam sibi & aliis constet per sententiam iudicis declaratoriam, quippe cum euidentiam habeat se illud commisisse: sententiæ vero multis rationibus possit subesse falsum: ergo quicquid sit de foro exteriori, tenetur hæreticus in foro conscientiæ statim commisso crimine tradere bona omnia sua fisco cuius ea sunt.

11 *Tertio.*

Tertio, si fiscus conscius Petrum in hæresim incidisse euidentia, quæ nulla posset ergiuersatione celari, eripere ab eo bona ante sententiam declaratoriam crimmis, licet peccaret transgrediendo præceptum Ecclesiæ, capite cum secundum leges, ne bona ante sententiam criminis declaratoriã occupentur, non tamen teneretur restituere ea hæretico: ergo hæreticus tenebatur tũc ea fisco tradere. Consequentiam probat, quoniam fieri nequit, vt

A rés, quæ non est pluribus communis iuste possit ab vnoquoq; eorum pro eodem temporis puncto possideri: quare vel hæreticus ante latam sententiam tenebatur ea fisco tradere, vel fiscus tenetur ea, ita accepta, restituere hæretico. Antecedens vero probat *ex l. quod à quoquam ff. de regulis*, cuius hæc sunt verba: *Quod à quoquam pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur*: cum ergo fiscus bona illa eripuerit ab hæretico in pœnam iustam delicti: consequens est, vt eadem illi nequaquam restituere teneatur. *Neque satisfaceret*, inquit, *qui diceret, regulam illam intelligendam esse, non in conscientia sed in exteriori foro*. Tum quia eodem modo dici posset *c. cum secundum leges*, dum prohibet confiscatio-

B nis executionem ante latam sententiam, intelligendum esse solum in foro exteriori: quandoquidem nulla potest reddi verisimilis ratio, quare potius textus vnus, quam alius, intelligi debeat solum in foro exteriori. Tum etiam, quia Decius & Io. Ferrarius ad eandem regulam affirmant, intelligendam eam esse in foro conscientiæ, & Innoc. *ad c. ex ratione de appellationibus* asseuerat, si pœnæ executio fieret sine sententia, validam esse: quod dictum cõmendat Bald. *cap. 1. de feudo sine culpa non amittendo*.

Quarto, si fiscus euidenter sciret Petrum inci- 12
C disse in hæresim, neque haberet testes, quibus id *Quarto,* posset probare vt ferretur sententia condemnatoria, sane posset secreto occupare quæcunque bona illius in compensationem iustam bonorum, quę se inuito detinet: ergo hæreticus in foro conscientiæ tenetur illa ei tradere. Consequentia ex eo est manifesta, quod nunquam liceat facere compensationem propria autoritate, nisi quando is cuius sunt bona, quæ occupantur, tradere tenetur in conscientia, quod compensatur. Antecedens vero probatur, quoniam nunquam aliquis amittit ius propter defectum probationis, vt constat ex l. duo sunt. ff. de testamentaria tutela, consentitque communis iurisperitorum & Theologorum sententia, dum affirmant, posse vnumquemque cessante scandalo, dicere sibi ius, quando sibi deficit perspicui sui iuris probatio.

Postremo, hæreticus ante latam sententiam ne- 13
que titulo dominij veri aut præsumpti possidet ea *Quinto,*
D bona, neque legis aut iudicis autoritate, neque nomine, aut voluntate domini, cuius effecta sunt ea bona: cum ergo non sint alij modi, quibus res aliqua iuste possideri possit: consequens est, vt iniuste ea bona possideat, & per consequens, vt ante latam sententiam restituere ea teneatur.

Contrariam sententiam, nempe hæreticum & 14
quemcunque alium delinquentem, cui bona ipso *Pars negat vera.*
iure sunt confiscata, non teneri ea tradere fisco ante latam sententiam, quin potius posse tuta conscientia ea in perpetuum retinere, & transmittere ad posteros, si nunquam feratur sententia: affirmant Adrian. *quodlib. 6. quæstio. 1.* Caietan. *2. 2. quæstio. 61. articul. 3. & in summa verb. pœna* Victoria *in relectione de Indis insulanis part. 1. numer. 7.* Sotus *1. de iustitia & iure. quæstio. 6. articul. 6.* Couarr. *in Epitome ad 4. decret.*
E *cap. 6. §. 8. num. 10.* Nauar. *in Manuali capit. 23. num. 66* Archid. *cap. felicis, de pœnis libr. 6.* Syluester *verb. hæresis 1. quæstio. 8. & verb. Assassinus, quæstio. 5.* Iacob. Simancas *in institutionibus titul. 9. à numer. 157.* & est communis hodie inter Theologos & iurisperitos.

Probatur primo, quoniam lex humana, iuxta Isidorum (id quod etiam recta ratio, lumenque naturæ docent) vt sit iusta, esse debet tolerabilis, hominumq; imbecillitati accomodata: talis autem non esset, quæ delinquentem obligaret per seipsum exequi tam acerbam, & difficilem pœnam, qualis est, vt seipsum quis omnibus suis bonis euerteret, eaq; traderet fisco, quin potius esset moraliter loquendo obseruatu impossibilis, & absq; emolumento illaquearet

quearat hominum conscientias, multumq; difficilem redderet resipiscentiam occulti hæretici à sua hæresi: ergo credendum non est eam fuisse mentem cuiusquam legislatoris, maxime Ecclesiastici; præsertim cum vsus, qui optimus est legum humanarum interpres, contrarium habeat. Neq; desunt Doctores graues ex iis, quos citauimus, qui non immerito asseuerent, esto ea fuisset mês legislatorum non obligare in foro conscientiæ : eo quod potestas eorum solum se extendat ad condendas leges æquas, hominumq; imbecillitati tolerabiles.

16 Secundo, quoniam in re graui, & quando bonum, in quo quis debet puniri, à legislatore non pender (quod dico propter bona secundi generis in principio huius disputationis commemorata) æquitas non patitur, vt quisquam, antequam audiatur, damnetur poterunt namque multa interuenire, quæ adeo delictum extenuent, vt prudentis arbitrio delinquens puniendus non sit toto legis rigore : quæ tamen omnia non potest lex prospicere, & circa ea prouidere : quædam etiam poterunt interuenire, quæ suadeant augendam esse pœnam legis vnde, iuxta varia iura, communemque Doctorum sententiam, quam Couar. 2. var. resolut. cap. 4. refert ac sequitur, ad iudicem spectat legis pœnam ex proprio iudicio iuxta circumstantias concurrentes interdum augere, & interdum moderari : atque hac de causa legis sententia in eiusmodi pœnis, iuxta iuris ipsius dispositionem, vim non habet, nisi per Iudicem (qui, ad legis differentiam, iustum animatum ab Aristotele. 5 Ethicor. 4. appellatur) cognita prius causa, expensisque circumstantiis omnibus concurrentibus reo sit applicata: quo fit, vt iudicis sententia non solum inseruiat, vt de crimine & pœna à lege statuta innotescat, sed etiam, vt vniuersalis sententia per particularem iudicis hic & nunc applicata, aut etiam per virtutem Epicheiæ, iuxta circumstantias omnes concurrentes, moderata vel aucta comparatione huius vel illius vim effectumque suum sortiatur. Est ergo sententia iudicis conditio sine qua pœna à legibus, de quibus loquimur, statuta, nõ ita à transgressoribus est debita, quasi per ipsosmet sit executioni mandanda, idque non solum quando in lege pœnali non apponuntur verba illa, ipso iure, aut ipso facto; in quo omnes conueniunt, sed etiam quando apponuntur. Illa namque appositio non fit ad eum finem, vt exclusa iudicis sententia pœna executioni mandetur, sed additur ad subiiciendum pœnæ bona omnia, quæ à tempore commissi delicti pertinent ad delinquentem, nec non fructus omnes eorum, atque ad ea vi talis legis ita afficiẽda, vt à tempore commissi delicti comparet fiscus, aut quicunque alius, cui lege applicantur, ius in re ad acerbiorem delicti & delinquentis pœnam, ita vt, ad quemcunque transierint prædicta bona, obligata sint fisco, non secus ac si in potestate essent delinquentis. Vnde eiusmodi pœna apponi non solet, nisi in atrocioribus delictis, & quæ in perniciem publicam vergunt.

17 Tertio, quoniam æquitas non patitur, vt in eiusmodi causis idem simul sit iudex, actor, reus, testis, atque executor pœnæ : hæc namque omnia, iuris dispositione, diuersa esse, & solent, & debent: neque iudex secundum priuatam suam scientiam, sed secundum allegata, & probata debet iudicare : si autem hæreticus, etiam quando est occultus, teneretur ante latam sententiam offerre pœnam confiscationis suorum bonorum fisco, ipse simul iudex, actor, testis, & executor aduersum semetipsum existeret : non est ergo contraria sententia cum æquitate, iurisque dispositione consentiens.

Quarto. Neque hæreticus, qui absque vllo teste protulit hæresim, tenetur ante latam sententiam offerre bona sua fisco, neque item is, qui coram testibus in hæresim incidit : ergo nullus ad id tenetur. Consequentia patet. Prior vero pars antecedentis ex eo est manifestá, quod neque Inquisitores ipsi ita illum punirent, si resipiscens se illis manifestaret: quare rationi non est consentaneum existimare, resipiscentem teneri tam acriter in seipsum animaduertere. Posterior autem ex eo probatur, quod cum testes solum sint necessarii ad telam iudicij, & vt sententia secundum allegata & probata feratur : gratis quis diceret, necessarios esse testes, vt hæreticus teneretur offerre bona sua fisco, & negaret necessariam esse sententiam. 18

B Quinto, hæreticus occultus non posset seipsum punire, tradendo omnia bona sua fisco, nisi seipsum proderet ac infamaret : præsertim si vir esset dives : vbi primum namque bona traderet, ex paupertate agnosceretur deliquisse : Chrysostomus autem *capite. quis aliquando de pœnitentia. distinctione prima* ait. *Non dico vt te prodas.* Castrus. 2. *de leg. pœnal. capite decimoquinto, conclus.* 4. cum Panorm. affirmat, hunc etiam teneri tradere bona sua fisco, & *capit.* 11. conatur satisfacere argumento: at profecto non satisfacit omni ex parte. 19

Sexto *ex capit. cum secundum leges citato*, vbi sententia manifeste exigitur, vt occupari possint bona à fisco tanquam sua, nedum vt delinquens ipse ea offerre teneatur. 20

C Licet autem hæreticus, aut quicunque alius, qui in crimen incidit, cui est pœna amissionis bonorum ipso iure statuta, non teneatur bona sua tradere ante latam sententiam : lata tamen sententia, retroagitur confiscatio à tempore commissi delicti, ita vt bona omnia, quæ à commisso delicto illius fuerunt, ad quemcunque quocunque titulo deuenerint, pertinent ad fiscum, etiamsi hæreticus post suam mortem damnetur. Atque hac de causa rescinduntur omnes donationes, legata, venditiones, & quicunque alij contractus, etiam causa dotis, ab eiusmodi delinquentibus à tempore commissi delicti facta, vt pote nullius momenti ad effectum, vt fiscus non occupet ea omnia bona. Neque fiscus tenetur soluere pretium, quod hæreticus in commutationem pro his bonis accepit, nisi forte pretium, aut aliquid loco pretij, in bonis defuncti fuerit repertum : tunc enim solus valor, qui fuerit repertus est, reddendus. Ita cum directorio inquisitorum affirmant Couarruuias *in Epit. capite sexto, §. octauo, numero nono*, & Doctores communiter. Quando etiam alienatio facta ab eiusmodi delinquente esset ex causa necessaria, qualis esset, si facta esset pro alimentis comparandis, licita esset & valida, neque fiscus repetere posset rem ita alienatam, vt Couarruuias *loco citato*, & alij, quos refert, recte affirmant. Debita, quæ eiusmodi delinquens ante delictum contraxisset, teneretur fiscus soluere, *iuxta. l. non possunt. ff. de iure fisci*, cuius hæc sunt verba : *Non possunt vlla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superfutura sunt.* Id enim bonorum cuiusque intelligitur, quod ære alieno deducto supereſt. Secus autem esset de eis debitis, quæ post delictum contraxisset, nisi simili modo inter bona defuncti reperiretur eorum valor, vt Couarruuias *ibidem* ait. Quæ dicta sunt de retroactione confiscationis à tempore commissi delicti, & annullatione alienationum à delinquentibus post delictum commissum effectarum, sunt communi Doctorum sententia, vsuque ipso recepta, *iuxta normam directorii Inquisitorum libro tertio, titulo nono*, eaque intendunt *capit. Cum secundum leges citatum*. 21

tum, & alia iura, quiæ pœnam amissionis bonorum ipso facto pro derelicto aliquo statuunt. Item *l. Manichæos. C. de hæreticis* facultatem donandi, emendi, vendendi, testandi; quosuisque alios contractus celebrandi abstulit ab hæreticis. Eademque auferuntur incidentibus in crimen læsæ maiestatis humanæ, *l. vltima. C. ad l. Iuliam maiestatis*. Ratio vero horum omnium hæc est, quoniam, vt dictum est, quando pœna confiscationis ipso iure erat statuta, statim commisso crimine comparat fiscus ius in re circa bona omnia delinquentis, eaque de causa ad quemcunque transeant, transeunt cum eo onere & obligatione reali, quam contractus, aliave alienatio facta à delinquente, aut à quouis alio nequit impedire · sicut neque ius hypothecæ impeditur ex eo, quod res hypothecæ subiecta alienetur, neque is cui subiecta est talis hppotheca, soluere tenetur pretium, quo eam comparauit is, ad cuius potestatem deuenit, quando ex ea soluendum est debitum, in defectum aliorum bonorum præcipui debitoris.

22 *Dubium.* Dubium vero est, vtrum eiusmodi delinquentes retineant dominium suorum bonorum à tempore commissi delicti vsque ad latam sententiam. Doctores communiter negant, etiam ii, qui arbitrantur, eos non teneri offerre bona sua fisco, idque sonare videntur aliqua iura. Contrarium tamen affirmant Archidiaco. *capit. Cum secundum leges citato*, Victor. *in relectio. de Indo. parte prima, numero decimoquarto*, Iacobus Simancus *titulo nono, citato à numero.* 228. & quidam alij, eos videlicet retinere dominium suorum bonorum. Et hæc sententia nobis placet, cui etiam non repugnat Sot. *loco citato*. Confirmari autem potest *ex l. quæsitum est. ff. qui & à quibus*, vbi habetur, eum; qui maiestatis crimine reus factus est, ante damnationem dominum esse suorum bonorum. Licet enim fiscus, vi legis statuentis pœnam confiscationis ipso iure, statim commisso crimine comparet ius in re in bona omnia delinquentis, illaq; ita maneant fisco obligata, vt alienationes factæ per delinquentem sint inualidæ: nihilominus quemadmodum deliquens vi talis legis non aliter censetur amisisse bona sua ante latam sententiam, quam in debito: & sub conditione si feratur sententia, ita neque dicitur amisisse eorum dominium, nisi in debito, & sub eadem conditione. Quare, non simpliciter, sed secundum quid, dicendus est amisisse dominium, comparasseque illud fiscum. Et in hoc sensu accipienda sunt iura, quæ contrarium innuunt: neque aliud voluisse videntur plerique ex Doctoribus contrariæ sententiæ.

23 Ex dictis licet colligere, nonnulla cum Victor. *loco citato numero decimoquinto*. Primum est eiusmodi delinquentes, licite posse viuere de bonis suis, suamque alere familiam. Ita est communiter receptum idque præter Victoriam, affirmant Bartol. *l. post. ff. de donat.* Syluester. *verb. hæres. 1. quæstio 8.* Sotus *loco citato, conclusio. 4.* Et plerique alij.

24 Secundum est, titulo gratioso licite posse transferre bona sua in alios, vt vltima voluntate, & inter viuos donando, ac mutuo dando, modo ne donent in fisci fraudem, aut intelligant ex repentina repetitione horum bonorum per fiscum, si crimen fuerit detectum, probabiliter imminere iacturam aliquam donatariis aut mutuatariis, quæ scilicet in eosdem redundare possit ratione damni alicuius emergentis, præter solutionem eorum, quæ acceperunt: quod raro admodum continget. Simili modo possunt licite locare aliis res suas. Probantur hæc omnia quoniam eiusmodi delinquentes ante latam sententiam non priuantur iusto vsu rerum suarum: hæc autem omnia ad iustum earum vsum pertinent. Neque inde immineat detrimentum aliquod iis, quibus eiusmodi titulis conferuntur: quandoquidem, nisi crimen detegatur, nihil reddere teneantur; si vero detegatur, solum teneantur reddere quod superfit ex iis, quæ acceperunt, aut id in quo inde facti fuerunt locupletiores.

25 Tertium est, titulo oneroso, vt vendendo, permutando, tradendo in dotem, &c. præterquam ex causa necessaria, iuxta ea, quæ cum Couarr. supra dicta sunt, nefas illis esset tradere aliis bona sua, quando periculum est, crimen eorum damnandum aliquando esse in iudicio, bonaque eorum esse confiscanda. Probatur, quoniam licet ante latam sententiam, neque eo vsu suorum bonorum sint priuati: quia tamen decipiunt eos, cum quibus tales contractus celebrant, exponuntque generos periculo amittendi dotes vxorum, & emptores amittendi rem & pretium, lethaliter peccant Quando vero nullum esset periculum, quod fiscus bona eorum eriperet, aut ii, qui cum illis tales contractus celebrant, intelligerent periculum, cui se exponunt, non peccarent eos contractus celebrando. Vnde publici hæretici, qui hodie sunt in Septentrionalibus regionibus, non peccant eiusmodi contractus, etiam cum Catholicis, celebrando. Possumusque hinc sumere argumentum contra opinionem Castri, quod iuxta illius sententiam, quicunque emerent aliquid ab eiusmodi hæreticis, tenerentur illud tradere fisco, cui ante latam sententiam esset debitum: id vero esset illaqueare, periculoque exponere hominum conscientias.

26 *Ad primum contraria sententia.* Ad primum ergo argumentum Castri neganda est maior: non enim illud amittit, nisi secundum quid, & in debito, ac sub conditione, si feratur sententia, vt ostensum est.

27 *Ad primi probationem maioris.* Ad primam probationem dicendum in primis est, bona hæreticorum decerni ipso iure confiscata, non excludere expectandam esse sententiam, vt confiscatio executioni licite mandetur, vt ita eodem textu subiungitur, atque adeo vt hæreticus teneatur ea tradere fisco. Dicendum est deinde, bona hæreticorum statim commisso crimine decerni ipso iure confiscata, non aliud significare, quam decerni ipso iure fisco obligata, ita vt, lata sententia, retroagatur confiscatio à die commissi delicti propter ius in re, quod vi talis legis fiscus in omnia bona hæretici à commisso delicto comparauit, vt ostensum est: id autem non tollit, quin & hæreticus dominus maneat horum bonorum, & expectanda sit sententia, vt confiscatio executioni mandetur. Atque hinc patet solutio ad primam confirmationem: non enim ille est sensus eorum verborum, sed qui proxime est explicatus. Ad secundam vero, concesso antecedente, neganda est consequentia: dispar quippe est ratio de pœna bonorum, quibus excommunicati priuantur, & de pœna bonorum propriorum, quæ amittunt hæretici, vt dictum est, & subiungetur disputatione sequenti.

28 *Ad secundam.* Ad secundam probationem eiusdem maioris iam ostensum est, illud caput non esse intelligendum de amissione dominij & proprietatis simpliciter, sed secundum quid, & in debito, ac sub conditione si feratur sententia. Ad id vero, quod subiungit Castrus, licet non pugnet cum hac nostra expositione data, dicendum est: Neminem affirmare, ita retrotrahi confiscationem per sententiam, quasi sententia efficiat, vt hæreticus amiserit dominium à tempore commissi delicti, quod esset concedere ad præteritum potentiam: sed ita, vt bona omnia, quæ hæreticus possedit, & quorum habuit

buit dominium, à tempore commissi delicti debeantur fisco lata sententia, sub cuiuscunque potestate ea fuerint. idque propter ius in re, quod fiscus in ea omnia à puncto commissi delicti comparauit.

29 *Ad tertiũ* Ad tertiam neganda est sequela, siquid amplius, aut aliter quam supra explicatum est, intelligatur. Sicut enim qui bona maioratus possidet, licet veras sit eorum dominus, donare tamen aut quouis alio modo alienare ea non potest, eo quod obligata sint certis quibusdam successoribus: sic etiam hæreticus, cum eo ipso, quod crimen committit, fiscus comparet ius in re in omnia illius bona, nequit ea in fisci præiudicium alienare: eaque ratione, lata sententia cassantur alienationes omnes ab eo in fisci præiudicium factæ.

30 *Ad quartũ.* Ad quartam concedenda est prima sequela: sed neganda est secunda: Cum enim fiscus, antequam bona illa ad filium transirent, comparasset ius in re in ea ob delictum partis, vtique transierunt cum eo onere & obligatione comparatione fisci: eaque de causa, damnato patre, eripiuntur de potestate filij, aut cuiusuis alterius, ad quem transissent, eo modo quo eriperentur de potestate delinquentis, nisi forte cum ignorantia quod fuissent bona dominis hæretici pertransissent, eademque fide possessa essent quadraginta annorum spatio: tunc enim eo ipso præscriberentur, vt habetur *capit. 2. de præscript. libr. 6.* dictumque est supra dum de præscriptionibus erat sermo. Quod si bona illa pertransissent ad filium, ante delictum patris: tunc, quia filius comparasset dominium eorum antequam contraherent obligationem comparatione fisci, nequaquam ad fiscum pertinerent, sed haberet locum, quod ad probationem secundæ sequelæ in eo argumento adducitur: eaque de causa non confiscantur dotes traditæ filiabus ante delictum patris.

33 *Ad probationem minoris.* Ad probationem minoris eiusdem primi argumenti non opus est respondeamus: quandoquidem nos non dicimus, eiusmodi delinquentes amittere simpliciter dominium suorum bonorum ante latam sententiam, vt opus sit quasi dispensatione & concessione legis, vt illa licite retineant, eisque vtantur. Qui vero concedunt eos amittere dominium earum rerum, ægre sane argumento respondent, tametsi satisfacere illi conentur.

23 *Ad secundũ argumentum.* Ad secundum principale argumentum dicendum est in primis, nunquam per iudicem Ecclesiasticum proferri sententiam criminis declaratoriam, quin simul pronuncietur, hæreticum incurrisse pœnas omnes iuris, & adiungatur relaxa ri brachio seculari, si is de numero eorum sit, qui brachio seculari sint relaxandi. Deinde simpliciter negandum est antecedens: vt enim *disputatione 66.* cum Couarru. dictum est, neque post sententiam condemnantem pœna confiscationis tenentur delinquens, aut eius successores, offerre bona fisco, nedum post solam sententiam criminis declaratoriam, sed expectare possunt, vt bona ab eis exigantur, mandeturque sententia executioni, quam ipsi aduersus seipsos exequi non tenentur. Imo vero præscribere possunt ea bona post sententiam condemnantem ad pœnam, si tanto tempore non petantur, quantum ad ea præscribendum est necessarium, vt disputatione citata dictum est. Ad probatinem vero antecedentis negandum est, omnes, præter vnum Caietanum, id concedere. Quod autem adducitur *ex capit. Cum secundum leges*, id non probat. Licet enim præcipiatur, vt potestates seculares non prius procedant ad executionem confiscationis, quam iudex Ecclesiasticus pronuncier sententiam criminis declaratoriam: inde tamen non sequitur, hæreticum teneri statim post eam sententiam exequi per seipsum confiscationem, offerreque bona sua fisco: quin potius expectare poterit, tum sententiam condemnantem ad pœnam, tum etiam, vt illa executioni mandetur, petanturque ea bona. Id etiam, quod Castrus in probationem consequentiæ assumit, nempe *sententiam solum ipsi mercatori vt constet de crimine*, falsum est. Vt enim supra ostendimus, necessarium etiam est, vt per iudicem, tanquam per causam particularem, pœna vniuersalis legis hic & nunc applicetur, vt suum effectum sortiatur. Quare licet euidentia patrati sceleris non indigeat clamore accusantis, vt Augustin. *capit. euidentia extra de accusationibus* ait: vt tamen *Glossa vltim.* & scribentes ibi communiter notant, sententia iudicis semper est necessaria.

31 *Ad tertium.* Ad tertium negandum est antecedens. Cum enim hæreticus vere sit dominus, iusteque possideat sua bona ante latam sententiam, vt ostensum est: sane, qui ea ab illo eriperet alia ratione, quam vt autoritate publica essent in depositu ad securitatem vsque ad latam sententiam, raptor esset, aut fur, teneretur que illa eidem ipsi restituere. Ad probationem vero dicendum est, regulam illam in foro etiam conscientiæ intelligendam esse: sensum tamen illius esse, quod à quoquam pœnæ nomine exactum est, sed iuxta ordinem iuris, atque adeo post latam sententiam, id eidem restituere nemo cogitur. Est enim regula illa statuta aduersus quosdam, qui satis pueriliter existimabant, nihil nomine pœnæ, saltua conscientia, accipi posse. Quod autem regula illa eo pacto sit intelligenda, vel inde perspicuum est, quod si priuata persona aliquid in pœnam, alioquin iustam, ob culpam aduersus se commissam propria autoritate vsurparet, procul dubio teneretur illud restituere, nisi prius ei adiudicaretur. Innocentius autem & Baldus *locis citatis* non aliud voluerunt; quam merum executorem sententiæ ab alio latæ posse executionem ad effectum perducere, quin admittat exceptiones aduersus sententiam latam, sententiæque discussionem, vt eos legenti facile patebit, hoc autem nihil ad rem, de qua disputamus.

34 *Ad quartũ.* Ad quartum negandum est antecedens. Ad probationem vero dicendum, ea, quæ assumuntur vera esse, quando bona de quibus agitur, pertinent ad eum, cui deest probatio, absque vlla dependentia à conditione aliqua nondum impleta: secus autem quando is solum habet ius dependenter à conditione nondum impleta, vt in re proposita accidit. Bona quippe hæretici non pertinent ad fiscum, nisi dependenter ex eo, quod feratur sententia, tanquam à conditione, sine qua neque hæreticus tenetur ea tradere, neque fiscus potest ea sibi vsurpare, vt ostensum est. Ac sane, si hoc argumentum & præcedens vim aliquam haberet, idem prorsus esset dicendum, esto lex pœnalis non statueret pœnam ipso iure aut ipso facto, vt expendenti vtrumque argumentum erit manifestum. Castrus autem nequaquam concederet, fiscum, aut quemuis alium, vsurpare posse pœnam in his euentibus ante latam sententiam.

35 *Ad quintũ* 36 Ad quintum dicendum est, possidere titulo dominij, legitimæque possessionis lege permissæ.

Duo sunt hoc loco obseruanda. Vnum est, si eiusmodi delinquentes, legitime interrogati in iudicio, quia videlicet erat aduersus eos semiplena probatio, crimen negarent: tunc, quia iniuste essent causa, ne pœna adiudicaretur fisco, qui ad illam ha-

bebat ius in re, ſane tenerentur illam reſtituere ſiſco ex hoc alio capite, quod fuerint iniuſta cauſa, ne fiſcus illam conſequeretur, cui alioquin erat debita. Ita Sotus 1. *de iuſtitia quæſtio. 6. articul. 6. ante quintam concluſionem.* Atque in hoc euentu, ſi fiſco conſtaret crimen, pro quo ea pœna eſt ſtatuta, ab eis fuiſſe commiſſum, poſſet facere occultam compenſationem modo ſcandalum ceſſaret, neque alia via obtinere poſſet, quod ſibi eo pacto deberetur. Idéque ſentiendum eſſet, eſto pœna ipſo iure ſtatuta non foret; quandoquidem delinquens qui crimen ſemiprobatum negaret, eſſet cauſa iniuſta, ne fiſcus obtineret bona in ordine, ad quæ habebat ius ad rem, ſimul ac crimen patratum eſt.

37 Alterum vero eſt, nos non negare, poſſe ſtatui pœnam bonorum propriorum delinquentis quæ ante latam ſententiam debeatur, quando ad id non B eſt neceſſe, vt executio fiat per ipſum delinquentem, ſed per alium, in cuius poteſtate ea bona ſunt. Tunc enim quia ceſſat grauamen illud & difficultas maxima, vt delinquens pœnam exequatur, aduerſus ſeipſum nemine eam exigente, neque forte conſcio ipſum ad eam teneri, ſtatui poſſunt ſimiles pœnæ, reque ipſa aliquæ ſtatutæ ſunt. Talis eſt illa à Bonif. 8. & Gregor. 13. ſtatuta, cuius meminimus *diſputatione 92.* Nempe, vt quod acceptum eſt pro gratia, aut iuſtitia à Sede Apoſtolica obtinenda, teneatur accipiens reſtituere pauperibus antequam ab excommunicatione abſoluatur: cum tamen plerumque dominium pertineat ad eum, qui dedit, vt ibidem dictum eſt, qui punitur, vt, nulla C expectata ſentétia, illud amittat in pœnam iuſtam, quod male illud dederit. Tales etiam ſunt paucæ aliæ, de quibus in progreſſu huius operis erit ſermo. Non etiam negamus, de plenitudine poteſtatis legislatorum, poſſe eos interdum ſtatuere pœnas aliquas leues, quæ debeantur nulla expectata ſententia, & quas exequi teneantur tranſgreſſores ipſi legum. Id tamen raro admodum eſt faciendum, aut forte nunquam. Neque præſumendum vnquam eſt, eam eſſe voluntatem legislatorum, niſi id apertiſſime aliunde conſtet, quam ex verbis illis, ipſo iure, aut ipſo facto. Denique non negamus, teneri delinquentem exequi pœnam poſt condemnationem, ſi iudicis ſententia contineatur, vt per ſe eam exequatur, vt ſi iudex præcipiat, vt in pœnã ſoluat tantum vel tantum, quod aliquando iudi- D ces efficiunt, ſed ſolum dicimus, quando duntaxat damnatur aliquis ad pœnam; vel amiſſionis bonorum, vel partis eorum, neque pronunciatur, vt ipſe id exequatur, vt ordinarie præcipi non ſolet, expectare poſſe, quouſque pœna ab eo exigatur. Ita Nauar. *in Manual. c. 23. nu. 66.* & Couar. *in Epit. parte 2. c. 6. §. 8. num. 10.*

SVMMARIVM.

1 *In bonis non propriis pœnas amiſſionis aut priuationis eorum, quæ in conſcientia & exteriori foro ipſo facto nulla expectata iudicis ſententia, vim habeant, ſtatui poſſe.*

2 *Idem obtinet in pœnis excommunicationis, ſuſpenſionis interdicti, irregularitatis.*

3 *Lex quæ aliquem reddit incapacem ſiue in pœnam, ſiue quauis alia de cauſa, vim etiam habet in foro conſcientiæ nulla expectata ſententia.*

4 *Ius humanum non habere vim impediendi effectum ſacramenti, quando adſunt cætera ad illum neceſſaria.*

5 *Ad pœnam amiſſionis beneficii ipſo iure aut ipſo facto an neceſſaria iudicis ſententia.*

6 *Pœnam inhabilitatis ad beneficia & officia obtinenda* A *excipiendam per epicheiam à regula nnm. 3. tradita.*

7 *Quando pœna amiſſionis beneficij ipſo iure eſt ſtatuta operatur, vt cum fuerit lata ſententia, delinquens nõ ſolum priuetur beneficio, ſed etiam fructibus à die commiſſi delicti perceptis. Idem de fruct. quorumcunque aliorum bonorum.*

8 *Quod beneficia ante ſententiam ipſo iu re vel facto non amittantur, magis in officiis obtinere.*

9 *Quando quis ipſo iure ob crimen priuatus eſt iure eligendi aut ſuffragium ferendi, non habet effectum, niſi lata ſententia.*

10 *Idem in collega aut municipe transgrediente legem excludentem à collegio aut municipio ipſo iure, niſi aliud aperte de mente ſtatuentis conſtet.*

11 *Donatum aut relictum vxori vel alicui alteri ſub conditione, ſi caſtitatem vouerat, aliaque ſimilia: tunc non ſeruata conditione, ſtatim in foro conſcientiæ tenetur reſtituere, nulla expectata ſententia.*

POENAE BONORVM, QVAE PROpria non ſunt delinquentium, quouſque vim habeant, nulla expectata ſententia.

DISPVTATIO 96.

QVod ad bona attinet poſterioris generis diſputatione præcedente commemorata, dubitandum non eſt, poteſtatem eſſe tum in eis, qui de illis vt propriis diſponunt, tum etiam in diſpenſatoribus, & adminiſtratoribus bonorum ac munerum ſpiritualium, quales ſunt poteſtates Eccleſiaſticæ, & munerum Reipublicæ ſecularis, vt ſunt Principes ſeculares, ſtatuendi pœnas amiſſionis aut priuationis eorum, quæ in conſcientia & exteriori foro ipſo facto, nulla iudicis expectata ſententia, vim habeant. Cum enim eiuſmodi bona propria non ſint eorum, quibus conferuntur, illisue participant, ſane concedi, aut permitti poſſunt cum conditionibus, quas voluerint ij quorum ſunt propria, aut quas communi bono expedire iudicauerint ij, quibus diſpenſatio & adminiſtratio eorum, Chriſti, aut Reipublicæ ſecularis loco, incumbit. 1

Vt vero à ſpiritualibus ordiamur, conſentiunt Doctores omnes, ex ipſoque Eccleſiæ vſu & praxi eſt manifeſtum, pœnas excommunicationis ſuſpenſionis, & interdicti, nulla expectata iudicis ſententia incurri, commiſſo crimine pro quo ſunt impoſitæ, quando ipſo iure, aut ipſo facto, aliisue æquipollentibus verbis ſunt impoſitæ. Irregularitas etiam, quia eſt impedimentum canonicum ad ſacros ordines ſuſcipiendos, aut etiam ad illorum actus exercendos, ſiue in pœnam alicuius delicti, ſiue abſque culpa, legitima aliqua de cauſa ſit ſtatuta, nulla expectata iudicis ſententia incurritur. Vt E enim probe notat Couar. *regul peccatum parte 2. §. 8. num. 6. & in Epitom. ad 4. decret. parte 2. cap. 6. §. 8 nu. 16. & capit. 8. §. 5. num. 8.* quando lege aliqua efficitur aliquis incapax rei alicuius, ſiue in pœnam, ſiue quauis alia de cauſa, vim illud habet, etiam in foro conſcientiæ, nullaque expectata ſententia, eaque de cauſa ſpurius in foro conſcientiæ ſuccedere nequit in bonis parentis, illorumve dominium comparare. Obſerua tamen, quod quia ius humanum vim non habet ad impediendum effectũ ſacramenti, quando adſunt cetera ad illum neceſſaria, inde eſt, quod licet irregularis in hoc ſenſu in capax ſit ad ſacros ordines ſuſcipiendos, quod 2 3 4 5 6

peccet

peccet illos suscipiendo, vere tamen illos suscipiat, quando & in Episcopo est animus illos conferendi, & in irregulari eos suscipiendi.

5 Quod attinet ad pœnam amissionis beneficij ipso iure aut ipso facto, quæ passim habetur in iure, quamuis Nauar. *in Manual. cap. 23. num. 67.* innuere videatur, necessariam non esse iudicis sententiam, vt delinquens relinquere teneatur beneficium: mihi tamen probabilius est contrarium cum Soto *1. de Iustit. quæstio. 6. articul. 6. præsertim ad vltim.* Idem innuit Couarr. *in Epitom. parte. 2. capit. 6. §. 8. num. 8. verfit. his accedit.* Imo & Nauar. ipse idem affirmat *in opusculo de datis & promissu pro Iustit. Coroll. 31. num. 41.* vbi vult, pœnam illam priuationis ipso iure omnis beneficij & officij Ecclesiastici ac secularis, & inhabilitatis ad illa omnia beneficia & officia, & quæcumque alia obtinenda, à Gregor. 13. statutam *in extrauagante dispu tat. 92.* relata, non deberi ante latam sententiam: tum propter eius pœnæ maximam acerbitatem, & quod ad terrorem, & exaggerationem videatur ita statuta: tum etiam quia pœnæ graues, quæ executionem exigunt ipsius delinquentis, vt esset relinquere beneficium, aut officium iam obtentum, non debentur ante latam sententiam, esto statutę sint ipso iure, aut ipso facto Id tamen, in beneficiis præsertim Ecclesiasticis, intelligendum est, quando non subiungitur aliud verbum, vnde constet mentem Summi Pontificis esse, vt amittantur nulla expectata sententia, quale videtur esse illud Pauli 2. *in extrauagant.* Ambitiose: *Clericus, qui bona Ecclesiæ alienauerit, ipso facto priuatus existat beneficiorum Ecclesiasticorum, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur.* Porro ex hac extrauagante, nostra confirmatur sententia, vt Sotus loco citato recte annotauit. Etenim dum ad acerbitatem pœnæ, & vt Ecclesiastici plus abstinerent à rebus Ecclesiæ alienandis, addidit Summus Pontifex, vt in hoc euentu nulla esset necessaria declaratoria sententia, sane manifeste innuit, quod, nisi id addidisset, nequaquam id operaretur verbum illud, ipso facto, quod præmiserat.

6 Duo obserua. Primum est, pœnam illam inhabilitatis ad beneficia & officia obtinenda, quoniam & acerba admodum est, & permixtim apposita cum aliis, quæ vim non habent ante latam sententiam, excipiendam esse per Epicheiam ab illa regula, quam ex Couarruuia paulo ante retulimus.

7 Secundum vero est, quando pœna amissionis beneficij ipso iure est statuta, id operari, vt cum fuerit lata sententia, delinquens non solum priuetur beneficio, sed etiam fructibus à die commissi delicti perceptis, vt Couar. *in Epito. parte. 2. cap. 6. §. 8. numer. 7. & 8.* cum aliis, quos refert, adnotauit. Idem est de fructibus quorumcunque aliorum bonorum, quæ ipso iure commisso aliquo delicto amittuntur, vt Couar. *ibidem*, Conrad. *de contract. quæst. 7. conclus. 3.* Sylvest. *verb. pœna. q. 25.* & alij adnotarunt.

8 Quod dictum est de pœna amissionis beneficiorum ipso facto statuta, longe maiori cum ratione affirmandum est, de pœnis amissionis officiorum ipso iure, aut ipso facto statutis, nempe, eiusmodi officia ante latam sententiam non amitti, nisi verbum aliud à legislatore addatur, vnde luce clarius constet, mentem ipsius esse, vt absque vlla sententia, commisso crimine, amittantur. De nullo namque legislatore præsumendum est, voluisse illaqueare conscientias suorum subditorum, eos solius legis vi obligando ad executionem talis pœnæ. Quæ dicta sunt *disputatione 87.* non solum consentanea his sunt, sed et iam ea confirmant.

Idem dicendum est, quando quis ipso iure ob crimen aliquod priuatus est iure eligendi, aut iure suffragium ferendi, vt scholastici ob ambitum in cathedris: nisi enim sententia sequatur, eligere possunt, suffragiumque ferre, idque habet consuetudo vniuersitatum, & affirmat Sotus *loco citato.*

De collega, aut municipe, transgrediente legem excludentem à Collegio, aut municipio ipso iure aut ipso facto, dicendum similiter est cum Nauar. *in Manual. c. 23. n. 63.* non teneri relinquere Collegium aut municipium ante latam sententiam, nisi aliunde aperte constet, mentem institutoris Collegii fuisse, vt nulla expectata sententia Collegium amitteret. Eiusmodi namque leges instar legum iuris communis exponendæ sunt, quando contrarium non constat de mente eorum, qui statuta suorum Collegiorum condiderunt. Idemque sæpe valet in eiusmodi statutis verbum, ipso facto, quod ob tale factum.

Quando vero aliquis donasset, aut reliquisset aliquid vxori, vel alicui alteri, sub conditione, si castitatem seruaret, aut sub alia simili conditione, tunc non seruata conditione, statim in foro conscientiæ teneretur illud restituere, nulla expectata sententia. Ratio hæc est, quoniam illud non est pœna, sed donatio, legatum, aut institutio hæredis sub conditione, qua non existente, vim omnino non habet. Ita Nauar. *in Manua. cap. 23. num. 62. & 67.* Sotus *loco citato disp. 4.* Couar. *in Epit. part. 2. c. 6. §. 8. num. 17.* Panorm. & alij, quos referunt.

SVMMARIVM.

1 *Pœnæ conuentionales, item ea, quæ à iudicibus litigantibus aut fideiussoribus imponuntur, qualiter iure Lusitaniæ taxatæ sunt.*

2 *Eodem iure pœna conuentionalis mutuo vel debito quantitatis adiecta cum præsumatur vsura palliata exigi non potest, sed loco illius lucrum cessans & damnum emergens peti potest.*

3 *Quando pœna in huiusmodi contractibus statuta reuera vsuraria non fuit, quia constat, mente eius qui illam imposuit non fuisse vsurariam: Vtrum debitor qui tempore constituto non soluat, tunc pœnam soluere teneatur.*

4 *Qui reditus ad se pertinentes vel alia sua bona aliis locant, possunt, iure Lusit. conductoribus pœnas conuentionales imponere, si ipsi locatores negotiari non consueuerunt, aut ad vsuram dare.*

5 *Pœna ob turpem causam imposita, aut ob contractum ex natura rei illicitum vel iure positiuo nullum, neque exigi neque accipi potest: si tamen cõtractus talis fit vt confirmatus iuramẽto esse possit validus, tũc si celebretur eo pacto quo est validus, exigi & accipi potest pœna.*

6 *Si is qui aliquid totum dare promisit, partem tantum præstat quatenus pœnæ conuentionali subiiciatur.*

7 *Quando obligatio diuidua & quando indiuidua censeatur.*

8 *Qui pœnam conuentionlem incurrit, non tenetur illam offerre sed tuta conscientia potest etiam non soluere si non petatur.*

9 *Cui debetur pœna conuentionalis tuta conscientia potest illam exigere.*

POENÆ CONVENTIONALES quousque debeantur.

DISPVTATIO 97.

ALiquid etiam dicendum est de pœnis conuentionalibus, sic nuncupatis, quoniam, qui cele-

ce lebrant contractus mutua conuentione ad eas, se soleant interdum astringere, nisi contractibus stecerint, idque ad maiorem eorum securitatem.

1 De iure huius Lusitaniæ Regni pœna conuentionalis non potest excedere valorem rei ob quam præstandam imponitur. Si autem illum excedat, inualida est quoad excessum. Quod si imponatur multiplicata, ita vt si intra talem diē tale quippiam non fiat, soluatur tantum, si vero vlterius intra mensem non fiat, soluatur aliquid aliud, &c. tota pœna simul sumpta excedere non debet eundem valorem, alioquin inualida similiter est quoad excessum. Idem dicendum est de pœnis, quæ ab aliquibus iudicibus imponuntur interdum litigantibus, aut fideiussoribus, nisi aliquid effecerint. Ita habetur 4. *libr. Ordinat. titul.* 44. *in princip.*

2 Præterea, si pœna conuentionalis imposita, aut promissa sit, in contractu mutui, aut in quouis alio, in quo debitor sub illa astringatur soluere certam quantitatem pecuniæ, auri, argenti, vini, tritici, olei, aut cuiusuis alterius rei, quæ in pondere, numero, aut mensura soluitur: tunc esto resilla tempore constituto non soluatur, nec exigi, nec accipi potest talis pœna: quoniam præsumitur vsura palliata. Poterunt nihilominus creditores petere & accipere damna ipsis subsecuta, & lucra, quæ amiserunt ex eo, quod res tempore constituto non fuerint solutæ. Ita habetur loco citato.

3 Dubium vero est, vtrum quando pœna in eiusmodi contractibus statuta reuera vsuraria non fuit, quia constat mentem eius, qui illam imposuit, non fuisse vsurariam, vtrum, inquam, tunc si debitor tempore constituto non soluat, in conscientiæ foro incidat in eam pœnam, ita vt, si à creditore exigatur; tenetur eam soluere. Et quidem, secluſa lege. Lusitana, consentaneè ad Panorm. *c. suam, de pœn.* Innocentium, & alios, dicendum est, teneri. Idem dicerem posita lege Lusitana: quoniam, vt in ea satis innuitur, fundatur in vsuræ præsumptione: quando autem lex fundatur in præsumptione, constatq; de contrario eius, quod lex præsumit, non est illi standum in foro conscientiæ. Imo neq; in exteriori, si in eo idem constet, saltem ex confessione eius, qui legis præsidio vti vult.

Dubium.

4 Qui reditus ad se pertinentes, vel alia sua bona aliis locant, imponere possunt conductoribus pœnam conuentionalem, nisi tempore constituto soluant. Modo tamen locatores eiusmodi homines non sint, qui negotiari cum pecunia soleant, neque eam tradere consueuerint ad vsuram. Ita habetur *titulo citato.*

5 Quando pœna ob turpem imponitur causam, aut ob contractum ex natura rei illicitum, vel iure positiuo nullum, nec exigi, neque accipi potest ea pœna. Si tamen contractus esset talis, vt confirmatus iuramento esset validus, tunc si celebretur eo pacto quo est validus, exigi & accipi potest pœna impositа. Ita habetur *ibidem. §. pen. & vlt.* Idem est de iure communi iuxta varia iura & communem opinionem, quæ Couar. *capite quamuis pactum. part.* 2. §. 4. *nu.* 4. refert.

6 Siquis sub certa pœna dare promisit aliquid totum, nec tamen reddidit nisi partem: tunc, si obligatio erat diuidua, quam iurisperiti vocant, vt si promisit se daturum duas vestes confectas tali die, quarum quæuis sine alia instituto inseruit, nec reddidit nisi vnam, tenetur soluere partem pœnæ dumtaxat, iuxta proportionem eius, quod dedit, ad rem totam, quam promisit, hoc est, dimidium pœnæ in exemplo proposito. Si vero obligatio erat indiuidua, vt si promisit dare vnam vestem confectam, & partem confecit, sed vestem non absoluit: tenetur soluere integram pœnam. Ita Panor. *cap. suam. citato. nu.* 5. Angel. *verb. pœnæ, §.* 14. Syluest. *ibidem. q.* 19. iuxta notata per Bart. & alios, *l. stipulationes diuiduntur. ff. de verb. oblig.* Ea vero traditur regula ad cognoscendum quando obligatio diuidua sit, & quando indiuidua, vt si solutio partis afferat commoditatem comparatione partis, sicut solutio totius, comparatione totius, obligatio sit diuidua: si vero commoditatem non afferat, sit indiuidua.

7 *Regula quando obligatio diuidua. & quando indiuidua.*

Qui pœnam incurrit conuentionalem, non tenetur illam offerre, sed tuta conscientia potest eam non soluere, si non petatur. Si tamen petatur ab eo, cui debetur, tenetur in foro conscientiæ eam illi soluere absque vlla contradictione, nullaq; expectata iudicis sententia. Ita Couar. *in epit. part. 2. c. 6. §. 8. n.* 12. Nauar. *in Manual. c.* 23. *nu.* 67. *in postrema editione* & multi alij, quos citant, idq; habet consuetudo. Is vero, cui debetur, tuta conscientia potest illam exigere & accipere, vt communis sententia affirmat.

8

9

DE BELLO CVR HOC LOCO dicendum.

DISPVTAT. 98.

D. Thom. 2. 2. quæst. 40.

VT sit expleta disputatio de acquisitione & amissione dominij in pœnam, postulat doctrinæ ordo, vt dicamus de acquisitione & amissione dominij iure belli: cum perspicuum sit, homines dominio suarum rerum iure belli spoliari, maximaq; ex parte id in pœnam iustam solere fieri: tametsi naturali ac gentium iure aliquid amplius liceat in bello, quam iustam ab aduersariis pœnam exigere. Id tamen quod amplius licet, hoc commune habet cum acquisitione & amissione dominij in pœnam, quod iure belli semper dominium comparatur contra voluntatem eius, qui illud amittit. De quo modo acquisitionis & amissionis dominij nunc, antequam ad vltimas voluntates, & contractus accedamus, disputandum erit.

Porrò licet bellum iniustum cum charitate quadam ex parte pugnet, eaq; de causa de eo differuerit. D. Thom. *in materia de charitate. q.* 40. *huius* 2. 2. multo tamen magis cum iustitia pugnat, & tam iustum, quam iniustum bellum, ex principiis iustitiæ longe maiori ex parte, quam ex principiis charitatis, expendendum examinandumque est. Quo circa ad hunc potius locum, quam ad materiam de charitate spectat disputare de bello: longeq; plures sunt, qui in materia de iustitia, quam qui vna cum charitate de eo differant.

SVMMARIVM.

1 *Error Anthonij Viccleffii, & aliorum, qui bella damnant.*
2 *Prædicti erroris prætensa probatio.*
3 *Non solum fas esse Christianis seruatis conditionibus in seqq. relatis bella gerere, sed id aliquando melius esse, quam à bello desistere, poteritq; esse euentus, in quo culpa lethalis sit, non bellare.*
4 *Prima pars conclus. variè probatur num.* 5. 6. 8.
7 *Quod non solum bellum defensiuum, sed præterea offensiuum permittatur.*
9 *Lutheri fundamentum euertitur.*

10 *Secunda & tertia pars conclu. probatur.*
11 *Resp. ad testimonia in contrarium adducta.*

VTRVM BELLVM LICITVM SIT aliquando.

DISPVTATIO 99.

1 *Error damnantium bella.*

ANte omnia examinandum est, an bellum aliquando sit licitum. Error Manichæorum fuit, vt constat ex August. 22. *contra Faustum a c.* 74. bellum esse illicitum. Ea vero de causa Moysem reprehendunt, quod bella gesserit. VVicleffus etiam, vt refert, & ex sacris literis ac Patribus impugnat VVualdensis *de sacramentalibus c.* 169. bella, vsumque armorum dānare videtur vniuersim Lutherus, vt *art.* 34. refert, refellitq; Roffensis, damnauit prælia Christianorum aduersus Turcas, dicens, esse repugnare Deo visitanti iniquitates, nostras per illos. Eum tamen errorem nunquam Germanis persuadere potuit. Alij ex Lutheranis referente Castro aduersus hæreses *verbo bellum hæresi prima* videlicet OEcolampadius, & Cornelius Agrippa *in libro de vanitate scientiar.* ea bella damnant, quę Christiani contra Christianos exercent, asserentes esse contra doctrinam Euangelicam. Erasmus *in annotationib. ad* 3. *& 22. c. Lucæ, & Chiliade.* 4. *centuria.* 1. *adagio.* 1. parū distat ab hoc errore. Erasmum referunt & impugnant Ioan. Arboreus. 2. *Theosophiæ c.* 14. & Sixtus Senensis *lib.* 6. *Biblioth annotatio.* 156.

B *Lutheri error.*

Eius fundamentum

2 *Vnde probant.*

Hos errores conantur suadere Erasmus, & alij ex Lutheranis, ex illo Matth. 5. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Et ego dico vobis, non resistere malo.* Et c. 26. *Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et ad Rom. 12. *Non vos defendetes charissimi, sed date locum iræ.*

3 *Conclus.*

Statuenda nihilominus est hæc conclusio. Non solum fas est Christianis bella gerere, seruatis conditionibus, de quibus in sequentibus, sed etiam aliquando melius id est, quam contrarium. Poteritque esse euentus, in quo culpa lethalis sit, non bellare.

Prima pars communis fuit semper in Ecclesia. Eam affirmat Augustinus 22. *contra Faustum. à capit.* 74. *vsque ad* 79. & refertur *cap. quid culpatur*, 23. *quæst.* 1. *Epist. ducentesima quinta ad Bonifacium*, & refertur *cap. Noli existimare, eadem causa & quæstione. De verbo Domini, tract.* 9. & refertur *cap. militare. eadem causa & quæst. lib.* 6. *quæstion. qui est in Iesum Naue, quæst.* 10. & refertur 23. *quæst.* 2. *cap. Dominus*, & 19. *de Ciuitate. cap.* 12. Isidorus 18. *Etymol. cap.* 1. & refertur 23. *quæst.* 2. *cap.* 1. Gregor. *lib.* 12. *Epistol. Epist.* 24. & refertur 23. *quæst.* 1. *cap. vlt.* Ambrosius 1. *Officiorum cap.* 33. 35. 40. *& libro* 3. *cap.* 14. *& Epist. sexagesima quinta ad Syagrium*, Bernardus *serm. ad milites templi*, & alij. Affirmareque bellum vniuersim esse illicitum, errorsane est in fide.

4

Probatur 1. pars conclusionis 1. ex illo Ioannis Baptistæ *Luc.* 3. Interrogantibus namque militibus. *Quid faciemus & nos?* respondit. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris.* In quæ verba Augusti. *Epist.* 5. *ad Marcellinum* ait. *Si Christiana disciplina bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abiicerent arma, seque militia omnino subtraherent. Dictum est autem eis, neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiant vobis stipendia vestra: quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit.* Et 22. contra Faustum cap. 74. *Alioquin*, inquit Ioannes, *cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes. Et nos quid faciemus: respondet eis. Arma abiicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarū, sed salutis publicæ defensores: respondit eis, neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Addit August. *Sed quia Manichæi Ioannem aperte blasphemare consueuerunt, ipsum dominum Iesum Christum audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dixit debere sufficere militi. Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & Deo, quæ Dei sunt.* Ad *hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessariò militi stipendium præbeatur.*

A

C

D

E

5

Secundo, bellum licitum fuit in lege naturæ, vt constat ex pugna illa Abrahami, *Genes.* 14. cum quatuor illis regibus ante vllam legem scriptam: cui reuerenti benedixit Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei altissimi, dicens, *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt*: licitum etiam fuit bellum in lege scripta, vt ex Moyse, Iosue, Samsone, Gedeone, Dauide, Machabæis, & denique ex tota scriptura veteris testamenti est manifestum, nonnullaque eorum præcepit Deus, vt bellum Saulis contra Amalechitas: quin & Paulus *ad Hebræos* 11. commendans nonnullos eorum, qui in lege scripta bella gesserunt, ait. *Sancti per fidem vicerunt regna*: ergo bellum non est contra legem naturæ; sed Christus Dominus in Euangelio ea solum prohibuit, quę erant contra legem naturæ, eaque ratione lex Euangelica, lex libertatis appellatur: ergo Christianis fas est bellare.

6

Tertio, licitum est regibus stringere gladium aduersus malefactores, & seditiosos suæ Reipublicæ, vt constat ex illo ad Romanos 13. *Non sine causa gladium portat: minister Dei est vindex ad iram ei, qui male agit*: ergo licitum etiam erit eis stringere gladium aduersus hostes externos in defensionem ac protectionem suorum subditorum: pauperem à potente eripiendo, & egenum de manu peccatoris liberando, iuxta

7

præceptum *Psalmi octuagesimi primi*, idque non solum bello defensiuo vim vi repellendo, quod naturali iure cuique licet. vt *l. vim vi. ff. de iustit. & iure* legimus scriptum, sed etiam bello offensiuo, & res ablatas repetendo, damna resarciendo, & iniurias suis illatas vindicando: alioquin misera sane esset conditio cuiusque Reipublicæ, quæ infestaretur ab hostibus, si nullo existente communi superiore in terris, qui vindicare posset iniurias eidem Reipublicæ illatas, fas solum esset se defendere inimicos arcendo, neque vlterius belli iura prosequi posset, illatas iniurias vindicando. Semper namque Respublica maneret læsa, malique audaciores fierent ad iniurias inferendas, & nūquā esset pax & securitas in Republica, quę authore Augustino *in epist. ad Bonifacium*, & habetur *c. Noli.* 23. *q.* 1. finis esse debet iusti belli. Adde, neque orbem in statu felici posse ea ratione consistere: esset namque innocentium iniqua conditio, si de iniuriis à tyrannis, & raptoribus, & latronibus sibi illatis per Rempublicam sumere iustam vindictam & recompensationem non possent. Vnde merito Augustinus *lib.* 6. *quæstionum* 10. *quæstione*, & habetur *cap. Dominus*, 23. *quæstio* 2. dixit, *Bella iusta definiri solere, quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda sit, quæ vel vindicare neglexit, quod à suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.* Isidorus *capite* 1. *eiusdem quæstionis*: *Iustum*, ait, *esse bellum, quod ex edicto geritur, de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa.*

Quarto

8 Quarto probatur exemplo sanctissimorum hominum, non solum in veteri testamento, vt Iosue, Dauidis, Machabæorum, & aliorum, qui bella offensiua intulerunt, sed etiam in nouo. Christo enim placuit Centurio, cuius puerum sanauit: de quo Augustinus 22. *contra Faustum, cap. 74.* ait, *Merito, & illius centurionis dicentis, & ego homo, sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alii veni, & venit, & seruo meo fac hoc, & facit: fidem laudauit, non illius militiæ desertionem imperauit.* Christo item placuit ille alius Centurio *Actorum 10.* cuius *orationes & eleemosynæ ascenderunt in memoriã in conspectu Dei.* Martinus etiam adhuc miles, item q̃ Sebastianus, & multi alii milites, qui martyrio coronati sunt, Christo placuerunt. Constantinus præterea, Theodosius, aliique Christianissimi Imperatores, consilio pontificum sanctissimorum, vt Syluestri, & Ambrosij bella gesserunt, & eorum nonnulli diuinitus in præliis adiuti sunt. Quin & hodie, dum Imperatores à Summo Pontifice coronantur, gladius sanctus eis traditur ad Ecclesiæ & fidelium defensionem, vt olim 2. *Machab. c. 15.* à sancto Ieremia Iudæ Machabæo datus est.

Quod si bellum aduersus quoscunq; alios Reipublicæ hostes Christianis est licitum multo magis licitum est aduersus Turcas, cum quibus tot & tam iustas causas belli habent, quod Christianorum terras iniuste vsurpauerint ac retineant, quod tot strages in Christianos tam crudeliter exercuerint, grauissimasque eis iniurias intulerint, & quod fidem, Rempublicamque Christianam funditus euertere moliantur. Qua de causa nonnullorum conciliorum, plurimorumque summorum pontificum authoritate bellum aduersus Turcas decretum, atq; attentatumq; est. Merito ergo Lutheri error, inter alios eiusdem hæretici errores, à Leone X. in Bulla, quæ post Lateranense Concilium 3. *tomo conciliorum* habetur, damnatus fuit.

9 *Lutheri fundamentum euertitur.* Quod si Lutheri fundamentum alicuius esset ponderis ac momenti, sane neq; famis, pestis, aliorumq; morborum ac infortuniorum tempore, fas esset media quærere aduersus ea mala: cum nõ minus his malis visiret nos Deus, ac puniat iniquitates nostras, quam Turcarum bello. Deus autem ita eiusmodi incommodis castigat & corrigit peccata nostra, vt non modo non prohibeat, sed velit potius, imo & præcipiat quæri & adhiberi remedia ad illa propulsandum. Etenim qui fame, aut morbo laborans panem aut medicinam non sumeret cum posset ac speraret ea se ratione mortis periculum declinare posse, lethaliter peccaret, esto sterilitas & morbi in pœnam delictorum Deo permittente accidissent. Adde, sæpe hæc mala effectus esse negligentiæ & socordiæ nostræ, neque, quando ea adsunt, constare, an Deus velit nos ea via punire, & quousq; an potius velit cooperantibus nobis, nos liberare. Quo fit, vt hic Lutheri error deliramentũ sit ac stultitia, vel callida potius nequitia, qua singularis hic ferus, diabolo authore suadente, Domini vineam hac etiam ratione demoliri conatus

10 est.

Secunda vero, & tertia pars conclusionis ex eo facile probantur, quod cum pro Reipublicæ salute, etiam corporis vita exponenda sit, sane quando ad Reipublicæ salutem, non solum corporalem, sed etiam spiritualem fidei conseruationem, Christianæ religionis augmentum, ac ipsorummet inimicorum spirituale bonum, bellum iudicaretur necessarium, non solum melius esse illud inferre, quam contrarium: sed etiam tantũ interesse posset, tantaque esse posset spes victoriæ, vt apertissime esset lethalis culpa, à principe cui ex officio cura, defensio, ac compensatio iniuriarum Reipublicæ illatarum incumbit, bellum non moueri, non solum defensiuum, sed etiam offensiuum. Cumque subditi in Reipublicæ bonum principi teneantur parere, sane posset eis aliquando sub lethali culpa præcipere, vt ad bellum procederent.

11 *Ad testimonia in contrarium.* Ad testimonia in contrarium, præterquam ad illud *Matth. 26.* dicendum est, ea omnia pertinere ad consilium Euangelicum, quando contrarium in euentibus aliquibus particularibus non expedit magis bono communi, aut aliunde non iudicatur magis expedire. Vt enim Augustinus *in epist. 5. ad Marcellinum* adnotauit, & refertur *cap. paratus 23. q. 1.* Christus, percussus in vnam maxillam, non præbuit alteram, sed dixit, *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Expediebat namque bono communi, homines tunc intelligere, responsionem Christi, ob quam fuerat percussus, culpa vacasse. Paulus item *Acto. 23.* vt loco citato Augustinus etiam adnotauit, à summo Sacerdote percuti iussus, respondit: *Percutiat te Deus, paries dealbate, &c.* Agebat namque Paulus tunc partes fidei & Ecclesiæ, in fideique bonum, ac authoritatem suæ doctrinæ, expediebat loqui ea libertate: Præsertim cum iam, quemadmodum Synagogæ Ecclesia cessauerat: sic & summus Pontificatus. Eodemque modo, quando bellum bono communi expedire iudicatur, præsertim si ex officio quis illud in suorum bonum inferre teneatur, melius est illud inferre, quam ab eo abstinere, quin & aliquando sub lethali culpa tenebitur princeps illud inferre, vt ostensum est. Quo fit, vt non omnia bella, quæ in Ecclesia gesta sunt, cum consiliis pugnent Euangelicis. Præsertim cum reges, licet cedere possint iuri suo priuato, non tamen Reipublicæ sibi commissæ, suorumque subditorum.

Ad illud *Matthæi 26.* dicendum est, cum D. Augustin. *lib. 22. contra Faustum cap. 70.* verba illa: *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*: intelligenda esse de iis qui priuata, non vero, qui publica authoritate à Deo deriuata gladium aduersus malefactores accipiunt, de quorum numero sunt, qui bella iusta gerunt, in quibus locum habet illud *ad Roman. 13. Non sine causa gladium portat: minister enim Dei est, vindex ad iram.* Vnde Augustin. *22. contra Faustum c. 74.* de militibus, qui iussi authoritate publica militabant, ait: *Sed quia sciebat Ioannes eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis, &c.* Et c. 75. sequenti aperte innuit, principes, non priuata, sed publica authoritate à Deo deriuata, bella iusta gerere. Sensus itaq; illorum verborum Christi: *omnes enim, qui gladium acceperint, gladio peribunt*: hic est. Iuste namque statutum est, vt omnes, qui priuata sua authoritate gladium acceperint ac interfecerint, gladio pereant: eratque dictum illud vulgare in eo sensu in hominum ore. Quamuis autem Petrus tunc in Christi defensionem gladium exemerit: quia tamen absq; ipsius facultate, imo contra ipsius voluntatem id fecit, idcirco eum Christus dominus reprehendit. Nosse namque debebat Petrus, tam ex verbis præteritis Christi, quam ex facto, quo se vltro obtulit inimicis, voluntariam esse illam oblationem ad mortem. Atque hoc significant verba illa à Christo mox addita, *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* Eum etiam reprehendit, quoniam factum illud potius videbatur habere speciem vindictæ, quam defensionis. Contra tam magnam enim, & tam bene instructam

ſtructam armis hominum turbam, vana erat vnius Petri defenſio, ac nocumenti plus quam vtilitatis, allatura, vt quæ ad irritandos potius atque incendendos hoſtes in Chriſtum, quam ad eorum impetum ſuſtinendum, viresque infringendas pertineret. Atque hanc cauſam innuunt verba illa Chriſti: *An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?* Adde, fuiſſe etiam aduerſus miniſtros publicæ poteſtatis: decuit autem Chriſtum (tametſi illi iniquè agerent) Petrum in aliorum exemplum reprehendere, quod gladium aduerſus publicos miniſtros ſtringeret.

SVMMARIVM.

1 *Bello defenſiuo cuique cum moderamine inculpatæ tutelæ iniuriam propulſare licet.*
2 *Qualis authoritas ad iuſtitiam belli offenſiui requiratur.*
3 *Bellum inferri non poſſe abſque Imperatoris conſenſu, quomodo intelligendum.*
4 *Ratio, quare authoritas bellum inferendi reſideat in Principe, qui ſuperiorem non habet, & in Republica libera.*
5 *Quando non republicæ ipſa, ſed aliqui ex ſubditis damnum aut iniuriam alteri reipublicæ intulerunt, non poſſe rempublicam læſam prius inferre bellum, vindictamque ſumere de malefactoribus, quam admoneat rempublicam quorum ſunt ſubditi, vt eos puniat, damnaque reſarciat.*
6 *Si ſingulæ familiæ aut pagi ab inuicem ſint diuiſi, vt ſuperiorem non habeant, an liceat vni familiæ aut pago propria authoritate ſumere iuſtam vindictam & ſatisfactionem de iniuriis ac damnis, ab altera familia aut pago illatis.*
7 *Interpretatio illius: Mihi vindictam.*
8 *Ratio, quare magnates, qui ſuperiorem habent, & ciuitates, quæ partes ſunt integræ reipublicæ, ius non habent inferendi bellum propria authoritate.*
9 *Conſuetudinem præſcriptam ciuitatibus aut magnatibus, qui ſuperiorem agnoſcunt tribuere authoritatem belli indicendi.*
10 *Dubium, an id obtineat in Ducibus & Marchionibus Germaniæ.*
11 *Vnde colligendum, an magnates Italiæ & Germaniæ alteri ſint ſubiecti.*
12 *Neceſſitatem aliquando conferre authoritatem belli mouendi iis, qui alteri ſint ſubiecti.*
13 *Magnatem, qui ſuperiorem agnoſcit, poſſe pro quantitate iuriſdictionis, quam ad ſibi ſubditos puniendos habet, mouere bellum aduerſus ſuos rebelles iniquos intra limites effectuum, ad quos ſua iuriſdictio ſe extendit.*
14 *Si duæ integræ reſpublicæ aut regna habent commune, poſſe vnum aduerſus alterum mouere bellum abſque facultate communis Regis.*
15 *Quando perſona eccleſiaſtica ſupremum dominium temporale alicuius reipublicæ obtinet, ad eum ſpectare authoritatem mouendi bellum, ſiue per ſe ſiue per alium.*
16 *Quid in Summo Pontifice.*

DE AVTHORITATE AD BELLVM iuſtum neceſſaria, & in quo reſideat.

DISPVTAT IO 100.

AGendum deinde eſt de conditionibus neceſſariis, vt bellum iuſtum, licitumque ſit. Præ-

termiſſo autem bello defenſiuo, quod, vt ſuo loco dicendum eſt, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vim vi repellendo, cuique ad propulſandam iniuriam, quæ ei infertur, iure naturali licet: prima conditio neceſſaria, vt bellum offenſiuum iuſtum, licitumque ſit, eſt authoritas in inferente. *Prima bell. offenſiui conditio.*

Porro eiuſmodi authoritas eſt in principe, qui ſuperiorem in ſuo principatu non recognoſcit. Eademque ratione eſt in Republica libera, quæ ſuperiori non eſt ſubiecta, quales ſunt Venetorum, Genuenſium, & ſimiles aliæ Reſpublicæ. Alij vero domini temporales, qui ſuperiorem recognoſcunt, & quorum dominium pars eſt alicuius integri principatus, vt dux Brigantinus in hoc Luſitaniæ regno, Albanus in regno Caſtellæ, & alij ſimiles, nec non ciuitates, quæ partes ſunt alicuius integræ Reipublicæ, vt Olyſſipo, Toletum, & aliæ ſimiles, authoritatem non habent mouendi bellum offenſiuum abſque ſuorum principum facultate. Hac in re Doctores omnes conueniunt, D. Thom. & Caietan. 2. 2. *quæſt.* 40. *artic.* 1. Adrian. *de reſtit. quæſt. aggredior caſus ſpeciales.* Victor. *in relect. de iure belli à num.* 5. Couarru. *regu. peccatum, par.* 2. §. 9. *num.* 1. Caſtrus 2. *de iuſta hæreticorum punit. cap.* 14. Sotus *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *artic.* 5. *ad* 1. Gabriel. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 4. *art.* 1. Panormitanus *cap. Sicut* 3. *de iureiuran. a num.* 7. Bartol. *l. hoſtes. ff. de cap. & poſtli. nim. reuerſ.* & alij. Idem etiam affirmat Iſidor. *cap.* 1. 23. *quæſt.* 2. & Auguſtin. *cap. quid culpatur.* 23. *quæſt.* 1 dum ait: *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli authoritas atque conſilium penes principes ſit*: idem de Republica libera intelligens. Vt enim *diſput.* 23. & 26. oſtenſum eſt, authoritas, quæ eſt in principe aut rege, à Republica in eum deriuata eſt, eamque proinde retinet Reſpublica, quæ alio regiminis genere ſeipſam gubernat. 2

Illud obiter, antequam rationem reddamus eorum, quæ aſſerta ſunt, eſt obſeruandum. Cum iura quædam Cæſarea, vt *l. hoſtes. ff. de captiuis & poſtlim. reuerſ.* & *l. hoſtes, ff. de verborum ſignif.* docent, bellum inferri non poſſe abſque Imperatoris conſenſu, intelligendum id eſſe, de ſubditis Romani Imperij. vt tempore, quo iura illa condita fuêre, ſubdita erat pars magna orbis. Iam verò hodie pauciſſimæ prouinciæ illi ſubſunt: reliquæ autem, vt Hiſpanicæ omnes, Gallicæ, Italicæ, & pleræque aliæ, eo conſenſu non indigent. 3

Ratio quare authoritas bellum inferendi reſideat in principe, qui ſuperiorem non habet, & in Republica libera, reddita eſt diſputatione præcedente. Vnaquæque enim integra Reſpublica ſufficiens ſibi eſſe debet vt Ariſtot. 3. *Politicorum* docet, eaque de cauſa, propter rationes diſputatione præcedente redditas, ſtringere poteſt gladium, etiam in externos malefactores, repetendo, quæ iniuſtè à ſibi ſubditis abſtulerunt, & iniurias ſuis illatas vindicando: porro quæ authoritas eſt in Republica libera, eadem eſt in principe, quem ſibi in caput ſupremum elegit, in quem proinde ſuam tranſtulit poteſtatem: eadem quoque eſt in principe, qui belli iure legitimum Reipublicæ alicuius dominium comparauit. 4

Illud tamen obſeruandum eſt quando non Reſpublica ipſa, ſed aliqui de Republica damnum aut iniuriam alteri Reipublicæ intulerunt, Rempublicam, quæ in ſe aut in ſuis damnum aut iniuriam eſt paſſa, non poſſe prius inferre bellum, vindictamque ſumere de malefactoribus illis, quam admoneat Rempublicam, quorum ſunt ſubditi, vt eos puniat, cogatque reſarcire integrè damna illata. Vt enim Driedo *lib.* 2. *de libert. Chriſt. cap.* 6. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 40. *artic.* 1. Gabriel. *in* 4. *diſt.* 15. 5

quæst. 4. artic. 1. & alij recte adnotarunt, actor sequitur forum rei: eaque de causa princeps Reipublicæ, quæ damnum est passa, non aliter subit rationem iudicis comparatione illorum malefactorum, quam in defectum iudicis proprij ipsorum, qui eos puniat, & cogat resarcire damna. Quod si Respublica, quorum sunt subditi, admonita præstare non voluerit, quod tenetur: tunc non solum aduersus malefactores ipsos, sed etiam aduersus Rempublicam fas erit mouere bellum: eo quod in culpa sit, non puniendos suos subditos, & non cogendo illos resarcire damna, vt ex officio tenetur. Vnde Augustinus *lib. 6. quæstionum quæst. 10.* & refertur *capit. Dominus, 23. quæst. 2. Iusta*, inquit, *bella definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est.*

6 Dubium vero est hoc loco, vtrum si tam barbara sit aliqua natio, vt superiorem non habeat, sed singulæ duæ familiæ, aut duo pagi ita ab inuicem sint diuisi, vt communem non habeant superiorem, quod in Brasilica regione euenire videtur, fas sit vni familiæ, aut pago, propria authoritate sumere iustam vindictam & satisfactionem de iniuriis ac damnis ab altera familia aut pago illatis. Respondendum est, posse, vt innuere videtur Nauar. *cap. nouit. de iud. Coroll. 25. num. 94. & 95.* & apertius Gabriel. *in 4. dist. 15. quæst. 4. artic. 1.* & Angel. *verbo Bellum. §. 6.* dum docent, quando is, qui iniuriam intulit, superiorem non habet, à quo puniatur, posse eum, qui iniuriam est passus, propria authoritate repetere sua ab illo. Possumus vero nos hanc rationem reddere. Quoniam, posita ea barbarie, sane in vnaquaque familia, aut pago, militant rationes, propter quas dicimus authoritatem esse in vnaquaque Republica ad vindicandas iniurias suis ab externis illatas: quare concedenda etiam erit in eo euentu in vnaquaque familia aut
7 pago, ea authoritas comparatione malefactorum alterius pagi, aut familiæ. Licet ergo nullus priuatus, etiam tunc, sumere possit vindictam de iniuria sibi illata, eo quod facile vnusquisque in propria causa posset obcæcari, ideoque scriptum sit, *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus*: nihilominus petere illam potest authoritate capitis, quale in ea familia, aut pago reperitur: quod tamquam Dei minister publica, à Deoque proinde authoritate deriuata, illam exequatur.

8 Ratio, quare magnates, qui superiorem habent, & ciuitates, quæ partes sunt integræ Reipublicæ, ius non habent inferendi bellum propria authoritate, hæc est. Quoniam petere possunt iustam vindictam, & compensationem damnorum ac iniuriarum coram suo superiore, ad eumque spectat ius dicere ea in parte, quando is, qui iniuriam intulit, eidem superiori est subiectus: quare si propria authoritate bellum inferrent, vsurparent vtique ius sui superioris. Atque hac de causa *l. hostes, ff. de capt. & postlim. reuer. & l. hostes. ff. de verborum signif.* latrunculos & prædones appellant eos subditos Romani imperij, cui bellum propria authoritate inferunt. Quando autem is, qui iniuriam aut damnum intulisset, alienæ esset Reipublicæ, posset vel is, qui iniuriam accepit, vel Respublica, cuius hic est subditus, petere coram Republica, aut superiore alterius, vt malefactorem puniret, cogeretque resarcire damna: at vero quando bellum esset mouendum, eo quod talis Respublica, aut superior id præstare non vellet, non spectat ad particularem, qui iniuriam est passus, tale bellum mouere, perturbareque suam Rempublicam, sed ad Rempublicam & principem ipsum, cui totius Reipublicæ cura, protegereque ac vindicare suos A subditos ex officio incumbit; quare si bellum propria authoritate moueret, sane, in perniciem publicam, ius sui superioris, ac Reipublicæ vsurparet.

Victor. *in relect. de iure belli. num. 9.* consentaneę 9
ad Caietanum *2. 2, quæst. 40. art. 1.* obseruat. *Cum belli indicendi authoritas à iure humano agentium magna ex parte pendeat, consuetudinem præscriptam posse tribuere eam authoritatem ciuitatibus, aut magnatibus, qui superiorem agnoscunt.* Idem dicendum est de priuilegio à Principe concesso. Hac de causa Castrus *2. de iusta hæret. punit. cap. 14.* asseuerat in Italia Ducem Ferrariæ, Ducem Mantuæ, &c. Marchionem montis Ferrati, antiqua consuetudine obtinere authoritatem bellum indicendi. Quamuis Caietanus addat, intelligendum id esse, modo bona fide in
B tali possessione fuerint. Si namque eam authoritatem potentiæ magnitudine rebellando aduersus dominos obtinuerunt, à quibus coerceri non potuerunt, sane cum possessor malæ fidei nullo vnquam tempore præscribat, nefas erit propria authoritate bellum inferre.

De Ducibus, & Marchionibus Germaniæ dubitat Castrus, an eandem habeant authoritatem: quoniam, inquit, omnes subditi sunt Imperatori, à quo quiuis eorum potest puniri, si alteri iniuriam irroget: eiusque rei indicium esse dicit, Senatum publicum imperatoria authoritate in Germania suffultum, ad quem ex omnibus Germaniæ locis confugiunt, quotquot obtendunt à propriis dominis iniuste se esse damnatos. 10

Illud quoad magnates illos Italiæ, & Germaniæ 11
C dixerim, ex nominibus Ducum, aut Marchionum, quibus nuncupentur, nequaquam metiendum esse, an Respublicæ, quibus præsunt, alteri sint subiectæ, nec ne, sed ex regiminis modo. Quod si legitimo titulo nulli alteri parent, ius vtique habent indicendi bellum. Idem dicendum est, si, quamuis alteri pareant, vel legitima consuetudine, vel priuilegio ius habent bellum indicendi, quam rem, qui absentes sumus, commode definire non possumus.

Idem Victor. *loco citato* merito ait, necessitatem 12
posse aliquando conferre authoritatem belli mouendi ijs, qui alteri sunt subiecti. Si namque in eodem regno ciuitas vna alteram oppugnet, grauesque iniurias illi inferat, aut Dux vnus alteri Duci, Rexque requisitus negligeret, aut non auderet in-
D iurias illatas vindicare, posset ciuitas, aut Dux, qui iniuriam esset passus, non solum se defendere, sed etiam bellum inferre, & animaduertere in hostes, occidereque malefactores, quando ita necesse esset, vt ab iniuriis inferendis se continerent. Non tamen auderem facultatem hanc multum extendere.

Panorm. *cap. sicut, 3. de iureiurando*, quem multi 13
alij sequuntur, affirmat, magnatem, qui superiorem agnoscit, posse pro quantitate iurisdictionis, quam ad sibi subditos puniendos habet, mouere bellum aduersus suos rebelles & iniquos, intra limites effectuum, ad quos sua iurisdictio sese extendit. Id
E quod nulli potest esse dubium.

Petet aliquis, vtrum quando duæ integræ Respu- 14
blicæ, aut regna, vnum habent commune caput, vt hodie habent regna omnia Hispaniarum, possit vnum aduersus alterum mouere bellum absque facultate communis regis. Ex dictisque facile constat, non posse: eo quod tota authoritas vtriusque ad mouendum bellum sit penes communem principem. Excipitur, quando superueniisset ea necessitas, quæ de ciuitatibus aut magnatibus eiusdem regni paulo ante explicata est.

Illud superest admonendum cum communi Do- 15
ctorum sententia, quando persona Ecclesiastica supremum dominium temporale alicuius Reipubli-

cæ obti-

cæ obtinet ad eum spectare authoritatem mouendi bellum, siue illud per se siue per alium, iuxta ea
16 quæ inferius dicenda sunt, debeat exercere. Summus autem Pontifex, non solum tanquam princeps patrimonij Diui Petri, terrarumque in Ecclesiæ bonis contentarum, mouere potest bellum, non secus ac alij principes temporales, sed etiam, pro potestate, quam in omnes laicas potestates ad finem supernaturalem habet, poterit vel bellum mouere, vel facultatem illud mouendi aliis concedere, oblata iusta aliqua occasione ac causa, iuxta ea quæ *disp.* 29. dicta sunt.

SVMMARIVM.

1 *Quando bellum est iustum, quotquot ex expressa vel præsumpta voluntate, & illorum, de quibus disputatione præcedente dictum est, bellum mouent, aut ad illud cooperantur, legitime bellare censentur, siue sint de eadem siue de aliena republica, modo tamen nihil exerceant, nisi iuxta expressam aut præsumptam voluntatem supremi capitis, aut Ducum, qui à supremo capite bello præfecti sunt.*

2 *Vt intelligatur, quando ex eo capite consurgat, obligatio restituendi hostibus damnum, attendendus est finis denegationis authoritatis.*

3 *Quod si finis, ob quem authoritas denegatur, non est, ne damnum hostibus inferatur, sed solum, vt disciplina militaris seruetur, damnum illatum nequaquam restituendum.*

4 *Quando finis, ob quem denegatur authoritas bellandi, solum esset, ne hostes maiora damna Reipublicæ inferant, qui liceat damna eis illata restituere.*

5 *Vtrum captiui iniuste à Turcis detenti, restituere teneantur quæ ab illis accipiunt.*

6 *Cum ciuitates eidem principi subiectæ, aut alij, bellum iniuste ad inuicem mouent, ad quem spectet rem componere.*

7 *Quando sit tacita Regis, licet non expressa voluntas, vt aliquid fiat contra hostes.*

8 *Licet lethalis sit culpa, absque expressa Principis voluntate fit, bellum inferre, quando miles obedientiam non seruat in re non periculosa, non facile est culpæ lethalis inobedientiæ damnandus.*

VTRVM QVI SINE LEGITIMA authoritate bello, alioquin iuste, damnum dat, teneatur id restituere.

DISPVTATIO CI.

ANtequam ad alias conditiones accedamus, explicandum est, quantum peccent, & quousque restituere teneantur, qui sine conditione nunc explicata bellum exercerent.

Notandum autem est, quamuis prima & suprema authoritas, à qua omnis alia pendet, in ijs solum resideat, de quibus disputatione præcedente dictum est: quando tamen bellum est iustum, quotquot ex expressa, vel præsumpta illorum voluntate bellum mouent, aut ad illud cooperantur, legitima authoritate bellare, siue sint de eadem, siue de aliena Republica: modo tamen nihil exerceant, nisi iuxta expressam, aut præsumptam voluntatem supremi capitis, aut ducum, qui à supremo capite bello præfecti sunt. Quod si aliquid contra expressam, aut præsumptam eorum voluntatem, etiam dum sunt in ipso prælio, exerceant, vtique sine legi-

A tima authoritate id efficiunt, ac proinde peccant, plus vel minus, iuxta ea quæ dicenda dicenda sunt, interdumq; restituere tenebuntur damnum, quod dederint.

Vt vero intelligatur, quando ex eo capite consurgat obligatio restituendi hostibus damnum, 2
quod sine legitima authoritate datum sit, & quando non, attendendum est ad finem denegationis authoritatis. Si namque finis sit, ne hostibus nocumentum inferatur, aut non nisi vsque ad certos limites, quia id postulat æquitas, aut iustitia belli, vel pietas Christiana, præsertim quando bellum cum Christianis geritur: tunc sane quicquid damni, sine legitima authoritate datum fuerit, hostibus ipsis est restituendum. Exemplum habemus in exercitu, quem sub Albano duce anno 1580. Philippus
B Hispaniarum rex misit in Lusitaniam. Cum enim rex nulla ratione nocere intenderet, nec vellet, vt ius vllum belli, nisi, aduersus resistentes, exerceretur, & aduersus hos, nonnisi admodum moderate: quoniam & pietas regis, & res ipsa ita postulabat: sane quemadmodum milites acriter puniebantur, si damnum aliquod dedisse deprehendebantur, ita restituere tenentur, quodcunque damnum sua sponte in itinere dederunt. Cumque, dum prælium iuxta Olysiponem commissum est, Dux Albanus solum concesserit militibus deprædari suburbana, idque intra solos tres dies, sane milites, qui vel alibi, vel vltra id tempus, damnum quodcunque dederunt, tenentur id resarcire ijs ipsis, quibus datum est. Aut, si quemquam illorum ignorantia forte à culpa excusauit, restituere tenetur quantum inde factus fuerit locupletior.
C

Quod si finis, ob quem authoritas denegatur, 3
non est, ne damnum hostibus inferatur, quin potius duces, & princeps percuperent ne inferatur, sed solum est, vt disciplina militaris seruetur, & ne, dum imprudenter quis aliquid aggreditur, vel ipse, vel exercitus damnum recipiat, aut ne, dum aliqui prædas in hostes exercere volunt, illis assuefacti, piratæ aduersus suos euadant, aut alia simili de causa: tunc sane damnum, quod hostibus datum fuerit (vt quod Christiani Saracenis, aut Turcis eo pacto intulerint) nequaquam est illis restituendum. Quoniam licet expressa vel præsumpta principis voluntas sit, ne quis illos ita aggrediatur: simul tamen credendum omnino est præsumptam saltem illius voluntatem esse, ne damna ita data illis restituantur, quin potius sibi vnusquis-
D que reseruet, quod de illorum potestate extraxerit. Si tamen lex aliqua sit, quæ statuat, vt pars aliqua eorum, quæ ita vsurpantur, regi, aut alicui alteti soluatur, illa sola soluenda erit, vel obtinenda erit venia à rege, aut ab eo, *cui* debetur.

Illud autem animaduertendum est, quando fi- 4
nis, ob quem denegatur authoritas bellandi, damnumque hostibus inferendi, solum esset, ne hostes eo pacto lacessiti, longe maiora damna inferant nostræ Reipublicæ: tunc sane licet, qui prædas in eos propria authoritate exerceret, non teneretur damna illis restituere, nisi ea via sperare-
E tur sedandos esse hostes, & continendos, ne damna inferrent, idque propterea, quod in eo solo euentu præsumendum esset principis voluntatem esse, vt illis restituerentur: nihilominus teneretur restituere, si quod damnum hostes inde permoti nostræ Reipublicæ intulissent: quippe qui ea ratione fuerit quodammodo causa damni illius iniusta.

Vtrum Christiani captiui, qui iniuste à Turcis & 5
Saracenis detinentur, restituere teneantur, quæ clam ab illis infidelibus accipiunt, dicetur inferius, dum de furto fuerit sermo.

6 Quando ciuitates eidem principi subiectæ, aut alij subditi propria authoritate bellum iniuste adinuicem mouerens, damnaque & iniurias sibi inuicem inferrent, ad principem spectaret rem componere, pensatisque damnis & iniuriis vtrinque illatis, circumstantiisque omnibus concurrentibus, acerbiorem partem vni, quam alteri, pro quantitate culpæ inferre, aut etiam satisfactionem aliquam iniungere.

7 Quando præsumendum sit, esse tacitam regis, licet non expressam voluntatem vt aliquid fiat cõtra hostes, eos interficiendo, diripiendo, aut seruituti subiiciendo. non potest certa regula statui, sed consecturis id prudentis arbitrio iudicandum est, vel quia id ita fieri consueuit, nec tamẽ punitur, aut reprehenditur, sed laudatur, vel ex circumstantiis aliis concurrentibus: in repentinis namque euentibus locus non datur recurrendi ad regem, aut ad duces belli: & quando bellum perpetuum est cum aliquibus hostibus, vt Christianus cũm Saracenis & Turcis, raro præsumendum est contra regis voluntatem esse, vt damnum illis inferatur, nisi in aliquo euentu grauiora mala inde nostris immineret. Regem vero denegare facultatem aliquibus prouinciis, aut priuatis hominibus eam petẽtibus, ad eiusmodi hostibus bellum damnumq; suis sumptibus inferendum, sufficiens nõ est argumentum, vt credatur contra regis voluntatem esse damnum interdum illis de industria à priuatis absque alia regis expressa facultate inferri: sæpe enim neque ad decus & honorem regis pertinebit concedere, vt prouinciæ aliquæ bellum gerant, arcemq; aliquam aggrediantur, neque tuto id fiet: sæpe etiam longe maiora mala sequentur, si aliqui quasi ex officio expressa regis authoritate prædas mari exerceant in hostes, quam sint emolumenta, quæ inde sperari possint, eaque de causa merito rex eiusmodi facultates petitas deneget: cum tamen gaudeat, si sui vel nacta aliqua occasione, vel gratia fortunam experiendi, seque exercendim rebus bellicis, repente damna interdum hostibus inferant, atque ex eis prædas agant. Quare prudentis arbitrio, spectatis circumstantiis concurrentibus, expendendum est, quando id liceat, & quando non, neque facile viri fortes, & de Republica bene meriti lethalis culpæ hac in parte sunt damnandi.

8 Licet ex suo genere lethalis culpa sit absq; tacita vel expressa principis voluntate, bellum aut damnum hostibus inferre: licet itẽ periculosum valde sit in exercitu ducis præceptis minus audientem esse, eaque de causa minima quæque alioquin delicta, si contra militarem disciplinam, ducisq; obedientiam fiant, merito soleant acriter, & interdum capite plecti, quando tamen ex eo, quod miles obedientiam ducis non seruet, neque periculum imminet quod grauiter puniatur, neque damnum vllum aliorum, aut exercitus est timendum, non facile damnandæ sunt culpæ lethalis inobedientiæ aliquæ, quæ animi magnitudinem ostendunt: neque item damna, quæ contra ducis obedientiam simile quid aggrediendo, hostibus inferuntur: quando non res gesta, sed inobedientia Principi, aut duci displicet. De cæteris inobedientiis, & damnis, ex periculo pœnæ, cui miles se exponit, & periculo damni, quod inde aliis, aut bono publico imminet, atque ex qualitate ipsa rei, & præcepto Principis, aut Ducis id fieri verantis, aut ægre tolerantis, iudicandum est, an ad culpam lethalem perueniant.

SVMMARIVM.

1 *Secunda belli iusti conditio quæsit.*
2 *Ad bellum iustum sufficit interdum iniuria materialiter, & probatur exemplo.*
3 *Materialis iniuria quotuplex, & quæ magis sufficiat ad bellum iustum.*
4 *Duplex genus belli offensiui: Vnum quod infertur ad vltionem sumendam de iniuria illata.*
5 *Alterum ad recuperandum nostra, quando ignorantia inuincibili detinentur.*
6 *In hoc belli genere cum nulla sit culpa ex parte hostium, qui se gerere oporteat.*
7 *Non quæcunque iniuria vel materialis vel formalis est sufficiens ad bellum iuste inferendum.*
8 *Princeps æque potest esse iniustus in bello inferendo aduersus suam Rempubl. quam aliorum.*

COMMVNIS QVÆDAM IVSTI belli causa, omnes alias particulares complectens.

DISPVTATIO 102.

DIcendum deinde est de secunda conditione, vt bellum iustum, licitumque sit, nempe causa ad id sufficiente. Antequam ad examen quarundam causarum in particulari ad id sufficientium descendamus, tradenda est gẽneralis quædam, quæ omnes alias complectitur. 1 *Secunda iusti belli conditio.*

Hanc affirmat Victor. *de iure belli, num.* 13. esse iniuriam. Intellige, vel impediendam, vel resarciendam, aut vindicandam. Consentaneè loquitur Augustinus *l. Dominus 23. quæst. 2.* dum ait, *iusta bella definiri, quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens, vel ciuitas, quæ bella petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est.* Et D. Thom. 2. 2. *quæst.* 40. *artic.* 1. dum referens hæc Augustini verba, ad iustam belli offensiui causam, ait necessarium esse, vt qui eo impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur.

Obserua tamen, ad bellum iustum sufficere interdum iniuriam materialiter, hoc est, absque peccato. Eo namque ipso, quod Deus concesserat filiis Israel terras Chananæorum, & Amorræorum, ius habebant expellendi bello gentes illas repugnantes, vt, quod suum Dei donatione erat, occuparent, esto gentes illæ donationem à Deo factam ignorarent, eaque de causa absque peccato resisterent, retinereque vellent terras illas, ac proinde solum materialiter iniuriam filiis Israel facerent. Hac ratione Abulen. *Iosue* 11. affirmauit, bellum illud ex vtraque parte fuisse iustum. Ex parte quidem filiorum Israel materialiter & formaliter: ex parte vero illarũ gentium formaliter solum, quatenus inuincibiliter ignorantes donationem & voluntatem Dei, absque peccato se, resque suas tuebantur. 2

Attende tamen, filios Israel non habuisse solum hoc ius, vt bellum illud mouerent: alioqui nefas illis profecto fuisset, interficere omnes gentes illas, quæ nullum peccatum aduersus eos commiserant, atque adeo ex eo titulo solum illis licuisset ea efficere, quæ omnino necessaria erant, vt de illorum potestate extraherent, quæ sibi à Deo erant donata, & nihil amplius. Vltra illum autem titulum, hunc etiam habebant, quod propter idololatriam & grauissima alia peccata, quæ gentes illæ in Deum commiserant, iusserat Deus filiis Israel, vt eas interficerent, ac delerent: eaque de causa, tanquam Dei ministri, authoritate & iussu Dei puniebant eorum peccata interficiendo homines illos, terrasque & eorum bona occupando. Quia tamen gentes illæ hoc quoque inuincibiliter ignorabant, absque peccato seipsos defendebant, & contra impugnantes bellabant.

Dixi paulo antea, ad bellum iustum sufficere interdum iniuriam materialiter: quoniam duplex est materialis iniuria. Vna, qua sine peccato propter 3

igno-

ignorantiam inuincibilem, detinetur, quod reuera alteri debetur, ita quod obligatio id tradendi est ex parte ipsius rei, excusat tamen à culpa ignorantia inuincibilis. Altera vero, qua ex eadem ignorantia, ac proinde sine culpa damnum aut iniuria infertur, inde tamen, qui iniuriam infert, non fit locupletior, atque adeo neque ex parte rei acceptæ consurgit obligatio quicquam tradendi, neque ex parte iniustæ acceptionis: eo quod ignorantia à culpa excusset. Prior iniuria, materialiter sumpta, sufficit ad bellum iustum. Posterior vero non item: eo quod neque in pœnam possit iuste inferri, cum nulla præcesserit culpa, neque ad obtinendum, quod bellum inferenti debeatur, cum nihil, quod ad eum pertineat, detineat is, cui bellum infertur.

4 Iuxta hactenus dicta possumus distinguere duplex genus belli offensiui. Vnum, quod infertur ad vltionem sumendam de iniuria illata, siue simul intendamus recuperare nostra, resarcireque damna nobis illata, siue non. Atque, vt hoc iustum sit, necesse est præcedat culpa in hostibus, & de hoc tantum videntur locuti Augustin. D. Thomas, & Victoria locis citatis, dum ad iustitiam eiusmodi belli culpam prærequirunt in hostibus. Obserua tamen, quamuis causa iusta eiusmodi belli, non solum expendenda sit ex quantitate culpæ hostiū, sed simul etiam ex quantitate valoris rerum, quas nobis debent, nec tradere volūt, nihilominus quantitatem pœnæ ac vindictæ in eos exercendæ, vltra obtentionem rerum, quæ ad nos spectant, solum esse metiendam ex quantitate culpæ, quam in iniuria inferenda commiserunt: pœna namque semper debet respondere soli culpæ commissæ, si iusta & licita esse debet.

5 Alterum genus belli iusti est, ad occupandū nostra, eave, quæ nobis debentur. quando ignorantia inuincibili detinentur, neque alia via obtinere ea possumus. Et ad tale bellum necesse non est præcedat culpa, sed satis est si præcedat iniuria materialis, qualis paulo antea explicata est. Sicut enim Princeps ius dicit suis subditis, non solum quando vnus iniuste formaliter detinet, quod ad alium pertinet, sed etiam quando illud detinet iniuste solum materialiter, inbetque vi auferri ab eo, qui bona fide illud possidet, esto ille arbitretur iniuriam sibi ea in re fieri: sic etiam simile ius habet in eos extraneos, qui, quod suum aut suorum est, simili modo bona fide retinent, quando aliter obtinere illud non potest: subit namque tunc, comparatione eorum, rationem iudicis & executoris.

6 In hoc secundo belli iusti genere, cum nulla sit culpa ex parte hostium, solum licet facere aduersus eos, quod necessarium est ad extrahendum de ipsorum potestate, quæ iniuste materialiter detinent: etiamsi id sit cum eorum interitu ac cæde coniunctum. Extrahenda tamen sunt cum quanta minori eorundē iactura id fieri possit: quod si aliquid amplius fiat, iniustitia committitur cum onere restituendi. Vsque adeo vero nihil in pœnam potest vlterius aduersus eos fieri, vt neq; belli expensæ, ad id extrahendum necessariæ, possint ab eis exigi: eo quod neq; ex parte rei acceptæ, neq; ex parte iniustæ acceptionis (cum absque vlla culpa fuerint illarum causa, aut occasio) ad eas teneantur. Sicut n. quando duo contendunt in iudicio circa rem aliquam, nunquam is, qui causa cadit, condemnatur ad expensas, quas in re illa extrahenda alius fecit, neque iuste potest condemnari, nisi quando deprehenditur fuisse in culpa non relinquendo rem aduersario sine lite: ita ad belli expensas nunquam tenetur aduersarius, nisi quando fuit in vera culpa pugnando, ita quod bellum ex parte sua fuit iniustum, non solum materialiter, sed etiam formaliter. Obserua tamen, quod si, antequam bellum inferatur, ea seruentur, quæ disputatione sequenti dicenda sunt de-

A beri seruari, raro eueniet, quin culpa sit saltem præsumpta, ex parte aduersarij, ac proinde quin puniri possit, exigique ab eo possint expensæ belli, ex parte illius, qui bellum intulerit formaliter & materialiter iustum.

7 Illud est animaduertendum cum Victor. *loco citato num.* 14. & aliis, non quamcunque iniuriam vel materialem, vel simul etiam formalem, esse sufficientem, vt bellum iuste inferatur, sed oportere esse prudentis arbitrio grauem, & dignam, vt propter eam tantum malum, quantum est bellum, inferatur. Ratio est, quoniam sicut non licet pro quacunq; culpa exequi graues pœnas, vt mortis, abscisionis membri, & flagellorum, in internos malefactores; ita non licet pro quacunque iniuria ab externis illata bellū aduersus eos mouere, quo tot cædes, direptiones, incendia, vastationes, & similia alia grauissima mala inferuntur. Etenim iuxta delicti quantitatem esse debet plagarum modus. Vnde pro leuioribus iniuriis, & causis concedi solent repræsalia, quæ vocant, de quibus infra erit sermo.

8 Illud etiam est animaduertendum Principem in bello inferendo non minus posse esse iniustum aduersus suam Rempublicā, quam aduersus alienam, cui illud inferre parat. Eaq; de causa, non solum esse illi attendendum, an habeat iustam belli causam aduersus alienam Rempublicam, sed etiam, an iniustus sit aduersus suam eiusmodi bellum mouendo. Etenim si prudentis arbitrio tale bellum futurum est in detrimētum maximum suæ Reipublicæ, quia vires non habet ad superandum, vel quia cum modico suæ Reipublicæ, bonique communis emolumento, subditos suos maximis periculis & detrimentis exponet, reditus publicos in eo insumet, Rempublicam nouis tributis & exactionibus grauabit, &c. sane culpa erit lethalis, contra iustitiam aduersus suam Rempublicam, eiusmodi bellum suscipere, si commode ab eo possit abstinere. Respublica namq; non est propter Regē, sed Rex propter Rempublicam, vt illam defendat, administret, & gubernet, non ad suum arbitratum, vanitatem, & commodum, sed ad Reipublicæ commune bonum: quo fine adductæ gentes præfecerunt sibi Reges ac Principes, atq; eis id ius, quod habent, potestatemq; tribuerunt. Vnde recte Arist. 4. *Polit. c.* 10. hoc constituit discrimē inter Regem & tyrannum, quod tyrannus in proprium commodum & quæstum: Rex vero in commune ac publicum bonum Rempublicam administret.

B C D E

SVMMARIVM.

1 *Vt bellum ex parte causæ sit iustum, non satis est principem arbitrari se habere iustam belli causam.*

2 *Quomodo controuersia oriatur inter Principes circa rem aliquam.*

3 *Dum incertum est, ad quem res pertineat, qui partes se gerere debeant. Et probatur exemplo.*

4 *Dum in dubio melior est conditio possidentis, vtrum teneatur se legitima possessione priuare.*

5 *Orto dubio, an res quam vnus possidet, ad alium pertineat, quid facto opus sit non possidenti.*

6 *Dubitans, an res quam possidet, sua sit, si contingat veritatem deprehendere, desinit possidere bona fide.*

7 *Si verisimilius sit, rem ad non possidentem pertinere, tenetur possidens pro quantitate dubij eam cum eo diuidere.*

8 *Authoris sententia.*

9 *Hac latius deducitur.*

10 *Cum neuter est in possessione rei, diuidenda est inter vtrumque, pro quantitate dubij.*

11 *Quando inter Principes diuersarum Rerumpubl. li-*

oritur circa rem aliquam, quo pacto res peragenda: Authoris sententia refertur.

12 *Quando lis est inter Principes Christianos, vtrum ordinarie liceat Summo Pontifici censuris rebellem compescere.*

13 *Respublica mortuo Rege iudicare debet, ad quem regnum pertineat, cum de illo varij contendunt.*

14 *Cum Princeps alterius Reipub. mortuo Rege contendit de regno, quo pacto res peragenda est.*

15 *Belli causa hostibus proposita, si rebelles fuerint, poterit moueri bellum.*

16 *Quando hostium terræ debitæ sunt, bellum inferenti, quo pacto offerre debeat.*

17 *Vtrum belli iustam causam habens, teneatur à bello desistere.*

18 *Probatur duabus rationibus.*

19 *Si bellum iustum moueatur, res pro qua contendit, offeratur, & ideo non desisteret, esset iniustus.*

20 *Cum aliqui digni sunt morte, non peccaret contra iustitiam non desistendo à bello, nisi illi offerentur.*

21 *Respublica carens superiore, ius habet vindicandi iniurias sibi illatas.*

22 *Respondetur ad argumenta proposita.*

23 *Bello cœpto, non tenetur bellum iuste inferens ab eo desistere.*

24 *Authoris sententia.*

25 *An de iustitiæ rigore teneatur belli iustam causam habens, bello cœpto, ab eo desistere.*

BELLI CAVSA QVOUSQVE EXplorata esse debeat. Et circa rem dubiam an liceat mouere bellum: Et quo pacto res sit tractanda, antequam ad arma veniatur.

DISPVTATIO *103.*

1 VT bellum ex parte causæ iustum, licitumque fit, non satis est: Principem, qui illud mouet arbitrari se habere iustam belli causam: sic enim & Turcarum, & Saracenorum aduersus nos bella essent iusta: sed opus etiam est, vt, quando res dubia esse potest pro rei pondere, grauitate, ac difficultate diligens prius inquisitio fiat, adhibito eorum sapientium, & prudentium consilio, de quibus merito credendum sit, syncero & maturo iudicio, passioneq; semota ea de re iudicaturos, veritatemque inuenturos. Audiendæ etiam sunt aduersariorum rationes, modo syncere, & sine fraude agere velint. Etenim princeps, qui bellum mouet, rationem iudicis subit circa aduersarios in re grauissima, in qua non solum agitur de re, propter quam bellum mouetur, sed etiam de cæde multorum, grauissimisq; aliis malis alteri Reipublicæ inferendis: quæ proculdubio multos etiam innocentes contingent: iudex autem non nisi sufficienter prius explorata & perspecta causa, potest licite sententiam ferre, & multo minus eam executioni mandare, eoque plus illi est trepidandum, videndumque num causa perspecta satis, explorataque sit, quo de re grauiori agitur. Cumque in re morali difficile verum ac iustum attingatur, præsertim quando de commodo iudicantis agitur, sane si negligenter & cum passione hæc examinentur, facile errabitur, neque error à grauissima culpa, & restitutionis onere Principem & consiliarios excusabit.

2 Quando inter Principes aliquos oritur controuersia circa rem aliquam, distinguendum est. Quoniam vel vnus eorum erat in legitima possessione illius, ita quod bona fide, absque dubio, quin ad se pertineret, cœpit illã possidere, vel neuter erat in tali possessione, sed morte cuiusdam terrij res vacauit, & contendunt ad vtrum eorum pertineat: aut certe, si alter eorum cœpit possidere, id non fuit sine controuersia, aut dubio, num ad se, vel ad alterum pertineret.

In primo euentu, interim dum certum non est, ad quem res pertineat sed dubium, & rationes sunt pro vtraque parte, neque, qui est in possessione, tenetur tradere totum, aut partem, neq; qui est extra possessionem, potest, vel bellum mouere, vel quicquam rei illius occupare, sed rationibus dumtaxat potest experiri ius suum: aliusque non solum tenetur eas audire, sed etiam moralem adhibere diligentiam, vt sciat, an res ad se, vel ad alium pertineat, si via aliqua occurrat, vnde id possit deprehendi. Ita Victor. *de iure belli a num.* 25. Exemplum habemus accommodatum in Insulis Molucis, antequam Regnum hoc Lusitaniæ cum Regno Castellæ coniungeretur. Cum enim Ioannes III. Lusitaniæ Rex in pacifica illarum esset possessione, dubium oriri cœpit tempore Caroli V. an iuxta diuisionem illam orbis occidentem & orientem versus authoritate Alexandri VI. inter Reges Castellæ, & Lusitaniæ factam, Insulæ illæ ad eam partem orbis pertinerent, quæ ad Reges Castellæ, an vero ad aliam, quæ ad Reges Lusitaniæ spectat. Qua in re dico. Interim dũ certum non erat, ad quam partem pertinerent, neque Regem Lusitaniæ teneri tradere eas, aut partem earum, neque Regẽ Castellæ licite potuisse mouere bellum, aut partem earum occupare, sed rationibus tantum negotium fuisse tranigendum, vt re ipsa peractum fuit, antequam lis ad certum tempus pro certa aureorum summa inter Carolum V. & Ioannem III. componeretur. Regem tamen Lusitaniæ teneri moralem facere diligentiam, vt sciret, ad quam partem pertineret.

3

4 Primum, & secundum eorum, quæ asserta sunt, ex eo probantur, quod in dubio melior sit conditio possidentis, eaque de causa, qui est in legitima possessione, interim dum omnino sibi non constat rem ad alium pertinere, neque teneatur seipsum ea priuare, neque alius, esto is iudex sit, possit licite illum ea aut parte illius spoliare. Atq; hinc ortum habuit tum *regula illa* 11. *de reg. iuris l. b.* 6. *Cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius, quam actori*: is vero qui possidet, reus est comparatione illius, qui est extra possessionem, & contendit rem ad se pertinere. Tum etiam *regul.* 65. quæ habet: *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.* Præterea, si is qui est extra possessionem, posset in dubio mouere bellum aduersus eum, qui possidet, sequeretur, existente eadem cognitione in vtroque bellantium de iustitia vtriusque partis dari bellum iustum ex vtraque parte. Nam qua ratione is, qui est extra possessionem, posset iuste rem illam bello occupare, eadem, imo longe maiori, posset eam defendere, qui est in possessione illius, quippe cum dubium æque vtrique faueat, meliorque sit conditio possidentis: id autem concedere, sane esset concedere iustum bellum formaliter & materialiter ex vtraq; parte, quo nihil absurdius affirmari potest.

5 Tertium eorũ, quæ asserta sunt, probatur. Quoniam orto dubio, verisimiliq; ratione, an res quam vnus possidet, ad alium pertineat, fas est ei, qui est extra possessionem, experiri ius suum coram communi iudice, si illum habeat, neque possessori vllam in ea parte facit iniuriam, iudexque tenetur causam examinare, vt quotidianus vsus testatur: cum ergo Principes iudices sint adinuicem in causis, quas vnus habet aduersus alterum, consequens profecto est, vt vnusquisque eorum proponere possit alteri rationes, quas aduersus eum habet, & vt alius teneatur illas audire & expendere, illisq; satisfacere.

6 Quartum vero ex eo est manifestum, quod rei alicuius possessor, eo ipso, quod dubitat an res, quam possi-

possidet, sua sit, & negligit veritatem inquirere, si qua via diligentia adhibita occurrat veritatem deprehendendi, definit possidere bona fide, exponitque se sua sponte periculo detinendi iniuste alienum inuito domino, eaque ratione peccat contra proximi charitatem. Licet enim in dubio non teneatur præponere proximum sibi, spoliando se re, quam possidet, eamq; illi tradendo; tenetur tacere ad moralem diligentiam, ne illum grauer detinendo, quod illius est.

Sunt qui dicant in euentu, de quo disputamus, si re diligenter examinata, maior sit verisimilitudo, quod pertineat ad eum, qui non possidet, quam ad eum, qui possidet, non tamen res certo constet, sed semper maneat dubia, eum, qui possidet, teneri eam diuidere cum eo, qui non possidet, pro quantitate dubii, ita vt maiorem partem illi tradat, & minorē sibi retineat. Quod si opere id non præstet, posse alterum mouere bellum tanquam aduersus iniustum detentorem.

Mihi vero longe probabilius est contrariū. Quoniam interim dum res est dubia, ita vt absque ambiguitate non constet ita pertinere ad alterum, vt integre sit illi tradenda, melior est conditio possidentis, ac proinde nec totum, nec partem, existente eo dubio, tenetur tradere. Neque esset æquus iudex, qui in eo euentu iuberet rem diuidi: neque vnquam auditum est, iudicem, qui arbiter non sit, præcepisse, vt is, qui bona fide rem aliquam cœpit possidere, eam pro quantitate dubij diuideret cum aduersario, neq; iura sonāt id ita esse faciendū.

Quare iniquus esset aduersarius, si in eo euentu bellum moueret, restituereque teneretur damna omnia, quæ eo bello daret. Neque Princeps qui bona fide cœpit possidere, tenetur consentire, vt ea de re iudicent arbitri: cum ipse iudex sit in sua causa propria aduersus alteram Rempublicam: sicut vicissim Respublica altera iudex est in sua causa aduersus eum.

Illud libenter darem, quando is, qui possidet, perpenderet magis rem pertinere ad aduersarium, quam ad ipsummet; neque deposita passione, adhibitaque morali diligentia, posset veritatem dubio omni semoto deprehendere; contra vero aduersarius affirmaret, rem ad se, semoto omni dubio, pertinere, eaque de causa bellum vellet mouere, teneri eam, pro quantitate dubij diuidere cum illo, nisi conuenirent, vt staretur iudicibus arbitris. Ratio est, quoniam tunc nullus esset communis iudex ordinarius, qui rem definiret, litemque componeret. Et quoniam aduersarius vere est iudex in ea causa, vt possit sententiam proferre, & mouere bellum iustum, si sibi, adhibita morali diligentia, & semota passione, omnino persuaderet rem ad se pertinere: quare licet ipse sit etiam iudex, vt in contrarium similiter sententiam proferat interim dum res non est sibi certa; sane, cum verisimilius sibi sit, rem ad alium, quam ad se pertinere, & aduersarius constanter affirmet, rem indubitanter ad se pertinere, tenetur pacem componere cum illo, rem pro quantitate dubij cum illo diuidendo. Quod tamen non teneretur facere priuatus, qui iudicem communē haberet cum aduersario; sed expectare posset, vt proferretur sententia; & vt vel res tota ipsi relinqueretur, vel adiudicaretur tota aduersario.

In secundo vero euentu supra proposito, nempe quando neuter est in possessione rei, de qua est controuersia, vel alter ingressus est possessionem altero contradicente, aut in dubio, an res ad se pertineret, dicēdum est, si re diligenter discussa, adhuc manet dubium, ad quem duorum pertineat, diuidendam esse inter vtrumque pro quantitate dubij, aut faciendam esse compensationem in aliqua alia re, si res commode diuidi nequeat. Quod si alter eorum renuat, erit iniustus, poteritque eo ipso mouere iustum bellum aduersus eum. Ita Vict. *loco citato nu.* 28. Probatur, quoniam in eo euentu neutrius illorum est melior conditio, eo, quod neuter cœperit bona fide possidere: cum ergo constet rem ad alterum pertinere, & dubium sit ad quem eorum pertineat, diuidenda erit inter vtrumque pro quantitate dubij, idque sane docet recta ratio, pronunciaretque quicunque æquus ac iustus iudex, si ea de re contenderent, qui communem aliquem haberent iudicem. quo fit, vt idem facere teneantur Principes, qui iudicem communem non habent. Præterea, si in eo euentu fas esset cuique eorum occupare sibi eam rem totā, daretur bellum iustū formaliter & materialiter ex vtraq; parte. quod est absurdum.

Quando inter duas Respublicas, Principesve diuersarum Rerumpublicarum, controuersia oritur circa aliquam rem, vt quondam inter Ioannem III. & Carolum V. circa Insulas Molucas, hoc pacto res est peragenda, antequam ad arma veniatur. Pacifice Princeps vnus proponere debet alteri rationes, ac ius totum, quod circa eam rem habet, vicissimque audire tenetur rationes, & ius totum alterius, ficque vltro citroque datis rationibus, & responsionibus, res sine technis, fraudibus, ac subdolis dilationibus examinari debet, quousque verisimile sit, nihil plus lucis ex eo examine, consiliisque peritorum ea de re posse haberi. Fieri autem id poterit, vel legationibus vtrinque missis, vel conuentu aliquo celebrato in confinis Regnorum, missis vtrinque viris doctis & peritis, vt factum fuisse fertur; quando controuersia illa fuit circa Insulas Molucas, vel quouis alio modo, qui Principibus placuerit. Re autem ita examinata, si res vtrinq; ita dubia maneat, vt iudicio vtriusque partis certo, semotove omni dubio, non constet ad quem pertineat; tunc, si alter eorum erat bonæ fidei possessor, illi omnino est relinquenda, quousque aliud constet; neque potest quicquam ab eo exigi, nisi forte ille velit cum alio tranigere, vt remittat in futurum ius totum, quod circa eam rem poterit obtendere. Neq; item potest vllum bellum aduersus eum moueri. Quod si neuter erat bonæ fidei possessor, res est diuidenda inter vtrumque pro dubii quantitate, vt dictum est. Isque, qui renuerit, est iniustus, poteritque iustum bellum aduersus eum moueri: si vero iudicio vtriusque partis certo constet, ad quem res pertineat, illi est relinquenda. Quod si partes iudicio discordent, & vtraque iudicet semoto dubio ad se pertinere; tunc vna sane decipitur, sed si inuincibiliter erret, quia moralem adhibuit diligentiam, secutaque est iudicium peritorum, ac timoratorum, erit bellum iustum ex vtraque parte; sed ex vna formaliter simul & materialiter; ex altera vero formaliter tantum. Tunc vero consilium esset optimum, vt litem transactione componerent, vel vt iudices eligerent arbitros, quorum iudicio starent. Credo tamen ad neutrum teneri, præsertim quando grauissima alia mala, præter ordinaria belli, inde non timerentur, & quando neutra pars sibi persuaderet alteram procedere bona fide, haberetq; bellum iustum saltem formaliter, seque non minus posse decipi, quam alteram: quæ enim pars vtrumque horum sibi persuaderet, meo iudicio, teneretur, vel trāsactionem facere cum altera, maiorque pars esset relinquenda ei, qui bona fide cœpisset rem possidere, vel consentire, vt iudices arbitri eligerentur, qui rem definirent. Etenim cum in eo euentu æqua sit conditio vtriusque partis, ex belloque grauissima mala oriantur, tenerentur partes litem altero illorum modorum inter se componere, à belloque abstinere. Quando vero vtraque pars sibi persuaderet, rem absque vllo omnino dubio ad se pertinere, alteramque partem non sine culpa non velle à lite desistere, saltem quia vel non quantum oportet, vel non sine passione vult rem expendere, certe

neutra teneretur, vel transactionem, vel iudices arbitros admittere: eo quod vnaquæque earum suprema sit iudex aduersus alteram ea in parte, neque teneatur cedere iuri suo. Atque hac ratione potest sæpe esse bellum iustum formaliter ex vtraque parte. Quamuis semper timendum sit, ne, saltem pars altera, sit in culpa, quod non quantum oportet, aut non sine passione velit rem expendere, & examinare.

12 Quamuis autem, quando lis est inter Principes Christianos, & iudicaretur bono Ecclesiæ, finiq; supernaturali expedire omnino, vt summus Pontifex rem definiret, posset pro plenitudine potestatis, quâ ad finem supernaturalem habet, se intromittere, causamque ad se auocare, eamque sententia definire, & censuris, ac aliis viis rebellem compescere, vt disput. 29. dictum est. Ordinarie tamen expedientius est, ne id faciat. Quoniam id occasio esse posset grauissimorum malorum; dum, qui damnaretur, facile in odium summi Pontificis exardesceret, arbitraretur q; passione ductum, aut re non bene perspecta, sententiam contra se tulisse, indeque sumere posset occasionem denegandi obedientiam summo Pontifici, tum in aliis, tum etiam ea in re, tã perspectum q; obtenderet esse ius suum, vt diceret se etiam aduersus summum Pontificem posse bellum mouere. Atq; hac de causa raro, aut nunquam solet se intromittere in litibus Principum Christianorũ vtendo plenitudine hac suæ potestatis: sed solum tanquam pater solet eos monere, vt seipsos componant, & à bello abstineant.

13 Dixi supra; quando inter duas Resp. Principesve diuersarum Rerumpubl. oritur controuersia, rem prædicto modo esse tractandam: quoniam quando mortuo Rege varij subditi illius Reipub. contendũt Regnum ad se pertinere, sane Respub. ipsa est, quæ, tanquam in eo euentu suis omnibus partibus superior, iudicare debet, ad quem Regnum pertineat, illudque illi tradere. nõ secus atque tempore schismatis ad Ecclesiam, tanquam ad superiorem omnibus suis membris in eo euentu, pertinet iudicare: quis sit legitimus summus Pontifex, vt in materia de fide ostendimus.

14 Aduerte tamẽ, quod quando morte Regis Principis alterius Reip. contenderet Regnum ad se pertinere, vniendumque esse cum aliis suis Regnis, vt morte Henrici Philippus Secundus contendit Lusitaniæ Regnum ad se pertinere. cæteris q; Hispaniarum Regnis esse vniendum; sane tunc, cum causa Reip. non esset cum sua parte hominem ve sibi subdito; sed cum aliena Repub. Principe que alterius Reipublicæ, neque talis Princeps subiectus esset Reip. illi, neque Respub. Principi, sed perinde ea in re essent pares, ac si de tertia aliqua re inter se contenderent. Neque ergo Rex Philippus expectare tenebatur ea de re sententiam Reipub. Lusitanæ, eique se subiicere ac parere, miratus q; sum, multos cõtrarium asseruisse, neq; rursus Respub. Lusitana expectare debebat sententiam Regis Philippi, sed causa inter Hispaniarum Regem, & Rempub. Lusitanam eo modo erat tractanda, quo explicatum est tractari debere controuersias, quæ inter diuersos Principes, diuersasve Respublicas oriuntur.

15 Belli causa explorata & cognita sufficienter, hostibus q; proposita, vt cedant. sufficienter q; satisfaciant, si rebelles fuerint comperti & pertinaces, potent moueri bellum aduersus eos. Obseruant vero Caietan. *in summa. verb. bellum. Maior in 4. distin. 15. q. 2. & Driedo. 2. de liber. Christ. c. 6.* quacumq; de causa bellum inferatur, si hostes, antequam bellum inchoatum sit, & vtrinque dimicari sit cœptum, offerant sufficientem satisfactionem, ita vt non solum parati sint compensare iniurias, & damna illata, reddere q; omnia, quæ ad bellatores spectant, sed etiam soluere omnes belli expensas factas, teneri Principẽ desistere à bello, quod mouebat. Ratio est, quoniam author Augast. *Epistol. 285. ad Bonif. & habetur cap. noli, 23. q. 1.* Bellare non est voluntatis, sed necessitatis: tunc autem cessat omnis necessitas belli; modo tamen talis sit oblatio, vt fidendum illi sit. Doctrina hæc satis consentanea est verbis illis Deuter. 20. *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo: si autem fœdus inire noluerit, & acceperit contra te bellum, oppugnabis eam, &c.*

Obserua tamen, quando hostium terræ debitæ 16
essent inferentibus bellum, vt Christianis debitæ sunt terræ Saracenorum & Turcarum, tunc sane illas offerre deberent eo pacto, quo sunt debitę, & in- B super satisfactionem iniuriarum præteritarum, paratiq; esse deberent ad pœnam condignam sustinẽdam propter præterita crimina. Quod si inter eos aliqui digni essent, qui capite plecterentur, illos etiam tenerentur offerre, vt Principes à bello tenerentur desistere. Aequum tamen esset, vt Christianus Princeps multum de summo iustitiæ rigore interdum remitteret.

Dubium est. Vtrum vsque adeo, qui iustam belli 17
habet causam, teneatur acceptare competentem satisfactionem, & desistere à bello, quando tuto ante prælium cœptum offertur, vt nisi eam accepter bellum ex parte ipsius sit deinceps, nõ solum illicitum, quia contra charitatem, sed etiam iniustum, ac pro- C inde restituere teneatur damna, quæ dederit. *Quæstio.*

Pars quæ affirmat, suaderi potest. Primo, quoniã 18
Princeps, qui iustam belli causam habet aduersus alterum Principem, aut Rempubl. subit rationem iudicis, quasi per accidens in defectum superioris, qui iudicet, infligat q; pœnã condignam: ergo quando aduersarius condictam satisfactionem offert, definit alius Princeps procedere vt iudex, publicaue authoritate, ac proinde peccat contra iustitiam, teneturq; restituere damna, quæ intulerit. *Pars affirmans probatur primo.*

Secundo, bellum non potest esse iustum formaliter & materialiter ex vtra q; parte: sed durum admodum est concedere Reipublicam, aut Principem, qui peccarunt, & offerunt competentem satisfactionem, non posse licitè se defendere, si aduersa pars eam non acceptat, bellumque inferat: ergo D bellum erit tunc iniustum ex parte eius, qui nõ vult desistere. *Secundo.*

Hanc partẽ veram esse existimo, si tamen sequẽti 19
modo intelligatur. In primis quando ei, qui bellum iustum moueret, solum fieret iniuria materialiter, iuxta ea, quæ disput. 02. explicata sunt: tunc enim, si oblata illi re, pro qua contendit, non desisteret omnino, esset iniustus, vt ibidem ostensum est, teneretur que restituere damna omnia, quæ bello daret. Quin ex eo temporis momento bellum formaliter & materialiter esset iustum solum ex parte contraria. Deinde, quando esto interuenisset iniuria formaliter, non tamen esset digna morte aliquorum in particulari, sufficienteque compensaretur alia via, eaque compensatio offerretur: tunc enim, nisi illam acceptaret, esset iniustus, teneretur que similiter re- E stituere damna, quæ bello daret, nisi sufficienter compensarentur iis, quæ in recompensationem illi offerebantur.

Quando vero aliqui in particulari digni essent 20
morte propter iniuriam illatam, esto de numero eorum esset Princeps Reipublicæ, aduersus quam bellum geritur, non credo peccaret contra iustitiã, si desistere non vellet à bello, nisi offerretur, qui digni sunt morte, aut fugissent de ea Republica: & cũ in reliquis competẽs satisfactio offerretur, integrũ ius ei relinqueretur interficiẽdi malefactores illos, vbicunq; deprehendere eos potuisset. Peccaret tamen contra charitatẽ, si postulante id recta ratione, & bono vtriusq; Reipub. nõ acceptaret competentem satisfactionem oblatam in rebus aliis.

Hoc

21 Hoc secundum est ex se manifestum. Primum vero inde mihi persuadeo, quod Princeps, aut Respublica, quæ superiorem non habet, non per accidens, sed per se habet ius vindicandi iniurias sibi, aut suæ Reipublicæ ab alieno Principe, aut Republica illatas: & quando aliqui propter iniuriam illatam digni sunt, qui capite plectantur, non tenetur de iniustitia acceptare compēsationem aliam, sed iuste exigere potest eam pœnam: nō secus, ac quando suus subditus dignus est morte, licite potest illum in pœnam interficere, esto ille aliam æqualem, aut etiam maiorem compensationem in bonis externis offerat.

22 Ad duo ergo argumenta proposita, quatenus alieni forte pugnare videbuntur cum hac nostra sen
Ad primum argumentū. tentia, dicendum est. Ad primum quidem, quamuis Princeps aut Respublica, quasi per accidēs sub
B eat rationem iudicis aduersus subditū alterius Reipublicæ qui iniuriam ei intulisset, in defectum videlicet superioris illius, si illum non vellet punire tota pœna, qua est dignus; nihilominus aduersus Principem alterius Reipublicæ, aut Rempublicam ipsam, non subire rationem iudicis per accidēs, sed per se. Præterea, esto admitteremus subire per accidens rationem iudicis in defectum superioris, qui eum puniret; nihilominus eo ipso, quod non datur talis superior, habet ius puniendi eadem pœna, qua punire posset superior: quare sicut superior posset non alia pœna esse contentus, quam capitis, si reus illa esset dignus; sic etiam potest Princeps hic nulli alteri pœnæ acquiescere.

Ad secundū. Ad secundum concessa maiori, ad minorem dicendum est, eam etiam esse veram, si hostes eam ipsam satisfactionem offerant, quam offerre tenentur; secus autem, si, licet in aliis bonis offerant competentem, non tamen offerant, quam offerre tenentur, nempe eos ipsos malefactores (si Respublica eos apud se habeat) qui extremo supplicio sunt digni. Porro Princeps, si de numero eorum sit, fugere potest, & tenetur in eo euentu, ne Rempubl. suam iusto bello exponat.

23 Postquam autem bellum cœptum est, & cædes aliquæ interuenerunt, dicunt authores citati, eum, qui iuste bellum infert, non teneri ab eo desistere, esto aduersarii debitam offerāt satisfactionem. Ratio, inquiunt, est. Quoniam ipsi non offerendo de-
D bitam satisfactionem, antequam prælium incideretur, sua sponte se constituerunt extra statum satisfaciēdi, in statu executionis iustitiæ vindicatiuæ, vt inceptione ipsa belli cœpit iam executioni mandari, ac proinde in potestate eius, qui iuste bellum incepit, iam tunc est illud perficere, neque acceptare satisfactionem. Addit tamen Driedo, nisi pro loci, temporis, personarum, aliarumq; circumstantiarum concurrentium conditione, lex charitatis suggereret, oportere à bello inchoato desistere.

24 Hinc credo, hos Doctores non loqui de obligatione ex iustitia, sed solum ex charitate. Plus namq; lege charitatis tenetur, qui iustam belli habet causam, à bello abstinere, ab exequendove vigore iu-
E stitiæ vindicatiuæ iura belli exequendo, quando rationabilis compensatio offertur antequam præliari fit cœptum, quam quando compensatio post prælium incœptum offertur. De iustitiæ vero rigore sem per licet exequi totam vindictā ad illud vsque tempus pro iniuria illata commeritam, nisi illa eadem compensatio, quæ de iustitiæ rigore debetur, offeratur; non vero licet exequi aliquid amplius, idque siue bellum sit cœptum, siue nō. Hæc intellige, modo simul reddatur, si quid debetur, & resarciantur damna illata, ac persoluantur belli impensæ, nec non valor periculorum, laborum, & industriæ, quæ aduersariorum culpa illuc vsque sunt adhibita.

25 Cessat ergo quæstio illa, an de iustitiæ rigore, si offertur compensatio postquā bellari est cœptum,
A teneatur, qui iustam habet belli causam, desistere à bello, adeo, vt si non desistat, bellum deinceps fit ex parte ipsius iniustum, teneaturque restituere damna, vel non. Quibusdam dicentibus omnino non teneri: aliis vero affirmantibus, non teneri quidem, si sint in actuali conflictu; teneri autem, si cessauit conflictus actualis, esto perseueret bellum inter illos. Nos namque dicimus, semper si per impossibile tuto offerretur ea ipsa satisfactio, seu compensatio, quam is, qui iustum bellum gerit, potest de summo iustitiæ rigore exequi pro iniuria vsque ad momentum, in quo offertur commissa, ita vt ad mortem traderentur quotquot ea illuc vsque essent digni, & persoluerentur cætera omnia, quæ paulo ante commemorata sunt, teneri de iustitia desistere à bello, idque siue copiæ essent in actuali
B conflictu, siue non. Ratio autem est, quoniam ab eo temporis momento cessat iniuria aduersariorum, & pro iniuria præterita nihil amplius potest Princeps bellator licite per seipsum exequi, quam hæc ipsa, quæ ei offerrentur, etiamsi integre iura omnia belli persequi velit. Nihilominus, quia moraliter esse nequit, vt ea ipsa compensatio, quam de iustitiæ rigore potest exequi, ei offeratur, præsertim cum, qui digni sunt morte, neque eam sint expectaturi, neque tuta conscientia expectare possint; simpliciter dicimus, post inceptum bellum, etiāi ab actuali conflictu cessatum sit, non teneri eum, qui iustum bellum intulit, de iustitiæ rigore ab ea desistere. Lege vero charitatis non plus tenetur cessare, quam ex Driedonis sententia dictum est. Illud vero plus habet locum, quando à conflictu est cessatum, quam
C quando sunt copiæ in actuali conflictu.

SVMMARIVM.

1 *Septem causæ particulares belli iusti recensentur, & nu. 2.3.4.5.6.7.*

DE CAVSIS QVIBVSDAM PARTIcularibus iusti belli, scripturarum exemplo roboratis.

DISPVTATIO 104.

EXplicata communi causa iusti belli, & quousque ea explorata esse debeat, quæque præcedere debeant, antequam ad arma veniatur, deducendæ sunt causæ aliquæ particulares ex communi illa causa.

Prima, eaq; notissima, est, ad occupandum, quæ Principi debentur, neque aliter, quam per bellum obtineri ab eo possunt. Hac de causa mortuo Saule, Dauid 2. *Reg.* 3. bellum mouit aduersus Isbosef, filiū Saulis, qui occupauerat Regnum Israel Dauidi per Samuelem à Deo concessum. *1 Prima causa belli iusti.*

Secunda est, ad reprimendum ac puniendum subditos iniuste rebellantes contra dominū suum, nolentesve illi parere in iis, quæ iuste præcipit. Fit namque eiusmodi bellum ad recuperandam obedientiam ac subiectionem iniuste denegatam, eaque, quæ cum obedientia & subiectione coniuncta sunt, nec non ad vindicandam iniuriam, tali rebellionē & inobedientia illatam. Sic Dauid bellum gessit aduersus Absalonem, nec non aduersus Saba filium Sochri, 2. *Reg.* 20. Vnde Aug. *c. quid culpatur* 23. *q.* 1. aduersus violentiam inquit resistentiū siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarū ordine inueniūtur, vbi eos, vel iubere aliquid, vel in talibus obedire iuste ipsa ordo constringit. *2 Secunda.*

Tertia, iniuria aut contumelia notabilis, Principi aut Reipublicæ illata. Hac de causa 2. *Regum* 10. bellum mouit Dauid aduersus Hanon Regem Ammonitarum; eo, quod nunciis à Dauide amicitiæ causa *3 Tertia.*

causa ad eum salutandum missis, in contumeliam dimidiam barbæ partem raserit, vestesq; medias ad nates vsque præsciderit.

4 *Quarta.* Quarta, præstare auxilium hosti, qui bellū habet iniustum cum Principe aliquo aut Republica: eo namque ipso Respub. illa, aut Princeps, iustam belli causam habet aduersus eum, qui tale auxiliū præstitit, propter iniuriam, aut simul etiam damnum ea ratione sibi illatum. Hinc Dauid 2. *Reg.* 8 iustè percussit Syriam Damasci, eo quod aduersum se auxilium Adarezer Regi Soba præbuisset.

5 *Quinta.* Quinta, defendere iniuste scelestos aliquos, ne iuste puniantur. Tantum enim referre poterit eos puniri, vt possit iuste inferri bellū aduersus id prohibentes. Hac de causa *Iud.* 10. iustum fuit bellū vndecim tribuum Israel aduersus tribum Beniamin, eo quod defendere voluerunt habitatores Gabaa, ne punirentur propter scelus illud immane, quo vxorem viri Leuitæ eo vsque incredibili libidine vexarunt, quousque animam efflauit.

6 *Sexta.* Sexta, Principem aut Rempub. aliquam violare fœdus, aut pactum, quod non parui referat aduersus alium Principem aut Rempublicam. Hac ratione iustum fuit bellum Regis Ioram, 4. *Reg.* 3. aduersus Masam Regem Moab, eo quod fregisset fœdus, noluisset soluere centum millia agnorum, & totidē arietum cum velleribus suis, quæ quotannis soluere tenebatur, vt testatur miraculosa victoria diuinitus eo bello concessa.

7 *Septima.* Septima, *vt Castrus 2. de iust. hæret. pun. c. 14. Victor. in relect. de Indis insulanis par. 2. in princ. Couar. reg. peccatum. par. 2. §. 9. n. 5, & alii, quos Couar. refert*, recte dicunt, est denegare aliqua, quæ gentium iure omnibus licent, suntque proinde suo modo debita. Talis namq; denegatio, vtpote iniusta, iniuriam ei, cui talia denegantur, infert. Quocirca ad eam vel propulsandam, vel, postquam illata fuerit, vindicandam, poterit interdum moueri iustū bellum. Cæsar namque, quod Senatus aditum sibi Romam denegasset, apud Lucanum recte dixit; *Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat.* Quia ergo transitus sine nocumento per vnam regionem in aliam gentium iure est omnibus debitus, iustum fuit bellum filiorum Israel, *Numer.* 21. aduersus Seon Regem Amorreorū, propterea quod illis denegasset transitum per terram suam, filiis Israel pollicentibus, se neque declinaturos in agros aut vineas eorum, neque bibituros aquas de puteis eorum, sed via regia incessuros, donec eorundem finibus excederent. Vnde Augustin. *Notandum 23. q. 2. ex quæst. 44. super Numeros: Notandum*, ait, *sane est, quemadmodum iusta bella gerantur à filiis Israel contra Amorreos. innoxius enim transitus denegabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat.*

Libuit causas has in particulari ex communi illa deducere, atque ex scripturis sanctis referre, vt manuductus quiuis literarum sanctarū exemplis melius circa quascunq; alias, quæ in particulari occurrerent, ferre sciret iudicium, iustæne ac sufficientes essent, an secus, ad bellum iustum inferendum.

SVMMARIVM.

1 *Gentium iure quid licitum sit in alienas prouincias peregrinandi.*
2 *Authoris sententia.*
3 *Iusta belli causa possidendi terras alienas refertur.*
4 *Vtrum iuste bellum inferri possit infidelibus.*
5 *Iusta belli causa aduersus infideles existente, licite bellū inferri potest.*
6 *An propter idololatriam fas sit infidelibus bellum inferre.*
7 *An iusta causa belli sit, imperii amplificatio.*
8 *An liceat barbaram nationem bello subiicere.*

A *DE ALIIS IVSTI BELLI CAVSIS, quarum quædam probantur, quædam reiiciuntur, alia in locum alium remittuntur.*

DISPVTATIO 105.

VIctoria 2. *part. Relect. de Indis insulanis in principio* ait, gentium iure fas esse cuique peregrinari in alienas prouincias & illic degere, sine aliquo tamen incolarum detrimento. Item ius cuique esse eo nauibus appellendi, vtendique portubus, & fluminib. earum, affirmatq; portus, & flumina cuiusque prouinciæ esse omnibus communia. Præterea eodem gentium iure asseuerat fas esse cuique negotiari in alienis prouinciis, importando merces, quibus ibi B carent, & exportando aurum & argentum, merces que alias quibus illæ abundent. Item ait, si aliis peregrinis, aut hospitibus aliqua licent in ea prouincia, aut effodere aurum & argentum de aliquo communi agro, vel extrahere illud de fluminibus, aut piscari margaritas in mari vel fluminibus, prohiberi non posse iis, qui de nouo eo aecesserint, ne id similiter faciant. Hæc autem omnia ita affirmat esse de iure gentium, vt si barbari noui orbis quicquam eorum Hispanis eo accedentibus prohibuissent, inde Hispani iustam aduersus illos belli causam haberent. 1 *Victoria.*

At nobis contrarium videtur verum. Etenim, licet illa omnia gentium iure in hoc sensu fas sint cui- 2 *Refellitur.*
que extraneo, quod interim dum ab habitatoribus non prohiberentur, licitum sit cuique illa efficere; C & præterea, quod dum extraneus aliquo illarum rerum vsu extreme vel grauiter indigebit, non possit licite prohiberi; eo, quod & lex charitatis id postulet, & rerum diuisio præiudicare non potuerit, quo minus vnusquisque, etiam inuitis dominis, ea re vtatur, qua extreme indiget; nihilominus, cum post rerum & prouinciarum diuisionem nō minus propria sint cuius Reipub. quæ ab ea possidentur in cōmune, & quorum dominiū tota Respublica habet, quam sint cuiusq; de Republica, quæ ab eo tanquā propria possidentur, sane quemadmodum quicunque particularis interdicere licite potest omnibus aliis, ne rebus ipsius vtantur, quando grauiter, aut D extreme, his non indigebunt, & licite etiam potest nullum cum aliis commercium admittere: sic etiā Respublica, moderatorve illius, licite prohibere poterit omnibus extraneis, ne rebus propriis Reipublicæ, quæ communes sint ciuibus omnibus, vtantur interim dum illis extreme aut grauiter non indigebunt: licite etiam poterit velle nullum cum illis habere commercium: neque in his vllam eisdem faciet iniuriam, vt ea de causa possint bellum iustū mouere: idq; apud non paucas Respub. videmus factitari. Eoq; magis quæuis Respub. licite prohibere poterit commercium, portum, & habitationem extraneis, quo eos potentiores viderit. Timere namq; iuste poterit, ne ipsam, quæ humana est malitia, subiiciant, neve incommodum aliud ex eorum commercio & habitatione experiatur: eaque de causa E prudenter poterit præscindere occasiones omnes, sibiq; consulere, ne quicquam tale eueniat, ea, quæ ipsius sunt, illis denegando. Quod autem prouincia aliqua vsum quarundam rerum suarum communium quibusdam extraneis concedat, sane ab ea libertatem non adimit, quo minus similē vsum peregrinis aliis denegare possit: cum integrum cuique sit concedere, cui libuerit, rerum suarum vsum; eoque aliis interdicere. Negari etiam non potest, portus, flumina, & fodinas auri & argenti ad eorū dominium pertinere, quorum est prouincia, in quibus sunt: Quin & maritima vnda continenti adhærens ad eos solos pertinet, quorum est prouincia, eaq; de causa vsurpare sibi possunt ius ibi piscandi, cæterisque

que piſcaturam in eo loco prohibere. Sicque Luſitaniæ,& Hiſpaniarum Rex prohibere poteſt externis, reque ipſa prohibet, ne tynos in Turdetana, vulgo Algarbienſi ora, neve in Hiſpalenſi expiſcentur. Cum vero Chriſtiani, ius habeamus denunciandi Euangelium vbique terrarum, concionatores ad quoſcunque infideles deferendi, eos protegendi, cogendique infideles, non quidem, vt Euangelio ſuſcipiant, ſed ne impedimento ſint, tum concionatoribus, quo minus illud denuncient, tum etiã ſuis, quo minus illud audiant, ſuſcipiant, & iuxta illud viuant: ſi vero gentes aliquæ, aut Reges, & dynaſtæ contrarium effecerint, fas nobis ſit bello illos coercere, iniuriamq; fidei, & Euangelio ea in parte illatã punire, vt *in materia de fide q. 10. art. 8.* oſtenſum eſt: cum inquam, hæc ita habeant, ſane, vel inuidis infidelibus, poſſumus cum nauibus ad eos eo fine accedere, tandiuque, & cum ea potentia in eorum portubus & terris commorari, quandiu & quantum neceſſe erit, vt hæc tuto fiant, eaq; ratione commerciũ aliquod, vel ipſis inuitis, cũ eildẽ exercere. Quamuis, ſi fieri id commode poſſet, expediret, vel legatione prius cum illis ageretur, concionatoresq; miſſi, aut cum admodum paucis mitterentur, quam ea accedere potentia, quæ armis eos cõtineret, vitamque concionatorum tutam redderet.

3 Aliam iuſtam belli cauſam, poſſidendique iure belli terras aliquorum, tradit *Vict. eadem 2. part. relect. num. 17.* Nempe, quando duo Principes, aut prouinciæ gerunt bellum inter ſe, atque ea pars, quæ aduerſus alteram iuſtum habet bellum, ea lege vocat aliquem in ſuum adiutorium, vt vel totum, vel pars eorum, quæ bello occupata fuerint, ad adiutorem pertineat. Cum enim vnicuique ex conſenſu gerentis bellum iuſtum, fas ſit cooperari & adiuuare ad tale bellum; eo quod non aliud id ſit, quam accepta autoritate ab eo, qui illam poteſt conferre, cooperari ad bonum: licitumque ſit pactum illud pro periculis induſtria, ſumptibus, & laboribus, quæ adiutor ſubit; ſane, quæ ea ratione aduenerint, legitimo titulo adiutor poſſidebit. Illa eadem legitimo etiam titulo poſſideret, ſi nullo præcedente pacto, in gratitudinem pro præſtito auxilio illi donarentur. Ex adiutorio autem iuſte ac licite præſtito facile euenire poſſet, vt ij, aduerſus quos præſtitum eſt, bellũ aduerſus adiutorem mouerent. Cum vero id iniuſtum eſſet, poſſet deinceps adiutor ſua propria authoritate bellum ad eam iniuriam vindicandã mouere. Hac ratione Romani, ſocios adiuuando, potuerunt iuſte dilatare ſuum imperium. Eadem etiam ratione Luſitani in India habere potuerunt occaſiones varias nonnulla iure belli occupandi. Fertur etiam Hiſpanos terras Mexicanorum obtinuiſſe, ea ratione Talchathedanos aduerſus Mexicanos adiuuando.

4 Cum ſupra, dum de dominio eſſet ſermo, oſtenſum ſit, neque Imperatorem dominum eſſe orbis, neque item ſummum Põtificem; & quamuis ſummus Põtifex pleniſsimam habeat poteſtatem in eos, qui ſunt de Eccleſia, etiam quoad temporalia, præciſe tamen quatenus neceſſarium fuerit ad finem ſupernaturalem, nihilominus nullam habeat ſupra infideles, qui Eccleſiæ gremium nondum ſunt ingreſſi; conſequens profecto eſt, vt, quod nationes aliquæ Romano non pareant Imperio, vel infideles ſint, fidemque ſuſcipere non velint, iuſta cauſa non ſit, vt Imperatoris, aut ſummi Pontificis authoritate bellum eis inferatur, & vt vlla ratione cogi poſſint ad fidem ſuſcipiendam. Quia tamen in materia de fide aprior eſt locus ad diſputandum, an infideles, qui baptiſmum nondum ſuſceperunt, cogi poſſint ad fidem, & penes quem ſit authoritas, & quanta ad denunciandum illis Euangelium, & quę in denunciando Euangelio liceant, aut non liceant, nec non ad diſputandum, an ſchiſmatici, & ij infideles, qui baptiſmum ſuſceperunt, cogendi ſint redire ad gremium Eccleſiæ, puniendique ſint, & à quo, hiſce de rebus nihil amplius hoc loco erit dicendum.

Illud tamen non omiſerim, quando aduerſus infideles eſſent iuſtæ alię cauſæ belli, vt ſunt nobis aduerſus Saracenos & Turcas; tunc ſi ſuperſtites ſint illi, aut eorum hæredes, quorum terras obtinẽt, aut quibus iniuriam aliam intulerunt, potentesq; ſint ad bellum inferendum, ad eos ſpectare illud inferre, & recuperare quæ ſua ſunt, atq; punire iniuriam illatam. Quod ſi ſuperſtites non ſint, aut ſint impotentes ad bellum inferendum, tunc ad ſummum Pontificem, pro plenitudine poteſtatis, quam in Eccleſiæ bonum habet, pertinere diſtributionẽ expeditionis, id quod Caiet. *2. 2. q. 66. art. 8.* affirmauit.

B An vero propter idololatriã, & quædam alia pec 6
cata, fas ſit inferre bellum aliquibus ex infidelibus, ſequenti diſputatione diſcutiemus.

Non eſt autem cur in controuerſiam vocemus, 7
an iuſta belli cauſa ſit imperij amplificatio, gloria, ac commodum bellum inferentis. Cum luce clarius ſit, qui ea ſola de cauſa bellum gerit, tyrannidẽ ac iniuſtitiam exercere. Præterea, eo dato, bellum poſſet eſſe formaliter & materialiter iuſtum ex vtraque partẽ, quod contradictionem inuoluit: tunc enim accedentes ex vtraque parte ad bellum eſſent innocentes, atq; adeo ex natura rei non poſſent ſe inuicem interficere, quod cum natura belli iuſti manifeſte pugnat.

Non eſt etiam quod diſquiramus, an iuſta cauſa 8
ſit ad bello ſubiiciendam nationem aliquam, quod C barbara ea ſit ac rudis, aptiorque vt ab aliis regatur, bonisq; moribus imbuatur, quam vt ſeipſam regat. Eſto non defuerint, qui eam aſſeruerint ſufficiẽtem eſſe rationem, vt Braſilienſes omnes, cæteriq; habitatores noui orbis, nec non Aethiopes in ſeruitutem poſſent redigi, & conſequenter, tanquam mancipia, quæ quicquid acquirunt, domino acquirunt, priuari terris ſuis, bonisque aliis omnibus excludi. Etenim cum diſputatione 32. oſtenſum ſit, id nequaquã ſufficientem cauſam eſſe, vt ſeruituti ſubiiciantur, euerſum manet fundamentum, cui hi autores nitebantur vt aſſeuerarent, ſpoliari conſequenter poſſe terris ac bonis, quæ poſſiderent.

SVMMARIVM.

D

1 *Idololatris iuſte inferri bellum poteſt.*
2 *Nõ licet Imperatori, infidelibus propter idololatriæ ſcelus bellum inferre.*
3 *Iuſſu Dei fas fuit Iſraelitis nationes propter idololatriã delere.*
4 *Fas eſt propriis Principibus infidelium propter peccata eos punire.*
5 *Licet infidelibus prohibere peccata, quæ in innocentium iniuriam cedunt.*
6 *Cum bellum ad ſubueniendum infantibus infertur, quã bellantes ſe gerere debeant.*

E VTRVM PROPTER IDOLOLATRIAM, & quædam alia peccata, inferri poſſit bellum infidelibus.

DISPVTATIO 106.

1 MAior *in 4. diſtinctione 15. quæſtio. 20.* & Alphonſus à Caſtro *2. de iuſta hæreticorum pun. cap. decimoquarto.* aſſeuerant, propter idololatriæ ſcelus poſſe iuſte inferri bellum iis infidelibus, qui neque Eccleſiæ gremium ſunt ingreſſi, neque ſubditi ſunt Principibus Chriſtianis, ſi admoniti nolint deſiſtere; affirmantq; vel eam ſufficientem fuiſſe cauſam, vt infidelibus noui orbis bellum iuſte inferretur, atque vt Hi-

vt Hispanis subiicerentur. Id vero probant, quoniá propter hoc peccatũ Deus præcepit filiis Israel delere gentes multas. Innoc. præterea *c. quod super his, de voto.* D. *Anton.* 3. *part. tit.* 22. *c.* 5. §. 8. *& Sylvest. verb. Papa. q.* 7. *& alii.* inquiunt, huiusmodi infideles summi Pontificis, aut Imperatoris autoritate puniri posse propter ea peccata, quæ cum naturæ lumine pugnant, vt propter Sodomiam, concubitus cum matribus & sororibus & similia alia crimina, liceteque ea de causa posse aduersus eos bellum inferri, videturque Castrus ad hanc etiam sententiam accedere.

2 Sit tamen prima conclusio. Neq; propter idololatriæ scelus, neq; propter alia peccata, quæ pugnant cum lumine naturę, fas est vel summo Pontifici, vel Imperatori, aut cuiuis alteri Principi, qui iurisdictionem in eos nõ habeat, punire eiusmodi infideles, bellumve ea de causa aduersus eos mouere: modo eiusmodi crimina talia non sint, quæ iniuriam inferant innocentibus. Hanc præter alios affirmant *Victor. in relect. de Indis. p.* 1. *nu.* 40. *& Couar. reg. Peccatum. par.* 2. §. 10. *n.* 4. *&* 5. Potissima autem ratio, qua probatum est. Quoniam ad puniendum vindictamque sumendum pro aliquibus de aliqua culpa, sane, vel iurisdictio, superioritasq; est necessaria, vel certe requiritur, vt vel is, qui punire debet, vel ij, qui ad ipsum spectant, iniuriam tali culpa acceperint; tunc enim rationem subit iudicis comparatione talium malefactorum, in defectu proprij illorum superioris, qui illos punire deberet: sed neq; summus Pontifex neq; Imperator, aut alius Princeps, cui illi non subsunt, superior est eorum, vllamve habet iurisdictionem in eiusmodi infideles, qui sunt extra Ecclesiam, vt *disput. precedente, & latius alibi* ostensum est: neque eiusmodi peccata cedunt in iniuriam alicuius eorum, vel suorum subditorum, vel aliquorum innocentium, quos iure naturali possint defendere; sed solum sunt Dei offensæ, in solam ipsorũ met peccantium perniciem: ergo nullus prędictorũ potest licite eos punire, bellumve eis propter ea crimina indicere. Confirmatur, quoniam sicut ad Hispaniarum Regem non spectat punire ea peccata, quæ in Gallia fiunt, eo, quod iurisdictionem non habeat in Gallos: ita neque ad summum Pontificem, Imperatorem, aut alium Principem, qui in eiusmodi infideles iurisdictionem non habeat, pertinet punire ea illorum peccata, quæ solum cedũt in offensam Dei, ipsorumq; peccantium perniciem. Item par est ratio de vno peccato contra legem naturæ, & de reliquis, quæ non cedunt in alterius iniuriam: sed summus Pontifex punire non potest peccata infidelium fornicationis, seruitutis idolorum, ebrietatis, & furti, vt ex 1. *ad Corinth.* 5. constat, vbi, connumeratis his peccatis, ait Paulus: *Quid mihi de iis qui foris.* id est, extra Ecclesiam, *sunt iudicare? nam eos, qui foris sunt Deus iudicabit*, quasi dicat, iudicium & eorum punitio, nõ ad Ecclesiasticam potestatem, sed ad Deum spectat: ergo neque summus Pontifex, neque aliquis alius, qui in eos iurisdictionem non habeat, punire potest ea illorum peccata, quæ in solam Dei offensam & perniciem cedunt peccantium.

Prima Conclusio.

3 Ad Argumentum Castri dicendum est, iussu solum peculiari & autoritate Dei fas fuisse filiis Israel nationes illas propter idololatriam, & alia eorum peccata delere. Eaq; de causa aduersus nullos alios legitimos filios Israel mouisse postea bellum eo intuitu, quod idololatræ essent, & peccatores.

Ad argumentum.

4 Secunda conclusio. Fas est propriis Principibus eiusmodi infidelium, qui temporalem iurisdictionem in eos habent, prohibere eis eiusmodi peccata, eosq; propter illa punire. Hanc ostẽdimus *in materia de fide q.* 10. *artic.* 11. quo in loco ea de re copiosius erit agendum.

Conclus.

5 Tertia conclusio. Licitũ est prohibere eiusmodi infidelibus, & quibuscunq; aliis hominibus, peccata, quæ in innocentium iniuriam cedunt. Quod si ab illis desistere noluerint, fas est mouere aduersus eos ea de causa bellum, iuraq; illius persequi, idque absque vlla summi Pontificis autoritate. Exempla sunto, si innocentes immolent, aut eos interficiant, vt eorum carnibus vescantur, aut quouis alio modo iniuste perimant; vel si innocentes tyrannicis legibus opprimant, aut alia simili ratione diuexent. Hanc affirmant *Victoria in relect. de Indis part.* 2. *nu.* 15. *& alii.* Potest vero probari, quoniam vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo, vt habetur *Ecclesiast.* 17. *&* Prouer. 24. præcipitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses*: ergo quiuis naturali iure defendere potest innocentes à tyrannide & oppressione, idque potissimum ad Principes spectat. Neque necesse est expectare, vt innocentes ad mortem ducantur, sed fas erit cogere, vt statim cessetur à pessimo ritu, aut consuetudine & vt iniquæ & pessimæ leges abrogentur, inferendo, si ad id opus fuerit, bellum, iuraq; illius prosequendo ac deponendo Principes iniquos, aliosque, si opus fuerit, creando. Neque obstat si barbari ac subditi ipsi velint eos mores & sacrificia, nolintq; extraneos ea de causa bellum suis inducere: integrũ namque est cuique, vel inuito eo, qui iniuste occiditur, illum eruere à morte, vt in eo cõstat, qui laqueo aut alia ratione vult sibi ipsi manus afferre, mortemque conscisscere.

Tertia conclusio.

Obserua tamen, cum eiusmodi bellum non inferatur ad recuperandum aliquid proprium, neque ad vindicandam propriam iniuriam, sed solum ad subueniendum innocentibus, qui ea sola ratione ad inferentes bellum spectant, quatenus proximi sunt; non plus fas esse bellantibus de bonis aduersariorũ sibi vsurpare, quam expensas belli, & recompensationem iniuriarum & damnorum, si quæ ab aduersariis inter bellandum acceperunt, nec non iustum præmium sui laboris & industriæ: neq; enim gratis tenentur se exponere periculs, suamque operam & industriam collocare: ipsiq; hostes tenẽtur hæc omnia soluere, qui causa iniusta fuerunt; vt bellum iustum aduersus eos susciperetur: reliqua, si quæ supersint, debita videntur iis, in quorum gratiam pugnatur, quorumq; partes aguntur, id est, innocentibus, qui iuste in sui defensionem, atque ad iniurias propulsandas bellũ possent mouere. Intellige, modo ne ad innocentum, illiusq; Reipub. bonum spectet, vt bellãtes dominium integrum earum regionum assumant, id quod plerunque vsu euenit.

6

SVMMARIVM.

1 *Ad bellum licitum requiritur debita intentio.*
2 *Quomodo bellum procedere debeat.*
3 *Belli occasiones non quærendæ.*
4 *Interdum lethalis est culpa, non desistere ab eo, quod videtur futurum occasio, vt bella oriantur.*
5 *Quando bellum cedit in maius bonum nationum, quib. infertur, fas est efficere id, vnde iusta belli causa detur.*
6 *Interdum bellum iustum est licitum per se, & illicitum per accidens.*
7 *In bello licito nulla consurgit obligatio restituendi hostibus damna.*

DE INTENTIONE AD BELLVM mouendum necessaria. Et an liceat quærere occasiones belli iusti.

DISPVTATIO *107.*

TErtia conditio necessaria, vt bellum sit licitum, est, vt debita fiat intentione. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. Concinit etiam Aug. *c. quid culpatur.* 23. *qu.* 1. dicens: *Nocendi cupiditas, vlciscẽdi crudelitas, impacatus atque*

1 *Tertia bell. licitioditio.*

atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia hæc sunt, quæ in bello iure culpantur.

2 Necesse est ergo, vt bellum non procedat ex odio, sed vel intuitu boni communis, vel recuperandi, quod ad bellum mouentem pertinet, vel iustæ vindictæ, aut alterius iustæ causæ belli. Quod si bellum ex inimicorum odio in sensu. 2. 2. *quæst. vigesimaquinta, artic.* 8. explicato procederet, sane esset culpa lethalis. Quod ad alias siniſtras intentiones attinet, vt inanis gloriæ, inordinatæ libidinis dominandi, &c. ex earum qualitate iudicandum est, an ad culpam perueniant lethalem. De duobus proxime cõmemoratis dicendum est, quando aliunde adesset iusta causa belli, neque ex bello tot mala propriæ Reipublicæ, aut boni communis sequerentur, vnde lethali culpa inficeretur; ex illis culpam venialem non excedere.

3 Victor. *de iure belli num.* 60. admonet, quærendas non esse occasiones belli. Etenim licet cuique fas sit vti iure suo, non tamen intendendo, vt ea via detur iustæ causæ belli cum tanto damno spirituali vitæ; bonorumque externorum proximorum, quantum ex bello sequi soler, & cum peccato illius, qui inde occasionem sumeret præbendi causam iustam belli. Proximos namque tenemur diligere sicut nos ipsos.

Quin obseruia, aliquando culpam esse lethalem
4 non solum facere aliquid ea intentione, sed etiam non desistere ab eo, quod liceat ea intentione non faciamus, videmus tamen futurum occasionem, vt bella oriantur. Neque enim sub reatu mortalis tenemur solum non intendere id, quod cum tam grauibus damnis proximorum est coniunctum, seu etiam tollere occasiones, quando sine notabili nostra iactura id commode possumus.

5 Illud addiderim, quando bellum cederet in maius bonum nationum, quibus inferretur, necnon Ecclesiæ; quia ea via conuerterentur ad fidem, propagaretur Ecclesia, cessarent à peccatis, multique eorum vitam æternam consequerentur, fas esse, vtendo iure nostro, id efficere vnde futurum speramus, vt detur nobis iusta causa belli, esto alioquin id non essemus facturi, & esto simul intendamus commodum nostrum temporale. Ducor quoniam licet nefas sit intendere culpam alterius, fas tamen est illam permittere, imo occasionem illius præbere, in maius eius, qui illam committet, bonum, & commune, vt cum Nauar. & Sot. in hac 2. 2. ostendimus, dum de correctione fraterna erat sermo. Et quoniam licet teneamur auferre occasiones damnorum, quæ in proximos redundant; quando damna illa coniuncta non sunt cum longe maioribus eorum bonis: secus tamẽ quando sunt coniuncta, præsertim si simul coniuncta sint cum magno Ecclesiæ bono, ac nostro: quin potius licite in hoc euentu præbemus occasiones illorum malorum eo bono fine proposito. Neque id est odio illos prosequi, sed diligere: volendo illis maius bonum. Quod autem cum tanto eorum spirituali bono, propagationeque Ecclesiæ, simul bonum nostrum temporale intendamus, illos iusto bello nobis subiiciendo, sane non inficit belli intentionem, ita vt bellum illicitum reddat, additio quippe boni, & iusti finis non inficit, quod alioquin ob præstantiorem finem simul appetitur. Tametsi in re proposita, quando præcipue, effrenateque temporale commodum appetitur, occasio, incentiuum que mouentibus eiusmodi bella esse soleat violandi iustitiam, innumeraque flagitia committendi, quibus & scandalum infidelibus præbent, & impedimento sunt, ne sanctissimam fidem, ac religionem nostram suscipiant, nec tanti illam faciant, quanti fecissent, nisi vitæ nostræ fœtore tantopere offenderentur. Præcipuus ergo finis mouentium eiusmodi bella esse debet, fines Ecclesiæ extendere, pabulum doctrinæ salutaris, lucemque Euangelij infidelibus inferre, & animas eorum ab interitu sempiterno vẽdicare: simulque minus præcipue, ac veluti in præmium laboris & industriæ intendere quis posset eosdem sibi subiicere, fortunisque illorum potiri.

Recte admonet Victor. *de iure belli nu.* 33. euenire 6
aliquando posse, vt bellum aliquod sit iustum & licitum per se, & illicitum per accidens. Etenim si ex eo, quod iuste quis bello recupere vellet ciuitatem, castrum, aut aliud simile, vel sumere iustam vindictam de iniuria sibi illata, iudicaret, facileve intelligere posset, euentura esse longe maiora mala boni communis ad se pertinentis vt deuastationem multarum suarum ciuitatum, ingentes cædes suorum, aliaue similia mala suæ Reipublicæ, vel futura esse bella in perniciem & vastationẽ virium Ecclesiæ, eaque ratione præberi occasionem Ecclesiæ hostibus occupandi terras Christianorum, Ecclesiamque deuastandi, sane quamuis tale bellum iustum, & licitum esset per se, per accidens tamen ratione damnorum quæ vel suæ Reipublicæ, vel bono communi inde emergerent, teneretur Princeps, qui illud inferre cogitaret, ab eo sub reatu lethalis culpæ abstinere, paratque potius illatam iniuriam, iacturamque bonorum suorum. Quando vero tali bello censendus esset iniustus aduersus suam Rempublicam, cum onere restituendi damna, quæ ea ratione illi euenirent, dictum est in calce disp. 102.

Conueniunt DD. communiter, quando adest pri- 7
ma & secunda conditio, vt bellum sit licitum, nempe autoritas & iusta causa illud inferendi ex defectu debitæ intentionis, vt si ex odio inferatur, aut siniſtra alia intentio admisceatur, nullam consurgere obligationem restituendi hostibus damna illata. Ratio est, quoniam peccatum eiusmodi bellum illicitum inferentium nõ est contra iustitiam, sed solum contra charitatem (pugnant namque iuste, sed non bene ex parte intentionis) obligatio autem restituendi non oritur ex culpa contra charitatem, sed contra iustitiam.

SVMMARIVM.

1 *Clericis prohibitum est per seipsos propria manu pugnare.*
2 *Summus Pontifex dispensare potest, cum clericis, vt pugnent propria manu vrgente necessitate.*
3 *Clerici possunt inducere ad bellum iustum, indicere & ducem creare.*
4 *An interesse possint iusto bello, & exhortari ad pugnam?*
5 *Consensus saltem præsumptus superioris sufficit, vt Prælati possint esse præsentes bello.*
6 *Licet sacerdotibus ad oppressorum defensionem alios ad pugnam hortari.*
7 *Respondetur ad argumenta in contrarium allata.*
8 *Euentus quatuor recensentur, in quibus clericis licitum est pugnare. 9. 10. 11.*
12 *Vtrum clerici, cum manu propria pugnare non possint, possint vsurpare hostium spolia.*
13 *Authoris sententia.*
14 *Quale peccatum admittant clerici, extra casus licitos præliantes.*

VTRVM EPISCOPIS, ET CLERICIS licitum sit pugnare.

DISPVTATIO 108.

EXplicatis conditionibus requisitis, vt bellum iustum ac licitum sit, explicandum est, quibus bellum alioquin licitum ratione status non liceat. Id enim ad conditiones liciti belli quadam ex parte spectat.

1 Clericis prohibitum est per seipsos propria manu pugnare,

pugnare, vt constat *ex c. quicunque clericus, ca. clerici, c. quicunque ex clero. 23. q. 8. & ex aliis iuribus.* Et Greg. Naziaz. *oratione 2. de pace* ait, arma prohibita esse Episcopis & clericis. Ratio huius prohibitionis est. In primis, quoniam pugna ministros Ecclesiæ non decet, qui rebus spiritualibus, contemplationiq; vacare debent. Deinde vero quoniam omnes clericorũ gradus ad altaris ministerium ordinantur, in quo Christi passio missæ sacrificio repræsentatur, eaq; de causa indecens illis est sanguinem alienum effundere, sed potius parati esse debent ad suum proprium pro Christo effundendum, vt quod ministerio gerunt, opere imitentur. Quocirca merito in Ecclesia institutum est, vt effundentes humanum sanguinem quempiam interficiendo aut mutilando, eo ipso irregulares sint.

2 Est vero prohibitio hæc, non de iure Diuino, sed humano, vt commodius ostendemus tractatu 3. sequenti, quando vniuersim disputabimus quousque sanguinis effusio, licita in se, clericis sit interdicta. Quare dispensare potest Summus Pontifex cum clericis, vt pugnent propria manu, expediensque id erit vrgente aliqua necessitate. Sine rationabili autem causa, licet factum teneret, non tamen recte faceret: quoniam id indecens est clericali statui. Quin illud est addendum, eo ipso, quod Summus Pontifex concederet, alicui clerico pugnare propria manu, non incurreret is ipse pugnans irregularitatem, esto ita præliando mutilaret aut interficeret: quoniam eo ipso censetur Pontifex auferre ab actu quem permittit, pœnam omnem & censuram. Ita Couar. *clem. si furiosus. p. 1. §. 3. num. 2.* & Doctores cõmuniter, consentiuntque ea, quæ diximus disputatione 92. circa purgationem simoniæ & pœnarum extrauagantis, de qua ibi fuit sermo, eo ipso quod auctoritate Summi Pontific. quippiam fieret, ea extrauagante prohibitum.

3 Clerici licet per seipsos non possint pugnare, possunt tamen suadere bellum iustum, & ad illud inducere. Ita D. Tho. 2. 2. *q. 40. art. 2. ad 3.* & colligitur aperte *ex cap. igitur, & quatuor sequentibus 23. q. 8.* Item si curam habeant alicuius Ecclesiæ vocare possunt, & debent, Principem secularem, qui bellum in defensionem suæ Ecclesiæ aduersus infideles gerat. vt de Aug. *ep. 50. ad Bonifacium* & habetur *ca. Maximianus*, inquit. *Episcopus Vagiensis auxilium petiit ab Imperatore Christiano contra hostes Ecclesiæ, non tam sui vlciscendi causa; quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda.* Hæc August. Possunt etiam clerici indicere bellum, ducemque constituere, qui loco sui bellum exerceat si ad id, propter dominium temporale, iurisdictionem habeant. Ita Doctores communiter: quoniam id postulat dominium ipsum temporale, colligiturq; aperte argumento à simili *ex c. Episcopus, ne clerici, vel monachi lib. 6.* cuius hæc sunt verba. *Episcopus, seu quicunque alius prælatus, vel clericus iurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in iurisdictione sua commisso, balliuo suo, aut alij cuicunque iniungat, vt super hoc veritatem inquirens iustitia debitum exequatur, irregularis censeri non debeat, quamuis ipse balliuus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit iustitia mandante. Nam licet clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum iurisdictionem obtinent temporalem) debent & possunt metu irregularitatis cessante, aliis delegare.* Ecce non denegatur clericis, vt quod ad dominium eorum temporale spectat, etiamsi id sit sanguinem humanum licite fundere, saltem per delegatum exequi possint.

Cap. sententiam, ne clerici, vel monachi, inter alia, quæ propter sanguinis effusionem clericis prohibentur, dicitur. *Nullus quoque clericus ruptarius, vel balliſtarius, aut huiusmodi viris sanguinum præponatur.* Quibus verbis prohibentur præfici in bello, etiam iusto, iis, qui machinas ad rumpendum murum mouent, aut qui quouis alio instrumento pugnant. Vnde esse nõ possunt duces in bello, esto propria manu non pugnent, vt ibidem colligit Panor.

An vero interesse possint bello iusto, & exhortari in eo ad pugnam esto ipsi non pugnent. D. Th. 2. 2. *q. 40. a. 2. ad secundum* ait, fas esse prælatis & clericis ex autoritate superiori interesse bellis, non quidem vt propria manu pugnent, sed vt iuste pugnantibus spiritualiter subueniant suis exhortationibus & absolutionibus, & aliis eiusmodi spiritualib. subuentionibus: sicut & in veteri lege *Iosu. 6.* præcipiebatur, vt sacerdotes sacris buccinis in bellis clangerent. *Atque hoc*, inquit, *primo fuit concessum, vt Episcopi vel Clerici ad bella procederent: quod autem aliqui propria manu pugnent abusionis esse.* His verbis innuere videtur nefas esse Episcopis aut clericis bellis interesse, nisi de consensu suorum superiorum. Confirmari vero id potest *ex cap. reprehensibile & ex cap. quo ausu, 23. qu. 8.* In quorum altero Nicol. ad Ludouicum & Carolum reges ait. *Reprehensibile valde constat esse, quod subintulisti dicendo, maiorem partem omnium Episcoporum die noctuque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maratimos inuigilare, ob idque Episcopi impediantur venire: cum militum Christi sit Christo seruire, militum vero seculi seculo, secundum quod scriptum est. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Quod si seculi milites seculari militiæ studeant, quid ad Episcopos, & milites Christi, nisi vt valent orationibus?* In altero vero Gelasius Elpidio Episcopo ait. *Quo ausu, qua temeritate rescribis, Rauennam te parare proficisci: cum canones euidenter præcipiant, nullum omnino Pontificem, nisi nobis ante visis, atque consultis, ad comitatum debere contendere? Quemadmodum tibi putas licere quod non licet, nisi, quod hoc officio carere festinas, quo his excessibus te ostendis indignum.* Quod vero nefas sit clericis exhortari in bello ad pugnam, videtur haberi expresse *cap. quod in dubiis, de pœnis*, cuius sunt hæc verba. *Quia vero tam sacerdotes, qui gubernant naues ad pugnam, quam qui personaliter exercet conflictum, & hi qui alios incitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant, de rigore canonico eos credimus deponendos.*

4 *Dubium.*

Suadere, Episcopi, vel clericis ad bellum licere ex aliquibus capitibus iuris.

His non obstantibus dicendum est, consensum, saltem præsumptum, superioris sufficere vt Prælati, & Clerici præsentes esse possint bello, imo & vt religiose ac pie in ipsomet conflictu excitent ad victoriam & pugnam in genere quando est aduersus Ecclesiæ, & fidei hostes, modo in particulari non dicant; interfice, aut mutila, sed vel fortiter age, vel ne succũbas, vel pugna strenue pro fide, &c. Minusque in his relinquitur locus dubitationi, vbi viget consuetudo vt in Hispaniis. Neq; aliud, quam primum, videtur voluisse D. Tho. *in responsione ad secundum citata.* Præsumptus vero consensus intelligi potest, quando ac ceditur sine detrimento propriarum ouium, simulq; accedicur: vel ad subueniendum proximis in spiritualibus, vel quia præsentia Ecclesiasticorum, quiac cedunt confert non parum ad defensionem Ecclesiæ propriarum ouium, vel boni communis, vel ad illius notabile augmentum. Eoq; plus locum habet præsumptus consensus superioris, quando cum nihil occurrat vnde contrarium sit credendum, non est facilis ad eum accessus, vt Prælatorum ad Summum Pontificem. Præsumptus vero consensus in re proposita pro expresso haberi debet, præsertim cum ex præsentia & adiutorio in bello iusto nulla incurratur irregularitas, vt disputatione sequenti erit manifestum.

5

Secundum vero asserit & copiosius, quam alii, disputat Nauar. *in man. capite. 27. a numero. 211. vsque ad 217.* consentitque Gratianus dum post *capit. quicunque ex clero. 23. quæst 8.* addit. *Hu ita respondetur. Sacerdotes propria manu arma arripere non debent: sed*

6

sed alios ad arripiendum ad oppreſſorum defenſionem, atque ad inimicorum Dei oppugnationem eis licet hortari. Subiungiturque *cap. igitur, & quatuor ſequentia*, quæ manifeſte probant licere præſulibus, & ſacerdotibus hortari ad pugnam, fortiterque agendum contra hoſtes fidei, præſentesq; eſſe in bello. Poteſtq; confici hoc argumentum. Ante conflictum licitum eſt hortari in genere ad pugnam. & ad fortiter agendum contra hoſtes fidei, vt omnes admittunt, modo tamen non addatur, interfice, aut mutila: ſed non minus inde poteſt miles moueri ad interficiendum, quam ſi eodem modo fieret illi adhortatio in ipſo conflictu ergo ſicut adhortatio illa ante conflictū, eſto inde moueatur miles ad interficiendum, non reputatur cauſa proxima occiſionis aut mutilationis, ad effectum, vt in bello licito clericis non liceat, aut vt propter eam incurrant irregularitatem ſic neque reputabitur in ipſo conflictu. Hæc namque ex iure poſitiuo pendent, expediensque fuit, vt id in bello iuſto, præſertim contra fidei hoſtes ad commune & Eccleſiæ bonum permitteretur. Sicut etiam permiſſum eſt præſulibus, qui dominium habent temporale, iudices conſtituere, qui loco ſui cauſas ſanguinis exequantur, necnon indicere bellum, & conflare exercitum duces præficere, qui ſui loco copias moderentur & pugnent, neq; propterea cenſentur eſſe cauſa propinqua cædium quæ inde ſequuntur, ad effectum, vt vel id eis non liceat, *vel in* irregularitatem incidant. In bello autem iniuſto nō ſolum qui *in* ipſo conflictu: ſed etiam qui ante conflictum adhortaretur, incurreret irregularitatem, ſi mors aliqua aut mutilatio inde eſſet ſecuta.

7 *Ad duo primo capita*

Ad duo ergo capita, quibus probabatur, nefas eſſe Eccleſiaſticis bello intereſſe, dicendum eſt Ioqui, quando præſumptio erat voluntatis Summi Pontificis in contrarium: illi enim vocati erant à Summo Pontifice, neq; venire voluerunt, quod ad bellam proficiſcerentur: & quando eorum præſentia neceſſaria non erat bono communi & Eccleſiæ, quin potius decebat eos non intereſſe, vt ex ipſiſmet capitibus conſtat.

Ad 2. quod in dubiis

Ad *2. quod in dubiis, de pœnis*, reſpondet *gloſſa ibi in eo c.* ſermonem eſſe, quando bellum eſt iniuſtum. Alia autem capita, quæ nos citauimus, decernere eiuſmodi exhortationem licere in bello iuſto. Nauero vult, prædictum caput in dubijs, intelligendū eſſe de exhortatione in particulari ad interficiendum & mutilandum, quo pacto exhortans cauſa eſſet propinqua occiſionis, ſiue ante cōflictum, ſiue in conflictu exhortaretur. non vero de exhortatione in genere ad fortiter pugnandum.

8 *Quantus, in quibus clerico licitum eſt pugnare.*

Sunt vero aliqui caſus in quibus clericis licitum eſt pugnare, & tunc longe maiori cum ratione licitum eis erit exhortari alios, etiam in ipſo conflictu. vt adiuuent & fortiter pugnent, etiam interficiendo & mutilando, quando ita neceſſarium eſt ad finem, ad quem licitum eſt pugnare.

Primus.

Primus eſt, quando clericus non poteſt aliter cōſeruare propriam vitam: tunc enim licitum eſt illi pugnare propria manu. Vnde ſi in naui vita ipſius, vna cum aliorum vita, periclitetur, niſi ipſe pugnet, eſto anceps ſit victoria, licite poteſt pugnare.

9 *Secundus.*

Secundus quando id neceſſarium eſſet ad defenſionem Reipublicæ, patriæ, aut ciuitatis; ita quod, pugnantibus clericis, patria, aut ciuitas vel exercitus conſeruabitur; illis vero non pugnantibus deſtruetur, aut capietur. In hoc autem euentu, vt Caiet. 2. 2. *q.* 40. *a.* 2. probè ait, *non ſolum licitum eſt clericis pugnare, ſed etiam iure naturali ad id tenentur, cui lex poſitiua Eccleſiaſtica nec cenſenda eſt intendiſſe, nec ſi intendiſſet, potuiſſet præiudicare.*

10 *Tertius.*

Tertius, quando id eſſet neceſſarium ad conſecutionem iuſtæ victoriæ, à qua pax & bonum commune Eccleſiæ pendet, ita quod, niſi clerici pugnarent, vel non obtineretur, vel periclitaretur maxime: illis vero pugnantibus obtineretur; tunc enim iure etiam naturali tenerentur pugnare. Quando et iam clericus ſine notabili ſuo periculo interficere poſſet nocentem, idq; neceſſarium omnino eſſet ad defendendam vitam innocentis, qui optaret nocentem interfici, vt ipſe euaderet, teneretur etiam iure naturali illum interficere ad eruendum innocentem à morte, vt tractatu ſequenti oſtendemus.

11 *Quartus.*

Hos omnes caſus admittunt Doctores communiter cum Caiet. loco citato. Tametſi de hoc vltimo quia ad bellum proprie non pertinet, nullam in hac materia mentionem faciant.

12 *Dubium.*

Duo ſuperſunt dubia in hac diſputatione enodanda. Primum eſt, vtrum clerici quando propria manu pugnare non poſſunt, poſſint nihilominus vſurpare hoſtium ſpolia & bona, ſicut alij milites. Quādo namq; licite pugnarent, omnes confitentur accipere poſſe ſtipendium & ſpolia ſicut alij milites.

13

Meo quidem iudicio ſcrupuloſè quidam hac de re loquuntur. Breuiterq; dicendum cenſeo, id pendere ex expreſſa, vel tacita ducis, aut Principis exercitus voluntate & quando aliud nō cōſtat, præſumē dum eam eſſe, vt quod diripuerint ſuum id efficiant clerici, non ſecus ac ſi eſſent milites. Sunt enim vtiles exercitui, imo & pars exercitus non minus, quam milites, atq; adeo gaudere debent commodis belli, ſicut milites: præſertim cum aduerſarij non minus clericorum ſint hoſtes, quam aliorum, qui in exercitu pugnant. Quando autem conſtaret contrariam eſſe ducis voluntatē, illi reſtitutio eorum bonorum eſſet facienda, cui princeps aut dux vellet.

14 *Dubium.*

Secundum eſt, cuiuſmodi peccatum admittant clerici ſi extra caſus in quibus dictum eſt id eis licere, præſumantur. Dicendum eſt; ſi ſint in ordinibus ſacris conſtituti, committi ab eis culpam lethalem, vt communiter Doctores affirmant: Patet, quoniam priuantur vſu ſuorum ordinum, priuariq; poſſunt officio, & iubentur recludi in monaſterio, quod ſi in bello moriantur, licet non priuentur Eccleſiaſtica ſepultura, iubetur tamen ne oblationes, & orationes *offerantur pro eis*: quæ omnia patent *ex ca. quicunq; clericus. 21. clerici. 21. quicunq; ex cler. & c. quo au. 23. q. 8.* tam graues autem pœnæ non imponuntur niſi pro culpa lethali. Si vero ſint ſolum in minoribus conſtituti, diſtinguēdum eſt. Quoniam vel ſunt beneficiati, & tunc timendum eſt, ne forte peccatum ſit lethale pugnare propria manu, non dimiſſo prius beneficio: eo quod inhabiles reddantur ad miniſterium, cui ratione beneficij ſunt addicti quod tandē non minus tenentur ſubire, quam conſtituti in ordinibus ſacris. Si vero beneficiati non ſint, gaudeant tamen priuilegio fori, eo quod habitum & tonſuram deferant, ſimulq; deputati ſint ab Epiſcopo miniſterio alicuius Eccleſiæ, vel habitent in ſeminario, aut de licentia Epiſcopi verſentur in aliqua ſchola aut vniuerſitate quaſi in via ad maiores ordines, peccant venialiter. Quod ſi priuilegio fori non gaudeant, vt ſunt reliqui, credo cum Couar. *in Clem. ſi furioſus. p. 2. §. 3. n. 2.* nec venialiter peccare. Quoniam abſq; vllo ſcrupulo receptum eſt, vt tales iudices ſint in cauſa ſanguinis. & pugnent propria manu: & quoniam quando clerici pugnare & exercere cauſam ſanguinis prohibebantur, ſolum illi minores ordines ſuſcipiebant, qui miniſterio Eccleſiæ deputabantur, aut beneficium obtinebant, vel ad maiores ordines aſpirabant. De religioſis laicis, qui in maioribus ordinibus non ſunt conſtituti, non deſunt, qui affirment culpam lethalem ab eis contrahi, ſi depugnēt: quod confirmant *ex cap. eos qui. 30. q. 3.* id tamen mihi non eſt certum, neq; caput illud id probat, ſed ſolum, ſi apoſtatæ ſint, teneri ſub lethali culpa à militia diſcedere, & honorib. publicis, & regredi ad monaſteriū. Longe tamē maior indecētia eſt religioſos laicos pugnare, quā non religioſos in minoribus ordinibus conſtitutos, idque ratione ſtatus & profeſſionis vitæ

vitæ perfectioris: quare grauius saltem illi peccant, quam isti.

Cle.si furiosus.p.2.§.3.n.2.& p.3.§.1.n.5. longe plus, vult, nempe quoties quis in sui, vel alterius defensionem licite interficit, nõ incurrere irregularitatẽ.

SVMMARIVM.

1 *Cum liceat clericis iure naturali pugnare, an subsecutâ morte alicuius incurrant irregularitatem: referuntur aliquorum sententiæ.*
2 *Refertur contraria aliorum sententia.*
3 *Quando aliquis quemquam occidit aliter mortem vitare valens, incurrit irregularitatem.*
4 *Quando quis ex officio tenetur interdum interficere, interficiendo incurrit irregularitatem.*
5 *Quando quis sub reatu mortali tenetur interficere aliquem renunciando, non incurrit irregularitatem.*
6 *Qui iure naturali tenetur denunciare de crimine, pro quo alius est interficiendus, an incurrat irregularitatem.*
7 *Nulla opus est protestatione, vt irregularitas non incurratur in euentu, quo quis tenetur denunciare.*
8 *Vtrum occidens suum inuasorem, aliter mortem vitare non valens, incurrat irregularitatem.*
9 *Explicatur clementina si furiosus, ex mente Authoris.*
10 *Confirmatur rationibus.*

VTRVM IN EVENTIBVS IN QVIBVS sub lethali culpa tenetur quis concurrere ad mortem aut mutilationem alterius, illa secuta incurrat irregularitatem.

DISPVTATIO. 109.

OCcasione euentuum, in quibus disp. præcedente dictum est teneri clericos iure naturali pugnare quærendum erat, an tunc subsecuta morte aut mutilatione alicuius incurrerẽt irregularitatem. Ne vero eadem quæstio ſæpe repetatur, vniuersim hoc loco, quod propositum est, quærimus.

Caietani, Soti, Nau. de denunciantibus sententia.

Caiet.2.2.q.33.a.7. Soto *de tegendo secreto membro 2. q.4.con.2.& 5.de iust.q.5.a.1.ad 3.* & Nau. *c.inter verba, n.* 620. asserẽrãt, in quibus euẽtibus clerici iure naturali denunciare tenentur de malefactore aliquo ad impediendum damnum Reipublicæ aut proximi, esto id efficiant, indeque mors malefactoris sequatur, non incurrere irregularitatem. Ducuntur, quoniam cum iure naturali id efficere teneantur, leges Ecclesiasticæ, quæ neq; præiudicare possunt, nec volunt naturali ac diuino iuri, intelligendæ non sunt, quasi in eo euentu irregularitatem statuere intendant. Addunt tamen, qui ita denunciant, teneri protestari, se neq; intendere, neq; velle mortem aut mutilationem eius, de quo denunciant, iuxta *c.Prælatis, de hom. li.6.*

De interficientibus Caiet. Nau Glos. & Syl. sententia.

Licet id ita affirmet de clericis denunciantibus, debellantibus tamen in euentibus, in quibus sub rea tu lethalis culpę pugnare tenentur, Caiet. 2.2.q.40. *c.2.*& Nau. *in Ma.c.27.n.213.* afferunt, incurrere irregularitatem, idemq; docent de quocunq;, qui, vt patrem, vel quemuis alium proximum defendat, aliquem interficit, quãdo ad id sub reatu lethalis culpę tenetur: consentiuntq; glossa *in Cle.si furiosus, de hom.* & Syl. *verb.bellum 2.*& alij. Neq; ducuntur alia ratione, quam quod *Cl.citata* solum pronunciet non incurri irregularitatem ab eo, qui, aliter non valens mortem vitare, suum occidit aut mutilat inuasorem. Hinc enim, argumento a contrario sensu: volunt eum, qui, non suum, sed alterius occidit inuasorem, irregularitatem incurrere, esto ad illum occidendum iure naturali sub reatu culpæ lethalis teneatur.

Eorum fundamentum

2 Aliorum contraria sententia.

Contrarium affirmat Fortunius à Nauar. citatus, innuitq; aperte Pan. *Petrus de hom. n.2.* & Vict. *in cõmentariis manu scriptis ad 2.q.40.a.2.* Couar. vero *in*

Sit vero hac de re nostra 1.concl. Quando aliquis aliter mortem, aut mutilationem vitare valens, etiamsi id cum iactura honoris & famæ aut bonorum temporalium, quenquam occidit aut mutilat, vel etiam in defensionem alterius in euentibus, in quibus iuxta ea, quæ tractatu sequenti dicenda sunt, quamuis licite possit, non tamen tenetur interficere, incurrit irregularitatem. Hæc conclusio ostendenda est tractatu sequenti aduersus Couar. 3 *1. Conclus.*

Secunda concl. Quando aliquis ex officio, cui se sponte subiecit tenetur sub reatu lethalis culpæ interficere, vt Iudex, aut princeps malefactores: tũc sane eos interficiendo, aut mutilando, incurrit irregularitatẽ. In hac omnes cõueniunt. Vt enim voluntarie subiicere se voluit muneri, quod id habebat annexum, sic in radice exercere voluit actũ, quo propter defectũ lenitatis minus idoneus redderetur ministerio altaris, eaq; de causa merito statuto Ecclesiæ incurrit irregularitatẽ. Idem accidit, quando sua culpa quis in eas se redegit angustias, vt ad euadendam propriam, aut parentis mortem, necesse sibi esset alium interficere: tunc enim quia id euitare potuit, & debuit, si interficiat, in irregularitatem incidit. Hæc à nobis dicta sunt hoc loco, vt intelligatur, d sparẽ esse rationem in euentibus harũ conclusionum & euentibus sequentis, de quibus hoc loco est controuersia. 4 *2. Conclus.*

Tertia concl. Quando aliquis sub reatu mortali tenetur interficere, aut mutilare aliquem, vel morti illum obicere, aut mutilationi, denunciando, aut quauis alia rõne: idq; non peculiariter ex munere, cui se subiicit, neq; quod sua culpa in eas se redegerit angustias non incurrit irregularitatem, esto illum interficiat aut mutilet, vt sequatur illius interfectio aut mutilatio. 5 *3. Conclus.*

Probatur concl. Primo, argumento ad homines, Caiet. videlicet, & Nauar. qui sane non satis sibi constant. Qui iure naturali tenetur denunciare, de crimine, pro quo alius est interficiendus, non incidit in irregularitatem, esto ex ea denuntiatione sequatur mors denunciati, idque non ob aliã causam, vt ipsimet vna cum Soto recte affirmant. nisi quia cum iure naturali teneantur sub reatu lethali denunciare, per Epicheiam censendum est, leges Ecclesiasticas, quæ iuri naturali præiudicare non possunt, non intendisse, vt in eo euentu incurreretur irregularitas: sed in reliquis euentibus, qui nostra conclusione continentur, non minus tenẽtur homines iure diuino & naturali mutilare, aut interficere, neq; plus sua culpa, aut voluntate inciderunt in eam obligationem, quam in illo priori euentu incidatur: ergo non incurrent irregularitatem, sed per Epicheiam cẽsendi simili modo excepti à legibus, quæ interficientibus aut mutilantibus regularitatem statuunt. 6

Illud ẽt aduersus Sot. Nauar. & Caiet. animaduertendum est, nulla opus esse protestatione, vt irregularitas non incurratur in euentu, in quo quis iure naturali tenetur denunciare: Etenim, quod in hoc euẽtu nulla incurreretur irregularitas, vim habuit, antequam *ca.prælatis, de hom.lib.6.* conderetur; eo quod nunquam hic euentus legibus Ecclesiasticis sit cõprehensus, vt ipsimet Doctores cõcedunt cum ergo protestatio solum habeat locũ; qñ secluſa protestatione irregularitas foret incurrenda, & neq; in illo iure, neq; in alio cõstituatur, vt in hoc euẽtu adhibeatur protestatio ad effectu ne irregularitas incurratur cõsequens profecto est, illam necessariam non esse. 7

Secundo probatur conclusio, & pono; *in Clem. si furiosus, de homic.* illis verbis, *& idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit vel mutilat inuasorem*: non condi nouum ius, sed solum aduersus cuiusdam Ioannis opinionẽ, quæ refertur, & 8

repro-

reprobatur in *glo.c.de his clericis.1.50.di.ſt.* declarari, quid rei natura haberet. Id quod ſuaderi poteſt, tum *ex priori parte illius Clementinæ*, in qua dum dicitur, *ſi furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit*: ſane non conditur nouum ius: neq; enim pro actu non humano quales illi ſunt, quiſpiam incurrit vnquam irregularitatem. Tum etiam ex illo verbo poſterioris: & idem etiam cenſemus: non enim dicitur ſtatuimus, volumus, aut ordinamus, ſed cenſemus, hoc eſt, iudicamus atq; ſentimus, quod verbum declarationem ſane ſonat aperte eius, quod rei natura habebat, non vero nouam iuris diſpoſitionem. Atque hoc ipſum affirmat Nau. ipſe, aduerſus quem diſputamus, in *Man.c.27.nu.211.* idemq; innuunt Sot. 5. *de iuſt.q.1.a.8.ad* 3. Pan. *c.ſicut dignum, de hom.n.14.* & alii. Neq; *c. de his clericis*, citatum, vnde præter Ioannem illum D. etiam Th. *2.2.i.q.1.ar.7.ad* 3. ante illam Clementinam motus eſt ad aſſerendum interfectorem inuaſoris aliter non valentem propriam mortem vitare incurrere irregularitatem, id probat. Etenim in eo ca, non eſt ſermo de iis clericis, qui ſe defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ interfecerunt, non valentes aliter propriam mortem vitare: neque enim in tali homicidio culpa interueniſſet: clerici autem illi culpabiles in eo c. cenſentur narrantur; pœnitentiam egiſſe, & emendatos eſſe. Eodemq; modo intelligendum eſt *caput de his clericis, 2. eadem d.* Eſt enim in eo ſermo de clericis, qui exiſtentes in ciuitate ab hoſtibus obſeſſa, quoſdam ex hoſtibus propria manu peremerunt: cum tamē eam mortem vitare potuiſſent, ac debuiſſent, relinquendo militibus aliisque laicis illius ciuitatis pugnam propria manu cum hoſtibus.

Hoc poſito hunc in modum argumentationem conficio. In *Clem. ſi furioſus*, non conditur nouum ius, ſed per Epicheiā declaratur, nunquā fuiſſe mētē Eccleſiæ, vt qui ſe defendendo cū moderamine inculpatæ tutelæ ſuum occidit inuaſorem, aliter non valens propriam mortem vitare, incurreret irregularitatē: ſed lōge maior & vrgētior eſt neceſsitas interficiēdi, aut mutilādi, mortiue aut mutilationi obiiciendi, quando ius naturale ad id obligat ſub reatu lethalis culpæ, atq; adeo quando id ita neceſſarium eſt ad euadendā mortē animæ, Deūq; nō offēdēdū, quam quando ſolum neceſſariū eſt ad euadendam mortem corporis: ergo multo magis per Epicheiam eſt cenſendum mentem Eccleſiæ non fuiſſe, vt in euentibus noſtræ concluſionis irregularitas contraheretur.

Confirmatur hæc ratio, quoniam neceſsitas interficiendi ad vitandam culpam lethalem, non ſolum ea ratione eſt maior & vrgentior quam neceſſitas interficiendi ad euadendam corporis mortem quatenus ſalus & vita animæ præſtātior eſt vita corporis, præponderatq; non offendere Deum aliis omnibus bonis, ſed etiam quoniam poteſt quis cum magno ſuo merito permittere ſe occidi, ne ipſe aggreſſorem occidat: cum tamen nulla ratione, vel expediat, vel liceat id omittere, quod ſine lethali culpa omitti non poteſt: lōge ergo maior eſt ratio, vt per Epicheiam cenſeamus nunquam mentem Eccleſiæ fuiſſe, vt ex ea occaſione, quę ſine peccato euitari non poteſt, irregularitas contraheretur, quam ex ea, quæ vitari non poteſt ſine amiſſione vitæ propriæ corporis.

Rurſus confirmare poſſumus eandem rationem ſimulq; noſtram concluſionem, quoniam quorſum quando ineuitabili omnino neceſsitate tenetur quis interficere, quia ad id ſub lethali culpa obligat ius naturale, ſtatueret Eccleſia vt incurreretur irregularitas, niſi vt timore irregularitatis proniores redderentur homines ad peccandum lethaliter, Deum offendendum, ſempiternamq; amittendā beatitudinē? Quod impiū eſt de Eccleſia exiſtimare. Quo etiā iure quaue æquitate Eccleſia ſacerdotem vſu ſuorum ordinum cum tanto ſpirituali & temporali ipſius detrimento priuaret, eo quod id efficiat, quod ſine interitu æterno vitare non poteſt, quodq; cum magno merito exercet? Cum ergo hæc omnia abſurda per ſe, & à ratione perquam aliena exiſtant, non erit hominis iuſtis momentis Eccleſiæ prouidentiam ponderatis exiſtimare voluiſſe eam ſuis legibus irregularitate irretire illos, qui in euentibus noſtra concluſione expreſsis morti, aut mutilationi cauſam præbuerunt.

SVMMARIVM.

1 *Non ſolum qui in bello iniuſto pugnant, ſed etiam qui quouis modo opem ferunt irregulares ſunt.*

2 *Clerici in bello iuſto pugnantes non ſunt irregulares licet pugnando mortaliter peccent.*

3 *Clerici pugnantes ex conſenſu ſummi pontificis, non ſunt irregulares.*

QVOVSQVE IN ALIIS EVENTIbus in bello, ſiue iuſto ſiue iniuſto, irregularitas incurratur.

DISPVTATIO 110.

PRima concluſio. Non ſolum qui in bello iniuſto pugnant, ſed etiam qui quouis modo opem vel auxilium dant, exhortando, conſulendo, aut quouis alio modo, imo & qui præſentes ſunt ad quouis ſubſidium, aut adiutorium præſtandum, ſunt irregulares eo ipſo, quod mors, aut mutilatio alicuius in bello ſequatur. Ita colligitur *ex c. ſicut dignum, §. vlt. de hom.* & affirmant. Inn. & Pan. *c. petitio, de hom.* Nauar. *in Man.c.27.n.214.* Couar. *in Cle. ſi furioſus p.2.§ 3.n.2. prope finem.* & doctores communiter. Eſtq; ante oculos habendum, ſingulos in bello reliquis præſidio eſſe, animūq;, audaciam, & quaſi protectionem adhibere. *1. Concluſ.*

Secunda concluſio. Etiam in caſibus, in quibus in bello iuſto clerici pugnando lethaliter peccant, non ſunt irregulares, eſto in bello aliqui interficiantur, aut mutilentur, modo ipſi eos non interficiant, aut mutilent, habetq; id verum, non ſolum ſi in genere exhortentur ad pugnam, fortiterq; dimicandum, armaq; & ſubſidia præbeant, ſed etiamſi ipſi aliquos percutiant, ac vulnerent. Huic concluſioni quadam ex parte fauent. *c. Præſentium & c. continentia. de cle. percuſſore*, ſed aperte colligitur *ex c. petitio: de homicidio*, cui iuri innixi eam amplectuntur Pan. *ibidem* Nauar. *in man.c.27.n.215.* Couar. *in Cle. ſi furioſus. p.2.§.3.n.2.* Doct. communiter. Quod ſi clerici ita pugnando in bello iuſto irregularitatem non incurrūt multo minus illā incurrēt laici licite, & meritorie in eo pugnantes. Huius concluſionis non alia eſt ratio, quam quod cum hæc ex iure poſitiuo pendeant, merito in fauorem belli iuſti, quo Eccleſiæ & Reſpubl. defenduntur ac ampliantur, à Summis Pontificibus conſtituta ſunt: præſertim cum ſi, morte aut mutilatione in bello iuſto ſubſecuta, omnes, qui in eo cōſilium, fauorē, vel auxilium dederunt, irregularitatē incurrerent, ſane in ſingulis iuſtis præliis exercitus totus, innumeraq; alia hominum multitudo maneret irregularis, quod eſſet infinitam penè multitudinem irretire, homines; tardos ad præliandum & adiuuandum in bello iuſto, cum magno Eccleſiæ & Reipublicæ detrimento, reddere. *2. Concluſ.*

Tertia concluſio. Clerici pugnantes ex conſenſu ſeu diſpenſatione Summi Pontificis, etiamſi per ſeipſos interficiant aut mutilent, non incurrunt irregularitatem: ſecus autē de laicis, qui in eodē bello pugnāt. Prior pars concluſionis cū cōmuni Doctorum ſententia aſſerta à nobis fuit diſp. 108. quoniam *3. Concluſ.*

eo ipso Summus Pontifex censetur auferre irregularitatem. Posterior vero ex eo probatur, quoniam cum alij ad id vocentur aut admittantur, quod licite possunt efficere, neq; in eorum exercitio quicquã Summus Pontifex dispenset, sane neque tollere est censendus irregularitatem, quæ ex eo exercitio interdum incurritur, nisi aliud exprimat.

SVMMARIVM.

1 *In bello ius est vti insidiis.*
2 *Est nefas frangere fidem hostibus.*
3 *Promissum iniquum cum hoste seruari non potest.*
4 *Refertur duplex promissum.*
5 *Occurrente diebus festis pugnandi occasione, fas est pugnare.*
6 *Pugnare in die festo sine necessitate, non est culpa lethalis.*
7 *Meditationes bellicæ quousque liceant.*
8 *Quæ torneamenta prohibeantur, quæ non.*

IN BELLO AN LICEAT VTI INsidiis. Hosti quousq; fides sit seruanda. An liceat pugnare in die festo. Et meditationes bellicæ quousq; liceant.

DISPVTATIO III.

HAEc quoque dispuratio ad conditiones liciti belli spectat. Quod ad primum attinet, breuiter dicendum est. Licet nefas sit mentiri hostibus in bello iusto, fas tamen est vti insidiis, occultare consilia, dissimulare, ac simulare multa, quibus hostes decipiantur, capiantur, & vincantur, Primum ex eo est manifestum, quod mentiri sit intrinsecè malum. Secundum vero affirmat Aug. *1. Dominus. 22. qu. 2.* illudque confirmat, quoniam *Iosue 8.* præcepit Deus vti insidiis in bello. Idem potest probari manifeste. quoniam in illis omnibus non interuenit mendacium. Tum quia Christus absque mendacio finxit, se longius ire. Tum etiam quoniam in illis nihil affirmatur, aut negatur: quare cum in bello iusto fas sit nocere hostibus, fas quoq; erit ea omnia eo animo efficere, vt hostes decipiantur, quo ita facilius vincantur, capiantur, & euertantur.

Quod vero attinet ad secundum, dicendum est. Nefas esse frangere fidem hostibus, non stando iustè promissis: iusteve cum eisdem constitutis. Vnde Aug. *ad Bonifacium 12. Nolo. 23. q. 1. Fides quando promittur, etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico, pro quo pugnatur. Quod si aduersarius promissa, cum eo ve constituta non stabat, neque nos stare illi tenemur.* Verbi gratia, si induciæ, quas *treguas* vocant, ad tempus essent constitutæ, & aduersarius eas non seruaret, neque nos seruare eas teneremur, esto iuramento essent confirmatæ. Quoniam pactum semper habet tacitam illam conditionem, *modo tu illa serues.* Quod si simul multa constituerentur ad pacem componendam, & aduersarius fidem in vno eorum non seruaret, neque nos in illo & reliquis tenemur stare constitutis: quoniam semper habent tacitam illam conditionem, *modo tũ vicissim omnia serues.*

Si promissum, conuentum ve cum hoste, ex obiecto iniquum ac malum esset, seruari non posset, esto iuramento esset confirmatum. *In malis namque promissis* ait Isidor. *cap. in malis. 22. qu. 4. rescinde fidem.* Tritumque est axioma: *iuramentum non esse vinculum iniquitatis*, hoc est, ad malum non obligare.

Quod si id, quod promissum est, onerosum sit & graue; distinguendum est. Aut enim constat iniuste exigi & accipi ab hostibus, aut non. In hoc secundo euentu soluendum est, quantumuis id graue sit, & esto promissum fuerit ad euadendam mortem vincula, aut aliud graue malum, vt si bello iusto, aut certe, de quo non constaret fuisse iniustum, princeps esset captus, & in illius redemptionem, vel ingens pecuniæ copia quotannis soluenda, vel graue aliquod tributum fuisset promissum. Si autem constat iniuste exigi & accipi ab hostibus, promissioq; iuramento non fuit confirmata, tunc talis promissio fuit nulla, neq; est adimplenda. Si vero fuit iuramento confirmata, obligat sub lethali culpa: eo quod licet hostis iniuste id accipiat, qui tamen sub iuramento promisit, nihil mali facit implendo: vt *ex c. debitores, de iure iurando, & ex aliis iuribus* constat. Neque obtenta relaxatione iuramenti à prælato eius, qui tali iuramento se astrinxit, tollitur illa obligatio: sed necessaria est relaxatio per superiorem eius, cui est præstitum, vt disp. 149. parebit.

Quod ad tertium attinet, dicendum est. Non solum vrgente necessitate sed etiam occurrente occasione melius pugnandi, consequendique victoriam, fas esse pugnare diebus festis: quin & fas esse ea de causa sacrum omittere. Hoc totum colligit optime Caiet. *2. 2. qu. 40. art. 4. ex c. licet, de feriis.* Si namque ad capiendos pisces, qui certis quibusdam temporibus aduenium, fas est piscari in die festo, vt in *eo ca.* conceditur, longe maiori cum ratione fas erit pugnare in die festo occurrente occasione id tunc efficiendi, consequendique victoriam in tantum Reipublicæ bonum. Consonat etiam *cap. si nulla. 23. q. 8.* vbi Nicolaus Papa ad cõsulta Bulgarorum respondet: *Si nulla vrget necessitas, non solum in quadragesimali tempore, sed omni est a prælijs abstinendum: si autem inexcusabilis vrget importunitas, nulli tempori belli præparationi esse parcendum.*

Dicendum deinde est: pugnare in die festo, etiam sine necessitate & maiori commoditate, non esse lethalem culpam: modo sacrum non omittatur, si commoditas sit illud audiendi. Probatur, quoniam pugnare, quod indifferenter exercetur à magnatibus & principibus, non plus est opus seruile, quam hastiludium, & aliæ meditationes belli ac ludi publici: quare sicut hæc absque lethali culpa exercentur in die festo, eo quod seruilia opera non sint, ita & pugna exerceri valet. Quin & absq; veniali exerceri forte potest, præsertim à militibus, qui iusta pugna distrahi non solent à rebus spiritualibus. sed potius occasio illis esse solet vitandi peccata lethalia. Illud etiam est admonendum *caput primum, de treg. & pace*, quod certis anni temporibus bellum inter Christianos interdicit, receptum non fuisse, vt glossa, & Panibid. affirmant.

Quod denique attinet ad quartum, hæc regula statuenda est cum D. Thom. *2. 2. qu. 40. articul. 1. ad quartum.* Meditationes bellicas, ludosve militares, vt sunt hastiludium, torneamenta, equestris ludus mutuà arundinum iaculatione, &c. si ita fiant, vt ex illis non immineat vt plurimum periculum mortis, mutilationis vel notabilis vulneris, esto raro aliquã do aliquid horũ sequatur, licitos esse. Quod si ita fiant, vt maius periculum immineat, vetitos esse diuina lege sub culpa lethali. Prudenter vero admonet Victoria *in relectione de homicidio num. 32.* iudicando in particulari, an aliquis horum ludorum licitus sit, vel non, simul habendam esse rationem quantitatis periculi, quod ex illo imminet, & vtilitatis communis, quę ex eiusmodi ludi exercitatione dimanat, quatenus inde homines habiliores redduntur ad pugnam, & ad Reipublicæ & Ecclesiæ defensionem: in bonum namque commune fas est periculum ali, quod subire, Rempublicam ve sibi subditis illud permittere.

Licet ergo extra de torneamentis, ea prohibeantur torneamenta, quæ cum probabili, & frequenti periculo mortis fiunt, præcipiaturque, vt qui in eis vel ex vulnere in eis recepto mortuus fuerit, etiamsi pœniteat, ecclesiastica careat sepultura: nihilominus, si

nus, si torneam enta ea moderatione & cautela fiant, vt ex illis periculum probabile mortis non immineat, quo pacto in Hispaniis fieri consueuerunt, prohibita non sunt, quin in *extrauagāti vnica de tornea mē. à Ioan. 22.* permittuntur. Ita Maior *in 4. dist. 15. q. 5.* Nauar. *in Manu. ca. 15. num. 9* & Doctores cōmuniter. A

SVMMARIVM.

1 *Licitum est extraneis, bellum iustum gerentibus, eis auxilio esse: idq; probatur exemplo. n. 2. 3.*
4 *Fas est adiuuare fideles in bello iusto.*
5 *An liceat Principem infidelem in adiutorium vocare.*

QVANDO DE IVSTITIA BELLI constat, licitum est extraneis ad id inuare, & an liceat vocare infideles in adiutorium. B

DISPVTATIO 112.

1 COnsequenter dicendum est de adiuuantibus ad bellū. Et primo: quando de iustitia belli constat. Et quidem ex dictis, præsertim disput. 105. facile patet licitum esse non solum de expresso, sed etiam de præsumpto consensu eorum, quos constat bellum iustum gerere, partes eorum agere, ipsosque adiuuare: quoniam id non aliud est, quam cooperari ad id quod bonum, iustumque est, accepta ad id autoritate ab eo, qui illam potest conferre. Quin si illi periclitarentur, aduersus quos bellum iniustum infertur, possetque quis eos sine notabili suo detrimento eruere ab interitu, teneretur id efficere sub reatu lethalis culpæ. C

2 De expresso consensu Ioram regis Israel, imo ad illius petitionem adiuuit eum Iosaphat Rex Iudæ 4. *Reg. 3.* aduersus Masam Regem Moab: eo quod fregisset iniuste fœdus, nollentque soluere centum millia agnorum & totidē arietum cum velleribus suis, quæ quotannis Regi Israel soluere tenebatur iuste que & sancte Iosaphat auxilium illud præstitisse, vel ex Elisei responso in gratiam Iosaphat, miraculoque subsecuto, quo duo illi Reges victoriam reportarunt, est manifestum.

3 De præsumpto vero consensu Regis Sodomorum, nec non ad liberandum Loth innocentem, licitum ac sanctum fuit Abrahami adiutorium *Gen. 14.* quo prædam tulit de manu Regis Chodorlahomor & aliorum, qui cum eo erant. Hæc quod attinet ad primum eorum quæ proposita sunt. D

4 Quod vero attinet ad secundum, quæstionem inter alios disputant Maior *in 4. d. 15. q. 20.* & D. Anton. *3. p. tit. 4. c. 2. §. 11.* In primisque nullus dubitat fas esse adiuuare infideles in bello iusto, quod aduersus alios infideles habeant. Itemque inire fœdus cum illis aduersus alios infideles: quo pacto Macchabæi fœdus cum Romanis aduersus idololatras alios iniere.

5 Deinde vero, quod ad rem propositam attinet, paucis dicendum est. Per se quidem, nullis aliis circumstantiis spectatis licitum id esse: eo quod vt quilibet conducere licite potest milites infideles ad iuste se defendendum, regnumque suum, vel sua recuperandum: sic etiam vocare in suum adiutorium potest principem infidelem: per accidens tamen ratione scandali & damnorum, quæ Ecclesiæ inde possent prouenire, si Ecclesiæ hostes ea ratione maiores vires aduersus Ecclesiam assumerent, terrasque fidelium ingrederentur, & vel eas deuastarent, vel captiuos fideles deferrent, eosque apostatare facerent, vel alias iniustitias exercerent, suisque prauis moribus verbo & exemplo fideles inficerent, fœdissimum id regulariter esse & illicitum. E

SVMMARIVM.

1 *An subdito de iustitia aut iniustitia belli non constet licitum sit pugnare.*
2 *Qui ad Principis consilium vocantur, tenentur de belli iustitia inquirere.*
3 *Minores de Repub. non tenentur belli causam examinare nisi apertæ sint indicia iniustitiæ.*
4 *Prima pars probatur, & variæ eius redduntur rationes.*
5 *An subditis dubitantibus an bellum sit iustum, liceat pugnare.*
6 *Subdito dubitanti an bellum sit iustum, accedente Principis præcepto, licitum est pugnare.*
7 *An milites mercede conducti dubij de bello, parere teneantur Principi pugnare præcipienti.*
8 *An subditi comperientes bellum esse iniustum teneantur damna restituere.*
9 *An si subditus dubius de belli iustitia, & an sibi liceret ire ad bellum, pugnaret, teneretur damna restituere.*

SVBDITI NVM IN QVIRERE TENEANTUR de iustitia belli, & in dubio an possint pugnare.

DISPVTATIO 113.

1 INter cooperātes ad bellum, quidam subditi sunt illud inferentes, alij vero extranei. De extraneis dicemus disputatione sequenti: de subditis vero examinandum est modo, an quando neq; de iustitia, neque de iniustitia belli ipsis constat, quicquam inquirere teneantur, & num in dubio, an bellum iustum sit, licite possint pugnare.

Sit vero prima conclusio. Qui ad Principis consilium, vel vocantur, vel admittuntur, inquirere & examinare tenētur iustitiam belli, adeo, vt si eorum malitia, aut culpabili negligentia bellum iniustum inferatur, restituere teneantur damna omnia inde secuta. Probatur, quoniam qui impedire potest damna grauissima, quæ bello iniusto proximis inferuntur, sane lethaliter peccat, nisi illa impediat, teneturque ad eorum restitutionē, si ex officio id illi incumbit, saltē quia mundus ferendi iudicium circa iustitiam belli in se suscepit. sed ij, de quibus loquimur, non solum inquirēdo diligenter de iustitia belli, ea possunt impedire, sed etiam id eis committitur, eorumq; iudicio acquiescunt princeps, & cæteri de Republica; ergo inquirere & examinare tenētur diligenter iustitiam belli, adeo vt si eorum culpabili negligētia bellum iniustum inferatur, restituere teneantur damna omnia secuta. Qui autem ex officio non teneretur, suspicaretur tamen rem non fuisse satis examinatam, bellumq; esse iniustum, & sperare sua industria, & deligentia veritatem compertum, foreq; audiendum contra charitatem lethaliter peccaret, nisi veritatē inquireret, ac patefaceret. 2 Conclus.

Secunda conclusio. Minores de Republica non tenētur examinare causam belli, sed tuto pugnare possunt, committētes se iudicio aut definitioni Principis, & eorum, qui Principi sunt à cōsiliis. Idē dicendū est de iis sapientibus, quibus ius dicium de causa belli non esset commissum, quando indicia non essent iniustitiæ. Tam aperta vero esse possent indicia iniustitiæ belli, & tales de eo rumores, vt non solum sapiētes, sed etiam communes milites tenerentur rem examinare, aut de ea ab aliis inquirere, vnusquisque pro captu suo, aliterq; ignorātia nō excusaret eosà peccato, & ab onere restituendi. In hac conclusione cōsentire videtur Vict. *de iure belli n. 25. & 26.* Gab. *in 4. d. 15. q. 4. con. 4.* Sot. *5. de iust. q. 3. a. 3. d 1.* D. Tho. *2. 2. q. 40. a. 1.* & multi alij. 3 3. Conclus.

Prima pars probatur, quoniā neq; fieri potest, neque expedit, vt ratio negotiorum publicorū omnibus 4

bus de plebe reddatur, neq; illi sufficientes sunt ea examinare, aut etiam percipere. Perfectus etiam obediens non disputat, sed paret, decetq; illum recta de suo superiore præsumere atq; sentire, quando ne que iudicia, neq; rumor sunt in contrarium. Valde præterea durum esset astringere subditos, vt, audito superioris præcepto, tenèrentur adire sapientes, & de iustitia illius inquirere. Secunda vero ex eo probatur, quoniam illa videtur sufficiens diligentia, argumentumq; sufficiens iustitiæ belli, vt etiam sapientes tuto se possint committere Principis definitioni præsertim cũ non minus subditi sint, quam alij. Tertia vero probatur, quoniam quando ejusmodi adesſent indicia & rumores de iniustitia belli, hæc ipsa suadent subditos non debere se committere Principis definitioni, sed debere aliunde inquirere & perscrutari rem, prout quisq; commode posset: alioquin ignorantia esset quasi affectata nolentis intelligere, vt bene ageret; quæ sane nec à culpa, nec à restituendi onere excusaret. Possumusq; id confirmare, quoniam aliter Turcę, & Saraceni sequentes Principes suos in bello contra Christianos, & milites, qui ad Iudæorum & Pilati imperiũ Christum comprehenderunt, iniuriis affecerunt, ac crucifixerunt, excusarentur à culpa: quod nulla ratione est dicendum.

Tertia conclusio. In dubio subditorum an bellũ sit instum, licitum est illis pugnare. Contrarium asserunt Adria. *quodli. 2. ad 1. circa 2. punctum*, idemq; innuit *de restitutione in q. aggredior casu. §. sed cum.* Nostra tamen conclusio communis est Doctorum, eam affirmant Vict. *de iure belli n.* 31. Caiet. & Ang. *verb. bellum*, Driedo *2. de libertate Christiana, c. 6.* Gab. *in 4. d. 15. qu. 4.* Maior *eadem d. q. 20.* & plerique alij. Est etiam expressa Aug. *c. quid culpatur 23. q. 1. ex 22. contra Faustum. c. 75.* vbi ait. *Vir iustus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, si, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est: ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Ex quibus verbis glossa in eo c. colligit in dubiis esse semper obediendum. Quod nos late ostendimus. *1. 3. q. 29. art. 6.* addentes cum communi Doctorum sententia, intelligendum id esse, de dubio speculatiuo, nõ vero de practico, aduersusquod non licet agere, nisi deposito prius dubio. Quod quia non aduertit Adria. ab aperta D. Aug. communiq; Dd. sententia discessit. In re autẽ, de qua disputamus, dubium speculatiuũ est, vtrũ bellũ, quod meus Princeps gerit, iustũ sit. Practicum vero, vtrum dũ de iustitia huius belli dubius sum, fas sit adiuuare meũ Principẽ. Quod vero nostra conclusione asseueramus, est, manẽte priori dubio, fas esse subditis adiuuare in eo bello, ac proinde non esse dubium, sed certum, id licere. Sicut enim insurgente dubio speculatiuo, an quod hactenus bona fide possedi, meum sit, nec ne, possim licite illud retinere: quia cum in dubio, sit melior conditio possidentis, simul cum eo dubio est certum licite me illud retinere: sic etiam, cum subditus suæ Reipublicæ ac Principi sit deuinctus, bonumq; illius præponere debeat bono cuiusuis alterius, saneinterim dum illi non constat de iniustitia suæ Reipublicæ, debet illi fauere, eamque adiuuare.

6 Illud circa rem, de qua disputamus, est addendũ, esto subditus non solum dubitaret, an bellum sui Principis esset iustum, sed etiam an perſistente eo dubio licitum sibi esset pugnare, accedente Principis præcepto, quo pugnare præciperet, fas illi esset, teneturque pugnare. Ratio est quoniam licet secundum hoc dubium sit practicum comparatione illius prioris, eoq; perseuerante nefas sit contra illud agere, interim dũ nõ aduenit circũstantia, quę transire illud faciat de practico in speculatiuũ: quia tamẽ præceptum Principis transit in speculatiuũ cõparatione huius alterius quæstionis: an in dubio, num aliquid liceat adueniente præcepto superioris sit parendum: constatq; parendum tunc esse, vt 1. 2. loco citato late ostendimus, inde profecto est, quod, nihil impediente vtroque dubio, licitum illi sit, teneaturque in eo euentu pugnare.

Caiet. *in summa verb. bellum*, & alij volunt, nomine 7
subditorum, vt in dubio pugnare possint, parereq; Principi pugnare præcipienti teneantur, intelligi etiam milites alienigenas mercede conductos, qui continuis stipendiis sub eodem Principe degunt. tam tempore pacis, quam belli. Placetque hoc: quoniam hi tanquam famuli reputantur, qui similiter in dubio parere tenentur heris, qui mercede illos iam antea conduxerant: quamuis forte hi ad maiorem diligentiam adhibendam teneri videantur, vt sciant de iniustitia belli, quando aliqua apparent indicia quam indigenæ de Republica, & in dubio, si multum propendeant bellum esse iniustum, integrumq; illis sit discedere, quia expleuerunt tempus pro quo se militię astrinxerant, videantur teneri discedere.

Dubium est, vtrum subditi, qui modo explicato 8
licite in dubio pugnant, si postea comperiant bellũ à parte ipsorum fuisse iniustum, teneantur restituere damna; quæ dederunt Respondendumq; est, neque illos, neq; quoscunq; alios, qui absque peccato fuerunt causa illius belli, teneri aliud restituere, quã si quid hostium in ipsorum potestate fuerit repertũ: aut ex illo fuerint facti locupletiores. Ratio est, quoniam cum non peccauerint, solum tenentur restituere ex parte rei acceptæ, si permaneat, vel quantũ ex ea facti sint locupletiores. Reiicienda est ergo, cũ Vict. *de iure belli n* 32. & 33. sententia Syl. *verb. bellum 1. qu. 9.* asserentis eos, qui dubij de iustitia belli pugnant licet non peccent, excusante eos obedientia superioris, cognita tamen postea iniustitia belli, tenerí restituere quæ consumpserunt, & in quibus non sunt facti locupletiores.

Victoria loco citato subiungit, si talis subditus 9
(non solum dubius de iustitia belli, sed etiam dubius an sibi ita dubio liceret ire ad bellum) pugnaret, teneretur restituere damna, quæ daret, esto ex illis nõ esset factus locupletior. Ratio illius est, quoniam fecit contra conscientiam, ac proinde peccauit dando illa damna. Mihi vero contrarium videtur probabilius. Nam ille reuera, secluso errore cõscientię, ius habebat pugnandi, inferendiq; ea damna, esto de iustitia belli dubitaret, vt Vict. admittit: iniustitia autem, quæ prouenit ex conscientia erronea, qua quis putat se iniuste facere quod facit iuste, non inducit obligationem restituendi ex parte iniustæ acceptionis.

SVMMARIVM.

1 *An extranei peccent auxilium ad bellum præstando non adhibita inquisitione.*
2 *Extraneus auxilium ad bellum præstans cui periculo se exponat.*
3 *An extranei cooperantes ac bellum cum peccato contra iustitiam teneantur ad damnorum restitutionem.*
4 *Cum Princeps dubius de belli iustitia, bellum intulit, tenetur damna hostibus restituere.*
5 *Cum non constat, quali cum conscientia Princeps bellum intulit, quomodo adiuuantes teneantur damnum restituere.*

EXTRANEI, NISI CERTI SINT de iustitia belli, an peccent auxilium præstando, & ad quantam restitutionem teneantur.

DISPVTATIO 114.

EXtranei lethaliter peccant contra iustitiam, si vel seipsos locent, vel quouis alio modo ad bellum

lum præstent auxilia, nisi, adhibita prius morali, ac debita inquisitione, merito sibi persuadeant iustum esse bellum ex parte eorum, quos adiuuare volunt. Ita Caiet. *in summa ver. bellum*, Driedo *de libert. Christ. c. 6.* Syl. *ver. bellum 1. q. 9.* Gab. *in 4. d. 15. q. 4. a. 2. concl. 4.* Maior *ibid. q. 20. con. 4.* & doctores cõmuniter. Vnde merito infertur, eos milites, qui parati sunt sequi ad bellum quemeunq; vocantem non curando an bellum sit iustum: nec nesin statu esse damnationis, neq; posse absolui. Quod intelligendum etiam est de ijs subditis, qui parati sunt sequi suum principem, esto constet de iniustit a belli. Intellige tamen, modo actum ea de re eliciant; habitibus namque neq; meremur, neq; demeremur.

2 Præcipuum assertum ex eo probatur, quod extraneus auxilium ad bellum præstans, non prius sibi merito persuadens iustum illud esse periculo se exponit, inferendi grauissimam iniuriam aduersarijs, coniunctam cum damno vitæ, aliorumq; bonorum, quibus ijdem potiuntur: cum ergo neq; causam, neque circumstantiam habeat, quæ illum excuset, vt habet subditus, qui in dubio fauere debet suæ Reipublicæ, parereq; debet suo superiori, consequens profecto est, vt contra iustitiam lethaliter peccet.

Hinc patet, hoc locum non habere in illis extraneis; qui ante bellum illud suas operas principi illi ad pugnandum locauerant: hi namq; eo ipso sunt subditi, & in dubio, an bellum sit iustum parere possunt & tenentur, vt disputatione præcedente cum Caiet. dictum est.

3 Petes, vtrum extranei qui ita cum peccato contra iustitiam cooperantur ad bellum, teneantur semper ad restitutionem damnorum, quæ illata fuerint, & ad quantam restitutionem tenentur. Respondeo. Si postea illis constat, iustum in se fuisse bellum, cui adiutorium præstiterunt, ad nullam teneri restitutionem. Quoniam satis est bellum materialiter fuisse iustum, vt non consurgat obligatio restituendi. Confirmareq; id possumus, quoniam adiuuantes ad bellum cum peccato non tenentur restituere nisi in defectum Principis, qui causa fuit præcipua omnium damnorum: sed princeps, quando bellum fuit iustum, id q; sibi constabat, ad nullam restitutionem tenetur, eo quod iuste ea omnia damna intulerit: ergo neq; cæteri, qui illum adiuuarunt, esto cum peccato id egerint, tenentur ad restitutionem.

Quod si constaret postea de iniustitia belli, tenerentur restituere damna omnia illata, eo quod ipsi iniuste formaliter, & materialiter ea dedissent. Tenerentur tamen ea restituere in defectum Principis, qui causa fuit præcipua eorum omnium damnorum Nisi tamen princeps propter inuincibilem ignorantiam excusaretur à culpa: tunc enim ipsi soli restituere tenerentur, tum damna omnia, quæ ipsi dedissent tum etiam illa, quæ data non essent, nisi ipsi eo in bello auxilium præstitissent.

4 Si vero, confecto bello, adhibitaq; debita diligẽtia, dubium maneret an bellum iustum fuerit: distinguendum est. Quoniam si princeps, quando bellum intulit, dubius etiam erat de iustitia belli. omnia damna integre sunt aduersarijs restituenda. Sicut enim qui dubius, an aliquid ad se pertineat, illud vsurpat ab eo, qui bona fide illud cœpit possidere, & lethaliter peccat, & tenetur integre illud ei restituere: sic, qui dubius, an iuste possit damnum inferre proximo, illud infert, & lethaliter peccat, & tenetur integre illud restituere: quia in vtroq; eorum melior est conditio illius, qui bona fide erat in possessione suorum bonorum. Tunc tamen adiuuantes in bello solum tenerentur restituere in defectum principis, qui præcipua causa iniusta illorum damnorum extitit.

5 Si vero non constaret, quali cum conscientia princeps bellum intulerit, neq; ille vllam faciat restitutionem, tunc, qui in eo bello adiuuerunt, tenentur restituere partem damnorum, quorum fuerunt causa, maiorem vel minorem prudentis arbitrio, pro quã titate dubij, veri similitudinis ve maioris, vel minoris, quod bellum fuerit iniustum. Cum enim; si iustitia esset à parte illius, quem adiuuerunt, ad nullam ipsi tenerentur restitutionem, sane in dubio, an bellum iustum fuerit, solum restituere tenebuntur pro quantitate dubij, quod in ipsis est, an bellum illius, cui opem viresq; dederunt, cum iustitia fuerit an cum iniustitia coniunctum.

SVMMARIVM.

1 *Cooperante, bello iniusto tenentur ad restitutionem damnorum.*
2 *Christiani captiui an peccent ministeria in bello præstando aduersus Christianos.*
3 *Mortis metu non est illis fas contra Christianos pugnare.*
4 *Metu mortis fas est remigare in triremibus infidelium.*
5 *Non imminente mortis periculo an teneantur captiui auxiliari.*
6 *Quando ex eo, quod quis non operatur maximum Reipubl. damnum vitari posset, tenetur is cum periculo vitæ id non efficere.*
7 *Mortis metu fas est captiuis nocumentum inferre Christianis.*
8 *An restituere teneantur damna, quæ ita dederint.*
9 *An liceat ad alterius peccatum cooperari.*

DE COOPERANTIBVS IN BELLO iniusto, & an Christiani captiui, qui remigant, & alia obsequia in bello Turcarum aduersus fideles præstant, peccent, restituereque teneantur.

DISPVTATIO 115.

QVando de iniustitia belli constat, tunc, qui ad illud vel pugnando, vel quouis alio modo adiutorium præstant, & peccant lethaliter, & tenentur restituere damna omnia inde secuta, vt ex se est manifestum, affirmatque communis doctorum sententia. Ne vero eadem principia sæpius repetantur, inferius in materia de restitutione ostendemus, an singuli militantes in eiusmodi bello, in aliorum defectum, restituere teneantur damna omnia, quæ exercitus dederit. 1

Est autem dubium per difficile, an Christiani captiui, quibus de iniustitia belli Turcarum, & Saracenorum aduersus Christianos constat, lethaliter peccent remigando in triremibus quando Christianos inuadunt: itemque asportando sarcinas & necessaria ad bellum aduersus Christianos: ad extremum eosdem fidei hostes humeris, manuq; iuuando ad castra munienda, ædificanda propugnacula, aliaque eiusdem generis militari labore opera perficienda. 2 *Christiani captiui an peccent ministeria in bello præstãdo aduersus Christianos.*

Nauar. *in Manu. c. 27. num. 63.* & fusius, *cap. ita quorundam. not. 11.* asseuerat, Christianos eo pacto remigantes, lethaliter peccare atque idem credo diceret de alijs, quæ nunc breuiter percensuimus numerando. Ducitur, quoniam cooperãtur ad lethale peccatũ similia imperantium: quod neque mortis metu pro posito licet. *Nauar. sententia.* *Illius fundamentum*

Sit tamen prima conclusio. Neque mortis metu fas illis est pugnare aduersus Christianos quenquam interficiendo, vulnerando, aut percutiendo. Probatur, quoniã id est intrinsece malum, vtpote innocẽtis percussio absque authoritate aut iure ad id faciendum quod neq; efficere, neq; adoriri, intendere, aut suadere licet. 3 *1. Conclus.*

Secunda conclusio. Metu mortis, aut notabilis alterius detrimenti, fas est remigare in triremibus infidelium, reliquaque præstare, quæ commemorata sunt. Probatur, quoniam licet ea omnia præcipian- 4 *2. Conclus.*

piantur, & ordinentur ab infidelibus ad malum finem, peccatumque lethale: in se tamen mala non sunt, vt remigare versus Christianos, asportare sarcinas, & arma, admouere scalas, construere propugnacula, &c. sed sunt ex se indifferentia: & quamuis à Christianis captiuis accommodatè fiant ad finem infidelium, non tamen fiunt ab eis propter eum finem, sed ad euadendam propriam mortem, notabilesq; proprium detrimentum, qui sunt fines optimi: facere autem, quod ex se non est malum, & propter optimum finem, sane malum non est, sed bonum, esto, qui id ita efficit, videat inde euenturum malum alijs ex alterius nequitia & prauitate: præsertim cum charitatis ordine fas sit præponere vitam propriam aliorum vitæ: & cum is, qui id ita efficit, videat non defuturum alium, qui idem efficiat, esto ipse id non faciat, atque adeo vitandum non esse damnum proximi.

5 Tertia conclusio. Non imminente mortis peri-
3. Conclus. culo, aut notabilis alterius detrimenti, lethalis culpa erit quicquam illorum efficere, atq; adeo, quando commode potuerint, tenentur captiui ea vitare. Probatur, quoniam illa re ipsa cedunt in damnum & iniuriam innocentum, tametsi alterius malitia, ad id quæ ordinantur ab eis, à quibus præcipiuntur: quinis autem si commode possit, impedire tenetur damna, quæ proximis iniuste inferuntur, nedum ad illa neque per accidens cooperari.

6 Quarta conclusio. Quando ex eo, quod quis eo
4. Conclus. modo non cooperaretur, maximum Reipublicæ damnum euitari posset, vt captio insignis castri, aut *ciuitatis aut regis vel alterius personæ* quæ multũ communi bono referret, teneretur is, etiam cum periculo propriæ vitæ, id non efficere. Probatur, quoniam pro maximo Reipublicæ bono tenetur quisq; sub reatu lethalis culpæ vitam propriam exponere, vt in materia de charitate ostensum est. Raro tamen id euenit: tum quia raro eiusmodi euentus occurrat: tum etiam quoniam rarò ex eo, quod quis id non efficeret, vitaretur prædictum malum: eo quod non deessent alij, qui id ipsum præstarent.

7 Quinta conclusio. Mortis metu, aut amissionis
5. Conclus. membri, f sefe eiusmodi captiuis nocumentum inferre Christianis in bonis externis, ea ad infidelium Imperium destruendo, capiendo, & ad triremes asportando. Probatur quoniam in eo euentu sunt in extrema necessitate illorum bonorum ad vtam propriam cõseruandam: ergo quantũm fas est cuique in extrema necessitate sumere de bonis aliorũ ad conseruandam propriam vitam, tantum damni fas erit eiusmodi captiuis inferre bonis aliorum ad vitam propriam tuẽdam: præsertim cum, si ipsi non cooperentur ad illud damnum, defuturi non sint, qui illud similiter inferant.

8 Quod si petas, an restituere teneantur damna, quæ ita dederint. De iustitiæ rigore, iuxta ea, quæ in materia de eleemosyna diximus, dicendum est teneri. Attamen regulariter credendum est Christianos, neque ab illis restitutionem expectare, neque eam velle. Quoniã, præterquam quod mortis metu, & non in commodum proprium id effecerint, defuturi non erant; qui idem damnum darent.

Ad fundamentum Nauarri. Ad fundamentum, cui Nauarrus nititur, dicendum est. Licet cooperari ad peccatum alterius, quando quod à cooperante fit est intrinsece malum, nũquam liceat; cooperari tamen aliquid quod indifferẽs est de se, licere iusta de causa & optimo fine: esto nequitia alterius ad malum & peccatum ordinetur. Fieri etiam optime posse, vt quod comparatione vnius peccatum est, vt destruere, aut auferre aliena inuito domino, comparatione alterius, qui extreme rebus illis indiget, nullum sit peccatum, vt explicatum est.

(··)

SVMMARIVM.

1 *Princeps tenetur militi stipendium soluere.*
2 *Miles pro stipendio tenetur seruare stationem.*
3 *Miles non potest relinquere castra sine Principis facultate.*
4 *Milites contenti esse debent stipendio suo.*
5 *Quænam à furto bonorum Principis dependeant.*
6 *Parantes necessaria ad belli expeditionem, si pessimum commentum militibus præparent, vnde multum damni oriatur, tenentur ad restitutionem.*
7 *An liceat dari pretium oppidanorum oblatum, ne ad illos milites diuertant, recipere.*
8 *Quoddam iniustitiæ peccatum à militibus committi solitum.*
9 *Milites exigentes à rusticis plus quam dare teneantur, tenentur ad restitutionem.*
10 *Milites in extrema famis necessitate constituti, possunt ab illis necessaria accipere.*
11 *Hospitium est in quibusdam locis ligna & paleas militibus tribuere.*

DE PRINCIPE COMPARATIONE militum, & de militibus Principis, hostiumq; comparatione.

DISPVTAT. 116.

MIliti debitum est de iustitia stipendium cũm eo constitutum. Quod si non soluatur, tenetur Princeps ad restitutionem. Licitumque est militi occultam facere compensationem, si sine scandalo possit, neque alia via speret solutionem. Patet, quoniam interuenit contractus locationis & conductionis inter militem & Principem: & quemadmodum miles contractum impleuit ac inseruiit, ita Princeps tenetur illi soluere pretium constitutum & pro merito. 1

Miles vicissim pro stipendio, etiam cum vitæ periculo tenetur seruare stationem, defendere arcem aut quod ûis aliud sibi commissum, sub reatu culpæ lethalis. Fauet. *l. 3 ff. ad legem Iuliam maiest.* qua capite plectuntur, qui hostibus cedunt. Quin, si fuga sua causa sit damnorum de iustitiæ rigore tenetur ea restituere: quoniam ex officio, pro stipendio tenebatur ea defendere. Si tamen nulla esset spes prævalendi, non teneretur mortem frustra expectare: quoniam neque ad id se astrinxit neque tuta cõscientia potuit se astringere. Tanto magis ad hæc omnia tenetur dux quam priuatus miles, quanto maius stipendium accipit, maiorem honorem consequitur, si strenue se gerat, maius præmium à Principe sperat, vtpote tanquam is, cui res tota præcipue est commissa. 2

Miles relinquere non potest castra sine ducis, aut principis facultate: idque eo magis, quo plus imminet prælium, plusque eo indiget dux aut Princeps. Præsertim cum, si multi castra deserant, Respublica & exercitus periclitetur, victoria anceps futura sit, aut nulla, sumptusq; ingentes belli inanes reddantur: quæ omnia attendere debent confessarij militum. Cum vero tot & tam ingentia mala ex desertione castrorum sine ducis aut principis facultate eueniant, mirandum non est, si eiusmodi culpa capitis pœna, vel addictione ad triremes interdum plectatur: *Cap. infames 6. q. 1.* eiusmodi homines inter infames computantur, & *l. omne. §. qui in fauc. ff. de re militari*, capite plectebantur, si in conspectu aliorum militum castra deserebant. Vtrumq; affirmat glossa *c. vas militare. dist. 1. ver. deseratur.* Neq; cum dispendio Reipublicę, & Principis expedit, vt duces faciles sint in concedenda facultate discedendi, præsertim quãdo milites valde necessarij sunt. Memores namque esse 3

esse debent quot sumptus cum illis fecerit princeps in ipsis perducendis, & quanta cum populorum vexatione in itinere, & dum conuocabantur, fuerint hospitio excepti: neque expedire vt iterum alij similes sumptus fiant & alia vexatio detur in eisdem, aut aliis perducendis. Ex alia tamen parte, quando Respublica non multum eorum ministerio indiget, vel vrgens causa sese offert, esse non debent admodum difficiles ad concedendum redeundi facultatem, ne difficultas eam obtinendi occasio sit, ne milites ad bellum velint accedere. Iam vero quod princeps milites dimittat quando eis non indiget, aut quando sibi placet, integrum militibus non facit, vt discedant quando voluerint. Quoniam ea lege, eove tacito pacto, ad bellum conducuntur, vt integrum principi sit illos relinquere; quando eis non indiguerit: ipsis vero licitum non sit recedere absque principis facultate. Ex damno vero & periculo, quod spectaris circumstantiis, imminet ex eo, quod milites absque facultate castra deserant, & ex pœna statuta, ac rigore, quo executioni mandatur, iudicandum est, an in desertione castrorum absque ducis aut principis facultate lethale crimen admittatur.

A

B

Milites, iuxta dictum Ioannis Baptistæ, Luc. 3. *contenti esse debent stipendio suo*. Vnde si duplum, aut triplum accipiant, fraude aliqua aut dolo, restituere tenentur principi incrementum. Idem est de ducibus, qui stipendia *militum*, quos non habent, accipiunt, in eorumque defectu tenetur id restituere qui cuncti principis ministri, qui scienter, aut sua culpabili negligentia, ea stipendia soluerunt, ad id ve cooperati sunt, vel cum ex officio impedire tenerentur, non impedierunt. Denique quicquid hac in parte cõtra vel expressam, vel absque vllo dubio præsumptam principis voluntatem accipitur, restituendum est, vel obtinenda est à principe venia.

4

Solet cum hoc furti bonorum principis peccato esse coniunctum aliud, aut alia lõge grauiora propter grauissima damna, quæ inde vlterius sequuntur. *Cum enim princeps consilio expertorum in bello iudicet, vel ad victoriam comparandam, vel ad defendendum castrum, necessarium esse certum numerum militum, statuatque, vt is integer confletur, & retineatur, eidemque stipendia soluantur, sæpe euenit vt, dum duces & milites eiusmodi stipendia furantur, dimidia aut tertia pars militum desit, idq; in causa sit, vt victoria non comparetur, succumbat exercitus, inimici castra & ciuitates obtineãt, sumptus belli inanes reddantur, vires Reipublicæ & Ecclesiæ infringantur, & principis ac Reipublicæ honor depereat. Quare grauissimum est illud peccatum, dum inde imminent mala, cum onere ex iustitiæ rigore ea omnia damna persoluendi, tum principi, tum etiam priuatis, qui vel mortem, vel direptionem bonorum ea de causa passi sunt, nec non persoluendi principi emolumenta, quæ probabiliter sperabat, ni sic in ipsum & Rempublicam tantum scelus esset admissum. Atque ad hæc attendere debent confessarij dum audiunt militum, & præsertim ducum confessiones.*

5

C

D

Non dissimile est peccatum eorum ministrorum principis, qui necessaria ad belli expeditionem parant, si vel vt furentur, vel ob suam socordiam & negligentiam; corruptum cibum, aut potum, aut quacunque alia ratione pessimum militibus comeatum præparent, vnde mors multorum euenit, cum qua coniuncta esse solent cætera damna paulo antea commemorata, ad quorum omnium restitutionem de iustitiæ rigore tanquam illorum causa tenentur. Idem debet esse iudicandum, si propter eorum furtum non tanta copia rerum paretur, quanta necessaria est, & princeps præcipit, idque in causa sit, vt victoria non comparetur, & alia damna sequantur. Vel si sulphureo puluere, ob lucrum, aut quamuis aliam rationem, aliquid admisceatur, talisve fiat, vt non sit aptus ad victoriam comparandam. Hæc & his similia attendere debent confessarij eiusmodi ministrorum, diligenterque ea examinare, & acriter illis inculcare, quam hæc bono communi referant, & quam graue peccatum cum tanto onere restituendi in his cernatur.

6

E

Molestũ valde solet esse oppidis, si milites hospitij gratia ad ea diuertant, eaque ratione, quando milites ad bellum deferuntur, oppidani, *qui timent* ne ad se diuertant, occurrere solent duci in itinere, ac pretium non leue offerunt orantes, vt ita iter dirigat ne apud ipsos diuersetur, solentque simul occurrere tria vel quatuor oppida circumuicina, vt vnumquodque suam redimat vexationem, & interdum duces, vt plura occurrant, *maioremque pecuniæ* summam offerant, silent qua ipsis sit transeundum: atque hac arte accipere solent à diuersis oppidis mille, aut bis mille aureos toto vno itinere. Est vero id inique & iniuste acceptum obnoxiumque restitutioni ijs ipsis, à quibus acceptum est. Neque enim ius habent duces, vt id venale efficiant, & simul populum vnum hospitio grauent, & alia corradendo ab eis eiusmodi pretia: neque princeps id, in tantum Reipublicæ detrimentum concedere intendit, neque licite aut iuste potest.

7

Milites etiam hoc aliud iniustitiæ peccatum committere solent, cum onere restituendi, quod eo pacto accipiunt. Petere solent ab eo militum ministro qui præit & hospitia militibus in vnoquoque oppido distribuit, tria aut quatuor chirographa ad tres vel quatuor distinctas domos, vt in vnaquaque hospitio recipiantur: *singulæ earum libenter offerunt* binos denarios, id est, duos regales argenteos, vt eo onere liberentur: atque hac arte hospitantur in vna & iniustissime à singulis aliis accipiunt singulos binos regales argenteos. Tam igitur milites accipientes: quam ministri, qui chirographa concedunt, nisi milites restituant, tenentur damna ita data resarcire tanquam illorum causa.

8

Caiet: *verb. bellum* & Driedo. 2. *de libert. Christ. c. 6.* obseruãt. Milites, qui rusticos aut alios hospites grauant ab eis exigendo plus, qua illi dare teneantur, peccare cum onere illis restituendi, quod insuper accipiunt, idq; esto bellum iustum sit. Neq; excusari dissimulatione, aut etiam authoritate principis, vel ducis. Nisi forte in pœnam alicuius delicti iuste hominibus illis principis aut ducis authoritate, quæ quasi latæ sententiæ vim haberet, grauamen hoc imponeretur. Neq; item excusari ex eo, quod debitũ stipendium eis non soluatur. Bona namq; rusticorum aut ciuium obligata non sunt, vt stipendium illis soluatur, sed soluendum illis est à principe ex ærario publico, aut ex reditibus ad sumptus publicos deputatis vel contribuentibus singulis de Republica pro qualitate facultatum cuiusq; : non vero grauando & vexando quosdam particulares de Republica præ cæteris, quod esset iniustum, etiamsi id princeps intenderet.

9

Obseruat tamen bene Driedo, quod si vel milites in extrema essent famis necessitate, vel necessarij omnino essent ad defensionem Reipublicæ hominum illorum, neq; haberent aliunde stipendium aut vnde viuerent, possent ab illis, vel inuitis: accipere necessaria: quandoquidem sine magno illorũ & Reipublicæ damno discedere non possent. Princeps tamen teneretur postea illis satisfacere de ærario aut reditibus publicis, vel certe liberando illos in posterum ab aliquo tributo, quousque compensarent, quæ ita insumpserunt.

10

11

Caiet. etiam obseruat, in locis, in quibus recepta consuetudo obtinuit, vt hospites gratis tribuant militibus ligna & paleas, se id non damnare: quoniam inquit, quasi forte quadam accidit, quædam loca præ aliis ea in parte grauari. Idem dicendum esset, si consuetudo obtineret, vt aqua, sal, acetum, oleum,

aut

aut aliud simile gratis daretur : quod audio milites in Angræ Insula obtendere.

SYMMARIVM.

1 *In bello iusto, quæ ad defensionem propriam & communem necessaria sunt, fas est facere.*
2 *Quid in bello iusto liceat.*
3 *Si maius damnum, quam bellum iustum requirit, inferatur, restituendum est.*
4 *Mobilia capta bello iusto iure gentium fiunt capientium*
5 *Prædæ bello iusto captæ variè aliis atque aliis in locis diuiduntur.*

IN GENERE QVAE LICEANT IN bello iusto.

DISPVTATIO 117.

EXplicandum est deinde ius belli quousque se extendat, ac proinde, quæ liceant, aut non liceant in bello iusto.

1 1. *Conclus.* Sit prima conclusio. In bello iusto in primis fas est facere omnia, quæ ad defensionem propriam, bonique communis necessaria fuerint iudicatâ. Eaque ratione fas est diruere arces hostium, erigereq; propugnacula propria in eorum terris, & capere ab eis arma & naues, quantum satis sit ad pacem ac securitatem conseruandam. Hanc & sequentes conclusiones inter alios affirmat Victo. *de iure belli à nu.* 15. *& à nu.* 54. Probari autem potest, quoniam finis belli, præter propriam, boniq; communis defensionem, est pax & securitas, vt *capit. Noli. & cap. apud vetos 23. q. 1.* author est August. Cum ergo ex fine ea metienda sint, quæ sunt ad finem : consequens est, vt in bello iusto non solum fas ea omnia sint, idque hostium expensis, si sua culpa causam, vt illa necessaria essent, dederunt, sed etiam cætera omnia, quæ sine fraude & dolo, iudicata fuerint necessaria ad continendos illos in officio, & ad vitandum periculum, si quod ex eis immineat. Quo fit, vt si necessarium expediensve fuerit iudicatum, fas etiam sit exigere ab eis ad eum finem obsides Confirmarique hoc potest, quoniam si ciuis iniuriam alicui alteri intulit, magistratus non solum cogit eum satisfacere iniuriam passo, sed etiam, quando iuste timetur, ne vlterius pergat facere iniuriam, cogitur vel satisdare, vel recedere ab vrbe, & denique facere id omne, quod necessarium fuerit iudicatum, vt vitetur periculum : ergo idem licebit aduersus extraneos Reipublicæ hostes, quando iustam belli causam aduersus eos habemus.

2 2 *Conclus.* Victoria *loco citato, num.* 56. recte admoner, quando arx, ciuitas, aut quoduis aliud, necessitate belli esset occupatum solum ob finem aliquem, de quibus præcedente conclusione habitus est sermo, & non ob causas, de quibus sequenti conclusione dicetur, tunc rebus compositis, belloque omnino peracto, ita vt nihil timendum iam sit ab hostibus, restituendum illis esse. Cum enim solo eo fine occupare, retinereque id liceret, sane cessante fine, restituendum continuo est.

Secunda conclusio. Deinde fas est in bello iusto occupare ea omnia, quæ ad nos pertinent, accipereque de bonis hostium compensationem damnorum omnium, quæ intulerunt, necnon impensas omnes belli. Impensarum nomine intelligendo, non solum sumptus belli, sed etiam iustam mercedem pro laboribus, quos subierunt, & periculis, quibus se exposuerunt, quatenus belli sumptibus non fuerunt hæc persoluta. Item fas est sumere de hostibus iustam vindictam pro delictorum quantitate, capite, si ita fuerit opus, plectendo eos, qui delicta patrarunt, eorumve fuerunt causa, iustasq; alias pœnas imponendo, vt tributa pro quantitate culpæ, vel alias similes pœnas. Probatur conclusio, quoniam iudex iustus ea omnia exercere potest in eum malefactorem, in quem iurisdictionem habuerit, ad eaque omnia eum cogere, quin & ad ea omnia, quæ pœnæ rationem non habent, malefactor ipse tenetur nulla expectata sententia : sed princeps aut Respublica, quæ iustam belli causam habet aduersus aliam Rem publicam, iudicis rationem subit comparatione illius ad illam puniendam, exequendumque id omne, quod iustum fuit : ergo illa omnia fas sunt in bello iusto. Possumus confirmare fas esse sumere iustam vindictam, vltra recompensationem damnorum omnium. Tum quia obtineri non posset pax, tranquillitas, & securitas, quæ belli sunt finis, nisi inflicta pœna iusta, sumptaq; competente vindicta quatam ipsi, quam alij, pœnæ acerbitate continerentur, ne simile quid committerent. Tum etiam quia, si hostes tantum profligentur, resarcianturque sola damna, non tollitur dedecus Reipublicæ, quæ iniuriam contumeliamq; accepit : princeps vero non solum alia, sed etiam honorem & authoritatem Reipublicæ teneatur tueri & conseruare. Quod autem inter pœnas imponi possint ciuiles, bonorum temporalium, vt quod occupari possit arx, ciuitas, aut aliud simile, vel exigi summa aliqua pecuniæ, aut imponi tributum, quæ delicti quantitatem non excedant, confirmari potest. Quoniam in primis licitum est punire internos hostes. Deinde ex illo Deuteron. 20. *Si ac. ef. Jerus ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo.* Ecce tributi impositio in pœnam delictorum approbatur.

Hæc vero conclusio solum est intelligenda, quando non constat hostes absque vlla culpa pugnasse. Quando enim culpa non interuenisset, pœna imponi non posset : neq; cogi possent restituere damna quæ sine culpa dedissent, & ex quibus facti non fuissent locupletiores, vt disput. 102. ostensum est.

Tertia conclusio. Si aliquid amplius vsurpetur bello, alioquin iusto, quam quæ duabus præcedentibus conclusionibus commemorata sunt, quasi vel pœna excedat culpam, vel recompensatio excedat quantitatem damnorum, earumq; rerum, quæ ad iuste bellantes pertinent, obnoxium est restitutioni. In hac conueniunt *Victoria de iure belli num.* 50. 54. & 56. *Gabr. in 4. dist. 15. quæst. 4. conc. 2. Maior ibidem, q. 29. concl. 2. Syl. verb. bellum. 1. concl. 5. & alij*, facileq; patet. Quoniam nullus est iustus titulus, quo excessus ille accipi, retinerique possit : quare iniuste retinetur, obnoxiusque est restitutioni. Obserua tamen, quo plus bellum iustum perseuerat, hostibus repugnantibus, damnaque inferentibus, aut inferre attentantibus, eo plus accrescere belli impensas, damna iniuriam ac delicta, eaque ratione eo plus fas esse postea accipere in compensationem ac pœnam iustam. Quo fit, vt licet in principio iustum non esset accipere integram prouinciam aut regnum : perseuerante tamen bello, hostibusq; repugnantibus, iustum interdum efficiatur id totum, & aliquid amplius in compensationem : iustamq; pœnam vsurpare. 3 3. *Conclus.*

Sit nihilominus 4. conclusio. Mobilia capta bello iusto gentium iure fiunt capientium, etiamsi excedant compensationem damnorum. Intelligendum vero id est, non solum de aliis rebus mobilibus sed etiam de hominib. bello iusto captis, qui mancipia capientium fiunt. Si tamen Christiani ab aliis Christianis bello iusto capiuntur, consuetudine inter eos præscripta, quæ vim legis habet, liberi manent, vt Bart. *leg. hostes. ff de captiuis*, Panorm. *cap. sicut. de iureiurando.* & alij, quos Couar. *reg. peccatum. part. 2. §. 11. nu. 6.* refert, affirmant. Vtcumque Couarruuias *ibidem*, & Victoria *de iure belli n. 42.* aiunt, retineri solent, acceptaque interdum pecunia aliqua, quasi in capientium præmium, facile dimittuntur. Hanc conclusionem affirmat D. *Thom. 2. 2. q. 67. art. 8. ad. 1.* 4 4 *Conclus.*

Adria.

Adria. de rest. q. Aggredior casus. §. sed an. Cou. v. vbi supr. num. 1. & 6. Gabr. in 4. d. fi. 15. q. 4. conclus. 1. Sylvest. verb. bellum. 1. q. 9. conclus. 2. & Doctores communiter habeturque *l. si quid bello. & l. hostes. ff. de capt. & postlim. reuer. l. naturalem. §. vlt. & l. transfugam. ff. de acquir. rer. domin. & §. item ea quæ ab hostibus. Inst. de rer. diuisio.* cuius hæc sunt verba: *Quæ ab hostibus capiuntur iure gentium nostra fiunt, adeo vt liberi homines in seruitutem nostram reducantur.* Suffragantur *cap. ius gentium. d. 1. & cap. dicat. 23. q. 5.* vbi *Ambros.* de præda illa, quam Abraham *Genes. 14.* tulit, agens, ait, *prædam victorum esse atque capientis.*

5 Bart. *l. si quid bello*, citata affirmat prædam esse asferendam ad ducem, vt inter pugnantes pro cuiusque meritis diuidatur, consonat *c. ius militare, d. 1.* Intelligendum vero id est, vbi ea viget consuetudo. In B regno autem Castellæ, præsertim *par. 2. tit. 26.* variæ statutæ sunt leges circa modum prædæ diuidendæ, & inter alia, quinta pars Regi debetur. Licet autem hodie quædam illorum seruentur in locis Africæ, quando Hispani prædas in Mauros exercent; in exercitibus tamen illa non seruantur. Sunt etiam variis in prouinciis variæ leges constitutæ, quonã pacto præda sit diuidenda. Audioq; in hoc Lusitaniæ regno aliam rationem diuidendi prædas constitutã esse in India, aliam in Africa; & aliam in aliis locis. Illud in genere dici potest, eiusmodi iurã varia; inconstantiaq; esse diuersis in locis, melius q; illa scire milites ipsos, quam nos, nec non in quibus euentibus vim inter eos habeant, & in quibus non. Illud possumus affirmare, in euentibus, in quibus leges illæ vim habent, si quid milites contra earum legum aut consuetudinum præscriptum vsum vsurpent, teneri restituere aliis portiones, quas ex præda illa iuxta eas leges erant accepturi. Quando autem nulla est particularis lex nec consuetudo, aut licite sit, in aliquo tamen euentu cessat; tunc iuri gẽrium statur, vt quod quisq; miles iusto bello capit, suum id efficiat.

SVMMARIVM.

1 *Bello iusto quæ hostes ab aliis ceperunt, si nos bello item iusto ab illis accipiamus, nõ tenemur prioribus dominis restituere.*

2 *Bello iniusto quæ hostes ab aliis ceperunt, si bello iusto ab illis obtineamus, tenemur ea prioribus dominis restituere.*

3 *In eiusmodi bello consurgit obligatio persoluendi valorẽ industriæ rerum extractarum.*

4 *Quando censeatur comparatum dominium rei bello vsurpatæ.*

5 *Iure Cæsareo res mobiles, quæ bello ex hostibus recuperantur, fiunt capientium.*

6 *Postliminii priuilegium quid, & quibus concedatur ex iure Cæsaris, & quotuplex eius sensus. 7. 8.*

9 *Refertur quædam sententia, & Authoris. nu. 10.*

11 *Christianorum bella qualia.*

12 *De recuperatis ab hostibus per milites Castellanos, quid censendum.*

13 *Restringitur opinio, quoad recuperata ab hostibus.*

14 *Quid lege Castellæ sancitum sit de cursariis.*

15 *Si quis dominium rei cuiusdã bello iniusto captæ emat, an teneatur prioribus dominis restituere.*

QVANDO BELLO DE HOSTIVM potestate extrahuntur, quæ hostes bello ab aliis ceperant, restituenda ne sint prioribus dominis, & de priuilegio postliminii.

DISPVTATIO 118.

1 AD quæstionem propositam, stando in solo iure naturali, dicendum in primis esset. Si bellum

A nostrorum hostium, cum illis, à quibus ea bona ceperant, iustum fuisset; rursusq; bellum nostrum cũ hostibus nostris esset etiam iustum; tunc bona illa efficerentur nostra, neq; teneremur ea prioribus dominis restituere. Ratio est manifesta, quoniam hostes nostri iure belli comparassent illorum dominium, vereq; id amisissent, qui iniustum bellum cum illis gerebant: eodemque modo nos belli iure compararemus dominium eorum, illudq; amisissent hostes nostri: nulla ergo esset ratio, cur restituere teneremur ea bona antiquis dominis, qui iusto titulo dominium eorum amisissent.

Dicendum deinde esset, si bellum hostium nostrorum cum illis, à quib. illa acceperunt, fuisset iniustum; tunc esto bellum nostrum cum hostib. nostris sit iustissimum, teneremur restituere ea bona B prioribus dominis, siue illi de nostra Repub. sint, siue de aliena. Probatur, quia priores illi domini nõ amiserunt dominium; eo quod, quemadmodũ bellum nostrorum hostium cum illis fuit iniustum, sic acceptio illa fuit iniusta, veraque rapina, quæ transferre non potuit dominium eorum bonorũ in hostes nostros: ergo quamuis bellum nostrum cũ nostris hostibus sit iustum, ac proinde acceptio, qua illa de eorum potestate extrahimus, de se esset sufficiens vt compararemus eorum dominium, si illa essent bona nostrorum hostium, non tamen est sufficiens, interim dum dominium eorum bonorum apud priores illos dominos perseuerat. Exemplum est accommodatum, quando res furtiua emitur: licet enim emptio de se esset sufficiẽs ad acquirendũ C dominium, non tamen sufficiens est interim dum dominium illius perseuerat apud eum, à quo furto fuit ablata. Consentit *l. Pomponius. ff. de acquir. rerum domin.* dũ in ea definitur, quod si lupus abstulit porcos meos, & tu, vel canes tui, prædam à lupo abstulistis, restituenda mihi est, esto peritura esset omnino, neq; ego, aut alius loco mei, eam esset extracturus de potestate lupi: redditurq; ratio, quoniã porci eiusmodi sunt animalia, vt interim dũ ipsa, vel canes eorum permanent, eorum dominium perseueret apud eum, cuius erant porci: simili ergo modo, cum dominium rerum, de quibus agimus, perseueret apud priores illos dominos, esto illi extracturi ea non essent de potestate suorum hostium, sane, si D nos illa extrahimus, tenemur illis ea restituere.

Credo tamen in similibus euentibus, tam in conscientiæ, quam in exteriori foro quantum est ex se, consurgere obligationem persoluendi valorem industriæ, & operarum appositarum ad eiusmodi res extrahẽdas, quatenus id vtiliter in domini bonum cesserit, idq; actione quam negotiorum gestorum vocant. Licet enim quando res furtiua bona fide emitur, dominus rei non teneatur soluere pretium emptori; eo quod eam non emerit intuitu domini, vt eam illi traderet, venditorque illi teneatur de euictione, sibiq; emptor imputet, si ille, qui vendidit, nõ comparet, vel si ipse, à quo emeret, non prospexit, vel fideiussorem, quod res illa venditoris esset, non E accepit: non est tamen eadem ratio, quando industria & operæ vtiliter apponuntur, esto, qui illas apposuit, suum commodum & vtilitatem agere intenderet ac crederet: æquitas namque postulat, vt, quando in alterius vtilitatem & commodum cesserunt, is ea soluat, quatenus sibi profuerunt. Dixi, quantum est ex se consurgere obligationem persoluendi valorem earum: quoniam quando est quasi lex & consuetudo, vt, qui sunt de eodem oppido aut prouincia, mutuo se adiuuent, & accurrant ad extrahendam prædam, quam hostes deferunt, non persoluuntur operæ, sed vnicuique restituitur, quod suum erat, dum hostes prædam ad locum tutum non conuexerant. Ita constitutum est in Regno Castellæ, *lege vigesimasexta, titul. 26. part. secunda.* Quia etiam Principi incumbit defendere suos, ea-

que de causa tributa & alia emolumenta ab eis accipit; sane quando milites mercede ab eo conducti, mari, aut terra, recuperant aliqua, quæ hostes à subditis talis Principis acceperant, necdumque ad suos illa perduxerant, restituenda sunt integre prioribus dominis, neque illi soluere tenentur pretium operarum à militibus ea de causa appositarum. Quin duces, & milites ipsi tenerentur restituere eiusmodi res earum dominis, si eas non extraherent de hostium potestate, etiam cum aliquo suo periculo. Ratio est, quoniam ex officio (Principis loco, à quo stipendium accipiunt) tenentur eos defendere, incolumesque seruare: & nisi id efficiant, peccant contra iustitiam, & ad restitutionem tenentur: sicut teneretur Princeps ipse, si, cum posset eos non defenderet: porro intra defensionis ac protectionis limites continetur, vt conentur extrahere prædam de hostium potestate, interim dum in mari versantur, ad suosq; eas non perduxerint.

4 Vt vero quid iure Cæsareo constitutum sit, melius intelligatur, sciendum est. Cum ad dominium tituli, & apprehensio, quæ ad possessionem sufficeret, sint necessaria, vt disputatione secunda & tertia, huius tractatus explicatum est: bello autem res per vim vsurpentur; tunc demum censeri comparatum dominum rei mobilis bello vsurpatæ, quãdo ad locum tutum perducta est, vt intra murum, aut intra castra. Ita statuitur aperte *leg. postliminii. ff. de capt. & postlimin. reuer.* verbis illis: *cum hi, qui nobis hostes sunt, aliquem ex nostris ceperunt, & intra præsidia sua perduxerunt*, habetur expresse *leg. vigesima sexta, titulo vig. simo sexto, part. secunda, legum Castellæ*: & consonant ex parte, quæ disputatione decimasexta diximus de possessione vi vsurpata. Eadem *lege vigesimasexta* definitur, quod quando res bello vsurpata pernoctauit apud eos, qui illam ita ceperunt, etiamsi neque ad castra, neque ad locum tutum fuerit perducta, comparatur dominum illius, idemque affirmat Angelus à Gregorio Lopez ad eam legem citatus. Atque ex dispositione illius legis videtur habuisse ortum id, quod in ore & praxi Hispanorum multum est frequentissimum. Aiunt namque, si quid ipsi de hostium potestate extrahant, post viginti quatuor horas à puncto, quo hostes illud vel à nostris, vel ab aliquo alio vsurpauerant, comparare se dominium illius, nec teneri id restituere priori domino. Leg. autem 13. *tit. 9 part. 5.* aperte innuitur, id, quod de pernoctatione dictum est, intelligendum esse, quando bellum terra peragitur. Quando autem aliquid mari vsurpatur, non prius comparari dominium illius, quam id ad locum tutũ sit perductum. Quin & Gregorius Lopez, cum quibusdam aliis quos citat, intelligit ea, quæ de comparatione dominii rei bello vsurpatæ dicta sunt, quando ex parte eorum, ad quos talis res pertinet, in cõtinenti non insequuntur hostes, vt eam recuperent: interim namque dum illos insequuntur, nec desistunt ab incepta insecutione animo rem suam recuperandi, esto hostes cum illa pernoctẽt, & vel intra castra, vel intra murum eam collocatam habeant, non amittit prior dominus dominiũ illius, consonantque ea, quæ de possessione vi vsurpata dispu. 16. dicta sunt.

Iaso Castel.

5 His ita explicatis sciendum est, iure Cæsareo, *l. si quid bello. ff. de capt. & postlim. reuer. & aliis iurib.* sanctum esse, res mobiles, quę bello ex hostibus recuperantur, fieri capientiũ, neque restituendas esse prioribus dominis, quando (iuxta ea, quæ paulo antea explicata sunt) ad tutum locum ab hostibus erant perductæ, talisve erat possessio, quæ ad dominium comparandum sufficeret. Quando namq; ante talem possessionem extrahebantur, restitui cõsueuerant prioribus domnis; eo quod sicut hostes non comparauerant earũ dominium, sic neq; illud prioIaso Castrens.

A res domini amiserant. Dixi, res mobiles: quoniam immobiles eo ipso, quod recuperabantur, pertinebant ad antiquos dominos. Ita habetur *l. si captiuus. §. expulsis hostibus. ff. de capt. & postlim. reuer.*

6 Postliminii priuilegium quid & quæ iure Cæsareo illud habeant.

Ex rebus præterea mobilibus excipiebantur ea, quæ priuilegio postliminii gaudebant. Erat autem priuilegium postliminij, quo res capta ab hostibus, atq; adeo quasi extra limen & terminum regni perducta, cum reuertebatur, siue bello extracta de hostium potestate, siue quacunque alia ratione, perinde reputabatur ac si nunquam fuisset extracta, atq; adeo iura omnia, quę antea habuerat, obtinebat, eaque ratione, si ad aliquem antea pertinebat, ad eundem reuertebatur. *Leg. 2. ff. de capt. & postlimin. reuer.* conceditur priuilegium postliminij nauibus oblon
B gis, atque etiam onerariis, eo, quod ad belli vsum sint accommodatæ, non vero piscatoriis, aut aliis agilibus, quæ voluptatis causa parantur. Item equis & equabus, modo freni essent patientes. Hominibus etiam, qui captiui ab hostibus detinebantur ius postliminii concedebatur, modo redirent animo non reuertendi ad hostes, *leg. eos qui. l. postliminii. ff. de capt. & postlimin. reuers.* & multis aliis iuribus. Vnde si aliquis eorum mancipium erat alicuius nostrorum tempore, quo ab hostibus fuit captus, tunc quando regrediebatur, redibat ad suum pristinum statum seruitutis, ad eumque dominum, cuius antea fuerat, aut ad illius hæredes pertinebat. Si quis vero pretio illum redimeret dum ab hostibus captiuus tenebatur, sciens mancipium fuisse quo tempore ab hostibus fuit captus, tunc quidem manebat
C seruus illum redimentis: attamen quocunque tempore antiquus dominus illi offerret pretium, quo illum redemerat, tradere illi seruum suum tenebatur. Si vero ignorans fuisse mancipium, illum redemisset, tunc si intra tres annos antiquus dominus offerret illi pretium, teneretur eum illi tradere. Secus autem elapso triennio. Ita habetur *l. in bello. §. si quis seruum. ff. de capt. & postlim. reuer. iuncta l. ab hostibus 2. C. eod. tit.*

Ex dictis facile intelliges, quid sibi voluerit *Labeo leg. si quid bello, cit. 2.*, verbis illis: *Si quid bello captum est, in præda est, nec postliminio redit.* Sensus enim eorum est, si quid bello captum est, in præda est, id est, ad capientem pertinet; nec postliminio redit, vt
D reddendum sit antiquo domino, à quo hostes illud vsurpauerant. Est vero id intelligendum de rebus mobilibus, & præterea exceptis iis, quibus postliminii priuilegium est concessum, vt *Bart. ibid.* exponit, & consentiunt cæteri.

7 Sanctiones Cæsareæ in suis duab. l. Prior.

Hæc, quæ iure Cæsareo constitura sunt, altero duorum modorum censeri possunt statuta. Vno, quasi legumlatores, vt bono Reipublicæ consule rent milites que suos spe emolumẽti audaciores & auidiores ad prædas in hostes exercendas, eosq; superandum redderent, constituerint, vt quamuis stando in solo iure naturali, spectaque sola natura rei, mobilia quæ recuperabantur ex hostibus, nõ ad milites recuperantes, sed ad antiquos dominos,
E iuxtà ea quæ supra dicta sunt, pertinerent: nihilominus efficerentur militum. Quod sane, si ita expedire bono communi iudicaretur, posset absque dubio iure optimo constitui: quandoquidem cõmune bonum priuato sit præponẽdum, fasque sit spoliare hommes dominio suarum rerum, transferreque illud in alios, quando id postulet bonum commune, vt dum de præscriptione, inualidatione testamentorum, & contractuum legibus posterius ageremus, & alias sæpe ostensum est. id autem expedire bono communi ex proxime dictis est manifestum. Accedit, quod talis lex æqualis est omnibus de Republica, isque, cuius bona alij extrahunt modo de hostium potestate, suaque illa efficiunt, potuit, poteritque processu temporis bona aliorum extrahere, suaq; similiter efficere. Adde, cuicunque

priua-

priuato, cuius bona hostes diripuerunt, ordinarie perire spem earecuperandi, atque adeo cum paruo suo detrimento, magnoq; Reipubl. emolumento, calcaria militibus ad hostes superandos ac diripiendos similli lege adhiberi.

8 Posterior. Altero modo censeri possunt statuta, quasi id haberet natura rei; & quasi, quemadmodū nos, quando bello aliquid capimus, id nostrum efficimus; ita, dum hostes aliquid ex nostris bello accipiunt, suum id efficiant, amittantque nostri dominium illius: ea de causa, dum iterum bello recuperatur, fiat recuperantis, spectata sola rei natura, nulloque addito iure positiuo: ius vero positiuum solum fit necessarium ad concedendum in aliquibus rebus ius postliminii, eaque excipiendum ab hac regula, quæ solis rerum naturis innitatur.

9 Posterior in. textus. Couar. *reg. peccat, par. 2. §. 11. num. 7. & 8.* nemine, quod sciam, refragante, arbitratur hoc secundum voluisse ius Cæsarem: non vero illud primum. Ait namque Romanos sua prudentia non minus iusta arbitratos fuisse bella hostium aduersus se, quam quæ ipsi aduersus eosdem gerebāt, ac proinde fuisse consequenter arbitratos, non minus hostes comparare dominium eorum, quæ à Romanis diripiebant, nec minus vere redigere in seruitutē Romanos, quos bello capiebāt, quam Romani ipsi dominium compararent earum rerum, quas bello ab eis vsurpabant, vereque redigerēt in seruitutem, quos ex hostibus capiebant. *Quare*, inquit, *quæ iure Cæsareo de recuperatione rerum mobilium ex hostibus sancita sunt, locum non habent, quādo constat bellum aduersariorum esse iniustum. Cum enim bello iniusto comparari non possit dominium, sane dominium earum rerum, quas hostes bello iniusto vsurpant, apud antiquos dominos manet, ac proinde, si bello iusto recuperentur, antiquis possessoribus, tanquam veris earum dominis, sunt restituenda.*

10 Ego sane non dubito eam fuisse mentē iuris Cæsarei. Potestque id suaderi. Primo quoniam ius Cæsareum dominium tribuebat hostibus earum rerū, quas à Romanis bello capiebant, censebantque Romanos ab hostibus bello captos, vere esse illorum mancipia, eaq; ratione filios eorum vere egredi patriam potestatem, interim dum parentes erant hostium mancipia; hæc sunt verba *legis hostes, ff. de capt. & postlimin. reuer. Hostes sunt, quibus bellum publice populus Romanus decreuit, vel ipsi populo Romano: cæteri vero latrunculi vel prædones appellantur. Ideo, qui à latronibus captus est, seruus latronum non est, nec postliminium illi necessarium est. Ab hostibus autem captus, puta à Germanis, seu Parthis, & seruus est hostium, & postliminio statum recuperat pristinum.* Hactenus lex illa. *l. si captiuus. §. expulsis. ff. eod. tit.* sic habetur: *Expulsis hostibus ex agris, quos ceperant, dominia eorum agrorum ad priores dominos redire, nec prædæ loco cedere, &c.* Redire dixit; quasi dominium eorum amiserint, illudq; comparauerint hostes. Idem aperte patet ex multis aliis iuribus. Quo loco obserua *gloss. l. 2. ff. eod. tit.* affirmare, res immobiles iure Cæsareo redire ad priores dominos iure postliminij. Secūdo, quoniam idem ius Cæsareum piratis & latronibus de quibus constabat ius non habere ad bellum inferendum, prædasque exercendas, non tribuebat dominium rerum, quas rapiebant, eaque ratione, quando recuperabātur, præcipiebantur restitui prioribus dominis absque vllo postliminij priuilegio. Eadem etiam ratione censebat, homines, quos capiebant, non esse eorum mancipia, neque indigere postliminii priuilegio, vt constat *ex l. postliminium. §. à piratis. l. hostes. & l. latrones. ff. de capt. & postlim. reuer. & l. qui à latronib. ff. de testamentis.* ergo ex eo capite censebat, recuperata ex veris hostibus restituenda non esse prioribus dominis, ea vero, quæ restituebantur, indigere priuilegio postliminii, quia iudicabat hostes iure belli eorum dominium comparasse. Tertio, quoniam

A postliminium iure Cæsareo vere est priuilegiū rebus aliquibus concessum; non indigebant autem eo priuilegio, nisi eiusdem iuris existimatione hostes, dum illas ceperunt, comparassent earum dominium: quin potius, quod milites retinere sibi possent aliqua eorum, quæ recuperabantur, haberet rationem priuilegij eisdem militibus concessi: ergo, quæ dicta est, fuit mens iuris Cæsarei.

11 Christianorum bella qualia. Hinc fit, vt cum bella omnia, quæ Christiani gerere possunt, talia esse debeant, vt sibi omnino persuadeant, iniusta esse ex parte aduersariorum, sane ea, quæ iure Cæsareo constituta sunt, vim habere nō possunt inter Christianos ex eo capite quo iure illo sunt constituta. Et nihilominus, si ius Regni Castellæ consulas, inuenies profecto, ex eodem capite, iuriq; Cæsareo innitēdo, idem esse sancitum. Etenim *l. 26. tit. 26. par. 2.* ita habetur: *Pero lo que diximos, que se deue tornar à sus duennos de la presa, que vuiessen tirado à sus enemigos: no se entiende de aquello que vuiessen transmochado en su poder vna noche, o a el dia metido en pos de muro de alguna su fortaleza, o dentro en huesle, por que aquel ni aquella noche no lo pudiessen cobrar los que fuessen en pos dellos. Ca por qualquier destas razones ganan el señorio aquellos, que lo lleuan, y pierden lo los otros cuyo era. Eporende quien ende adelantelo ganare, deue por derecho ser suyo.* Ecce ius illud dominium tribuit hostibus earum rerum, quas bello à nostris acceperunt; eaque ratione cum recuperantur postquam hostes dominium earum comparauerant, statuitur fieri eorum, qui eas recuperant, nec teneri eas prioribus dominis restituere. Ius Castell.

12 De recuperatis ab hostib. per milites Castellanos, quid censendum. Dices, quid ergo? Asserendum ne est, Hispanos milites, qui ad hanc vsque diem eo iure vsi sunt, restituere teneri prioribus dominis, quæ de hostium potestate recuperarunt? Asserendum ne etiam erit, in posterum lethaliter peccare, si eodem iure vtantur, nec restituant res, quas ita extraxerint, prioribus dominis, apud quos reuera dominium earum vsque ad recuperationis punctum perseuerat? Respondendum arbitror neganter. Ratio autem, quæ me mouet, est. Quoniam consuetudo præscripta, quæ ea de re est, vim habet legis. Et licet ex eo capite, quo iure Cæsareo & legib. Regni Castellæ introduci cœpit, iusta non sit; ex alio tamen capite, quod ita Reipublicæ, bonoque communi expediat, iusta & licita in se est potuitque iuste positiua lege à principio constitui, vt supra ostensum est: facis autem est; si id, quod consuetudine est introductum, licitū in se sit, vt consuetudo vim habeat, esto motiuum vnde introduci cœpit ad id non fuerit sufficiēs. His accedit, præsumptam voluntatē Principum, quando aliquid Reipublicæ expediens statuunt, esse, vt si id vim inde habere non possit, vnde si arbitrantur, eam habeat ex quocunq; alio capite licite idem statuere possunt.

13 Obserua tamen, ex capite, ex quo id vim habere arbitrantur, solum eam habere comparatione subditorum eiusdem Reipublicæ: non vero alienæ, quos leges & cōsuetudines alterius Reipublicæ obligare non possunt. Quare, nisi consuetudo mutua fit, vt quando Itali, Galli, Germani, aut Hispani, de potēstate Turcarum, aut Saracenorum aliquid recuperant, quod infideles illi ab hominibus alicuius aliarum Rerumpublicarum vsurparant, id sibi retineant, sane in foro conscientiæ prioribus dominis est restituendum. Obserua etiam, si cōsuetudo perseuerat, vt illa, in quibus ius Cæsareum postliminii priuilegium cōstituit, prioribus dominis restituantur, illis esse restituenda. Ratio est, quoniam leges & consuetudines non se extendunt ad plura, quam vsu fuerint receptæ. Quoad reliqua autem priuilegium postliminij nullā omnino vim habet: eo quod supponat hostes, nō secus ac nos, dominium comparare hominum, & aliarum rerum, quas bello ca-

piunt: quod tamen ostensum est esse falsum. Expedire autem, vt Principes Christiani his de rebus dilucidas leges. Christianisque Rebuspublicis dignas conderent, vt militibus, confessariis, iudicibus, & aliis constarer, quid hac in parte liceret, aut non liceret.

14 *Im Consil.* *Leg. 13. tit. 9. part. 5.* legum Castellæ sancitum est, quando cursarij capiunt ea nostrorum nauigia, quæ ad hostes nostros absq; Regis facultate merces deferunt, aut alia, quibus nostri animi duntaxat relaxandi gratia nauigant, militesque nostri ea recuperant antequam cursarij ad suos perueniãt, eaque in locum tutum asportent, fieri ipsorum militum, in pœnam, quod illi priores merces ad Reipub. hostes deferant, hi vero posteriores belli tempore solius causa recreationis, nulloque cum emolumento Reipublicæ, incauti nauigent. Circa hanc legem obserua, eam esse pœnalem, & cum milites in possessione sint eorum bonorum, retinere ea posse, etiam ante latam sententiam, tanquam sua, prioribusque dominis ea exigẽtibus posse opponere, amisisse eorum dominium vi illius legis, ipsosque illud comparasse. Obserua etiam, nomine cursariorum, ea in lege (vt Gregorius Lopez recte ad eam adnotauit) intelligi, non piratas, qui hostes non sint; sed veros hostes, qui mari prædas cum aliquo aut aliquib. nauigiis exercent, vt facere solent aliqui Turcæ ac Saraceni. Lex autem illa militibus nostris cõcedit dominium earum rerum in pœnam eorum, quorum illæ erant; quando iuxta *leg. 26. tit. 26 par. 2.* nondum cursarii illi perfectam eorum possessionem habebant, nec dominium comparauerant, & quando, si naugia illa essent eorum, qui alio fine nauigarent, ipsis essent restituenda.

15 Illud postremo admonuerim, cum ostensum sit, aduersarios nõ comparare dominium rerum, quas bello iniusto capiũt, sed perseuerare apud antiquos dominos, neque expediat earum dominium alijs concedi, quam militibus nostris, qui de inimicorũ potestate bello eas extraxerint; sane si vel emptione, vel quouis alio titulo, quam belli, quis eas obtineat, de iustitiæ rigore teneri eas restituere prioribus dominis, vt *Couar. loco citato* adnotauit. Ad pacandas tamen conscientias illud est addendum. Quando verisimile esset, illas deuenturas nunquam esse in potestatem suorum dominorum, vt ordinarie eueniet, licitum esse eas emere, vili etiam pretio, eo animo, vt si proprius dominus compararit, illas accipiat pro eodem pretio, sin minus emptor illas sibi retineat. Quoniam verisimile est eam esse præsumptam domnorum voluntatem: & quoniã quodammodo essent irrationabiliter inuiti, nisi id ita vellent. Atque ita respondi aliquibus Christianis captiuis, qui in Africa emerunt vili pretio à Mauris aliqua de spoliis Lusitanorum, quando Rex Sebastianus occubuit. Illud obserua, in eo euentu, si proprius dominus compareret, velletq; rem ita emptã, teneretur, tum in conscientiæ, tum in exteriori foro, soluere pretium pro ea solutum; eo quod hostis, qui illam vendidit, non teneatur emptori de euictione, vtiterque emptor egerit negotium domini talis rei vili eam pretio redimendo. Vnde iure Cæsareo, vt supra dictum est, quãdo alienus seruus, etiam sciẽter, redimebatur de manu hostium, tenebatur illius dominus persoluere pretium redemptori, vel relinquere illi mancipium redemptum. Quando etiam ex circumstantijs & coniecturis verisimiliter esset presumendum, dominos earum rerum nõ futuros inuitos, vt titulo gratioso, aut quouis alio modo easdem res sibi Christiani aliqui de hostium manu acciperent, ad nullam omnino tenerentur restitutionem, quousque de contraria dominorum voluntate constaret.

Quod dictum est de iis rebus, quę emuntur ab illis, qui bello iniusto eas acceperant, dicendum etiã est de aliquibus rebus ad cultum diuinum spectantibus, quas Lutherani Angli, & alij hæretici ad Catholicorum terras asportant, vilioq; pretio vendunt. Præsumẽdum namque est, voluntatem eorum, ad quos vel dominium, vel vera earum administratio spectat, esse, vt eas potius vili pretio emant Catholici, cultuiq; diuino mancipent, quam vt vendantur Saracenis, vel vsibus profanis insumantur.

SVMMARIVM.

1 *In bello iusto fas est interficere innocentes.*
2 *Nefas est ex intẽtione in bello iusto interficere innocentem.*
3 *In bello aduersus Turcas non licet occidere infantes, nec fœminas, nisi aliquando.*
4 *An iuste pueri hostium infidelium possint interfici.*
5 *Innocentes qui habeantur, & an liceat eos occidere.*
6 *Cum non constat de innocentibus, quomodo se gerẽdum in bello iusto.*
7 *Fas est scienter in bello iusto innocentes interficere.*
8 *Refellitur opposita sententia.*

VTRVM IN BELLO IVSTO FAS sit interficere innocentes.

DISPVTATIO III.

PArs, quæ affirmat, suaderi potest. Quoniam, vt constat *Iosue 6* ac alibi in scriptura sacra, filij Israel Dei iussu & voluntate, etiam infantes interficiebant. Deus item, dum Sodomam & Gomorram igne subuertit, infantes etiam interfecit: aquæ præterea diluuij infantes omnes cum cæteris peremerunt: ergo licitum est bello iusto, vna cum nocentibus, innocentes interficere. 1 *Pars affirmans suadetur.*

Sit tamen prima conclusio. Per se, & ex intentione, nefas est, bello, quantumuis alioquin iusto, interficere innocentem. Ita *Victor. de iure belli, num. 35. Driedo 2. de liber. Christiæ. cap. 6. Couarru. reg. peccatum. par. 2. §. 3. num. 4. Gabriel. in 4. dist. 15. q. 9. art. 1. concl. 4. Maior. eadem dist. quæst. 20. Sylu. verb. bellum. 1. quæst. 10. concl. 3. & Doctores communiter.* Probatur ex illo *Exo. 13. Insontem & iustum non occides.* Deinde, quia in Republica propria nefas est interficere innocentẽ pro alterius peccato: ergo neque in aliena quando aduersus eam est bellum iustum, fas erit per se & ex intentione interficere innocentem pro peccatis illius Reipublicæ. Ac, præterquam quod lumen naturale id satis docet, confirmari potest ex illo *Deut. 20.* vbi inter alias belli leges de ciuitate rebelli dicebatur, *Cum tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est* (id est, fas tibi erit percutere) *absque mulieribus & infantibus.* Par vero erat ratio de cæteris, de quibus constaret innocentes esse. 2 1. *Conclus.*

Hinc infert *Victoria*, nec in bello aduersus Turcas aut Saracenos fas esse interficere infantes. Addit, imo neque fœminas: quia præsumuntur innocentes, nisi contrarium constet. Inprimis obserua, si bellum esset aduersus hæreticos, aut apostatas, vt fuit præteritis annis in Regno Granatensi aduersus illos ex Saracenorum progenie, qui rebellarunt, & de quibus tam euidentia erant argumenta, omnes esse apostatas, eaque potissimum de causa rebellare, fas procul dubio esse, fœminas adultas interficere ob hæresis & apostasiæ crimen. Adde, fœminas adultas, quæ vel comitantur hostes, vel intra vrbem, quæ obsidetur, cum eis sunt, nõ solere immunes esse à culpa, sed solere adiuuare hostes. Quare licet tutius sit eas viuas reseruare, dum de illarum culpa non constat; non tamen sunt in eodem innocentum 3

centum gradu cum infantibus computandæ. De Granatensibus audiuimus, & fecutas fuisse rebellantes, & ita eos adiuuasse, vt force pugnarent: quare mirandum nõ est, si fuerit etiam auditum, eas fuisse interfectas; præsertim cum tam aperta essent indicia eas apostatas esse.

4 Vt vero probe notat *Victoria loco citato nu.* 38. non est iusta causa ad interficiendos pueros filios hostiũ infidelium, quod verendum sit, ne, cum adoleuerint, sequantur vestigia parentum, pugnent contra Christianos, & eis nocumenta inferant. Neq; enim facienda sunt mala, vt eueniant bona. Neque fas est punire pro peccato, quod patrandum timetur, neq; adhuc est commissum. Multisque aliis rationibus prospicere possumus in futurũ, ne ex eis nobis detrimentum adueniat.

5 Qui non sunt de ea Republica, vt peregrini, & ij mercatores, qui in ea non habent domicilium, sed ibi hospitantur, & sunt quasi in transitu, innocentes reputandi sunt, vt bene ait Caiet. *in summa verb. bellũ, nisi contrarium aliunde constet*: quocirca nefas est eos interficere. Clerici & religiosi non reputantur Reipublicæ partes, quod attinet ad bella: & idcirco reputandi sunt innocentes, nisi contrarium aliunde constet, *nefasque est eos interficere*, vt communiter tradunt Doctores.

6 Inter reliquos Reipublicæ, cum qua iustum geritur bellum, *difficile*, ait Victoria *num.* 36. *esse, vt discernere an aliqui sint innocentes*. eaque de causa fas est singulos interficere, nisi de aliquo in particulari cõstet, illum innocentem esse, vel propter nimiam suam rusticitatem aut stolditatem, vel alia de causa: hos enim teneretur milites seruare, si possent. Quod autem singuli interfici possint, interim dum de aliquo non constat innocentem esse, confirmari potest ex testimonio *Durandi, vigesimo citato*, vbi facultas fit interficiendi omnes generis masculini, exceptis mulieribus & infantibus. *Victoria loco citato numero trigesimo sexto*, ait, quando bellum esset cum Christianis catholicis, multo plures reputandos esse innocentes, vt simplices ac innoxij agricolæ, & alij similes, neque fas esse eos interficere, nisi de illorum culpa constaret, consonatque *cap. nouimus. de treug. & pace*, de quo inferius erit sermo.

7 Secunda conclusio. Per accidens, intentione 1. *Conclus.* nocentes interficiendi, fas est, etiam scienter, innocentes interficere. Vt quando arx, aut ciuitas iuste oppugnatur, in qua constat innocentes aliquos permixtos esse cum nocentibus, fas est mittere in eam globos, aut ignem illi supponere, vel quouis aliud facere ad illam capiendam, esto intelligatur per accidens, hoc est, præter intentionem id efficientiam, interficiendos esse aliquos innocentes. Quando in triremibus Turcarum scitur permixtos esse remiges Christianos, fas est mittere in eos globos bombardarum, quibus subuertantur, pugnareque aduersus illos, esto intelligantur eiusmodi remiges vna cum Turcis esse perituros. Neque in similibus euentibus consurgit obligatio restituendi eiusmodi damna innocentibus per accidens illata. Quoniam iuste pugnamus, neque tenemur ab eo desistere, quod nobis, bonoq; communi adeo refert propter damnum, quod per accidẽs aliis sequatur. Conclusionem ita explicatam asseuerant, *Victoria de iure belli, num. vigesimo septimo. Couarruuias loco citato. & Bellus. tertio, quæst.* probarique potest. Quoniam alioquin nullum posset geri bellum iustum aduersus nocentes, periretque iustitia eorum, qui iustam belli causam haberent, cum magno detrimento boni communis. Imo neque defendi posset Ecclesia ab infidelibus eo ipso, quod innocentes aliquos inuitos in triremibus aut exercitu hostes asportarent. Neque, qui ab his essent iniuste obsessi, possent globos & tela in eos mittere, quibus se defenderent,

Ad argumentum initio propositum dicendum est, Dei authoritate, qui dominus est vitæ omnium mortalium, quique interdum parentum peccata punit temporali pœna in filiis, ea omnia licite facta fuisse: cessisseq; incommodum filiorum innocentum, quos verisimile erat secuturos parentum vestigia, futurosque malos & peccatores, nisi misericorditer eo pacto morte essent præuenti. 8 *Ad argum. tum pariter affirmatiue.*

SVMMARIVM.

1 *An liceat innocentes, qui partes sunt Reipubl. cum qua bellum est iustum, seruituti subiicere.*

2 *Quomodo cum obsidibus innocentibus agendum.*

VTRVM FAS SIT SERVITVTI SVBiicere innocentes Reipublicæ, cum qua est iustum bellum, & an liceat interficere, vel seruituti subiicere obsides, si hostes promissis non steterint.

DISPVTATIO 120.

QVod attinet ad primum, sit hæc conclusio. Quamuis nefas sit interficere eos innocentes, qui partes sunt Reipublicæ, cum qua bellum est iustum, fas tamen est seruituti eos subiicere. Dixi, qui partes sunt Reipublicæ: quoniam hospites aut peregrini, qui partes non sunt Reipublicæ, quemadmodum nulla ratione sunt hostes, si culpa vacant, nec proinde spoliari possunt bonis suis, aut vllum aliud ius belli potest per se aduersus eos exerceri: ita neque seruituti possunt subiici. Est etiam excipiendum à conclusione, quando bellum est Christianus cum aliis Christianis. Tunc enim neque nocentes subiici possunt seruituti, vt *disput. 117.* dictum est. Ratio conclusionis hæc est, quoniam tota Respublica reputatur hostis ad effectum, vt tota puniri possit in membris suis quoad bona fortunæ: quare cum libertas inter fortunæ bona computetur, consequẽs est, vt, quemadmodum tota, etiam in membris innocentibus, spoliari possit bonis externis, vt *disputatione sequenti* dicemus; sic tota subiici possit seruituti, quando tanta est culpa, vt terris & aliis bonis externis spoliari mereatur. Quo fit, vt dubitandum non sit, nos posse captiuos ducere infantes & mulieres Turcarum & Saracenorum, quorum terras, & omnia externa bona, propter iniurias nobis illatas, iure possumus vsurpare; idque habet receptissima consuetudo: Confirmari potest conclusio, quoniam fas est captiuos habere innocentes filios seruorum nostrorum, vt testatur receptissima consuetudo; sortiuntur namque conditionem *parentum*, & quodam modo parentes eo pacto puniuntur in filius: ergo fas etiam erit ducere captiuos innocentes filios hostium nostrorum, puniendo ita parentes in filiis, Rempublicamque ipsam in omnib. suis membris. In hac conclusione consentit Victoria *de iure belli, num.* 42. 1 *Conclusio.*

Quod attinet ad secundum, dicendum est cum Victoria *loco citato num.* 43. Quando obsides dati innocentes sunt, quia vel non sunt doli capaces vel in causa non fuerunt, vt Princeps, aut Respublica, quæ illos dedit, fidem frangeret, neq; vllo dolo vsi sunt, interfici non posse propter peccatum sui Principis aut Reipublicæ; tametsi reuneri ac seruituti subiici possint. Si vero nocentes sint, interfici possint, modo culpa tanta pœna sit digna. Primum probant rationes, quibus disputatione præcedente primam conclusionem confirmauimus: vniuersim namque nefas est interficere per se innocẽtem. Reliqua vero duo probatione non indigent. 2 *Obsides.*

SVMMARIVM.

1 *In bello iusto fas est quoscunque innocentes spoliare: & cur.*
2 *An bona deuastata iuxta belli indigentiam, teneantur bellum inferentes restituere.*
3 *An Ecclesiasticorum bona vastata, qui partes non sunt Reip. aduersus quam bellum geritur, sint restituenda.*
4 *In iusto bello licet innocentes, qui sunt partes Reip. cum qua bellum geritur, bonis externis spoliare.*
5 *An licita sint represalia.*
6 *Requiritur non leuis causa, vt represalia concedantur.*
7 *Ad quem pertinet bellum mouere, ad eum spectat concedere represalias.*
8 *An milites teneantur damna illata iis, qui partes belli iusti sequuntur, restituere.*
9 *Refellitur opposita sententia.*

VTRVM IN BELLO IVSTO FAS sit spoliare bonis suis externis, etiam innocentes, Et de represaliis, quid sint, & quomodo concedantur.

DISPVTATIO 121.

1 PRima cõclusio. Fas est spoliare innocẽtes quoscunque etiamsi adiacẽtes sint & peregrini, iis bonis & rebus, quibus hostes vsuri sunt aduersus nos, quibusve adiuuari possunt ad bellum sustinẽdum. Vt fas est sumere arma, naues, pecuniam, frumentũ, equos, & id genus alia, eaq; ipsa, nec non agros deuastare, quantum iudicatum fuerit expedire ad hostium vires minuendas, eosq; superandos. Hanc affirmat *Victoria de iure belli, nu. 39.* & consentaneæ loquuntur *Gabriel.in 3. distinct. 15. quæst. 4. art. 3. dub. 5. & alii.* Probari autem potest, quoniam si fas est interficere per accidens innocentes, hoc est, non intentione eis, sed hostibus nocendi, quãdo id postulat belli status, expedireq; iudicatur ad victoriam comparandam, vt *disp. 119.* ostensum est, longe maiori cũ ratione fas erit ea omnia efficere, quæ commemorata sunt, quando id postulat belli status, necessariaque sunt ad victoriam comparandam, indeve hostes sumere vel conseruare possunt vires ad bellum sustinendum.

1. Conclusio.

2 Secunda conclusio. Si eiusmodi bona periissent, deuastata essent iuxta belli indigentiam, non tenerentur ea restituere, qui bellum inferrent, esto essent bona Ecclesiastica, aut Ecclesiasticorum, vel aliorum innocentum, qui partes non essent Reipublicæ, nisi ex illis facti essent locupletiores. Probatur, quoniam quæ per accidens sequuntur eiusmodi damna, vt disputat. 119. conclusione secunda ostensum est, neque propter illa desistere tenentur ii, qui bellum iustum gerunt, ab iis exequendis, quæ ipsis, suoque communi bono tantopere referunt. Præterea, quia neque tenentur ex parte rei acceptæ, quæ periit, & ex qua non sunt facti locupletiores, vt supponimus, neque item ex parte iniustæ acceptionis, cum nulla eorum intercedente culpa. Consentire videntur *Doctores citati*, præsertim *Gabriel.* consentit etiam *Sylu. verb. bellum. 2. quæstion. 6.* Obserua tamen, illos, ex quorum parte bellum est iniustum, quique proinde in causa fuerunt, vt aduersarij damna illa iusta darent, teneri ea restituere eiusmodi innocentibus.

2. Conclus.

3 Tertia conclusio. Si eiusmodi bona sunt Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum innocentum, aut aliorum innocentum, qui pares non sunt Reipublicæ, aduersus quam iustum geritur bellum, peractoque bello manserint, aut, qui iustum bellum gerunt, scientes illa esse eiusmodi innocentum, illa consumpserint in suos vsus, aut his vtendo aduersus hostes,

3. Conclusio

A aut quauis alia ratione, vel ea destruxerint plus quã belli status postularet, tenentur illa propriis dominis restituere. Hanc innuit *Victor. loco citato, numero quadragesimo*, probarique potest. Quoniam dominium talium bonorum est eiusmodi innocentum, aduersus quos, qui tale bellum gerunt, nullum ius habent, eo, quod non sint partes Reipublicæ, cum qua iustum bellum gerunt, neque innocentes illi tenentur ea gratis eisdem concedere, siue ad vtendum eis aduersus hostes, siue ad ea in vsus proprios conuertendum: ergo, si vel supersint, vel ea consumpserint in quoscunque vsus, aut distraxerint plus quam postulat belli status finisque victoriæ, tenentur ea restituere iis, ad quorum dominium per-
B tinent. Quod si, arbitrantes esse hostium, ea distraxerint, solum tenentur restituere, quod ex eis remanserit, aut id in quo forte locupletiores fuerint effecti.

Quarta conclusio. Spoliare possunt bonis externis eos innocentes, qui sunt partes Reipublicæ cum qua gerunt iustum bellum, eaque sibi retinere; modo ne excedatur summa bonorum, quam iuxta ea, quæ disputatione 117. dicta sunt, iure belli de tota illa Republica capere possunt. Hanc affirmant *Caietan. in summa, verbo bellum. Victor. de iure belli num. 40. Couar. reg. peccatum. par. 2. §. 9. num. 4. & alii.* Ratio est, quoniam, vt disputatione præcedente dictum est, tota Respublica reputatur hostis, fasque, est eam pu-
C nire in omnibus suis membris, quatenus partes illius sunt, quoad externa & fortunæ bona. Ea etiam de causa fas est imponere tali Reipublicæ tributum ab omnibus suis partibus soluendum, imo & ab omnibus successoribus, quatenus futuri sunt partes eiusdem Reipublicæ, esto cooperati non fuerint ad Reipublicæ delicta.

4 Conclus.

Confirmari vero hoc potest ex communi Doctorum sententia, *Bart.* inprimis *in proprio tractat. de represaliis: aut horum deinde qui casuum summas scripserunt, verbo represalia. Victoria de iure belli nu. 41. Couarr. loco citato, interpretum iuris canonici cap. vnico. de iniuriis & dam. dato lib. 6. & iuris ciuil. variis in locis*, asserentiũ licitas esse represalias (impignorationes caste loquentes appellant, marches etiam nonnulli vocant) quando aliquis, aut aliqui de aliena Repub. damnũ
D intulerunt, & neque ipsi volunt satisfacere, neque princeps supremi vice moderatores Reipublicæ admonitu cogunt illos satisfacere: eo namq; ipso Respublica, in suo principe, aut moderatoribus, culpam contrahit, fasque, proinde est Principi, cui subditus est is, qui iniuriam est passus, concedere illi, aut alijs suis subditis, vt faciant represalias, seu impignorationes in bonis subditorum alterius Reipublicæ, vsque ad debitam compensationem, esto illi, quorum bona occupantur, in culpa nõ fuerint. Ratio est, quoniam in eiusmodi subditis punitur ea Respublica, quæ, quod tenebatur, vindicare neglexit. Concinit Augustinus *Domin. 23. q. 2.* dum ait, *iusta definiuntur, quæ vi sumuntur iniurias, si gens aut ciuitas plectenda est, quæ vindicare neglexit, quod ab suis improbe factum est.* Quo loco aduerte, Principem aut su-
E premos illius Reipublicæ moderatores, qui in culpa fuerunt, vt represaliæ illæ concederentur, teneri restituere innocentibus suæ Reipublicæ bona, quibus ita spoliati sunt.

5

Licet autem minor causa sufficiens sit, vt represaliæ concedantur, quam vt bellum indicatur; requiritur tamen non leuis causa, saltem quando bona, quæ sunt vsurpanda, non ad eum, qui nocuit, pertinent, sed ad alios de eadem Republica. Cum enim vsurpatio facultatum eorum hominum, qui non nocuerunt, odiosa sit, facileque occasionem iniuriarum ac scandalorum præbere soleat, profecto neque facile, neque leui ex causa represaliæ sunt concedendæ.

6

Ad quem pertinet bellum mouere, ad eum so-

7

lum

lum spectat concedere represalias. Prius autem admoneri debet supremus moderator alterius Reipublicæ de culpa, in qua est, quod non cogat satisfacere, quam aduersus eam represaliæ concedantur. Si tamen post iniuriam acceptam adessent mercatores Reipublicæ, quæ illam intulit, periculumq; esset, ne, dum satisfactio petitur, illi recederent, neque speraretur posse postea recuperari facile damnum illatum, credo fas esse nos detinere, bonaq; eorum secrestare expectando rei euentum: præsertim si Reipublicæ authoritate, supremive moderatoris, crederetur damnum illud fuisse illatum. Nefas tamen esset, vel bona eorum omnino eripere, vel iniuriam aliam illis irrogare, antequam de negligentia & culpa Reipublicæ, cuius illi sunt membra, constaret.

8 A quarta tamen conclusione proposita excipiendos existimo eos, qui partes sequuntur illius, qui bellum iustum gerit, quiq; quodammodo aduersantur reliquis de sua Republica, quæ bellum iustum inferenti non vult parere. Exemplum accipe in ijs, qui vel in Angrensi Insula, vel in hoc Lusitaniæ regno partes regis Philippi secuti sunt. Hi namq; non reputantur partes ciuitatis aut Reipublicæ, quę repugnauit, & idcirco nulla patitur æquitas, vt in modico vel in magno punirentur à militibus Regis Philippi: quare non dubito, tam in conscientiæ, quam in exteriori foro, illis esse restituendum quicquid à militibus vsurpatum est, ipsosq; milites id occupantes nullum rei ablatæ dominium comparasse. Si tamen bona fide aliquid eorum fuit destructum ac consumptum, neq; inde aliquis factus esset locupletior, tunc nulla illis deberetur restitutio: quia neq; ex parte rei acceptæ, quæ non permanet, neq; ex parte iniustæ acceptionis, cum supponamus id sine peccato fuisse factum.

9 Obiectio. Forte aduersus eandem quartam conclusionem obiiciet nobis aliquis *cap. nouimus, de treuga & pace*, vbi rustici eius Reipublicæ, cum qua bellum iustum geritur, prohibentur spoliari bonis suis, aut in aliquo molestari. Dicendum est, prohibitionem illam esse de iure positiuo, intelligendamque esse, quando bellum est Christianorum inter se. Neq; in ea, prohibetur, ne vllo pacto rustici suis bonis spoliétur, sed solum præcipitur, vt quando ad agriculturam egrediuntur, aut regrediuntur, vel in agris commorantur, tam ipsi, quam animalia, quibus arant & semina portant, congrua securitate lætentur. Quod statutum est, vt bono publico prospiceretur, agriq; non manerent inculti, vnde fames sequeretur: quare non interdicitur quominus eripi alia eorundem bona possint. Præterea Caietanus *in Summa verba Bellum*, dubitat, an canon ille per contrariam consuetudinem vim suam amiserit.

Soluitur.

SVMMARIVM.

1 *An liceat in bello tradere militibus ciuitatem in prædam.*
2 *In belli conflictu licitum est interficere omnes è contrario pugnantes.*
3 *Parta victoria fas est nocentes interficere.*
4 *Magna existente nocentum multitudine quo pacto se gerendum.*
5 *Si verisimile esset eos, qui à parte contraria pugnarunt, innocentes esse, nefas esset eos interficere.*
6 *Quando bellum iustum parantes teneantur à bello desistere, & cur.*
7 *Si conditione aliqua quis se dedat seruanda.*

IN BELLO IVSTO AN LICEAT tradere militibus ciuitatem in prædam, & an liceat interficere omnes, qui pro parte contraria arma sumpserunt.

DISPVTATIO 122.

QVod ad primum attinet, dicendum est cum *Victoria de iure belli num. 52. Sylvestro verbo Bellum 1. quæst. 10. conclus. 3. & cum alijs.* Quamuis per accidens id nefas esse soleat, præsertim quando ciuitas est Christianorum, idque propter cædes & cruciatus innocentum, stupra, adulteria, & oppressiones aliarum fœminarum, quæ milites in similibus euentibus committere solent, nec non propter templorum spoliationes, & sæua alia, ac iniusta, quæ solent accidere, nihilominus per se nō esse illicitum. Quare si iudicetur necessarium ad expediendum bellum incendendos animos militum, & deterrendos hostes, fas erit ciuitatem, etiam Christianorum, tradere interdum militibus in prædam, esto verisimile sit milites aliquos sua culpa similia flagitia commissuros: sicut etiam fas aliquando est rationabili ex causa incendere ciuitatem aliquam. Ducestamen, quando ciuitas in prædam traditur, tenentur prohibere eiusmodi sæua & iniuste, & quantum commode potuerint ea impedire. 1

Quod ad secundum attinet, sit prima conclusio. 2
In conflictu belli, oppugnatione, aut defensione ciuitatis, vel castri, & denique quando res est in periculo, licitum est interficere indifferenter omnes è contrario pugnantes. Probatur, quoniam qui iustum bellum gerunt, nō possunt commode bellum expedire, victoriam, securitatem, & pacem consequi, nisi ex aduersa parte dimicantes de medio tollant. Quo fit, vt, etiam quos scirent innocentes, vtpote excusante eos ignorantia, aut simul præcepto principis à peccato pugnandi, possint interficere, quantum iudicarent necessarij ad victoriam comparandam, & periculum, quod ex eis immineret, vitandum. Si quem tamē horum innocentum possent commode seruare, tenerentur eum non interficere, iuxta ea, quæ *disputatione 119.* dicta sunt. Hoc loco obserua interfectionem innocentum, de qua loquimur, esse in defensionem propriam ac boni communis, atque ad occupandum, quæ ad nos pertinent, & ipsi impediunt. Quare sicut cuique priuatæ personę, quando aliter vel se, vel sua, quæ non parui referant, non potest defendere, licite potest interficere, etiam innocentem repugnantem ac impedientem: ita vnusquisque in bello iusto licite potest interficere innocentes contra pugnantes, quantum expedire necessarium iudicauerit ad finem assequendum. 1.Conclusio.

Secunda conclusio. Parta victoria, rebusq; iam extra periculum constitutis, ex se fas est interficere nocentes, hoc est, eos qui prudentis arbitrio crimen morte dignum commiserunt. Probatur, quoniam, qui bellum iustum intulit, subit tunc rationem iudicis ad hostes puniēdos, vt supra non semel ostensum est: ergo sicut quicunque iudex in sua Republica licite, quantum est ex se, interficit malefactorem sibi subditum, quem morte dignum comperit: sic, quantum est ex se, fas erit interficere ex hostibus quotquot morte dignos inuenerit. 3 2.Conclusio.

Tertia conclusio. Quando magna esset nocentum multitudo, quorum singuli morte essent digni, licet aliquando fas esset eos omnes, maioremve eorum partem, interficere: aliquando tamen nefas id esset. Prior pars probatur, quoniam tum non speraretur pax & securitas, & maxime si simul id expedire iudicaretur bono Ecclesiæ, nec non ipsorummet nocentum, vt si infideles essent, paruaque admodum esset spes conuersionis eorum, & 4 3.Conclusio.

quod à peccatis desisterent, proculdubio licitum, A sanctumque esset, vel omnes, vel tot eorum interficere, quot ad fines illos expediens iudicaretur. Etenim ea interfectio, & iusta esset in se, & charitati Dei ac proximorum consentanea, vtpote expediens Ecclesiæ ac interficientium bono, nec non ipsorummet interfectorum, qui, morte impediti, ne peccata peccatis accumulent, minus acriter æternis flammis punientur, quam essent puniendi si diutius in vitæ statione consisterent. Hac de causa *Deuteronomij* 20. permittebat Deus filiis Israel, vt capta ciuitate rebelli, interficerent omnes, exceptis mulieribus & paruulis: sermo namque erat de bello cum infidelibus suscepto. Posterior vero pars ex eo probatur, quod quando fines illi optimi, aut alij similes, non interuenirent, sane contra bonum commune esset tam ingentem hominum multitudinem solius vindictæ causa trucidare, efferque proinde culpa lethalis, præsertim si, qui ita interficerentur, Christiani essent. Nulla tamen inde consurgeret obligatio restituendi: eo quod culpa solum esset contra charitatem, non vero contra iustitiam.

5 Quarta conclusio. Si verisimile esset eos, qui à
4 *Conclusio.* parte contraria pugnarunt, innocētes esse, vel quod ignorantia inuincibilis eos excusauerit à culpa, vel quod in dubio, an bellum esset iustum, pugnauerint, præcipiente eorum Principe, obedientiaque eos excusauerit à culpa: tunc parta victoria, nefas omnino esset quemquam eorum interficere. Etenim tunc nulla eorum præcessisset culpa, propter quam mortis pœna essent digni. Quare, qui sciens, & prudēs ea ratione fuisse innocentes, eos occideret ad restitutionem damni ita dati teneretur.

6 Quia ergo bellum, non solum cedere solet in detrimentum boni communis propter cædes tot hominum, quot gladius, militaresque labores solent consumere, sed etiam plerumque accidit, vt in eo multi innocentes perimantur, alij vero vexentur, iacturasq; maximas suorum bonorum, ac libertatis incurrant (vt interim plurima facinora, quæ in bello committi, innumeraq; alia mala, quæ ex eisdem permanare solent, silentio præteream) inde est, quod *Sotus lib. 3.* cum Caietano, Driedone, & aliis asseruerimus eos, qui bellum iustum parant, teneri ab eo desistere, quoties ante cœptam pugnam ad- D uersarij debitam satisfactionem offerunt. Eidemq; de caulis Augustinus, *cap. nolo. 23. q. 1.* dixit, *iustum bellum non esse voluntatis, sed necessitatis.*

7 Quod attinet ad eos, qui in obsidionibus aut alibi se dedunt in bello, sane si conditione aliqua, vt, ne interficiantur, aut alia non iniqua, se dedunt, seruanda illis est, si acceptetur. Alioqui pro culpæ qualitate & quantitate, puniri possunt, iuxta ea, quæ hactenus dicta, ostensaque sunt. Meminerit tamen victor, se tanquam iudicem, non tanquam actorem, sedere pro tribunali ad sententiam in hostes, deuictamque Rempublicam ferendam: neque pœnam vlla ratione excedere debere culpam, misericordiamque & clementiam sæuitiæ & crudelitati esse anteponendam: præsertim cum victi proximi sint, Christique sanguine redempti, semperq; com- E mune bonum, Deique gloriam & honorem ante mentis oculos habendum.

SVMMARIVM.

1 *An compositio de consensu subditorum licita sit.*
2 *An bellum iniustum gerens teneatur subditis damna restituere.*
3 *Qui iustum intulit bellum, tenetur curare, vt subditis suis damna accepta restituantur.*
4 *An licitum sit Principi inuitis subditis cum hostibus componere, & damna illata remittere.*
5 *Aduersarij qui bellum iniustum gesserunt, tenentur data damna restituere.*
6 *Cum non constat de iniustitia belli, ex parte eorum, qui damna intulerunt, compositio valida est.*

DE COMPOSITIONE INTER BELlantes, & an principes sine consensu subditorum componere inter se possint circa damna, quæ subditi pertulerunt.

DISPVTAT IO 123.

SIt prima conclusio. Si ea compositio fieret de consensu libero subditorum, qui damnum in- 1 *1. Conclusio.*
iuste acceperunt, standum illi omnino esset. Neque B in exteriori aut conscientiæ foro vlla remaneret obligatio restituendi. Hæc est notissima.

Secunda conclusio. Qui scienter, aut cum culpabili ignorantia bellum iniustum intulit, tenetur 2 *2. Conclusio.*
restituere subditis suis damna omnia, quę passi sunt, nisi ipsi libere ea illi remitterent. Habetque hoc verum, etiamsi in Reipublicæ bonum cum hostibus pacisceatur. Probatur, quoniam illorum omnium damnorum suis subditis iniusta causa extitit. Si tamen subditi ipsi consci essent iniustitiæ belli, & sua sponte, principe nec cogente, nec præcipiente, comitarentur eum in bello: tunc princeps non tene- C retur restituere eis damna, quæ in eiusmodi bello acciperent, vt Doctores communiter affirmant. Ratio est, quoniam tunc ipsi sibimetipsis essent causa eorum damnorum, dum nullo præcipiente, ipsi pro suo arbitratu ad bellum ruerent voluntarium.

Tertia conclusio. Qui iustum intulit bellum, te- 3
netur, quantum commode fine detrimento boni *3. Conclusio.*
communis suæ Reipublicæ id poterit, curare, vt subditis suis restituantur damna, quæ iniuste acceperunt: alioquin, si, ipsis inuitis, pacisceatur, eaque remittat, id non postulante bono communi, tenebitur ea ipsis restituere. Probatur, quoniam cum ex officio teneatur dicere ius subditis suis, cogereque aduersarios, vt eorum damna reserciant, si fine eorum, bonique communis detrimento id commode D posit: sane iniuriam illis faceret, ea absque legitima causa remittendo, atque adeo ea illis restituere teneretur.

Quarta conclusio. Quando compositio, & pax 4
cum hostibus bono communi subditorum expe- *4. Conclus.*
diret, quia eo bello perditur ac labefactatur Respublica, licitum est principi, etiam inuitis subditis, componere cum hostibus, damnaque illata, si ad id opus sit, eis remittere. Ita *Adrian. de restitut. quæst. Aggredior ca. fus. §. quinto dubitatur. Gabriel. in 4. dist. 15. quæst. 4. artic. 3. dub. 5. Maior eadem dist. quæst. 20. §. vlt. Syluest. verb. bellum. 1. quæst. 12. & alij quos citant.* Ratio autem est, quoniam princeps ea in parte gerit vtiliter negotium suorum subditorum ac boni communis, cogereque eos, pro potestate quam habet, potest, vt detrimentum pro communi bono patiantur. Addunt tamen Doctores, remittere non posse damna Ecclesiis illata, sine prælatorum consensu: eo quod prælati ea in parte principibus sæcularibus non subiiciantur. Quando tamē bono communi id ita expediret, permittere sane tenerentur prælati, vt cum eo Ecclesiarum detrimento compositio fieret: præsertim cum id in minus earundem Ecclesiarum detrimentum, quam belli continuatio, redundaret.

Quinta conclusio. Si aduersarij bellum iniustum 5
scienter gesserunt, tunc, nihil impediente compo- *5. Conclusio.*
sitione & remissione facta per principem (etiamsi consensus particularium, ad redimendam suam vexationem, vitandaq; maiora mala accederet) to-

neren-

nerentur iri foro conscientiæ restituere damna data. Ita Adrian. *loco citato*, §. *præterea dico*. Ratio est, quoniam constabat aduersariis se teneri ad restitutionem, nec ea remissio esset omnino libera. Quare sicut, qui scit se litem habere iniustam cum aliquo, restituere tenetur, quod accipit, vt à tali lite desistat; quia aliusid non tribuit libere ac gratis, sed solum ad suam redimendam vexationem: ita se res habet in proposito.

6 Sexta conclusio. Si certa non esset iniustitia belli
Conclusio. ex parte eorũ, qui damna intulerunt, sane pactum, compositio, seu transactio, valida esset, etiam in foro conscientiæ: adeo, vt, esto postea illis constaret de belli iniustitia, ad nullam restitutionem tenerentur. Quia pactum, existente ea notitia, non fuit gratuitum, sed onerosum ex vtraque parte, nempe remitto damna, aut cedo maiori iuri meo, vt tu vicissim remittas, aut iuri tuo cedas: in pactis autem onerosis, vt valida sint, non requiritur tantum spontanei, quantum in gratuitis donationibus, vt alio in loco dicendum est. Hæc dicta sint de bello. Nunc de testamentis dicere ordiamur.

SVMMARIVM.

1 *Voluntates vltimæ quot.*
2 *Vltima voluntas quid.*
3 *Testamentum vnde dictum.*
4 *Testamentum quid.*
5 *Testamentum iure communi, nisi in eo hæres instituatur, est nullum.*
6 *Testamenta duo eiusdem testatoris valida esse non possunt, sed secundum irritum reddit primum, nisi sit militis, & constet voluisse valere vtrumque.*
7 *Differt hæreditas à cæteris vltimis voluntatibus, directa hæredis institutione excipe in codicillo militis.*
8 *Indirecte hæreditas codicillis dari potest, & institutio & substitutio codicillis facta trahitur ad fideicommissum.*
9 *Codicillus ad quid inseruiat.*
10 *Testamentum in Lusitania quando testator ascendentes aut descendentes habet, non indiget hæredis institutione, quia tacite censetur instituere ascendentes & descendentes in portionibus illis debitis.*
11 *Testamentum in regno Castellæ hæredis institutione non indiget.*
12 *Testamentorum aliarumque vltimarum voluntatum dispositiones, quousque de iure gentium ac naturali, & quousque de iure ciuili sint.*

TESTAMENTVM QVID SIT, ET quo à cæteris vltimis voluntatibus differat.

DISPVTAT IO 124.

1 *Voluntates vltimæ quot.*

DIcendum est consequenter, de translatione dominij, propria prioris domini voluntate. Ac primo de voluntate vltima. Simul explicabimus, quousque iuris ciuilis dispositione quisq; arctetur ab vltima voluntate disponendum de rebus suis. Itemque quis, eiusdem iuris dispositione, ab intestato defunctus succedat. Dicemus etiam de nonnullis aliis, quæ cum tractatione de vltimis voluntatibus sunt coniuncta.

In vltimis voluntatibus computantur, testamentum, codicillus, legatum, fideicommissum, & donatio causa mortis. De qua tamen aptius disputabimus, cum de aliis donationibus fuerit sermo. Hæ autem voluntates vltimæ non ita inter se distinguuntur, quasi legata (sumpta pro legandi actibus, non vero pro rebus, quæ legantur) & fideicommissum, indirectaue substitutio, esse non soleant partes integrantes testamenta & codicillos: sed quia vnumquodque eorum, in se spectatum, rationem sortitur voluntatis vltimæ.

Est vero vltima voluntas (vt de ea nunc loquimur) gratuita dispositio de bonis in tempus post mortem disponentis. Quia vero eiusmodi libera in illud tempus dispositio, tum ex se, tum iuris ciuilis dispositione, pro disponentis arbitrio potest reuocari, neque aliter, quam disponentis morte confirmatur, iuxta illud ad Hebræos 9. *Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet (id est, nondum est firmum) dum viuit, qui testatus est*: inde est, quod eiusmodi liberæ dispositiones appellentur voluntates vltimæ, non per comparationem ad alias priores, sed quia quando firmæ sunt, suumque sortiuntur effectum, irreuocatæ vsque ad vltimum vitæ disponentis terminum perstiterunt, atque adeo fuerunt vltimæ ea de re: post quas non fuerunt aliæ, quæ vim illarum abstulerint. 2 *Voluntas vltima quid.*

Vt igitur à testamento, tanquam à potissima voluntate vltima, ordiamur. *Institut. de testam. in prin.* habetur, dictum esse, quasi mentis testationem. Qua in re Theophilus Institutionum Iustiniani authoritate compilator, secutus videtur Seruiũ Sulpitium, qui *lib. 2. de testamentis* affirmat, testamenti nomen compositum esse, à testatione & mente. Id irridet Gellius, Valla, & alij, quos Couar. *in rub. de test. par.* 1. refert ac sequitur; contendentes: non magis testamentum dictum esse à mente, quam calceamentum, ornamentum &c. Dictum autem esse volunt à testatore, quasi testamen: sed assumere syllabam, tum, non secus ac velamen, nutrimen, & id genus alia nomina, eam assumunt, & dicuntur velamentum, nutrimentum, &c. Itaque, vi nominis, idem volunt esse testamentum, quod testamen, seu proprium testatoris de sua vltima voluntate testimonium, vel certe testandi actus testamen, seu testamentum dictus est: eo quod testator in eo alios suæ voluntatis vltimæ testes soleat interpellare. Theophilum quidam defendunt, quod nõ iuxta etymologiam, sed iuxta similitudinem nominis fuerit locutus. Alij vero quod solam testationem, iuxta etymologiam nominis, considerauerit: ad maiorem tamen expressionem adiecerit, mentis, hoc est, voluntatis, quia reuera mentis est testatio. 3 *Testamentum vnde dictum.*

Testamentum ab Vlpiano *l. 1. ff. de testam.* in hunc modum definitur. *Est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult.* Cui definitioni merito Glos. Accursij ibidem adiungit, *cum hæredis institutione*: intellige, *directa*. Pro genere in ea definitione ponitur, *voluntatis nostræ sententia*, hoc est, decretum exterius prolatum ac stabilitum: in quo vltimæ voluntates cum donatione inter viuos & contractibus conueniunt. Additur, *iusta*, hoc est, legitima, iurisve dispositioni ita consentanea, vt sit valida. Iustum enim sæpe id dicitur, quod legibus, suæve regulæ ac mensuræ, est adæquatum: eaque de causa virtus in genere iustitia interdum dicitur, vt tractatu 1. explicatum est. Quia vero hoc loco sermo est solum de testamento, & aliis vltimis voluntatibus validis: si aliquid autem testamento, vel quoad solennitatem, vel quoad aliquid aliud, desit, quod iuris dispositione exigatur, vt sit validum, irritum est & inane: ad excludendas eiusmodi voluntatis nostræ inualidas dispositiones, addita est particula illa, iusta, hoc est, legitima, modo explicato. Pars definitionis, quæ vlterius subiungitur, videlicet, de eo *quod quis post mortem suam fieri vult*, (intellige gratuito) communis est omnibus vltimis voluntatibus, iuxta ea quæ de vltimis voluntatibus in genere paulo ante dicta sunt: per eamque secernuntur à donationibus inter viuos, & ab aliis contractibus. 4 *Testamentum quid.*

Per particulam, *cum hæredis directa institutione*, quam Accursius adiungit, secernitur testamentum à reliquis vltimis voluntatibus. Ex dispositione namque Cæsarij iuris adeo intrinseca est testamento hæredis directa institutio, vt nisi expresse hæres instituereur, testamentum esset irritum, & inane, vt *ex §. ante hæredis institutionem, instit. de legatis, §. in primis, instit. de fideicommissis; l. vlt. ff. de bon. instit. l. vlt. ff. de codicill. & ex aliis iuribus* constat. Sane *§. ante hæredis citato* sic scriptum legimus. *Testamenta vim ex institutione hæredis accipiunt, & ob id veluti caput ac fundamentum intelligitur totius testamenti hæredis institutio.* Et tam seuere hoc quondam seruabatur, vt si legatum aliquod, vel quoduis aliud, præcederet in testamento hæredis institutionem, irritum id esset & inane, solumque vim obtinerent ea, quæ post hæredis institutionem in eo testamento disponebantur. Hic tamen rigor, *§. ante hæredis, citato*, tollitur, sanciturque, vt, dummodo hæres expresse instituatur, omnia sint valida, quæ in testamento disponuntur, siue præcedant, siue hæredis institutionem consequantur. Eo autem ipso, quod in vltima aliqua voluntate hæres directo instituitur, sortitur ea ipsa rationem testamenti. Neque vero duo esse possunt testamenta eiusdem testatoris valida, sed semper secundum reddit inualidum primum, vt habetur *instit. quibus modis testamenta infirmentur. §. posteriore, & §. sed & si quis.* Excipe militis testamentum: cum enim miles ex parte testatus, & ex parte intestatus discedere possit, duo illius testamenta valida esse possunt, quando vnum cum altero non pugnat, neq; constat testatorem voluisse reuocare prius per posterius, vt colligitur *ex l. quæreb atur, & l. militis codicillis, ff. de militari testamento*, & ex aliis iuribus.

Differt ergo testamentum à cæteris vltimis voluntatibus, sola hæredis directa institutione. In primis namq; vt *instit. de codicill. §. pen.* habetur, hæreditas codicillis neq; dari, neq; adimi directe potest: ne confundatur, ait textus, ius testamentorum & codicillorum, quod exponit glossa ita scilicet, vt testamentum à codicillo distingui non possit. Excipe, in milite, qui ex priuilegio, etiam codicillo instituere potest hæredem directe, vt *ex l. militis codicillis, ff. de militari testamento* constat. Ac proinde intelige particulam illam definitionis testamenti, cum hæredis directa institutione, secluso quocunq; priuilegio, vt eiusmodi militum codicillos à ratione testamenti secludas. Indirecte tamen dari potest hæreditas codicillo, fidei committendo in codicillo hæredi ab intestato, vel in testamento instituto, vt hæreditatem alicui alteri restituat: qui eo ipso tenetur eam restituere, reseruando sibi solam quartam hæreditatis partem, quam Trebellianicam appellant, vt patet *instit. de fideicommissar. hæreditate, §. sed quia heres, l. 2. tit. 12. part. 6. legum Castellæ, & C. ad. ff. ad Trebellianum.* Eiusmodi autem indirecta hæredis institutio, tum fideicommissum, tum indirecta, fideiq; commissaria substitutio appellatur, vt suo loco infra dicetur. Idcirco autem hanc solam à cæteris vltimis voluntatibus supra distinximus, quoniam directa substitutio, qua vnus in alterius locum ad hæreditatem vocatur sine ministerio alicuius, qui eam restituat, ad hæredis directam institutionem, atque adeo ad testamenti propriam naturam ac substantiam tanquam pars integralis illius pertinet, fieriq; proinde non potest, nisi testamento. Tametsi quando aliquis codicillo constituit substitutum in hæreditate, ex benigna iuris interpretatione rogare censeatur hæredem, qui vel prius testamento fuerat institutus, vel succedere debebat ab intestato, vt tali substituto restituat hæreditatem, idq; etiam in pupillari substitutione: ac proinde ad indirectam substitutionem spectat, teneturq; talis hæres restituere substituto hæreditatem, solum sibi A reseruando quartam Trebellianicam, vt habetur *l. Scæuola, ff. ad Trebellianum, & l. cum quis, §. Seiam. ff. de legat. 3.* & affirmat Gloss. *§. penult. instit. codicill. & Doctores communiter.* Idem est dicendum, quando codicillo relinquitur alicui hæreditas, vel prius inutiliter relicta conditio confirmatur, vt colligitur *ex l. 2. §. vlt. ff. de iure codicil. & cum Bart. & aliis affirmat Molina lib. 2. de primog. cap. 8. num. 38. & Ant. Gom. ad l. 3. Tauri num. 87.* vbi varia alia iura & Doctores citat. Eas autem substitutiones, quæ fieri etiam possunt in legatis & in donationibus causa mortis, vt suo loco videbimus, cum legatis & donationibus causa mortis computamus, eaq; de causa non plures, quam quinque vltimas voluntates supra distinximus.

Hinc iam facile quiuis intelliget, ad quid inseruiant codicilli (qui, vt habetur *instit. de codicillis in prin.* ab Augusti temporibus introduci cœperunt) & in quo à testamentis differant. Inseruiunt namq; ad legata instituenda, ad fideicommissarias seu indirectas substitutiones, & ad declarandum, immutandum, aut corrigendum aliqua in testamentis. Differunt vero præcipue, quia testamenta continent directam hæredis institutionem: codicilli vero minime, nisi per accidens, & ex priuilegio militi concesso. B *Codicilli ad quid inseruiant.*

Legata autem & fideicommissa, quæ ab hærede sunt executioni mandanda, partes sunt testamentorum, aut codicillorum, imo interdum vnum legatum aut fideicommissum est integer codicillus, si nihil aliud in eo præcipiatur, neq; contineat hæredis institutionem. Donationes denique causa mortis, licet frequenter extra testamenta & codicillos fiant, non tamen continent hæredis institutionem, vt suo loco patebit. Quo fit, vt testamentum, directa hæredis institutione, à cæteris vltimis voluntatibus secernatur. C

Illud vero obserua, de iure huius Lusitaniæ Regni, *lib. 4. ordinat. tit. 70. in princ. iuncto §. pen.* quando testator, quia scit se habere descendentem aut ascendentem, vnum vel plures, qui, velit ipse nolit, succedere debent in duabus partibus suorum bonorum, solum disponit de tertio, conficere legitimum testamentum sine aliqua expressa hæredis institutione: quia sufficit tacita illa ex ipsarum met legum præscripto hæredum institutio. Atque hac ratione vsus est in hoc Regno, nullam in eo euentu facere mentionem in testamentis de hæredum institutione, sed solum de ijs, quæ testator fieri vult de tertio suorum bonorum, aut circa propriam sepulturam: simul etiam explicat, aut præcipit, quæ ad propriam conscientiam exonerandam sunt necessaria, & his similia. D 10 *Lus Lusitanum.*

De iure autem Regni Castellæ, vt testamentum sit validum, in nullo euentu est necessaria hæredis institutio, sed per hæredē, qui ab intestato ex legum præscripto, aut consuetudine patriæ successerit, impleri debent legata, & quæcunq; alia testator, sine vlla hæredis institutione, in suo testamēto alioquin valido statuerit. Ita habetur *l. 1. tit. 4. lib. 5. nouæ collectionis legum Castellæ.* E 11 *Ius Castellæ.*

Posita rerum diuisione (quicquid quidā in contrarium dixerint) de iure est gentium, imo & naturali, quod vnusquisque de rebus suis disponere possit per vltimam voluntatem: sicut, posita, earundem rerum diuisione, de iure gentium, imo & naturali est, posse celebrari permutationes, & alios contractus, ex illisque consurgere obligationem. De iure tamen ciuili est, quod hoc tantum vel illo modo, & cum hac vel illa solemnitate, & non aliter, per vltimam voluntatem disponatur, iuxta leges particulares aut consuetudines præscriptas ciuitatis Reipublicæ aut loci: sicut etiam iure ciuili multa circa contractus legibus ac consuetudinibus variis in locis sunt introducta. 12

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Testamentum in scriptis seu clausum, & Testamentum nuncupatiuum seu apertum, quid.*
2 *Testamenti in scriptis solemnitas iure Cæsareo requisita.*
3 *Testamenti solemnitas iure Lusitano requisita.*
4 *Solemnitas de iure Castellæ.*
5 *Testamentum in scriptis hæredis manu scriptum, quando necessario non erat instituendus, aut aliunde non constat, testatorem illum instituisse hæredem, inualidum est in foro exteriori: secus in interiori ante latam sententiam, & cur regulariter id vim non habeat in testamento nuncupatiuo.*
6 *In Archiepiscopatu Eborensi sancitum, ne clericus qui testamentum alteri confecit, eius exemptor sit, aut sibi applicat sacrificia, quæ testator fieri iussit: item ne testamentum conficiat, in quibus sacrificia vel officia immoderata habita ratione facultatum, & paupertate sobolis relinquatur, ne etiam in cibum & potum, & similia relinqui permittant.*

DE TESTAMENTO IN SCRIPTIS, seu clauso, & solemnitate in eo necessaria.

DISPVTATIO 125.

1 DVplex distinguitur testamentum. Quoddam, quod à iure & Doctoribus idcirco in scriptis dicitur, quod, cum tabellionem & testes, quid in eo contineatur, lateat, fieri aliter, quam in scriptis, nequit. Vulgo testamentum clausum appellatur. Alterum, quod à iure & Doctoribus propterea nuncupatiuum appellatur, quod voce coram testibus nuncupetur ac declaretur quid in eo contineatur, quidve testator post mortem suam fieri velit. Vulgo vocatur testamentum apertum, fierique potest, tum in scriptis, tum etiam sola voce, vt disputatione sequenti erit manifestum.

2 *Testamenti in scriptis solemnitas iuris communis.*

In testamento in scriptis sequens solemnitas necessaria est de iure communi. Post confectã & clausam scripturam, in qua voluntas testatoris contineatur, adhiberi debent septem testes, masculi, liberi, aut qui liberi reputentur, puberes, ac proinde qui decimumquartum annum compleuerint, ac rogati, hoc est, ad id vocati seu inuitati: coram quibus testator vno eodemque tempore dicat ac manifestet, illud esse suum testamentum, illudq; propria manu subscribat, si sciat & possit: sin minus adhibendus est octauus testis, qui loco illius id subscribat. Deinde subscribere illud debent vno & eodem tempore septem illi testes, singulíq; debent illud signare, siue suo proprio annulo aut sigillo, siue alieno, sufficitq; vt eodem annulo omnes illud signent. Ita habetur *l. hac consultissima. C. de test.* vbi subiungitur *si horum aliquid deficiat, tale testamentum pro infecto haberi conuenit.* Idem disponitur *inst. de test. §. sed cum paulatim, & sequentibus. & l. ad testium. ff. eodem tit. Laubemus. C. de test.* præcipiebatur etiam, vt testator propria manu interius in testamento scriberet hæredum nomina, aut illa testibus manifestaret. Veruntamen *lex illa per authen.* ibidem subiunctam corrigitur: quare hodie id non est necesse, sed satis est per alium inscribi nomen hæredis.

3 *Solemnitas de iure Lusitano.*

De iure vero huius Lusitaniæ Regni sequens solemnitas necessaria est ac sufficit in testamento in scriptis. Post tale testamentum propria vel aliena manu scriptum, subscribendum est intus propria testatoris manu, nisi ipse fuerit, qui illud scripsit: nã tunc necessaria non est subscriptio. Quod si testator scribere nesciat, vel non possit, subscribendum erit A propria illius manu, qui illud scripsit. Deinde testamentum illud, postquam clausum fuerit & consutum, tradendum est à testatore tabellioni coram quinq; testibus masculis, liberis, aut pro liberis reputatis, & qui quartumdecimum ætatis annum excedant. Et tunc coram illis interrogabit tabellio testatorem, an illud sit ipsius testamentum, habeatque illud tanquam legitimum, validum ac firmum. Testatore vero affirmanter respondente, tabellio à testamenti tergo coram eisdem testibus conficiet instrumentum approbationis, in quo explicabit, testatorem tradidisse sibi testamentum illud, habuisseque illud vt suum, & vt bonum ac firmum. Subscribent vero in eodem approbationis instrumento quinq; illi testes, & præterea testator ipse, si scribere sciat & possit: sin minus vnus de testibus loco illius B subscribet, statimque infra inscriptionem subiunget, se de mandato testatoris, locoq; illius subscribere, quod vel nesciret, vel non posset subscribere. Ita habetur 4. *lib. ordin. tit. 76. §. 1.* vbi subiungitur. *Si quippiam horum defuerit, testamentum erit nullum, nihil impediente quacunque consuetudine in contrarium.* Præterea, si tabellio in approbatione eiusmodi testamentorum prædicta omnia non seruârit, punitur pœna amissionis officij, approbationisque instrumentum erit nullum. Gama. *decis. 69.* refert, annullatum fuisse quoddam testamentum, eo quod non adessent testes tempore, quo à testatore tabellioni fuit traditum.

Hæc solemnitas differt ab ea, quæ de iure communi requiritur. Primo, quoad testium numerum: quia in hoc regno sufficiunt quinque. Secundo, C quo ad qualitatem, quia necesse non est, vt sint rogati: meritoque ita in supremo Senatu huius regni iudicatum est, vt Gama. *decis. 210. num. 2.* refert, solo ipso Gama refragante. Etenim in ea ordinatione disponitur, quæ solemnitates in hoc regno interuenire debeant & sufficiant, vt testamentum sit validum, illaque omittitur. Tertio, quia si testator nesciat, aut non possit subscribere, necesse non est adhibere octauum testem, qui loco illius subscribat: sed satis est vnum de quinque testibus subscribere loco illius. Quarto, quia satis est testes subscribere, neque requiritur eorum sigillum. Quinto, quia de iure communi non est necesse, quod ad instrumentum approbationis concurrat tabellio: secus autem de iure huius regni. Sexto, quia quando testamentum fuit scriptum manu aliena, necessarium est de D iure communi, vt interius subscribatur à testatore, aut ab eo, qui tale testamentum confecit, quando testator nescit, aut non potest scribere: secus autem de iure huius regni.

Ibidem in ordinationibus. §. 2. ad vitandas fraudes, quæ in similibus testamentis possunt interuenire, præcipitur, vt tabellio scribat, aut scribere incipiat instrumentum approbationis in parte alicuius folij, in quo aliquid testamenti sit scriptum. Quod si ita folia omnia testamenti sint scripta vt in nulla possit facere aut incipere instrumentum approbationis, præcipitur apponere signum suum publicum in parte aliqua foliorum testamenti, & in instrumento approbationis, in quo inuolutum aut E consutum erit testamentum, fidem facere, quod in testamento intus contento sit appositum suum signum publicum, eo quod non esset folium, in quo incipere posset approbationis instrumentum. Tabellioni autem, qui hoc non seruauerit, in pœnam statuitur, vt priuetur officio. 6

4 *Solemnitas de iure Castellæ.*

De iure regni Castellæ ad testamentum in scriptis necessarij sunt septem testes, necesse est etiam, vt interueniat tabellio ad inscriptionem & confirmationem testamenti, & vt testator ac testes subscribant inscriptionem ac confirmationem testamenti. Quod si vel testator nesciat, aut non possit subscribere, vel testium aliqui subscribere nesciant, pos-

sunt

sunt reliqui testes subscribere loco eorum ac testatoris, ita vt sint octo subscriptiones, vltra quas necesse est accedat publicum tabellionis signum. Ita constitutum est *l.3.Tauri*, quæ hodie est *2.tit.4.lib.5. nouæ collect.* Testes autem tales esse debent, quales de iure communi ad testamenta exiguntur. Anton. tandem Gom. *ad eandem l. Tauri, num.29.* ait, *necesse non esse, vt sint rogati.* Contrarium tamen merito asseuerat *Molina lib.2.de primo c.8.n.15.* Cum enim ea qualitas necessaria sit de iure communi & partitarum, neque lege illa ordinamenti, aut Tauri excludatur, non video cur necessaria non sit. Quoad hæc omnia lege, si placet eundem Ant. Gom. & Couar. *c.cum esses, de test.n.1.*

5. Dubium. Dubium est hoc loco, an si is, qui eiusmodi testamentum scripsit, hæres à testatore instituatur, aut legatum aliquod illi relinquatur, valida sit talis institutio, validumq; sit tale legatum, hæredis, aut Legatarij manuscriptum. Respondendumq; est, inualida esse, quando testamentum est in scriptis, de quo nunc agimus, neq; hæres ita institutus alioquin necessario eodem modo erat instituendus, neq; testator alia via per seipsum expressit, se in eo testamento eum hæredem instituisse, vel tale legatum illi reliquisse. Ita habetur *l.1. & sequentibus, C.de iis qui sibi ascribunt in testamento, & l.1.§.ad testamenta, ff.ad leg. Corneliam de falsis.* definitumq; est in hoc Regno *decis.157.* idem definitum est *decis. 69. de testamento*, in quo frater hæredis scripsit testamentum, *argumento l. de eo. ff. ad legem Corneliam de falsis*: præsertim quia duo illi fratres erant valde amici, & viuebant *in* communi. Decis. etiam 231. idem definitum est de testamento quodam manu mariti scripto, in quo vxor & maritus se mutuo relinquebant hæredes. Credo tamen hæc solum habere locum post latam sententiam: eo quod leges illæ pœnales sint, validaque sint quoad reliqua eiusmodi testamenta. Quin si is, ad quem alioquin legati aut hæreditatis emolumentum pertinet, sciat reuera testatorem id ita instituisse, & præterea nullam fuisse culpam in eo, qui scripsit testamentum, eo quod inuincibiliter ignorauerit prohibitionem legis, arbitror neq; petere posse, vt alius condemnetur pœna amissionis talis hæreditatis aut legati: neque id retinere posse tuta conscientia: esto ille condemnetur. Ratio est, quoniam vbi nulla interuenit culpa non potest pœna executioni mandari. Quare tunc hæres institutus facere posset occultam compensationem.

Quæ dicta sunt, non ita habent locum in testamento nuncupatiuo, quoniam testibus manifestantur, quæ in testamento continétur. Atq; adeo, quando illi asserunt eam fuisse voluntatem testatoris ipsis tunc coram testatore manifestam, cessat præsumptio omnis falsitatis. Credo tamen si is, qui propria manu scripsit testamentum nuncupatiuum, in quo ipse hæres instituitur, aut legatum ei relinquitur, illud legisset coram testatore & testibus, & testes non recordarentur postea ipsum in eo fuisse institutum hæredem, vel tale legatum fuisse illi relictum, irritū esset & inane in exteriori foro: eo quod non leuis præsumptio esset falsitatis: satisq; consentanee ad hanc nostram sententiam loquitur Bart. *l. 1.§.ex illa, ff.ad leg.Corneliam de falsis.*

6 Illud postremo obseruandum est, *in Constitutionibus huius Eborensis Archiepiscopatus tit.21.c.6.* ad impedienda mala & scandala, qua inde facile oriri poterant, merito sancitum esse, vt nullus clericus in testamento, quod ipse alteri confecerit, remanere possit executor, neq; sibi applicet sacrificia, quæ testator fieri iusserit. Pœna etiam quinque aureorum, quæ ex carcere Ecclesiastico soluat, statuitur clerico, qui testamentum confecerit, in quo ipse vel hæres vel executor fuerit constitutus. Præterea clericis præcipitur, vt quando eorum aliquis confecerit testamentum, in quo sacrificia vel officia fieri præcipiantur in Ecclesia, cuius ipse curam habeat, illa sint moderata pro ratione facultatum testatoris, & pro quantitate & paupertate suæ sobolis, alioquin tanta pœna tali sacerdoti iniungetur, quanta fuerit culpa. Item eisdem clericis iniungitur, vt in testamentis, quæ ipsi confecerint, nihil permittant relinqui in cibum, & potum, aut ad alia similia, sed solum ad opera pia, Diuinique obsequij.

SVMMARIVM.

1 *Solemnitas iure communi in testamento nuncupatiuo requisita.*
2 *Testamenti nuncupatiui solemnitas iure Lusitano.*
3 *Testamentum vocetenus quando valeat in Lusitania.*
4 *Testamenti nuncupatiui solemnitas de iure Castellæ.*
5 *Testamenti publicatio quando necessaria, & quomodo fiat.*

DE SOLEMNITATE IN NVNCVpatiuo testamento requisita, & quando in testamentis necessaria sit publicatio, & quid ea sit.

DISPVTATIO *126.*

1 *Solemnitas iure communi in testamento nuncupatiuo requisita.* DE iure communi ad testamentum nuncupatium septem testes sunt necessarij, masculi, liberi, aut liberi reputati, puberes, rogati, qui simul conueniant, & audiant ac intelligant testatoris voluntatem vel scriptam, vel vocetenus prolatam, si vocetenus testamentum sine vlla scriptura condatur. Non tamen est necessaria subscriptio aut sigillum. Ita habetur *l.hac consultissima, § per nuncupationem, C. de test. §. vlt. instit. de test. & l. heredes palam, ff. eod. tit.*

2 *De iure Lusitano.* De iure huius Lusitaniæ regni, si testamentum nuncupatiuum fiat per tabellionem publicum, qui illud in suo exemplari quod notam vocant, scribat, satis sunt quinque testes masculi, liberi, aut liberi existimati, qui decimumquartum annum excedant, ita vt cum tabellione sint sex testes. Debentq; tam testes, quam testator illud subscribere, si scribere sciat & possit: sin minus aliquis testium subscribere debet loco illius, qui statim infra eam subscriptionem addet, se de mandato testatoris loco illius subscripsisse: quod ille scribere nesciret, aut non posset. Atque hæc sufficiunt, & necessaria sunt, vt tale testamentum sit validum. Ita habetur *4.lib.ord. tit.76.in prin.*

Potest etiam secundo fieri testamentum nuncupatiuum validum in hoc regno sine tabellione, scriptum manu testatoris, aut alicuius alterius, modo subscribatur per testatorem, aut per alterum, cuius manu fuerit scriptum, & adhibeantur quinque alij testes qualitatis paulo ante explicatæ, coram quibus simul legatur, & cum lectum fuerit, à singulis subscribatur. In hoc tamen euentu necesse est, vt post mortem testatoris, iudicis authoritate fiat publicatio talis testamenti: de qua mox erit sermo. Ita habetur *titulo citato*, §.3.

3 Tertio etiam fieri potest testamentum nuncupatium validum in hoc regno, aut quæuis alia dispositio de propriis bonis, sine vllo tabellione, aut scriptura tam publica, quam priuata, voce tenus: dummodo fiat tempore mortis, & adsint sex testes, siue masculi, siue fœminæ. Priuilegium disponendi hoc modo conceditur, eo quod fiat mortis tempore. Quare extra illud tempus irritum est tale testamentum in hoc regno. In hoc etiam testamento requiritur publicatio illius post mortem testatoris, vt statim dicemus. Ita habetur *titulo citato*, §. 4.

De iure

4 De iure Castellæ.

De iure regni Castellæ, *l.1.tit.2.li.5.ord.* quæ hodie est *l.1.tit.4.lib.5.nouæ legum collectionis, Regis Philippi 2. autoritate nonnihil aucta, & l.3. Tauri* confirmata. Si testamentum nuncupatiuum fiat cum tabellione publico, adesse debent tres alij testes vicini eius loci in quo fit testamentum. Si vero fiat sine tabellione, adesse debent quinque testes vicini similiter loci, in quo fit testamentum: modo oppidum tale sit, vt tot adesse possint. Quod si oppidum sit tale, vt tot adesse non possint, saltem adesse debent tres, qui eius oppidi sint vicini. Quod si fiat coram septem testibus, validum erit, esto neque illi vicini sint oppidi, in quo fit testamentum, neque adsit tabellio. Lege *Ant. Gom. ad l.3. Tauri à nu.47. & Couar. Cum esses, de test. n.1. & 2.* Sed obserua, Ant. Gom. scripsisse ante *legem illam 1. nouæ collect.* auctam, dilucideq; explicatam Regis Philippi autoritate. Testes tamen semper debet esse earum qualitatum, quæ de iure communi exigũtur.

5 Publicatio testamenti quando.

Quando ad validum testamentum, siue illud sit in scriptis seu clausum, siue sit nuncupatiuum, concurrit tabellio publicus, necessaria non est publicatio illius, iuxta probabiliorem sententiam, quã *ordinationes huius regni §.3. citato* sequuntur, & cum quibusdam Glossis affirmant, *Couar. loco citato, & Ant. Gom. ad l.3. Tauri à nu.15.* Quare, quia de iure huius regni & regni Castellæ, testamentum in scriptis, seu clausum, nunquam est validum, nisi ad illius inscriptionem & confirmationem interueniat tabellio publicus, nunquam necessaria est illius publicatio. In euentibus autem, in quibus de iure huius regni & Regni Castellæ dictum est, validum esse testamentum nuncupatiuum, in quo non interuenit tabellio publicus, necesse est, vt post defuncti mortem testamentum illud iudicis autoritate publicetur.

Publicatio testamenti quid.

In eo autem, vt *ordinationes huius regni §.3. citato* innuunt, & latius Ant. Gom. *à numer.15. citato* explicat eiusmodi publicatio consistit. Quod iudicis autoritate, ad petitionem, vel hęredum, vel quorumuis aliorum, quorum interest, vt pronuncietur an tale testamentum sit legitimum, citantur illi cuia refert, vt non valeat: cuiusmodi sunt hæredes ab intestato, & etiam hæres, qui si nulla interueniisset legitima causa, necessario foret instituendus in eo testamento, & fuit præteritus seu exhæredatus. Præterea eiusdem iudicis autoritate vocantur testes, qui illi testamento conficiendo interfuerunt, adhibitoque per iudicem iureiurando, examinantur, an illæ sint eorum subscriptiones, legitimumque fuerit tale testamentum: vel si testamentum voce tenus in hoc regno tempore mortis fuit factum, an coram ipsis ita defunctus mortis tempore fuerit testatus. Quibus examinatis, si iudex nihil inueniat, quo minus testamentum illud validum sit, pronunciat illud validum, idque ad perpetuam rei memoriam iubet iudex scriptis mandari, manetque eo ipso testamentum publicatum.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum nõ absolutum est omnino inualidum: fallit ibid.*

2 *Testamentum vt sit validum non satis est si hæredis institutio nutibus fiat, sed necesse est vt scripto aut voce qualicunque exprimatur.*

3 *Satis est si testator hæredem licet non proprio nomine at tamen signo indubitabili exprimat.*

4 *Testamentum est validum, si hæredi institutio fiat per remissionem ad schedulam in qua nomen est præscriptum.*

5 *In foro conscientiæ satis est, si vel nutu fiat hæredis institutio, modo certo constet eum fuisse testatoris voluntatem.*

6 *Iure communi valet legatum & fideicommissum solo nutu factũ: vt & legatum per remissionẽ ad schedulam.*

7 *Testamentum vt sit validum fieri debet cum solemnitatibus requisitis in regno in quo fit: non vero vnde est testator aut vbi mandari debet executioni.*

8 *Testamentum vt sit validum tales debent esse testes vt aliequi ad testificandum inhabiles non sint vt est infamis, nisi communiter habiles putarentur.*

9 *Qui præterea à numero testium in testamento reiiciãtur.*

10 *Religiosus in testamento testis esse potest licet male faciat quod absque præsumpta superioris licentia testis sit.*

11 *Clerici idonei testamentorum testes etiam sine facultate episcopi.*

12 *Testamentum vt sit validum debent esse testes in præsentia testatoris, eumque videre.*

13 *Quot testes sufficiant in vrbibus Asiæ. Item si in eremo aut vbi pauci habitant fiat: item si ob pestem aut similem causam plures non possint adhiberi.*

14 *Testamentum rusticorum vt de iure sit validum satis est si quinque testes adhibentur cum testantur vbi plures adhiberi non possunt. Quid in Testamentis aliorum, etiamsi tempore pestis conscripta sint.*

TESTAMENTVM ABSOLVI DEBET, vt sit validum nonnullaq; alia circa testamenti solemnitatem, & quis numerus testium sufficiat, vbi ordinarij facile dari non possunt.

DISPVTATIO. 127.

ETiamsi testamentum inceptũ sit coram legitimis testibus, si tamen perfectum nõ fit, quia loqui amplius non potuit testator, aut aliqua alia de causa, est nullum omnino, etiam quoad illa, quæ testator coram illis testibus statuerat. Ita habetur *l. si quis cum testamentum, & l. ex ea scriptura, ff. de testa. l. furiosum, C. qui testamenta facere possunt, §. ex autem solo, Inst. quib. mod. testamenta infirmentur, & l.23. cit. 1. pa. 6.* & affirmat communis Doctorum sententia, quam *Couar. de test. ca. relatum 1. n.9. & Ant. Gom. ad l.3. Tauri, nu.18. & 105.* referunt ac sequuntur. An vero id locum etiam habeat in legatis ad pias causas, dicemus infra suo loco. Illud obserua, in testamento nuncupatiuo de iure communi facto, & etiam in nuncupatiuo voce tenus tempore mortis in hoc regno facto, quando non constat testatorem vlterius progredi voluisse sed res est dubia, validum esse testamentũ, vt recte ex *l. siquis cum testamentum, citata*, probat Anton. Gom. *n.105. citato.*

3 Illud etiam obserua, non satis esse nutibus exprimere hæredem, sed necesse esse, vt testator, vel scribendo propria manu illum exprimat, vel voce ita dearticulata illum exprimat, vt ex voce intelligatur, quem instituat, esto balbutiendo & tarde illam proferat. Ita habetur aperte l. iubemus iuncta *l. quoniam indignum, C. de test. & colligitur ex l. discretis, §. vlt. C. qui testamenta facere possunt.* Licet autem tutum sit, vt testator proprio ore pronunciet nomen hæredis, satis tamen erit, si interrogatus à tabellione, aut etiam ab aliquo priuato, an Paulum, verbi gratia, velit constituere suum hæredem, ore proprio respondeat, volo, aut quid simile, quo se id velle declaret. Ita *Gloss. l. iubemus. verb. quemadmodum. C. de test. Bart.* & communis sententia Doctorum, quam referunt & sequuntur *Couar. d. cum tibi de testam. num.4. Ant. Gom. ad l.3. Tauri, num.109. & Gregor. Lopez. ad l.7. tit. 73. part.6.* modo tamẽ esset omnis suspicio fraudis, constetque eam fuisse testatoris voluntatem sui tunc comporis. Lege etiam Iulium Clarum, *§. testamentum, quæstio.4. & 37.* Satis est etiam si testator, licet non proprio nomine signo tamen indubitabili hæredem voce, aut scripto exprimat, vt si dicat, instituo hæredem meum fratrem, quando vnum tãtum habet, aut bedellum, quando vnus tantum est

vniuersitatis, aut hunc hominem, quem digito demonstret, vt Ant. Gom. *1. tom. variar. resolut. c. 2. n. 6. & 7.* sufficienter probat. Vtrum autem institutio hæredis facta in testamento per relationem ad schedulam manu propria testatoris scriptam, in qua nomen hæredis exprimitur, valida sit, communior Doctorum sententia hodie affirmat, validum esse, modo tamen constet vere eam esse schedulam, ad quã se remittit testator. Ita *Couar. ibid. n. 5. Iulius Clarus, §. test. q. 4. & 36. & Menchaca li. 2. succesionum, § 17. n. 5.*

Licet autem in exteriori foro necessaria sit institutio hæredis, qualis explicata est: in foro tamen conscientiæ satis est, si vel nutu fiat, modo certò cõstet, eam fuisse testatoris voluntatem, qui sui erat tunc compos, iuxta ea quæ disp. 81. dicta sunt.

Illud etiam est obseruandum, quamuis institutio hæredis solo nutu facta inualida sit de iure communi, non tamen esse inualidum legatum aut fideicõmissum solo nutu factum, vt constat *ex l. nutu. ff. de leg. 3. l. cum proponebatur, ff. de leg. 2. & affirmant. Gloss. l. libertus citata, &* communis sententia, quam referunt & sequuntur *Couar. c. cum ibi. de testam. num. 3. & Ant. Gom. ad l. 3. Tauri, n. 11.* Multo autem magis valida sunt legata per remissionem ad schedulam, de qua paulo antea habitus est sermo, vt cum Bart. affirmat communis Doctorum sententia, quam loco citato refert *Couar. n. 4.*

Testamentum vt sit validum, habere debet solemnitatem requisitam in Regno aut loco in quo fit: non vero in loco & Regno vnde est testator, & vbi testamentum mandari debet executioni. Ita Anto. Gom. *ad l. 3. Tauri n. 20.* iuxta varia iura, quæ citat.

Testes vt validum sit testamentum, non solum habere debẽt eas qualitates, de quibus duabus disputationibus præcedentibus dictum est, sed etiam debent esse tales alioquin, vt validum sit eorum testimonium in iure: quare non debent esse infames, &c. Obseruat tamen optime Iulius Clarus, §. *testamentum, quæ. 55. vers. vlt. cum Glos. communiter recepta l. cum in lege, ff. de test.* quemadmodum, esse quempiã seruum, non repellit illum à numero idoneorum testium ad testamentum, quando, communi opinione liber re putatur. ita esse quempiam infamem, aut alio vitio laborare, quo alioquin testis esse non posset, non repellere illum à numero testium idoneorum ad testamentum, quando communi opinione talis non reputabatur.

Inst. de test. ad §. prater, reiiciuntur à numero testium idoneorum ii, qui in potestate sunt testatoris. Item pater & qui in potestate patris sunt, in testamento filij familias. Item hæres comparatione testamenti, in quo hæres instituitur, nec non qui in potestate hæredis sunt, item pater in cuius potestate sit talis hæres, & fratres qui in potestate talis patris sunt. Legatarii tamen: & fideicommissarii particulares, in testes admittuntur testamenti, in quo legatum aut fideicommissum particulare eis relinquitur.

Vtrum autem validum sit testamentum, in quo religiosus fuerit de numero testium ad illud adhibitorum Iulius Clarus *q. 55. cit ata, vers. vlterius quæro* affirmat, atque esse consuetudine receptum. Idem affirmant Pan. & multi alii, quos Ant. Gom. *ad l. 3. Tauri, n. 28.* refert. Ipse vero Anto. Gom. cum Fabro ait, id intelligendum esse, modo tempore testamenti habuerit ad id facultatem sui superioris: aut si testamentum de numero eorum sit, quæ publicatione post mortem testatoris indigent, modo tempore publicationis habeat facultatem ad testificandum. Veruntamen cum religiosi testimonium sine facultate sui superioris non sit ipso iure nullum, licet male faciat, si sine ea, saltem præsumpta, testificetur: non video cur recedendum sit à priori illa sententia, quæ communior est doctorum. De clericis conueniunt omnes esse idoneos testamentorum testes, etiam sine facultate Episcopi.

A Vt testamentum sit validum, debent omnes testes esse in præsentia testatoris illumque videre, neque satis est, si vocem eius audiant. vt patet *l. si non speciali, & l. si vnus, C. de testa.* Quare si paries sit interpositus inter testes & testatorem, aut etiam cortina, ita vt ab eis non videatur, testamentum erit nullũ, iuxta communem Doctorum sententiam, quam Iulius Clarus *§. testamentum, quæst. 59.* refert ac sequitur. 11

De iure huius Lusitaniæ regni *lib. 4. ord. tit. 76. §. vlt.* quando testamentum conficitur in eremo, aut alio loco vbi propter commorantium paucitatem non possint facile inueniri tot testes, quot alioquin sunt requisiti, satis est, si adhibeantur tres, idque siue testamentum sit clausum, siue apertum, & siue fiat scripto, siue tempore mortis oretenus, Idemque est B in codicillo. Vt autem bene notat *Gama decis. 44.* debent esse inasculi: quoniam cum in eo §. nulla fiat mentio de fœminis, testes debent esse qualitatis requisitæ ad validitatem testamenti. 13 *Ius Lusitanum.*

Cum vero ordinationes eam rationem reddant huius dispositionis, quod in desertis locis non facile reperiantur tot testes quot alioquin ad validitatem testamentorum sunt requisiti: sane ratio postulat, vt per Epicheiam idem in hoc regno sit dicendum tempore pestis, quando vel testator peste laborat, hominesque ad eum accedere non audẽt, vel aliqua alia ratione, nõn facile reperiuntur testes alioquin requisiti, & id affirmat *Gama decis. 110. &* 81. Merito dixi, quando vel quòd testator peste labo ret, vel alia ratione, non facile reperiantur testes alioquin requisiti: quoniam si, spectatis circunstantiis concurrentibus, possent facile adhiberi, inualidum esset testamentum cum solis tribus testibus, vt eadem decis. 110. indicatum est circa testamentũ cuiusdã, qui tempore pestis obiit in carcere publico, vbi sufficiens testium numerus potuit adhiberi.

De iure communi, *l. vlt. C. de testa.* solis rusticis fuit concessum, vt si testamentum conficiant in loco vbi plures testes inueniri non possunt, adhibeant saltem quinque. Dubitant vero doctores, an standō in solo iure communi sit validum testamentum cum paucioribus, quam septem testibus. De hac re tres sunt sententiæ, quas refert Iulius Clarus, *§. testamentum, qu. 56.* Prima Baldi & quorundam aliorum asserentium, satis esse tunc quinque testes, modo plures non possint facile adhiberi: & in hãc, propter illius æquitatem, inclinat Iulius Clarus. Secunda est asserentium, necessarios esse septem testes, & hæc videtur esse communior, & mihi verior videtur. Tum quia priuilegium illud quinque testium propter imperitiam fuit rusticis concessum, quæ ratio non militat tempore pestis. Tum etiam quia *l. casus, C. de testamentis* definitur, casum periculumque contagionis non sufficere, vt de numero testium remittatur. Fauet etiam *l. confidentur, §. codicilli, ff. de iure codicillor.* Lege, si placet, Anto. Gom. *ad l. 3. Tauri n. 48.* Tertia est paucorum affirmantiũ, eo tempore sufficere duos testes, quam Iulius Clarus omnino improbandam censet. Eã vero Gama *decis. 81.* arbitratur amplectendam in hoc Lusitaniæ Regno, ductus, quod ea sit sententia Bartol. *l. vnica. ff. de bonorum possessione ex testamento militis*: & quod in hoc regno standum sit opinionibus Bartoli, quãdo nec textus, nec glossa Accursii, neque communis Doctorum opinio est in contrarium. Veruntamen ea non est opinio Bartol. quippe qui solum eo loco dicat, debere prouideri vt tẽpore pestis vltimæ voluntates, etiam non solemniter factæ, valerent: eo quod neque testes, neque notarii reperiri tunc valeant. Ex his autem verbis potius colligitur contrariam esse sententiam Bart. nempe antequam id statuatur, inualida esse testamenta eo tempore facta sine solemnitate alioquin requisita. Esto autem ea esset sententia Bartoli, communis tamen sententia est 14 *Ius commune.*

in con-

in contrarium, quandoquidem Doctores primæ & secundæ sententiæ, tertiæ, quæ pauciſsimorum eſt, repugnent.

15 De iure autem regni Caſtellæ *libr. 5. noua collectionis titul. 4. l. 1. & 2.* in ſolo teſtamento nuncupatiuo, quando nec tabellio nec plures teſtes adhiberi poſſunt, ſiue ob peſtem, ſiue quacunque alia de cauſa, ſatis ſunt tres, modo vicini ſint loci, in quo teſtamentum conficitur iuxta ea quæ diſput. præcedente dicta ſunt.

Ius Caſtellæ.

SVMMARIVM.

1 *Teſtamenti inter liberos ſolemnitas de iure communi, ſufficiunt que duo teſtes etiamſi fœminæ aut non rogati ſint.*

2 *Si teſtamento inter liberos minore ſolemnitate conſcripto admiſceatur perſona extranea, inualidum eſt, quoad illum, portiog, illius liberis accreſcat, legata tamen non liberis relicta valent.*

3 *Solemnitas teſtamenti inter liberos remittitur etiam in teſtamento inter nepotes & alios inferiores deſcendentes.*

4 *Teſtamentum inter liberos illegitimos valet, quoad portiones, quas fas eſt illis reliquí.*

5 *Teſtamentum inter aſcendentes non valet cum duobus teſtibus.*

6 *Teſtamentum ex aliis capitibus, quam ex defectu ſolemnitatis inter alios nullum, inualidum eſt inter liberos.*

7 *Teſtamentum inter liberos, quid iure Luſitaniæ & Caſtellæ requirat.*

DE SOLEMNITATE REQVISITA in teſtamento inter liberos.

DISPVTATIO *128.*

1 SVbiicienda ſunt nonnulla, quæ, quoad ſolemnitatem, ſunt peculiariter conſtituta in iure circa quorundam teſtamenta. Atque vt à teſtamento parentum inter filios incipiamus, ſciendum eſt. De iure communi in fauorem filiorum, ad quos pertinet hæreditas, validum eſſe teſtamentum confectũ inter liberos, etiam emancipatos, cum duobus teſtibus, ſiue maſculis ſiue fœminis, etiam non rogatis: neque neceſſariam eſſe teſtium ſubſcriptionem, aut aliquam aliam ex ſolemnitatibus in aliis teſtamentis requiſitis: idque ſiue teſtamentum conficiatur à patre ſiue à matre, & ſiue ſit nuncupatiuum ſiue in ſcriptis (quamuis, vt ſubiiciemus, in teſtamento in ſcriptis nonnihil amplius requiratur) ita habetur expreſſe *l. hac conſultiſſ. ma, §. ex imperfecto, C. de teſt. iuncta l. vlt. C. familiæ herciſcundæ*, in quarum priori dicitur, teſtamentum imperfectum (hoc eſt, cui deeſt ſolemnitas omnis de iure ciuili introducta, nempe, omnis ſupra duos teſtes fide dignos) valere inter ſolos liberos à parentibus vtriuſque ſexus, id eſt, ſiue à patre ſiue à matre conficiatur, idemque affirmat cõmunis Doctorum ſententia. Habetq; id verum, ſiue liberi æqualibus portionibus ſint inſtituti hæredes, ſiue inæqualibus, vt affirmat communis opinio, quã *Emmanuel à Coſta, c. ſi pater, part. 1. ver. in ſuo teſtamento n. 2. & Gama deciſ. 61.* referunt ac ſequuntur. Tametſi *Couar. de teſt. c. Raynutius, §. 1. n. 3. ab Emmanuele à Coſta citatus*, contrarium affirmet.

Obſerua tamen, poſtea de iure anthẽticorum ſanctum eſſe, ad hoc, vt teſtamentum in ſcriptis conditum inter liberos cum duobus teſtibus ſit validũ, neceſſarium eſſe, vt vel ſubſcribatur à teſtatore, vel à liberis in eo inſtitutis, vt habetur *in authentica ſi modo, C. familiæ herciſcundæ*: vel certe vt ſi neutrum illorum fiat, teſtator propria manu, diſtinctisque characteribus exprimat nomina filiorum, quos in teſta-

A mento hæredes inſtituit, nec non portiones, in quibus eos inſtituit, tempusque in quo conficit teſtamentum, atque hoc eſt quod habetur *in authentica quod ſine C. de teſt.* Quod ſi nihil horum fiat, teſtamẽtum erit nullum, vt ex authenticis citatis eſt manifeſtum. Cum vero non loquantur de teſtamento nuncupatiuo, vt *ex authẽtico d. teſtamentu imperfectus*, vnde authenticæ illæ ſunt deſumptæ, ſi attente legatur, conſtat, affirmatque Gloſſa *in authentica ſi modo, C. famil. herciſ.* conſonatque *l. 7. tit. 1 p. 6. legum Caſtellæ*: conſequens profecto eſt, vt circa teſtamentum nũcupatiuum ſtandum ſit, *§. ex imperfecto, citato, & l. vlt. C. famil. erciſ.* Porro cum *authentica, quod ſine, C. de teſt.* ſtatuat, vt teſtator propria manu ſcribat portiones, in quibus ſingulos hæredes inſtituit ſatis patet teſtamentum inter liberos cum duobus teſtibus confectum validum eſſe, eſto liberi inæqualiter ſint inſtituti hæredes, vt cum Emmanuele à Coſta, Gama, & communi Doctorum ſententia, quam referunt, paulo antea aduerſus Couar. diceb amus.

B

Illud etiam eſt obſeruandum quod ſi in teſtamẽto nuncupatiuo facto inter liberos ſine ſolemnitate in aliis teſtamẽtis requiſita admiſceatur perſona aliqua extranea, inualidũ eſt quoad illam, idque quod illi fuerit ita relictum, accreſcit liberis, vt conſtat *ex §. ex imperfecto, & l. vlt. citatis*. In teſtamento vero in ſcriptis valent legata relicta extraneis, vt *ex authentica quod ſine, C. de teſtamentis*, eſt manifeſtum, & affirmat. Ant. Gom. *ad l. 3. Tauri, nu. 58.* & Doctores communiter.

2

C

Vlterius eſt obſeruandum, nõ ſolum inter filios, ſed etiam inter nepotes & alios inferiores deſcendentes validum eſſe teſtamentum imperfectũ quoad ſolemnitatem, ſiue ab auo auia, ſiue à quouis alio aſcendente maſculo, aut fœmina fiat, vt conſtat ex authentico de teſtamentis imperfectis, in princ.

3

Anton. Gom. *ad l. 3 Tauri nu. 54.* cum aliis, quos citat, affirmat, validum etiam eſſe inter filios illegitimos naturales, quoad portiones, quas vel de iure cõmuni, vel de peculiaribus iuribus diuerſorum regnorum, tam patres quam matres & alii aſcendentes poſſunt illis relinquere. Et mihi id nõ eſt dubium in hoc Luſitaniæ regno in filiis naturalibus hominis plebei, quem piam vocant: tales enim filii promiſcue ſuccedunt parentibus, tam ex teſtamento, quã ab inteſtato, cum aliis filiis legitimis. Baldus & alii, quos idem Anton. Gom. refert, refragantur. Iulius Clarus, *§. teſtamentum, q. 12.* licet etiam videatur ex parte refragari, meo tamen iudicio, ſimpliciter conſentit. Ait namq;, non ſolum teſtamentum imperfectum factum inter liberos legitimatos eſſe validum, ſed etiam factum à matre non illuſtri, etiam inter filios ſpurios. Vnde, ſi attente legatur, ſentit eo ipſo, quod fas eſt, alicui teſtari inter filios illegitimos, validum eſſe inter eos teſtamentum imperfectum.

4

D

An vero ſicut teſtamentum aſcendentium inter deſcendentes validum eſt cum *duobus teſtibus* ſine alia ſolemnitate: ita viciſſim ſimile teſtamẽtum deſcendentium inter aſcendentes ſit validum. Anton. Gom. *nu. 54. citato* affirmat. Contrarium tamen

E eſt dicendum cum communi Doctorum ſententia, quam Emmanuel à Coſta *capit. ſi pater, part. 3. ver. primum non poſſit, n. 11.* & Iulius Clarus, vbi ſupra referunt ac ſequuntur, & quia non eſt textus vnde id colligatur.

5

Illud eſt obſeruandum, quamuis teſtamentum, alioquin nullum ex defectu ſolemnitatis, ſit validũ inter liberos, ſi fiat cum duobus teſtibus: teſtamentum tamen ex aliis capitibus nullum, vt ſi ſit imperfectum, iuxta ea quæ diſputatione præcedente dicta ſunt, vel ſolis nutibus hæredes ſint inſtituti, aut filius ſit præteritus, inualidum etiam eſſe inter liberos. Ita communis Doctorum ſententia, quam *Iulius Clarus, §. teſtamentum, quæſtio. 8 & Ant. Gom. ad l. 3. Tauri*

6

n.18.57.& 106.& Canarr.de test.c.relatum 1.n.10.referunt ac sequuntur. Ratio est, quoniam l.hac consultissima 1,§.ex imperfecto,& l.ulti.C.fam.hercis. solum loquuntur de testamento inter liberos ex solo capite solemnitatis imperfecto.

7 Hæc omnia, quæ de testamentis inter liberos dicta sunt, vim habent in hoc Lusitaniæ Regno. Cum enim nihil hac de re constitutum in eo sit, standum est dispositioni iuris communis.

Ius Castellæ. In Regno vero Castellæ *post l.3.Tauri, quæ est 2. li. 5.nou. collect. tit. 4.* eadem solemnitas requiritur in testamento nuncupatiuo inter liberos, quæ requiritur inter extraneos, vt lex illa aperte disponit. Verũ vero in testaméto inter liberos in scriptis requiratur etiã eadem solemnitas, quæ in eo Regno necessaria est inter extraneos. Respondendum est affirmanter cum Ant. Gom. *ad l.3. Tauri n. 60.* satis enim id innuitur ea in lege, licet non sit tam apertũ, quam apertum est primum.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum factum coram Principe, superiorem non recognoscente, validum est sine alia solemnitate.*
2 *De testamento militis, quomodo & qualiter testari potest.*
3 *Testamentum iure militis condere possunt omnes, qui in castris reperiuntur, modo in loco sint hostili.*

DE SOLEMNITATE TESTAMENTI coram Rege facti, & testamenti militis.

DISPVTATIO 129.

1 TEstamentum coram Imperatore factum (idem est si fiat coram Rege, aut principe alio non recognoscente superiorem) validum est absque alia solemnitate, vt constat *ex l.omnium. C. de testamentis, & ex l.5.tit.prote extra ioum Castellæ.* Quando autem censeatur factum coram Rege explicat Iulius Clarus §. *testamentum, quæst.56. vers. antepenult.*

2 Militibus, quod Deo, Reipublicæque cum vitæ periculo inseruiant, concessum est, vt testamentũ, quod dum sunt in bellica expeditione confecerint, validum sit cum duobus tantum testibus: satisque est, si sint fœminæ, vt cum Bartol. & communi Doctorum sententia ait Iulius Clarus, §. *test. q.55.* quoniam in militis testamento remissa est omnis solemnitas, iure ciuili introducta, præterquam quod testes debent esse rogati, vt patet *ex l.antec. ff.d. milit. testamento & ex l.4.tit.1.part.6. legum Castellæ.* affirmatque Iulius Clarus, §. *testamentum. q.55. vers. item quæro* hanc esse communem Doctorum sententiã. Potest vero miles testari in expeditione etiamsi sit mutus, vt patet *ex ff.de militari test. §. quamuis.* Præter ea testamentum factum in expeditione belli validum est, si miles intra annum postquam à bello est reuersus moriatur: secus vero si post annum moriatur, vt ibidem habetur, § *sequenti.* Miles morte in bello imminente, testari potest vt potuerit nempe verbo tenus, vel proprio sanguine aut quouis alio modo scribendo suam vltimam voluntatem in scuto, vagina, ense, Clypeo, aut in quauis alia re vel digito scribendo in terra, & denique quocunque modo potuerit, testari potest. modo id cõiter duob. testibus rogatis, & omni exceptione maioribus, vt constat *ex l.Mucio, C.de test. milit.* His de rebus varia alia sunt iura, C. *eodem titu. & inst. & ff. de milit. test.* Extra bellicam autem expeditionem eadem solemnitas requiritur in testamento militis, quæ in testamentis aliorum.

3 Omnes, qui in castris reperiuntur, etiamsi milites nõ sint, gaudẽt priuilegio militis ad testamenta conficienda: modo in loco hostili sint: secus autem si nõ sint in loco hostili. Ita habetur *l.1.ff. de bonorum possess.* *ex testamento militis, & affirmat Bart. ibi & Gloss. vlt. in l. Scriniario. C. de test. militis. & Iulius Clarus, §. testamentum, q.15.*

SVMMARIVM.

1 *Solemnitates Testamenti cæci.*
2 *Testamentum cæci inter liberos non alia solemnitate indiget, quam testamentum aliorum inter liberos.*
3 *Testamentum cæci quam solemnitatem in Lusitania & Castella habere debeat.*

DE SOLEMNITATE TESTAMENTI cæci.

DISPVTATIO 130.

B CAecus testari non potest nisi nuncupatiue. Et de iure communi testari debet coram septem testibus & tabellione: quod si tabellionis copia haberi non possit, adhiberi debet octauus testis, qui locum tabellionis subeat. Omnibusque vocatis & præsentibus significare debet se velle condere testamẽtum, proferreque debet hæredum ac legatariorum nomina. Quod si sint aliqui, qui vocentur eodem nomine, ex indiciis, quæ subiunxerit, tollere debet ambiguitatẽ. Præterea exprimere debet corã testibus portionẽ, seu quantitatẽ in qua singulos hæredes instituit, nec non quantitatẽ, quã singulis legatarius reliquit debent; hæc omnia scribi coram testibus. Possunt etiã esse scripta quãdo testes vocantur, & tũc legi à tabellione, aut ab eo, qui tabellionis vicẽ subierit: cæco autẽ profitente eã esse ipsius voluntatem, subscribi debet testamentum ab omnibus testibus, & sigillis signari tam à testibus quam à tabellione. Ita habetur *l.ge hac consultissima. C. qui testamenta facere possint.*

Doctores tamen communiter affirmant, quando cæcus inter liberos testatur, non aliam necessariam esse solemnitatem in ipsius testamento, quam in testamentis aliorum, qui inter liberos testantur.

Ius Lusitanum. In hoc Lusitaniæ Regno audio consuetudine esse receptum, vt cæcus eisdem modis nuncupatiue testetur, quo cæteri testari possunt: ex iure tamen communi superadditur vnus testis in testamento cæci, supra illos, cum quibus cæteri homines testari D possunt.

Ius Castellæ. De iure vero Regni Castellæ in testamento cæci cum minimum necessarii sint quinque testes. Intelligo autem debere esse vicinos loci, in quo conficitur testamẽtum. Ita habetur expresse, *lege terra Tauri. tuncta l. ge prima, titulo quarto, l. b. quinto nouæ collect.*

SVMMARIVM.

1 *Codicillus quid.*
2 *Codicillo neque hæres directe instituí potest neque illi conditio addi neque hæreditas adimi potest. Tamen significari cõmissum delictum ob quod dignus est qui hæreditate priuetur & velle vt priuetur probatoque delicto ea priuabitur.*
3 *Codicillus quo tempore fieri possit ante vel post testamentum.*
4 *Codicillus valet si quis in eo dicat velle vt talia vel talia legata ab eo imp.cantur qui in bona ipsius successerit, esto qui illum confecit intestatus decesserit.*
5 *Codicilli plures eiusdem validi esse possunt modo nihil non repugnent secus in testamento.*
6 *Codicilli solemnitas de iure communi necessaria.*
7 *Codicilli cæci solemnitas de iure communi.*
8 *Codicilli inter liberos solemnitas de iure communi, item militis.*
9 *Solemnitas codicillorum iure Lusitaniæ.*
10 *Codicillorum solemnitas de iure Castellæ.*
11 *Codicillus in regno Castellæ vim non habet testamenti, neque*

neque in eo directa hæredis institutio locum habet, conditio hæredi apposita aut exhæredatio.

11 *Si dispositio institutionem hæredis habeat aliaque solemnia ad testamentum requisita reputatur testamentum, licet vocabulum codicillus errore appositum sit.*

DE CODICILLIS ET SOLEMNITATE in eis requisita.

DISPVTATIO 131.

ANtequam de dispositione ad pias causas dicamus, & quæ solemnitas in eis sufficiat, dicendū est de codicillis: vt prius, quæ ad ius Cæsareum spectant, absoluamus: postea vero, quæ iuris Canonici sunt peculiaria, subiiciamus.

1 *Codicillus quid.*

Codicillus, iuxta nominis interpretationem, idem est, quod paruus codex, paruaue scriptura. Vt vero colligitur *ex Inst. & C. de codicillis, & ff. de iure codicillorum*, est quædam sine directa hæredis institutione vltimæ voluntatis dispositio, siue in scriptis, siue nuncupatiue, etiam verbotenus, fiat. Quæ descriptio ex iis, quæ disputatione 124. inter explicandum particulam illam definitionis testamenti, *cum hæredis directa institutione*, dicta sunt, est satis manifesta. Quo loco etiam explicauimus ad quid codicilli inseruiant. Est vero intelligenda hæc descriptio, seclusō priuilegio. Nam miles vt ibidem dictum est, ex priuilegio pōt codicillo instituere hæredē directō. Non solum autem non potest hæres directō instituī codicillo, sed neque in eo potest illi apponi cōditio aliqua; quæ vllam vim habeat. Imo neque hæreditas adimi potest codicillo, ac proinde nec pōt in eo fieri exhæredatio, vt habetur *instit. de codicill. §. codicillus autē*. Pōt tamē testator codicillo significare hæredem à se institutum commisisse delictum aliquod, ob quod dignus est, vt priuetur hæreditate, eaque de causa velle, vt illa priuetur: & tunc, si delictum probetur vitalis codicilli priuabitur hæreditate, vt habetur *l. hæreditas. C. de iis quibus vt indignis, & l. secunda titulo 12. part. 3. legum Castellæ*. Quo modo autem substitutio fideicommissaria fieri possit codicillis & in eis fiat directa substitutio, quomodo ex benigna iuris interpretatione habeat vim fideicōmissariæ, explicatum est disp. 124. citata.

3 Codicillus fieri potest ante testamentum, & post testamentum. Factus vero ante testamentum, valet, etiamsi non confirmetur expresse testaméto, quod

4 postea fiat. Modo tamen ex eo non constet de contraria testatoris voluntate. Siquis codicillum conficiat, in quo relinquat legata post mortem suam implenda à quocunque successerit in bonis ipsius, intestatusque discedat, validus est talis codicillus. Hæc omnia colliguntur *ex §. 1. inst. de codicil. & ex l. si quis cum testamentum. ff. de iure codicillorum*, & ex aliis iuribus. Quamuis duo aut plura testamenta vnius & eiusdem testatoris non possint esse valida simul, vt disputatione 124. ostensum est: secus tamen res habet in codicillis, quando vnus alteri non repugnat: in quo euentu posteriori esset standum. Ita habetur *§. vlt. inst. de codic. & §. posteriori inst. quib. modis testamenta infir.*

De iure communi in omni codicillo, siue scriptus, seu clausus fiat, siue nuncupatiue, imo in omni

6 *Codicilli & aliarum vltimarum voluntatum, excepto testamento, solemnitas de iure communi.*

vltima voluntate excepto testamento, quinque testes necessarii sunt ac sufficiunt. Neque est necesse vt sint rogati, imo neq; vt sint masculi. Quando tamen vltima voluntas fit in scriptis, necessaria est insuper testium subscriptio, nullaque alia solemnitas exigitur. Ita habetur *l. vlt. C. de codicil. & §. vlt. inst. de fideicommissariis hæredis.*

Excipiuntur codicilli cæcorum, in quibus de iure communi necessarii sunt septem testes & tabel-

7

A lio, aut alio uis, qui tabellionis locum subeat, & deniq; requiritur eadem solemnitas, quæ in testamentis cæcorum, vt constat *ex l. hac consultissima. C. qui testa. facere possunt*. Excipiuntur etiam codicilli inter liberos, in quibus satis sunt duo testes sicut in testamentis inter liberos, vt patet *l. vltim. C. familiæ herciscundæ*. Eadem ratione excipitur militis codicillus 8
in bellica expeditione: eo quod non maior necessaria sit solemnitas in codicillo alicuius, quam in eiusdem testamento. & quod miles possit in codicillo instituere hæredem. Quare id, quod habetur *l. vltim. C. de codicil.* ne mpe in omni codicillo requiri ac sufficere quinque testes, intelligendum est, de codicillis communibus, siue illi in scriptis fiant, siue nuncupatiue.

B De iure huius Lusitaniæ Regni, siue codicilli fiant nuncupatiue manu tabellionis, siue manu testa- 9
toris, & ab eo subscripti, aut manu alterius priuatæ *Ius Lusitanum.*
personæ, siue fiant in scriptis, hoc est, clausi, & cum instrumento approbationis à tergo, sat sunt, & requiruntur quatuor testes vltra tabellionem, aut testatorem, quando manu sua codicillum conficit aut vltra priuatam aliam personam, quæ testatoris loco codicillum scribat ac signet: modo tamen testes subscribant. Possuntque esse vel masculi vel fœminæ: modo liberi reputentur, & quartum decimum, aut duodecimum si fœminæ sint, ætatis annum excedant. Ita habetur *quarto libro ordin. titulo 76. §. antepenult.* In codicillis inter liberos, aut militis in ex-
C peditione, iuri communi statur. Tempore mortis oretenus validus erit codicillus in hoc eodem regno cum sex testibus, siue masculis, siue fœminis. Tum quia validum est testamentum eo modo. factum, & quæ solemnitas sufficit vt sit validum testamentum, sufficit etiam vt sit validus codicillus. Tum etiam quia *tit. citato. §. E podera* non solum videtur id dispositum circa testamentum, sed etiam circa quamcunq; aliam vltimam voluntatem, quæ oretenus eo tempore fiat, vt patet ex illis verbis: *ou ordenar de seus bens por alguna guisa*. In iis pagis & desertis locis, in quibus in hoc regno validum est testamentum cum tribus testibus, validus est etiam codicillus cum eisdem testibus. siue nuncupatiue si ue in scriptis fiat: vt habetur *tit. citato. §. vltr.* Quan-
D do autem codicillus in eodem regno fuerit hominis cæci, semper addendus est vnus testis vltra eos, qui alioquin sunt requisiti.

De iure Regni Castellæ in codicillis eadem solemnitas requiritur, quam disputatione 126. diximus 10
in eo Regno requiri in testamento nuncupatiuo. Ita *Ius Castellæ.*
habetur *l. tertia Tauri, quæ est secundo titulo 4. libro quinto, nouæ collectionis. Anton. Gomez ad eandem l. numer. 71. & alii. quos Molina libro secundo, de primogeni. c. octauo. numero vigesimoquarto* refert, dicunt, satis esse si sint fœminæ, iuxta dispositionem iuris communis: vnde quando in illa lege dicitur, in codicillis requiri eandem solemnitatem, quæ in testamento nū cupatiuo, id intelligunt solum, quoad numerum testium, non vero quoad qualitatem. Dubium vero est an in codicillo in scriptis, seu clauso, satis sit in
E Regno Castellæ eadē solemnitas, an vero requiratur solemnitas iuris communis, nempe quinque testium. Anton. Gomez. *ibidem n. 69* arbitratur, necessariam esse solemnitatem iuris communis, legemque illam intelligendam esse solum de codicillis nuncupatiuis. Mihi vero contrarium videtur verum. Primo, quia, cum proxime in eadem lege fermo esset de testamentis in scriptis, indistincte de codicillis subiunxit, sufficere in illis solemnitatem testamenti nuncupatiui: diminutaque esset ea lex, nisi de omnibus codicillis in ea esset fermo. Secundo, quia neq; de iure communi neq; de iure huius Lusitaniæ Regni alia solemnitas requiritur in codicillis in scriptis, & in nuncupatiuis: quare consen-

tamen est, neque legem illam voluisse discrimen A facere, præsertim cum lex illa nostram sententiã sonet aperte.

Dubitant Doctores, vtrum post *l. illam tertiam Tauri*, codicillus in Regno Castellæ vim habeat testamenti, ita vt valida sit institutio hæredis directa facta in codicillo, nec non exhæredatio, & conditio apposita hæredi. Quidam, quos Molina *libro secundo de primogen. capit. octauo numero* 28. refert, affirmant. Ducuntur potissimum, quod eadem prorsus solemnitas requiratur in eo regno in codicillis, quæ in testamentis. Meo tamen iudicio satis efficaciter probat Molina ibidem contrarium. Quoniam neque id esset satis, vt codicillus, etiamsi in eo hæres institueretur, & adhiberetur tota solẽnitas, quę in testamento est necessaria, vim haberet testamenti, quando constaret testatorem intendisse facere codicillum & non testamentum. Neque est verum, in Regno Castellæ nullum esse discrimen inter codicillũ & testamentum quoad solemnitatẽ. Tũ quia in codicillo testes possunt esse fœminę, nõ vero in testamento, etiam nuncupatiuo. Tum etiam, quia maior numerus testium requiritur in eo regno in testamento in scriptis, quam in codicillo in scriptis, etiamsi admitteretur opinio Anton. Gomezij, qui arbitratur requiri in eo quinque testes. Illud tamen est affirmandum, quando dispositio aliqua haberet institutionem hæredis, & solemnitatem ad testamentum requisitam, neque de contraria testatoris mẽte constaret, presumendũ esse testamentum, tam in eo regno, quam in quocunque alio, iuxta *l. non co dicillum. C. de testamentis*. Si etiam sufficientia essent iudicia, loco testamenti errore appositum esse vocabulum codicillum, reputandum esset testamentum, vt Molina *loco citato n.* 39 ait.

SVMMA RIVM.

1 *Si testator testamentum condere intendens non adhibeat solemnitatem ad testamentum necessariam, adhibeat vero sufficientem ad codicillum, tunc eam dispositionem non valere vt testamentum neque vt codicillum nisi addita clausula codicillari qua dicat se velle vt si ea dispositio non valuerit vt testamentum valeat vt codicillus, ei tamen qui ex illa dispositione agere incepit tanquam ex teste non permittetur post ea agere ex eadem tanquam ex codicillo.*

2 *Codicillaris clausula tacite aut virtute apposita testamento quando censeatur: & n.* 3. & 4.

3 *Codicillaris clausula effectus primus quod si testamentum habeat solemnitatem ad codicillum sufficientem & non ad testamentum hæredisque institutio sit nulla, valida sunt legata quæ hæres ab intestato implere tenetur.*

6 *Codicillaris clausula secundo operatur quod directa institutio voluntarii hæredis in testamento habente solemnitatem codicilli & non testamenti conuertitur in fideicommissariam.*

7 *Codicillaris clausula tertio efficit quod testamentum in quo præterita vel exhæredato necessario hærede extraneus instituitur, trahatur ad fideicommissum nisi ignorauit præteritus esset qui instituti debebat: nam tunc testamentum omnino nullum est.*

8 *Codicillaris clausula quæ virtute est in testamento inter liberos operatur, quod si aliquis indebite præteritus aut exhæredatus sit reliqui in eo meliorati censeantur in quo à testatore meliorari potuerunt.*

DE CLAVSVLA CODICILLARI EXpresse aut tacite apposita, & variis illius effectibus, aliqua mi scentur præteritione, exhæredatione, & fideicommissaria substitutione.

DISPVTATIO 132.

ALiquid etiam dicendum est de clausula codicillari in testamentis apponi consueta, & de effectibus illius: ad cuius rei notitiam sciendum est. Si testator, condere intendens testamentum, nõ adhibeat solemnitatem ad testamentum necessariam, adhibeat vero sufficientem ad codicillum, tunc eã dispositionem neque valere vt testamẽtum, neq; vt codicillum, vt cõstat *ex l. 1. ff. de iure codicil. l. cohæredi. §. cum filio. ff. de vulgari pupillari subst. & ex l. vlt. vers. illud. C. de codicillis*. Vt autem disp. præc. dictum est, si testator hæredem directo instituat, neque aliunde constet voluisse facere codicillum censetur voluisse condere testamentum, iuxta *l. non codicillum. C. de test.* idemq; colligitur *ex l. illud. §. tractari. ff. de iur. cod.* 1

Si tamen, qui testamẽtum condere intendit, neque in eo apponit solemnitatem ad testamentum necessariam, adiungat clausulam codicillarem qua dicat: se velle, vt si ea dispositio non valuerit vt testamentum, valeat vt codicillus: tunc, si solemnitatem ad codicillum sufficientem habuerit, valet vt codicillus. Ita habetur expresse tribus iuribus priori loco citatis. Ei tamen, qui ex ea dispositione agere inciperet tanquam ex testamento, non permitteretur postea agere ex eadem tanquam ex codicillo, vt habetur *l. vlt. C. de codic.* & affirmant Gama *dec. 221. n. vlt.* & alij. C

Sunt vero nonnulli euentus, in quib. codicillaris clausula tacite seu virtute censetur apposita. Primus est, quando testator in testamento dicit, se velle, vt testamentum aut dispositio illa valeat meliori modo quo potest. Ita colligitur *ex l. codicill. in §. vlt. ff. de leg. 2.* & affirmant Doctores communiter, vt Anto. Gom. *ad l. 3. Tauri n.* 74. refert. 2 *Codicillaris clausulæ virtute tacite apposita. primo.*

Secundus, quando in testamento apponitur iuramentũ, quo testator iurat se velle valere, aut seruari omnia, quæ in eo præcipit, aut quæ in eo continẽtur. vel quando testamẽto præcipit, vt hæres iuret se seruaturum omnia, quæ in eo continentur. Ita colligunt Doctores *ex l. cum pater, §. filius matrem. ff. de leg. 2.* quos referunt ac sequuntur *Cou. de test. c. Raynaldus. §. 3. à nu.* 10. & *Ant. Gom. loco citato*. verba illius textus sic habent. *Filius matrem hæredem scripserat, & fideicommissa cum iurisiurandi religione præstari rogauerat. Cum testamentũ nullo iure factũ esset* (i. esset inualidũ ob solemnitatis defectũ) *nihilominus matrem legitimam hæredem* (ab intestato videlicet) *cogendã fideicõmissum præstare respondi. Nam obnixæ voluntatis preces ad omnem successionis speciem porrecta videbantur*. Hactenus ille textus. Ex quo inprimis colligo vt testamentum valeat tanquam codicillus, necesse esse, vt habeat solemnitatẽ ad codicillũ necessariam. Quemadmodũ enim testamentum minus solemne non valet vt testamentum etiamsi in eo iuramentũ apponatur, vt ex hoc textu est manifestũ: alioquin necesse non esset voluntatẽ testatoris extensam videri ad omnem successionis speciem sic etiam nec codicillus valebit vt codicillus, nisi habeat solẽnitatem ad codicillum necessariam: id quod Con. loco citato & Doctores cõmuniter affirmant. Deinde cum Coua. obseruo, ex textu non constare an iuramentũ factum esse debeat à testatore, vt testamentum valeat tanquã codicillus, an vero testator præcipere debeat vt hæres iuret, magisq; hoc secundũ, quam primũ videri innuere verba textus. Nihilominus argumento à minori ad maius recte ex eo textu colligitur, etiam si primo euenit valere vt codicillum 3 *Secundo.*

cillum. Si enim testatorem præcipere, vt hæres iuret, sufficiens argumentum est, propter ipsius obnixas preces, velle, vt testamentum suum valeat meliori modo, quo posit, atq; adeo vt valeat tanquam codicillus, si valere non posit vt testamentū: longe maiori cum ratione, testatorem iurare, se velle, vt seruentur omnia in suo testamento contenta, erit argumentum sufficiens, se velle, vt valeat meliori modo, quo posit.

4 *Tertio.*

Tertius est, in testamento condito inter liberos. Tacite namq; censetur in eo apposita clausula codicillaris, iuxta quasdam glossas & communiorem Doctorum sententiam, quam referunt ac sequuntur *Ant. Gom. ad l. 3. Tauri n. 62. & 74 Couar. de testamentis c. Reynuntius §. 1. n. 2. & 4. & Emmanuel à Costa c. si pater p. 3. in ver. interdum nu. 80.* Idemque volunt esse in testamento militis, *argumento l. 3. ff. de milit. test.* Cum autem de iure communi, atq; adeo in hoc Lusitaniæ regno, quę solemnitas sufficit in codicillo inter liberos, aut etiam militi, sufficiat etiam in testamento inter liberos, ac militis, cōsequens profecto est, vt, quod ad solemnitatem attinet, nullius momenti sit virtualis illa codicillaris clausula. Vtrum autem ex alio capite sit alicuius momenti, dicemus statim. *In Castella.* In regno vero Castellæ, cum maior solemnitas necessaria sit in testamento inter liberos in scriptis, quam in codicillo inter liberos, vt disput. præc. & 128. dictum est, poterit esse alicuius momēti quoad solemnitatem. Quamuis, cum testamentum tam in scriptis, q̄ nuncupatiuum, eādem solennitatem in eo regno requirat inter liberos & inter extraneos, multum dubitem, an in testamento inter liberos locum in eo regno habeat virtualis clausula codicillaris, quæ de iure communi solum videtur militi priuilegio testandi minori cum solemnitate inter liberos, quam inter extraneos: Anton. tamen Gom. *loco citato n. 65.* vult habere locum.

5 *Clausulæ codicillaris effectus primus.*

Primus effectus codicillaris clausulæ est. Quod si testamentum defectu solemnitatis sit nullum, & habeat solemnitatem ad codicillum necessariam: tūc apposita formaliter aut virtute codicillari clausula, licet hæredis institutio sit nulla, valida tamen sunt legata in eo relicta, hæresque ab intestato tenetur ea soluere illis, quibus sunt relicta. Quia licet testamentum, illud non valeat vt testamētum, valet tamen vt codicillus. Quod si neque formaliter neque virtute interueniret clausula codicillaris inualida essent legata, hæredesque ab intestato non tenentur ea soluere.

Non immerito dixi, si testamentum defectu solemnitatis sit nullum. Quoniam si sit nullum, quod filius, aut alius qui necessario foret hæres instituendus, sit præteritus, vel exhæredatus sine iusta causa: tunc etiamsi non sit apposita clausula codicillaris, est quidem inualidum testamentum quoad institutionem hæredis, præteritionem, ac exhæredationem: non tamen quoad legata, vt habetur *in authentica ex causa C. de filiis præteritis, & lib. ord. huius regni, tit. 70. §. 1. & sequentibus*, vt inferius suo loco videbimus.

6 *Secundus.*

Secundus effectus est. Quod si testator careat hęredibus, quos necessario teneatur instituere, instituatque in testamento minus solemni extraneum aliquem in hæredem suorum bonorum, tunc si formaliter, aut virtute apponat clausulam codicillarem, taleque testamentum habeat solemnitatem ad codicillum sufficientem, institutio talis hæredis directa conuertitur in fideicommissariam, iuxta ea quæ disput. 124. dicta sunt, hæredesque ab intestato tenentur restituere illi hærediratem, detracta solum sibi quarta trebellianica non secus ac si ipsis directe esset relicta hæreditas, & per fideicommissum facta in codicillo grauati essent restituere eam hæredi illi extraneo. Ita colligitur *ex l. posthumus §. si pagano. ff. de iniusto rupto test. l. quærebatur. ff. de milit. te-*

A *stamen. l. si quis priore ff. ad Trebellian. l. codicillis §. vlt. de legatis 2. & ex aliis iuribus.* Ratio autem huius effectus est, quoniam interueniente clausula codicillari, valet totum, quod in testamento continetur eo modo quo in codicillo potest valere: in codicillo autem esse non potest institutio hæredis directa, bene tamen indirecta, & idcirco, apposita clausula codicillari, ea institutio, quæ alioquin futura erat directa, censetur indirecta per fideicommissum. Lege, si placet, iura & Doctores, quæ Ant. Gom. *ad l. 3. Tauri num. 76.* citat.

Tertius est, quod si testator iniuste prætereat aut exhæredet filium, aut quemuis alium ascendentem vel descendentem, quem necessario tenebatur instituere hæredem, & instituat extraneum aliquem in testamento alioquin solemni, apponatque clausulam codicillarem, tunc hæres, qui necessario erat instituendus, censetur grauatus restituere hæredi illi extraneo reliquum hæreditaris, præter suam legitimam portionem, in qua necessario debuit instituī hæres. Verbi gratia, in hoc Lusitaniæ regno censetur grauatus restituere illi tertium bonorum defuncti, & in regno Castellæ quintum, aut tertium, si sit ascendens, deductis inde legatis. Ita probant iura in præcedenti effectu citata, & affirmant Bartolus & communis doctorum sententia, quam Antonius Gomez. *ad l. 3. Tauri numer. 78.* refert ac sequitur. Ratio autem est, quoniam quoad portionem bonorum, de qua testator libere poterat disponere, testamentum illud vim habet codicilli validi appositā codicillari clausula, eaque de causa hæres ab intestato per codicillum illum censetur in modum fideicommissi grauatus restituere hæredi illi extraneo portionem illam. Vtrum autem tunc hæres ita præteritus, vltra suam legitimam, detrahere possit de reliquo, quod restituere tenetur, quartam Trebellianicam, disputatione 187. dicetur. Quod si apposita non esset clausula illa codicillaris, testamentum absolute esset nullum, solumque ex iuris priuilegio valeret quoad legata in eo relicta vt *ex authentica ex causa*, & ordinationibus huius regni in primo effectu dictum est. Quocirca reliquum bonorum defuncti pertineret ad hæredes ab intestato, qui in eo testamento forent instituendi.

Quæ in hoc tertio effectu dicta sunt, intelligenda sunt, quando testator scienter & absque legitima causa præteriit, aut exhæredauit eum quem instituere tenebatur. Si namque ignoranter illum præteriit, quia vita functum illum credebat, aut quia post conditum testamentum fuit natus, vel aliqua alia de causa, tunc testamentum omnino est nullum, etiam quoad legata, *argumento text. in leg. si vnquam. Cod. de reuocan. donat. leg. certi. C. de testamen. milit. leg. cum auus. ff. de cond. & demonst.* disponiturq; aperte *libro 4 ordinat. Lusitanarum titulo 70. §. 3. & 5.* Ratio autem est, quoniam præsumendum non est, testatorem præferre voluisse alios suo proprio filio aut alteri, quem necessario instituere tenebatur, etiam quoad legata: neque ex sola præsumptione hoc vim habet, sed ex legis statuto, merito ob talem præsumptionem in publicum bonum id statuentis.

8 *Quartus.*

Quartum effectum clausulæ codicillaris tradit Ant. Gom *loco citato n. 86.* nempe, quod si pater efficiat testamentum solemne inter liberos, & aliquem eorum iniuste prætereat aut exhæreder, tunc si apponat clausulam codicillarem, filij quibus hæreditas relinquitur, censentur meliorati in bonis, de quibus pater libere poterat disponere inter liberos, nempe in hoc Lusitaniæ regno in tertio, & in regno Castellæ, in tertio, & quinto, filiusque præteritus, aut exhæredatus, tenetur per modum fideicommissi restituere illis, quod præter legitimas portiones & legata, remanserit de bonis parentis: quem admodū in præcedenti effectu dictum est per com-

parationem ad extraneum. Licet autem nullum ius citet ad hoc probandum, videtur hic effectus coniunctus cum præcedente aut præcedentibus, ex eisdemque iuribus argumento à pàritate rationis deduci. Atque hic effectus locum habebit maximè de iure communi & huius Lusitaniæ regni, etiamsi nõ apponatur expresse codicillaris clausula, eo quod, vt supra dictum est, in testamento inter liberos sem per censetur apposita, vt idem Ant. Gom. *ibidem n.* 64. tradit.

SVMMARIVM.

1 *Text. cap. cum esses de testam. & Dd. circa illud interpretationes num.* 2. 3. 4.

5 *Iure Canonico sufficere in testamentis duo testes cum parocho, vel quatuor testes sine parocho.*

7 *Vtrum illo iure fœminæ idonei testes sint.*

7 *An in Ecclesiastico foro in terris dominio temporali Sum. Pontificis minimè subiectis standum sit quoad testamentorum solemnitatem cap. cum esses, an vero dispositioni iuris ciuilis.*

8 *Quid in clericis locorum Summo Pontifici, quoad iurisdictionem temporalem minimè subditorum.*

9 *Exponitur intellectus. d. c. cum esses.*

VTRVM SOLEMNITAS CIVILI IVre in testamentis & codicillis statuta, reprobata sit iure canonico: & quæ in terris Ecclesiæ, & Ecclesiastico foro sufficiat.

DISPVTATIO 133.

EXplicatis iis, quæ ciuili iure, circa vltimarum voluntatum solemnitatem necessariam, sancita sunt, vt ad ea, quę canonico iure peculiariter sunt constituta, deueniamus, primo loco id disputãdum occurrit, quod propositum est.

1 Huic disputationi occasionem præbuit Alexander 3. *c. cum esses, de test.* Scribens enim Hostiensi Episcopo sic ait. *Cum esses in nostra præsentia constitutus, proposuisti talem in tuo Episcopatu consuetudinem obtinere, quod testamenta, quæ fiunt in vltima voluntate, penitus rescinduntur, nisi cum subscriptione septem vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ decernunt. Quia vero à diuina lege, & sanctorum patrum institutis à generali Ecclesiæ consuetudine, id esse noscitur alienum: cum scriptum sit, in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: præscriptam consuetudinem improbamus: & testamenta, quæ parochiani coram presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere: sub terminatione anathematis prohibentes, ne quis eiusmodi audeat rescindere testamenta.* Hæc Alexãder 3. Quibus abrogare, & sub anathemate prohibere videtur solemnitatem iure ciuili circa testamenta & codicillos requisitam, tanquam diuino iuri, Patrum statutis, consuetudinique Ecclesiæ contrariam.

Alex. 3. cap. cum esses.

2 Quidam dixerunt, caput cum esses, intelligendum esse solum de testamentis ad pias causas, in quibus, vt disputatione sequente videbimus, necessaria non est solemnitas iuris ciuilis. Merito tamen sententia hæc à Panor. Couar. *c. cum esset, num.* 3. & à plerisque aliis improbatur. Tum quia Summus Pontifex de testamentis in genere loquitur aperte. Tum etiam, quoniam in testamentis ad pias causas necessaria non est præsentia parochi sed sufficiunt soli duo testes, iuxta *c. relatum 1. de testamentis*, vt disputatione sequenti patebit.

3 Panorm. *c. cum esses citato, & in quadam repetitione illi adiuncta*, & quidam alij asserunt, Alexandrum tertiũ correxisse & annullasse leges ciuiles exigentes maiorem illam solemnitatem ad testamenta, tanquam contrarias diuino iuri, & consuetudini Ecclesiæ, illisque non esse standum, sed dispositioni *c. cum esses*. Hæc etiam opinio meritò reprobatur communiter. Etenim in multis aliis causis etiam de iure canonico, requiruntur plures testes, quam duo ad obuiandum malis, quę poterant oriri. Quin & *c. cum esses*, Sum. ipse Pontif. vt sit validum testamentum, vltra duos testes exigit parochi præsentiam: quare quemadmodum id non pugnat cum diuino iure, ita neque pugnat, quod ad eundem finem ciuiles leges exigant maiorem illam solemnitatem. Cumque potestas Summi Pontificis ad abrogandas leges principum secularium solum se extẽdat ad eas, quæ iniquæ sunt, peccata fouent, ac cum fine supernaturali non consentiunt, vt dis. 29. ostensum est, sane, quando aperte non constat. leges principum secularium fini supernaturali aduersari, credendum non est, Summum Pontificem intendisse eas annullare.

Quocirca amplectenda nobis est opinio, quam 4
vna cum præcedentibus refert Glossa *in eodem cap.* & sequuntur Couarr. *ibidem* & plerique alij, quos citat, necnon Canus 6. *de locis c.* 8. *ad* 4. tametsi primam opinionẽ non improbet. Nempe Summũ Pontificem locutum fuisse in terris dominio temporali Ecclesiæ subiectis, de quarum numero est ciuitas Hostiensis, & vniuersim comparatione omnium ita sibi subditorum, vt ad se spectaret solemnitatem circa eorum testamenta statuere. Quia enim ex solemnitate iuris ciuilis orti videbat lites multas & non parua incommoda: sufficienter vero obuiari malis, quæ ex sola præsentia duorum testium in testamentis solent euenire, si simul adesset parochus: solam solemnitatem eo capite statutam sufficere voluit in testamentis iurisdictioni ipsius subiectis, tanquam similiorem illi, quæ & iure diuino positiuo fuit in veteri lege statuta & statutis ac consuetudine Ecclesiæ regulariter fuit semper in aliis causis seruata. Vt vero recte Panorm. Couar & alij eo casu obseruant, vt eiusmodi testamenta valida sint, non satis est, si alius clericus adsit cũ duob. testibus, niſi ille sit proprius parochus. Sufficerent tamen quatuor testes sine parocho: eo quod duo testes æquipolleant & præponderent parocho. Ita affirmat communis Doctorum sententia, quam, præter Doctores citatos, refert ac sequitur Iulius Clarus §. *testamentum q.* 57.

Vtrum vero necesse sit, vt testes, qui cum paro- 6
cho sunt adhibendi, sint masculi. Pan. reiecta quorũdam opinione, affirmat sufficere fœminas. Couar. vero n. 14. asseuerat debere esse masculos. Tũ quia textus ille non exigit solam solemnitatem iuris gẽtium, sed simul præsentiam parochi. Tum etiam, quoniam exigit testes idoneos. Mihi autem longe plus placet opinio Pan. quia fœminæ testes idonei sunt, tum ad alias causas, tum etiam ad testamenta ex natura rei, gentiumq; iure, licet non de iure Cæsareo: textus autem ille vltra testes, de quibus sermo est iure diuino, & quorum testimoniis stari solet in aliis causis in Ecclesia, quales sunt omnes, qui standi in solo gentium iure idonei sunt testes, solum exigit præsentiam parochi.

Dubitant Doctores, vtrum in Ecclesiastico fo- 7
ro, in terris dominio temporali Summi Pontificis minimè subiectis, standum sit quoad testamentorum solemnitatem *c. Cum esses*, an vero dispositioni iuris ciuilis. Iulius Clarus §. *testamentum, quæ.* 57. ait communem Doctorum sententiam in practica receptam esse, standum esse dispositioni *cap. cum esses*. Ego autem distinguẽdum arbitror. Quia vel is, qui testamentum condidit, subditus erat quoad solemnitatem testandi dispositioni iuris ciuilis, vel ab ea erat exemptus, poteratq; se conformare iuri Canonico. In primo euentu dico, siue de testamento

Dubium.

iudice-

iudicetur in foro Ecclesiastico, siue in seculari, iudicandum esse iuxta dispositionem iuris ciuilis, & nō iuxta dispositionem *capitis cum esses*. Vt si testator erat laicus, & duo sacerdotes contendant inter se in foro Ecclesiastico circa validitatem testamenti ob defectum solemnitatis, iudicandum erit circa dispositionem iuris ciuilis, cui subiectus erat testator quando testamentum condidit, & cui se debebat conformare. In secundo vero euentu, in vtroque foro esse standum dispositioni *capitis cum esses*. Verbi gratia, si testator erat clericus, qui se posset conformare dispositioni iuris canonici, & duo laici in foro seculari contendant de validitate illius testamenti ob defectum solemnitatis, iudicandum esse in eo foro iuxta dispositionem *capitis cum esses*. Quia reuera testamentum fuit validum cum solemnitate *capitis cum esses*, dato quod potuerit testari iuxta dispositionem iuris canonici. Multum tamen dubito, an clerici locorum Summo Pontifici quoad iurisdictionem temporalem minime subditorum, testari possint iuxta dispositionem iuris canonici. Vt enim tenentur se conformare aliis legibus Reipublicæ, cuius sint, quo ad contractus & alia, quę ad regimen politicum illius Reipublicæ spectant, vt disp. 31. ostensum est, quin & testari debent iuxta leges talis Reipublicæ, instituendo illos ascendentes hæredes in portionibus, in quibus iuxta leges talis Reipublicæ, sunt necessario instituendi, neque legitimatio filiorum talium clericorum facta per Summum Pontificem sufficit, vt succedant parentibus in bonis eorum, sed necessaria est legitimatio Principis illius Reipublicæ: ita res videtur habere quoad solemnitatem & alia, quæ ciuilibus legibus talis Reipublicæ sunt instituta. Præterea, esto ex natura rei se posset conformare, quoad solemnitatem dispositioni iuris Canonici, videndum tamen est in vnoquoque loco, an id consuetudine sit abrogatum. Illud vero manet vniuersim verum, semper in vno eodemque euentu esse eodem modo iudicandum in seculari, & Ecclesiastico foro.

9 *Exhortatur ad cum esses.*

Ex dictis patet, quando Alexander 3. dixit, alienum esse à diuina lege, sanctorum Patrum institutis, & consuetudine Ecclesiæ, vt inualida sint testamenta sine septem aut quinque testibus, nō voluisse affirmare, esse cōtrarium: quippe cum neq; diuinum ius, neque Patres, aut Ecclesiæ consuetudo id fieri prohibeant, præsertim si particulares aliquæ, cur ita statuatur, adsint causæ: sed voluisse dicere, esse alienum, hoc est dissimile, minimeve conforme: quando autem non est præceptum conformādi sanctiones seculares sanctionibus quibusdam politiuis, quæ in veteri lege reperiuntur, aut quæ regulariter à patribus in Ecclesiasticis causis seruantur, non tenentur principes seculares se illis conformare, præsertim quando adsunt peculiares causæ aliter aliquid statuendi. Improbat ergo Alexander 3. seu abrogat consuetudinem illam quantumuis præscriptam, solum vt in posterum non seruetur in terris temporali ipsius dominio subiectis: nō vero, vt inualida fuerint, quæ iuxta illam vsque ad illud temporis momentum fuerunt facta. Illud etiam obserua, prohibitionem illam sub anathematis interminatione, ne quis rescindere audeat testamenta illa non esse latæ sententiæ, sed ferendæ, vt Panorm. Couar. & alij doctores ibi communiter affirmant. Verum vero codicilli & testamenta confecta sine solemnitate, siue canonico, siue ciuili iure statuta, valida sint in foro conscientię quando constat eam fuisse testatoris voluntatem, examinauimus late disput. 81.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum quando conditum ad causam piam.*

2 *Testamentum si ex eo est validum quia conditum ad causam piam, valida sunt legata non pia in eo relicta, nisi solum esset facultas testandi ad pia.*

3 *Validum est testamentum in quo quis animam suam instituit, etsi nullus alius hæres instituatur & censetur ad pias causas.*

4 *Testamentum legatum aut quæuis alia ad pias causas dispositio, vt valida sint, satis sunt duo testes etiam fœminæ, licet reliqui ad non pia simul statuta, inualida sint.*

5 *Causam piorum legatorum quando hæres qui illa soluere tenetur est secularis esse mixti fori.*

6 *In dispositionibus ad pias causas standum iuri Canonico.*

7 *Testamentum aut alia dispositio ad pias causas in se valida sunt, esto nullus testis adhibeatur, testes vero duo solum necessarij sunt ad probationem in foro exteriori.*

8 *Testamentum ad pias causas militibus factum validum est.*

9 *Vtrum dispositio ad pias causas imperfecta valida sit.*

10 *Testamentum aut alia dispositio ad pias causas alterius arbitrio commissa valida est.*

DE SOLEMNITATE IN TESTAMENTO aut legatis ad pias causas necessaria.

DISPVTATIO 134.

IVxta Panorm. *in rub. de testam. nu. & cap. relatum*, 5. *eodem titul. nu. 7.* & alios, tunc aliquid dicitur relinqui in causam piam, quando relinquitur in bonum propriæ animæ, vt quando relinquitur eleemosyna pauperibus, etiam consanguineis, Ecclesię, aut monasterio, in redemptionem captiuorum, ad orphanam maritandam, in diuinum cultum, in suffragia pro se, aut aliis fidelibus defunctis. Denique quicquid præcipue fit Dei, finisque supernaturalis intuitu, ad gratiam, vel gloriam corā Deo promerendam, vel in satisfactionem pro propriis, vel alienis peccatis, dicitur res, seu causa pia. Lege, si placet, Nauar. *in Apol. q. 1. monito 29.* plusquam alios explicantem, quæ censeantur opera pia. *Pia causa quæ.*

Testamentum tunc fieri dicitur in causam piam, quando pia causa hæres instituitur, aut substitutionis via ad causam piam deuenit hæreditas. Quando vero aliquis alius hæres institueretur, esto legata aliqua pia in eo testamento relinquerentur, non diceretur testamentum cōditum in causam piam. Ita cum multis aliis, quos referunt, G. *am. decis. 46. nu. 2. Emmanuel à Costa. c. si pater, p. 1. in suo testamento, vu. 8. & Couar. c. relatum. 1. n. 2.* 1 *Testamentum quando conditum ad piam causam.*

Quando (iuxta ea quæ dicemus) testamentum, alioquin vel imperfectum vel minus solemne, validum est, eo quod sit conditum, in causam piam valida quoq; sunt legata, etiam non pia, in eo relicta, iuxta communem opinionem, quam referūt ac sequuntur. *Couarru. vbi supra. Emmanuel à Costa loco citato, numer. 12. & Iulius Clarus, §. testamentum qu. 86. vers. vlt.* Excipe cum Iulio Claro, & communi opinione, quam §. *testi. q. 5. vers. vlt.* refert, quando qui ad pias causas testatur, facultatem non habet testandi ad alia, iuxta ea quæ in progressu videbimus: tunc enim, si in testamento ad pias causas legata ad non pias causas relinquat, talia legata inualida sunt omnino, vtpote vltra facultatem ad testandum factam ac proinde neq; accrescunt piis aliis causis, ad quas testatur, sed pertinent ad hæredes ab intestato. 2

In primo autem euentu ea ratione valida sunt legata ad non pias causas in eo testamento, quoniam cum institutio hæredis sit valida, testatorque libere disponere

disponere posset de omnib. suis bonis ad quæcunque vellet, sane si illa legata ad non pias causas in eo testamento relicta futura essent inualida, accrescere deberent piæ causæ in hæredem relictæ, non vero hæredibus ab intestato: ratio autem postulat, vt quæ solemnitas in commodum hæredis sufficit, vt validum sit testamentum, sufficiat quoque, vt valida sint legata in eo instituta, quando solum agitur de commodo talis hæredis, neque iure est aliud in particulari statutum, quo pacto in nuncupatiuo testamento cũ duobus testibus inter liberos facto sancitum est, vt legata in eo extraneis relicta sint inualida, accrescantque hæredibus in eo institutis, vt disput. 128. ostensum est.

Contra vero, licet testamentum minus solemne, in quo non est institutus hæres causa pia, validum non sit, valida tamen sunt legata pia in eo relicta, vt cum multis aliis affirmat Couar. *loco citato numer.* 3. quicquid quidam alij in contrarium dixerint. Atq; conuincit ratio, quam statim reddemus, cur dispositiones minus solemnes validæ sint ad pias causas: quin & *cap. relatum* 1. de legatis etiam in pias causas relictis loquitur.

3 Illud iuxta hactenus dicta videtur asserendum, de quo præteritis diebus dubitatum fuisse audiui, varieq; à quibusdam iurisperitis fuisse responsum. Nempe validum esse illius testamentum, qui, cum nullos haberet hæredes, quos instituere teneretur, in hunc modũ disposuit de bonis suis. Relinquo hæredem bonorum meorum animam meam, & tunc multa pia præcepit fieri, nonnullaque legata amicis vel consanguineis, aut famulis reliquit, constituitque, quisnam esset futurus testamẽti executor, atque ita testamentum absoluit. Quidam eo capite censebant inualidum esse eiusmodi testamentum, quod nullus in eo constitutus esset hæres. Verumtamen verba illa, instituo hæredem animam meam, satis indicant in eó sensu instituisse hæredem causas pias, vt siqd de ipsius bonis remaneret, aut de nouo appareret, id in operibus piis insumeretur. Adde vt testamentum ad pias causas sit validum, necessariam non esse hæredis institutionem, neque seruari quicquam solo iure ciuili introductum, vt *Iulius Clarus §. testꝫ. quæst. 6. vers. penult. Couar. de testꝫ. cap. cum tibi num. 12. & alii* communiter affirmant. Quia ergo testamentum, de quo agimus, est ad pias causas, non indiget, vt sit validum solemnitate, iure ciuili requisita.

4 In dispositionibus ad pias causas satis sunt duo testes siue masculi, siue fœminæ, neque alia solennitas in eis requiritur, quam quæ sufficit stando in solo naturali ac gentium iure, idque siue reliqua, quæ in eadem vltima voluntate ad causas non pias relicta sunt, valida sint, siue non. Ita disponitur *ca. relatum 1. de testꝫ.* & affirmant Pan. & Cou. ibi, aliique Doctores communiter. Cum huiusmodi dispositio in se sit valida, consequens est, vt non solum quando in Ecclesiastico, sed etiam quando in seculari foro causa tractatur, iudicandum sit iuxta dispositionem iuris canonici, vt Doctores communiter affirmant, seruatque praxis vtriusque fori.

5 Obseruant Pan. Coua. & alij causam piorum legatorum, quando hæres, qui illa tenetur soluere, est secularis, esse mixti fori. Quia enim reus in suo foro conueniri regulariter debet, peti possunt coram iudice seculari vt *ex ca. relatum* patet: in quo fermo est cum secularibus iudicibus Velletrensibus: quia vero res, de qua agitur, finem respicit supernaturalem cuius iudicium ad Ecclesiam spectat, peti etiam possunt coram iudice Ecclesiastico.

6 Ratio cur in dispositionibus ad pias causas standum sit iuri canonico, non vero ciuili, est. Quoniam cum Summus Pontifex plenissimam habeat potestatem in principes seculares, quantum finis supernaturalis, bonumque animarum spirituale postulat, vt disput. 29. ostensum est profecto nulla eorum constitutio, quæ fini supernaturali præiudicium afferat, vim habere potest, nisi per Summum Pontificem approbetur, vt *ex c. Ecclesia, de const.* & ex aliis iuribus constat: quare cum Alexander 3. *cap. relatum* statuerit, vt in dispositionibus ad pias causas iuri gentium in bonum animarum stetur, consequens est, vt testamenta, aut legata ad pias causas valida sint iudicanda, si adfuerint duo testes, qui in quacunque alia causa fidem facerent tales autem iudicandi sunt singuli, de quibus contrarium non constat, ad eumque qui contenderet legatum aut testamentum esse inualidum, probare spectaret aliquid B eis deficere, quo minus testes essent omni exceptione maiores, vt Couar. *loco citato a num.* 6. probe obseruat.

Quin cum eodem Couar. *ibidem ad finem num.* 8. Corneo & Tiraquello, quos refert, existimo duos 7
testes necessarios non esse in testamento aut legato ad pias causas ad solemnitatem, quasi sine eis in se non sint valida sed solum ad faciẽdam fidem in foro exteriori, de quo solo fermo est *c. relatum*, vt in eo pronuncientur valida. Neque enim vnquam per Summos Pontifices est statutum, vt testamentum aut legatum ad pias causas sit nullum sine ea solemnitate, quemadmodum iure ciuili statutum est, vt sint nulla ea testamenta, in quibus non interuenit solemnitas eodẽ ciuili iure statura. Quare id, quod stando in solo iure naturali sufficit, vt dispositio aliqua in se valida sit, sufficit, vt eiusmodi testamenta & legata ad pias causas valida sint in foro conscientiæ. Quocirca quando hæredibus ab intestato constat, defunctum reliquisse aliquid in piam causam, estovoce solum id reliquerit, neque possit sufficienter probari per testes in foro exteriori, tenentur in foro conscientiæ id soluere. Eadem ratione si aliquid alicui datum esset occulte à testatore, vt illud post testatoris mortem expenderet in aliquã, vel aliquas pias causas, vel vt sibi, tanquam pauper, assumeret, valida esset talis dispositio in foro conscientiæ, esto nullus adfuerit testis, nullaque ea de re confecta fuerit scriptura, tenereturque is illud expendere, vt sibi esset iniunctum, modo absque suo periculo vel infamia, ne ab hæredibus furti argueretur: vel ne in foro exteriori cogeretur de suo D illud soluere, id posset efficere. Habentque hæc verum non solum in opinione, quam nos secuti sumus disp. 81. iuxta quam idem dicendum est in dispositionibus ad non pias causas, sed etiam in opinione Couar. Ledesmij, Anton. Gom. & Iulij Clari, quam eo loco refutauimus.

Ex eodem fundamento prouenit, quod testa- 8
mentum ad pias causas factum per nuntium validum sit, vt *cum glos. cap. si tibi, de testꝫ.* affirmat communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Couar. ibidem. Gam. decis. 81. Iulius Clarus §. testamentum q. 6. & Anton. Gom. ad l. 3. Tauri, n. 110.*

Vtrum vero dispositio ad pias causas imperfecta 9
valida sit, distinguendum est. Duobus namque modis potest dispositio aliqua ad pias causas dici imperfecta. Vno, quia cum testator animum haberet disponendi, & ad id forte instructionem haberet propria manu scriptam, vocasset que tabellionem, præuentus tamen morte, nihil re ipsa disposuit. Et cum huiusmodi imperfecta dispositio simpliciter non sit dispositio, conueniunt doctores omnes, vim non habere. Atque hoc est, quod Couar. cum communi sententia, quam refert, voluit *cap. relatum 1. num. 9.* & quod Gama *decis. 221.* ait. Altero modo dicitur imperfecta dispositio, quia cum testator testamentum aut codicillum verbo aut scripto incepisset, quædamque in eo disposuisset, morte tamen præuentus non potuit absoluere. Et in hoc euentu Iulius Clarus *§. testamentum quæst. 7.* Anton. Gomez. *ad l. 3. Tauri numer. 18. & 19. 104.* & alij quos referunt, censent

censent talem dispositionem esse inualidam, etiam quoad pia, quæ illuc vsque disposuerat. Contraria tamen sententia est proculdubio asserenda cum Bart. Panorm. & aliis, quos Couar. *loco citato numer.* 10. refert ac sequitur. Etenim stando in solo iure naturali, seclusaq; iuris ciuilis dispositione, valida sūt illa, vtpote iam disposita, non obstante quod testator posset illa reuocare ac mutare, vel in progressu testamenti, vel postquam illud haberet absolutum: cum ergo, vt dispositio ad pias causas sit valida, non aliud exigatur, quam quod sufficit, stando in solo iure naturali, consequens est, vt illa valida sint.

Licet vltima dispositio, quæ alterius arbitrio committitur, regulariter non valeat, de qua re fermo erit disput. 156. valet tamen, si sit ad pias causas, iuxta cap. cum tibi, de testa. & communem sententiam, quam referunt *Couarru. ibidem*, & *Iulius Clarus* §. *test. q.* 6. *Panorm. cap. relatum* 1. *num.* 6. asseuerat, legata ad pias causas deberi ante aditam hæreditatem, & esto hæres repudiet hereditatem. Quoniam, quæ in contrarium iure ciuili sunt sancita, locum non habent in piis causis, nisi dependenter ab approbatione Summi Pontificis.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum aut codicillum non facere quando culpa lethalis sit & quando non.*

2 *Vt dispositio vltima valida sit in foro conscientiæ, necesse est, vt non sit inuoluntaria mixte, vel errore, vel vi aut metu iniustè illato, ita dispositioni illi causam dantes, vt secluso tali errore, vi aut metu testator nullo modo ita disponeret, quin potius vellet, vt nihil impediente tali dispositione longe aliud de suis fieret.*

3 *Si testator errore ductus constituat aliquem hæredem, arbitrans eum esse suum filium aut consanguineum aut arbitrans defunctum esse hæredem quem prius in alio testamento instituerat, inualida talis institutio est tam in foro exteriori quam in foro conscientiæ & idem in legatis obtinet.*

4 *Vitiata ita institutione non vitiantur cætera, quæ in illo testamento continentur, nisi certum sit moraliter de contraria testatoris voluntate.*

5 *Si quis vi aut metu iniste illato adducatur, vt quem hæredem instituat, aut legatum illi relinquat, inualidum erit in foro conscientiæ atque exteriori.*

6 *Blanditiis, & precibus quomodo testatorem flectere licet, vt quem hæredem instituat aut legatum relinquat.*

7 *An metus reuerentialis vxoris comparatione mariti aut filij comparatione parentum viciet dispositionem.*

8 *Qui impedimento est alicui ne testetur aut ne mutet testamentum iam factum siue prohibendo, ne tabellio aut testes accedant, siue quacunque alia ratione, qualiter peccat & ad quid obligatus est.*

AN SIT OBLIGATIO CONDENDI testamentum, & quam voluntaria esse debeat dispositio vltima, vt sit valida.

DISPVTATIO 135.

EXplicauimus solemnitatem ad testamenta & codicillos necessariam, paucis dicendum est, an sit obligatio aliqua, eum, qui habet bona, & cui iure permissum est de eis disponere, facere testamentum aut codicillum, & quam voluntaria esse debeat dispositio vltima, vt sit valida.

Quod ad primum attinet, dicendum est. Quando ita esset necessarium ad exonerādam propriam conscientiam quoad debita, quæ, nisi exprimerentur testamento aut codicillo, soluūtur præciperentur, aut non soluerentur, aut non sine molestia & sumptibus creditorum, vel ad manifestandum aliqua, ex quorum ignoratione damnum aliquod tertio redundaret, neque aliunde his malis sufficienter occurreretur, & denique quando scandala, odia, aut lites sequerentur, nisi testamentum aut codicillum conderet, culpa, esset lethalis id omittere. Quando vero nihil simile esset timendum, non esset lethalis culpa discedere quempiam sua sponte intestatum. Præsertim cum bona ipsius hæredibus ab intestato aduenire debeant, quos absque lethali culpa, quin & sæpe absque veniali posset instituere hæredes omnium suorum bonorum. Recta tamen ratio, aliorumq; exemplum postulat, vt pro quantitate suorum bonorum, spectatis circumstantiis omnibus concurrentibus, qui morti est proximus, aliqua disponat pro anima sua, quando non constat certo hæredem aut hæredes id sufficienter præstaturos. Regulariterq; quando tempus sup. etit, non solum vt reponat se in gratia, suscipiatque Ecclesiæ sacramenta, sed etiam vt condat testamentum, ad illud condendum suadendus est, & vt eo pacto adhibitisque iis solemnitatibus illud cōdat, vt litium occasiones præscindantur. Quin vt plurimum monendi sunt homines, vt, dum sani sunt, sua condant testamenta: ita enim eueniet, & vt maturiori consilio ac melius fiant, & ægrotationis, mortisq; tempore ea molestia ac tædio liberentur, nec tempus, quo ad suæ animæ consulendum indigent, in testamento condendo insumant. 1

Quod ad secundum attinet, dicendum est. Vt dispositio vltima valida sit in foro conscientiæ, necesse esse, vt non sit inuoluntaria mixte, vel errore, vel vi, aut metu iniuste illato, ita dispositioni illi causam dantes, vt, secluso tali errore, vi aut metu, testator nullo modo ita disponeret, quin potius vellet, vt, nihil impediente illa sua dispositione, longe aliud de suis bonis fieret. Ratio huius rei hæc est. Quoniam libera hæredis institutio legatum, & donatio causa mortis, mere gratis fiunt, sicut & donationes inter viuos, & promissiones mere gratis factæ: ad transferendum autem dominium aut conferendum ius titulo mere gratuito, ea libertas in dante est necessaria, quę inuoluntarium mixte, quale est explicatum, excludat, vt in progressu huius operis erit manifestum. Confirmatur, quoniam vsurarius ea ratione nec dominium nec ius comparat ad vsuram, quia nullum alium habet titulum, vnde illam possit accipere aut retinere, quam gratuitam voluntatem dantis: quia vero dantis voluntas inuoluntaria est mixte, tenetur vsurarius eam non accipere, acceptamque restituere. 2

Ex doctrina tradita prouenit, quod si testator errore ductus constituat aliquem hæredem, arbitrās eum esse suum filium, aut consanguineum, aut arbitrans defunctum esse hæredem, quem prius in alio testamento instituerat, cum tamen res longe aliter se habeat, inualida est talis institutio, nō solum in conscientiæ, sed etiam in exteriori foro, idemque est in legatis, vniuersimque, quando error est talis, vt dubitandum non sit, præsumptam testatoris voluntatem futuram fuisse, vt errore detecto ille non esset ipsius hæres legatarius, institutio aut legatum est nullum. Ita habetur *leg. si pater & leg. nec apud* C. *de hæredibus instituend. l. nec professo.* C. *de testa. & leg. vltim. ff. de hæredibus instituend.* Ex eo autem, quod institutio facta ita ex errore sit nulla, non vitiantur cætera, quæ in eo testamento continentur, quando non est certum moraliter, attentis circumstantiis 3 4

stantiis concurrentibus, contrarium non esse præsumendum de voluntate testatoris, vt *ex l. vlt. citata* est manifestum. De hac re latius disp. 209. & 215.

5 Ex eadem doctrina prouenit, quod si quis vi, aut metu iuste illato, adducatur, vt instituat aliquem hæredem, aut legatum illi relinquat, inualidum id sit in conscientiæ & exteriori foro, cum onere restituendi illi, in cuius detrimentum id cedit, quia alioquin bona illa ad eum erant deuentura. Ita habetur *l. 1. Cod. si quis aliquem testari prohibuerit*, & affirmat Nauar. *in Manual. præludio 6. nu. 7.* Quin & hic incidit in pœnam illius, qui aliquem testari prohibet: de qua statim erit sermo, quandoquidem cogendo illum vi aut metu, vt se aut alium instituat hæredem aut legatarium, quem secluſa illa vi aut metu non instituisset, prohibet illum testari vt alioquin foret testaturus, idque aperte colligitur *ex leg. 27. tit. 1 par. 6. legum Castellæ*, & consonant, argumento à contrario sensu *l. vlt. Cod. & ff. si quis aliquem testari prohibuerit*. In foro tamen exteriori non præsumetur talis quicunque metus, sed qui grauis fuerit attenta qualitate subiecti, & attentis aliis circumstantiis concurrentibus.

6 Blanditiis autem & precibus flectere testatorem, vt aliquem hæredē aut legatarium instituat, quem alioquin non foret instituturus, modo mendacia aut fraudes non interueniant, nō efficit dispositionem inualidam, etiamsi vir sit, qui ita flectat vxorem, vt se hæredem instituat. Ratio est, quoniam blanditiæ & preces non efficiunt inuoluntarium, quemadmodum efficit metus. Ita habetur *l. vlti. C. & ff. si quis aliquem testari prohibuerit*, & *l. 27. Castellæ citata*: & affirmat Nauar. loco citato.

Si tamen preces adeo essent importunæ & molestæ, vt testator, non illis adductus & persuasus id efficerer, sed ne molestiam illam pateretur inuoluntarie mixtè eo pacto disponeret, volens vt, nihil impediente illa sua dispositione, ad alium potius deuenirent bona illa, vel insumerētur in operibus piis pro anima sua: tunc sane inualida esset illa dispositio, teneretur̄q; ita instituturus id restituere. Valde tamen raro id ita eueniet. Est namque obseruandum, quod quando mendacia & fraudes non interueniunt, quæ in iniuriam cedant tertij, ad quem bona illa alioquin erant deuentura, non satis est preces importunas, errorem, aut metum, esse causam, vt testator grauate ac inuoluntarie mixte ita disponat ad hoc vt dispositio nulla sit, consurgatque obligatio restituendi, sed vlterius esse necessarium, vt testator sit in ea quasi habituali dispositione, quod si interrogaretur secreto ab aliquo extraneo, responderet se velle, vt nihil impediente illa sua dispositione, aliud fieret de illis suis bonis. Si enim posito quod ita disponat, in ea sit quasi habituali dispositione, vt velit validam nihilominus illam esse (quod sæpe accidet) peccauit quidem contra charitatem, imo & contra iustitiam aduersus testatorem, qui iniuriam illius molestiæ illi intulit, sed non tenetur restituere bona sibi eo pacto relicta: eo quod tandem plene & simpliciter voluit, vt essent illius. Atq; hac de causa paulo ante, & in principio secundæ partis huius disputationis addidi verba illa, vt nihil impediente illa sua dispositione ad alium deuenirent bona illa, aut aliud de illis fieret.

7 Quod dictum est de precibus importunis, quæ molestiam ac tædium pariunt, dicendum maiori cum ratione est, de reuerentiali timore vxoris comparatione mariti, aut filij comparatione parentum, præsertim si vultu, aut aliqua alia ratione, ostendant se ægre ferre, quod ab eis non instituantur hæredes aut legatarij, aut quod in scriptis & occulte libere de suis bonis disponant. Præsertim cum timere hi merito possint, quod si mortem euadāt, molestiam ea de causa patientur reliquo vitæ tempore. Quare grauiter peccant contra iustitiam, qui in causa sunt, A ne eiusmodi valetudinarij libere de suis bonis disponant. An vero ad restitutionem teneantur eorum, quæ ita illis relicta fuerint, iuxta proxime dicta est iudicandum.

Qui impedimento est alicui, ne testetur, aut ne 8
mutet testamentum iam factum, siue prohibendo, ne tabellio aut testes accedant, siue quacunque alia ratione, esto is, qui ita prohibet, sit filius eius, qui vult testari, vel pater non solum peccat lethaliter contra iustitiam, restituere que tenetur in exteriori, & interiori foro emolumētum, quo ea ratione priuat eos, ad quos bona defuncti essent deuentura, sed etiam inter alias pœnas in exteriori foro priuatur omni emolumento bonorum talis defuncti, ad iudicaturque fisco id quod esto testari non prohibuisset, ex bonis illius defuncti illi erat obuēturum
B vt filius legitima sua portione in qua à patre hæres necessario erat instituendus. Ita habetur *l. 1. & 2. ff. si quis aliquem test. prohib. l. 2. C. eod. tit. l. testamenti. C. de inofficioso test. & leg. 26. & tribus sequentibus, tit. 1. pa. 6. legum Castellæ.*

In materia de restitutione redibit sermo, quousque fas sit, aut non sit, impedire precibus & aliis viis ne quis hæres aut legatarius instituatur, & quousque inde obligatio restituendi consurgat, aut non consurgat.

SVMMARIVM.

C
1 *Quis potest facere codicillos.*
2 *Qui testari non possunt.*
3 *An fas sit amentibus testamentum condere.*
4 *Surdus simul & mutus à natiuitate testari non potest.*
5 *Miles surdus ac mutus testamentum conficere potest.*
6 *Surdus & mutus testamentum facere potest ad pias causas.*
7 *An impuberibus liceat testari.*

CARENS VSV RATIONIS, SVRDVS ac mutus, & impubes, an testari possit.

DISPVTATIO 136.

D DEinde dicendum est, qui possunt, aut non possint testari. Supponendum̄q; est, eum solum & 1
omnem posse facere codicillos, qui potest facere testamentum, vt habetur *l. Ditus § codicillos ff. de iure codicillorum. Glos. l. tam ff. de mortis caus. donat. communiter recepta* ait, idem esse de donatione causa mortis. Excipitur tamen in filio familias, vt *eadem l. § filius familias*, habetur expresse. Licet enim filius-familias de iure communi neq; de patris voluntate testari possit, vt infra dicetur, de patris tamen consensu donare potest causa mortis. An vero admittenda sit aliqua alia exceptio, patebit ex sequentibus.

E Cum testandi actus ex se licitus sit ac permissus, 2
ij soli testari non possunt, qui vel facultatem naturalem ad id non habent, eo quod vsu liberi arbitrij careant, vel peculiari aliqua de causa iure positiuo sunt prohibiti.

*A primo ergo impedimento vt ordiamur, pueri 3
ante vsum rationis, furiosi, stolidi, & vniuersim qui carent actu liberi arbitrij plene deliberato, iure ipso naturæ testari nequeunt, interim dum eo carent. Secus autem si lucidum habeant interuallum: testamētum namque, quod cum deliberatione plena in lucido interuallo confecerint, validum est, esto ad amentiā, aut aliam mentis alienationem redeāt. Ita habetur *instit. quibus non est permissum facere test. § 1. vers. furiosi l. furiosum. C. qui test. facere possunt, & l. aduersa. ff. de test.* Nō potest autem melior regula* *Amens.*

statui

ſtatui vt iudicetur, an defectus vſus rationis ſit tantus, vt reddat nullum teſtamentum, quam ſi ex teſtibus & circumſtantiis concurrentibus, arbitrio prudentis iudicetur aut teſtator, quo tempore condidit teſtamentum, habuerit deliberationem plenam, quę in materia graui ſufficeret ad culpam, vel non. Verba autem teſtamenti ſapere cordatam mẽtem, nec teſtamentum eſſe conditum proxime poſt amentiam, argumento ſunt factum fuiſſe in lucido interuallo, quando non ſunt alia, quæ contrarium ſuadeant, vt Anton. Gom. *ad l. 3. Tauri n. 8.* affirmat. In dubio autem an is, de quo conſtat fuiſſe amẽtem lucidum habuerit interuallum, præſumendum eſt illum non habuiſſe, vt G. *am. cum aliis decis. 100. & Molina 2. de primog. c. 9. num. 30. cum aliis*, quos referunt, recte affirmant.

4 *Surdus & mutus.* De iure humano ſurdus ſimul & mutus, à natiuitate teſtari non poteſt, ſimiliter ſi ex morbo ſit aliquis mutus, neque ſcribere ſciat, teſtari non poteſt: quoniam, vt teſtamentum ſit validum, neceſſe eſt vt teſtator ipſe propriis verbis, aut propria ſcriptura exprimat ſuam vltimam voluntatem eo pacto, quo diſput 127. explicatum eſt. Ita habetur *l. diſcretus C. qui teſta. facere poſſunt §. item ſurdus, inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum & lib. 1. ordin. Luſitanarum titul. 67. §. 20.* Atque in hoc euentu deeſt regula illa, quod qui teſtamentum condere non poteſt, neque conficere poſſit codicillum, neque donare cauſa mortis: vt enim diſput 127. oſtenſum eſt, ſola hæredis inſtitutio, quæ de ratione intrinſeca eſt teſtamenti eſſe nequit nutibus, ſed vel voce vel ſcriptura teſtatoris legata vero & fideicommiſſa, atque adeo donatio cauſa mortis fieri poſſunt nutibus, vt ibidem viſum eſt.

5 Miles, etiamſi ſurdus ſit ac mutus, teſtari poteſt: eo quod hæredem ſolo nutu valeat inſtituere, vt diſput. 129. oſtenſum eſt.

6 Surdus præterea & mutus teſtari poteſt ad pias cauſas: quia ſimiliter validum eſt teſtamentum ſolo nutu ad pias cauſas factum, vt diſputat. 134. oſtendimus.

7 *Impubes.* Præterea impuberes teſtari non poſſunt, hoc eſt, maſculi ante quartumdecimum annum, & fœminæ ante duodecimum: quia cenſentur non habere tam integrum & perfectum iudicij rationis quam ad eum actum requiritur *§ præterea, inſtit. quib. non eſt permiſſum facere teſt. l. ſi frater. C. qui teſt. facere poſſunt, & lib. 1. Luſitanarum ordin. tit. 67. §. 20.* Neceſſe autem eſt vt quartusdecimus annus in maſculis & duodecimus in fœminis ſit expletus: dies tamen vltimus inceptus habetur pro completo, vt habetur *l. qua ætate. ff. de teſtamen.* Quamuis autem ad alios actus malitia ſuppleat ætatem, ad hunc tamen non ſupplet. Quo fit, vt licet in impubere aliquo longe maior maturitas iudicij ſagacitas, & prudentia reperiatur, quam in multis puberibus, teſtari non poſſit, vt Anton. Gomez. *ad l. 3. Tauri* cum Bal. & aliis recte affirmat. Ratio autem eſt, quoniam licet tempus pubertatis conſtitutum ſit ad teſtandum, quoniam in eo præſumitur ſufficiens iudicium rationis, & ante illud non item, ordinarieque ita ſoleat euenire: id tamen non habet vim ex ſola præſumptione, ſed ex ſtatuto iuris poſitiui, merito id vniuerſim ita ſtatuentis ad tollendas difficultates & præſcindendas lites. Vtrum autem princeps diſpenſare poſſit, vt impubes aliquis teſtetur, proculdubio reſpondendum eſt poſſe, cum Barr. & aliis quos Anton. Gom. *ad l. 3. Tauri num. 3. & 4* refert ac ſequitur, quidquid Bal. in contrarium dixerit. Eſt namque tempus, illud ex mero iure poſitiuo conſtitutum, potuitque conſtitui, minus, interuenireque poteſt rationabilis cauſa, vt cum aliquo, de quo conſtat pollere maiori iudicio, quam multos puberes, diſpẽſetur. Impuberes, etiamſi milites ſint, teſtari non poſſunt *leg. vlt. C. de teſtam. milit.* An vero diſponere poſſint ad pias cauſas. Negandum eſt cum Panorm. *in Rubric. de teſtam. num. 9.* & communi Doctorum ſententia. Eccleſia namque id etiam tempus exigit, vt quis maturum iudicium ad teſtandum habere cenſeatur: colligiturque hæc ſententia *ex cap. licet, de ſepult. libro 6.*

SVMMARIVM.

1 *An liceat prodigo teſtamentum facere.*
2 *Nefas eſt ſeruo teſtamentum condere.*
3 *An licitum ſit captiuis teſtari.*
4 *Teſtamentum vſurarij nullum, niſi ſoluat vſuras.*
5 *Quid de donatione mortis cauſa.*
6 *An vſurarij diſpoſitiones ad pias cauſas donatione cauſa mortis factæ validæ ſint.*
7 *An fas ſit excommunicato teſtamentum facere.*
8 *Damnatus ob libellum famoſum teſtari nequit.*
9 *An infamis ob qualecunque crimen teſtamentum condere valeat.*
10 *Num damnati ad mortem teſtari poſſint iure communi remiſſiue.*

PRODIGVS, SERVVS, PVBLICVS vſurarius, excommunicatus, damnatus ob libellum famoſum, infamis damnatus ad naturalem aut ciuilem mortem, an teſtari poſſint.

DISPVTATIO *137.*

PRodigus, cui à iudice ſuorum bonorum adminiſtratio ſit interdicta, teſtari non poteſt. Sitamen ante eam prohibitionem cõfeciſſet teſtamentum, eſſet validum. Ita habetur *leg. is qui ff. de teſtam. §. item prodigus, inſt. quibus non eſt permiſ. facere teſta. & lib. 1. Luſita. ordin. titul. 67. §. 20.* Affirmat Panormit. *in Rubric de teſtamen.* cum aliis quos refert, eiuſmodi prodigum neque ad pias cauſas poſſe teſtari: quorum opinio placet. 1 *Prodigus.*

Seruus item teſtari non poteſt: adeo vt, ſi poſt teſtamentum confectum libertatem comparat, teſtamentum factum tempore ſeruitutis ſit nullum. Præterea, ſi tempore, quo teſtamentum conficit, ignoret ſe eſſe factum liberum à domino ſuo, aut dubitet de ſuo ſtatu, eſto reuera ſit liber, teſtamentum eſt nullum *l. qui teſtamento domini. & l. ſequenti, ac l. filiusfamilias 2. ff. de teſtament. c. illud. 13. quæſt. 2.* Ad pias tamen cauſas validum erit teſtamentum factum ab homine vere libero, eſto liberum ſe eſſe ignoraret, aut ea de re dubitaret, vt Panorm. *ad finem rub. de teſtam.* cum Bartol. affirmat, confirmatque *ex l. ex militari §. ſimiles ff. de mil. teſtam.* Cum enim militi dubitanti de ſuo ſtatu conceſſum ſit in ea lege, vt ſit validum ipſius teſtamẽtum, longe maiori cum ratione cenſendum eſt eſſe conceſſum diſpoſitioni ad pias cauſas. Adde, quod hic teſtator vere eſt dominus eorum, de quibus diſponit, neque ſeruitutis iugo ſubiicitur, vt in præiudicium domini cedat: quare cenſendum nõ eſt ſtatutum illud Cæſarei iuris extendi ad teſtamentum ad pias cauſas. quin nec ſi illius conditores id intenderent, vim vllam haberet inter Chriſtianos, eo quod ab approbatione Summi Pontificis, vt diſput. 134. dictum eſt, id pendeat. 2 *Seruus.*

Qui captiuus ab hoſtibus detinetur, & qui obſes eſt apud illos (intelligit Panormit. *in Rubric. de teſta. num. 7.* de obſidibus loco captiuorum, qui captiui reputantur interim dum promiſſum non impletur) dum in eo ſtatu ſunt, teſtari non poſſunt. Quod ſi ante eum ſtatum confeciſſent teſtamentum, & reuerterentur, validum eſſet tale teſtamentum iure poſtliminii, quin validum eſſet ex lege Cornelia, eſto in 3 *Captiuus apud hoſtes.*

sto in eo statu è vita discederent, vt habetur *Institut. quibus non est permissum facere testa. §. vlt. & l. cum l. obsides, & l. lex Cornelia ff. de testamentis.* iuxta ea autem, quæ in materia de bello, disput. 118. diximus, qui captus esset bello iniusto, quales sunt nostri, qui à Turcis & Saracenis captiui detinentur, cum vere sint liberi, condere possunt validum testamentum, etiam si in eo sint statu. A

4 *Vsurarius pubis. non.* Testamẽtum manifesti vsurarij est ipso iure nullum nisi vel soluat vsuras vel cautionem præstet de illis soluendis, eo modo quo in materia de vsuris, dum de vsurariorum pœnis sermo erit, explicabitur: vbi etiam dicetur: quis censendus sit manifestus vsurarius, & dicentur alia, quæ ad hanc rem spectant. Ita habetur *c. quanquam §. vltim. de vsuris libro 6.* B

5 An vero donare possit causa mortis. Communis Doctorum sententia negat, quando donatio esset maioris partis bonorum, aut certe magnæ cuiusdam quantitatis: quia censeretur esse facta in fraudẽ legis. Quando autem esset paruæ quantitatis, aliqui affirmant, quos Couar. *in Rub. de testamen. part. 3. num. 11.* refert ac sequitur. Contraria tamen est communis sententia, & amplectenda cum *Glossa vltim. cap. quanquam citato*, quam Iulius Clarus *lib. 4. sen. §. donat. q. 7.* & idem Couar. 3. *variar. resolut. c. 3 num. 9.* referunt: videturque Couarr. ibi sequi, tametsi se referat ad ea, quæ *in Rubric. de testam.* dixerat. Præterea Glossa in principio disputationis præcedentis citata cõmuniter recepta vniuersim affirmat, eum, qui testari non potest, neque donare posse causa mortis, ab eaque regula non alium excipit, quam filium familias de consensu patris, quem textus ibi excipit: quare cum de manifesto vsurario nulla sit facta exceptio in iure, standum est regulæ generali illius glossæ. Neque satisfacit Couarruuiæ responsio num. 11. citato, nempe Glossam illam intelligendam esse de iis, qui ex naturali defectu testari non possunt. Tum quia superuacanea esset talis glossa. Tum etiam quoniam necesse non esset eandem excipere filiumfamilias, quem constat, non ex naturali defectu, sed ex iuris dispositione testari non posse. C

6 Quod ad dispositiones ad pias causas manifesti vsurarij attinet, siue testamento, siue codicillo, aut donatione causa mortis sint factæ, communiter affirmant Doctores inualidas esse, si cautio non præcesserit. Excipiunt vero Couarr. 3. *variar. resolut. cap. 3. vers. vlt. & Syluest. ver. vsur. 9. q. 7. & alij*, quos referũt. Nisi vsurarius, nõ potens cautionem præstare, cum contritionis signis discesserit. Tunc enim æquitas, benignitasque postulat, vt soluris prius vsuris, de quibus constiterit esse debitas, hæredes cogantur implere dispositiones ad pias causas. D

7 *Excommunicatus.* De excommunicato voluerunt aliqui, eum non posse testari, dubiusque est Iulius Clarus §. *testamentum. q. 24.* si non sit occultus. Communis tamen sententia est, etiamsi notorius sit, testari posse. Quoniam nullibi in iure habetur eam non posse testari. Ita *Panorm. in Rub. de test. Syluest. verb. test. 1. q. 3 pronunt. 9. Couar. in Rub. de test. part. 2. num. 18. Anton. Gomez. ad l. 3. Tauri num. 15. Bartol. & alij*, quos referunt. Si tamẽ pro aliquo delicto vltra excommunicationem statutum sit, vt delinquens testari nequeat, quo pacto *cap. fulcin, de pœnis, lib. 6.* est statutum, vt qui hostiliter fuerit insecutus Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel eum percusserit, aut ceperit, vel ad aliquid horum fuerit cooperatus, &c. testari non possit: tunc, non quia ille est excommunicatus, testari non potest, sed quia vltra excommunicationem id in pœnam est etiam peculiariter statutum. E

8 *Damnatus ob famosum libellum.* Damnatus ob libellum famosum in alterum confectum, & infamis est, & testari nequit *leg. is cui §. vltimo & leg. etiam l. xx. ff. de test. & l. lex Cornelia §. vlt. ff. de iniu. rit.*

An vero idem sit de infami ob quodcunque aliud crimen. *Couar. in Clement. si furiosus. part. 1. §. 1. n. 6.* affirmare videtur, ductus *leg. 1 cui citata.* Contrarium tamen affirmat Bartol. ad eandem legem & communis sententia, quam referunt ac sequuntur idem *Couar. 3. variar. resolut. c. 3. ad finem, num. 8. Iulius Clarus §. test. quæst. 25. Syluest. verbo testamentum 1. q. 3. & Angelus eodem verb. n. 1.*

De damnatis ad mortem ciuilem aut naturalem an testari possint de iure communi, huius Regni, & Regni Castellæ, diximus late disput. 9. occasione illius quæst. an vsusfructus morte ciuili amittatur. 10

SVMMARIVM.

1 *An filiusfamilias, expleto pubertatis anno, testamentum condere possit.*
2 *In regno Castellæ fas est filiofamilias expleto pubertatis anno testamentum facere.*
3 *An filiusfamilias clericus possit testari.*
4 *An filiusfamilias clericus primam solum tonsuram habens.*
5 *Proponitur aliquorum opinio.*
6 *Authoris sententia.*
7 *Refellitur cuiusdam opinio.*
8 *An filiusfamilias laicus, vbi ius commune viget testamentum conficere possit ad pias causas de bonis aduentitiis.*
9 *Refertur quorundam opinio.*

FILIVSFAMILIAS, PRAESERTIM si sit clericus, an testari possit.

DISPVTATIO *138.*

1 DE iure communi, atque adeo in hoc Lusitaniæ Regno, in quo nihil in cõtrarium sancitum est, filiusfamilias, expleto pubertatis anno, testari quidem potest, de bonis suis castrensibus aut quasi castrensibus: de aduentitiis vero, siue in eis præter dominium habeat etiam vsumfructum vt in euentibus disputatione 8. explicatis, siue non, sed vsusfructus pertineat ad patrem, testari nequit, etiam de patris consensu. Ita habetur *institut. quibus non est permissum facere test. in principio. l. qui in potestate ff. de testamentis l. fœmina. & l. penultim. C. qui test. facere possunt. & c. licet. de sepult. lib. 6* affirmatque communis sententia Doctorum, quam referunt & sequuntur *Couar. in rub. de testa. part. 3. num. vltim. Iulius Clarus §. testamentum, q. 18. & Anton. Gomez. ad l. 5. Tauri.* De patris tamen consensu donare potest filiusfamilias causa mortis de bonis aduentitiis, vt disput. 136. ostensum est. Quis sit filiusfamilias, & quæ sint bona castrensia, quasi castrensia, & aduentitia, dicetur inferius suo loco.

2 In Regno vero Castellæ filius aut filiafamilias, si pubertatis annum expleuerint, perinde possunt facere testamentũ, etiam de bonis aduentitiis, ac si extra patriam essent potestatem, ac proinde disponere possunt ad libitum de tertio suorũ bonorum: in duabus namq; aliis partibus necessario illis succedunt parentes. Ita habetur *l. 5. Tauri, quæ est lege 4. lib. 5. nouæ collect. tit. 4.* Si tamẽ pater vsumfructũ habebat etiam in tertio illo bonorum, de quo filiusfamilias libere disponit, vsusfructus ille perseuerat apud patrem, defuncto filio, toto tempore vitæ patris: post mortem vero patris implentur legata talis filij de bonis illis: quoniam ius illud testandi est sine præiudicio patris quoad ius fruendi bonis aduentitus filij. Ita cum Bald. & multis aliis quos citant, *Molina lib. 2. de primog. c. 9. num. 22. & Aries Pinel. ad l. 1. C. de bonis mater. part. 1. num. 44.* quidquid in contrarium dixerit Ant. Gom. ad *l. 6. Tauri, num. 14.* *Ius Castel.*

Licet

Licet clericatus nō eximat filium familias à patria potestate, vt suo loco dicetur, bona tamen omnia, quæ in clericorum dominium adueniunt, eo ipso fortiuntur rationem bonorum quasi castrensium, ac proinde, esto filij sint familias, ad eos pertinet eorum administratio, & vsusfructus, possuntque de eis libere donare & testari, dummodo, si filios legitimos habeant, illis relinquant suas legitimas portiones, sin minus, suis ascendētibus. Ita habetur *in authe. presbyteros, i. C. de Episcopis & cleri.* cuius hæc sunt verba. *Presbyteros, diaconos, & subdiaconos, cantores, & lectores (quos omnes clericos appellamus) res quolibet modo ad dominium eorum venientes, habere in sua potestate præcipimus, ad similitudinem castrensium peculiorum, & donare cui volunt secundum leges, & in his testari, licet sub parentū potestate sint, sic tamen vt horū filii, aut his non existentibus, parentes eorū legitimam ferant partē.* Hactenus authentica. Idem affirmant *Panormit. & Couarr. quia nos, de testam. Nauar. in manu. c. 17. num. 142. Aries Pinel. ad l. 1. C. de bonis mater. part. 1. num. 43. Syluest. ver. clericus 4. q. 14. num. 10.* Doctores communiter.

4 Couarr. loco citato, & multi alij quos refert, hoc intelligunt, etiam de iis clericis, qui solum habent primam tonsuram, licet alij, quos refert refragētur. Quod tamen extendendum sit etiam ad clericos in minoribus constitutos, ex ipsamet authen. constat, quæ cantores & lectores commemorat, & quæ de portionibus filiorū meminit, propter clericos coniugatos. Credo tamen per contrariam consuetudinem, & propter multitudinem eorum, qui ad primam tonsuram & minores ordines præteritis temporibus promouebantur, id locum non habere, nisi in his clericis primæ tonsuræ, qui vel beneficium habent Ecclesiasticum, vel hodie, iuxta Concilij Trident. *sess. 23. c. 6. de reformatione*, gaudent priuilegio fori.

5 Dubitant Doctores, an priuilegium hoc clericorum intelligendum sit solum de bonis, quæ post clericatum ipsis adueniunt, an vero etiam de illis, quorum dominium ante clericatum ad eos spectabat, sed pater habebat eorum vsumfructum. Panor. *c. in præsentia de probationibus, num. 56.* Illud intelligit etiam de his posterioribus bonis, patremque amittere eorum vsumfructum. Nauarr. dum loco citato ait: salem quæ acquirunt post clericatum; anceps est.

Couar. vero *capit. quia nos citato num. 2. Aries Pinel. vbi supra, idem Nauar. capit. non dicatis num. 87.* & alij, quos referunt, censent solum id intelligendum esse de bonis prioribus, patremque manere cum vsufructu bonorum posterioris generis etiam post clericatum, neque filium posse de illis testari: id quod satis innuit verbum illud authenticæ, res quomodolibet ad dominium eorum venientes, post clericatum, apertiusque id adhuc est *ex lege Sacrosancta C. eodem tit.*

6 Dicendum tamen arbitror, inprimis patrem per aduentum clericatus filij non amittere vsumfructum, quem antea habebat in bonis illius, neq; per mortem filij illud amittere, vt hi Doctores recte aduersus Panor. affirmant. Deinde talem filium vt habet dominium & administrationem sui patrimonij, ad cuius titulum est ordinatus, etiamsi à patre illud acceperit: sic etiam posse de illo testari, & de aliis bonis, quæ post clericatum acquisierit. Tertio, filium libere posse disponere de tertia parte suorū bonorum, computando etiam bona, in quibus pater habet vsumfructum, ita vt illa accipere debeant parentes in hoc regno, & in Regno Castellæ in duabus partibus bonorum talis filij, in quibus necessario instituendi sunt hæredes.

7 Ex his constat, reiiciendam omnino esse opinionem Ant. Gom. *ad l. 48. Tauri num. 7.* asserentis, neque bonorum, quæ filiusfamilias clericus acquirit post clericatum, habere vsumfructum, & administrationem, sed vtrumque pertinere ad patrem, eaque de causa, neque testari, neque disponere de illis posse. Oblitus namque videtur iurium apertissimorum, quæ citauimus.

Dubium est, vtrum in hoc Lusitaniæ Regno, & vniuersim vbi ius cōmune viget, filiusfamilias laicus testari possit ad pias causas de bonis suis aduentitiis. Dicendumque est, de patris consensu posse, vt habetur expresse, *cap. licet, de sepult. libr. 6.* Absque patris vero consensu non posse, vt Panormitan. *in Rubric. de testament.* Couar. *ibidem part. 3. numer. vltimo* & communis sententia Doctorum affirmat. idque ex presse habetur *c. licet citato.* Ecclesia namq; spoliare noluit patrem iure, quod iuxta leges ciuiles in bona filij aduentitia habet. Estque hoc vsque adeo verum, vt si filius potestatem habeat à patre testandi ad pias causas certam summam, & permisceat ex ea summa legata aliqua ad causas non pias, talia legata ad non pias causas sint inualida, neque accrescant aliis legatis piis, sed hæredibus ab intestato. Ita Iulius Clarus cum aliis, quos citat *§. testamentum, ad finem q. 5.*

Bartol. voluit, filium testari posse ad pias causas, quando vna cum dominio bonorum aduentitiorum haberet vsumfructum. Communiter tamen reiicitur à Bal. Panorm. & aliis, vt Couar. loco citato refert. Bonifacius namque octauus *cap. licet citato*, absque vlla restrictione asseruit, filium familias testari non posse absque patris consensu, pro anima sua, nisi peculium habeat castrense, aut quasi castrense: vsusfructus autem bonorum aduentitiorum, etiamsi ad filium spectet, cum bonis illius aduentitiis computatur.

8 *Dubium.*

9

SVMMARIVM.

1 *An in societate domus professæ, collegia, & domus probationum immobilia habere possint.*
2 *Quot religiosorum gradus societas complectatur.*
3 *An qui tria vota emisit in societate peractis duobus probationibus annis verè sit religiosus, & an liceat ea remittere.*
4 *An nouitij in societate sint religiosi.*
5 *Professi & spirituales coadiutores societatis incapaces sunt cuiuscunque dominij, nec domus professæ, nec collegia hæredes esse possunt eorum loco.*
6 *An qui finito probationis anno tria vota simplicia emiserunt, sed nōdum in professorum numerum admissi, capaces sint dominij temporalis, & an teneantur de illis disponere.*
7 *Nouitij ante ingressum in nouitiatum statuere possunt de suis bonis temporalibus suo arbitratu, cum verò illum sunt ingressi, non ita.*
8 *Refertur contraria aliorum sententia.*
9 *An liceat nouitio in societate sine superioris licentia testari.*
10 *Qui nouitio societatis ante ingressum in nouitiatum liceat de bonis suis statuere.*
11 *An in societate tempore probationis peracto, tribus votis emissis, nondumq; in professorum numerum receptis, fas sit testamentum condere inscio superiore.*
12 *Quoto ætatis anno professio admittenda. Et nouitio, excepto victu & vestitu, tempore probationis nil tribuendum.*
13 *Proponuntur varia dubia Concilij Tridentini de bonorum renunciatione facta ante professionem. 14. 15.*
16 *An satis sit ad validitatem testamenti nouitij solemnitas, quæ in testamento militis sufficit.*
17 *An testamentum factum annulletur per professionem postea subsecutam. Refertur quorundam sententia.*
18. 19.

TESTAMENTVM ANTE PROFESsionem religioſi factum an ſit validum, & derenunciatione bonorum ante eandem profeſſionem quouſque ſit valida.

DISPVTATIO 139.

QVod ad religioſos attinet, dicemus primo in hac diſputatione de eorum teſtamento ante profeſſionem (in noſtra vero ſocietate etiã ante tria vota poſt duos probationis annos emiſſa) facto, idque ſiue ſit factum in ſeculo ante ingreſſum in nouitiatum, ſiue tempore nouitiatus. Simul etiam cum Concilio Tridentino dicemus de renuntiatione bonorum facta ante profeſſionem quouſque ſit valida. Sequenti vero diſputatione explicabimus, quæ bona religioſi, poſt profeſſionem emiſſam ad monaſterium pertineant, quando monaſterium tale eſt, vt in bonis religioſi ſuccedat. & quæ monaſteria eiuſmodi ſint. Poſtremo diſput. 141. examinabimus, an religioſus poſt profeſſionem teſtari poſſit.

Quoniam vero Doctores, qui de hac re loquuntur, particulare noſtræ ſocietatis inſtitutum, ſæpe à ſancta ſede Apoſtolica, approbatum, & confirmatum, non nouerunt, pauca ad rem, de qua diſputamus, attinentia, in lucem eorum, quæ dicenda ſunt, referam.

1 In noſtra ſocietate ſunt domus profeſſæ, collegia, & domus probationum in quibus nouitij inſtituuntur. Profeſſæ domus nullos omnino reditus * habere poſſunt neque ob Miſſas, confeſſiones, conciones, aut alia miniſteria quicquam poſſunt accipere, ſed ſolum viuere poſſunt de aliis eleemoſynis petitis, aut ſponte illis oblatis. Licet autem Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. in decreto de regularibus cap. 3.* conceſſerit omnibus monaſteriis & domibus tam virorum quam mulierum, etiam mendicantium, exceptis domibus fratrum ſancti Franciſci Capucinorum & obſeruantiæ, vt bona immobilia poſſidere deinceps eis liceret: ſocietas noſtra, vt ex decreto quodam ſecundæ congregationis generalis conſtat, huic indulgentiæ Concilij Tridentini renunciauit. Collegia, & domus probationum, reditus & bona immobilia habere poſſunt in communi, vnde ſcholaſtici & nouitij alantur, verumtamen non ſolum profeſſæ domus ius vllum non habent ad bona ſuorum religioſorum, ſed neque Collegia neque probationum domus.

2 Cum ſocietas noſtra ardua habeat miniſteria, hominibuſque ſolidæ cuiuſdam virtutis, diuque probatis indigeat, hos omnes religioſorum gradus in ſe complectitur. Profeſſos, qui & eruditi homines eſſe debent, & poſt longas probationes, ſpecimenque virtutis non leue exhibitum, pro generalis arbitrio, quando expedire iudicat, ad profeſſionem vocantur. Coadiutores ſpirituales, qui ſacerdotes ſunt in conſcientiæ ſaltem caſibus bene inſtructi, & ſimiliter poſt longas probationes, & virtutis ſpecimen diu exhibitum, admittenda tria illius gradus vota pro arbitrio generalis vocantur. Coadiutores temporales qui ad miniſteria temporalia admittuntur, & ſimiliter poſt longas probationes & virtutis ſpecimen diu exhibitum pro generalis arbitrio ad tria illius ſtatus vota recipiuntur. Et alios, qui peractis duobus probationis annis, tria ſimplicia vota publica paupertatis, caſtitatis & obedientiæ perpetuæ in ſocietate emiſerunt, cum voto aſcendendi ad aliquem trium priorum graduum, quando à Generali vocati iuſique fuerint. Hi vero interim, vel literas ad diſcunt, vel in miniſteriis ſocietatis ſpiritualibus, aut temporalibus ſe exercent.

A Non ſolum autem profeſſos & coadiutores ſpirituales ac temporales, verum hos etiam vere eſſe 3
religioſos, ſatis innuerat Concilium Tridentinum, ſufficienterq; expreſſerant Summi Pontifices, dum apoſtaſiæ crimen & excommunicationis pœnam ipſo facto eos, ſià ſocietate diſcederent, incurrere decreuerunt, aditumque illis ad profeſſionem in ordinibus etiam mendicantibus, denegarunt, irritã ac nullam, ſi eſſet attentata, eam ſtatuentes, reſq; de ſe eſt ſatis manifeſta. Etenim per tria illa vota publica, ex ſocietatis inſtituto. Sediſque Apoſtolicæ approbatione poſt duos probationis annos emiſſa, ſeipſos Diuino obſequio re ipſa mancipant, ac cum effectu ex parte ſua ſub prælati regimine, ad perpetuam obedientiam, pauperratem & caſtitatem, non ſecus ac profeſſi, ſub reatu ſacrilegij lethalis ſeruandam omnino tradunt, religant, ac deuinciunt, nec B
plus ipſis, quã profeſſis, manet deinceps integrum, tria illa ex parte ſua non ſeruare, neq; per illos ſtat, quo minus profeſſionem ſtatim emittant, ſed in Eccleſiæ eiuſdemq; ſocietatis bonum, quo religio purior perſeueret, nec Diuinũ obſequium labefactetur, in ſuamq; maiorem abnegationem, ac proinde meritum, Generalis præpoſiti iuſſum & ordinationem ſpectant, vt, pmiſſionem emittant, vel ad coadiutorum ſpiritualium, aut temporalium gradum, prout Diuino honori ac obſequio plus conducere fuerit iudicatum, vocentur, idq; dum tria illa vota emittunt, peculiariter ſe aſtringunt. Quod vero ex C
Sedis Apoſtolicę priuilegio, libera maneat ſocietas, vt ſi id Diuino obſequio religionisque bono expedire iudicauerit, non ſolum his, ſed etiam coadiutoribus ſpiritualibus & temporalibus remittere poſſit ſua vota, ſane neq; illis vlla fit iniuria, quippe quibus ſtatim à nouitiatus principio, & ſæpius poſtea, ante quam finito nouitiatu tria illa emittant vota, omnia dilucide proponuntur, neque item quicquam de ratione verę ac perfectę religionis minuit. Nouiſsime vero Gregorius XIII. Kalendis Februarij anni 1582. proprio motu, & ex certa ſcientia inter alia definiuit, hos omnes noſtræ ſocietatis vere ac proprie eſſe religioſos. Et aduerſus quendam profeſſorem, qui eum, non tanquam Summum Pontificem, ſed tanquam Doctorem particularem id definiuiſſe temere affirmauit, ſeuere admodũ 8. Kalen. Iunij anni 1584. idem iterum definiuit, vt ex diplomatibus ea de re latis ac publicatis conſtat. præcipiens in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia ſecularia, & D
quorumuis ordinum regularia, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis, quarum abſolutionem ſibi & ſucceſſoribus ſuis reſeruauit, ne quiſquam cuiuſquam ſtatus, gradus, aut præeminentiæ, &c. in dubium id amplius reuocare, aut ea de re diſputare auderet, cum pleniſsima derogatione quorumcũque priuilegiorum, &c.

Præter hos omnes gradus, ſunt nouitij in ſocietate, 4
qui interim dum, expleto prius biennio probationis, tria illa vota publica non emittunt, ſimpliciter ac proprie non ſunt religioſi, ſed in via dumtaxat, perinde atque cęteri aliarum religionum nouitij. Gaudent tamen priuilegio *canonis, ſi quis ſuadente diabolo*, & aliis religioſorum priuilegiis. E

Tam profeſſi, quam coadiutores omnes ſpirituales 5
ſocietatis, ſunt eo ipſo incapaces cuiuſcumque dominij, & neque domus profeſſæ, neq; Collegia, aut quiſquam alius, hæredes eſſe poſſunt eorum loco, ſed ad eum effectum reputantur tanquam mortui naturaliter, nõ ſecus ac minores fratres profeſſi de obſeruantia, aut capucini, quin ſi ante profeſſionem, aut votã coadiutorum, dominium rerum aliquarum habebant, nec de illis diſpoſuerant, pertinẽt, profeſſione aut votis coadiutorum emiſſis, adeo-

ad eorum hæredes ab intestato, perinde acsi in se- A culo ex hac vita ab intestato discessissent.

6 Illi qui finito probationis tempore tria vota simplicia publice emiserunt, sed nondum in professorum aut coadiutorum numerum admissi sunt, capaces quidem iustis de causis sunt iuris ac dominij bonorum temporalium, succedereq; possunt aliis ex testamento & ab intestato, vt constitutiones statuunt, & Gregorius XIII. in diplomatibus citatis definiuit attamen nullam eorum administrationē, nullumque vsum, vtpote suo paupertatis voto contrarium habent. Tenenturque, quandocunque à superiore fuerint iussi, de illis disponere, in pauperes quidem aut ad alia pia opera, pro suo arbitratu B ac deuotione: si tamen aliqua erogare vellent consanguineis, quod ita expedire iudicarent, non aliter id efficere possunt, quam interueniente iudicio & arbitrio duorum, qui vita & doctrina commendentur, & ab ipso eligantur, sed approbentur à superiore. Est autem eiusmodi dispositio absoluta absque vlla tacita vel expressa conditione, & absq; vlla spe, quod ea bona vllo tempore in eorum dominium ac potestatem redire possint, vt de nouitiorum dispositione proxime subiungam.

7 Nouitij, ante ingressum quidem in nouitiatum, statuere possunt de omnibus suis bonis temporalibus pro suo arbitratu: postquam vero nouitiarum fuerint ingressi, non aliter de illis possunt disponere, quam vel in pia opera suo pro arbitrio ac deuotione, vel si quid consanguineis conferendum iudicauerint, interueniente iudicio duorum, quos ipsi C ad id elegerint, & superior approbauerit, vt de iis, qui tria vota publica iam emiserint, proxime dictum est. Statim autem ac nouitiatum ingrediuntur simplici promissione debent promittere, elapso primo probationis anno, quandocunque à superiore id eis fuerit iniunctum, se de illis prædicto modo prompte & plene disposituros, omnem à se fiduciā (vt Constitutiones aiunt) semouendo, eadem bona vllo tempore recuperandi, idque ad maiorem sui firmitatem & meritum. Quo fit, vt dispositio absoluta sit futura absque vlla tacita vel expressa conditione, quod, si à societate defecerint, illa recuperent aut quauis alia. Quod longe maiori cum ratione intelligendum est de iis, qui peracto iam biennio probationis, emissisq; tribus publicis votis, de suis bonis in societate disponunt. Cum vero tam hi, quam nouitij, exempti iam ab omni iurisdictione Principum secularium de suis bonis disponant, atque in commune Ecclesiæ, & religionis bonum, ad finemque supernaturalem, idq; efficiant ex societatis cōstitutionibus ac instituto à sancta sede Apostolica approbatis, consequens profecto est, vt ad hoc, vt eiusmodi dispositio valida omnino sit, necesse non sit religiosum attingere vigesimumquintum suæ ætatis annum, sed satis esse vt eius sit ætatis, quæ sufficit vt religiosus nostræ societatis sit.

8 His ita constitutis, affirmant doctores communiter, religiosum vtriusque sexus, tum ante suum ingressum in nouitiatum, tum tempore nouitiatus, E testari posse de suis bonis: id constat *ex authen. nunc autem C. de Episcop. & cler. quæ desumpta est ex auth. de monachis § si quis autem, ver. illud quoque, & habetur c. si quæ mulier. 19. q. 3. idq; asseurant Nauar. c. non dicatis n. 76. Couar. c. 2. de test. n. 4. & 5. Iulius Clarus lib. 3. sent. § testamentum, q. 28. Molina libr. 2. de primog. c. 9. nu. 39. & 52.* & communis sententia quam referunt. Quando autem *c. quia ingredientibus 19. q. 3. & in authe. ingressi. C. de sacrosc. Ecclesiis*, atq; aliis iuribus asseritur, ingredientibus monasterium nullam vlterius esse facultatem testandi, intelligendum id est, de ingressu irreuocabili ex parte ipsius ingredientis, qualis in religionibus aliis, à nostra, est per solā professionem: secus autem de reuocabili tempore nouitiatus, præsertim, postquam iuris interpretatione ac dispositione probationis tempus datur, vt & ingrediens experiatur religionem, integrumq; illi sit ad seculum reuerti, & religio periculum de illo capiat, integrumque illi sit eum expellere si displicuerit. Merito ait Couar. *num. 5. citato aduersus Rodericum Xuarez*, & alios, testamentum nouitij, etiam si absq; prælati consensu fiat, esse validum, dicitque esse ad optimum textum *cap. 4. de reg. libr. 6.* Ratio autem est, quoniam simpliciter est adhuc sui iuris cum libera exeundi facultate.

Est vero obseruandum, in nostra societate in hoc 9 sensu non posse nouitium sine superioris licentia testari, quod cum ea lege in lege nouitium recipiatur, vt nihil, nisi conscio & approbante superiore, dum inter nos esse voluerit, efficiat: adhibitaque simplici promissione recipiatur, quod peracto primo probationis anno, quandocunque superior id iniunxerit, prompte & omnino ita de omnibus suis rebus modo supra explicato disponat, vt spem omnem iterum illas consequendi amittat: sane contra fidem datam, contra id que, quod recta ratio postulat, inprimis faceret, si sine facultate & approbatione superioris testaretur, idque sufficientissimum esset, vt tanquam nostro instituto indignus ac ineptus, continuo expelleretur à nobis. Deinde nihil impediente tali testamento, post emissa tria simplicia vota, teneretur sub reatu lethalis culpæ, si ita superiores eum astringere vellent, reuocare tales testamentum, abdicareque omnino à se omnia sua bona modo supra explicato. Interim vero dum nouitius esset, tenetur vel à *societatis nouitiatu egredi*, vel testamentum reuocare, promptumque se exhibere ad omnino abdicandum à se omnia sua bona, quando, peracto primo probationis anno à superiore ei iniungeretur. Si tamen (quod dante Domino nunquam in societate eueniet) nouitius ignorante superiore, rite alioquin testamentum conderet, & ex hac vita discederet, validum esset tale testamentum, vtpote factum ab homine simpliciter sui iuris.

Hinc iam facile intelligetur, quo pacto accipien- 10 dum sit, quod supra ex nostris Constitutionibus retulimus, nempe, quemcunque nostrorum, ante suū ingressum in nouitiatum statuere posse de omnibus suis bonis pro suo arbitratu. Id namque intelligendum, non est per vltimam volūtatem, quæ solum firma sit per mortem naturalem ita disponentis, aut per professionis, aut votorum coadiutorum spiritualium aut temporalium emissionem: sed intelligendum est per donationem inter vivos, siue ad pia siue ad profana. Alioquin esse possent multi inter nos, qui, etiam superiore iubente non tenerentur vsque ad professionem, aut gradum coadiutoris, abdicare omnino à se res suas absque spe illas iterum obtinendi, eisque fruendi, quod esset contra Constitutiones, & societatis paupertatē. Intelligenda ergo est constitutio, de dispositione cum omnimoda abdicatione. Quare si quis ingrederetur nouitiatum *condito prius testamento, admonendus* esset, peracto primo probationis anno, teneri quando superior id inunxerit, illud reuocare, & disponere omnino ad pias tantum causas de omnibus suis bonis, aut si quid consanguineis velit largiri, interueniente iudicio & approbatione duorum, vt dictum est.

Illi qui tempore probationis peracto, tria simpli- 11 cia publica vota emiserunt, nondumque in professorum aut coadiutorum numerum recepti sunt, cum sui iuris non sint, omnisq; vsus & alienatio suorum bonorum sint illis voto suo paupertatis interdicta, præter illam quę constitutionibus est eis concessa, sane licet conscio & approbante superiore, tū inter vivos, modo supra explicato alienare possint sua bona, tum etiam donatione causa mortis, aut etiam testamento, si aliquando id expedire, & cum a-

liorum, ædificatione consentire iudicaretur: nihilominus, inscio nec approbante superiore, adeo testari non possunt, vt id non solum esset contra paupertatis votum, verum etiam factũ nõ teneret. Licet.n. iubente superiore, vt de suis bonis disponãt, libera illis relinquatur dispositio, si ad solas pias causas velint disponere, modus tamen, vt sit per vltimam voluntatem, etiamsi ad solas pias causas disponant, liber non relinquitur, quin potius, si superiori id ita videatur, cogi possunt abdicare statim à se omnia sua bona absq; vlla facultate dispositionem reuocandi & absq; spe retinendi in posterũ sua bona, aut eis fruendi, q; vltimæ voluntati non conuenit, ac proinde vltima voluntas esse neqt ex subditi arbitrio, sed ex superioris permissione, qui vt protrahere potest tempus disponendi, ita concedere potest vt interim solum disponat per vltimam voluntatem. Itaque vt vniuersim loquamur, non solum omnis alienatio bonorum horum subditorũ, quæ cõstitutionib. non sit eis permissa, sed etiam modus omnis eisdem constitutionibus non permissus, & sunt contra paupertatis votum, & facta non tenent, vtpote profecta ab eis qui ad id fui iuris non sunt, neque proinde ius vllum habent.

12 *Renuntiatio bonorum ingredientium religionem.*

Antea quam vlterius progrediamur, vt de renũciationibus & alienationib. aliis, quæ ab ingredientibus religionẽ fiunt, simul loquamur, & quousque validæ sint, aut non sint, innotescat, sciendum est. Concil. Triden. *Sess. 25. in decreto de regul. mb. c. 15.* statuisse, vt in quacunq; religione, tam virorum quam mulierum, professio nõ fiat ante decimum sextum annum expletum, & vt ad professionem nõ admittatur, qui minori tempore, q̃ per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, & vt professio antea facta sit nulla, nullamq; omnino inducat obligationem. Protinus vero c. 16. subiũgitur. *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio, antea facta, etiam cum iuram[illegible] vel in fauorem cuiuscunq; causæ pia, valeat, nisi cum licentia Episcopi vel sui Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, etiã iurata sit irrita, & nullius effectus. Finito tempore nouitiatus, superiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad professionem admittant, aut à monasterio eos eiiciant. Per hæc tamen sancta synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin religio clericorum societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum à sancta Sede Apostolica approbatum Domino, & eius Ecclesiæ seruire possint. Sed neque ante professionem, excepto victu & vestitu nouitii vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quicunque prætextu à parentibus vel propinquis aut curatoribus eius, monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur: ne hac occasione discedere queant, quod totam vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, neque facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius præcipit sancta synodus sub anathematis pœna, dantibus & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant: quod vt recte fiat Episcopus, etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.* Hactenus Tridentina synodus. Quæ, vt eadem synodus ait, *nihil præiudicant instituto nostro, nihilque circa illud innouant.*

13 *Dubium.*

Ambiget fortasse aliquis, num post constitutionem hanc, qua nulla redditur omnis renunciatio bonorum facta ante professionem, nisi de licentia Episcopi duobus mensibus ante professionem fiat, locum habeant quæ de testamentis nouitiorum, aut ingredi volentium nouitiatum, dicta sunt. Dicendumque est, proculdubio locum habere. Etenim neque testamentum, neque quæuis alia vltima voluntas, nomen habet, renunciationis bonorum, neque vllam inducit obligationem super ingredientem religionem, cum ante professionem reuocari ab eo possit, quandocumque voluerit. Quare cum neque verba ipsa constitutionis vltimas voluntates comprehendant, nec finis illius, nempe, ne ea ratione nouitius retarderur, ab egressu, si timeat se non potiturum bonis omnibus, quæ antea habebat, locum in vltimis voluntatibus habeat: consequens profecto est, vt nulla probabilitatis effigies sit, eas nullas fuisse redditas ea constitutione.

Ambiget rursus, an ea constitutio intelligenda 14
sit solum de renunciatione, aut obligatione facta *Dubium.*
vel inducta post ingressum in nouiciatum, an vero etiam de ea, quæ facta sit ante nouitiatum, siue renuncians, aut inducens super se obligationem, sit adhuc in seculo, siue in monasterio, ante tamen susceptum habitum, aut in choatum nouitiatum. Distinguendumque est, num in seculo sit facta sine intuitu & animo ingrediendi religionem, an vero intuitu ingrediendi. Et quidem priori euentu nulli potest esse dubium validam esse, neque comprehendi ea constitutione. Alioquin eo ipso, quod quis ingredi vellet religionem: neque ipsa nouitiatum ingrederetur, rescinderentur multa, quæ valida re ipsa fuerunt, quod est ridiculum, neque puto esse iurisdictionem in Ecclesia ad ea ex eo capite reddenda inualida. Neque vlla ratione est credendum id ecclesiam voluisse, præsertim cum neque cum illius constitutionis fine id congruat. In posteriori vero euentu, ad patres deputatos ad explicandum Concilium Tridentinum circa dubia, quæ in illo fuerint exorta, spectat id definire. Ante contrariam tamen eorum definitionem, nulla ratione affirmare auderem, validam esse talem renunciationem aut inductionem obligationis. Tum quia Concilium vniuersim loquitur de renũciatione facta ante professionem, non restringendo ad renunciationem factam tempore nouitiatus, & quod lex non restringit, nec nos restringere debemus. Tum vel maxime, quoniam finis legis, ne scilicet nouitius ante professionem libere recedat timore, quod non potietur omnibus suis bonis, quibus intuitu ingressus se spoliauit, æque vim habet in renuntiatione aut obligatione facta ante nouitiatum & in nouitiatu.

Ambiget præterea, num in ea cõstitutione com- 15
prehendatur etiam donatio, qua illico dominium *Dubium.*
in donatarium transferatur. Ratio vero dubitandi est, quia illa neque videtur proprie renunciatio, neque inducit obligationem vllam in nouitiũ, quemadmodum inducet nuda promissio. Iterum vero dum contrarium non definitur, nulla ratione affirmare auderem, non comprehendi etiam donationem. Tum quia donatio species quædam est renunciandi propriis bonis. Tum etiam quia finis legis non minus habet locum in donatione, quam in nuda promissione & idcirco longe maiori cũ ratione censenda est reddita nulla, quam obligatio inducta per promissionem. Reliqua, quæ de eiusmodi renuntiationibus addi poterant, commodius dicentur in materia de contractibus, dum de alienatione fundi dotalis erit sermo.

Ad id vnde digressi sumus vt regrediamur, Bart. 16
in authen. si qua mulier, & quidam alij voluerunt ad validitatem testamenti nouitij, eiusve, qui ingredi parat religionem, satis esse solemnitatem, quę in testamento militis sufficit. Quia regulariter, qui miles est cœlestis militiæ, concedendum est, quod militibus secularibus conceditur. Contrarium tamen affirmandum est cum Nauar. *c. non dicatur n. 84.* & aliis, quos citat. Tum ob alia, quæ Nauar. eo loco adducit. Tum etiam quia argumentum à paritate rationis, vt similiter aliquid aliis concederetur, nullum est in iure, interim dum id non est concessum. Quia tamen nouitius exẽptus est à iurisdictione seculari, sane, quæ solemnitas sufficit in clerici testamento, iuxta ea quæ disp. 133. dicta sunt, sufficit etiam in testamento nouitij, aut cuiusuis alterius religiosi:

non

non vero in testamanto eius, qui adhuc nouitiatum non est ingressus.

17 Dubitant Doctores, an testamentum factum rūpatur & annulletur per professionem postea subsecutam Sermoque est de monasteriis: quæ ius habent succedendi in bonis suorū religiosorum: in aliis namq; vt in nostris & Minorum, obseruantiæ ac Capucinorum, nemo dubitat non rumpi nec annullari. Distinguendumque est, quia vel tale testamentū fuit factum ab homine iam nouitio, aut qui religionem ingredi intendebat, vel ab homine nihil adhuc cogitante de ingressu religionis.

In priori euentu affirmat cōmunis Doctorum sententia, Bart. Paul. & aliorum, quam referunt & sequuntur, *Nauar. c. non dicatis nu. 81. & 83. Couar. 2. de test. num. 4. & 5. Molina lib. 2. de primog. c. 9. num. 49. Iulius Clarus §. testamentum q. 28. & Franciscus Caldas de nominatione Emphyteutica q. 6. n. 16.* non rumpi neque annullari, esto, qui ita testamētum confecit, nihil omnino reliquerit monasterio, sed omnia bona sua reliquerit extraneis. Ratio est, quoniam licet testamentum natiuitate filii rumpatur, & monasterium loco filii habeatur comparatione eius, qui professionem in eo emittit, vt patet *in auth. de sanctis. Episc. § sed & hoc, in auth. nisi rogati. C. ad Trebel. & in ca. in præsentia de probationib.* non tamen habetur loco filii nisi in casib. expressis à iure, de quorum numero non est, quoad effectū inualidandi testamentum ante professionem factum, is casus, de quo modo loquimur, vt ex eisdem iuribus est manifestum. Et quoniam, vt habetur expresse in *auth. nunc autem C. de Ep. & Cleric.* bona professis religionem fiunt monasterii, nisi prius esset testatus. quia tunc quatenus de suis bonis esset ad alia testatus, non pertinent ad monasterium: quod absque vlla omnino restrictione dicitur. Præterea quia, ante ingressum irreuocabiliter in religionem, integrum est cuique disponere de suis bonis vt libuerit, cum sit eorum dominus, nullibique in iure prohibeatur.

19 In posteriori vero euentu *Bart. in auth. si qua mulier. C. de sa. ros. Et. clef.* volunt rumpi testamentum per professionē eo quod præsumendum sit voluntatem mutasse, & hanc fatetur Couar. *n. 15 citato* esse communiorem opinionem. Dicunt vero DD. huius opinionis, quando res aliunde non constat ex tempore quo ante professionem cōdidit testamentum multum aut parum distante à tempore ingressus, arbitrio prudentis esse iudicandum, an intuitu ingressus religionis fuerit conditum. vel nō. Contrariam sententiam affirmant, post Antonium à Butrio Panor. & Felinum *in præsect. a & alios, Nauar. nu. 83. citato Iulius Clarus q. 28. citata. Molina vbi supra. num. 40. Franciscus a Caldas de nominatione emphyteutica q. 6. nu. 10. & 16. & Couar.* tametsi non admodum firmus, *nu. 5. citato.* Atque hæc sententia placet. Tum quia non reuocasse testamentum expresse longe maior coniectura est, illum in antiqua voluntate perstitisse. Tum etiam, quoniam authentica nunc autem, absque vlla omnino restrictione statuit, bona de quibus is, qui monasterium ingreditur, fuerat testatus, non pertinere ad monasterium. Tum denique quoniam, vt Molina argumentatur, testamentum antea factum non rumpitur ex voluntate, non solum tacita, sed etiam expressa aliter disponendi nisi contraria dispositio fit secuta, vt constat *ex §. ex eo autem solo, inst. quibus modis testamenta infir. & l. sancimus C. de test.* Quare cum hæc sententia iurib. manifestis nitatur, & inter recentiores iam hodie communis sit, sequendam eam iudicio, etiam in exteriori foro in hoc Lusitaniæ regno, in quo Bart. sententiæ sunt sequendæ, quando non est textus in contrarium, nec Glossa Accursii nec communis opinio: satis namque arbitror esse, si propter perspicuas rationes, quas moderni inuenerunt, sine controuersia apud eos communiter admittatur, vt à Bar. opinione liceat in hoc regno iudicando recedere. Iulius Clar. & Molina, cum aliis, eam merito restringunt, quando qui religionē est ingressus, ante professionē dixisset, se sua omnia offerre monasterio: per eum enim actum censetur re ipsa disponere aliter de bonis suis, ac proinde reuocare testamentū factū in seculo. Iul. Clarus voluit testamentum in hoc euentu solū annullari quoad hæredis institutionē, non vero quoad legata. Merito tamen Molina affirmat, quoad legata etiam annullari: id namq; significant verba illa, offero me & omnia mea. Illud addiderim, quādo Bartoli opinio iudicaretur amplectenda, ex ipsius met religioli cōfessione iuramēto firmata constare saris posse, intenderitne, an non reuocare antiquum testamentū. illique esse standum, saltem in foro conscientiæ.

SVMMARIVM.

1 *In quibus monasteriis religiosi intestati, cum prius de suis bonis inter viuos non disposuerunt, professionem emittentes fiant statim incapaces dominii quorumcunque bonorum.*

2 *An sas sit quibusdam monasteriis nouitio ex hac vita intestato discedente illius bona possidere.*

3 *In eiusmodi monasteriis rite professus, bona omnia, de quibus ante professionem non disposuit, pertinent ad monasterium.*

C 4 *Bona religiosi per vltimam voluntatem disposita an pertineant ad monasterium vsque ad mortem naturalem illius, & an etiam post.*

5 *An religiosus qui condito testamento professionem emisit in cœnobio ius habente ad bona suorum religiosorum, possit post professionem emissam illud reuocare.*

6 *Legitimæ portiones non pertinent ad monasterium ius acquirens ad bona suorum religiosorum, licet de illis ante professionem religiosus non disposuerit.*

7 *An statim ac parentis professio emissa est, tradi debeant filius suæ legitimæ portiones, vel potius pertineant ad monasterium, vsque ad mortem naturalem patris.*

8 *An vsus fructus, quem pater habebat in bonis filiorum aduentitiis, pertineat ad monasterium toto tempore quo pater vixerit.* D

9 *An ascendentibus debeatur sua legitima portio, quando filius carens descendentibus professus est in monasterio comparante ius ad bona talis religiosi, & discedat è vita ante ascendentes.*

10 *Soluitur hæc quæstio.*

11 *Refellitur contraria opinio.*

12 *An cum pater vsumfructum habet in bonis aduentitiis filii, illum amittat statim ac filius professus est in monasterio ius comparante in bona talis professi.*

13 *Soluitur hæc quæstio.*

14 *Refellitur contraria opinio.*

15 *De bonis, de quibus religiosus ante professionem non disposuit, quid censendum.*

E 16 *Quid de capellis statuendum.*

17 *Quo pacto emphyteusis tam ecclesiastica quam secularis ad monasterium transeat.*

18 *De iure regni Lusitaniæ, nec Ecclesia, nec monasteria possunt bona immobilia absq; Regis facultate emere.*

19 *Bona quæ post professionem acquirit religiosus, cedunt monasterio, & quomodo acquirantur.*

20 *Si testamento aliquid alicui religioso sub conditione relictum sit, vt ad eum non ad monasterium pertineat an sua sit eo illi vti.*

21 *An monasterium ex delicto religiosi ad aliquid teneatur.*

22 *Quousq; ex contractu religiosi monasterium teneatur,*

23 *Quid de religioso celebrante contractum sine expressa superioris facultate & eius fideiussore, si existat, censendum.*
24 *Refertur contraria quorundam sententia.*
25 *Autoris sententia probabilior.*
26 *Religiosus fugitivus quicquid acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit.*
27 *Vtrum ex legitima superioris facultate extra claustrū an posit de acquisitis secundum mentem suam disponere.*
28 *Quando religiosus in pœnitentiam recluditur in diuerso monasterio ab eo in quo professionem emisit, quid fiet de bonis à primo monasterio acquisitis.*
29 *Quando religiosus emissa professione in vno monasterio, emittit professionem in alio comparante similiter ius in bona suorum religiosorum, ad quod pertineat ius in hæreditatem.*
30 *Quando religiosus Minor profitetur de licentia summi Pontificis in religione comparante ius ad bona suorum subditorum, & inde ad episcopatum assumitur, ad quem bona pertineant.*
31 *De religioso professo in religione ius comparante ad bona suorum subditorum, & legitime iterum in Minorum religione professo quid censendum.*
32 *Ad quem pertineant bona quæ religiosus professus eiectus comparauit.*
33 *Religiosus iniuste eiectus, quæ acquirit monasterio acquirit.*
34 *Religiosus iuste eiectus quid priuilegii habeat.*
35 *Quomodo teneatur religiosus eiectus obedire Episcopo.*
36 *Ad quem dominium eorum, quæ religiosus eiectus acquirit, pertineat.*
37 *Professus in Episcopum assumptus, quæ post dignitatem Episcopalem acquirit ad ipsum pertinent, post mortem vero ad Ecclesiam, in qua est Episcopus.*

QVAE BONA RELIGIOSI, ET quando ad religionem pertineant.

DISPVTATIO 140.

SErmo est de religionibus, quarum monasteria ius habent ad bona suorum religiosorum, quales, vt ex dictis disputatione præcedente est manifestum, sunt cæteræ, præter domus omnes & Collegia Societatis, & monasteria fratrū Minorum de obseruantia, & cæterorū qui strictius adhuc regulam Diui Francisci obseruant, quos omnes Concilium Trident. Capucinorum nomine comprehēdit. In his enim omnib. monasteriis, domibus, aut Collegiis, si religiosi intestati, cū prius de suis bonis inter viuos nō disposuerint, professionem emittant, vel ad coadiutorum spiritualium aut temporalium vota admittantur, continuo omnia eorum bona pertinent ad hæredes ab intestato, fiuntq; incapaces deinceps iuris aut dominii quorumcunq; bonorum: ita vt neque ipsi, neque monasteria, aut quisquam alius, eorum loco ac nomine, vllum ius habere possit: sed reputantur, ac si mortui essent naturaliter, vt disputatione præced. dictū est. Hac de causa, si testati profiteantur, aut vota coadiutorum emittant, continuo non secus testamentum, aut quæuis alia vltima eorum voluntas, confirmatur, ac si naturaliter essent mortui, fiuntq; proinde, morte naturali ipsorum non expectata, tradenda eorū bona iis, ad quos ex tali testamento aut vltima voluntate pertinent, vt communis doctorum sententia affirmat. Dum vero testabantur, aut de suis bonis inter viuos disponebant, poterant perinde in eleemosynam, aut in aliud opus pium suis monasteriis aliquid dare aut relinquere, atque quibuscūque extraneis.

2 De alijs ergo monasterijs agendo, voluerunt Cyprianus & quidam alij, quos Iulius Clarus *lib. 3. sentent. §. testamentum q. 28.* sequitur, si nouitius ex hac vita intestatus discedat, bona illius pertinere ad monasterium, non vero ad hæredes illius ab intestato. Cōtrarium est prosuldubio affirmandum cum Panor. & alijs, quos Nauar. *c. non dicatis, nu. 81.* refert ac sequitur. Neque enim nouitius, simpliciter est religiosus, neque monasterium vllum ius in bona illius ante professionem comparat, nisi illa ei in nouitiatu donasset (quod tamen hodie ex dispositione Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 16. de regularibus*, est irritum & nullum, vt disputatione præcedente relatum est) vel ex vltima voluntate ea illi reliquisset.

Eo ipso, quod quis in eiusmodi monasteriis rite profitetur, bona omnia ipsius, de quibus ante professionem, saltem per vltimam voluntatem, non disposuerat, pertinent ad monasterium non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad possessionē, vt cum quadam glossa, Panorm. & alijs bene affirmat Nauarr. *c. non dicatis, n. 78* Ita habetur *in authent. nunc autem. C. de Episcopis & clericis. in authent. ingressi, & in authent. si qua mulier, C. de sacrosanct. Eccles. & c. si qua mulier, 19. quæst. 3.* & affirmant Doctores cōmuniter. Monasterium tamen tenetur ad omnia debita talis religiosi contracta ante professionem: sed iuxta vires duntaxat bonorum, quæ ex illo religioso, vel in præteritū obuenerūt, vel in futurum obuenient, vt bene idem ait Nauar. *nu. 74.*

Quin & bona, de quibus per vltimam voluntatem disposuit, pertinent ad monasterium vsque ad mortem naturalē talis religiosi quoad vsum & fructus, eo pacto quoad religiosum ipsum pertinuissent, si in seculo ita testatus permāsisset: quare si illi, quibus relinquuntur, moriantur ante talem religiosum, euanescit dispositio illa vltima, bonaque illa pertinēt omnino ad monasterium. Ita *Panor. c. in præsentia, de probationibus, num. 58. Nauar. c. non dicatis, numer. 86. Emmanuel à Costa. de paupert. p. 2. verb. testatore mortuo. n. 6. & 7. & Couar. c. 2. de testam. 1. p. 6. Bart. & communis sententia*, quam referunt. Intelligēdum tamen id est, nisi religiosus aliud suo testamento exprefferit, nempe vt bona sua omnia, aut talia vel talia, statim professione emissa, aut à tali vel tali tempore, pertineant omnino ad eum cui illa relinquit. Ita Couar. *c. 2. citato in calce, n. 8.* cum alijs, quos refert, estq; res manifesta. Potuit namq; ante suā professionem disponere de suis bonis pro suo arbitratu. Quod si professio, aut vota coadiutorum emitterētur in religione, quæ ius nō habet ad bona suī religiosi: statim bona ita relicta tradēda essent illis, quib. per vltimā voluntatē relicta sunt, vt supra dictū est, affirmatque cōmunis Doctorum sententia.

Vtrum vero religiosus, qui condito testamento professionem emisit in cœnobio ius habente ad bona suorum religiosorum, possit post professionem emissam illud reuocare, saltem in cœnobij fauorem: Licet Bart. *in auth. si qua mulier*, & pauci alii affirmauerint: Pan. tamen *c. in præsentia, n. 61.* & cōmunis sententia, quam Nauar. *c. non dicatis, nu. 85.* & Couar. *c. 2. citato, nu. 9* referunt & sequuntur, merito negant. Est enim per professionem mortuus mundo, qui, vt nihil habere potest, ita neque disponere deinceps potest de bonis, quæ antea habebat. Quare sicut testari post possessionem nō potest, ita neque reuocare testamentum ante professionem factum. Ad eum quippe reuocare testamentum spectat, qui nouum condere potest.

A regula illa statuta, nempe emissa professione in monasterio ius acquirente ad bona suorum religiosorum, bona omnia, de quibus religiosus ante professionem nō disposuerat, pertinere ad monasterium, excipiendæ sunt legitimæ portiones filiorum, aut aliorum descendentium, si quos talis religiosus habebat. Ita habetur expresse *in auth. si qua mulier. Cod. de sacrosanctis Ecclesijs, in authen. nunc autem*

tem C.de Epiſc.& cleric.& cap.ſi qua mulier.19. q. 3. & affirmat cõmunis Doctorum ſententia. Quod intelligo,nõ ſolum de legitimis filiis,ſed etiam de illegitimis,quoad portiones, in quibus iuxta diſpoſitiones diuerſorum Regnorum,neceſſario ſuccedunt parentibus,vt infra erit manifeſtum,aut quoad alimenta eis debita,conſentiuntque ex parte Nauar.c. non dicatis.nu 78.& alij,quos citat.

7 *Quæſtio.* An vero ſtatim ac parentis profeſsio emiſſa eſt, tradi debeant filiis ſuæ legitimæ portiones, vel potius pertineant ad monaſterium vſq; ad mortẽ naturalem patris, controuerſum eſt inter Doctores. Bart.& alij affirmant pertinere ad monaſteriũ. Couar. c.2.de teſt.n. 7.Nauar.cap.non dicatis,nu.80.Pan.& alij,quos citant,dicunt,ſaltem ex quadam æquitate dicendum eſſe tradendas eſſe ſtatim filiis: cõſonat caput,cum ſimus,de regularibus,aitq; Couar. diſcedendũ non eſſe ab hac ſententia in vtroque foro. Quin & auth.ſi qua mulier,ſatis innuit,patrem,etiam poſt profeſsionem,vel monaſterio inuito,poſſe diuidere & tradere filiis ſuas legitimas portiones: quod verum non eſſet,ſi toto tempore vitæ patris pertinerent ad monaſterium. Adde cum filiis alimenta debeantur ante mortem patris,ſintque extra curam patris durum eſſet ea exigere à religione toto tempore, quo pater viueret. Adde etiam,filiabus deberi cõpetentem dotem,quæ ſtatim tradatur, vt maritus onera matrimonii ſuſtineat. Quin æquum non eſſe,vt filii deterioris conditionis maneant poſt ingreſſum patris,ſaltẽ quoad legitimas eorũ portiones, quam ſi pater ſui iuris eſſet: ſi autẽ eſſet ſui iuris,ſane ante ſuam mortem ſe ſpoliaret multis bonis,vt filios ac filias matrimonio iungeret,prout eorum ſtatus poſtularet: quæ omnia locum non haberent, ſi fructus, dominium,& poſſeſsio legitimarum portionum filiorum pertinerent ad monaſterium toto tempore, quo pater viueret.

8 *Reſolu.* An vero vſusfructus,quem pater habebat in bonis filiorum aduẽtitiis, pertineat ad monaſterium toto tempore,quo pater vixerit,ſupra in calce diſputationis 9.oſtendimus pertinere, interim dum in hoc Luſitaniæ regno & in regno Caſtellæ filii non copulantur matrimonio. Et quamuis æquitas poſtularet,vt emiſſa patris profeſsione, filiis non minus pleno iure traderentur bona ipſorum aduentitia, quam legitimæ portiones,quæ illis debentur in bonis parentũ,quia tamẽ nõ ſunt iura, quæ illud primum innuant,vt ſunt iura,quæ innuunt hoc ſe cundum,recedendum non eſt ab opinione,quam eo loco cum Nauarro,qui vtrumque affirmat,& cum aliis ſecuti ſumus.

9 *Quæſtio.* Dubium eſt, an aſcendentibus debeatur ſua legitima portio,quãdo filius carens deſcendentibus profeſſus eſt in monaſterio cõparante ius ad bona talis religioſi,& diſcedit è vita ante aſcẽdentes. Quidam cũ gloſ.in authentica ſi qua mulier, aſſeruerunt, non deberi, ſed bona omnia talis religioſi pertinere ad monaſterium. Ducebantur,quoniam, quando defunctus habet deſcendentes,nulla portio debetur aſcendentibus: vt autem colligitur ex auth.de ſanctiſ. Epiſ.§.ſed & hoc,& ex c.in præſentia,de probationibus, monaſterium haberur loco filii. Etenim ibi ſtatuitur,quod quando aliquid relictũ fuerit alicui cũ grauamine, vt ſi ſine liberis receſſerit,illud reſtituat alicui alteri,tunc ſi is, cui cũ eo grauamine eſt id relictum,profiteatur in monaſterio comparante ius in bona ſuorum religioſorum,expiret talis ſubſtitutio ſeu fideicommiſſum bonaque illa pertineant ad monaſterium,quaſi monaſterium habendũ ſit loco filij. Excipitur, niſi grauatus eſſet, quod ſi ſine liberis diſcederet,illud reſtitueret alteri monaſterio,aut conſumeretur in alimẽtis egenorum, aut in redemptionem captiuorum: tunc enim per profeſsionem nõ expiraret fideicommiſſum illud, vt ex authentico citato eſt manifeſtum, Si vero, qui grauatus eſſet aliquid reſtituere,ſi ſine liberis diſcederet,profiteretur religionem, quæ non comparat ius in bona ſuorum religioſorum,continuo, emiſſa profeſsione, reſtituendum id eſſet ſubſtituto: quia neque,qui ita profitetur,eſt deinceps capax eorum bonorum,neque pertinent ad monaſterium, neque habere poteſt liberos,niſi ſpurios. Ita Couar. & alii,quos citat.c.2.de teſt.n.6.

Fundamentum aliorũ.

10 *Reſolutio.* Hoc tamen illorum fundamento non obſtante dicendum eſt cum Bartol. & Ioſone in authentica ſi qua mulier,Panorm.c.in præſentia de probationibus, nu. 53.Inno.Ioan.Andræa,Cyno,Nauarro c.non dicatis,num. 78.& aliis.deberi tunc aſcendentibus ſuas legitimas portiones,quas vellet nollet religioſus ille,obtinerent,ſi moraretur in ſeculo,cui iuri profeſsio & monaſterium non potuerunt præiudicare: audioque id ita vſu eſſe receptum in hoc Luſitaniæ regno.

11 *Ad aliorum fundamentum.* Ad fundamentum vero contrariæ opinionis dicendum eſt,monaſterium haberi loco filii ad effectus tantum iure expreſſos,de quorum numero nõ eſt,de quo eſt ſermo.

12 *Quæſtio.* Vtrum autem,quando pater habebat vſumfructum in bonis aduentitiis filij, illum amittat ſtatim ac filius profeſſus eſt in monaſterio ius comparante in bona talis profeſsi. Quidam aſſeruerunt,amittere illum,& vna num proprietate pertinere ad monaſterium: eo quod per profeſsionem deſinat eſſe ſub patria poteſtate,iuxta gloſ. communiter receptam in l.ſi ex cauſa §.Papinianus.ff.de minoribus,quam,præter Emmanuelem à Coſta,c.ſi pater,part.2.verb. teſtatore mortuo.num.11. ſequuntur multi quos Aries Pinel.l.1. part.1.n.46.C.de bonũ mater.refert. Quin Emmanuel à Coſta loco citato,quem refert ac ſequitur Couar. c.2.de teſt.nu.8.in poſtrema editione, aſſeuerat,etiã,per patris profeſsionem filium egredi patriam poteſtatem,hancque affirmat eſſe communiorem doctorum ſententiam,& vtrumque affirmat Nauar.c.nullam,n.47.

Ad oppoſitum fundamentum.

13 *Reſolut.* Hoc tamen fundamento non obſtante dicendum eſt cum Nauar.cap.non dicatis,nu.87.Greg.Lopez. ad l.5.tit.17 part.4.Aries Pinel.l.1.part.1.nu. 45. C. de bon.mater.& multis aliis quos citant,patrem per profeſsionem filii non amittere vſumfructum ante cã profeſsionem in bonis filii comparatum, ſed perſeuerare apud patrem vſque ad mortem patris naturalem,etiamſi filius præmoriatur: vt de vſufructu patris comparato antequam filius ordines ſuſciperet dicebamus diſputat.138.Ratio eſt, quoniam factum filii,tametſi laudabile, præiudicare non poteſt iuri patri iam antea acquiſito. In bonis tamen, quæ monaſterio ratione talis filij poſt profeſsionem aduenirent,non haberet pater vſumfructum. Tum quia regulariter talis profeſſus cum minimum habet primam tonſuram,gaudetque priuilegio fori: eaque de cauſa bona, quæ monaſterio ratione illius obueniunt,efficiuntur quaſi Caſtrenſia,iuxta authenticam Presbyteros 1.C.de Epiſcopis,& clericis. vt diſputatione 138.dictum eſt. Tum etiam quõniam per profeſsionẽ talis filius egreſſus eſt patriam poteſtatem. Idem ex hoc ſecundo fundamento dicerem de bonis,quæ filio in ſeculo aduenirent poſt patris profeſsionem,pertinere videlicet ad filium, & non ad monaſterium. Conſentit Nauar. capit. nullam, num.47.

14 *Ad aliorum fundam.* Ad fundamentum vero contrariæ opinionis dicendum eſt,filium per propriam,aut patris profeſsionem egredi patriam poteſtatem, non impedire vſumfructũ iam antea à patre in bonis illius comparatum,ſed ſolum impedire comparandum. Excipitur, quando filius ob crimen patris egreditur patriam poteſtatem, vt diſputatione 9. dictum eſt: in odium namque delinquentium ſtatutum eſt, vt vna cũ patria poteſtate,vſusfructus etiã amittatur.

15 Regulam ſupra ſtatutam, nempe, bona omnia, de qui-

Defendis religiosi.

de quibus religiosus ante professionem non dispofuerat, transire emissa professione ad monasterium quod ius comparat ad bona suorum religiosorum, intelligit Nauar. *cap. non dicatis num.* 87. cum Decio, & multis aliis, quos *Molina lib. 1. de primogen. c. 13. nu.* 76. *at que* 84. *& Caldas de nominat. emphyteu. q. 6. num.* 2. referunt ac sequuntur, etiam de feudo, quod qui profitetur habebat: modo francũ sit, hoc est, liberum à seruitio vel concessum fœminæ: vel cum onere talis seruitii, quod monasterium præstare possit, vel concessum cum facultate præstandi tale seruitium per alium: alioquin vero non transire. Iulius Clarus *lib. 4. sentent. §. feudum, q.* 87. affirmat, hanc esse communem opinionem, tametsi ipsi non placeat, sed dicat talem religiosum reputandum esse tanquam mortuum naturaliter, succedereque debere in feudo eum, qui in illius defectum iuxta feudi institutionem, vocatur: quod si nullus talis supersit, reuerti ad dominum directum. Retenta vero cõmuni opinione, ait intelligendam esse cum Baldo, cui nullus contradicit, quoad commoditatem tantum feudi, interim dum vita talis religiosi perseuerat. & consentit Molina *loco citato numer.* 79. Præterea intelligendam esse cum Speculatore, de feudis inferioribus, quæ non habent dignitatem annexã: secus autem de Regno, Ducatu, Marchionatu, aut Comitatu: hæc enim neque quoad commoditatem pertinerent ad monasteriũ emissa professione. Cõsentit ibidem Molina, cum aliis, quos refert, *nu.* 81. idq; cum Panormit. iuxta quædam iura, quæ citat, extendit ad oppida & castra iurisdictionem habentia. Idem ẽt esset, si feudũ in ipsius institutione haberet clausulam, per quam monasterium à commoditate excluderetur.

16 *Capella, & maioratus.*

Cum communi opinione, his modis intellecta & limitata consentit *Gam. decis. 6.* eamque intelligit, etiam in capellis, quas in hoc Regno vocant, & in maioratibus, quando non habent dignitatem aut iurisdictionem annexam. Lataque est sententia pro monasterio, vt frueretur commoditate cuiusdam capellæ toto tempore, quo monialis professa viueret, cui iure sanguinis post professionem emissam obuenit. Consentiunt Caldas & alii, quos *ibidem. n.* 13. *&* 14. refert.

17 *Emphyteusi religiosi.*

Eandem regulam intelligunt *Nauar. ibidem, Caldas n. 2. citato* tum alii, quos refert, *& Sylueſt. verbo religio. 6. n. 1. pronunciato secundo*, de emphyteusi, modo non sit Ecclesiastica. Obserua tamen emphyteusim, tam Ecclesiasticam quam secularem, transire quidem ad monasterium, sed cum hoc grauamine, vt monasterium (nisi dominus directus contrarium eligat) teneatur eam alienare à se, vel venditione, vel commutatione, vel quacumque alia ratione, transferreque in personam, quæ non sit magis priuilegiata, quam ea, quæ illam habebat: ne causa domini directi deterior reddatur. Personæ autem priuilegiatæ sunt milites, curiales, & Ecclesiastici. Multo autem deterior redderetur causa proprietarii, si emphyteusis transiret in religionẽ, quia periret spes quod vnquam solueretur laudemium: & quod dominium vtile regrederetur ad directum. Ita affirmat Iulius Clarus *lib. 4. sentent. §. emphyteusis q. 2. &* communis sententia, quam refert.

18 *Ius Lusitan.*

Quin de iure huius Lusitaniæ Regni *lib. 2. ord. tit. 8. in prin. &* §. 1. Neque Ecclesiæ, neq; monasteria emere possunt bona aliqua immobilia absque Regis facultate. Quod si vel successione vel donatione aliqua illis aduenient tenentur intra annum & diem ea alienare, nisi obtineant facultatem à rege, vt illa sibi retineant. Quod in feudo & emphyteusi locum habet, cum inter immobilia bona computentur. Id vero in hoc regno, & ordinarie in aliis, sancitum est, ne paulatim plus iusto accrescant, tum immobilia bona, tum etiam reditus Ecclesiarũ & monasteriorũ in laicorum detrimẽtum: præsertim cum plerique monasteria iure hæreditario quotidie loco suorũ religiosorũ succedant in bonis defunctorũ.

Non solum bona, quæ religiosus ante professionẽ habebat, cedũt modo explicato monasterio professione emissa, sed & quæ postea acquirit, siue illa per suas operas & industriã, siue per donationẽ, aut alium titulũ acquirat, *c. abbates. 18. q. 2.* Et quamuis ipse stari ipse nõ possit, potest tamen hæres instituti, atq; ab intestato succedere, etiam iure sanguinis, in capellis, feudis, & maioratibus, eo modo quo paulo antea dictũ est: vsq; adeo vt, neq; propter ingratitudinẽ in seculo aduersus parentes cõmissam, possit ab eis exhæredari, *l. vl. §. 1. iuncta Glos. ibi. C. de epiſc. & cler. & iuncto auth. de monachis, in prin.* & multo apertius *c. vl. 19. q. 3.* Hæc vero intelligẽda sunt, non quasi religiosus post professionẽ quicquam sibi acquirat, & postea illa transeant ad monasterium: est namq; incapax acquirẽdi sibi: sed quod ratione, nomineve professi, ea omnia monasterium immediate acquirat, *iuxta auth. ingreſſi. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Vnde professus adire nequit talem hæreditatem, sed monasteriũ etiam professo ignorante inuito, potest ac debet illã adire: eo quod, vt habetur *c. ſi religioſus, de elect. li. 6. & c. non dicatis 12. q. 1.* religiosus velle ac nolle nõ habeat. Ita *Cou. c. 1. de teſt. n. 21. Gam. decis. 308.* & alii quos citant, est q; cõmunis doctorũ sententia, quicquid de legistarũ opinione dicat *Iul. Cla. lib. 3. ſent. §. teſtamentum. q. 30.* Vt enim *Menchaca. lib. 3. de ſucceſſionũ creatione. §. 21. n. 250.* copiose referẽs vtramq; opinionẽ, recte cum multis aliis adnotauit: religiosus, vt monasterio acquirat, partim comparatur seruo & partim filiofamilias, prout monasterio fuerit vtilius. Comparatur quidem seruo, quatenus quemadmodum seruus domino acquirit, non solum vsum fructũ, sed etiam proprietatẽ rei, quam acquirit ita religiosus vsum fructum & proprietatem acquirit monasterio: cum tamen filiusfamilias solum acquirat patri vsum fructum. Cõparatur vero filiofamilias, quoad acquirendi modum: quia quemadmodum hæreditas filio delata, vel inuito & ignorante filio potest pater adire, *l. vl. in prin. C. de bonis quæ liberis*: ita monasterium, inuito & ignorante religioso, põt adire hæreditatem, & acceptare legatum, ad religiosum alioquin pertinentia: cum tamen hæreditas seruo delata, eo inuito, non acquiratur domino, *ex l. 3. C. de hæredib. inſt.* Multi autem ex iuris ciuilis interpretib. eo argumento ducti negarunt, monasterium sine religioso adire posse hæreditatem, quod religiosus seruo quoad acquisitionem comparetur. Ex dictis licet colligere, etiam defuncto religioso, posse monasterium adire hæreditatem tali religioso ante mortẽ delatam, ac proinde ad monasteriũ pertinere, vt affirmant Cou. & Menchaca locis citatis, & omnes qui censent, monasterium ignorante & inuito religioso posse adire hæreditatem tali religioso delatam, vt Iul. Clar. confitetur.

19 *A religioſo acquiſita poſt profeſſionem.*

Si aliquid testamẽto, aut donatione, alicui professo relinquatur sub cõditione, vt ad eũ, & nõ ad monasteriũ pertineat, ait *Bart. in auth. excipitur. C. de bonis quæ liberis*, exponẽdũ esse, vt cõmoditas sola & vsus pertineat ad talem religiosum, dominiũ vero ad monasteriũ: quia alioquin repugnãtia esset in tali legato, esset q; proinde nullũ, credendumq; est, testatorẽ solum intendere, vt vsus & cõmoditas ad religiosum pertineat. Quod si prælatus nõ cõsentirer, vt cõmoditas ad eum pertineret, cõtinuo legatum esset nullum pertineretq; ád hæredẽ, eo quod deesset conditio sub qua est relictũ. Cõsentit Panor. *c. Monachi, de ſtatu monach. n.* 8. sed addit, modo solum cõcedatur vsus rei illius ad aliquid pium: nõ vero vt pro libito religiosus ille ad quoscumq; vsus possit ea vti, & donare cui voluerit. Quin quicunque vsus, & quæcunq; alienatio religioso per suum prælatũ permissa intelligẽda est, modo nõ sit ad aliquod illicitũ: quoniam neq; aliud posset prælatus licitè cõcede-

20

cedere, neq; aliud præsumendum est voluisse concedere. Quare, si quid religiosus ob causam turpem donaret, recipiēs teneretur id restituere monasterio, cuius erat dominium rei illius, vt Syluest. *verb. relig. 6. q. 7. pronunciato. 2*, recte affirmat.

21 *Ex delicto religiosi monasterium nō tenetur.*

Monasterium ex delicto sui religiosi etiamsi ille prælatus sit, ad nihil tenetur, nisi quatenus ad monasterium inde aliquid peruenit, aut in illius vtilitatē est conuersum: quoniam delictum personæ in damnū Ecclesiæ non est conuertendum. *c. si Episcopum 16. q. 6. & regula delictum, quæ est 76. de reg. iuris, lib. 6.*

22 *Ex contractu religiosi quādiu teneatur.*

Item ex cōtractu religiosi non tenetur monasterium, nisi quatenus tacite vel expresse est illi cōmissa aliqua administratio, & nō amplius. Quod si ex facultate superioris sumptib. monasterii versetur aliquis in studiis in loco distanti, vel in aliquo alio negotio, obligaretur monasterium, ad ea, quæ ibi, prout B attēta qualitate personæ & negotii recta ratio postulat, cōtraheret: quoniā eo ipso, quod ad id mittitur, cēsetur illi cōcessa facultas celebrandi eiusmodi cōtractus. Ita cū Inn. Pan. *c. quanto, de offic. ord.* Aliis vero cōtractibus, quos religiosus vltra administrationē ac facultatē tacite vel expresse ipsi concessam iniret, licet in hoc sensu obligaret secū contrahentes monasterio, siue proprio, siue monasterij nomine illos celebraret, quod in potestate monasterii esset ratos illos habere: nō tamē obligaret monasterium quasi nō posset nō habere illos ratos. Ita *cum Inn. & aliis, Panor. vbi supra n. 2. Nauar. c. non dicatis, nu. 64.* & Doctores communiter. Lethale autē peccatū esse ex C suo genere religiosum siue tacita aut expressa facultate monasterii, ita contrahere cum aliquo, qui insciens esset, ipsum monasterio prædicto modo obligari, non vero monasterium ipsi nisi ex bona fide ac simplicitate religiosus à lethali culpa excusaretur.

23 *Quæstio.*

An vero ex eiusmodi cōtractibus, siue tacita vel expressa superioris facultate celebratis, contrahat religiosus, si non ciuilem obligationem, saltem naturalem, qua in conscientiæ foro teneatur: & vtrū, si fideiussor sit adhibitus pro religioso, saltem fideiussor contrahat obligationē ciuilem, cōparatione eius, cū quo religiosus ita cōtraxit. Panor. *cons. 104. par. 1.* censuit contrahere obligationem naturalem, forte ductus eo argumento, quod religiosus mācipio cōparetur: mancipiū autem, si sine domini facultate celebret contractū, licet ciuilem obligationem non contrahat, contrahit tamen naturalem, vt habetur *l. natur. diter ff. de conditione indeb.* eaque de causa, si aliquis fideiussor existat pro eo, tenetur, vt eadem lege subiungitur.

24

Contrarium vero affirmant *Hostiensis in summa, idem Panormitanus & Felinus, ca. ex rescripto, de iureiurand. & alii* nempe religiosum, neque naturaliter manere obligatum. Reddunt vero rationem diuersitatis inter seruum & religiosum: Quod religiosus, vt supra dictum est, nec velle, nec nolle habeat, ac proinde neq; naturaliter posit se plus obligare, quam iuxta prælati præscriptum & voluntatem, præsertim in iis, quæ præiudicio esse possent religioni, religioque statui, vt essent eiusmodi contractus. Præterea quia licet ius non afsistat mancipii obligationi, ei tamen non resistit: resistit vero obligationi religiosi vltra prælati præscriptum.

Nauar. *c. non dicatis, n. 74.* anceps est, nonnullaque argumenta conficit pro priori opinione. Tandem vero posteriorem cum priori conciliat, quod prior vera sit, antequam Prælatus irritum reddat contractum factum sine facultate. Posterior autem sit vera postquam Prælatus irritum reddidit contractū, ita vt ex tunc neque fideiussor pro religioso adhibitus teneatur.

25 *Resolutio.*

Potius distinguerem dupliciter. Primo, ex parte religiosi, quia si interuenit vera culpa ipsius Theologica iniustitiæ ita celebrando contractum, consurgit obligatio restituēdi solum damnum datum, & nihil amplius. Etenim si religiosus quippiam furetur, aut quatuis alia ratione det damnum iniuste, consurgit naturaliter obligatio illud restituendi, quam non impedit status religionis, tametsi impotentia restituendi in eo statu sæpe excuset à culpa exequendi eam obligationem: idemq; est in re proposita. Quare curare tenetur talis religiosus pro sua virili parte, quantum ipsius status patitur, id satisfacere, vt si aliquid obtinere posset, quod ex prælati facultate ipsius liberæ dispositioni relinqueretur, inde teneretur restituere. Si vero nulla culpa iniusti tię interuenit nullam omnino contrahit obligationem, quoniam contractus fuit ex natura rei nullus, quando prælatus nō vult illi stare: neque religiosus ille teneretur ex parte rei acceptæ, neq; ex parte iniustæ acceptionis: cum à culpa excusetur.

Secundo distinguerē ex parte fideiussoris. Quoniam vel fideiussor perebatur ad securitatem contractus, ea etiam ratione, quia pendebat ex voluntate Prælati, vt regulariter credendum est peti: & tunc dubium non est, consurgere obligationem ciuilem ex parte fideiussoris in euentu, quod prælatus stare non velit contractui: Vel solum petebatur in securitatem debiti, quod ex tali contractu resultabat: & tunc cum ex eo contractu nullū debitum, etiam naturale, resultauerit, nulla consurgit obligatio ex parte fideiussoris, neq; etiam pignoris, quasi maneat obligatum, si forte pignus datum fuit ad securitatem debiti aut contractus.

26 *Religiosus fugitiuus & apostata.*

Religiosus, etiamsi fugitiuus sit & apostata depositio religionis habitu, quicquid acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit: sicut seruus fugitiuus, quod acquirit, domino acquirit. Ita *Pan. ca. quod à te, de cler. coniug. nu. 7. & ca. vltim. de regularibus, Nauar. c. non dicatis. num. 65. Syluest. verb. relig. 4. quæst. 10. & Doctores communiter, & habetur capit. abbates. 18. quæst. 2.*

27 *Viuens ex legitima facultate extra claustrum.*

Idem dicēdum est de eo, qui ex licentia, vel summi Pontificis, vel alterius sui superioris, viuit extra claustrum, etiamsi simul habeat facultatem conuertendi in suos vsus, aut in alios pios, ea quæ opera sua & industria acquisierit. Quæ namque per mortem eius remanserint, cedunt monasterio, nisi facultatem peculiarem à summo Pontifice habeat de eis testandi, aliterve disponendi: reque ipsa iuxta eam disposuerit. Hæreditas vero delata, semper monasterio obuenire intelligitur, nisi in ipsa facultate óp positum exprimatur. Ita *Nau. ca. non dicatis, nu. 72. & 73.* idemque iudicatum est in hoc Lusitaniæ regno, vt ex *Gama decis. 308.* constat. Quin, quando à summo Pontifice concessa est alicui professo facultas per totum vitæ ipsius tempus degendi in seculo, eo ipso censetur illi concessa facultas administrandi bona, quæ sua industria acquisierit, de illisque disponendi etiam per donationes suo statui competentes. Non tamen concedere auderem tam amplam facultatem eis, & aliis degentibus in seculo, siue cū expressa, siue cum tacita facultate administrandi & conuertendi in suos vsus, quæ acquisierint, quā amplam eis Nauarrus concedit, nempe vt capellas de bonis ita acquisitis posint instituere. Etenim id neque homini seculari descendentes aut ascendentes habenti permitteretur, nisi id in hoc Lusitaniæ regno in tertio suorum bonorum assumeret. Idq; intelligerē etiāsi talis religiosus esset minor. Siquidē bona, quæ hi, vel donatione, vel propria industria acquisiuerint, ad monasterium pertinēt quoad vsum.

28 *Religiosus in alio monasterio reclusus.*

Quando religiosus in pœnitentiā recluditur in diuerso monasterio ab eo, in quo professionē emisit, bona, quæ primū monasterium ratione illius acquisierat, pertinent quoad vsum fructū in totā vitam talis religiosi, aut tempore quo ibi commorabitur, ad secundum monasterium, in alimenta trāsacto vero eo tēpore vsus fructus consolidatur cum proprietate, & pertinet ad primū monasterium. Ita

Pan.

Pan.c.quod à te, citato. Cou.c.1.de test.n.20. & alii quos citant, iuxta *c.siquis rapuerit, iunctis.gl.ibi 27.q.1.* & *Authenticum de sanctiss.episcop.in fine.*

39 *Religiosus profitens secundo in alio monasterio.*

Quando religiosus post emissam professionẽ in vno monasterio, emittit professionẽ in alio comparante similiter ius in bona suorũ religiosorum, distinguendum est. Quoniam vel illam licite, valideque emittit: vel non. In hoc posteriori eventu, omnia bona illius, etiã acquisita post secundam invalidam professionẽ, pertinent ad primũ: sibiq; imputet secundũ, quod illum ita receperit ac pauerit. Ita Sylu. & Pan. locis citatis, aliiq; doctores communiter. In priori vero licet Pan. & alij voluerint omnia illius bona, etiã quæ prius monasterium comparauerat pertinere ad secundum, dicendũ tamen procul dubio est cum *Sylu.verb.relig.4.qu.10. Prudo, & aliis* de quorum numero videtur esse Cou.*c.1.de test.* B *n.20.* & *21.* bona, quæ ante secundam professionem pertinent ad talem religiosum, esse prioris monasterij: quæ vero post secundam professionem comparauerit, etiam iure hæreditario pertinere ad secundum monasterium. Ita colligitur aperte *ex cap. statutum.18.q.1.* affirmatque glos. ibi. Licet enim hæreditas, nondum ante secundam professionem delata non pertineat ad primum monasterium, vt ibi habetur, atque adeo spes ad eam hæreditatem trãsecat ad secundum monasterium, vt ex eo textu colligitur & affirmat ibi glossa: inde tamen non recte colligit Panor. idem esse de bonis iam antea quæsitis priori monasterio: etenim spes non est ius cõparatum ad rem, sed est spes cõparandi ius per mortem eius, cui religiosus succedere debet. Hinc vult Cou. loco citato, cũ aliis quos refert, quod si relictũ erat legatum tali religioso cum conditione pendente in futurum, nondumq; impleta conditione profiteatur secundo, eiusmodi legatum non pertineat ad primum monasterium, sed ad secundum. At verò si promissio fit illi facta sub conditione, conditioq; implearur post secundam professionem, rem promissam pertinere ad primum monasterium, & non ad secundum: eo quod, licet in vltimis voluntatibus spes non transmittatur ad hæredes, in contractibus tamen transmittitur. Non tamen reperio duo iura, quæ Cou. ad hoc citat. Potiusq; dicerem, quod si mortuo testatore, qui legatum sub ea conditione reliquit, religiosus profiteatur secundo ante impletam conditionem, legatum pertinet ad primũ D monasterium: eo quod per mortem testatoris comparauerat iam ius ad rem: tametsi obtinendam dependenter ab impletione conditionis. Si vero viuo adhuc testatore emittat secundam professionem, legatum pertinet ad secundum monasterium: eo quod ante testatoris mortem non erat legatum cõfirmatum, quasi primũ monasterium comparasset ius ad rem dependenter à tali cõditione obtinendã.

40 Quando religiosus minor (idem erit in nostris professis ac coadiutoribus) profitetur de licentia Summi Pontificis, aut alias legitimè, in religione comparante ius ad bona suorum subditorum, vel assumitur ad Episcopatum, licet non recuperet bona iam alteri acquisita, quæ ad ipsum attinuissent, si non fuisset professus in nostra aut Diui Francisci religione, vel coadiutor, nihilominus bona, quæ deinceps, vel iure hæreditario, vel quacunque alia ratione ad ipsum attinebunt, pertinent ad secundum monasterium, vel ad ipsum quoad vsum & commoditatẽ interim dum fuerit Episcopus: post mortem vero pertinent ad Ecclesiam cuius erat Episcopus. Ita cum B. *vrso Sylu.verb.relig.4.q.10.* Ratio est quoniam eo ipso, quod constituitur in nouo statu, fortitur conditiones illius status.

Contra vero quando religiosus professus in re- 41 ligione, ius comparante ad bona suorum subditorum, legitime profitetur secundo in religione Minorum, sunt qui dicant, etiam bona, quæ post hanc secundam professionem ad eum spectant, pertine- A re ad prius monasterium, eo quod secundum non fit dominij capax. Potius tamen dicerem, quæ ad illum iure hæreditario pertinere deberent, spectare ad hæredes, ad quos pertinuissent, si talis religiosus mortuus esset naturaliter, iuxta ea quæ de ingredientibus religionem Diui Francisci dicta sunt supra: reliqua vero quæ eleemosynis, donatione, vel quauis alia ratione compararet, pertinere quoad commoditatem ad monasterium Diui Francisci, perinde ac cætera bona suorũ religiosorũ. Cum enim eo ipso, quod talis religiosus legitime profiteatur in religione Diui Francisci, definat omnino esse religiosus alterius monasterij, æquitas non postulat, vt aliud monasterium ius aliquod de nouo comparet ad quæcunque bona ratione huius religiosi.

De Electis à religione est maius dubium, ad quẽ 42 pertineant bona, quæ religiosus professus ita electus *Eitelli hic di-* comparauit. Distinguendum quo est. Quoniam vel *gione.* iniuste fuit electus, vel iuste ob sua facinora, aut qua perniciosus & scandalosus erat aliis. Porro in hoc eventu nulli potest esse dubium, licitum esse eiicere aliquem à religione: quandoquidem bonum commune præferendum est priuato illius religiosi, praxisque religiosorum id seruat, & habent regulæ D. Augustini, Benedicti, aliarumque religionum, & colligitur *ex c.vlt.de regularibus.*

Quando religiosus fuit iniuste electus, conueniunt Doctores, quæ acquirit acquirere monasterio. 43 Tum quia delictum prælati nocere non potest monasterio. Tum etiam quoniam monasterium compelli potest, & debet, vt recipiat religiosum iniuste C electum. & vt alimenta illi præstet, vel in eo, vel in alio monasterio.

Quando vero fuit iuste electus in primis, licet sim- 44 pliciter maneat religiosus, teneaturque seruare vota castitatis, obedientiæ, & paupertatis, prout status, in quo ponitur, id patitur, nullusque rei dominium possit proinde comparare: tacite tamen censentur ei concessa, tum vt sub religionis obedientia ac regula non viuat, tum etiam commoditas & vsus rerum, quas comparauerit.

Nauar.c.non dicam.n.65. & *c.nullam.n.46.* censet ita reincidere in obedientiam Episcopi, vt non so- 45 lum eo modo, quo alii clerici, sed etiam ex voto obedientiæ teneatur eo modo illi obedire, quo antea obedire tenebatur prælato monasterij. Eaq; de causa ait, statim ac de monasterio est electus, teneri præsentare se Episcopo, eiq; significare, se esse electum de monasterio, paratumq; esse illi obedire iuxta votum emissum, non secus ac prælato monasterij obedire tenebatur. Est tamen opinio contra praxim in Ecclesia receptam, & meo iudicio omnino improbabilis. Etenim religiosus ille non ad aliã obseruantiam ex voto tenetur, quam ad illam, ad quã sua sponte voto se astrinxit: sua autem professione non se astrinxit obedire extra religionẽ Episcopo, sed in religione prælato religionis: quo fit, vt eo ipso, quod per expulsionẽ á monasterio eximitur ab obedientia prælato religionis & obseruantiæ regu- E læ, non incidat in aliam obedientiæ obligationem Episcopo, quam in eam, qua clerici alii eiusdem episcoparus, illi obedire tenẽtur. Confirmatur, quoniam vt ipse Nauar. affirmat, non tenetur ingredi aliam religionem, etiam laxiorem, esto religio, à qua est expulsus, aut Summus Pontifex id illi concedat, quoniam id non vouit: ergo neq; tenetur aliter obedire Episcopo, quam cæteri clerici episcopatus: si quidem id etiam non vouit. Satis ergo erit, si conetur taliter viuere vt dignus sit, qui iterum admittatur, paratusq; sit in eadem religione prælato obedire, si sublatis impedimẽtis, iterum admittatur.

Quod ad votum paupertatis attinet, censet etiam 46 Nauar. dominium eorum, quæ religiosus ille acquisierit, pertinere ad episcopum, & non ad monasterium, à quo per iustam electionem est iam præsciscsus,

fus, & cuius non est iam religiosus, idemq; censent A quidam alij. Meo tamen iudicio dicendum est, dominium pertinere ad monasterium, si illius sit capax, & ea, quæ post illius mortem remanserint, pertinere quoad commoditatem & vsum ad monasterium vnde fuit electus. Ita affirmat *Goffred. à Pan. relatus cap. vnico de infantibus expositis.* Tametsi Pan. ibidem dubitet, ductusq; argumento, quo Nauar. fuit permotus, inclinet, pertinere potius ad Episcopum. Ratio, quæ me mouet, est. Quoniam monasterium per iustam electionem amittere nō debet ius, quod ad illius bona habebat. Et quoniam electus non est ita præcisus à monasterio, quin, si se dignum efficiat, teneatur monasterium eum recipere. Præterea quoniam, quæ *c. vnico de infantibus expositis* statuuntur, extendi non debent, ad euentum, de quo loquimur. Etenim illa statuuntur in pœnam ob delictum B parentum aut dominorum, idq; in bonum filiorum & seruorum, qui impie exponerentur, aut quibus languidis alimenta denegarentur: pœnæ autem extendi non debent extra culpas pro quibus statuuntur, neque in re, de qua loquimur, vlla interuenit culpa ex parte monasterij, neque item id cederet in commodum religiosi expulsi. Quando vero culpa interueniisset in electione, agereturq; de bonis electi iam defuncti, in primis: si solum ea culpa fuisset in prælato, aut etiam in minori parte capituli, delictū personæ nocere non deberet monasterio, vt supra dictum est. Deinde, esto fuisset à maiori parte capituli, atq; adeo à monasterio ipso, iustumq; iudicaretur, vt monasterium puniretur amissione commoditatis & vsus illorum bonorum, id sane locum non haberet ante latam sententiam.

37 *Assumptus in Episcopum.*

Quando professus aliquis in Episcopum assumitur, quæ post dignitatem Episcopalem acquisierit, etiam hæreditario iure, ad ipsum pertinent quoad vsum & administrationem: post mortem vero illius ad Ecclesiam, in qua est Episcopus: non vero ad monasterium, vnde fuit assumptus, vt habetur *cap. statutum. 18. q. 1. & cap. ne pro cuiuslibet. 16. quæst. 1. iuncta glos. in verb. sacrum.* Acquirit vero iure hæreditario, etiamsi ex ordine Minorum fuerit assumptus, vt supra dictum est.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus professus in societate testari non potest.*
2 *Eremitæ possunt testamentum condere.*
3 *Licet religioso professo non testato, si ante professionem testatus non fuerit, post professionem diuidere bona inter liberos portione relicta monasterio.*
4 *An in regno Castellæ religiosus professus, qui ante professionem de bonis non disposuit, possit post professionem conferre cui voluerit filiorum tertiam partem bonorum, & ex ea maioratum instituere.*
5 *Nauarri circa commodatarios opinio.*
6 *Quousque religiosi sint hodie in Hispaniis.*
7 *Nauarri sententia refellitur.*
8 *Respondetur ad motum Pij V.*
9 *An perfecte religiosis concedi possit facultas testandi.*
10 *Religiosorum quatuor genera.*
11 *Religiosis beneficiariis solet sæpe Summus Pontifex concedere facultatem testandi.*
12 *Simplicibus non dat Summus Pontifex facultatem testamentum condendi.*
13 *Aliis duobus religiosorum generibus concedi consuetit potestas testamentum faciendi de ijs, quorum administrationem in vita habebant.*
14 *Facultas testandi religioso concessa ad quæ, & quousque se extendat.*
15 *An testamentum factum virtute priuilegij testandi valeat, licet non exprimatur, testamentum esse conditum vi talis priuilegij.*

AN RELIGIOSVS POST PROFESsionem testari possit, & quid de commendatariis.

DISPVTAT IO 141.

REligiosus, si professus sit, aut in nostra societate coadiutor, testari non potest, etiam ad pias causas, *Auth. ingressi. C. de sacros. Eccles. cap. quia ingredientibus, & cap. si qua mulier. 19. q. 3. & 1. lib. Ordin. Lusitan. tit. 67. §. 20.* Ratio est, quæ *in auth. ingressi* innuitur. Quoniam cum nihil iam habeant, aut habere possint, testari non possunt. Tum etiam quoniam non sunt iam sui iuris, & neque velle habent, aut nolle, vt *Nauar. cap. non dicatis, num. 76.* ait. De ijs vero, qui post duos probationis annos in nostra societate tria B publica vota emiserunt, sed ad professionem, aut in coadiutores nondum sunt admissi, vtrum testari possint, dictum est *disp. 139.* 1

Eremitæ, qualis quondam fuit Paulus, testari 2
possunt: quoniam non sunt religiosi simpliciter votis religionis astricti. *Grat. post cap. prælatum. 19. q. 3.* sic ait. *Paulus primus Eremita in testamento colubrum* Eremita. *suum Athanasio Alexandrino Episcopo reliquit. Sed aliud, inquit, est de iis, qui in monasterium ingressi, se & sua tradiderunt: aliud de iis, qui solitariam vitam ducentes, se nulli Ecclesiæ tradiderunt. Illi semel tradita nulli tradere possunt: isti nulli oblata libere testari possunt.* Longe tamen aliter narrat hanc historiam Hieronymus in vita eiusdē Pauli, vt habetur *in Breuiario 5. & 6. lectione eiusdem festi, & vt in noua decretorum editione post verba illa Gratiani subiungitur.*

C *In auth. si qua mulier. C. de sacros. eccles. & in authen.* 3
nunc autem. C. de Episc. & cler. & habetur cap. si qua mulier. 19. quæst. 3. permissum nihilominus est religiosis professis, vt si ante professionem testati non fuerint, post professionem diuidere possint inter liberos, si eos habeant, bona sua, legitima eorum portione non diminuta, & relinquendo portionem quandam monasterio: sic enim ibi habetur. *Si qua mulier, aut vir, liberis non existentibus, monasticam vitam elegerit, & monasterium intrauerit, monasterio, quod intrauit, res eius competere iubemus. Sed si persona liberos habens, antequam de rebus suis inter eos disponat, monasterium intret, liceat ei postea inter eos diuidere, legitima nulli diminuta: & quod eis non dederit, monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter eos filios diuidere voluerit, sua persona filiis connumerata, partem sibi vendicet, quæ monasterio competere debet. Sed si post ingressum monasterij moriatur, antequam inter eos diuidat, filij legitimam percipient, reliqua substantia monasterio competente.*

Hinc in Regno Castellæ sequens oritur dubium. 4
Cum ibi parens, habens descendentes legitimos, *Quæstio.*
solum possit disponere ad libitum de quinto suorum bonorum, reliqua vero ad filios pertineant; eaque ratione, si parens religionem ingrediatur, solum obtenire possit monasterio quintum suorum bonorum, & nihilominus in eo regno parens tertium omnium bonorum, quæ inter liberos tenetur distribuere, possit conferre, cui voluerit, aut quibus voluerit liberorum: quin & instituere ex eo maioratum, vt *l. 27. Tauri* habetur. Cum, inquam, hæc ita sint, dubiū est, an religiosus professus, qui ante professionem de bonis non disposuit, possit post professionem conferre, cui voluerit filiorum, tertium illud, & instituere ex eo maioratum. Greg. Lopez *ad l. 17. tit. 1. p. 6.* negat: ductus ea ratione, quod id cederet in præiudicium monasterij, quod non obtineret tantam portionem, quantam iuxta verba authen. citatæ, obtinere deber. Id tamen nullam habet probabilitatem, quoniam siue de tertio illo eo pacto disponat, siue non, non plus potest monasterium habere, quam quintum bonorum, si de illo ante ingressum religiosus ille aliter non disposuit.

Resolutio. Quare dicendum est cum Molina 2. *de primog. c. 9. n. 55.* disponere posse, instituereq; illo modo maioratum quasi per vltimam voluntatem, ex permissione illius auth. vel quatenus vim canonis legisve Ecclesiasticæ hodie habet, cum habeatur *6. si qua mulier. 9. q. 3.* (tametsi Nauar. *c. non dicatis, n. 85.* dubitet, an id satis sit, vt vim habeat canonis; eo quod Gratianus, inserendo decretis authenticam illam, non potuit tribuere illi vim canonis) vel quatenus tacite est approbata per Summos Pontifices. Illud tamē cum Nauar. *ibid. & n. 77.* obseruandum est, extra euentum in ea authentica concessum: eoque modo, quo ibi concessum est, neq; inter liberos posse professum quicquam de suis bonis disponere: eo quod dominio & administratione eorum careat, neque habeat velle aut nolle.

5 *Nauarri circa commendatarios opinio.* Nauar. *c. non dicatis, n. 88. c. fin. 16. q. 1. in 3. q. n. 31. &* *in Apolog. q. 3. monito. 11. 12. &* 13. affirmat, commendatarios coniugatos, quales in regno Castellæ sunt D. Iacobi Calatrauæ & Alcantaræ, in Lusitano vero Christi, D. Iacobi, & de Auis etiam prout hodie viuunt & profitentur, non habere dominium rerum, etiam patrimonialium, aut quas sua industria acquirunt, sed pertinere ad militares religiones, quarū sunt commendatarij professi. Hinc vlcerius affirmat secluso priuilegio, licet inter liberos distribuere possint portionem legitimæ, quæ illos contingit, modo ea bona acquisita fuerint ante professionem, non tamen posse *iuxta authent. si qua mulier. C. de sacrof. Eccle.* distribuere inter liberos ea bona, quæ post professionem pertinere ad eos cœperint, ac proinde neque de illis posse instituere maioratum, aut testari. Ducitur eo argumento, quod sint vere religiosi, ac proinde pauperes nullius rei dominium habentes. Refert etiam *Motum proprium Pij V.* quo commendatariis omnibus aufert priuilegia testandi facultatesque concessas. Quare vult, eos hodie, etiamsi liberos habeāt, non aliter testari posse, neque alta bona eis posse relinquere, quam possint alij religiosi.

Nauarri fundamentum.

Motus proprius Pij V.

6 *Quæ sunt religiosi hodie sint in Hispania.* Est vero rigida admodum, improbabilisq; sententia, vt bene ait Molina *lib. 2. de primog. c. 9. n. 67.* Ita enim sunt religiosi, vt tamē perfecte & integre non sint tales: cum & castitatis votum quidam eorum omnino habeant dispensatum, nempe commendatarij Christi in hoc Lusitaniæ regno, qui neque coniugalem castitatem vouent, cæteri vero magna ex parte, eo, quod solam voueant castitatem coniugalem. Similiter paupertatem & obedientiam totamq; regulam ita habent dispensata, vt coniugatis degentibus in sæculo extra monasterij claustra, alentibusq; liberos, splendidamque, prout eos decet, familiam, accommodata sint. Contrariumq; eo ipso, quod hæc omnia illis permittuntur, esset omnino irrationabile moraliterq; seruatu impossibile. Neq; vero ita cum commendatarisi, qui hodie viuunt est in voto castitatis, & in cæteris dispensatum, quasi prius se astringant ad integram castitatem, paupertatem, & obedientiam, qualem, qui erant à principio institutionis eiusmodi ordinum, profitebātur, & per dispensationem liceant eis, quæ illis aliis tunc non licebant: sed quia concessum est eiusmodi ordinibus, non aliam castitatem, paupertatem & obedientiam in eis profiteri, quam consueta-m hodie ab eisdem seruari. Et quamuis, quoad obedientiam & paupertatem, formæ professionis nonnullorum horum ordinum aliquid plus præseferant, quam à multis annis seruetur, non plus tamen à superioribus hodie exigitur, quam quod seruari est consuetum: vsusq; & consuetudo tot annorum obtinuisse præscripsisseque videtur, vt non aliter illa obligent, promittive intelligantur, quam consuetudine à tot annis seruari consueuerunt. Præsertim cum multi eorum, aut fere omnes, nequaquam profiterentur, si ad aliam vitæ rationem, quam hodie seruari consuetam, tenerentur. Maxime illi, qui solum ob habitum honoris gratia, cum exigua admodum, aut nulla tenca, quam vocant, à rege soluenda, profitentur. Itaque hodie commendæ & habitus, præmia militum effecta sunt, cum admodum modico religionis onere. Atque vtinam defendentibus Ecclesiam, pro illorumque meritis conferrentur. Arbitrorque commendatarios, de quibus loquimur, dominium habere bonorum patrimonialium, nec non eorum, quæ sua industria acquirunt: quin & fructuum commendarum, eo ipso quod eos percipiunt, possessionemque eorum acquirunt: posseque de his omnibus non secus testare, instituereque maioratus, ac cæteros sæculares, vt priuilegiis, consuetudineq; antiqua, à multis annis facere consueuerunt. Confirmarique hoc potest in hoc Lusitaniæ Regno, quoniam à multis annis non gaudent priuilegio fori quoad hæc omnia bona, quasi dominium eorum ad ipsos, nō vero ad monasterium pertineat: eaque de causa respondere coguntur coram iudice sæculari, solumque in criminalibus, aut cum agitur de bonis commendæ, antequam fructus ab eo percipiantur, aut de bonis conuentus, seruatur eis priuilegium fori, respondentque coram proprio iudice ordinis.

Dominium habent bonorum, etiam commendæ.

Ad ea, quibus Nauarrus nititur, dicendum est, 7 esse quidem suo modo religiosos, sed non perfecte *Ad Nauar. fundamentum.* & integre, vt dictum est, habereque magna ex parte dispensatum (modo supra explicato) paupertatis votum, adeo vt dominij sint capaces, prout coniugatorum status, administrantium splendidam familiam, habentiumque vxores & filios postulat, contrariumque esse omnino irrationabile.

Ad motum proprium Pij V. dicendum est, non 8 esse intelligendum de his commendatariis coniu- *Ad motum proprium Pij V.* gatis, de quibus loquimur, qui prout postulat eorū status antiqua consuetudine dominium habēt suorum bonorum potestatemq; eo ipso testandi. Neq; forte Summus Pontifex auferre ab eis posset potestatem testandi de bonis patrimonialibus, & sua industria acquisitis: cum nunquam sua professione intenderint abdicare à se dominium horum bonorum, & transferre illud in monasterium, idve habeat vsus & consuetudo, neq; pro emolumento habitus, tenēæ, aut commendæ, id efficerent. Intelligendum itaq; erit, in commendatariis D. Ioannis, & in aliis aliorum regnorum, tam virorum quam mulierum de quibus constet, eos dominos non esse suorum bonorum, viq; suæ professionis testari non posse secluso priuilegio sedis Apostolicæ. Adde, receptum non esse vsque ad hanc diem eiusmodi motum proprium in Hispaniis, præsertim quoad commendatarios, de quibus loquimur: cum omnes absque vllo scrupulo testentur, vt antea testabantur.

Dubium est, an perfecte religiosis cōcedi posset 9 facultas testandi. Quicquid vero aliqui in contra- *Quæstio.* rium dixerint, dicendum est cum Nauar. *cap. non dicatis, num. 89. & in Apol. q. 3. monit. 11. Couar. c. 2. de test. num. 50. Molina cap. 9. citato n. 67. & aliis,* quos citant, proculdubio concedi posse, non solum valide, sed etiam licite, modo interueniat rationabilis aliqua causa. Nec ad id est opus, auferre prius à religioso, vel religionis statum, vel paupertatis votum: sed quemadmodum concedi illi potest administratio & vsus aliquarum rerum, illas consumendo ac etiam alienando, quin dominus illarum cōstituatur: sic concedi illi potest, vt illas ad pias causas, aut ad aliqua alia alienet per vltimam voluntatem: cum id nihil aliud sit, quam quasi prorogatio facultatis ad alienandum. Probat vero docte Nauarrus, nullum alium, à Summo Pontifice, concedere posse facultatem testandi.

10 *Religiosorum quatuor genera.* Ibidem, quod ad rem præsentem attinet, distinguit quatuor religiosorū genera. Quidā sunt beneficiarij.

ficiarij. Alij simplices religiosi, qui in conuentibus perfectæ communitatis viuunt. Alij qui beneficia non habent, nec tamen in perfecta communitate viuunt, sed de superiorum licentia, certam habent panis, vini, pecuniæ, aut aliarum rerum ad victum necessariarum quantitatem, ita quod si quid eis desit, id aliunde quærere debent: si vero aliquid eis supersit, id suis necessitatibus seruant. Alij denique sunt, qui de facultate Summi Pontificis, aut alia legitima, extra monasteria in sæculo degunt, aluntur-que bonis sua industria, labore, aut eleemosynis comparatis: & neque tribuunt quicquam monasteriis interim dum viuunt, neque à monasteriis quicquam recipiunt.

11 *Primi generis.* Religiosis primi generis solet sæpe Summus Pontifex concedere facultatem testandi: idq; cum modico, vel monasterij vel beneficij detrimento. Eo quod, quæ illi in vita poterant donare & consumere, tempore mortis relinquunt piis operibus. Quin inde monasterium commodum sæpe reportat: cum eiusmodi religiosi, intuitu privilegij, multa conseruent, de quibus tempore mortis disponant, quæ alioquin non reseruassent, sæpeq; eueniat, vt intestati discedant, eaque bona vel monasterio, vel beneficio obuenient.

12 *Secundi.* Religiosis secundi generis concedere non solet Summus Pontifex facultatem testandi: quia sicut in vita nullorum bonorum administrationem habebant, sic decet, vt neque in morte bona habeant, de quibus disponant. Quamuis, si aliquis vtilis admodum fuisset religioni, concedi illi aliquando posset aliquid, quod vel dum viueret pro libito honeste ac pie alienaret, ac consumeret, vel de quo ex facultate Summi Pontificis, similiter testaretur.

13 *Tertij & quarti.* Tertij & quarti generis religiosis concedi etiam consueuit facultas testandi de eis, quorum administrationem ac dispositionem liberam habebant in vita: quoniam eadem est ratio, quæ de religiosis primi generis reddita est.

14 *Facultas testandi ad quæ & quousque se extendit.* Facultas religioso ad testandum concessa, intelligenda est solum ad pias causas, quando aliud non exprimitur. Ita Molina *lib. 2. de primog. c. 9. num. 67. & c. 10. n. 30. & Nauar. in Apol. q. 3. monit. 6.*

15 Testamentum factum virtute privilegij testandi valet, etiam si non exprimatur testamentū esse conditum vi talis privilegij. Facultas testandi non expirat morte Summi Pontificis, qui illā concessit. Facultas testandi non finitur per primum testandi actum, quin potius, qui illam habet, condere & reuocare poterit testamentum, interim dum vixerit. Cui facultas testandi conceditur, eo ipso concessa censetur facultas donandi causa mortis, codicillumq; conficiendi. Hæc probant optime *Nauar. in Apol. q. 3. monit. 7. 8. 9. & 10. & Couar. c. cum in officiis de test. n. 8.* licet cū multis aliis, quos refert, secutus antea fuisset, testandi facultatem morte concedentis finiri, finiriq; per primum testandi actum: opinionem tamen eo loco mutat, consentitq; cum Nauarro. Si testamentum condatur à religioso ante obtentam testandi facultatem, superueniatq; facultas ante mortem testatoris, validum redditur testamentum. Ita cum Baldo, Nauar. *c. non dicatu, n. 89.*

SVMMARIVM.

1 *Bonorum clericorum multa genera vsque ad num. 3.*
4 *Bona clericorum cuius esse debeant.*
5 *Si Summus Pontifex sine legitima causa id, quod est vnius Ecclesiæ, tribuat alteri, ea Ecclesia, quæ id accipit, non tenetur restituere.*
6 *Refellitur contraria opinio.*
7 *Quæ à fidelibus conferuntur Ecclesiis, Dei intuitu, Deo conferuntur, vt cultus diuinus in eis magis splendeat.*
8 *Dispositio bonorum Ecclesiasticorum ad Prælatos, & præcipue ad Summum Pontificem spectat.*
9 *Non solum Prælati, sed nec communitas ipsa Ecclesiæ valet collata à fidelibus bona aliter, quam mens eorum fuerit, impendere.*
10 *Quisquis omnibus quæ habuit, dimissis, sit rei suæ contemptor, Præpositus Ecclesiæ factus, omnium quæ illa habet, sit dispensator.*
11 *Quando absque rationabili causa, quod est vnius Ecclesiæ, authoritate Summi Pontificis tribuitur alteri Ecclesiæ, non minus accipiens ac Pontifex tenetur restituere, quam si alicui sæculari esset collatum.*
12 *Redituum beneficiorum an beneficiarij sint domini.*
13 *Nascente Ecclesia quomodo clerici viuerent.*
14 *An tunc liceat clericis propria bona possidere.*
15 *Conuenit illos clericos Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum non suffragentur, cæteros non item.*
16 *Nullus clericus in particulari, aut Episcopus, dominus sunt redituum in sustentationem ministrorum Ecclesiæ deputatorum.*
17 *Simplicij Papæ tempore reditus Ecclesiarum in quatuor partes distribui cœperunt.*
18 *An hodie clerici beneficiarij comparent dominium reddituum suorum beneficiorum.*
19 *An statim ac distributio reddituum permissa est, in totam Ecclesiam introducta sit.*

DE VARIIS CLERICORVM BONIS, & quorum constet eos aut habere, aut non habere dominium, & de quibus sit controuersum.

DISPVTATIO 142.

COnsequenter explicandum est, quousque clerici, qui religiosi non sunt, testari queant. Nomine autem clericorum, eos etiam intelligimus, qui in minoribus sunt constituti, modo beneficium habeant Ecclesiasticum, aut post Concilium Tridentinum priuilegio fori gaudeant, iuxta ea, quæ *disput. 138.* dicta sunt. Prius vero hac, & quatuor sequentibus disputationibus, operæpretium est, vt id ostendamus, quarum rerum habeant, aut non habeant dominium, & num lethaliter peccent, aut restituere teneantur, si, vltra suam competentem sustentationem, quicquam eorum in vsus non pios insumant, & qualis nam sit competens cuiusq; sustentatio.

1 *Bona clericorum multiplicia.* Clericorum bona quædam sunt, quæ non ratione Ecclesiæ, ministeriue Ecclesiastici, sed aliunde ad eos spectant, nempe hæreditario iure, donatione, opificio, contractu, aut alia simili ratione, non secus ac si essent laici. Atq; horum bonorum nemo dubitat eos, perinde ac laicos, comparare verum dominium. Hæc omnia bona *Nauar. in Apol. q. 1. monit. 21* ac alibi communi nomine appellat bona patrimonialia clericorum.

2 Alia sunt, quæ comparant quidem ratione ministerij Ecclesiastici, non tamen tanquam fructus Ecclesiastici beneficij quod ad eos pertineat: nomine beneficij, præstimoniam & pensionem comprehendendo. Eiusmodi sunt, quæ acquirunt, organa pulsando, canendo, concionando, iudicem Ecclesiasticum agendo, missas celebrando, confessiones audiendo, funeralia officia, etiam quæ *trein tanarios* in Hispaniis vocant, ministrando, idq; etiamsi defuncti, aut illi, quorum confessiones audiunt, vel pro quibus missas celebrant, ipsorum sint parochiani, vt *Nauar. q. 1 citata, monit. 22. nu. 1.* recte ostendit. Item quæ acquirunt agendo capellanum, aut vicarium temporarium, quin & quæ à Sede Apostolica aliquibus Cardinalibus in subsidium expensarum conferuntur quotannis, quo se decentius sustentent,

tent, & quæ idem Summus Pontifex interdum in expensarum subsidium tribuit Episcopo, quem aliquo legat, vt *Nauar. monit.* 23. sequenti etiam ostendit, & his similia. Porro horum etiam bonorũ (quæ *Nauarrus monito. 21. citato* quasi patrimonialia appellat) nullus dubitat clericos comparare dominium.

3 *Bona propria Ecclesiæ.*

Alia sunt bona, quæ pertinent ad Ecclesias, vel hospitalia, aut alia pia loca, siue mobilia sint, siue immobilia, & siue immobilium fructus annexi sint beneficio, ad beneficiatumq; aut beneficiatos proinde pertineant, siue non, sed vel ad fabricam, vel ad infirmos curandos, vel ad aliquid aliud deputati sint horum bonorum, cum sola administratio ad clericos spectet, siue illi præsentati sint, siue alij beneficiati, aut quicunque alij clerici, facile constat dominium eorum ad ipsos non pertinere. Vnde *Symmachus capit. non licet Papæ 12. quæst. 2.* Neque Papæ licere ait alienare prædium Ecclesiæ, vtpote non suum. Quod, vt *Nauarr. de spoliat. cleric. §. 2.* recte ostendit, intelligendum est, absque rationabili causa.

4 *Nauarr. in Apol. quæst. 1. monito. 24. & sequentibus, post Maiorem in 4. d. 25. quæst. 16.* contendit, eiusmodi omnia bona esse solius Christi quoad dominium, non vero Ecclesiæ, cui sunt applicata. Potissimum ducitur, quoniam hæc, nec non beneficiorum bona *cap. cum secundum, de præbend. & c. cum ex eo de elect. lib. 6.* appellantur patrimonium Christi, & *cap. qui Christi, & cap. qui absolverit. 12. quæst. 2.* appellantur pecuniæ Christi, & Concilium Trident. *sess. 25. ca. 1. de reformatione*, cum Episcopis & beneficiariis agens, sic habet. *Omnino eos interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos, augere studeant: cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticæ, quæ Dei sunt, consanguineis donent*, &c. Ecce, quæ Dei sunt, dixit.

5 Hinc *in opusculo de spol. cleric. §. 3. num. 7.* infert Nauarr. si Summus Pontifex sine legitima causa id, quod est vnius Ecclesiæ, tribuat alteri, peccare quidem, eam tamen Ecclesiam, quæ id accipit restituere non teneri alteri, sed posse tuta conscientia id retinere. Idem dicit de monasterio aut alio pio loco, qui simili modo id acceperit. Rationem reddit, quoniam adhuc res illa manet in dominio Christi, vt antea erat. *At vero* inquit, *si Summus Pontifex sine legitima causa, quod est alicuius Ecclesiæ, tribuat loco: tenetur locus id restituere Ecclesiæ, cuius erat. Quoniam per talem donationem res auferetur de dominio Christi, Christo præsumpto inuito, ac proinde res est restituenda, reddendo illam Ecclesiæ, cui erat applicata.*

6 Quod ad primum horum attinet, vt tetigimus *disput. 29. conclus. 2.* dicendum est cum *Turrecremata 2. lib. summæ. cap. 113. propos. 6. & Caietan. 2. 2. quæst. 43. art. 8.* innuitque satis ibi D. Thom. item cum *Adrian. de restit.* quæ incipit, *præclarioris intelligentiæ, conclus. 4.* & cum aliis, dominium eiusmodi bonorum esse penes Ecclesiam particularem, cuius sunt, vt penes Ecclesiam Eborensem, Toletanam, Romanam &c. nomine Ecclesiæ, communitatem ipsam intelligendo cum suo capite, aut subordinatis capitibus. Quatenus autem vnaquæque Ecclesiarum particularium pars est vniuersalis Ecclesiæ, dominium bonorum omnium Ecclesiarum particularium esse penes Ecclesiam vniuersalem, cuius Summus Pontifex est caput vniuersale.

7 Sunt vero nonnulla obseruanda. Primum est. Quod cum, quæ à fidelibus collata sunt Ecclesiis, Dei intuitu, in illiusq; obsequium sint illis collata, vt diuinus cultus in eis exerceatur ac splendeat, sacramenta ministrentur, verbum vitæ doceatur, fideles in vitam æternam gubernentur, ministri ad hæc omnia necessarij decenter sustententur, præmiisque dignis afficiantur, ac si quid superfit, pauperibus erogetur, in aliisq; operibus piis ad Dei obsequium bonumq; Ecclesiæ insumatur: Cum item Christus, qua homo, supremum caput sit & sponsus vniuersalis Ecclesiæ, atq; adeo particularium, ex quibus illa coalescit, in illiusq; obsequium, eiusque intuitu hæc omnia etiam fiant: inde est, quod ea, quæ Ecclesiis ad hæc omnia quasi in dotem à fidelibus collata sunt, & quorum vere facta est domina, hominibus particularibus priuatum dominium à se abdicantibus, in eamq; illud transferentibus, dicantur suo modo esse bona Dei, illius videlicet cultui & honori dicata, & Christi, qua hominis patrimoniũ, tanquam Ecclesiæ sponsi ac supremi capitis, in cuius quoque cultum & obsequium sunt etiam Ecclesiæ collata. Adde, quod, vt Adrianus loco citato ait, *quæ Ecclesiæ, Christi intuitu, collata sunt, Christo sunt collata, sed in suis membris, aut in suo mystico corpore, eodemque modo facta sunt Christi, iuxta illud. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: & illud Christi ad Paulum, Quid me persequeris, in membris videlicet meis.*

Secundum est, quod cum, vt disp. 21. & sequentibus ostensum est, potestas in Ecclesiam, & in omnia quæ ad illã spectant, iure diuino resideat in prælatis, ac supreme, tanquam in capite totius Ecclesiæ vniuersalis, à quo cæteri pendent, in Summo Pontifice, atque ab illis in alios deriuetur: inde proficiscitur, quod alienatio & dispositio bonorum Ecclesiasticorũ eo ipso, quod Ecclesiæ bona facta sunt, non ad alios, quã ad Prælatos, præcipueq; ad Summũ Pontificẽ, tanquã ad ministros & dispensatores eorum bonorum, spectet, aut ad eos, ad quos, ex horũ statuto & præordinatione, administratio deriuata est.

Tertium est, quod cum hæc bona in fines explicatos Ecclesiis sint collata, idque vel propria fidelium sponte, vel Ecclesiæ præcepto accedente, quæ non in alios fines potuit fideles ad id erogandum obligare: inde efficitur, quod non solum prælati, ad quos iure diuino spectat eorum administratio ac dispensatio, quiq; dominium eorum non habent, sed neque communitas ipsa tota Ecclesiæ, esto ad illam dispensatio eorum pertineret, posset aliter, quam in prædictos fines ea impendere. Est namque latum discrimen inter bona communitatis, quæ vel ipsa sibiipsi in commune reseruauit, vel acquisiuit propria industria, vel contribui à suis partibus fecit, vt essent in commune, & inter bona, quæ communitati ab aliquo, etiamsi ille pars sit illius, ad finẽ alicui quem, aliquid ve certum ac determinatum tributa sunt, vel autoritate superioris alicuius ad totã communitatem, iussum est partibus contribui communitati ad certum quippiam determinatum. In primo namq; euentu, cum Respublica ipsa non solum sit domina eorum bonorum, sed etiam eorum sit autor, neq; à quoquam grauamen aliquod habeat impositũ, vt vno vel altero modo illa insumat, poterit pro libito de illis disponere ad quæcunq; voluerit, quin & iactare ea bona in mare poterit, quin vitio alio peccet, quam prodigalitatis. In posteriori vero eũtu, cum alterius autoritate ad certum aliquid ac determinatum constituta sit domina eorum bonorum, non ad aliud potest ea insumere, quam ad id, ad quod ei tributa sunt. Quare cum in re proposita, bona, de quibus loquimur, Ecclesiis sint collata, vel à priuatis propria sponte ac liberalitate ad ea, quæ explicata sunt, vel contribuentibus decimas accedente præcepto lato autoritate Dei, administratio q; ac dispensatio eorum, postquam facta sunt Ecclesiæ, non ad Ecclesias ipsas, sed ad prælatos, præcipueq; ad Summum Pontificem spectet: consequens est, vt solum ad Ecclesiæ vtilitatem, cultumq; atq; honorẽ Dei, & salutem animarum possint licite expendi.

His obseruatis, quod dominium eiusmodi bonorum ad Ecclesiã modo explicato pertineat, præterquam quod vel ex eo est, manifestum: quod Ecclesiæ à fidelibus donantur, tametsi Christi ac Dei intui-

intuitu, in ipsius cultum & obsequium, Ecclesiaq; est quæ eiusmodi donis dotari dicitur: probari potest *ex cap. expedit. 12. quæst. 1.* vbi Prosper ait. *Expedit facultates Ecclesiæ possidere, & proprias perfectionu amore contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facultates: & ideo quisquis, omnibus, quæ habuit, dimissis aut venditis, sit rei suæ contemptor, cum præpositus fuerit factus Ecclesiæ, omnium, quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator.* Adhibetque exemplum in beatis Paulino & Hilario, qui cum sua pauperibus distribuere possent, Ecclesiæ bona augere curarunt. Et de Paulino subdit. *Quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profecto communes, possideri.* Ecce facultates Ecclesiæ, quarum prælatus est dispensator, bis dixit, esse communes Ecclesiæ facultates, sane quoad dominium ac proprietatem: easque dixit habere Ecclesiam, & dispensari à prælato. Et Glos. *ibi in verbo, communa*, recensitis aliis opinionibus, in hanc nostram inclinat. Consonat etiam *c. causa, de verbor signif.* dum affirmat, primitias, decimas, & oblationes in solis Ecclesiarum bonis præcipue numerari. Ecclesiarum bona dixit. Consentiunt etiam *c. qui Christi. & c. qui abstulerit. 12. q. 2.* vbi eiusmodi bona, pecuniæ & bona dicuntur, tum Dei ac Christi, modo supra explicato, tum etiam Ecclesiæ, quoad dominium scilicet. Deinde probatur, quia non minus eiusmodi bona pertinent ad dominium communita um Ecclesiarum, quã bona conuentuum religiosorum ad dominium eorum in commune pertineãt: quandoquidem hæc etiam Ecclesiastica bona sunt intuitu Dei in ipsius cultum, & obsequiũ religiosis concessa: sed dominium horum pertinet ad religiosos, vt Nauarrus ipse sæpe affirmat, & habetur expresse *cap. quoniam. 16. q. 1.* vbi de bonis Ecclesiarum nempe de decimis & oblationibus, dicitur, liberum esse Episcopis ea concedere Monachis Deum timentibus & colentibus, & in dominium illorum & vsum transferri: ergo dominium bonorum Ecclesiarum ad earum communitatem pertinet. Iura, quibus Nauarrus nititur, explicatum est, in quo sensu appellent eiusmodi bona patrimonium Christi, & bona Dei, atque pecunias Christi.

11 Quod ad secundum attinet, dicendum est. Quando absque rationabili causa, quod est vnius Ecclesiæ aut pij loci, authoritate Summi Pontificis tribueretur alteri Ecclesiæ aut pio loco, non minus teneri accipientem, ac Summum ipsum Pontificem in accipientis defectum illud restituere Ecclesiæ, aut pio loco à quo ablatum est, quam si alicui seculari esset collatum. Ostensum quippe est, dominium rei illius persinere ad Ecclesiam aut pium locum, à quo ablatum est: contra iustitiam autem est, quam restituendi onus comitatur, dispensatorem, absque rationabili causa, spoliare communitatem aliquam dominio rei, quam possidet. Præterea, esto gratis daremus, dominium rei illius ad Christum, & non ad Ecclesiam illam, aut pium locum pertinere: negari tamen nõ posset, vsum fructum, aut certe commoditatem rei illius, ad eam Ecclesiam, aut pium locum pertinere, adeo vt contra iustitiam peccaret, restituereque teneretur quicunque alius, qui ab ea Ecclesia rem illam, ea inuita, acciperet, esto traderet eam alteri Ecclesiæ, aut in aliis piis operibus pro suo libito rem illam insumeret: sed Summus Pontifex non habet potestatem auferendi, absque rationabili causa, eam commoditatem ab Ecclesia, & conferendi illam Ecclesiæ alteri, vt Nauarr. confitetur: ergo non solum peccat contra charitatem, sed etiam contra iustitiam damnum illud Ecclesiæ illi inferendo, ac proinde tenetur illud ei restituere.

12 *Redituum beneficiorũ* Alia sunt clericorum bona, quæ sunt reditus beneficij Ecclesiastici. Atque de his est controuersia,

A vtrum hodie clerici obtinentes beneficia, quorum illa sunt reditus, comparent eorum bonorum dominium eo ipso, quod in ipsorum potestatem deueniunt: an vero solum sint eorum administri ac dispensatores cum facultate sumendi de illis competentem sustentationem, & cum onere insumendi reliqua in operibus piis. *an beneficiarij sint domini.*

Dixi hodie, quoniam distinguenda sunt varia tempora, quæ in discursu Christianæ Ecclesiæ fuerunt. A principio namq; nascentis Ecclesiæ, clerici ordinarie in communi viuebant, quin & paupertatis votum emittere solebant: facultates vero cuiusque Ecclesiæ in communi asseruabantur, per idoneosq; ministros ad id deputatos administrabantur. Ad Episcopos autem, accedente scientia & consilio aliquorum clericorum, spectabat earum dispensatio, in Ecclesiarum fabricis, in suumque vsum & aliorum clericorum, tantum insumendo, quantum cuique erat necessarium: reliquas vero pauperibus erogando, captiuosque ex illis redimendo, atque alia pietatis opera, prout recta ratio temporumq; circumstantiæ postulabant, exercendo. Hæc omnia patent *ex cap. 2. & sequentibus. 12. quæst. 1.* nec non ex multis aliis capitibus quæstionum in eadem causa sequentium. Et licet à principio fideles prædia sua vendere solerent, pretiumque Ecclesiis ad prædicta offerre, vt ex actibus Apostolorum constat: postea tamen (vt Vrbanus *cap. videntes, 12. quæst. 1.* ait) attendentes longe plures in præsenti & futuro ex reditibus prædiorum posse ali, prædia ipsa Ecclesiis obtulerunt, quæ præcipue fidelium oblationes dicebantur. Atque ex his, primitiisque, ac decimis (à tempore quo solui cœperunt, & in locis in quibus soluebantur) fiebant prædicti omnes sumptus. 13 *Varij status horum bonorum.*

Non immerito dixi, clericos illis temporibus ordinarie vixisse in communi, solitosque fuisse emittere paupertatis votum. Quoniam aliquibus permittebatur propria possidere, modo vel illis essent contenti, & quæ communia erant Ecclesiæ, sumptibus aliorum relinquerent, vel tantum de reditibus communibus Ecclesiæ eis suppeditaretur, quantum vltra suos proprios reditus ad decentem sustentationem indigerent. Quod si, qui proprium habere permittebantur, administrationem aliquorum bonorum communium Ecclesiæ haberent, iubebantur manifesta habere, quæ bona essent Ecclesiæ, & quæ sua: & de suis fas illis erat testari. Hæc constant *ex cap. sint manifesta, & ex cap. ex his* (quæ desumpta sunt ex 40. & 41. canonibus Apostolorum) *12. quæst. 1. ex cap. Episcopi, cap. Episcopus, cap. illi, & capit. si priuatum, eadem causa, & quæst. & ex August. cap. Nolo, & cap. certe, eadem causa, & quæst.* Cum enim Augustinus prius statuisset neminem ordinare, nisi qui in communi vita viuere vellet, votumque paupertatis emitteret, cernens mala, quæ inde sequebantur, mutauit sententiam, ac dixit. *Certe ego sum, qui constitueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere: aut si vellet recedere à proposito, recte illi tollerem clericatum* (eum videlicet suspendendo) *quia desereret sanctæ societatis promissum, captumque consortium. Ecce, in conspectu Dei & vestro, muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia sua, maneant vbi volunt & vbi possunt: non eis auffero clericatum: nolo habere hypocritam.* Et paucis interiectis, *nolo vt habeat necessitatem simulandi: scio quo modo homines ament clericatum: nemini eum tollo nolenti mecum communiter viuere.* 14

Quicquid autem exponat Glos. vlt. sane de eisdem temporibus & iuxta iura citata, præsertim iuxta *cap. ex his, & cap. Episcopus*, loquitur Hieron. dum *cap. vlt. 16. q. 1. ad Damasum* ait. *Clericos illos canuenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragatur. Qui autem bonis parentum, &* 15

opibus sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt: & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt. Obserua tamen, epistolam illam ad Damasum non reperiri hodie inter opera Hieron.

16 Quod si sermo sit de temporibus illis, in quibus canones citati, ac alij similes sunt conditi. Liquido constat, nullum clericum in particulari, siue ille Episcopus esset, siue parochus, aut quodnis aliud munus in Ecclesia haberet, dominum fuisse quorumuis reddituum, decimarum aut oblationum, in sustentationem ministrorum Ecclesiæ deputatorum: eo namque tempore, ea omnia bona erant illis communia, solaque administratio ac dispensatio pertinebat ad Episcopum & ministros ad id deputatos.

17 Tempore Simplicij, qui anno 471. Ecclesiæ præfuit, vt ex prima ipsius decretali Epistola constat, & habetur *cap. de reditibus. 12. quæst. 2.* reditus Ecclesiarum in quatuor partes distribui cœperunt. Vna erat Pontificis. Altera inter clericos, pro meritorum qualitate, distribuebatur. Tertia inter pauperes. Quarta vero Ecclesiarum fabricis deputabatur. Ita habetur *cap. vobis enim, & septem capitibus sequentibus. 12. quæst. 2.* quinque priores sunt Gelasij primi, qui tertius à Simplicio, anno 494. rexit Ecclesiam, sextus Simplicij, septimus vero & octauus Gregorij primi, seu Magni. In *Concilio Toletano 4. anno 681. celebrato, cap. 32.* & refertur *cap. 16. §. 1.* statuitur, vt Episcopi, iuxta priorum authoritatem conciliorum, tam de oblationibus, quam de decimis, tributis, ac frugibus, solum accipiant tertiam partem. In Concilio Aurelianensi *cap. antiquos. 10. §. 1.* dicitur, *Antiquos canones relegentes, priora statuta credimus renouanda, vt de iis, quæ in aliari oblatione fidelium conferuntur, mediet as sibi Episcopus vendicet, & mediet atem sibi, dispensandam secundum gradus, clerus accipiat, tam de propriis prædiis, quam de omni commoditate in Episcoporum potestatem deuentibus.* Hanc diuersitatem conciliant *Gratianus §. sed illud Toletani, 16. quæst. 1. & Gloss. cap. constituimus, citato*, vt pro locorum diuersitate ac consuetudine habeant locum. Glossa tamen citata addit, *vel pro temporum varietate.* Paulatim autem temporibus procedentibus, variis statutis, consuetudinibusque diuersis pro temporum & locorum varietate subintroductis, eo tandem modo bona Ecclesiæ distributa, sacerdotiisque sunt applicata, quo hodie distributa & applicata conspiciuntur.

18 Hac ergo distributione & applicatione facta beneficiis Ecclesiasticis, quæritur, an hodie clerici beneficia obtinentes, comparent dominium reditum suorum beneficiorum eo ipso, quod tales reditus in eorum potestatem deueniunt, an non: sed solum sint administratores ac dispensatores eorum cum facultate inde assumendi, quæ necessaria sunt ad suam congruam sustentationem, & onere insumendi cætera in operibus piis.

19 Illud tamen est obseruandum, non statim, ac distributio illa in quatuor partes permissa est, introductam fuisse in totam Ecclesiam, sed paulatim: longoq; postea tempore clericos multis in locis vixisse in communitate. Vnde *Gregorius in Epistola ad Augustinum Cantuariensem Episcopum, in responsione ad 1. & 2. Augustini interpretationes, & habentur capit. quia mos. 12. quæst. 2. & cap. quia tua. 12. quæst. 1.* licet eum admonuerit de prædicta diuisione reditum Ecclesiasticorum in quatuor partes consueta in Ecclesia, eidem tamen præcipit, vt propterea quod Angli tunc conuersi erant ad fidem, Ecclesiã suam institueret more primitiuæ Ecclesiæ, ita vt clerici cum Episcopo in communi viuerent. Addit tamen, constituros in minoribus ordinibus permittendos esse ducere vxores, si velint, eisque portiones esse A assignandas, de quibus extra communitatem cum vxoribus viuant, suaque ministeria cantorum, aut alia in Ecclesia debere exercere.

SVMMARIVM.

1 *Clerici non comparant dominium fructuum suorum beneficiorum, sed solum sunt dispensatores eorum.*

2 *Quidquid clerici vltra suam competentem sustentationem de suis beneficiis accipiunt, ad pauperes pertinent.*

3 *Beneficiarij qui religiosi non sunt, dominium comparant redituum beneficiorum.*

4 *Ecclesiastici attenta fragilitate humana, iam reditibus suis contenti non sunt.*

5 *Nulli reperiuntur, qui ad eam perfectionem se astringere vellent, vt ea lege Ecclesiastica munera suscipiant, vt in communi viuentes contenti sint moderata sustentatione.*

6 *Oblationes à fidelibus Ecclesiæ pro sua deuotione tributa, Summi Pontificis dispositioni subiacent.*

7 *Authoris sententia probatur variis rationibus vsque ad num. 10.*

10 *Refellitur contraria sententia.*

AN CLERICI HODIE DOMINIVM comparent redituum suorum beneficiorum.

DISPVTATIO 143.

M*Aior in 4. dist. 24 quæst. 16. & 17. & Nauarr. ad cap. vlt. 16. quæst. 1. & in Apolog. monito. 24. 27.* & alij, asseuerant, clericos non comparare dominium fructuum suorum beneficiorum, sed esse solum dispensatores eorum, modo præcedente disputatione explicato. Obserua tamen, vtrumque loqui promiscue, etiam de bonis tertij generis dispu ationc præcedente explicatis: cum tamen certum sit, beneficiarios solum esse illorum dispensatores, vt ibidem ostensum est: & de eisdem bonis loquitur D. *Thomas. 2. 2. q. 43. art. 8.* quare non est, quod pro Maioris & Nauarri sententia quoad beneficiorum reditus, illo in loco citetur. Hæc eadem sententia videtur fuisse communis fere omnium, qui asseuerunt, beneficiarios restituere teneri, si quid eorum fructuum, vltra competentem suam sustentationem, in profanos vsus insumant, quos disputatione sequenti referemus. Dixi, *fere omnium:* quoniam licet multi illorum affirment, eos non habere proprietatem eorum bonorum, & ex cæteris quidam eo videantur innixi fundamento, vt onus restituendi illis imponerent, non tamen constat omnes, eodem fundamento ductos id onus illis imposuisse.

1 *Partem vi. ganum qui sequuntur.*

Potissima ratio huius sententiæ est, quod canones, disputatione præcedente citati, id apertissime doceant. Vnde Hier. & alij Patres, pauperum esse docent, quicquid clerici vltra suam competentem sustentationem, de his bonis accipiunt, & sacrilegium committere, iudicium q; sibi per eorum abusionem manducare & bibere, vt habetur *cap. vlt. 16. qu. 1.*

2 *Eorum fundamentum.*

Contraria tamen sententia, nempe post diuisionem illam bonorum Ecclesiasticorum in quatuor partes, disputatione præcedente commemoratam, institutionemque beneficiorum cum portione reddituum cuique deputata, vnumquemq; beneficiarium, qui religiosus non sit, dominium comparare reddituum sui beneficij, est nobis amplectẽda: quam affirmant *Sotus 10. de iust. q. 4. art. 3. Driedo, lib. 2. de libert. Christian. cap. 4. Conar. cap. cum in officiis, de testam. num. 3. Ledesmius 2. quarti. q. 18. art. 5. dubio vlt. Adrian. de restitut. qua incipit, pro clariori intelligentia dictorum*

3 *Beneficiarij qui religiosi non sunt, dominium comparant redituum beneficiorum.*

dictorum, D. *Thom. & Caiet. 2. 2. qu. 195. artic. 7. idem* D. *Thom. quodl. 6. artic. 12. & alii.* quos disputatione sequenti affirmare referemus; beneficiarium consumentem superflue ac male fructus sui beneficii, peccare quidem leuiter, non tamen teneri ad restitutionem: quod sane vere dicere nō possent, si domini non essent eorum fructuū, sed solū dispēsatores.

4 In huius sententiæ probationem pono. Quamuis perfectius esset, singulos Ecclesiasticos contentos esse moderata sustentatione, neque plus ad eam sumere de reditibus Ecclesiæ, quam quatenus eis nō sufficerent alii ipsorū proprii, vt vsque ad Simplicii tempora ordinarie videtur fuisse seruatum in Ecclesia; attamen attenta fragilitate humana, multiplicatisque tot sacerdotibus, & aliis ministris Ecclesiæ, quot progressu tēporis multiplicari fuit necesse, tepereque incipiente caritate, difficile admodum, aut ne difficile quidē seruari id potuisse. Neque arbitrandum est, vsque ad ea tempora absque maximis difficultatibus; multorumq; ruina in grauissima mala & peccata fuisse id seruatum, vt canones, ad eis magis obuiandum conditi, testantur: id quod sanctissimos Pontifices impulit, vt diuisiones illas reditnum Ecclesiasticorum introducere inciperent, variaque beneficia Ecclesiastica instituere cœperint, deputata eorum cuique ex eisdem reditibus certa portione.

5 Pono deinde eo ipso, quod homines non inuenirentur, qui ad eam perfectionē se astringere vellent, vt ea lege Ecclesiastica munera susciperent, vt in communi viuentes contenti essent moderata sustentatione, quin neque ea, vt viuentes priuate, fuique iuris effecti, solum id eis de reditibus Ecclesiæ suppeditaretur, quo, vltra suos proprios, ad moderatam cum propria familia in priuata vita sustentationem, indigerent, sed exigerent eam integram, qualem gradus & ministerium Ecclesiasticum postularet, & insuper si quid præmii pro ratione studiorum, sumptuum & laborum, quibus ad eum gradū digne & fructuose peruenitur, & pro ratione ipsius ministerii æquitas aliquando postularet: tunc cum nullus cogi possit ad sacros ordines suscipiēdos, eaque munera obeunda, profecto eo ipso, quod ea lege æqua inuitaretur, id totum illis de iustitia deberetur; non quidem in pretium pro sacramentis & aliis spiritualibus, quæ ministrarent, sed in præmium ac retributionem iustam pro labore, sumptibus, & molestia, quia dignus est operarius mercede sua, is que qui altari seruit, de altari viuere debet, iuxta Christi & Pauli doctrinam. Summus autem Pontifex in eo euentu, pro plenitudine potestatis, qua in finem supernaturalem congruumq; Ecclesiæ regimen habet, cogere posset fideles laicos, vt id totum in congruam ministrorum Ecclesiæ sustētationem ac præmium contribuerent.

6 Tertio pono, oblationes & decimas, & quicquid aliud fideles, in fines, disputatione præcedente explicatos Ecclesiæ pro sua deuotione tribuerūt, dispositioni summi Pontificis subiacere, vt ex illis, quā partem expedire iudicauerit, ministris Ecclesiæ applicet, non solum in congruam sustentationē, qualem splendori Ecclesiæ, clericorum honori, ac laicorum vtilitati conuenire iudicauerit, sed etiam in præmium, quo ad literarum studia, sumptus & labores eorum alliciantur, & in retributionem pro vtilitate, quam suis ministeriis Ecclesiæ attulerint: eaque de causa posse instituere varia beneficia Ecclesiastica, applicata cuiq; eorum certa portione reditnum Ecclesiasticorum, quæ sit ministri Ecclesiastici in sustentationem ac præmium illius.

7 His positis, probatur nostra sententia. Primo, quoniam distributio illa reditnum Ecclesiasticorum in quatuor illas partes, & rursus temporis progressu distributio in varia beneficia Ecclesiastica partis illius, quæ inter clericos pro meritorum qualitate erat diuidenda, sane nihil aliud fuit, quam reditus, alioquin communes Ecclesiæ, efficere proprios eorum, quibus in particulari deputabantur. Atque vt de parte Episcopo deputata, & alia inter clericos diuidēda ac in beneficia distributa solum loquamur, sane distributio illa non aliud fuit, quam deputatio sustentationis, præmij, ac stipendij cuiusque ministrorum Ecclesiæ: indeq; ortum habuit illud iuris proloquium: Beneficium datur propter officiū, de quo *c. vlt. de rescrip. lib. 6.* Quo fit, vt eo ipso, quod singuli fructus suarum portionum percipiunt, dominium illorum comparent: non secus ac ministri seculares dominium comparant suorum stipendiorum eo ipso, quod ea percipiunt.

B Quo loco obserua, habere hoc verum etiam si Episcopus aliquis, aut quicunq; alius minister Ecclesiasticus, permixtim acciperet aliquid de aliis portionibus, vel cum onere vt necessaria fabricę suæ Ecclesiæ conferret, quod habent multa beneficia Ecclesiastica, vel cum onere id distribuendi pauperibus, vel insumendi in operibus piis, quod multi affirmant de iis Episcopis qui pingues admodum habent reditus pro ratione Episcopatus. Arbitrantur namq; permixtim habere multum de portionibus fabricæ & pauperū; cum iustitiæ onere id inlumēdi in eis rebus, ad quæ bona illa fuerunt deputata: de qua re fermo erit disputatione sequenti. Nunc vero id solum dico, onus illud, etiam de iustitiæ rigore, &
C cum obligatione restituendi nisi impleatur, nō tollere quo minus beneficiatus dominium comparet totius summæ. Quemadmodum quando bona aliqua alicui Ecclesiæ, aut cuiuis alteri donantur, cum onere aut modo, vt aliquid quotānis alicui tribuat, aut in opere aliquo pio insumat id nō impedit, quo minus talis Ecclesia, aut donatarius alius, dominii totius summæ, cum eo modo & onere donatę, consequatur. Cum minimum vero illud fatendum est, talem beneficiarium consequi dominium suæ portionis propriæ, atq; adeo totius summæ ratione illius portionis: eo pacto, quo, quādo duo sunt domini rei alicuius nōdum inter se diuisæ, vnusquisq; eorū est dns totius rei, sed partialiter, partialitate se tenēte ex parte dominorū, nō vero rei, cuius sunt domini.

D Secundo probatur, quia distributiones quotidianæ, quæ canonicis diuinis officiis interessentibus tribuuntur, partes sunt reditnum sui beneficii, vt colligitur *ex extrauagan. de decimis inter communes §. & quia non occurrit*, quin manualia beneficia appellantur, *cap. vnico de clericis non resid. lib. 6.* sed *in eodem cap.* statuitur, vt nō interessentes diuinis officiis absque causa legitima, neque illarum, neque distributionum, quæ pro defunctorum anniuersariis conferri solent, dominium acquirant, neque illas faciant suas: ergo interessentes, legitimeque illas accipientes, dominium earum acquirunt, illasque suas efficiunt. Idem statuitur *in Concilio Trid. sess. 22. cap. 3. de reformatione*, facta potestate Episcopis conuertendi in distributiones quotidianas quartam partē
E omnium fructuum & prouentuum. Verba Concilij hæc sunt: *illius diei distributionem amittant, neque eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio ordinarii, applicetur.*

9 Tertio *in Concilio Triden. sess. 24. capit. 12. de reformat.* statuitur, vt prouisi de beneficiis curam animarum habentibus, aut canonicatibus, vel dignitatibus, fidei professionem faciant intra duos menses à die adeptæ possessionis, alioquin vt non faciāt fructus suos: ergo beneficiati fructus suorum beneficiorum efficiunt suos, comparantque proinde dominium eorum: alioquin non statueretur illis in pœnam, vt illos suos non efficerent. Item in eodem capite statuitur, vt obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis Ecclesiis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat abesse ab

eisdem Ecclesiis vltra tres menses quolibet anno: A alioquin primo anno priuetur vnusquisq; dimidia parte fructuum; quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit vsus negligentia, priuetur omnib. fructibus, quos eodē anno lucratus fuerit. Ecce, lucratū esse, fuosq; fecisse fructus, sane cōparasse eorū dñiū sonat aperte.

10 *Ad fundamentū alioru.*

Ad argumentum contrariæ opinionis dicendū est, iura illa omnia condita fuisse tempore, quo clerici in communi viuebant, & ante factam diuisionē redituum Ecclesiasticorum in quatuor illas partes; pro eoque solum tempore esse intelligenda, in quo nullus clericus erat dominus, sed dispēsator tantū reditus illorū, nec poterat plus de illis sumere in suum vsum, quam quod vltra suos reditus proprios, B sibi esset necessarium ad suam congruam sustentationem, vt disputatione præcedente ostensum est: non vero esse intelligenda pro tempore, quo facta est diuisio illorum in quatuor partes, & quartæ partis clericorum in beneficia Ecclesiastica, in quo beneficiarii dominium comparant portionis ipsis deputatæ, vt ostensum est. Ac sane si canones illi hodie vim haberent, falsa esset Maioris & Nauarri opinio, cum communi Doctorum sententia, asserentium, beneficiarios posse assumere integram competentē sustentationem de ritibus sui beneficii, & reseruare ad quoscumq; alios vsus, etiam ad testandum in vsus non pios, duo priora genera bonorum, quæ disputatione præcedente explicata sunt, nec non reditus omnes eorum: id namque aperte pugnat cū canonibus pro tempore illo prisco statutis, vt disputatione præcedente ostensum est.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiarios insumentes, vltra suam competentem sustentationem, in vsus non pios de reditibus suorū beneficiorum peccare, restituereq; teneri qui affirment: idq; multis rationibus probant, vsque ad n. 7.*

8 *Refertur contraria sententia.*

9 *Authoris expositio.*

10 *An episcopus in prof. nos vsus de reditib. ad alias quartas pertinentibus insumens peccet.*

11 *An episcopus excedere valeat in dispensatione bonorum absque peccato.* D

12 *Quando episcopatus solum sufficiunt ad congruam episcopi sustentationem, vel excedunt; quid præsumendum.*

13 *Quid de beneficiariis reditus habentibus suam congruā sustentationem excedentes.*

14 *In cathedralibus Hispaniarum ecclesiis regulariter superexcellentes reditus, fabricæ cuiusque ecclesiæ deputantur.*

15 *Quid dicēdum de his, qui particulares ecclesias obtinēt.*

16 *Quid de pauperum & aliorum piorum operum quarta parte.*

17 *Quando aliquid sedis Apostolicæ authoritate à mensa præcisum est, id computatur in portione, quam episcopus tenebatur insumere in eleemosynis.*

18 *Reditus qui vno tempore sunt congrua sustentatio episcopi, casu possunt tantum excrescere, vt alio tempore multo interuallo eam superent.* E

19 *Beneficiarii insumentes vltra suam congruam sustētationem in vsus profanos de portione ipsis deputata, ad nullam tenentur restitutionem.*

20 *Peccant tamen contra charitatem, si quod vltra suam congruam sustentationē in profanos vsus consumunt, notabile quidpiam fuerit, in pauperes illud non insumendo.*

21 *An beneficiarius liceat ex reditibus ecclesiæ consanguineos augere.*

22 *Beneficiarii magis tenentur expendere in eleemosynis, quod vltra competentem sustentationem de reditibus beneficiorum eis supereſt, quam alia bona aliunde acquisita.*

23 *Beneficiarius cum portione congruæ suæ sustentationis computare potest totum quo amplius est dignus, vt id expendere possit in quæ voluerit.*

24 *Respondetur ad argumenta contrariæ opinionis, vsque ad num. 29.*

VTRVM BENEFICIARII HODIE lethaliter peccent, restituereque teneantur, si quid vltra suam competentem sustentationem, in vsus non pios de reditibus suorum beneficiorum insumant.

DISPVTATIO 144.

BEneficiarios insumentes, vltra suam competentem sustentationem, in vsus non pios de reditibus suorum beneficiorum, non solum peccare lethaliter, sed teneri etiam ad restitutionem, affirmarunt *Alex. Alensis 3. par. q. 30. memb. 5. art. 2. Richard. in 4. dist. 45. art. 3. q. 1. Maior in 4. dist. 24. q. 17.* In eandem sententiam propendent, tandemq; eam amplectuntur, *Paludan. d. q. 3. art. vlt. D. Anton. 3. par. tit. 15. c. 1. §. 19. & Gabr. in 4. dist. 15. q. 8. concl. 4. & 5. iuncto dubio 6. 7. & 9.* Eandē affirmant *Panor. c. cum secundū, de præb. Archid. & Dom. c. statutum. §. assessorem. de rescripti. lib. 6. Fel. cap. postulati, de rescript. & cap. de quarta, de præscrip. Nauar. ad ca. vlt. 16. q. 1. & in Apol. q. 2 monito 7. & alii, quos Nauar. ibidem. Couar. c. cum in officiis, de test. n. 2. & Molina lib. 2. de primogen. c. 10. n. 52* referunt. 1 *Peccare restituereque teneri, quisquis firmant.*

Ducuntur primo autoritate canonum antiquorum, de quibus duabus præcedentib. disputationibus fumus locuti, qui nō dominium, sed solam dispensationem eorum reddituum illis tribuunt, cū facultate inde sibi sumendi necessaria ad congruam sustentationem, & onere insumendi reliqua in pauperes & alios pios vsus. Idemq; aperte sentiunt Hieron. & August. quorum sunt aliqui illorum canonum: qui ergo superflue atque in profanos vsus eos insumit, cōtra iustitiam peccat, restituereq; tenetur. 2 *Probant 1.*

Secundo, quoniam fideles oblationes & decimas tribuerunt Ecclesiæ, vt inde ministri congruā susciperent sustentationem, & reliqua pauperib. distribuerentur, & insumerentur in aliis operib. piis, atque adeo donatio illa fuit cum illo modo & onere: sed qui dispensat ac possidet bona sub modo donata, peccat contra iustitiam, restituereq; tenetur, nisi modum & onus adimpleat: ergo beneficiarii, qui de fructibus suorum beneficiorum, vltra suam congruam sustentationem, quippiam in profanos vsus insumunt, restituere id tenentur. 3 *Secundo.*

Tertio, quoniam, vt communis Doctorū sententia affirmat, beneficiarii lethaliter peccant, si de reditibus suorum beneficiorum, vltra suam congruā sustentationē, notabile quippiam in vsus profanos, licet non malos insumant, vt si id tribuant consanguineis diuitibus; cum tamen si vel ipsi, vel alii de suis propriis bonis tantundem aut plus eisdem tribuerent, non peccarent lethaliter: sed id non aliunde prouenit, nisi quia iustitiæ lege tenentur impendere in operibus piis, quæ de reditibus ecclesiasticis vltra suam congruam sustētationem superfunt: ergo restituere tenentur, si illa in profanos vsus insumant. 4 *Tertio.*

Quarto, quoniam non solum iura condita ante diuisionem reddituum ecclesiasticorum in quatuor illas partes, sed etiam quæ condita fuere post distributam portionem clericorū in varia beneficia ecclesiastica, statuerunt, vt nullus beneficiarius testari posset de bonis comparatis ex beneficio ecclesiastico, sed id non aliunde ortum habuit, nisi quia, quæ supersunt post congruam suam sustentationem, nō spectant ad eos, sed iustitiæ lege insumenda sunt in 5 *Quarto.*

operi-

operibus piis: ergò beneficiarii restituere tenentur, quæ vltra suam competentem sustentationẽ in profanos vsus insumpserint.

6 Quinto. Quinto quoniam *Triden. Synodus sess. 25. ca. 1. de reformat.* cum præmisisset, vt Episcopi modesta supellectili & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, Dei zelum, & vanitatum contemptũ præ se ferat, protinus subiunxit. *Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiares ve suos augere studeant: cum & Apostolorum canones prohibeant, neves Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, iis, vt pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, neque dissipent illorum causa: imo, quam maxime potest eos sancta Synodus admonet, vt omnem humanum hũc erga fratres nepotes, propinquosque, carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, tam secularia quã regularia, obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit, &c.* Hactenus Tridentina Synodus. Præceptũ vero hoc non aliunde ortum habuit, quam quod de iustitiæ rigore, quę vltra congruam suam sustentationem superfuerint, non in alios vsus possint insumere quam pios.

7 Lyra. ¶ Postremo, quoniam *Bernard epistol. 2.* quæ est ad quendam Lugdunensem canonicum, ait: *De altaris non licet comparare aurea frena, sellas depictas.* Et infra: *Quicquid præter necessarium victum & simplicem vestitum, de altaris retines, tuum non est, sapina est, sacrilegium est.* Et epist. 42. *Clamant*, inquit, *nudi, clamant famelici, necessitatibus nostris detrahitur, qui quid vanitatibus vestris accidit.*

8 Lethaliter peccant, sed restituere nõ tenentur. Contrariam sententiam, nempe beneficiarios vltra suam cõgruam sustentationem, de parte redituum Ecclesiasticorum ipsis deputata quantitatem notabilem in vsus profanos insumentes, peccare quidem lethaliter, non tamen teneri restituere, affirmat in primis D. *Tho. quodlib. 6. art. 12. & 2. 2. q. 185. art. 7.* Præmittit namque, Episcopum dominiũ habere bonorum, quę aliunde, quam ex beneficio Ecclesiastico, comparat: esse vero dispensatorem vniuersalem bonorum suæ Ecclesię. *Sunt autem* inquit, *bona Ecclesiastica non solum in vsus pauperum, sed etiam ad cultum diuinum & necessitates ministrorum expendenda.* Vnde *c. de reditibus. 12. q. 2.* dicitur. *De reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, sola Episcopo ex his vna portio mittitur, duæ, Ecclesiastis fabricis & erogationi pauperum profuturæ à presbytero* (id est, Episcopo) *sub periculo sui ordinis ministrentur, vltima clericis pro singulorum meritis dividatur. Si ergo distincta sint bona, quæ debent in vsum Episcopi cedere, ab iis, quæ sunt pauperibus & ministris & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retineat Episcopus de iis, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda, non est dubium, quod contra finem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De iis autem, quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis, vt scilicet propter immoderatum affectum & vsum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitum charitatis. Si vero non sunt prædicta bona distincta, eorum distributio fidei eius committitur. Et si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento: quia no potest homo in talibus punctaliter accipere illud, quod fieri oportet. Si vero sit multus excessus, non potest latere: vnde videtur bonæ fidei repugnare, & ideo non est absque peccato mortali. Dicitur enim Matth. 24. Quod si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit dominus meus venire, quod pertinet ad diuini iudicij contemptũ, & cœperit percutere conseruos suos, quod pertinet ad superbiam, manducet autem & bibat cum ebriosis, quod pertinet ad luxuriam, veniet dominus serui illius in die, qua nõ sperat, & diuidet eum, scilicet à societate bonorum, & partem eius ponet cum hypocritis, scilicet in inferno.* Hæc D. Thom.

In quibus verbis, si recte attendis, post diuisionẽ 9
redituum Ecclesiasticorũ in quatuor illas partes ab Ecclesia factam duos euẽrus distinguit. Primum, in quo Episcopo constat quæ ex reditibus, qui in suam potestatem deueniunt, cedant in quartam partem ipsi in suos vsus deputatam, & quæ in alias quartas. Secundum vero, in quo id non cõstat, verisimile tamen est, aliquid aliarum quartarum permixtum esse cum sua quarta in reditibus, qui in suam potestatem deueniunt. Cum enim autoritate summorum Pontificum, quin & præcedentium Episcoporum, multa ex fabrica, & ex bonis in aliis operib. piis ab Episcopo insumendis, nec non ex mensa Episcopali, temporum progressu soleant applicari conuentibus religiosorũ, vniuersitatibus collegijs, hospitalibus, & aliis similibus piis rebus, imo & secularibus Principib. in subsidiũ pro defensione Ecclesię, mirũ non est, quod non solum frequenter, sed etiam vt plurimum lateat, quousq; se extendat mensa Episcopalis, & quantum de aliis bonis permixtũ cum ea sit in reditibus, qui in Episcopi potestatem deueniunt.

In primo itaque euentu ait D. Tho. Episcopum, si 10
quid in profanos vsus de reditibus ad alias quartas pertinentibus insumat, lethaliter peccare contra iustitiam, restituereque teneri. si quid vero, in quantumuis profanos vsus, de sua quartã insumat, peccare quidem contra charitatem nõ tamen contra iustitiam ac proinde neque teneri restituere: quoniã de bonis suæ quartæ perinde iudicandum est ac de aliis suis bonis quæcumq; alia via acquisitis, ad effectum, vt cum dominium eorum compararet, illis abutendo, peccet solum contra charitatem, non vero contra iustitiam.

In secundo vero euentu, ait D. Thom. si Episco- 11
pus in dispensatione totius massę bonorum ita permixtorum excedat modicum, ita vt clare constare non possit excessus, posse id esse sine peccato: quia in simili euentu nõ potest vsque ad indiuisibile æstimari quid oporteat facere, & quousque ex natura ipsa rei quis sub reatu culpæ teneatur, aut non teneatur. Si vero multum excedat, ita vt notabilis excessus deprehendatur, peccare lethaliter. Non tamen explicat, an solum contra charitatem, vel simul contra iustitiam cum restituendi onere. Quoniam, si excessus verisimiliter sit solũ quoad abusum in quarta sua portione, peccatum est solum contra charitatẽ, vt paulo antea dixerat: si vero verisimiliter contingat quippiam notabile de bonis fabricæ aut pauperum, peccat contra iustitiam cum restituendi onere, vt paulo antea etiam dixerat.

Libuit tam multis verba sententiamque D. Tho- 12
mæ referre: tum quia eximij huius Doctoris autoritas multum ponderis habet in re tanti momenti, de qua disputamus. tum etiam vt aperte constaret peram Maiorem, Nauarrum, & plerosq; alios verba D. Tho. in contrariam sententiam torquere.

Eandem sententiam affirmant, *Caietan. ibidem & eadem 2. 2. q. 62. in tabe art. 5. Adri. de resti. quæst. quæ incipit, pro clariori intelligentia dictorum. Sotus 10 de iustit. q. 4. art. 3. & 4. Driedo. 2. de liber. Christ. c. 4. Ledes. 2. 4. q. 18. art. 5. dub. vlt. Petrus Soto* (licet à quibusdã pro contraria sententia citetur) *de institutione sacerdotũ, tractat. vlt. lect. 2. Ioan. Arborensis in Theosophia par. 1. c. 25. Couarr. c. cum in officijs. de testam. nu. 3. Dominus Franciscus Sarmiento. c. si priuatum 12. q. 1. & c. nulli. 12. q. 5. & alij.*

Caiet. Driedo, Ledesmius, ac Petr. à Soto cẽsent, quando pro Episcopatus ratione reditus sunt adeo tenues, vt solum sufficiant ad congruam Episcopi su-

pi sustentationem, vel parum illam excedant, præsumendum esse, omnes illos collatos fuisse Episcopo in suam mensam seu portionem, ac proinde, esto in profanos vsus, imo & cum meretricibus & histrionibus illos consumat, neque ipsum, neque recipientes restituere teneri. Quando vero longo interuallo excedunt congruam illius sustentationem, præsumendum esse, quartam pauperum ac fabricę esse in illis permixtam, Episcopoq; tantam bonorū summam tanquam patri & dispensatori fuisse collatam: quoniam irrationabiliter id totum in suam portionem ac sustentationem esset illi tributum. Vnde, inquiunt, si vltra id, quod verisimiliter est præsumendum in suam portionem esse illi collatum, aliquid de reditibus illis in profanos vsus insumat, tam ipse, quam accipientes (in illius defectum) tenētur id restituere, tantundem insumendo in vsus pios, in quibus de iustitia foret insumendum.

13 Petrus à Soto idem arbitratur de cæteris beneficiariis, qui reditus habent notabiliter suam congruam sustentationem excedentes. Alij vero trés Doctor. citati, id ad eos non extendunt: eo quod (vt ex iuribus disputationibus præcedentibus citatis constat) soli Episcopi fuerunt semper constituti dispensatores portionis tam fabricæ, quam etiam pauperum; aliaque beneficia Ecclesiastica ex portione clericorum fuerint instituta.

Vt de hac re dicam, quod sentio, potissimum de Hispaniarum Ecclesiis, de quibus maiorem aliquā notitiam habeo, loquar: tametsi neque de origine beneficiorum earum, neque de modo distributionis reditvum Ecclesiasticorum inter Episcopatum & alia beneficia, plenam notitiam adhuc habeam.

14 *Ecclesiarū fabricæ.* Quod ad fabricam attinet, video in cathedralibus Ecclesiis suos peculiares, pingues, & regulariter superexcedentes reditus, fabricæ cuiusque Ecclesię esse deputatos, ita vt nonnunquam summi Pontificis autoritate inde annui reditus præcidantur, aliisque piis operibus deputentur, vt de Eborensis Ecclesiæ fabrica nostris temporibus factum videmus. Cum vero reliqui reditus ad cathedralem Ecclesiā spectantes, inter Episcopalem & Capitularem Canonicorum mensam sint diuisi, sane, si aliquando eueniret, vt reditus fabricæ deputati ad eam non sufficerent, vtraque mensa teneretur pro rata contribuere, quod ad fabricam (sumptus diuini cultus in ea comprehendo) deesset, nisi Episcopali mensæ essent aliqua vsu alicuius Ecclesiæ annexa.

15 Quod ad reliquas non cathedrales Ecclesias attinet, vel peculiares reditus habēt ad fabricam, vel certe Prioribus; Abbatibus, aut Commendatariis earum, à tempore, cuius initii non extat memoria, id oneris solet esse iniunctum, visitatoresque in hoc Lusitaniæ Regno solent ad id eos cōpellere, quando minus fabricæ tribuunt, quam par sit, vel rem aliquam deprehendunt, quę reparatione aut supplemento pro Ecclesiæ qualitate indigeat. Quin *eadem his, de Ecclesiis ædificandis, Alexand. 3. ait, De his, qui particulares Ecclesias habent, duximus respondendum: quod ad reparationem & institutionem cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis superfuerunt, conferre.* Et in *Concil. Trid. sess. 21. cap. 7. de reform.* sic scriptum legimus: *Episcopi parochiales Ecclesias, etiamsi iuris patronatus sint, collapsas refici & instaurari procurent ex fructibus & prouentibus quibuscunque ad eas Ecclesias quomodocunque pertinentibus.* Qui *si non fuerint sufficientes* (quia videlicet neque parocho, & in eius defectum aliis beneficiariis, subtrahi ad id debent, quæ necessaria fuerint ad mediocrem ipsorum sustentationem) *omnes patronos & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis prouenientes percipiunt, aut in illorum defectum parochianos omnibus modis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione & contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate, tam di-*

A *ctas parochiales, quam alias Ecclesias dirutas, in profanos vsus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, conuertendi.* Quare, nisi alicubi comperiatur consuetudine, vel alia ratione, onus hoc ad prælatum pertinere, certe illi hodie non est iniungendum. Præsertim cum, vt *artic. 7. citato* bene notat Caietan. licet præscribi non posit, vt de sufficientibus Ecclesiasticis reditibus fabricæ competenter nō prouideatur; præscribi tamen aduersus iura antiqua posit, vt non integra quarta pars eorum in fabrica insumatur, & vt (quando à tempore, de cuius initio non extat memoria, id onus ad alium pertinere comperitur) ad Episcopum non spectet.

Quod vero ad pauperum aliorumque piorum 16 *Quarta pauperum & aliorum piorum operæ.*
B operum quartam attinet, profecto quando reditus Episcopatus notabiliter superant competentem Episcopi, pro Episcopatus ratione, sustentationem, vt frequentissime in Hispaniis superant, neque in Episcopatu, aut alibi, comperiuntur hospitalia, collegia, aut alia pia opera perpetua de bonis immobilibus ab Episcopali mensa præcisis erecta, multum verisimile est, quartam illam cum Episcopi reditibus esse permixtam, tenerique proinde Episcopum de iustitia insumere in pauperum eleemosynis, aliisque operibus piis, partem suorum reditvum, prudentis arbitrio maiorem vel minorem, spectatis omnibus circumstantiis ac coniecturis maioribus vel minoribus, quæ ea de re fuerint. A principio namque nascentis Ecclesiæ, vt ex antiquis canonibus constat, Episcopi administratores & dispen-
C satores sunt constituti partis, quæ ad pauperes & opera pia spectat, & quando non constat quid de ea factum sit, reditusque Episcopatus multum superant congruam Episcopi sustentationem, multum est verisimile, cūm Episcopi potius, quam cum aliorum beneficiariorum reditibus esse permixtam. Dixi, *& non comperiuntur hospitalia, &c.* de bonis immobilibus ab Episcopi mensa præcisis erecta: quoniam esto comperiantur erecta à laicis, quin & ab Episcopis suis prædecessoribus, non tamen de bonis immobilibus præcisis à mensa, sed vel de aliis beneficiis Episcopatus Apostolicæ sedis autoritate ad id applicatis, vel de bonis immobilibus, quæ Episcopus de suis annuis reditibus perceptis emit, sane id nullum onus abstulit à successoribus insumē-
D di in operibus piis eam portionem, quam antecessores etiam insumere tenebantur, & quæ cum Episcopali mensa permixta manſit.

Quando vero comperirentur opera pia perpe- 17
tua erecta de bonis à mensa præcisis, vel constaret aliquid sedis Apostolicæ authoritate ab ea fuisse aliquando præcisum & collatum Principibus secularibus, siue Principes id vendiderint, aut quouis alio modo alienauerint, siue non, vel certe Episcopo pensio aliqua fuisset imposita, quam adhuc solueret; tunc id computari posset in portione, quam Episcopus de iustitia tenebatur insumere in eleemosynis aut aliis operibus piis. Tametsi certus non sim, an totum deberet cōpurari, an solum pars prudentis arbitrio, pro verisimilitudine quæ esset, summum Pontificem voluisse etiam imminuere bona
E propria mensæ, portionemve propriam Episcopi tanquam excedentem congruam illius sustentationem.

Illud admonuerim; non esse tam vrgens argu- 18
mentum, pauperum, piorumque operum portionem cum Episcopali mensa esse mixtas, quod reditus Episcopatus multum excedant congruam Episcopi sustentationem, quodque irrationabiliter tanta summa illi in suos sumptus à principio conferretur, quam vrgens quatuor Doctores citati arbitrantur. Etenim reditus, qui vno tempore essent congrua sustentatio, vel Episcopi, vel canonici, aut parochi, vel alterius beneficiarii, casu possunt tantum excrescere, vt alio tempore multo interuallo

eam

eam superent. Quod in Hispaniis in Ecclesiis, quæ pulsis Saracenis, condita fuerunt, euenisse videtur. Cum enim tunc terra multum esset deserta, paucosque haberet cultores, reditus cuiusque Episcopatus & canonicatuum, forte neque sexta pars erant redituum, qui modo sunt: multiplicatis vero hominibus, populi, pagi, & villæ multum creuerunt, longeque maior pars terræ, quam esset antea in culturam redacta est, idque in causa fuit, vt reditus adeo creuerint. Accesit à centum annis ingentem auri & argenti copiam mari in Hispanias fuisse asportatam, quæ rerum pretia multum auxit, valoremque pecuniæ ad res emendas multum minuit, vnde factum est, vt reditus Episcopatuum, & aliorum beneficiorum, longe maiori summa pecuniæ hodie in Hispaniis æstimentur, quam olim Cęterum quanto, propter pecuniæ abundantiam, fructuum beneficiorum æstimatio creuit, tanto beneficiarij maiori nummorum copia ad suam congruam sustentationem indigent; eo quod in eadē proportione creuerint pretia rerum omnium, quibus ad eam indigent. Hinc dico, ex valore etiam, & incremento redituum aliorum beneficiorum in vnoquoque Episcopatu, coniici posse, quanta, proportione quadam, sit quarta Episcopo deputata. Vt si hodie in Ecclesia Toletana, reditus cuiusque canonicatus sunt, verbi gratia quatuor mille aurei, Archidiaconatus viginti mille, Decanatus quadraginta aut quinquaginta mille (hæc enim omnia ignoro) inde proportione quadam coniici potest, quam magna sit portio propria Archiepiscopi. Præsertim, quod ad authoritatem & amplitudinem illius dignitatis vltra decimas, multa oppida à regibus Hispaniarum illi fuerint tributa, &, vt videtur, non cum onere conferendi inde portiones aliquas, vel aliis beneficiariis, vel fabricæ, aut pauperibus; attamen cum spe, quod Archiepiscopi illi essent patres, rectęque reditus adeo ingentes expenderent: quod nullam obligationem de iustitia, sed solum ex charitate inducit.

18 Hæc omnia dicta sunt, vt melius hodie coniici possit, quanta sit obligatio de iustitia cuiusque prælati, aut alterius beneficiarii, ad insumendos reditus suorum beneficiorum in operibus piis, & vt nemo præceps sit iniungendo restitutionis onere, vel beneficiariis ipsis, vel iis, qui ab illis aliqua, non pie data, acceperunt, nisi sufficienter expensis prius circumstantiis & coniecturis omnibus, quas necessarium est ad id expendere: non vero, quod prælati & beneficiarii ipsi eligere non debeant partem tutiorem, longeque secedere à peccato lethali, non solum contra iustitiam, de quo solo hactenus diximus, sed etiam contra charitatem, de quo statim erit sermo. Præsertim cum tot & tam graues authores sint, qui arctius multo de hac re sentiant ac loquantur, & cum difficile admodum sit, quemquā tuto arbitrari, quousque vel de iustitia, vel de charitate, sub lethali culpa teneantur, aut non teneantur.

19 His ita constitutis, ostendamus prius posteriorem partem sententiæ Diui Thomæ & aliorum quā amplectimur, nempe beneficiarios, siue illi prælati sint, siue quicunque alij, insumentes vltra suam congruam sustētationem in vsus profanos de portione ipsis deputata, esto illa magna sit, ad nullam teneri restitutionem. Quoniam post factam diuisionem redituum Ecclesiasticorum in quatuor illas partes, & post creata varia beneficia Ecclesiastica de parte inter clericos diuidenda, comparant dominium redituum totius portionis cuique deputatæ eo ipso, quod in potestatem ipsorum deueniunt, vt disputatione præcedente ostensum est: neque summi Pontifices, qui eas portiones cuique beneficiariorum deputauerūt, vllum iustitiæ onus illis iniunxerunt, aut iniungere tenebantur, vt disputatione antecedente diximus: & quamuis populus cernens à principio ea, quæ Ecclesiis tribuebantur, in sola ministrorum Ecclesiæ congrua sustentatione, & in aliis operibus piis insumi, illa auxerit, sperans semper ita futurum; non tamen sub ea conditione & modo illa dedit, neque alligare potuit manus summorum Pontificum, quin bona illa ipsorum potestati subiacerent, eaque distribuerant prout regimini Ecclesiæ pro temporum varietate expedire iudicarent; quin potius, post factam eam diuisionem, populus ipse sua deuotione eadem bona similiter auxit: ac certe, humana fragilitate spectata, intolerabilis, periculosissimusq; laqueus, atque adeo irrationabilis & à charitate alienus, Ecclesiasticis iniiceretur, si eo ipso, quod de portione cuique deputata aliquid, vltra congruam sustentationem, in toto vitæ decursu in profanos vsus is insumeret, de iustitiæ rigore, sub lethalique culpa teneretur illud restituere: consequens ergo est, vt nequaquam restituere id teneantur.

Prior vero eiusdem sententiæ pars, nempe, quod lethaliter nihilominus peccent contra charitatem, si quod vltra suam congruam sustentationem in profanos vsus insumunt, notabile quippiam fuerit, probatur. Quoniam præterquam quod id affirmat communis sententia Doctorum, sane beneficiarios vitæ integritate ac orationibus teneri intercedere coram Deo pro populo, cuius fudoribus sustentantur, illumque exemplo antecedere; reditus præterea Ecclesiasticos eo fine esse à populo Ecclesiæ collatos, vt inde ministri Ecclesiæ sumerent competentem sustentationem, & reliquum in aliis piis operibus insumeretur; item tam copiosas portiones, onera ipsorum excedentes, esse ex eisdem reditibus illis deputatas, vt haberent vnde eleemosynas & opera pia exercerent, quæ ipsos cōmendabiliores redderent coram populo, id quod in ipsorum congrua sustentatione quodammodo includitur, quippe cum ad eorum statū spectet eas exercere, cæterisque pietatis & charitatis Christianę exemplum præbere; & præcipue ad prælatorum statum, qui pauperum, omniumque suorum subditorum patres & quasi commune refugium esse debēt; denique Ecclesiasticos reditus Dei esse bona, Christique patrimonium in sensu disput. 142. explicato; tam arcte beneficiarios lege charitatis ad nihil redituum suorum beneficiorum profane expendendū astringunt, vt si quātitatem notabilem profane expendant, lethaliter peccent. Vnde Hieronymus *ad tertium Mathæi cap.* & refertur 44. *distinction.* *Vbi*, inquit, *ô fatuos, viuere de altario permittitur, non luxuriari.* Sumit vero luxuriam late, pro immoderata, indecentique, attenta sua qualitate ac circumstantiis concurrentibus, sustentatione. Porro in re proposita, non censebitur ea abilis quantitas, quæ culpam efficiat lethalem, ea quæ in materia furti ad lethalem culpam sufficeret: sed longe maior requiritur, eoque maior, quo portio propria beneficiarii maior fuerit, plusque beneficiarius, attentis circumstantiis omnibus concurrentibus, ad suam congruam sustentationem indiguerit. Quæ autem censenda sit congruens sustentatio comparatione cuiusque beneficiarij disputatione sequenti tentabimus, quantum rei natura patitur, explanare.

Eadem pars probatur ex testimonio illo Concilij Tridentini supra relato, quod eisdem de causis beneficiariis omnibus omnino interdicit; ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant: sed, si pauperes sint, iis, vt pauperibus distribuant: at vero, interdicere id omnino, lethalem culpam sonat, modo quantitas sit tanta, quæ ad lethalem culpam in re, de qua agimus, sufficiat. Longe autem maiori cum ratione est

ne est censendum sub eadem culpa esse illis interdictum, ne in rebus magis profanis æqualem quantitatem expendant.

22 Ex dictis constat, longe arctiori vinculo teneri beneficiarios expendere in eleemosynis & aliis operibus piis, quod vltra suam competentem sustentationem de reditibus suorum beneficiorum eis superfuerit, quam alia bona sua aliunde acquisita, quę eis similiter superfuerint. Tametsi & hæc arctius aliquātulum, quam laici, teneantur expendere in cibos pauperum, non solum beneficiarij, præsertim Episcopi, sed etiam cæteri clerici ratione perfectioris sui status.

23 Illud tamen est obseruandum cum *Maiore in 4. dist. 24. q. 17. Couar. c. cum in officiis, de test. in calce nu. 1. & Nauar. in Apol. q. 1. monito 78. nu. 3.* Cum portione reditus beneficij necessaria ad competentem beneficiarij sustentationem, computādum etiam esse, si pro ratione industriæ, laboris, quem assumit, & vtilitatis, quam Ecclesiæ suis ministeriis affert, longe maiori mercede dignus sit: id enim totum, etiam si congruam suam sustentationem excedat, potest sibi de fructibus sui beneficij assumere, & insumere in quos voluerit vsus, non secus ac si essent bona sua patrimonialia, computandumque est inter bona illius quasi patrimonialia. Dignus namque est operarius integra mercede sua, suę industriæ, labori, ac vtilitati, quam Ecclesiæ affert, condigna. Et *Paul. 1. ad Tim. 5. Qui bene*, inquit, *præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Et *Simplicius c. de reditibus. 12. q. 2.* dum reditus Ecclesiasticos in quatuor partes diuidendos statuit, de ea, quæ inter clericos erat distribuēda, dixit. Vltima inter se clericis pro singulorum meritis diuidatur. Pluribus Nauar. *loco citato*, rem hanc confirmat.

24 *Ad primum contrariæ opinionis.* Ad primum ergo argumentum, quo Alexander Alensis & alij Doctores citati contrarium posterioris partis nostræ sententiæ sibi persuaserunt, dicendum est, canones illos, nec non Hieron. & Aug. locutos fuisse pro suo tempore, quo nondū facta erat diuisio reditum ecclesiasticorum in quatuor illas portiones, pro quo verissimum illud erat, vt disputatione præcedente ostensum est: nō vero pro tempore, quo facta est illa diuisio.

25 *Ad secundū.* Ad secundum dicendum est, quamuis fideles eo fine oblationes & decimas tribuerint Ecclesiæ, nō tamen cum eo onere ac modo eas dedisse, vt ostensum est, sed solum cum spe, quod ita fieret: licet autem modus obligationem iustitiæ inducat, finis tamen & spes donantis, quod aliquid fiat, eam nō inducit.

26 *Ad tertium.* Ad tertium, concessa maiori, neganda est minor: explicata namque sunt capita vnde charitatis lege, non vero iustitiæ, ad id teneantur.

27 *Ad quartū.* Ad quartum, concessa similiter maiori, neganda est minor. Mos enim ille antiquus, vt neque Episcopi, etiam ad pias causas, testarentur de reditibus Ecclesiasticis, quorum sola administratio ad eos tunc spectabat; ac proinde cum ipsorum vita finiebatur, neque se extēdebat ad dispositionem per vltimam voluntatem, eo quod non nisi morte testatoris robur habeat: ille, inquam, mos antiquus ea ratione post factam diuisionem reditūm ecclesiasticorum perseuerauit, vt beneficiarij omnes, dum viuebant, sedulī essent in expendendis in operibus piis, quæ congruæ suæ sustentationi superessent, sicq; coram laicis vitæ sanctitate plus elucerent, scientes ademptam ipsis prorsus esse facultatem de eis, etiam ad pias causas testandi.

28 *Ad quintū.* Ad quintum dicendum est, præceptum illud ortum habuisse ex lege charitatis, qua, vt ostēsum est, ad id tenentur. Ac sane, si Tridentina Synodus sibi persuasisset, beneficiarios non esse dominos redituum suorum beneficiorum, nunquam præceptum illud statuisset vt suum, dicens, omnino eis interdicit, sed ad id ex rei natura, tanquam non dominos eorum redituum, eos teneri expressisset: quo fit, vt præceptum illud non adeo faueat Nauarri sententiæ, vt ipse fauere existimat.

29 *Ad sextum.* Ad vltimum dicendum est, Bernardum propter obligationem, quam beneficiarij lege charitatis habent, insumendi in pios vsus, quæ de reditibus suorum beneficiorum vltra suam congruam sustentationem ipsis superfuerint, fuisse ita locutum: eo pacto, quo Ambrosius *in illud Lucæ 12.* de diuite, cuius ager vberes fructus attulit, & refertur *47. distin. c. sicut ii*, de secularibus etiam hominibus, vt D. *Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 1.* ait, & de se est manifestum, per hyperbolem dicit, *proprium nemo dicat, quod est commune, quod plus quam sufficeret sumptum, etiam violenter obtentum est.* Et infra: *Neque enim minus est criminis habenti tollere, quam cum possis, & abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: & miserorum redemptio est & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis: tot te ergo scias inuadere bona, quot possis præstare, quod velis.* Et Hieron. *in regula monachor. cap. de paupertate*, & refertur *à Gratiano 42. dist. in pr.* ait. *Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur: cum tamen apud omnes constet, eiusmodi peccata non esse contra iustitiam, sed solum contra charitatem, ac proinde nullam restituendi inducere obligationem.*

SVMMARIVM.

1 *Beneficiariis fas est sumere totam sustentationem de beneficii fructibus, & reseruare bona patrimonialia hæredibus.*

2 *Beneficiarius non solum de reditibus beneficii competentem sustentationem sumere potest, sed etiam pro vtilitate quam suis ministeriis Ecclesiæ affert.*

3 *Beneficiarius si quid subtrahat parce viuendo de competenti sustentatione, aut de præmio, quo dignus est, potest totum incrementum in vsus quos voluerit cōuertere.*

4 *Quæ annumerentur in clericorum spoliis.*

5 *Beneficiariis pensionarii annumerantur ad effectum, & cur.*

6 *Sustentatio cōgrua beneficiarii nō cōsistit in indiuisibili.*

7 *Pro qualitate beneficii & quantitate redituum licit est splendidiorem habere familiam.*

8 *Beneficiarii licet pro qualitate beneficii splendidiorem possint habere familiam, caueant tamen ne quid appareat quod non redoleat simplicitatem.*

9 *Decens beneficiarii sustentatio quæ comprehendat.*

10 *Quas hæc donationes contineat.*

11 *An beneficiarius teneatur ad remuneratorias donationes.*

12 *An moderatis donationib. astringatur, p̄ sua cōditione.*

13 *Consuetudo beneficiariorum timoratæ conscientiæ merito habenda est pro regula, ad quam alii beneficiarii admetiri possint familiam & sumptus ad suam competentem sustentationem.*

14 *Beneficiariis æqualib. sæpe contingit vt eodem anno longe plus vnus quam alius in sua sustētatione insumat, & sic minus vni quam alteri de reditibus æqualibus ad pia opera superfit.*

15 *Quādo liceat ample de reditibus beneficii ad competentem sustentationem sumere.*

16 *Beneficiarius turpiter viuens tenetur fructus sui beneficii restituere.*

17 *An fas sit nobilibus ac literatis accipere de fructibus beneficiorum maiorem sustentationem.*

18 *Dupliciter moderatur hæc sententia, & nu. 19.*

20 *An fas sit beneficiario, quæ vltra congruam sustentationem de reditib. sui beneficii sibi supersunt, reseruare in necessitates, quas in futurum timet.*

21 *An opera pia, ad quæ beneficiarius de superfluo reditu sui beneficii tenetur, debeant fieri in eo loco, vbi beneficium est situm.*

22 *Paræneſis ad Eccleſiaſticos.*

CONGRVENS BENEFICIARII CVIVSQVE SVSTENTATIO QUÆ IVDICANDA SIT.

DISPVTATIO 145.

Sustentatio ex sumi potest de fructibus beneficii

1 ILlud ante omnia ponendum est. Post diuisionem reditum Ecclesiasticorum in quatuor partes disputationibus præcedentib. explicatas, creationem- B que beneficiorum deputata cuique ministrorũ Ecclesiæ suæ portione, posse vnumquemque beneficiariorum sumere de reditibus sui beneficii integram suam competentem sustentationem, & reseruare hæredibus, aut ad quoscunque alios vsus cætera omnia sua bona & reditus eorum, siue ea patrimonialia sint, siue quacũq; alia ratione (iuxta ea, quę disp. 142. explicata sunt) acquisita. Ita D. Tho. & Caiet. 2.2. q. 185. art. 7. ad 3. & Nauar. in Apol. q. 1. monito 30. & sequen. & rursus monito 77. & 80. cum Innocen. & aliis, Gabr. in 4. dist. 15 q. 8. dub. 8. Maior dist. 24. q. 17. Couarr. c. 1. de test. à num. 1. & c. cum in officiis in calce, num. 2. eod. titul. & alii. Ratio est, quoniam qui altario seruit, de altario viuere debet, integram suam congruam sustentationem inde accipiendo. *Nemo enim suis stipendiis militat*, vt *Paulus 2. ad Corinth. 9.* ait. Quin si aliqua C de suis bonis patrimonialibus aut aliunde, quam ex reditibus sui beneficij acquisitis, in suam competentem sustentationem, aut eleemosynas post beneficium obtentum insumpsit, potest illa compensare ex reditibus sui beneficii, integraque seruare ad vsus, quos voluerit: modo tamen, quando illa expendit, non habuerit animum ea compẽsandi, sed quasi donandi, vt in posterum maius onus haberet plura insumendi in operibus piis de reditibus sui beneficii. Ratio horum est, quoniam omnes illos sumptus efficere poterat de reditibus sui beneficii; reseruando sibi reliqua ad vsus quos vellet: neq; præsumendum est, habuisse animum quasi habitualem priuandi se ea libertate, quin potius, si ea de re cogitasset, interrogatiusve fuisset, quando eos sumptus faciebat, verisimiliter respondisset, se velle retinere in futurum eam libertatem: quod satis est, vt apud se maneat, & vt sumptus illi censeantur facti cum libera potestate eos compensandi de reditibus beneficii. Ita Nauar. *in Apol. quæst. 1. monito 77. num. 7.* & consonat Gratianus *§. item si rectores. post ca. iniustum. 12 quæst. 2. & multo magis, cap. si Episcopus. 12. quæst. 5. ex Concil. Agatensi.* Neque repugnant D. Thom. & Caietan. *2.2. quæst. 185. art. 7. ad 2.* Dum enim D. Thom. ibi ait, *si de eo, quod vsui Episcopi vel alicuius clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, id est, vt non indigeant: non autem vt ditiores inde fiant.* Dũ, inquam, ita ait, loquitur de tota portione ipsi deputata: vt satis patet ex dictis disputat. 143. non vero de illa eiusdem portionis parte, qua indiget ad suam competentem sustentationem, & quam totam, cessantibus grauibus proximorum necessitatibus, licite poterat secum expẽdere, si quid enim inde subtrahat, licite potest conferre consanguineis diuitibus.

2 Vt vero disput. præcedente cum Maiore, Nauar. Couar. & aliis, quos Couar. citat, dictum est, non solum potest vnusquisq; beneficiarius sumere de reditibus sui beneficii integram suam competentem sustentationem; sed etiam, si maiori parte dignus sit, in recompensationem ac mercedem iustam pro industria, labore suscepto, & vtilitate, quam suis ministeriis Ecclesiæ affert, potest id totum accipere & A expendere in quos vsus voluerit; non secus ac si essent bona sua patrimonialia.

Hinc vult Nauarrus *in Apol. quæst. 1. monito 30. & sequentib. & monito 78.* & consentiunt Sotus *10. de iustit. quæst. 4. art. 3.* Maior & Couar. *locis citatis*, & Molina *libr. 2. de primogen. cap. 10. num. 50.* si beneficiarius parce viuendo minus consumat de reditibus sui beneficii, quam in suam competentem sustentationẽ licite poterat, aut quam pro ratione industriæ, laboris & vtilitatis suorum ministeriorum dignus erat accipere, totum id incrementum posse conuertere in vsus quos voluerit, non secus ac bona sua patrimonialia. Quin & Nauar. affirmat, posse de incremento illo toto testari, etiam ad profanos, seu non pios vsus, eo pacto, quo de suis bonis patrimonialibus, aut aliunde, quam ex beneficio acquisitis, potest licite testari ad quæ voluerit. 3

Fere hactenus dicta confirmat, quod cum in clericorum spoliis, quæ ad Apostolicam Cameram spectant, annumerentur, quæ ex reditibus suorum beneficiorum clericis post mortem, saltem in re aliqua ex illis empta, aut in quouis alio effectu vnde facti sint locupletiores, supersunt, vt *in opusculo de spoliis clericorum, §. 1. §. 6. num. 20. & §. 7. num. 7.* Nauarrus ostendit, non vero alia licite vndecunque acquisita, Pius Quintus in Bulla, quam idem Nauarrus *§. 8. sequenti* refert, statuit, vt quando beneficiarius, aut pensionarius, solum habuit annuos reditus ex suo beneficio, aut beneficiis, vel pensione, nõ excedentes valorem triginta ducatorum auri de Camera secundum communem æstimationem, non censeatur post mortem relinquere vlla spolia. Cuius constitutionis, vt *ibidem* subiungit Nauar. *num. 7. & tradit in Apol. quæst. 1. monito 80.* ratio est, Quoniam tam exigui reditus necessarij censentur ad competentem beneficiarii, aut pensionarij sustentationem, etiam vbi pecunia, propter illius raritatem, multum valet: beneficiarius autem ac pensionarius, etiam si aliunde diues sit, integram suam sustentationem accipere potest de reditibus beneficii aut pensionis, reseruando de hæredibus, aut ad alios quoscunque vsus cætera omnia sua bona. 4

Ex eadem bulla Nauar. *locis citatis* aduersus quosdam, qui contrarium asseruerunt, recte colligit, pensionarios annumerandos esse cum beneficiariis ad D effectum, vt quæ vltra suam competentem sustentationem ipsis de pensione superfuerint, teneantur in vita expendere in operibus piis, & vt post mortem computãda sint in spoliis clericorum: id quod monito 90. citato multis confirmat. Quod intelligendum est de pensionariis Ecclesiasticis; secus de laicis, quibus ob bene merita, aut obsequia pensio est concessa. 5

Sustentatio congrua in indiuisibili nõ consistit.

Illud quoque est statuendum, sicut iustum cuiusque rei pretium regulariter non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem quandam, infimi, medij & supremi seu rigorosi: sic, quod necessarium est ex reditibus beneficii ad congruam cuiusque beneficiarij in particulari sustentationem, non consistere in indiuisibili. Non solum, quia pro diuersitate temporum & circumstantiarum plus requiritur vno anno, quam alio, sed etiam quoniam vno & eodem anno, existentibusque eisdem circumstantiis, prudens humana existimatio attingere non potest medium vsque ad indiuisibile comparatione cuiusque beneficiarij in particulari: & quoniam virtutes humanæ morales tale medium non requirũt, sed latitudinem in eo, absque ipsarum vitio, patiuntur. Sic res habet in temperantia comparatione vnius & eiusdem hominis hic, & nunc tali vel tali modo affecti: sic in fortitudine; sic etiam in iustitia, comparatione pretij hic & nunc huius equi aut domus; eodemque modo res habent in re, de qua disputamus. Quin, quo beneficiarius spectatis omnibus circumstantiis, plus indiget ad congruam suam 6

sustentationem, eo latitudo inter infimum & supremum eius, quo prudentis arbitrio ad eam indiget, est maior: sicut etiam quo pretiosior est res, eo latitudo inter infimum & supremum pretium illius est maior. Cum hæc ita sint, communique Doctorum sententia probentur, non immerito Nauarr. *in Apol. quæst. 1. monito 32. num. 2.* asserit, vnumquemque beneficiarium insumendo de reditibus sui beneficij in suam sustentationem infimum solum, quod prudentis arbitrio licite potest insumere, posse reseruare ad quoscunque vsus vsque ad supremum, quod eiusdem prudentis arbitrio licite etiam posset insumere. Vt si comparatione huius beneficiarij habentis tot reditus, concurrentibusque in particulari his circumstantiis, infimum, quod hoc anno licite potest insumere, sint octingenti aurei, medium non B
genti, & supremum mille, solumque insumat octingentos; posse licite reseruare, ad quos vsus voluerit ducentos, qui vsque ad mille supersunt. Denique illud est obseruandum. Nos in congrua sustentatione, vt de ea nunc loquimur, non comprehendere, quod recta ratio præscribit, vt pro qualitate sui status expendat in eleemosynis & aliis operibus piis, sed solum in aliis rebus, quæ, cum alioquin licitæ sint, inter pia non computantur. Licet enim sumptus necessarii ad eas eleemosynas, eaque opera pia, quæ status cuiusque beneficiarii postulat, quodammodo in congrua illius sustentatione comprehendantur, vt disputatione præcedente dictum est: quia tamen integrum est illi longe liberaliorem esse ad eius generis opera, *multo plura efficiendo*, quam status ipsius postulet, in illisque insumendo, non solum reditus integros sui beneficii, sed etiam quæcunque alia sua bona, & hoc loco solum inuestigamus, quantum de reditibus sui beneficii ad alia indigeat, vt reliquum in operib. piis insumere teneatur, inde est, quod in istius cõgrua sustentatione solum ea hoc loco comprehendamus, quibus ad res alias indiget.

His ita constitutis, licet nulla hac de re possit status certa regula, propter illius inconstantiã, & quod ex variis pendeat circumstantiis, sed prudentis arbitrio, omnibus spectatis, iudicium de ea in particulari sit relinquendum; dicenda tamen sunt aliqua, quo id commodius fiat.

7 *Congrua sustentatio quam late se extendat.*

Primum est. Pro qualitate beneficii, & quantitate reditnum, licitum esse maiorem, splendidioremque habere familiam, atque adeo plus in suam congruam sustentationem insumere. Quis enim dicat tantum fas esse insumere de fructibus sui beneficii in suam congruam sustentationem canonico, quantum episcopo eiusdem Ecclesiæ? aut quantum Decano, si longo interuallo reditus Decanatus illius Ecclesiæ superant reditus simplicis Canonicatus? Quis item dicat, tantum fas esse similiter insumere canonico Conimbricensi, quantum Eborensi, Conchensi, aut Toletano, quorum canonicatuum reditus in duplo aut triplo, vel quadruplo superent reditus canonicatuum Conimbricensium? Aut tantum fas esse insumere Episcopo Portuensi, E
quantum Conimbricensi, aut Granatensi Archiepiscopo, quantum Toletano cum reditus Toletani & Conimbricensis, in triplo aut quadruplo superet reditus Granatensis & Portuensis.

8 Secundum est. Licet pro qualitate beneficii & quantitate reditnum illius, nec non pro diuersitate quarundam aliarum circumstantiarum, de quibus statum erit sermo, fas sit ampliorem, splendidioremq; habere familiam, atque adeo plus insumere de reditibus beneficij, aut beneficiorum in suam congruam sustentationem; semper tamen memoria esse retinendum, opereque implendum, præceptum illud Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 1. de reformatione*, disputat. præcedente relatum. Nempe, vt Episcopi & cæteri beneficiarij, non solum modesta A supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Hoc tamen non impedit, quo minus pro diuersitate beneficiorum, reditnum, & aliarum circumstantiarum, beneficiarius vnus ampliorem, splendidioremque possit habere familiam, & lautiorem mensam, pretiosioremque ac splendidiorem supellectilem. Quod enim modesta supellex & mensa, & frugalis victus, mediocrisque familia, prudentis arbitrio, iudicabitur comparatione summi Pontificis, Cardinalis, qui Regis sit filius, Toletani Archiepiscopi, & similium, non iudicabitur comparatione inferiorum Prælatorum. Et quod comparatione Prælati iudicabitur mediocre & modestũ, non iudicabitur comparatione simplicis canonici, aut inferioris alicuius beneficiarij, & sic de cæteris, spectata cuiusque conditione & gradu. Vnusquisque tamen ita in suo ordine & gradu, amplitudine & splendore familiæ, tueri, augereque potest suam authoritatem & honorem, vt obseruet, ne in recreationibus, conuiuiis, & cæteris aliis rebus, quicquam fiat, vel profanum, vel immo deratum aut immodestum, quodque clericalem statum dedeceat, eo magis, quo in altiori constitutus fuerit dignitate, plus in eo morum integritas, & vitæ sanctitas elucere debent. Neque enim, quæ in similibus rebus secularibus principibus, magnatibus, aut aliis nobilibus, etiamsi pauciores reditus, quam ipsi habeant, indecora non sunt; illis vlla ratione licent, vtpote valde ipsis indecora, & aliis scandalosa.

Tertium est. Decentem beneficiarii sustentationem non solum comprehendere, quæ ad se, suamque familiam, iuxta ea quæ dicta sunt, alendã, sunt necessaria, sed etiam quæ necessaria sunt ad moderata conuiuia, pro beneficiarii qualitate, consanguineis & amicis exhibenda, & ad hospites excipiendos, non solum quãdo charitas id postulat, quoniam id inter opera pia est computandum, hisque verbis Concilium Tridentin. *sess. 25. ca. 8. de reformatione*, ad id hortatur: *Admonet sancta Synodus quæcunq; Ecclesiastica beneficia, secularia seu regalia obtinentes, vt hospitalitatis officium, a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum prouentus liebit, prompte benigneque exercere assuescant, memores eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere: sed etiam quando sola humanitas vrbanitasque, attenta beneficiarii qualitate id exigit.* Prudenter tamen Nauar. *in Apol. quæst. 1. monito 78 nume. 2.* admonet, vt quando eiusmodi hospitia à religiosis in suis conuentibus laicis iusta aliqua de causa sunt exhibenda, ea moderatione pro hospitis qualitate fiant, vt ex frugalitate ædificationem, nõ vero scandalum ex prodigalitate, abundantia, & varietate ciborum, præsertim si exquisiti sint, secum asportent.

Eodem modo decens beneficiarii sustentatio 10
comprehendit, nõ solum vnde renumeratorias, vt Nauar. *in Apol. quæst. 1. monito 82. num. 9.* recte asserit, sed etiam vnde moderatas mere liberales donationes, pro loco & tempore, iuxta suam conditionem ac statum efficiat, munuscula aliqua ad eos mittendo, à quibus neque retributionem sperat, neque aliquid prius accepit, & similiter alia liberaliter donãdo: vniuersimque ea omnia comprehendit decens illius sustentatio, quæ secundum honestam & laudabilem consuetudinem in vsu sunt in hominibus suæ conditionis ac status.

De remuneratoriis donationibus non est, quod 11
in dubium vertatur: quoniã licet ad eas non teneatur ex iustitia, tenetur tamen ex gratitudine, & interdum sub culpa veniali, quam non est credẽdum ecclesiam vel incurrat, reditus beneficij ad pia o-

pera

pera reseruando. Et saltem illæ sunt iuxtà virtutes liberalitatis & gratitudinis, easque postulat eorum status; modò tamen fiant moderate, neque inde occasio sumatur defraudandi opera pia portione redituum, quæ vltra competétem beneficiarij sustentationem illis debetur. Vnde probe loco citato ait Nauarr. quamuis fas sit beneficiario remunerare obsequia gratis sibi impensa, aut alia beneficia in se collata, plus quam ad æqualitatem; quoniam iuxta D. Thom. 2. 2. quæst. 10. artic. 6. Aristot. 5. Ethicor. cap. 5. id postulat gratitudinis virtus: non tamen immoderate. Quare, quod ad æqualitatem prudentis arbitrio compensaretur duodecim aureis, posset beneficiarius de reditibus sui beneficij compensare, quatuordecim, aut quindecim, non vero triginta, aut quadraginta: quoniam cederet in detrimẽtum piorum operum, ad quæ de incremento redituum sui beneficii vltra suam competentem sustentationem tenetur.

12 De moderatis mere liberalibus donationibus pro sua conditione & statu, probatur. Tum, quia id postulat ipsius conditio & status: omnia autem ex reditibus beneficii licent, quæ beneficiarij conditio & status postulant. Tum etiam, quoniam vt infra *disput.* 274. & dum de cõtractu societatis erit sermo: dicetur, in competenti vxoris sustẽtatione pro dote includitur, vt efficere possit moderatas eleemosynas & donationes, quas mulieres sui status & conditionis solent efficere; neque sine iusta causa potest illas ei prohibere maritus; longe autem maiori cum ratione censendæ sunt comprehendi in competenti beneficiarij sustẽtatione de reditibus sui beneficij, quorum, vt probauimus, est dominus, & qui sui iuris est ad illos rationabiliter expendendos. Eademque est ratio de cæteris, quæ subiunximus comprehendi in competenti beneficiarii sustentatione. Quando ergo Nauar. *in Apolog. quæst. 1. monito 78. nu. 1.* negat, donationes ex sola liberalitate & amicitia factas de reditibus beneficii licitas esse beneficiario, intelligendus est de immoderatis: secus autem de moderatis, quas recta ratio pro loco & tempore, & proi condition e & statu beneficiarij exigit, vt in progressu eiusdem operis satis seipsum explicat.

13 Quartum est, consuetudinem beneficiariorum piæ timoratæque conscientiæ in vnoquoque loco, merito habendam esse pro regula, ad quam similes beneficiarii tuto admetiri possunt familiã & sumptus ad suam competentem sustentationem, quando nulla interuenit circumstãtia, quæ aliud exigat. Vt, si quis ad Eborensem canonicatum promoueatur, poterit ad exemplum canonicorum honestorũ ac timoratorũ moderari sumptus propriæ domus ac familiæ. Neque, quod is, qui permouetur, paulo antea esset clericus pauper & infimæ sortis, tollit, quo minus ratione redituum, & beneficii, statusve noui, ad quem erigitur, facere possit sumptus in sui competentem sustẽtationem, quos timorati alij canonici eiusdem Ecclesiæ, in quibus nulla alia est peculiaris ratio ac circumstantia, cur merito maiores faciant, efficere regulariter assueuerunt.

14 Quintũ est, sumptis beneficiariis omnino æqualibus, vt canonicis similibus vnius & eiusdem Ecclesiæ, fieri optime posse, vt vno & eodem anno lõge plus vnus, quam alius, in sua competenti sustentatione insumat. ac proinde vt pauciora vni, quam alteri, ex æqualibus reditib. ad opera pia superfint. Tum, quia in familia vnius poterunt esse longe plures ægroti, quam in familia alterius, multisque aliis de causis poterunt vni occurrere lõge maiores occasiones sumptuum rationabilium, quam alteri. Tũ etiam, quoniam sæpe accidit, vt vnus ita sciat se gerere in sumptib. faciendis, vt cum splendidius multo, quam alius, viuat, longe tamen minus quam ille, insumat. Multaque alia esse possunt, vnde vnus longe plus quam alius, vno & eodem anno in sua competenti sustentatione insumat. Quo fit, vt, etiam beneficiariis vnius & eiusdem loci, æqualiumque redituum & similium beneficiorum, vno & eodẽ anno, statui non possit certa regula ad arbitrandum quantum de reditibus sui beneficii expendere teneatur in operibus piis, sed ex rerum cursu atque euentu id etiam iudicandum sit.

15 Sextum est, facultatem sumendi de reditibus beneficij tam ample ad competentem sustentationem quam ample hactenus explicauimus, intelligẽdam esse, quando non occurrunt graues admodum proximorum necessitates, & quando fabrica Ecclesiæ aliud non postulat. Quoniam valde absurdum & scandalosum est, pauperes fame perire, & beneficiarios de reditibus Ecclesiasticis & patrimonio Christi laute viuere, amplasque & splendidas habere familias: item ecclesias ruinosas, incultas & fere solo æquatas esse, & vel Episcopos, vel Abbates, vel Priores, aut Commendatarios, quibus fabrica incumbit, similiter viuere, nihilque de tam ampla sustentatione sibi subtrahere.

16 *Adrianus de restit. & Card. Alexandr. à Nauar. in Apol. q. 1. monito 79. num. 1.* relati, voluerunt beneficiarium turpiter viuentem teneri restituere fructus sui beneficii, ac proinde non posse sumere ex illis competentem sustentationem. Dicendum tamen est, id non impedire, quo minus possit inde sumere competentem sustentationem, vt sufficienter ibi probat Nauarrus. Et quoniam attenta fragilitate humana, irrationabiliter id ita statueretur. An vero ex aliis capitibus beneficiarii restituere teneantur, suis locis est disputandum.

17 Dubium est hoc loco, vtrum cæteris paribus, fas sit constitutis in maiori aliqua dignitate, nobilibus, ac literatis accipere de fructibus beneficiorũ splendidiorem, maioremque sustentationem, quam cæteris, hoc est, an fas sit accipere vltra eam quam qualitas & reditus beneficii postulãt, etiam id, quod eorum dignitas, vt cardinalatus, nobilitas, aut eminentia *in literis* ac *doctoratus* gradus, plus postulat. Respondendumque est cum Nauar. *in Apol. q. 1. monito 82. nu. 7.* consentaneè ad Innocentium & alios posse dici. Primo, quoniam vnicuique integrum est sumere de reditibus sui beneficij aut beneficiorum suam integram sustentationem, vndecunq; maiori vel minori indigeat, quando aliunde eam non habet. Secundo, quoniam ea de causa Innocentius III. *c. de multa. de præben.* cum iuxta Concil. Lateranense statuisset, vt nullus plura beneficia curam animarum annexam habẽtia simul habere posset nec plures personatus, adiecit, circa sublimes tamen & literas personatas, quæ maioribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulauerit, per sedem Apostolicam poterit dispensari, consentitq; Concil. Triden. *sess. 23. c. 17.* Eadem etiam de causa Ioannes 22. *in extrauag. execr. bilis*, quæ hodie est inter communes sub titulo de præbẽdis, cum sub certo modo & forma irritas reddidisset dispensationes obtentas circa pluralitatem beneficiorum, adiecit: *Cardinalibus tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui circa nos vniuersali Ecclesiæ seruiendo, & regularium Ecclesiarum commoditatibus se impendũt, & Regum filiis, qui propter sublimitatem eorum ac generis claritatem sunt potiora prærogatiua gratiæ, attollendi dentaxat excepit.* Ac sane, si nefas esset nobili ac literato maiorem sustentationem ex vnoquoque beneficio accipere, quam cuicunque priuato, inutilis omnino, quod ad ipsum attinet, esset dispensatio potius cum illo, quam cum quocunque alio, vt simul habere posset plura beneficia Ecclesiastica, vt Nauar. *loco citato* rectè annotauit.

18 Est tamen hæc doctrina cum duplici moderamine intelligenda. Primum, vt quando aliunde haberet maius illud incrementum, quo, vltra ordinarios similes beneficiarios, ad suam sustentationem indiget, neque dignitas, nobilitas, aut literæ in causa essent

essent maioris vtilitatis Ecclesiæ, propter quam dignus etiam esset maiori illo incremento, non plus, quam alij, ex reditibus beneficiorum posset accipere, sed reliquum operibus piis, vt alij, teneretur reseruare: quando vero vel aliunde non haberet vnde cum illo incremento commode posset sustentari, vel illo etiam incremento esset dignus, propter maiorem vtilitatem, quam vel sua authoritate, vel suis literis Ecclesiæ afferret (id quod vt plurimum eueniet) posset etiam illud incrementum de reditibus beneficij aut beneficiorum accipere. Atque ad hoc attendisse videtur Innocentius, *4. cap. de multa.* dum dixit, cum eiusmodi personis posse per sedem Apostolicam dispensari, vt multa habeant beneficia curata aut personatus, cum ratio id postulauerit: quia videlicet, vel aliunde non habent competentē sustentationem, pro ratione sui status, vel in Ecclesiæ vtilitatem cedet.

19 Secundum, vt fabrica Ecclesiæ incremento illo non indigeat, vt recte Nauarrus *loco citato* notauit. Cum enim de reditibus Ecclesiæ debita sit Ecclesiæ fabricæ, neque æquitas patiatur, vt quando parochiani competentes reditus tribuunt, vnde & congruus minister illis conferatur, & Ecclesiæ fabrica sustentetur, iterum grauentur, vt ad fabricam contribuant; neque item fas sit Ecclesiam, diuinumque cultum non esse qualia oportet: sane cum fabricæ detrimento, nullus propter suam maiorem dignitatem, nobilitatem, aut literas, accipere in suâ splendidiorem, tametsi competentem, sustentationē potest, quod fabricæ est debitum, etiam si ille Cardinalis, Regisque filius sit.

20 Dubium etiam est, vtrū beneficiario fas sit, quæ, *Quæstio.* vltra congruam suâ sustentationem de reditib. sui beneficij, sibi supersunt, teneturque insumere in operibus piis, reseruare in suas aut aliorum, quas in futurum timet, necessitates; vel vt, cum sufficientem eiusmodi pecuniæ copiam habuerit congregatam, collegium, aut hospitale, vel aliud opus pium, quod non nisi magna pecuniarum summa construi *Solutio.* potest, instituat. Dicendumque est, modo non occurrant graues præsentes proximorum necessitates, & modo id prudenter fiat, quia verisimiliter tales necessitates tam certo ita de proximo timentur, vt non speretur posse eis aliter commode occurri, aut quia opus illud pium, vtile est, verisimileq; est, morte non præueniente, exitum habiturum, id licere. Sunt tamen in similibus rebus ante oculos habenda, hominum inconstantia, tenacitas in retinendis, quæ insumere tenentur, & quot obtendicula & excusationes ad id quærant, libique facile persuadeant: nec non quam longam vitam sperent, & quā facile repentina morte, quod intendunt, ad exitum non perducant, atque ita fiat, vt, quæ in eum pium finem congregarunt, in eorum potestatem deueniant, qui profane ac perdite illa insumant, lege si placet Nauar. *loco citato, monito 76. nu. 5.*

21 Illud vero est obseruandum, quamuis necessariū non sit, vt ea pia opera ad quæ beneficiarius de superfluo reditum sui beneficij tenetur, fiant in eo loco vbi beneficium est situm, vt bene probat Nauarrus *monito 77. sequenti*: quando tamen aliud non postulat commune Diœcesis, Regni, aut totius Ecclesiæ bonum, vt si Collegium in Vniuersitate à loco beneficii distante ad ministros Ecclesiæ educandos, aut aliud simile fiat, vel non occurrit peculiaris alia ratio, quæ id persuadeat, sane eiusmodi opera pia potius fieri deberent, in populi vtilitatem, qui reditus contribuit, quam alterius. Quoniam, & recta ratio, & beneficiarij apud eos, à quibus pascitur, quibusque est datus minister, ædificatio id postulant. Vnde Ioannes XXII. *in extrauag. execrabilis, de præbend.* inter incommoda, quæ comitari refert pluralitatem beneficiorum, in quibus beneficiarius nō potest simul residere, sic ait: *Habentibus ipsa paratur vagandi materia, Diuini cultus minuuntur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita, non seruatur, &c.* Licet ergo cōgruens sit, vt Episcopus in locō Cathedralis Ecclesiæ vberiores eleemosynas, operaque alia pia efficiat; quia tamen ab vniuersa Diœcesi reditus accipit, expediret, vt pro locorum indigentia & qualitate, in aliis etiam suæ Diœcesis oppidis eleemosynas aliquas efficeret.

Quam ample', salua conscientia, potuimus, rem 22 hanc congruæ beneficiorum sustentationis, dominiique in reditus suorum beneficiorum extendimus. Tum quoniam præter alia, confessarios instituimus, qui præcipites esse non debent ad viam salutis æternæ arctandam, maiusque onus iniungendum, quam par sit, idve damnandum, quod consentanea, probabilique ratione tolerari potest. Tum etiam ne magnam beneficiariorum partem in desperationis barathrum iniiceremus, & ne dum graue, attenta fragilitate humana, onus eis imponitur, neque id, quod ad sempiternam felicitatem adipiscendam illis est necessarium, efficiant. Ipsorum vero erit assidue meditari, se fidelium fudorib. Christique patrimonio tam copiose ali, vt vitæ integritate, suisque sacrificiis & orationibus, Deum propitium ipsis reddant, dona, ac veniam ab eo illis obtineant, verbo & exemplo eos doceant, viamque salutis æternæ, præeundo, eis ostendant, eos regant, sacramentaque illis administrent. Quæ sane meditatio satis esse deberet, vt secum valde essent parci, in pauperes aliaque opera pia multum benigni, nihilque de tam sancto patrimonio insumerent, nisi prout recta ratio, Christiana charitas, ac vitę sanctitas, ad quam pro suo munere & gradu tenentur postulant. Eorundem etiam erit ante oculos habere, quam multi graues authores sint, qui arctius multo quam nos & Doctores, quos sequimur, hac de re loquantur, & quam prudens ipsis vtile, & securum sit consilium in re tanti momenti iuxta securiorem opinionem mores suos componere, reditusque suorum beneficiorum expendere, atque antiquum hac in parte Christianæ Ecclesiæ splendorem imitari: præsertim cum id Deo, Angelis, & hominibus gratiores, commendabiliores, ac amabiliores eos reddat, cumulatiusque ipsis sempiternæ beatitudinis promereatur præmium.

SVMMARIVM.

1 *Quando beneficiarii possint bona patrimonialia reseruare, & reditus consanguineis distributis tribuere.*
2 *An beneficiarius si quid congruæ sustentationi subtraxit, aut præmio quo dignus erat, possit post concilium Triden. illud consanguineis conferre.*
3 *Refertur contraria quorundam sententia.*
4 *Quid beneficiariis concilium Triden. interdicat.*
5 *Quousque de reditibus beneficiorum conferre possint cōsanguineis in sustentationem & dotem.*
6 *An beneficiarius teneatur in occurrentibus naturæ necessitatibus tam extraneis quam consanguineis subuenire de reditibus beneficii.*
7 *Licet beneficiarius habeat propria bona, potest de reditibus sui beneficii subuenire consanguineis egentibus.*
8 *Beneficiarius si alia bona habeat, non potest filio aut filiæ spuriæ tradere dotem aut sustentationem de superfluo sui beneficii.*
9 *Si humili loco natus euehatur in magnam dignitatē an possit consanguineis competentem pro statu sustentationem habētibus, illam de reditibus beneficii augere.*
10 *Non licet beneficiario nobili tantam filiæ spuriæ dotem conferre de reditibus beneficii, quantam homo coniugatus æqualis secum conditionis in competentem filiæ legitimæ dotem conferret.*

11 *Fas est beneficiario nobili plus in alimentis & moderatã dotem tali filiæ conferre, quam si esset spuria sacerdotis infimæ conditionis.*

BENEFICIARII QVOSQVE DE bonis suis conferre possint consanguineis.

DISPVTATIO 146.

Disputatio hæc appendix est præcedentis, idcirco ab ea diuecta, ne illa longitudine confusionem ac tædium pararet.

1 Quando non occurrunt graues aliorum proximorum necessitates, cessatque scandalum, beneficiarij absque lethali culpa reseruare possunt bona omnia sua patrimonialia, & aliunde, quam ex reditibus beneficij acquisita, nec non reditus horum omnium bonorum, eaq; omnia tribuere consanguineis diuitibus, etiam emendo & instituendo ex illis maioratum, quem alicui eorum tribuant. Assertio hæc patet ex dictis disputat. præcedente: quoniam reseruare ea possunt in quoscunque vsus voluerint, ac sumere integram suam sustentationem de reditibus sui beneficij. Ab ea tamẽ est excipiendum, nisi consanguineus sit filius eorum illegitimus, nõdum legitimatus ad succedendum in omnibus illis bonis. Tunc enim solum possunt illi tribuere, quæ infra dicemus, dum de successione filiorum illegitimorum erit sermo.

2 *Quæstio.* Cum disputatione præcedente ostensum sit; si beneficiarius parce viuendo minus cõsumat de reditibus sui beneficij, quam in suam competentem sustentationem licite poterat, aut quam pro ratione suæ industriæ, laboris, & vtilitatis suorum ministeriorum dignus erat accipere, posse id totum cõuertere in quoscunque vsus voluerit, non secus ac alia bona sua patrimonialia, dubium est, an saltem post præceptum Concilij Tridentini disput. præcedente relatum, possit beneficiarius illud conferre consanguineis, aut familiarib. diuitibus, quemadmodum potest in quoscunque alios vsus non pios, licitos tamen, illud expendere. Non deficit, qui, cum confiteretur ex natura rei licitum esse, post præceptũ tamen Concilij Tridentini licitum negaret.

3 *Responsio.* Contrarium asseruerunt, non solum Sotus 10. *de iust. qu. 4. art. 3.* affirmans, posse inde emere consanguineo diuiti annuos reditus in maioratus modũ, quo statum suum augeat ac mutet, & Maior *in 4 dist. 24. q. 17.* qui ante Concilium Tridentinum scripserunt, sed etiam Nauar, *in Apolog. quæst. 1. monito 30. & 78. & Molina tom. 2 de primog. c. 12. n. 50.* qui post Concilium Tridentinum scripsere. Atque hæc sententia

4 mihi placet, quando scandalum cessaret. Ducor primo, quoniam Concilium Tridentinum solum interdicit beneficiariis studium augendi consanguineos aut familiares suos de reditibus ecclesiasticis: studium autem solum sonat cupiditatem plus, quã par est, illos augendi, atque adeo illicite. Neque enim censendum est velle, aut id rationi esse consentaneum, vt quod licite donare possent extraneis diuitibus, consanguineis & familiaribus, quibus magis sunt astricti, quoque, cæteris paribus, ratio & virtus, vt præferant, postulant, nulla ratione conferre valeant. Secundo, quoniam licet Concilium Tridentinum eo in loco nomine redituum ecclesiæ intelligat etiam fructus beneficiorum, non tamen eos solos intelligit, sed etiam beneficia ipsa ecclesiastica & bona immobilia ipsarum ecclesiarum, vt expendenti verba sequentia in eodem capite satis est manifestum: quis autem dicat, mentem Concilij in eo præcepto fuisse interdicere episcopis & aliis beneficiariis ne vlla ratione conferrent beneficia ecclesiastica suis consanguineis aut familiaribus diuitibus, aut, vt cæteris paribus, eos æque dignos non præferrent extraneis. Tertio quoniam, vt Nauar. locis citatis probe notat, id quod parce viuendo sibi beneficiarius de sua competenti sustentatione reseruauit, & quod vltra suam competentem sustentationẽ promeritus est, nõ habẽt iam rationem fructuũ beneficij, quos proinde solum, vel in suam honestam sustentationem, vel in operibus piis teneatur expendere, sed habent rationem bonorum sua propria industria acquisitorum, computanturque proinde cum aliis patrimonialibus aliundeque quam ex beneficio, acquisitis eorum bonis: quo fit, vt in reditibus ecclesiæ, de quibus eo præcepto est sermo, minime comprehendantur.

Solum superest explicemus, quousque de iis reditibus beneficiorum, quos alioquin expendere tenebantur in operibus piis, conferre possint aliqua consanguineis. Dicendum que est, si tales cõsanguinei pauperes sint, qui pro sui status ratione non habeant competentem sustentationem, aut si nubiles fœminæ sint, quæ pro qualitate sui status non habeant moderatam competentem dotem, posse illis conferre solum quousque nõ egeant, hoc est, quantum (adhibentibus simul illis pro conditione sui status industriam & laborem, vt sibi etiam acquirant) indiguerint ad competentem moderatam sustentationem aut quantum indiguerint ad competentem moderatam. Ita D. Tho. 2 2. q. 185. *art. 7. ad 2.* cum *Ambrosio*, quem refert, *lib. 1. offic. c. 30.* & habetur *c. si probanda, habito c. considerandã. 86. dist.* & Cajet. apertius ad eandem D. Thomæ responsionem ad 2. verba D. Thomæ exposuimus disput. præcedente. In eadem sententia est idem Cajet *eadem 2. 2. q. 43. art 8.* dum ait. *Pauperes non solum, qui egent cibo, potu, aut veste, quæ sunt necessaria naturæ: sed qui egent opportunis ad conuenientiam sui status, ac proinde prælatos ecclesiasticos eo modo posse distribuere illis, sicut aliis pauperibus.* In eadem est *Nauar. in Apol. qu. 1. monito 77. numero 4.*

5 *Iustentationem & competentem dotem quousque consanguineis tribuere possint*

Est tamen hæc doctrina intelligenda, dummodo graues aliæ proximorum necessitates nõ occurrant. Neque enim æquitas patitur, vt licet beneficiarius de reditibus beneficij, quos in operibus piis insumere tenetur; subuenire potius debeat consanguineis, quam extraneis, prætermittat subuenire extremis aut pene extremis occurrentibus naturæ necessitatibus proximorum extraneorum, vt consanguineis subueniat in iis, quibus solum indigent ad conuenientiam status.

6

Illud est obseruandum, quamuis beneficiarius, præter reditus beneficij habeat alia propria sua bona, de quibus disponere potest ad quos vsus voluerit, posse de reditibus sui beneficij subuenire consanguineis egentibus, vel ad eorum congruam sustentationem, vel ad congruam dotem. Ratio est, quoniam solum superfluum sui beneficij tenetur expendere in operibus piis: illa autem subuentio opus est pium, ac proinde illa satisfacit. Quamuis laudabilius multo faceret, si de aliis suis bonis illis subueniret, & superfluum reditũ beneficij ad alia pia opera reseruaret.

7

Illud præterea magnopere est obseruandum, quod quemadmodum si alij consanguinei haberent parentes, qui illis possent ac deberent sufficiẽter subuenire, non posset beneficiarius id præuenire tribuendo illis superfluum redituum sui beneficij, quoniam in eo euentu illi simpliciter essent diuites; ita si beneficiarius haberet alia bona sua vnde subuenire posset proprio filio, aut filiæ spuriis, non posset illis tradere dotem aut competentem sustentationem de superfluo sui beneficij, sed de aliis suis propriis bonis. Quoniam, præterquam quod cum peccato, & contra id, quod status beneficij postulabat, eos genuerit, similiter essent simpliciter diuites. Quando tamen tales filij, aut alij consanguinei diuites, essent in familia beneficiarij, neque illam augerent

8

gerent vltra id, quod qualitas & reditus beneficij postulant, possent illis reddere sustentationem de reditibus beneficii, sicut aliis de eadem familia. Præterea, si obsequia exhiberent, quæ vltra sustentationem digna essent maiori aliqua compensatione; eam quoque posset illis exhibere de reditibus beneficij: quoniam ea omnia incongrua beneficiarij sustentatione ineluduntur, quam totam de reditib. sui beneficij potest accipere.

9 *Dubium.* Dubium est, virum si aliquis humili loco natus, habens fratres, aut consobrinos ex fratribus vel sororibus, qui pro sua conditione & statu competentem habeant sustentationem, euehatur in magnam aliquam dignitatem, vt in episcopatū, aut in aliud pinguissimum beneficium, eo ipso accrescat illorū consanguineorum conditio & status, ita vt plus egeant ad suam congruam mediocrem sustentationem, & ad dotem competentem, possitque proinde beneficiarius de reditibus beneficij, quod ad id eis defuerit, licite illis conferre, & multo maiori cum ratione patri aut matri, si superstites fuerint, quibus tenetur se gratum exhibere, debitumque honorem illis deferre. *Responsio.* Respondendum q; est cum Nauar. *cap. 27. cit. n. 5.* accrescere aliquantulum, posseq; beneficiarium licite illis conferre, non quantū exigere solent, & quantum beneficiariorum inordinata ad illos affectio facile sibi solet persuadere ipsis licere, sed moderate prudentis & timorati viri arbitrio, spectatisq; circumstantiis omnibus, & saltem quantum par est, vt dedecus & pudor merito nō sit beneficiario, erga propinquos, tā arcte sibi coniunctos ita abiecte se gerere.

10 *Dos filiæ spuriæ.* De filia spuria beneficiarii nobilis, aut in magna aliqua dignitate constituti, dicendū est. Fas non esse beneficiario cōferre illi de reditibus beneficij quos alioquin expendere tenebatur in operibus piis, tantam dotem, quantam homo coniugatus æqualis secum conditionis conferret in competentē & moderatam dotem filiæ suæ legitimæ, vt est notissimum: quoniam neque talis coniugatus solet æqualem dotem, sed longe inferiorē simili suæ filiæ spuriæ, imo neque naturali illegitimæ conferre, neque æquum esset conferre, pareuque illam efficere cum legitimis: non vero melioris, sed inferioris conditionis filia spuria clerici, quam suscepta ex adulterio coniugati.

11 Quicquid vero dicat Maior *in 4 dist. 24. qu. 19.* dicendum est, fas nihilominus eiusmodi beneficiario esse, plus in alimentis & moderatam dotem tali filię conferre, quam si esset spuria sacerdotis pauperis & infimæ conditionis: quoniam ex statu & qualitate parentis accrescit status, qualitas, & conditio filiæ spuriæ. Cum ergo talis beneficiarius iure etiam canonico, teneatur præstare eiusmodi filiæ alimenta qualitate parentis competentia, atque adeo dotem, quæ ad eiusmodi alimenta in totam vitam sibi sufficiant, ad id q; ipse dum viuit, hæredesq; ipsius post mortem in exteriori foro cogi possint; fane saltem id totum conferre illi potest, quod attenta qualitate & conditione parentis, prudentis arbitrio filiæ illi in exteriori foro adiudicaretur: quoniam non solū tanta dote indiget, sed etiam tāta est illi à parēte debita. Probat vero optime Nauar. *de spoliis cleric. § vlt. nu. 9. & seqq.* etiam post bullam Pij *V. in eo §. relatam*, qua stricte prohibet bona clericorum deriuari in filios ipsorum spurios, fas esse, etiam de reditibus beneficii conferre illis alimēta, ac filiabus competentem dotem. Quoniam similes prohibitiones nihil horum cēsendæ sunt comprehendere, neque forte licite possent.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiarius fas est testari ad quoscunque vsus de bonis patrimonialibus etiam intuitu ministerii ecclesiastici acquisitis.*

2 *Beneficiarii non possunt testamentum facere de prædiis beneficio annexis.*

3 *Beneficiarius potest testamentum condere ad quoscunque vsus de iis, q̄ cōpetenti suæ sustētationi subtraxit.*

4 *Si beneficiarius aliqua de propriis bonis insumat, quæ insumere poterat de reditib. beneficii, potest ad quoscunq; vsus testari de æquali portione reditū beneficii.*

5 *Beneficiarii de reditibus suorum beneficiorum, in quib. locupletiores facti testamentum condere non valent.*

6 *Beneficiarius potest testamentū facere de modica quantitate rerum mobilium, relinquendo illa pauperibus.*

7 *Bona beneficiarii defuncti remanentia ex fructibus beneficii ad quem pertineant.*

8 *Beneficiarius qui de communi capitulari mēsa tanquā pars communitatis illius non accipit reditus sui beneficii, censetur succedere in beneficium defuncti.*

9 *Prælato successori obueniunt omnia à prædecessore reseruata, etiam ea, quæ tempore vacationis obuenerūt.*

10 *Spolia clericorum ad cameram pertinent Apostolicam.*

11 *Quæ decretis Pontificum censeātur spolia clericorum, & quæ excipiantur à spoliis.*

12 *In quibus prouinciis spolia clericorum ad cameram Apostolicam pertineant.*

13 *Prælati in Hispaniis non testantur.*

14 *Beneficiarii in Castella de reditibus suorum beneficiorū testamentum condunt.*

15 *Si beneficiarii in Lusitania morte præuenti nō disposuerint de quibusdam immobilibus, an illa ad proximiorem hæredem pertineant.*

16 *In quibus ciuitatibus liceat beneficiario curam animarum habenti testamentum condere.*

17 *Beneficiario mortuo, Episcopus eligit de mobilibus rem etiam quam vult.*

18 *Cur consuetudo luctuosæ soluendæ introducta.*

19 *Non fas est Episcopo luctuosam expēdere in vsus pfanos.*

20 *Episcopus non potest accipere luctuosam, quando beneficium defuncti non excedit annuos reditus triginta ducatorum.*

21 *Prælatus non potest rem vllam beneficiarii cultui diuino dicatam in luctuosam accipere.*

22 *An liceat Prælato in luctuosam mensam accipere.*

23 *An sit aliqua consuetudo, qua beneficiariis, qui Episcopi non sunt, liceat testamentum constituere de reditibus beneficiorum ad vsus non pios.*

24 *Refertur contraria quorundam sententia.*

25 *An consuetudo ius tribuere possit beneficiariis testādi ad pios vsus de bonis remissiue.*

26 *Consuetudo legitimo tempore præscripta, vt beneficiarii de bonis ad libitum testentur, etiam ad non pios vsus, potest efficere validum eorum testamentum.*

27 *Beneficiarii insumentes bona beneficiorum in vita vel in morte in vsus profanos, peccant contra ius naturæ.*

28 *Si intestati decedant, valide bona ipsorum ex beneficiis parta ad hæredes ab intestato pertinent.*

29 *Si intest. decedant, cōsuetudo est præscripta in Hispaniis, vt in eorum omnibus bonis succedant hæredes ab intestato.*

30 *Summus Pontif. concedere potest legem, nil cōsuetudine in cōtrarium impediente, vt neque beneficiarii testari in posterum possint de bonis beneficiorum, neque in eis hæredes ab intestato succedere.*

31 *Beneficiarii lethaliter peccant, testamentum condentes de notabili beneficii portione ad vsus profanos.*

32 *Refellitur quod obiici poterat.*

33 *Fas est summo Pontif. ex rationabili causa concedere beneficiariis facultatem ad vsus pfanos.*

34 *Potestas testamentū cōdendi beneficiariis ad vsus pfanos ex irrationabili causa à summo Pontifice cōcessa, nullius est valoris.*

35 *Facul-*

35 *Facultas testamentum faciendi à Summo Pontifice concessa, quomodo intelligenda.*

36 *An bona, quæ in Hispaniis remanent post mortem Prælati, censenda sint acquisita ex reditibus Episcopatus, & pertinere ad Cameram Apostolicam: an potius patrimonialia, & pertinere ad legitimos hæredes, si ab intestato discedat.*

37 *Prælatus quæ reliquit bona, quousque ex beneficio parta censenda sint.*

QVOVSQVE BENEFICIARII testari possunt.

DISPVTATIO 147.

1 4.Conclusio. DIcemus primo, quousque beneficiariis testari liceat stando in sola iuris canonici dispositione: deinde vero quousq; consuetudine fas id eis sit.

Sit ergo prima conclusio. Beneficiariis, etiamsi Episcopi sint, fas est testari ad quoscunque vsus, de omnibus suis bonis primi & secundi generis dispu. 142. explicatis, hoc est, de omnib. suis bonis patrimonialibus, & quacunque alia ratione, etiam intuitu ministerij Ecclesiastici acquisitis, præterquam de reditibus sui beneficij. Hæc ex dictis disputationibus præcedentibus est manifesta. Nec non quia verum habent horum omnium bonorum dominium, neq; vlla iuris positiui reperitur lex, quæ illos de eis testari prohibeat. Est etiam communis Doctorũ, vt *Couar. cap. 1. de testam. à n. 1. Iulius Clarus lib. 3. sent. q. 27. & Molina lib. 2. de primog. c. p. 12. num. 27.* referunt, etiam quoad bona intuitu ministerij Ecclesiastici acquisita, vt *Couar. cap. 1. de test. n. 11. Nauar. in Apol. q. 1. monito 22. n. 1. & 3. monito 1.* referunt, satisq; efficaciter probant. Colligitur etiam aperte *ex c. Episcopi, 12. q. 1.* cuius hæc sunt verba: *Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant.* Ex *cap. placuit, 12. q. 3. ca. sixum, 12. q. 5. cap. quia nos, de testam. & ex aliis iuribus.* Quin de his omnibus bonis tanquam de quasi Castrensibus testari possunt clerici, qui filiifamilias fuerint, iuxta *authent. presbyteros, 1. Cod. de episc. & cler.* vt disp. 138. dictum est.

2 Conclusio. Secunda conclusio. De bonis, quæ sunt propria Ecclesiæ, nec sunt reditus proprij beneficij, vt de prædiis beneficio annexis, & de aliis, tam mobilib. quam immobilibus, bonis propriis Ecclesiarum testari non possunt. Hæc est cõmunis, & colligitur ex iuribus citatis, & ex aliis: liquetq; ex dictis disputationibus præcedentibus. Lege *Nauar. monit. 22. ita to num. 2.*

3 3.Conclusio. Tertia conclusio. De ea parte reditum beneficij quæ beneficiarius, vel competenti suæ sustentationi subtraxit, vel vltra competentem sustentationem sua industria, labore, & vtilitate, quam ministeriis suis Ecclesiæ attulit, est promeritus, testari potest ad quoscunque vsus, iuxta *Nauar. in Apol. q. 1. monito 30. num. 2. & monito 78. num. 3. & sequentib.* consentaneeq; loquuntur alij, quos disput. 145. retulimus. Ratio est, quoniam, vt disputatione citata dictum est, eiusmodi incrementum eo ipso computatur cum propriis aliis beneficiarij bonis propria industria acquisitis. In exteriori tamen foro raro fortassis locum habebit hęc opinio: eo quod difficile probari possit, bona, quæ beneficiario post mortem redierint bus sui beneficij superfuerint, vel fuisse subtracta congruæ ipsius sustentationi, vel fuisse ea promeritum vltra congruam sustentationem.

4 4.Conclusio. Quarta conclusio, si beneficiarius aliqua de suis propriis bonis insumpserit, quæ insumere poterat de reditibus beneficij, neque cum id fecit, animum habuit non compensandi ita insumptum, potest ad quoscunque vsus testari de æquali portione redituum sui beneficij, iuxta ea, quæ disp. 145. dicta sunt.

Idem est, si aliquid cõtulit de suis propriis bonis Ecclesiæ, nec habuit animum illud non compensandi: potest namq; testari ad quoscunque vsus de æquali portione bonorum Ecclesiæ. Ita habetur *c. si quis libet, 12. q. 2. & c. si Episcopus, 12. q. 5.* & affirmat *Nauar. in Apol. q. 3. monito 4. num.*

5 5. Conclusio. Quinta conclusio. Beneficiarij de reliquis reditibus suorum beneficiorum, siue in seipsis permanent, siue in aliquo alio, in quo beneficiarij facti sint locupletiores, testari non possunt, non solum ad vsus non pios, sed etiam ad eos pios, in quibus donatione inter vivos possent, dum sani sunt, eos omnes licite expendere. Ita habetur *c. Episcopi. c. sint manifestæ, 12. q. 1. & quia Ioannes, c. si Episcopus, 12. q. 5. Quidhuc, & quia nos, & relatum. 2 de testamentis, auth. licentiam. C. de episc. & cler. & alias iuribus.* Habetq; id verum, etiamsi beneficia simplicia sint, vt aduersus alios satis efficaciter probant, *Couar. cap. cum in officijs, de testam. n. 6. Nauar. in Apol. q. 3. monito 1. n. 2.* tum quia iura vniuersim loquuntur: tum quia cap. relatum de canonicis loquitur, quorum beneficium simplex esse nullus est qui dubitet: tum denique ob alias multas rationes, quas breuitatis gratia omitto. Ratio vero cur facultas testãdi ad vsus pios illis denegata fi., cũ tamẽ conferendi donatione inter vivos sit eis concessa, ea est, vt dũ viuunt in pios vsus, vt tenentur superflua suorum beneficiorũ expendant, neq; illorũ cupiditate ea sibi retineant, vt supra dictum est, & *Nauar. in Apol. q. 3 monito 1. & al* j recte affirmant.

6 Ab hac tamen conclusione, vt habetur *1. relatum 2. de testamẽtis*, excipitur, nisi de modica aliqua quantitate rerum mobilium testetur, respiciendo illa pauperibus, aut religiosis locis, vel illis qui viuenti seruierunt, siue consanguinei illi sint, siue alij iuxta seruitij tamen meritum. Hoc enim, vt ibidem Alex. III. ait, consuetudine non improbanda esse introductum. Id tamen intelligo, quando, quod ita in recompensationem seruitij relinquitur, ex iustitiæ rigore non est debitum, sed solum ex quadam morali honestate ac gratitudine: id namq; totum, quod in recompensationem seruitij de iustitia est debitum, & quodcunque aliud defuncti de iustitia debitum, esto multum sit, soluendum est de reditibus beneficij, siue defunctus id in suo testamento, aut quacunque alia vltima voluntate, expresserit, siue non, vt habetur *cap. præsenti, §. porro, de offic. ordin. libro 6.* Quin & id in competenti talis beneficiarij vsque ad vitæ terminum sustentatione computatur ac includitur.

7 Remanentia ex fructibus beneficij ad quem pertinent. Bona beneficiarij defuncti, de reditibus beneficij post congruam illius sustentationem remanentia, de iure in corpore canonici iuris inferto, ad Ecclesiam pertinent, in qua ille erat beneficiarius, *cap. placuit, 12. q. 3. cap. 1. 12. q. 4. c. 1. & cap. sixum, 12. q. 5. a. 1. & 6. cum in officijs, de test.* Nomine autem Ecclesiæ (si ille erat canonicus, qui de capitulari mensa reditus sui canonicatus habebat) intelligitur canonicorum collegium, suntque inter canonicos bona illa dividenda. Ita habetur *cap. relatum, 2. de testamentis.* Idem est de quacunque dignitate Ecclesiæ, si in capitulari mensa habeat portionem. Præcise tamen quoad id, quod remanet ex ea portione: non vero quoad alios reditus, si quos dignitas illa ex aliquo alio beneficio, aut aliunde habeat annexos: hi namque pertinent ad successorem in eadem dignitate.

8 Quod si sit beneficiarius alius quicumque qui de communi capitulari mensa tanquam pars communitatis illius non accipit reditus, sui beneficij, tunc nomine Ecclesiæ, intelligitur successor in beneficio, vt habetur *eodem cap. relatum, 2. & c. pit. cum vos, de offitio ordinarij, & c. p. penult., eodem titulo, libr. 6.* Nisi aliquid in Ecclesiæ vtilitatem ex eisdem reditibus, puta in fabricam, esset expendendum, vt habetur *cap. cum vos, citato*, aut in vtilitatem defuncti, vel ad aliquem alium consuetudine legitime iam præ-

scripta, aut antiquo priuilegio, vel rationabili alia de causa pertineat, vt *cap. præsenti citato* habetur. Vbi etiam Episcopis, aliisq; eorũ superioribus eiusmodi bona occupantibus statuitur in pœnam, quousq; illa integre restituant suspensio ab ingressu ecclesiæ: cæteris vero Ecclesiasticis personis suspensio similis ab officio & beneficio, eo ipso incurrenda. Quando aliquis in diuersis Ecclesiis beneficia habet, quod de reditib. eo defuncto supereſt, arbitrio prudentis est diuidendum inter eos, ad quos, iuxta hactenus dicta, reditus talium beneficiorum pertinent, vt habetur *cap. relatum 2. citato. §. vlt. & cap. quia sæpe. de electione, lib. 6.* Capitulis, Conuentibus, Collegiis, & singularibus earundẽ communitatum personis, quæ dum Cathedrales, & Regulares, ac Collegiatæ Ecclesiæ vocãt, occupare, inter se diuidere, surripere, dilapidare, dissipare, aut consumere præsumunt bona à prælatis earum Ecclesiarum relicta, vel vacationis tempore obuenientia, quæ in vtilitatem earundem Ecclesiarum deberent expendi, vel futuris successoribus deberent fideliter reseruari, statuitur pœna suspensionis ab officio, & beneficio, quousque integre illa restituant, eo ipso incurrẽda. Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, vel indulgentiis, aut cõtrariis consuetudinibus vel statutis iuramento, confirmationis sedis Apostolicæ, aut alia quacunq; firmitate vallatis, quæ omnia ibi reuocantur. Intelligendum tamen id est, de antecedentibus illud caput, non vero de sequentibus.

9 In *Clement. statutum, de electione*, declaratur, id quod in *cap. quia sæpe*, statutum est circa reseruationem successori prælato relictorum à prædecessore, & eorum quæ obuenerint tempore vacationis, non obstante, quod tempore talis vacationis iurisdictio ad Capitulum pertineat, intelligenda esse de quocunque etiam emolumento quod ex iurisdictione, & sigillo curiæ ecclesiasticæ vel secularis, aut alias vndecunq; si Ecclesia non vacaret, ad prælatũ pertineret, non obstante qualibet contraria consuetudine: ita tamen, vt rationabiles deducantur expensæ. Veruntamen, si in aliqua Ecclesia, sede vacante, ad singulare aliquam personam ratione dignitatis de consuetudine, priuilegio, vel iure alio speciali, iurisdictio cum ipsius emolumento deuoluatur, non intenditur ea constitutione præiudicium vllum illi inferre, vt eadem Clementina subiungitur.

10 Spolia clericorum. Postea vero *extrauagantibus Pauli III. Iulij III. Pauli IV. Pij V. & Gregorii XIII.* sancitum est, vt spolia omnia clericorum ad Cameram pertinerent Apostolicam. Nomine autem spoliorũ clericorum intelliguntur, in primis, quæ illicita negotiatione, aut quocunque alio modo illicito à clericis acquiruntur. Hæc tamen bona, cum solum in pœnam computentur in spoliis, cameræque Apostolicæ applicentur, non debentur ante latam sententiam, sed ad defuncti hæredes ex testamento, aut ab intestato pertinent. Deinde comprehenduntur, quæcunque per mortem beneficiatorum remanent de reditibus beneficiorum post competentem beneficiariorum sustentationem, de quibus nobis est hoc loco sermo.

11 Pius V. & Gregorius XIII. spolia extenderunt ad reditus beneficiorum omnium à die vacationis eorum vsque ad nouam prouisionem beneficij, eaque omnia Cameræ Apostolicæ applicauerunt. *Gregorius XIII. extrauag. 34.* ea etiam extendit ad omnia bona, quæ per mortem religiosorũ, extra claustra, cum licentia aut sine licentia degentium, remanent, siue illę acquisierint ex Ecclesiastico beneficio, siue sua propria industria, siue donatione, iure hæreditario ex testamento aut ab intestato, vel quacunque alia ratione. Voluit namque hæc omnia bona pertinere deinceps, non ad monasterium cuiusuis religiosi, sed ad Cameram Apostolicam, tanquam spolia. *Pius V. extra. 48.* à spoliis excipit, omnia & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa, necnon Missalia, & gradualia, ac cantus firmos, & musicæ, aliosque quomodolibet nũcupatos libros, & alias res sacras, etiam auri & argenti ac quæcunque alia bona per quoscunque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, seu commendatarios, & alios quoscunq;, quæcunque & qualiacunq; beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumuis ordinum regularia in titulum, vel commẽdam, aut alias quomodolibet obtinentes, quocunque nomine vel titulo censeãtur, ad vsum & cultum diuinum, etiam in eorum priuatis ædibus & capellis vel oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta sub quibusuis facultatibus testandi, & alias disponendi de bonis per eos ex altari, vel aliàs quomodolibet acquisitis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores & successores nostros, ac nos, sub quibuscunque tenoribus ac formis, &c. concessis, eaque omnia applicat Ecclesiis, aut monasteriis, in quibus beneficia obtinuerint, aut quibus præfuerint, inualidatque quascunque donationes, & dispositiones circa eiusmodi res factas, etiam si aliis personis Ecclesiasticis, aut locis piis sint factæ. Ab spoliis etiam clericorum ibidem excipit, quæcunque scamna, cathedras, arcas, tabulas, & mensas, etiam ligneas & lapideas, marmoreas etiam, & quæcunque dolia, seu vasa vinaria vacua, & alia similia supellectilia domestica à clericis, etiam ex fructibus beneficiorum relicta. Item vt nullius beneficiarij censerentur relicta spolia, cuius beneficium non superauerit annuos reditus triginta ducatorum auri de camera, vt supra relatum fuit. Extrauagantes, in quibus hactenus dicta continentur, magna ex parte referuntur à *Nauar. de spoliis clericorum à §. 5. & in collectione constitutionum à Gregorio VII. vsque ad Gregorium XIII. anno 1579. Romæ editarum*, sunt Pauli III. 23. Iulij III. 6. 15. & 27. Pauli IV. 17. Pij IV. 10. Pij V. 1. & 48. & Gregorij XIII. 5. 32. 33. & 34.

12 Licet negandum non sit, in Summo Pontifice esse potestatem disponendi de his omnibus bonis Ecclesiasticis, applicandique ex rationabili & legitima causa hæc omnia spolia Cameræ Apostolicæ aut alteri rei, quæ in commune Ecclesiæ bonum cedat: atque hæc omnia in Italia vsu sint recepta, quando ex peculiari facultate sedis Apostolicæ concessum alicui non est testari de huiusmodi bonis, & præterquã in beneficiis simplicibus in locis, vbi consuetudine præscripta, ac viginti beneficiarij testari de illorum reditibus consueuerunt, vt extrauagãtes Pij V. Gregorij XIII. & quorundã aliorum summorum Pontificum aperte excipiunt: in aliis tamen Hispaniis, præterquam in Lusitania, solum à multis annis est receptum, vt prælatorum spolia, quæ per illorum mortem de reditibus suorum beneficiorum remanerent, pertinerent ad Cameram Apostolicam: non vero aliorum beneficiorum, neque etiam redituum Episcopatuum à puncto vacaturę vsque ad nouam Episcopatus prouisionem. In Lusitania vero, Gallia, Germania, & aliis prouinciis, receptum non est, vt vlla beneficiariorũ spolia, etiam prælatorum, ad Cameram Apostolicam pertineant, vt *Nauarrus in opusculo de spoliis clericorum. §. 9. num. 4. & §. 14. num. 4.* affirmat. Fortasse Principes harum prouinciarum iudicarunt, non expedire vt tot bona de beneficiis suorum Regnorum in Italiam extraherentur, & vt à collectoribus Cameræ sedis Apostolicæ subditi suorum regnorum litibus, aliisque rationibus frequenti horum spoliorum exactione molestarentur: neque tam vrgentem esse Camerę Apostolicæ necessitatem, vt id permittere tenerentur. Qua de causa neq; Summi Pontifices ad alia spolia recipienda creare ac deputare collectores consueuerunt, quam ad ea, quæ vsu & consuetudine in vnoquoq; loco recepta sunt, vt ex eorum extrauagantib. citatis con-

Spolia in Hispaniis, qua ad cameram Apostolicam.

In Lusitania, Gallia & Germania.

tis constat. Quamuis autem Gregorius XIII. dum spolia ad bona omnium religiosorum extra claustrum ex hac vita decedentium extendit, vniuersim loqui videatur de religiosis quorumcunque regnorum, atque vbiuis decedentium: nescio tamen, an id extra Italiam sit vsu receptum, vsuve recipietur. Quare, quando casus occurrerit, vsus ac consuetudo loci sunt requirenda.

13 *Episcopi in Hispania non testantur.* Vt vero deueniamus ad cõsuetudines, quæ sunt, vt beneficiarij de bonis ex Ecclesiasticis beneficiis acquisitis testentur, sciendum est. In Hispaniis consuetudinem non esse, vt prælati aliter, quam ex speciali concessione sedis Apostolicæ, testentur, etiam ad pias causas. Vnde in Lusitania, quicquid post mortem prælati remanet ex Episcopatu acquisitũ, id totum, iuxta canones in corpore iuris insertos, pertinet ad successorem. In aliis vero Hispaniis spectet ad Cameram Apostolicam, vt dictum est.

14 *Alij beneficiarij testantur in Castella de rebus suorũ beneficiorũ.* Quod ad reliquos beneficiarios attinet, antiqua est consuetudo in regno Castellæ, quæ ad hodiernum vsque diem viget, non solum vt testentur ad libitum de bonis ex beneficiis acquisitis, sed etiam, vt, si intestati decedant, hæredes eorum ab intestato non secus illis succedãt in eiusmodi bonis, ac in aliis eorum patrimonialibus & propria industria acquisitis. Hac de re legem tulerunt Carolus V. anno 1523. & Philippus II. Rex noster anno 1566. qua hanc consuetudinem asseruerunt, eamque seruari præceperunt. Porro lex illa est hodie 13. *tit. 8. lib. 5. in noua collectione.* Eandem consuetudinem esse in Gallia affirmant *Couar. cap. cum in officijs, de testam. num. 9. & alij cum glossa in Pragm. Sanctione, tit. de annotat. §. item quod verb. acquisitis.*

Gallia.

15 *Lusitania.* Eadem viget in tota Lusitania, vt constitutionibus Episcopatuum pronunciatũ est, tametsi (vt mox referam) aliquantulum varient quousque ea in diuersis diœcesibus se extendat. Eandem supponere videntur *ordin. huius regni lib. 2. tit. 8. §. penult.* dum indistincte statuunt, vt si per mortem beneficiariorum, aut aliorum clericorum, remanserint bona aliqua immobilia, de quibus in vita nõ disposuerint, pertineant ad proximiorem hæredem, & Ioan. tamen III. 2. *parte legum extrauag. tit. 2. l. 10.* petente id Domino Ferdinando Olysiponẽsi Archiepiscopo, verba illa, anno 1553. in hunc modũ explicauit. *Declaro, que a disposiçaõ dodito §. se entenda somente nos bens patrimoniaes dos ditos clerigos, ou beneficiados, & emoutros bens que a seus herdeiros pertencaõ, & naõ nos bens que elles acquirirem, ou ouuesem per rezaõ da igreja.* Suspicor autoritate Nauarri, qui tũc erat Conimbricæ, explicationẽ hanc fuisse adhibitam quasi consuetudo efficere non posset, vt talia bona pertinerent ad hæredes beneficiariorum. Neque credo mentem Ioannis III. fuisse, derogare consuetudini, qua id iam tunc licitum esset, si in conscientiæ foro, vi consuetudinis iam præscriptæ, licitum esse posset. Miror etiam Gamam *decis. 313.* & quosdam alios Senatores ab eo ibidem relatos, vi ordinationum, §. *illo pen. citato*, adiudicasse quibusdam hæredibus ab intestato Archiepiscopi Olysiponensis prædium quoddam de reditib. Archiepiscopatus verisimiliter acquisitũ: cum tamen, neq; verba illius ordinationis tantopere cogant, vtpote quæ condita nõ fuit ad definiendum ad quem prædia beneficiariorum & aliorum clericorum post eorum mortem pertinerent, sed ad impediendum, ne illa obtinerent personæ Ecclesiasticæ, sed, si ad eas hereditario iure deberent pertinere, tenerentur ea intra annum vendere, neq; vnquam fuerit in hoc regno consuetudo non solum vt similia bona prælatorum ab intestato deuenirent ad ipsorum hæredes, sed neq; vt testari de illis absque speciali sedis Apostolicæ facultate possent, etiam ad pias causas, nedum ad vsus profanos. Ad legem vero extrauagantem Ioannis tertij, quæ cum sententia, quam tulerunt, pugnare videbatur, responderunt, solum esse intelligendam de bonis, quæ post eam legem conditam post mortẽ beneficiariorum remanerẽt: non vero de illis, quę ante illam legem conditam remansissent, qualia erant bona, de quibus erat illa lis: cum tamen Ioannes tertius inde permotus fuerit ad eam declarationem adhibendam, quod illi persuaserint, contrarium ex natura rei esse iniquum, legemque proinde patris sui Emmanuelis aliter intellectam iniquam esse.

Vt ex constitutionibus Eboracensibus, Olysiponensibus, Bracharensibus. & Conimbricensibus constat (idemq; videtur esse de aliis aliorum Episcopatuum) concors est consuetudo in hoc regno, quod ad beneficia omnia simplicia attinet, de quorũ numero sunt canonicatus, & portionariæ, nempe, vt *beneficiarij testari possint de omnibus bonis* inde perceptis, & vt, si intestati decedant, hæredes ab intestato in illis omnibus succedant.

Quod vero attinet ad dignitates, & beneficia curam animarum habentia, variant. Nam Coniubricenses Constitutiones sub domino Ioanne Soarez editæ *tit. 24.* idem statuunt de beneficiariis, qui vel dignitates, vel beneficia cum cura animarũ habent, quod de habentibus simplicia beneficia Olysipponenses editæ sub Henrico Cardinali *tit. 10.* consentiunt, si testamentum conficiant: si vero intestati decedant, statuunt, vt omnia, quæ comperta fuerint in bonis illius acquisita ex eiusmodi beneficiis, pertineant ad successorem: qui tamen debita omnia defuncti tenetur inde soluere. Bracharenses sub eodem Henrico *tit. 21.* definiunt, vt testari possint solum de dimidio eiusmodi bonorum: reliquum vero pertineat ad *successorem*. Si autem decedant intestati, dimidium de quo poterant testari, expendatur pro anima defuncti, & reliquum pertineat ad successorem. Denique Eborenses sub Domino Ioanne à Melo *tit. 20.* idem quod Bracharenses statuunt, nisi quod, si beneficiarius intestatus moriatur, definiunt, vt dimidium, de quo poterat testari, pertineat ad ipsius hæredes. Audio tamen, post has constitutiones conditas, non semel fuisse Eboræ latam sententiam, eiusmodi beneficiarios testari potuisse de omnibus bonis ex beneficio acquisitis, quasi hæc, & non illa, quæ constitutionibus continetur, sit antiqua eius Archiepiscopatus consuetudo. Quod examinare deberet Archiepiscopus, compertoque rem ita habere, mutare deberet constitutionem. Quod attinet ad reditus ex beneficiis, tam simplicibus, quã non simplicibus, nondum perceptis, quousque ad defunctum, vel ad successorem pertineant, & quousque defunctus de illis potuerit testari, aut pertineant, vel non pertineant ad ipsius hæredes ab intestato, variant constitutiones, standumq; est consuetudini ac statutis cuiusque loci.

16

Antequam cærera, quæ circa has consuetudines dicenda sunt, subiiciamus, obiter est inferẽda consuetudo alia, quam in aliquibus Hispaniæ, & Belgiæ locis vigere refert *Nauar. de spoliis clericorum §. 9. num. 7.* estque frequens admodum in Diœcesibus huius Lusitaniæ Regni.

Luctuosa, quam in Lusitania vocant.

Quando enim beneficiarius moritur, Episcopus de mobilibus, aut de se mouentibus bonis talis beneficiarij, eligit rem vnam, quam vult, siue illa mancipium sit, siue mula beneficiarij, aut quęuis alia pretiosa res mobilis. Hanc in hoc Regno Luctuosam vocant, quod ex lugẽda defuncti morte proueniat, in Belgia vero referente ibidem Nauar. *Mortmain* appellant, eo quod ob subditi mortem manu superioris capiatur. Aliquibus in locis in hoc Regno solum accipi audio, quando beneficiarius defunctus beneficium habebat curatum, aut dignitatem Ecclesiasticam, quæ beneficiũ curatum habet annexum: in aliquibus vero aliis ad plures beneficiarios audio consuetudinẽ hanc se extẽdere. Quin audio alicubi solui etiam Abbatibus, quorum Abbatis beneficia aliqua

17

aliqua sunt annexa, esseque taxatam certam pecuniæ quantitatem, quam pro Luctuosa accipere debent. Consulendus itaque est vsus consuetudove cuiusq; loci hac de re.

18 Merito Nauarr. *de spoliis clericorum*, §. 16. Luctuosam cum spoliis clericorum computat. Neque credo consuetudinem soluendi illam introductã fuisse, quasi in consolationem prælati ob damnum ex morte beneficiarij sibi subditi obuenies, vt Nauarrus arbitratur; sed cum difficile admodum beneficiarij contineri possent, ne testarẽtur de reditibus suorum beneficiorum, eosque donarent, ac expenderent vt vellent, atque ex spoliorum post ipsorum mortem, exactione lites multæ, aliaque mala orirentur, nec melius successores in beneficiis eiusmodi spolia obtenta expenderent, quam prædecessores, beneficiariis ipsis (vt liberi à spoliorum exactione post suam mortem rẽmanerent) libẽter annuentibus, introduxerunt prælati, vt ipsi, ad expendendum cum pauperibus, & in alia pia opera, acciperent pretiosiorem rem mobilem, quæ inter defunctorum bona remaneret, quatenus ea ratione beneficiarij moderatam supellectilem haberent, & saltem aliquid de ipsorum bonis in operibus piis insumeretur.

19 Quia ergo Luctuosa cum clericorum spoliis est computanda, videturque habuisse ortum proxime explicatum, merito Nauar. *num. 16. citato* colligit, Episcopos non posse illam expendere in vsus profanos: quin arbitror sub restitutionis onere teneri expendere pretium illius in vsus solum pios, neq; esse dominos pretij illius, sed dispensatores neque propter reditus ex eiusmodi Luctuosis posse augere sustentationem, alioquin congruam attenta qualitate & attentis aliis reditibus cuiusque Episcoparus. Iure ergo optimo Nauar. ibidem vitio vertit cuidam Episcopo, quod cum in Luctuosam ex bonis cuiusdam beneficiarij defuncti accepisset mulam valoris ducentorum aureorũ, illico eam dono dederit cuidam cognato suo diuiti: quod intelligo, nisi aliunde id compensauerit in vsus pios, aut nisi quis dicat præscriptione iam Episcopos effecisse illam suam, tanquam tributum bonorum talis defuncti.

20 Deinde colligit, Episcopum accipere non posse luctuosam, quando beneficium defuncti non excedebat annuos reditus triginta ducatorum, iuxta definitionem Pij V. supra relatam. Addo, vniuersim non posse illam accipere, quando constat nihil, vltra congruam sustentationem, aut vltra competens præmium pro laboribus, industria, & vtilitate beneficiarij, supereſſe de reditibus beneficij: quoniam in eo euentu, nulla remanent beneficiarij spolia, vt dictum est.

21 Vlterius colligit, prælatum accipere non posse luctuosam, rem vllam beneficiarij cultui diuino dicatam. Quod verum est vbicunq; vsu fuerit recepta extrauagans Pij V. ea in parte.

22 Etiam colligit, non posse accipere in luctuosam, mensam, scamnum, aut aliquid eorum, quæ Pius V. eadem extrauagante à numero spoliorum excepit. Extrauagantem tamen illam, ea in parte, solum intelligo, quãdo omnia bona beneficiarij defuncti, quæ non constat patrimonialia fuisse, aut acquisita propria industria, & denique esse quasi patrimonialia, vsurpantur tanquam spolia, vt in Italia vsurpantur Cameræ Apostolicæ à Collectoribus Summi Pontificis; idq; ne crudeliter agi videatur cum defuncti hæredibus. Non vero quando sola luctuosa loco spoliorum omnium à prælato accipitur. Ibidẽ admonet Nauarrus, si beneficiarius defunctus rem aliquam mobilem legauit alicui, eamq; prælatus in luctuosam eligat, non propterea reddi nullum tale legatum. Quoniam, vt recte probat, hæres tenetur rem illam redimere, si prælatus velit eam vendere, teneturq; eam tradere legatario. Quod si prælatus non velit eam vendere, tenetur exhibere legatario iustam illius æstimationem.

His explicatis, vt ad id, vnde digressi sumus, reuertamur, *Nauar. in Apol. q. 1. monito. 48. & 50. & q. 3. monito. 3. 4. & 5.* constãter affirmat: nullam esse consuetudinem, vt beneficiarij, qui Episcopi non sunt, de fructibus suorum beneficiorum ad vsus nõ pios testentur, neque, si esset, vim vllam habere, vtpote iniquam & contra ius naturale: aitque *Couar. c. cum in officijs, de testa. num. 9.* hoc secundum esse communiorem Doctorum sententiam, quos refert. Fatetur vero *Nauar. monito. 5. citato*, cum de iure solum humano sit prohibitum beneficiariis testari ad pios vsus, consuetudinem præscriptam tribuere posse illis ius testandi ad pios vsus: & hanc solã vigere forte in Hispaniis, & aliis locis. Eodem modo, *q. 3. monito 6. & de spoliis clericorum*, §. 6. affirmat, posse quidem Summum Pontificem concedere beneficiariis facultatem testandi de reditibus beneficiorum ad vsus pios, quia potest in quocunque iure humano dispensare: non tamen posse illis concedere facultatem testandi ad vsus non pios, nisi ex rationabili & sufficienti causa: neq;, si aliter eam concedat, vim vllam habere.

Couar. num. 9. citato, Iulius Clarus lib. 3. sententiarum, §. test. q. 27. & multi alij, quos referunt, in contraria sunt sententia. Videlicet, posse inprimis Summum Pontificem concedere beneficiariis facultatem testandi ad vsus non pios. Quin & eam concessisse satis, præter alia, constat ex extrauagãtibus Iulij III. & Pij IV. quas *Nauar. ipse de spoliis clericorum*, §. 6. & 7. refert, vbi plenissimam duo illi Summi Pontifices eam concesserunt clericis omnibus Romæ, aut alibi in curia Summi Pontificis degentibus, cum expressione, vt in non pia, diuitibus, & cognatis, etiam aliquin incapacibus, possent ea bona relinquere. Deinde in ea sunt sententia, vt dicant, validam esse consuetudinem testandi de eiusmodi bonis, etiam ad non pios vsus, eamq; esse multis in locis, vt ex legibus sæcularium principum ea de re conditis, ex constitutionibus Episcopatuum, & ex tot grauissimorum virorum assertione constat, adeo vt mirandum sit Nauarrum eam negare.

Quid de hac re sentiamus, sequentes conclusiones aperiẽt. Sit ergo 6. in ordine in hac dispu. Consuetudo tribuere potest ius beneficiariis, etiam Episcopis, testandi ad pios vsus de bonis, de quibus loquitur quinta conclusio supra proposita, & de quibus solis est hoc loco controuersia. In hac conclusione conuenit Nauarrus cum cæteris Doctoribus, probariq; potest facile. Quoniam, quod beneficiarij, etiam Episcopi, testari non possint ad pios vsus de eiusmodi bonis, cum tamen toto tempore vitæ suæ habeant illorum administrationem, solum est de iure positiuo humano, quod quemadmodũ tolli potest per aliud ius humanum, & quemadmodum Summus Pontifex potest in eo dispensare, & quotidie dispensat cum Episcopis, vt testẽtur ad pias causas: sic etiam derogari illi potest per contrariã consuetudinem tempore sufficienti præscriptam.

Septima conclusio. Consuetudo legitimo tempore præscripta, vt beneficiarij de eiusmodi bonis ad libitum testentur, etiam ad non pios vsus, potest efficere validum eorum testamentum, & quamcunque aliam vltimam eorum voluntatem, ita vt hæredes, legatarij, & mortis causa donatarij, ius & dominium comparent eorum, quæ ad non pios vsus fuerint illis ita relicta idque absque vllo restitutionis onere. In hac dissentimus à Nauarro, possumusq; eam probare. Quoniam, vt supra ostensum est, beneficiarij sunt domini redituum suorum beneficiorum, solumque ex caritate, & non ex iustitia, tenentur insumere in pios vsus bona, de quibus loquitur quinta conclusio proposita: ergo si nullum vnquam fuisset ius positiuum humanũ, quo facultas testandi illis

23 *Quæstio, Nauarri opinio.*

24 *Couar. & Iulij Clar.*

25 *6. Conclus.*

26 *7. Conclus.*

di illis fuisset sublata, irritumq; esset factum quodcunque eorum testamentum de eiusmodi bonis, sane integra eorum administratio ac dispositio, etiam mortis tempore, ad eos pertineret, & licet lethaliter peccarent contra ius naturale, vel in vita notabilem eorum bonorum quantitatem donando ac insumendo in vsus profanos, vel in morte eam in profanos vsus per vltimam voluntatem relinquendo, factum tamen teneret, vereq; transferrent ius & dominium, neque donatarij, legatarij, aut hæredes ad vllam tenerentur restitutionem, vt supra de donatione facta inter viuos ad vsus profanos est ostensum: cum ergo consuetudo legitimo tempore præscripta vim habeat aduersus quodcunque ius positiuum humanum: consequens profecto est, vt vera sit tota nostra conclusio proposita.

27 Quod rem hanc obscuram facit, multosq; fallit, est, quod non attendant, aliud esse valide, aliud licite fieri. Item contra ius naturale esse beneficiarios, etiamsi domini sint reditum suorum beneficiorũ, vel in vita vel in morte insumere in vsus profanos bona, de quibus loquimur: solo vero iure humano esse nullum eorum testamentum, etiam ad pios vsus, cum tamen (posito quod sint domini) valida sit eorundem bonorum donatio inter viuos ad profanos vsus. Item aliud esse per consuetudinem tempore sufficienti inductam derogari iuri naturali, aliud vero iuri positiuo humano. Nos autem non dicimus, consuetudinẽ legitimo tempore inductam efficere posse, vt beneficiarij licite, hoc est, absque peccato, vel dispositione inter viuos vel vltima voluntate insumãt bona, de quibus loquimur, in vsus non pios: quoniam, vt supra ostẽdimus, ea insumere eo pacto, ex natura rei est illicitum, atque adeo contra ius naturale, aduersus quod nulla consuetudo vim habet: sed solum dicimus, posito quod sint eorum bonorum domini, quemadmodum valida est donatio eorundem bonorum inter viuos, & non pios vsus, tametsi illicite fiat: sic etiam validam esse eorundem bonorum dispositionem per vltimam voluntatem ad non pios vsus, existente consuetudine testandi ad quoscunque vsus, tametsi illicite, hoc est, cum peccato, similiter fiat. Rationem vero, cur valida sit, dicimus esse: quoniam solo iure humano sublata fuit beneficiariis facultas testandi, tam ad quoscumque vsus, quam etiam ad pios, irritumque factum est eorum testamentum: consuetudo autem legitimo tempore inducta vim habet aduersus ius humanum.

28 Octaua conclusio. Valida est consuetudo, vt, si 8. *Conclus.* beneficiarij intestati discedant, bona eorum omnia, nihil impediẽte, quod ex beneficiis sint comparata pertineant ad eorũ hæredes ab intestato. Probatur quoniam eadem est ratio de dispositione expressa & tacita: sed existẽte dispositione iuris communis, vt eo ipso, quod quis intestatus discedat, hi vel illi sint eius hæredes, sane, qui non condidit testamentum, tacite censetur illis reliquere sua bona: ergo sicut consuetudo tempore sufficiente inducta potest validã efficere vltimam beneficiarij dispositionẽ expressam ad profanos vsus de bonis, de quib. loquimur, esto ille dispondẽdo eo pacto lethaliter peccet: ita etiam potest efficere validã vltimam dispositionẽ tacitam, esto similiter peccet non prouidendo in vita, vt bona illa in solos vsus pios insumantur, vt prouidere tenetur. Confirmatur, quoniã cum difficile constet, quæ bona ex beneficio fuerint cõparata, & quæ aliunde, & num beneficiarius potuerit aliquid compẽsare ex fructib. beneficij ob sumptus aliunde factos, præterea nũ parce viuendo aliquid reseruauerit de sua congrua sustentatione, & num plus fuerit promeritus de fructibus sui beneficij, quam congruam sustentationi, causaq; sit multarũ litium & perturbationum in Republica, quod ab hæredib. ab intestato eripi attententur bona, quæ ex beneficij reditibus beneficiario superfuerunt, neq; successores in beneficio soleant melius ea expendere, quam prædecessores expenderint: sane valida est consuetudo, vt si beneficiarij intestati discesserint, omnia eorum bona pertineant ad hæredes ab intestato, iustaq; est lex, quæ, ad tollendas lites & alia mala in Republica, præcipit, eam consuetudinem semel tempore ad id integro introductam seruari.

Nona conclusio. Negandum non est, hanc consuetudinem in Hispaniis, & in aliquibus aliis locis esse introductam ac præscriptam, quicquid Nauarrus in contrarium dicat. Id sufficiẽter probant, quæ ante sextam conclusionem dicta sunt. 29 9. *Conclusio.*

Decima conclusio. Nihil impediente consuetudine præscripta, vt vel beneficiarij ad quoscunq; vsus testentur, vel, si intestati discedant, hæredes eorum in omnibus ipsorum bonis succedant, condere potest Summus Pontifex legem, si id expedire iudicetur, vt neq; in posterum possint beneficiarij testari de bonis, de quibus in his conclusionibus est sermo, neq; si intestati decedant succedant in illorum bonis hæredes ipsorum ab intestato. Probatur conclusio, quoniam Summus Pontifex plenissimã habet potestatem ad dispondẽdum de bonis reditum beneficiorũ, vt expedire iudicauerit, & ad abrogandas consuetudines omnes introductas & præscriptas. Præsertim cum, sicut nullum humanum ius, ita neq; vlla consuetudo restringere possit potestatem Summi Pontificis quæ est de iure diuino à Christo immediate statuta ac concessa. 30 10. *Conclus.*

Vndecima conclusio. Nihil impedientibus consuetudinibus introductis, lethaliter peccant beneficiarij, qui vel de notabili quantitate bonorum, de quibus loquimur, testãtur ad vsus profanos, eamve relinquunt consanguineis diuitibus, vel, absq; fortuito aliquo euentu, discedendo ab intestato in causa sunt, vt deueniant ad consanguineos diuites. Probatur, quoniam, vt supra est ostensum, lethaliter peccant contra ius naturale ea, dũ viuunt, insumendo in vsus profanos: multoq; maiori cum ratione peccant lethaliter contra idem ius tacite vel expresse tempore mortis eadem in profanos vsus relinquendo, quando plus consulere tenentur saluti animæ suæ, neq; supereſt aliud tempus, in quo id resarcire possint ex aliis bonis: nec vlla consuetudo potest vim habere aduersus ius naturale, efficereq; id eis licitum, vt dictum est: ergo nihil impedientibus consuetudinibus introductis, lethaliter peccant beneficiarij, qui vel de notabili quantitate bonorum, de quibus loquimur, testãtur ad vsus profanos, vel, absque fortuito & repentino euentu, ab intestato discedendo in causa sunt, vt deueniant ad consanguineos diuites. Confirmatur conclusio ex præcepto illo *Concilij Triden. sess. 25. cap. 1. de reform.* quo beneficiarijs omnino interdicit, ne consanguineos ac familiares suos augere studeant de reditibus Ecclesiasticis, sed, si pauperes sint, illis vt pauperibus illos distribuant: quod sane præceptum æque obligat in beneficiariorum morte, per vltimamq; eorum voluntatem, atque in vita per donationem inter viuos. Neque vsque ad hanc diem vlla potest esse præscriptio aduersus illud: ergo lethaliter peccant beneficiarij, qui ad illos, aut alios deteriores vsus profanos, testantur de notabili quantitate bonorum, de quibus loquimur, vel, discedendo ab intestato, in causa sunt, vt eiusmodi bona deueniant ad consanguineos diuites. Consentiunt cum hac nostra sententia constitutiones huius Archiepiscopatus Ebor. nensis titu. citato. Qui ergo confessiones beneficiariorum, tempore præsertim mortis, audiũt, ad hanc nostram conclusionem, quam non dubito esse verissimam, attendant. 31 11. *Conclus.*

Quando verò *Ioan. 22. in extrauagante. suscepti, de elect. quæ etiam habetur inter communes in vi. ne sede vacante*, approbat consuetudinẽ, quæ erat in aliquibus 32

locis,

locis, vt beneficiarius post mortem percipiat fructus sui beneficij primo, aut etiam secundo anno, eidemque consuetudini moderamen apponit, nihil omnino approbat contra hanc nostram sententiam. Quoniam non concedit, vt illos percipiat ad disponendum de illis ad vsus profanos, nec est quicquam vnde colligatur talem fuisse consuetudinem, sed solum ad sumptus funeris, & ad soluendum debita, atque ad alia opera in salutem animæ suæ. Lege *Nauar. in Apol. q. 1. monito 48.*

33 12. *Conclus.* Duodecima conclusio. Fas est Summo Pontifici ex rationabili causa concedere beneficiatis, etiam Episcopis, facultatem testandi ad vsus profanos. Vt si, quasi in remuneratione pro munere optime administrato, aut propter obsequium aliud Ecclesiæ impensum, id moderate, attentis circumstantiis concurrentibus, concederet, aut aliqua alia iusta de causa. Probatur, quoniam habet plenissimam potestatem, non quidem ad dissipandum, sed ad dispensandum eiusmodi bona, atque adeo ex legitima causa, quæ in bonum & ædificationem cedat Ecclesiæ, poterit id concedere, vt Doctores communiter affirmant.

34 13. *Conclus.* Decima tertia conclusio. Absq; rationabili causa nefas est eam concedere, neque vllius est vigoris, etiamsi concedatur. Probatur, quoniam Summus Pontifex non est dominus horum bonorum, sed dispensator, neque concessa est illi facultas ad ea dissipandum, sed solum ad vtiliter & rationabiliter ea moderandum atque expendendum. Quæ autem rationabilis ac sufficiens causa iudicanda sit, prudentis arbitrio, attentis circumstantiis concurrentibus est iudicandum.

35 14. *Conclus.* Decima quarta conclusio. Facultas testandi à Summo Pontifice non solum concessa absolute, sed etiam quando dubium oboritur, intelligēda est solum ad pios vsus, vt *Nauar. in Apol. q. 3. monito 6. n. 3. cum aliis* affirmat, rectèq; ostendit: consentit *Molina lib. 2. de primog. c. 10. n. 30.* Quin, esto facultas concedatur testandi ad quoscunq; vsus, si non exprimitur, etiā ad profanos, intelligenda est solum de non profanis, vt ibidem ait Nauar. Quod solum credo esse verum, quando nulla apparet legitima ratio concedendi eā ad vsus profanos, aut aliunde res est dubia.

36 *Dubium.* Dubium est, an bona, quæ in Hispaniis remanent post mortem Prælati, censenda sint acquisita ex reditibus Episcopatus pertinereq; proinde ad Cameram Apostolicam, vel ad successorem in hoc Lusit. Regno, an potius censenda sint patrimonialia, aut acquisita propria industria, & denique de numero eorum bonorum de quibus supra ostensum est posse testari, pertinereq; ad legitimos hæredes ipsius, si ab intestato discedat. Idem dubium est de bonis aliorum beneficiariorum, vel in Italia, vel in aliis locis, in quibus licitum illis non est testari de bonis ex beneficiis acquisitis.

37 *Satisfit.* Breuiter est dicendum, quādo constat prælatum nullum patrimonium habuisse antequam ad Episcopatum promoueretur, neque aliunde constat comparasse bona sua industria, donatione, aut vltima voluntate alterius, præsumi bona omnia, quæ relinquit, acquisita ex Episcopatu: neque plus probat *cap. primo de peculio clericorum.* Quando autē constat, habuisse patrimonium, aut coniecturæ sunt, comparasse bona propria industria, illive aliunde aduenisse, factaque esse sua propria, iudicis arbitrio relinqui, attentis probationibus & circumstantiis omnibus concurrentibus vt definiat, quousq; censenda sint acquisita ex beneficio, & quousque esse propria, & an in dubio aliqua eorum diuidenda sint inter Ecclesiam, Cameramve Apostolicam, seu successorem in Episcopatu, & inter hæredes defuncti: semper tamen propendendum est, acquisita fuisse ex beneficio, præsertim cum prælato sit iniunctum, vt manifesta habeat, quæ sint ipsius, & quæ comparata habeat ex beneficio: & cum in fauorem Ecclesiæ, tanquam in rem magis piam, sit semper propendendum: atque hoc solum est, quod sonant nonnulla iura. Longiorem de hac re disputationem habes apud *Conarruuiam cap. primo de testam. a numero sexto. Iulium Clarum quæstione 27. citata, & Gamam, decis. 313.*

SVMMARIVM.

1 *Prælatus potest licite testari in quoscumque vsus, & maioratus instituere.*
2 *Si Prælatus de bonis, de quibus testamentum condere non potest, maioratum instituat per contractum reuocabilem, inualida est institutio.*
3 *Si Prælatus, dum prospera vtitur valetudine, de portione Episcopatus ipsi deputata maioratum per contractum irreuocabilem instituat, valida est institutio.*
4 *Si beneficiarij, qui consuetudine testari possunt, maioratum de beneficij bonis instituant, an futura sit valida institutio.*
5 *Si Prælatus, in morbo constitutus, ex quo è vita decessit, pias donationes inter viuos de portione Episcopatui deputata efficiat, validæ sunt.*
6 *An liceat clericis de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, testamentum condere.*
7 *Ad prius triplici modo respondetur.*
8 *Si Prælatus in morbo constitutus quidquam notabile donauerit in profanos vsus donatione inter viuos, an donatio sit valida.*
9 *Donatio facta à Prælato morti proximo, sufficiens est præsumptio, factam fuisse causa mortis.*

BENEFICIARII AN DE BONIS, de quibus testari non possunt, donare possint inter viuos, & quid de maioratibus ab eis institutis.

DISPVTATIO 148.

1 PONendum est, non solum beneficiarios alios, sed etiam prælatos de bonis, de quibus præcedentibus disputationibus ostensum est, licite posse in quoscunque vsus testari, licite quoque donare posse inter viuos, & instituere maioratus, eaque omnia valida esse, si fiant.

Licet autem in hac disputatione sermonem miscebimus de ijs beneficiariis, quorum testamentum de reditibus Ecclesiasticis consuetudine (iuxta dicta disputatione præcedente) est validum, præcipue tamen loquemur de prælatis aliisq; beneficiariis, quibus, vt eadem disputatione ostensum est, testari non licet, & de institutione maioratuum, ac donatione inter viuos de ijs solum bonis, de quibus testari non possunt. Vt vero dilucidior fit disputatio, dum de his posterioribus erit sermo, solum faciemus mentionem de prælatis, qui soli in Hispaniis testari non possunt. Idem vero intelligatur de aliis beneficiariis, qui in Italia, vel aliis locis testari non possunt.

2 Sit ergo prima conclusio. Si prælatus de bonis de quibus testari non potest, maioratum instituat per contractū reuocabilem, aut quouis alio modo reuocabiliter, inualida est talis institutio, omniaque proinde bona illa pertinent, vel ad Cameram Apostolicam, vel ad successorem, tam in conscientiæ, quam in exteriori foro. Ita *Molina lib. 2. de primog. c. 10 n. 31.* Ratio est, quoniam talis contractus ac institutio, cum reuocari possit, vim habet vltimæ voluntatis, neq; aliter, quam morte disponētis confirmatur: omnis autem vltima voluntas prælati de eiusmodi bonis est ipso iure nulla, vt supra ostensum est.

1. *Conclusio.*

Secunda conclusio. Si prælatus, dū prospera vti-

2. *Conclusio.*

tur valetudine, de eisdem bonis, portioneque Episcopatus ipsi deputata, donec inter viuos ad vsus profanos, vel maioratum per contractum irreuocabilem instituat, lethaliter quidem peccat, valida tamen est donatio ac institutio in exteriori ac cõscientiæ foro, neque donatarius, aut qui maioratum acceperit, ad vllam tenetur restitutionem. Hæc est aduersus Nauarrum, eam tamen fere totam affirmat *Molina loco citat. nu. trigesimo secundo*, manifestaq; est ex disputationibus præcedentibus, in quibus ostensum est, prælatum dominum esse horum omnium bonorum, & quamuis lethaliter peccet cõtra caritatem profanè ea expedendo, omnem tamen alienationem, quam inter viuos facit, validam esse, per eamque conferre ius & transferre dominium, illudque comparare accipientem: eo quod sola dispositio de eiusmodi bonis per vltimam voluntatem sit ita prohibita, vt sit ipso iure nulla. Aitque *Molina loco citato numero 34.* receptam esse in tribunalibus Castellæ.

4 3. *Conclus.* Tertia conclusio. Idem omnino dicendum est, si beneficiarii illi, qui consuetudine testari possunt, in profanos vsus de similibus bonis inter viuos donẽt, aut maioratum instituant: quin etiamsi contractu reuocabili, aut testamento illum instituant. Quod enim lethaliter peccent contra caritatem, ita in profanos vsus de eiusmodi bonis disponendo siue inter viuos siue vltima voluntate, disputatione precedente est ostensum. Quod vero valida sit dispositio eorum, etiam per vltimam voluntatem, morte tamen ipsorum subsecuta, transferatque ius & dominium; ex dictis eadem disputatione, & aliis præcedentibus est etiam manifestum.

5 4. *Conclus.* Quarta conclusio. Si prælatus, in eo morbo constitutus ex quo è vita decesserit, pias aliquas donationes inter viuos de eiusmodi bonis effecit, etiamsi illæ magnæ sint quantitatis, non solum laudabiliter sunt factæ, validæque sunt in foro conscientiæ, sed etiam in exteriori. Ita *Nauar. in Apol. quæstione prima monito. 81. & 82. Molina, capit. citato numer. vigesimo quarto, & alii*, quos referunt. Probatur, quoniam ad eum pertinet administratio & dispositio inter viuos de reditib. sui Episcopatus, cum onere expendi, quod vltra suam competentem sustentationem superfuerit, in opera pia: cum ergo morbus hanc potestatem, & hoc onus iniunctum, ab eo non auferat, quin potius id onus arctius eum astringat, vt quod, dum sanus erat, nõ impleuit, vt tenebatur, saltem tunc adimpleat, placareque satagat diuinam maiestatem, bonisque operibus se præparare ad exitum ex hac vita: consequens profecto est, vt laudabiles, validæque sint eiusmodi piæ donationes, tam in cõscientiæ, quam in exteriori foro. Præsertim cũ multo melius sit, vt tunc saltem opere fiant, quam ea bona relinqui successori in Episcopatu, qui forte minus vtiliter, minorique cum Ecclesiæ ædificatione illa expendet. Doctrinam hanc merito extendit Nauarrus, etiam ad donationes remuneratorias, quæ ex gratitudine honestateque morali sunt debitæ. Atque ad prælatos & beneficiarios regulares, qui licet dominium non habeant redituum beneficiorum, sunt tamen dispensatores & administratores eorum, interim dum viuunt, ac proinde, in quę opera pia possunt illos expendere dum sani sunt, possunt etiam dum morbo laborant, mortique sunt proximi.

6 Quod hac in parte facit difficultatem, est *caput ad hæc, de test.* vbi Alex. 3. ait. *Præsentibus innotescat, quod clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de iure testari non possunt: viuentes tamen & sui compotes, moderate valent aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti.* Ecce beneficiarii in ægritudine constitutis solum concedit facere de rebus mobilibus moderatas eleemosynas.

Ad hoc tribus modis respondetur: Primo, solum argumento à contrario sensu colligi inde, non licere facere magnas eleemosynas, insumereque multa in operibus pijs, argumentum autem à contrario sensu vim non habere, quando contrarium ex iure ipso reique ipsius natura constat, vt in re proposita cernitur. Secundo, caput illud *intelligendum* esse, non de redditibus beneficij, quorum beneficiarius est dominus, sed de bonis propriis Ecclesiæ, quorũ beneficiarius est solum administrator: de iis enim solum ei ægrotanti permittitur facere moderatas eleemosynas de rebus mobilibus. Tertio, intelligendum esse, vt in foro exteriori non præsumatur fraus, factaque esse donationes causa mortis, hoc est, cum conditione, quod, si beneficiarius viueret, ad eum reuerterentur. Ex his solutionibus hæc vltima minus mihi placet, quam duæ priores. 8

Quinta conclusio. Si prælatus in eo morbo constitutus de rebus, de quibus loquimur, quicquã notabile donauerit in profanos vsus donatione inter viuos, vel irreuocabiliter maioratũ instituerit, peccat lethaliter: donatio tamen, aut *institutio* semel facta, valida est in foro conscientiæ. Idem credo in foro exteriori, præsertim si traditio fuit facta, cessentq; aliæ præsumptiones, quod occulte facta fuerit reuocabiliter. Quod lethaliter peccet, ex dictis est manifestum. Quod vero valida sit in foro conscientiæ, ex eo probatur, quoniam prælatus dominus erat illorum bonorum, neq; irrita reperitur in iure talis dispositio inter viuos, potius quãdo fit tempore mortis, quam quando *sit dum incolumis* est prælatus: ostensum autem est supra validam esse, si fiat dũ prælatus sanus est. Doctores autem, qui, concedentes prælatum dominum esse illorum bonorum, negãt dispositionem illam validam esse in foro exteriori, solum ducuntur, quia præsumitur facta causa mortis atque in fraudem: quod non permittatur testari: in foro autem conscientiæ cessat præsumptio, si vere facta fuit irreuocabiliter. Vbi etiam duæ sunt viæ disponendi, nempe irreuocabiliter seu inter viuos, & per vltimã voluntatẽ, vnaque via duntaxat prohibetur ac irritatur, nulla profectò fraus aduersus eam committitur si via altera, quę irrita non est reddita, eligatur. Ac sane si id vllam vim haberet in donatione inter viuos ad res profanas, vim quoq; haberet in donatione inter viuos ad res pias: quando quidem prælati tam ad pia opera, quam ad profana, prohibiti sunt testari. 5. *Conclus.*

Molina loco citato numero quadragesimo idem ait esse in foro exteriori, nempe donationem esse factam à prælato ægrotante mortique proximo sufficienté esse præsumptionem, quod facta fuerit causa mortis ac reuocabiliter, idque probat ex verbis illis textus *in l. Seia. §. pater. ff. de don. caus. mort.* Eum, qui absolute donaret, non tam mortis causa, quam morientem donare. Vbi Bartolus (quem scribentes communiter sequuntur) ait, ob eum textũ, infirmum non præsumi causa mortis, sed potius inter viuos donare, nisi vel de reddendo conueniat, vel mortis mentio fiat. Licet autem in communibus ęgrotis, qui testari possunt, regulariter non sit ea præsumptio: in prælatis tamen, quibus prohibitum est testari, negandum non est esse aliquam, nec leuem præsumptionẽ: id quod *Couar. cum in opusc. de test. nu. 5. in postrema editione*, etiam de donatione ad pias causas in ægritudine facta affirmat: & propterea nos adiecimus verba illa in conclusione, præsertim si traditio sit facta. Intellige tamen, esse præsumptionem, nisi ex circunstantiis concurrentibus prudentis arbitrio elidatur ac cesset. 9

SVMMARIVM.

1 *Alienatio fundi dotalis est inualida, nisi instrumento firmetur.*

2 *Contractus minorum sine solemnitatibus iure ciuili requi-*

li requisitis inualidus , nisi iuramento confirmetur.

3 *Pactum, quo pater cum filia paciscitur, vt contenta sit tanta vel tanta dote, quam ei, dum nubet, tradit, iure ciuili nullum est, nisi iureiurando confirmetur.*

4 *Quid censendum de eo qui ea pacta vi, metu, aut dolo, iuramento confirmauit.*

5 *Quando pactum iure humano irritum, ex promissorio iuramento, quo confirmatur, vires ad obligandum habeat.*

6 *Iuramentum non est vinculum iniquitatis, quasi obligare possit ad malum.*

7 *Iuramentum quod sine peccato seruari potest, implendum est.*

8 *In Dei reuerentiam naturali iure tenemur implere iuramentum, quod sine dispendio salutis æternæ seruari potest.*

9 *Quod sit discrimen iuramenti promissorij Deo & homini facti.*

10 *An aliquis sub iureiurando mulieri cuidam astrictus, ducturum eam vxorem, teneatur id implere, an manere in perpetuo cœlibatu.*

11 *Cuius sit relaxare iuramentum Deo factum & homini.*

12 *Ad quem pertineat relaxare iuramentum ex causa rationabili emissum.*

13 *Irrita reddere potest iuramenta tam ecclesiastica potestas, quam laica.*

14 *Renunciatio maris aut fœminæ ante professionem facta, etiam cum iuramento, nulla est, nisi sequatur professio.*

15 *In regno Lusitaniæ, quando iuramentum intercenit, causa tam ad seculare quam ad ecclesiasticum forum pertinet, in Castella verò nefas est in contractibus offerre iuramentum.*

16 *De iure Lusitaniæ est, non posse in quocumque contractu iuramentum apponi sine Regis facultate, alioqui contractus est irritus.*

17 *Promissione iuramento cõfirmata, potest tam ex parte eius, cui tale iuramentum est præstitum, quam publica potestatis concedi, vt ea iudicio discutiatur.*

18 *Iuramenti materiam esse licitam, an non, vnde expendendum.*

19 *Authoris sententia.*

CONTRACTVS, ALIENATIONES, & promissiones iure humano, aut etiam naturali irrita, quando, accedente iuramenti confirmatione, obligent.

DISPVTATIO 149.

DIximus qui, & quousque testari possint. Dicendum nunc est, quando testamentum firmitatẽ nãciscatur, & quibus modis reuocetur. Vt vero circa primum commodius explicemus, an ex iuramẽto non reuocãdi testamentum firmitatem aliquam ante testatoris mortem acquirat, principiaque habeamus, vnde in progressu huius operis similes aliàs quæstiones circa donationes, promissiones atque contractus dirimamus, id, quod propositum est, hac & sequenti disputatione erit examinandum.

In primis vero, antequam tradamus regulam vnde eiusmodi quæstiones sint dissoluendæ, præmittamus ex canonico & ciuili iure exempla aliqua, in quibus alienationes & pacta, iure humano irrita, vires assumant ex iuramento, quo confirmantur.

1 *Alienatio dotis alusfundi inualida nisi iuramento firmetur.*

Primum sit: In fundo dotali hoc est, in re immobili tradita marito in dotem vxoris absque ea æstimatione, per quam marito censeatur vendita: talis namque res, si à marito perseuerante matrimonio, etiam de consensu vxoris, illaque cooperante alienetur, aut subiiciatur hypothecæ, totum est irritum & inane, vtdum de contractu societatis inferius erit sermo, videbimus. Nihilominus tamen, si vxor, neque vi, neq; dolo acta, eam alienationem confirmauit iuramento, atq; adeo se astrinxit illi non contraenturam, neq; eam rem repetituram, alienatio vi iuramenti valida redditur. Ita habetur *c. cum contingat, de iureiur. c. licet mobilis, eod. tit. lib. 6.* Ratio est, quoniam lex ciuilis non præcipit vxori, vt contraeniat alienationi fundi dotalis postquam est facta, remq; illam repetat, quasi peccet non contraeniendo & non repetendo: sed solum in illius commodum & fauorem, annullat contractum talis alienationis, concedit q; repetitionem: quia ergo, non cõtrauenire, & non repetere rem ita alienatam, neq; in præiudicium est tertii, neq; est malum, atq; adeo sine dispendio salutis æternæ seruari potest; fit, vt iuramentum, quo talis mulier in fauorem eius, cũ quo ita contraxit, ad id se astrinxit, obligationem sub periurii reatu inducat, non obstante annullatione contractus ex iuris ciuilis dispositione. Atque hæc est ratio, quam duo illa iura citata reddunt.

2 *Idem in contractu minorum sine solemnitatibus.*

Secundum est, in contractu minorum sine solemnitatibus iure ciuili requisitis vt sit validus: licet enim inualidus sit, si tamen sponte, hoc est, sine vi & metu, iureiurando confirmetur, firmus redditur, nec repeti potest quod ita alienatum fuerit. Ita habetur *in authentica sacramenta puberum C. si aduersus venditorem*: idque ex fundamento ac ratione in præcedente exemplo reddita: quoniam iuramentum illud, cum non sit de re illicita, seruariq; proinde sine dispendio salutis æternę possit, vim habet obligandi cõparationem illius, in cuius fauorem est præstitũ.

3 *Item in remissione legitimæ filij, aut filiæ.*

Tertium est, in pacto, quo pater cum filio aut filia paciscitur, vt contẽta sit tãta vel tanta dote, quam ei dũ nubet, tradit, aut tali vel tali portione, & nihil amplius in suam legitimam portionẽ petat. Licet enim eiusmodi pactum nullum sit iure ciuili, possitque talis filius, aut filia, ea non obstante, petere postea complementum suæ legitimæ portionis, vt constat *ex l. pactum dotali, C. de collat. l. si quando C. de pactis* atque ex aliis iuribus, nihilominus, à tali filio aut filia, neque vi neq; dolo ad id inductis iuramento cõfirmetur, validum est, neque peti potest incrementum vsq; ad integram legitimam portionem, quæ secluso tali pacto ei debebatur. Ita habetur *c. quamuis pactũ, de pactis, l. 6.* redditurque eadem ratio, quia videlicet, illius obseruatio, neq; in dispẽdiũ salutis æternę vergit, neq; redunda: in alterius detrimẽtũ.

4 Quatuor iuribus citatis, dum statuitur, prædicta pacta, si iuramento sint confirmata, seruanda esse, vt vides, additur; *modo qui ea iuramento confirmauit, non fuerit ad id inductus vi, metu, aut dolo.* Ea autem verba nõ arbitreris idcirco fuisse addita, quasi interuenientevi, metu, aut dolo in illis euentibus, fas sit, non obtenta prius à prælato relaxatione iuramenti, non stare pacto, repetereque rem ita alienatam, id nãq; falsum esset. Etenim quando id, quod promissorio iuramẽto alteri homini confirmatur, illicitũ nõ est ex parte eius, qui ad id seruandum iuramento se astringit, vt in omnibus illis euentibus cernitur, seruandum proculdubio est, esto iuramentũ pervim, metum, aut dolum, atq; adeo iniustè fuerit extortũ: vniuersim namq; verum est, iuramentum alteri homini præstitũ quod sine dispendio salutis æternę eius, qui illud præstitit, impleri potest, seruandũ esse, nisi relaxatio talis iuramenti obtineatur: hac enim ratione *c. debitores de iureiur.* statuitur, vt qui iureiurando se astrinxit vsuras soluere, iuramentum adimpleat: postea tamen illas repetat, tanquã non debitas, iniustè q; ab vsurario acceptas. Quin & *c. si vero de iureiurando*, expresse habetur, iuramentũ per metum extortum seruandum esse, sed relaxationem tunc concedi posse per prælatum. Idcirco ergo verba illa addita sunt, quia quando nulla facta est iniuria ei, qui pactum [illegible] promissionem iuramento con-

confirmauit, neque publica necessitas in bonum A commune postulat, vt iuramentum relaxetur, sanè, vt bene notat Caietan. 2.2. *quæst. 89. articul. 9*, non potest prælatus in detrimentum eius, in cuius fauorem est præstitum, illud relaxare: quoniam iniuriam illi faceret. Nisi fortè potestatem, quam inferior habet ad remittendam obligationem ex eo iuramento; haberet etiam superior, aut id postularet bonum commune: quo pacto, vt Caiet. *loco citato* rectè ait, *Summus Pontifex dispensat cum iis, qui se astrinxerunt non sumere superiorem gradum extra vniuersitatem; in qua susceperunt inferiorem, vt nihilominus illum suscipiant.* Quare, cum in euentibus, de quibus iura citata loquuntur, supponatur, pacta illa nullam, alioquin continere iniustitiam, statuitur, omnino seruanda esse, si iuramentum, quo confirmata sunt, non fuit extortum vi, metu, aut dolo; quoniam tunc locum B non habet iuramenti relaxatio, quæ per prælatum fiat; quando autem vis, metus, aut dolus intercessisset, quia locum haberet relaxatio iuramenti, sicut quando vsurario sub iureiurando promissę sunt vsuræ, aut grassatori centum, ne iniustè interficeret; idcirco non statuitur, seruanda tunc omnino esse eiusmodi pacta tali iuramento confirmata.

5 His exemplis ex iure canonico & ciuili præmissis & ex parte explicatis, hanc possumus statuere regulam, qua diiudicetur, quando pactum aut promissio, iure humano, aut etiam naturali irrita, ex promissorio iuramento, quo confirmatur, vires ad obligandum assumat. Quando promissorium iuramentum sit homini de re, cuius adimpletio illicita non est ex parte iurantis, ita quod absque lethali & C veniali culpa, saltem ad suam redimendam vexationem, potest illam implere, obligatio consurgit implēdi, quod ita promissum est, esto, secluso iuramento, iure humano, vel etiam naturali, esset irritum, neque vllam vim obligandi haberet; quando vero est de re, cuius impletio ex parte iurantis illicita est saltem venialiter, nulla omnino consurgit obligatio.

Regula quando iuramentum vires dispositioni alioquin tribuas.

6 Ratio posterioris partis huius regulæ est, quoniam iuramentum non est vinculum iniquitatis, quasi obligare posit ad malum: contradictionemque inuoluit, quenquam teneri aliquid facere, & peccare illud efficiendo.

7 Prioris vero partis hæc est ratio. Quoniam iuramentum quod sine dispendio salutis æternæ, ideſt, sine peccato, seruari potest, implendum est, vt iura citata docent. Quod intelligendum est, dum is, cui D per iuramentum nos astrinximus, vult sibi impleri, quod ita promissum est, atque adeo vult nos eo iuramento esse astrictos, vt D. *Thom. 2.2 q. 89. art. 9. ad 2.* ait, & colligitur apertè *ex c. 1. de iureiurando*; & dum superior ex rationabili causa iuramentum non relaxat, eandem obligationem loco subditi, etiam illo contradicente, similiter remittendo.

8 Porro, in Dei reuerentiam, naturali iure tenemur implere iuramentum, quod sine dispendio salutis æternæ seruari potest, interim dum obligatio illius non remittitur, quatenus honos, quem Deo debemus, postulat, vt, quod sub illius attestatione promissum est, impleatur, ne eam iniuriam illi irrogemus, vt in testem promissionis infidelis fuerit adductus. E

9 Verum enim vero priorem regulæ partem non immerito restrinximus ad promissorium iuramentum homini factum: quoniam latissimum est discrimen, maximeque in multis quæstionibus definiendis ante mentis oculos habendum, inter iuramentum promissorium Deo factum, quod proinde vim voti iuramento confirmati habet, & iuramentum promissorium factum homini. Cum enim promissorium iuramentum, de re non illicita, eatenus ad sui impletionem obliget, quatenus is, cui est præstitum, vult id fieri: Deus autem indifferentia in suum obsequium non velit, & ex duobus bonis præligat, quod melius est; vtique si iuramentū Deo factum obligare debeat, necesse est, vt sit de re moraliter bona, saltem ex aliqua circunstantia, & vt impedimento non sit maiori bono: cum tamen, vt iuramentum homini præstitum obliget, sufficiat, vt non sit de re illicita ex parte eius, qui illud implere debet.

Discrimen iuramenti Deo, & homini facti.

Hinc oritur, quod si quis alicui mulieri sub iureiurando se astringat, ductum eam vxorem, teneatur id implere, nec possit manere in perpetuo cœlibatu, esto melius id esset: si tamen in genere sub iureiurando promittat ducere vxorem, nulli in particulari se obligando: quia fortitur rationem iuramenti, non homini, sed Deo facti, manere licite potest in perpetuo cœlibatu: eo quod id melius sit. Ni- 10
si forte, iuxta consilium Pauli, spectatis omnibus circunstantiis concurrentibus, melius tunc esset vxorem ducere quam vri, atque ex nimia infirmitate prolabi in multa peccata.

Aliud accipe discrimen inter vtrumque iuramē- 11
tum. Quod relaxare Deo factum, pertinet sine vlla controuersia ad solas Ecclesiasticas potestates, nempe ad Summum Pontificem, & ad alios prælatos, qui Summus Pontifex id sibi non reseruauit: Dei namque loco, tāquam ipsius ministri, per potestatem ab eo acceptam, ex rationabili causa cōdonant hominibus obligationē, qua ex voto, aut iuramento propria sponte emisso Deo astricti tenebantur: eaq; ratione dicuntur dispensare in votis, siue iuramento sint confirmata, siue non, vt alio in loco dicendum est. Relaxare vero *iuramentum homini factum*, in primis pertinet ad eum ipsum, cui tale iuramentum est præstitum, vt paulo ante dictum est: & quando is tenetur illud relaxare, potest, & debet ad id cōpelli per potestates publicas, vt de vsurario, cui sub iureiurando promissa est solutio vsurarum, habetur *c. 1. de iureiurando*. Nec dubito ad laicas etiam potestates spectare, compellere illum, dummodo laicus sit, & res, circa quam est præstitum iuramētum, alioquin pertineat ad forum seculare, neque dubium sit, an is teneatur iuramentum relaxare. Idem etiam affirmat *Coua. 1. variarum resol. c. 4. num. 5.* *Aliud discrimen.*

Deinde relaxare immediate ex causa rationabili 12
ac legitima idem iuramentum loco illius, esto ille non consentiat, aut ignarus sit, pertinet, meo iudicio tum ad Ecclesiasticas potestates, tum etiam ad laicas, quando ille laicus est, idq; postulat ciuile ac politicum bonum. In primis, quia quando res, circa quam iuramentum vel periurium versatur, non transcendit naturalem ac politicum Reipublicæ secularis finem, causa iuramenti ac periurij mixti est fori, vt tractatu 5. ostendemus: præsertim cum virtus religionis, cultusque ac honor, quantum lumen naturale docet, Deo debitus, finem non transcendat, politicæ ac secularis Reipublicæ. Præterea, quia quemadmodum seculares, qui de gremio sunt Ecclesiæ, plenissime subiacent potestatibus Ecclesiasticis, quantum bonum eorum spirituale, finisque supernaturalis Ecclesiæ omnino postulat, possintque proinde Ecclesiasticæ potestates de eorum bonis disponere, atque adeo, nullo spectato eorum consensu, remittere obligationes vndecunque alii ipsis astricti tenebantur, & per consequens relaxare iuramenta, quibus alij eis tenebantur: sic etiam cum simili modo subiaceant potestatibus laicis quantum postulat finis ac bonum politicæ ac secularis Reipublicæ, sane, exigente id communi bono Reipublicæ secularis, poterūt laicæ potestates relaxare iuramēta, quibus alij astricti illis tenebantur, nullo expectato eorum consensu. Quæstionem hanc disputat late *Couar. c. quamuis pactum, parte 1. §. 3. à nu. 7.* varioſque citat Doctores pro vtraq; parte, arbitraturq; nō ad laicas, sed ad solas Ecclesiasticas potestates pertinere relaxare eiusmodi iuramenta. At certe, si tam

ipſe, quam alij, ad noſtra fundamenta attendiſſent, non dubito, quin ſine vlla controuerſia noſtrã amplexati fuiſſent ſententiam. Primum noſtrum fundamentum eſt, longe diuerſam eſſe rationem de iuramento Deo præſtito, & homini facto. Secundum, relaxare iuramentum, non eſſe pronunciare ac declarare, quod in eo euentu ex natura rei non obliget; id quod Couarruuias concedit laicas poteſtates efficere etiã poſſe circa ſibi ſubditos in iis, quæ ad politicum finem ſpectãt: ſed eſſe vere remittere obligationem, quæ, niſi per poteſtatem publicam, aut eum, cui præſtitum erat iuramentum, remitteretur, re ipſa, ſpectatis omnibus circunſtantiis concurrentibus, perſeueraret. Tertium, ac potiſſimum, relaxare eiuſmodi iuramenta non eſſe condonare obligationem, qua is, qui iurauit, naturali iure tenebatur, non eam irreuerentiam atque iniuriam Deo inferre, vt eum adduxerit in teſtem infidelis promiſsionis, quaſi, manente adhuc infidelí promiſsione, licitum ſit non ſeruare iuramentum; id namque cum iure naturali pugnat, quod proinde nulla ratione reddi poteſt licitum: ſed eſſe condonare obligationem, qua ex tali iuramento tenebatur illi, cui eſt præſtitum, opere ipſi implendo, quod ſub eo iuramento promiſit. Quando autem iuramentum factum eſt homini, homo ipſe poteſt relaxare talem obligationem, eam condonando iuranti, atque eo ipſo deſinit eſſe infidelis promiſsio, eſto non impleatur: ſimilique modo poteſt ex rationabili & ſufficiente cauſa eandem obligationem loco ſui ſubditi condonare ac remittere, ſuperior ea in parte illius, ſiue is Eccleſiaſtica, ſiue laica poteſtas ſit. Quo fit, vt, ſi is, cui iuramentum eſt præſtitum (de vſuris, verbi gratia, ipſi ſoluendis) infidelis ſit ad Eccleſiæ iuriſdictionẽ non ſpectans, is vero, qui iuramentũ præſtitit, Chriſtianus ſit, poſsit poteſtas laica illius infidelis relaxare Chriſtiano illud iuramentum, condonando illi loco ſui ſubditi obligationem, qua ex tali iuramento ei tenebatur: non vero poſsit Eccleſiaſtica poteſtas hominis Chriſtiani, qui iuramentum præſtitit, illud ei relaxare: quia, cum nullam iuriſdictionem in eum habeat, cui eſt præſtitum, non poteſt loco illius condonare obligationem, qua Chriſtianus ex iuramento illi tenebatur.

13 *Irrita reddere poteſt iuramenta non ſolum poteſtas Eccleſiaſtica, ſed etiã laica.*

Ex his colligo, quod cum ea poteſtas publica, quę relaxare poteſt iuramentum, ſibi ſubdito factum, poſsit etiam illud irritum reddere, impediendo ne ex illo obligatio comparatione ſubditi oriatur, eam ve ipſo iure remittendo, vtique quemadmodum Eccleſia, poſtulante id fine ſupernaturali, condere poteſt leges, quibus pacta aliqua, promiſsiones & renunciationes, quæ ſpectata ſola eorum natura, valida eſſent, irrita ſint & nulla etiamſi iuramento ſint confirmata: ſic quoque princeps ſecularis ſancire poteſt ſimiles leges, quando id exigit finis politicus, bonumque ſuæ Reipublicæ ſecularis.

Quod ad Eccleſiam attinet, exemplum habemus in *Concilio Tridentino ſeſſio. 25. c. 16. de regularibus*, vbi, propter incõmoda, quæ ex eo oriebãtur, quod nouitij, interim dum probationis tempus perſeuerat, retardarentur ab egreſſu, ſi ſtatus ille eis non placeret, formidando ſe non habituros in ſeculo ea omnia bona, quæ erant habituri, ſi ingreſsi non fuiſſent monaſterium, eaque ratione ducti profeſsionem emitterent, quam alioquin non forent emiſſuri, inter alia ſtatuitur, *vt ſiue mares ſint, ſiue fœminæ, nulla eorum renunciatio aut obligatio facta ante eorum profeſsionem, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcunque cauſæ pię, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius vicarij fiat, intra duos menſes proximos ante profeſsionem, ac non alias intelligatur effectum ſortiri, niſi ſecuta profeſsione: aliter vero facta, etiamſi cum huius fauoris expreſſa renunciatione etiam iurata, ſit irrita & nullius effectus.* Hæc Concilium ibi. Non dubito autem, id locum etiam habere, in renunciationibus factis ante ingreſsum in nouitiatum, aut etiam in monaſterium, modo facta ſint animo ingrediendi monaſterium, diſponendique de bonis ad ipſum pertinentibus intuitu talis ingreſsus: eo quod finis legis ad hæc etiam ſe extendat. Crediderim tamen, eam renunciationem, aut diſpoſitionem, ſiue ante nouitiatum, ſiue in ipſo nouitiatu factam, vim habere, quæ fieret ſub conditione profeſsionis, aut in noſtra ſocietate, votorum poſt probationẽ peractã. Ratio eſt, quod hæc neq; eſt abſoluta neq; ſimpliciter diſpoſitio ante profeſsionem: cũ non, niſi illa ſecuta, firma ſit & valida: neque vllũ impedimentum omnimodæ libertati profeſsionis afferat, atque adeo nihil fini illius legis obuiet: ſicut etiam, nihil illa lege impediente, valida eſt diſpoſitio bonorum nouitij per vltimam voluntatem, ſiue illa tempore nouitiatus, ſiue ante nouitiatum fiat.

15 Quod ad poteſtates vero laicas, exemplum habemus, tam de iure huius Luſitaniæ Regni, quam de iure Regni Caſtellæ. Quia enim, quando cauſa alioquin ſpectabat ad ſolum forum ſeculare, ſi iuramentum interuenit, ratione illius pertinet etiam ad Eccleſiaſticum, vt habetur, *c. vlt. de foro compet. li. 6.* atq; adeo fit mixti fori, idque in cauſa erat, vt cum detrimẽto iuriſdictionis ſecularis multæ laicorum cauſæ ad forum Eccleſiaſticum aduocarentur, *lib. 4. nouæ collect. tit. 1. leg. 11. &* 12. ſancitum eſt in Regno Caſtellæ, vt in obligationibus & contractibus non apponatur iuramentum; idque ſub grauibus pœnis, tam ex parte eius, qui ſe iuramento aſtringit, quam creditoris, atque etiam tabellionis, qui ea de re confecerit inſtrumentum, & inſuper ſtatuitur vt talis contractus & obligatio, ita iuramento confirmata, nulla ſit. Vbi vides, obligationem iuramento confirmatam irritam reddi iure ciuili, idque in pœnam, atque vt ſub ueniatur iuriſdictioni Reipublicæ ſecularis. Neque videtur id condemnandum, quicquid nonnulli dixerint, quos *Aluar. Valaſ. conſultat. 99.* refert, cum fas ſit principibus ſecularibus, ſuam Reipublicæque ſibi commiſſæ tueri ſecularem iuriſdictionem, ſuis ſubditis prohibendo, ne quicquam efficiatur, vnde illa impediatur, aut minuatur. Eiſdem tamen iuribus permittitur, vt in contractibus, quibus laici conducunt reditus Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum, apponi poſsit iuramentum. Permittitur etiam, vt in contractibus, qui validi non ſunt, niſi iuramento cõfirmentur, poſsit etiam apponi. Item vt in compromiſsis & contractibus dotis, aut arrharum, nec non in venditionibus, alienationibus & donationibus perpetuis, apponi poſsit iuramentum.

16 *Iur Luſit.*

De iure vero huius Luſitaniæ Regni *li. 4. ord. tit. 5.* omnino prohibetur, ne apponatur iuramentum in quocunque contractu, obligatione, conuentione, promiſsione, remiſsione, aut quouis alio diſtractu, ſiue hæc verbo, ſiue ſcripto fiant, & præter alias pœnas vtrique contrahentium, ac tabellioni impoſitas ſtatuitur, vt ſint hæc eo ipſo nullæ. Eſtque in praxi ceptum, vt nihil omnino excipiatur. Vnde quando iuramentum eſt apponendum contractui aut renũciationi, quæ ſine iuramento ſunt ipſo iure nulla, petitur prius facultas à Rege. Multa circa eiuſmodi iuramentum controuertit *Aluar. Valaſ. concl. 99. citata*, à quorum examine ſuperſedendum hoc loco duxi.

17 Iuxta hactenus dicta, quando iuramento ſunt cõfirmata contractus aut promiſsio de re non illicita ex parte eius, qui iuramento ſe aſtrinxit; & nihilominus is arbitratur, eum, cui ita ſe aſtrinxit, non poſſe tuta conſcientia rem illam recipere aut retinere, vt ſi vſuras ſoluere promiſit, aut contractus fuit alia ratione iniuſtus, vel graſſatori centum promiſit, ne ſe iniuſte interficeret, ſane quemadmodum is, cui tale iuramentum eſt præſtitum, facultatem poteſt concedere, vt, non obſtante iuramento, res iudicio diſcutiatur, iuſtane ſit, an non: ita poteſtas publica poteſt eandem concedere, arbitrorque, iuxta hactenus dicta, non ſolum Eccleſiaſticam, ſed etiam laicã poteſtatem, quatenus id poſtulat bonum ciuilis Reip. poſſe eam concedere.

Vt ad

18. *Iuramen. ei materia ill. licita ne sit vnde ex pē- dendum.*

Vt ad priorem partem regulæ propositæ regrediamur, interrogabit aliquis, vnde iudicandum sit, an id, quod iure humano, aut etiam naturali est irritum, & iuramento confirmatur, illicitum sit, annon, ex parte eius qui iureiurando illud implere se astrinxit, vt intelligatur, vtrum ex iuramento consurgat, aut non consurgat obligatio id implendi. Respondeo, non aliunde, quam ex natura ipsa rei, & ex circunstantiis concurrentibus, atque ex dispositione iuris positiui. Si namque ex natura rei & circunstantiis concurrentibus rationem culpę non habet comparatione eius, qui sub iureiurando id implere promisit, neque ius positiuum id prohibet lege, quæ sub culpa, saltem veniali, obliget, tunc esto irritum alioquin sit, si confirmetur iuramento, consurgit obligatio illud implendi, vt in exemplis de non repetendis fundo dotali, bono immobili sine iudicis decreto & aliis solemnitatibus requisitis à minore alienato, de non petenda integra portione filio aut filiæ debita, & de soluendis vsuris aut regrassatori promissa ne iniuste interficiat, ostensum est. Si vero ex aliquo horum capitum sit, saltem venialiter, illicitum iuranti, tunc esto iuramento se astringat, nec teneatur id facere, nec sine peccato potest. Verbi gratia, si quis vsurario, ratione mutui, sub iureiurando promitteret, se inde nuptiarum, aut alterius pompæ illius, gestaturam vestes sericas lege positiua prohibitas, vtique non teneretur id implere, quia esset malum venialiter ex sola legis positiuæ prohibitione. Idem esset, si post promissorium illud iuramentum superueniret lex positiua, quę id prohiberet: Longe vero maioricum ratione est idem dicendum, si id, quod iureiurando esset promissum, ex se, aut ex circunstantia superueniente, esset contra ius naturale.

19 Traditam regulam arbitror esse longe meliorem ad iudicandum quando ex iuramento consurgat obligatio circa contractum, promissionem, ac alienationem ipso iure irritam, quam sint illæ, quas tradūt *Bart. l. si quis pro eo. ff. de fideiuss. Panorm. c. cum contingat de iureiurand. Couar. c. quamuis pactum, part. 2. in initio §. 3.* & alij iurisperiti quatuor illis iuribus supra citatis, in quibus mirum in modum variant.

A

B

C

D

E

SVMMARIVM.

1 *An obligatione consurgente ex iuramento confirmante contractum iure humano irritum, reuiuiscere possit vis ad obligandum, quæ eidem ineft, si eodem iure non esset irritus.*

2 *Iuramenti promissorij obligatio duplex.*

3 *Obligatio iuramenti personalis non transit ad hæredes iurantis, alia vero transit, sine periurij tamen, periculo.*

4 *Quenam iuramenti obligatio actionem pariat, & quæ non.*

5 *Iuramenti relaxatio seu absolutio ad effectum agendi quid.*

6 *Iuramentum reuiuiscere non facit obligationem pacti alioquin irriti, sed ex iuramento oritur duplex obligatio ipsi propria.*

AN QVANDO EX IVRAMENTO contractus, aut promissio ipso iure nulla obligat, reuiuiscat vis, quæ eisdem ineffet, si humano iure non essent irrita.

DISPVTATIO 150.

1 DVbitant Doctores, an quando obligatio cōsurgit ex iuramento, quo confirmatur contractus aut promissio iure humano irrita, reuiuiscat vis ipsa ad obligandum, quam idem contractus aut promissio haberet, si irrita nō essent iure humano, ita vt duplici ex capite tunc obligent, nempe ex iuramento, & ex natura propria talis contractus aut promissionis; an vero obligatio illis propria nō reuiuiscat, sed obligent solum ex capite iuramenti. Bart. Panor. & communis doctorum sententia, quam refert & sequitur *Couar. quamuis pactum, part. 2. §. 1. n. 7.* affirmāt reuiuiscere ac proinde ex vtroque c. obligare. Faber vero, & multi alij, quos Couar. ibid. refert censent, non reuiuiscere, sed obligare solum ex capite iuramenti.

2 *Obligatio duplex iuramento promissorio propria.*

Vt paucis quid de hac re sentiam dicam, obseruandum est. In iuramento promissorio de re non illicita ex parte iurātis, duplicem obligationem, ipsimet iuramento propriam, esse distinguendam. Vnam, omni eiusmodi iuramento communem, primariam, illique maxime innatam, qui iurans tenetur Deo, in ipsius honorem ac reuerentiam efficere, vt eum non adduxerit in testem falsi, infidelisve promissionis, implendo quod iureiurando promissum est. Alteram, quæ ex hac, ac proinde ex virtute religionis, naturaque promissorij iuramenti dimanat: non tamen vniuersim, quasi semper oriatur, sed comparatione eius duntaxat, qui licite ac iuste, quod iuramento est promissum, potest accipere, sine onere illud restituendi, quasi ius ad id accipiendum, suum que efficiēdum ex iuramento, quo sibi promissum est, comparauerit: Est namque animaduertendum, quāuis semper ex eo promissorio iuramento, quod nō est de re illicita ex parte iurantis, oriatur obligatio per comparationem ad Deum, efficiendi vt non fuerit adductus in testem infidelis promissionis, atque obligatio hæc, ratione promissionis adimplendæ, vniuersim respiciat secundario eum, cui iuramentum est præstitum; tanquam cui ex ea obligatione implendum est *iuramētum, interim dum ipse aut alius*, qui illius loco id possit efficere, promissionem non remittit, habetve pro impleta, vt disputatione præcedente dictum est; nihilominus non semper obligationem hanc concomitari aliam, ad quam iuramentum promissorium suapte natura ordinatur atque est institutum, nempe, qua iurans ita ei, cui iuramentum præstat, vi talis iuramenti astringatur, vt ille ius sibi comparet, ipsique debitum efficiatur, quod eo modo promittitur, idque arctius multo vi iuramenti, quam vi promissionis, cui iuramentum adiungitur. Quemadmodum enim, quando contractus sine iuramēto celebratur, vt vi illius quis comparet ius, necesse est vt sit iustus: alioquin ex illo, ea ex parte qua iniustus est, nullum ius aut dominiū sibi acquirit; & quemadmodum, vt vi promissionis, etiam acceptatæ, is, cui aliquid est promissum, ius sibi comparet, necesse est, promissionem ex mera liberalitate procedentem spontaneam esse omnino, vt in progressu videbimus; ita profecto, vt quis præcise ex sibi præstito iuramento, comparet ius, necesse est vtex parte iurantis sit omnino spontaneum, qui mere liberaliter ad id ex tali iuramento se velit astringere, quod nullo alio titulo debet. Hac ratione ex iuramēto; quo quis metu grassatori eentum promittit, ne se iniuste interficiat, nullum ius comparat grassator, ex iuramento etiam, quo quis vsuras promittit, nullum ius comparat vsurarius: quia quemadmodum promissio fuit inuoluntaria mixte, ita etiam iuramentū, quo fuit confirmata. Eadem ratione ex iuramento, quo quis venditionem confirmauit iniustam ex parte emptoris quia res vendita fuit infra infimū pretium iustum, nullum ius sibi cōparat emptor, quoad id pretij, quod ad infimum iustū defuit: eo quod vt id retineat, nullum alium titulum habeat, quam tacitam donationem vendentis iuramento confirmatam: vendens autem inuoluntarie mixte id tacite donauit ac iuramento confirmauit, quia nō plus pretij reperit: cum tamen neque donatio, neque iuramentum inuoluntarie mixte ius tribuant donatario.

3 *Iuramenti obligatio, quæ personalis est, non transit ad hæredes.*

Est vero hoc discrimen apprime notandum inter duas obligationes iuramenti promissorij explicatas. Quod prima, quæ communis est omni iuramento de re licita ex parte iurantis, & cuius transgressio efficit periurium, non transit ad hæredes, sed est personalis ac propria eius, qui iuramento se astrinxit, qui solus est periurus, nisi illud adimpleat. Quare, si is, qui iureiurando soluere vsuras, aut centum grassatori se astrinxit, illa, dum viueret, non soluit: hæredes ad solutionem nequaquam tenentur.

Quæ ad hæredes transeat sine periurij tamen periculo.

Secunda vero obligatio, quia per eam ius sibi comparat is, cui sub iureiurando aliquid promissum est, esto id nullo alio titulo illi esset debitum, vtique transit ad hæredes, qui sub reatu lethalis culpæ non secus soluere tenentur debitum illud, ac alia defuncti; non tamen sunt periuri, esto illud non soluant.

4 *Iuramenti obligatio, quæ actionē tribuat, & quæ non.*

Cum discrimine explicato hoc aliud est coniunctum. Quod ex sola prima obligatione, neque oritur, nec conceditur actio ei, cui præstitum est iuramentum: eo quod nullum ius ad rem promissam sibi ex illo comparauerit: quin potius cogetur iuramentum relaxare, vt disputatione præcedente dictum est, & punietur pro qualitate criminis vsurarij, grassatoris, aut alterius, quod, dum tale iuramentum extorsit commisit. Iudex tamen Ecclesiasticus, si is, cui præstitum est ad iurisdictionem ipsius non pertineret, vt si infidelis esset, neque vt teneretur, vellet iuramentum relaxare, vtique ex officio suo, vt animæ sui subditi, qui id præstitit, consuleret, & scandalum tolleret, cogere illum posset ac deberet, vt iuramentum impleret. Ex secunda vero iuramenti obligatione conceditur actio, tum aduersus eum, qui iurauit, tum etiam aduersus hæredes illius, vt id impleant, quod sub iureiurando promissum est, idque non solum de iure canonico, sed etiam ciuili, vt suo loco in materia de contractibus ostendemus. Cum enim eo ipso, quod pollicitationi accedit iuramentum meræ spontaneum, is, cui ita aliquid promittitur, comparet ius, vt quod promissum est, sibi soluatur, efficiaturque eo ipso simpliciter illi debitum, idque etiamsi pollicitatio, præcise à iuramento spectata, non esset, qua quis ex iustitia, sed solum ex fidelitate ac honestate morali, intra limites virtutis veracitatis, iuxta ea, quæ suo loco dicentur, intenderet se obligare; sane ex secunda obligatione iuramenti promissorij merito vtroque iure actio, tum aduersus eum, qui iurauit, tum etiam aduersus hæredes illius conceditur.

5 *Iuramenti relaxatio, seu absolutio ad effectum agendi quid.*

Illud etiam est obseruandum, quando, is, qui sub iureiurando ad aliquid tenetur, à iuramento absolutus, vt illo non obstante possit ea de re cum eo iudicio contendere, cui ex tali iuramento tenetur, neutram obligationem simpliciter atque omni ex parte relaxari, sed solam primam ad eum tantum effectum, vt videatur, an etiam teneatur ex secunda, nec ne, atque etiam simpliciter & omnino, ex hypothesi tamen, quod comperiatur, non teneri ex secunda, aduersariumque iniuste accipere, quod sub iureiurando illi promissum est. Quo fit, vt si is, qui absolutionem petit, conscius sit, aduersarium iuste posse accipere, quod illi promissum est, absolutio sit nulla, peccetque lethaliter, non solum contra iustitiam sed etiam contra religionem peccato periurij; eo pacto iudicio contendendo, restituereque teneatur aduersario impensas & damna, inde illi subsecuta.

6 *Iuramentū reuiuiscere non facit obligationē pacti alioquin irriti.*

His iactis fundamentis, dicendum est, ex iuramento quo confirmantur contractus aut pollicitatio, solo iure humano irrita, non reuiuiscere vim obligandi, quam, si irrita non essent, haberent ex se, sed accedere duplicem explicatam obligationem iuramenti, vnam, per comparationem ad Deum, qua is, qui se ita iuramento astrinxit, tenetur sub reatu lethalis culpæ periurij efficere, vt Deum non adduxerit in testem falsæ, infidelisve promissionis, & alteram, per comparationem ad eum, cui factum est iuramentum, qua eo ipso, quod iuramentum spontanee est adhibitum, & adimpletio promissionis neque ex se, neque ex prohibitione iuris positiui est illicita, comparat ille verum ius ad id, quod ita est sibi promissum, ac proinde efficitur ipsi omnino debitum.

Quemadmodum enim, licet ex pollicitatione facta ex sola fidelitate humana fine promittentis animo obligandi se ex iustitia, is, cui fit, non comparet ius simpliciter aduersus promittentem, vt eam adimpleat, ac proinde nec detur ei actio, & tamen, si accedat iuramentum, comparat ius simpliciter, conceditur que illi actio, etiam aduersus promittentis hæredes, vt quod ita promissum est, impleatur, subsecutaque traditione acquirat verum dominium: sic sane, quamuis contractus & pollicitatio iure solo humano irrita, nec tamen illicita, vim non habeant ad obligandum, ac proinde ex illis neque acquiratur ius, neque actio detur; si tamen confirmentur iuramēto, esto, interim dum ius humanum non reuocatur, vis propria non reuiuiscat; quia tamen ex tali iuramento, præter obligationem ad Deum, consurgit alia peculiaris ad eum, cui est præstitum, ratione cuius efficitur simpliciter id ei debitum quod cum eo conuentum, promissumve illi est, vtique is & verum ius comparat, & conceditur ipsi actio, tam aduersus eum, qui tali iuramento se astrinxit, quam aduersus hæredes illius, subsecutaque traditione, acquirit verum dominium. Bart. vero, Pan. Cou. & cæteri contrariæ opinionis autores, inde ad eam amplectendam, vt eos legenti erit manifestum, sunt permoti: quia iuramento de re non illicita, tam ex parte iurantis, quam eius cui iuramentum est præstitum, secundam illam vim ad obligandum à nobis explicatam non agnouerunt: quare, cum ex iuribus canonicis & ciuilibus, reique ipsius natura, intelligerent, ex contractibus & pollicitationibus solo iure humano irritis, si iuramento confirmentur, comparari verum ius, eaque de causa canonico & ciuili iure concedi actionem, coacti sunt recurrere ad reuiuiscentiam obligationis, quam iidem contractus & pollicitationes efficerent, si iure humano non essent irrita: cum tamen nulla ratio postulet, vt, interim dum ius, quo irrita sunt, non reuocatur, vis illa reuiuiscat, iuramentumque quo confirmantur, vim habeat ad tribuendum verum ius, ex quo actio aduersus promittentem hæredesque illius resultet, vt à nobis est explanatum.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum & quæuis alia voluntas vsque ad mortem reuocari & mutari potest.*

2 *Testamentum in mortis periculo confectum, validum est, nisi reuocetur à testatore extra periculum constituto: secus de donatione causa mortis.*

3 *Si testamento hæres sub hac forma instituatur: si ex hoc morbo è vita discessero, an iudicandum sit valere, si illum morbum euadat.*

4 *Authoris sententia.*

5 *An testamentum iuramento confirmatum firmum maneat, & possit reuocari.*

6 *Testamentum reuocari posse absque periurio multis rationibus suadetur. Vsque ad num. 10.*

11 *Quid de donatione iuramento confirmata censeant, qui ordinationes Lusitaniæ condidere.*

12 *Testamentum de re non illicita iuramento illud non reuocandi firmatum, absque periurio reuocari non potest.*

13 *Testa-*

13 *Testamentum ad pias causas conditum, iuramentoque confirmatum illud non reuocandi, absque culpa lethali reuocari non potest.*

14 *An nudum ac simplex quodcumque testamentum solemne ad pias causas conditum possit reuocari.*

15 *An spondens se testamentum non reuocaturum peccet, & an possit reuocare.*

16 *Refelluntur argumenta contrariæ opinionis multis rationibus. Vsque ad num. 20.*

21 *Quid si testator sub iureiurando promittat, se soluturum certam pœnam, si testamentum reuocet, poteritne sine periurij reatu eam non soluere, esto testamentum reuocarit.*

22 *Pœna iuramento promissa, si testamentum reuocetur debetur eo reuocato.*

23 *Si quis iuramento se astringat non reuocaturum testamentum à se conditum, postea vero conficiat alterum in quo illud reuocet, an valida sit talis reuocatio.*

24 *Refertur contraria sententia.*

25 *Authoris sententia.*

26 *An nullo intercedente iuramento, possit quis ex consensu Principis adimere sibi potestatem reuocandi testamentum & in futurum non condendi.*

27 *Satisfit præcedenti dubio.*

TESTAMENTVM AN ALIA RATIONE, quam testatoris morte, firmum reddi possit, saltem, vt sine lethali culpa nequeat reuocari.

DISPVTATIO 151.

1 *Testamentum vsque ad mortem reuocari potest.*

VT ad id, cuius gratia duas præcedentes disputationes præmisimus, accedamus. Receptissimum, indubitatumque est testamentum, saltem quantum est ex se, ante testatoris mortem nullam habere firmitatem, quin pro testatoris arbitrio, non solum mutari addendo, minuendo, & corrigendo possit, sed etiam integre reuocari, vt *ex Paul. ad Heb. 9. testi. disp. 124.* ostensum est, & habetur *c. cum Martha, de celeb. Missa.* ait namque *Vlp. l. 4. ff. de adimend. leg. Ambulatoria est voluntas defuncti vsque ad vitæ supremum exitum*: idemque ex plerisque aliis iuribus constat. Quousque autem id codicillis fieri possit, disputatione 124. & 131. explicatum est.

2 Illud vero est obseruandum, quando quis in morbo, aut alio periculo constitutus, mortis metu testamentum condidit, quamuis periculum euadat, validum nihilominus manere testamentum, quando id alias non reuocauit, esto post longissimum tempus è vita discedat. Ita colligitur *ex l. vlt. C. de posth. hared. instit.* & affirmant doctores communiter, estque vsu receptum. Contra autem res habet in donatione causa mortis: si namque in morbo, aut alio vitæ discrimine fiat, donatorque euadat, continuo donatio expirat, vt suo loco ostendetur.

3 *Dubium.* Dubium vero est, si testator hac verborum forma vtatur; si ex hoc morbo è vita discessero, sit meus hæres Petrus, aut tale legatum Paulo relinquo, vtrum conualescente illo ex eo morbo, decedenteque postea ex alio, sit nulla institutio illa hæredis, sit que nullum tale legatum, adeo vt, si nullum aliud conficiat testamentum, dicendus sit discessisse ab intestato. Multi, quos *Ant. Gom. ad l. 3. Tauri n. 126.* refert, censent, institutionē illam ac legatum nullared di; eo quod facta fuerint sub illa conditione: institutio autem sub conditione, quæ in contrarium euenit, est nulla, vt multa iura probant: Anton. vero Gom. contrarium affert, ductus, quod sæpe, ea verba apponantur, non animo conditionem inducendi: sed exprimendi causam impellentem ad condendum tunc testamentum, disponendumque eo pacto de rebus suis.

4 *Satisfit.* Dicerem, coniecturis prudentis arbitrio esse iudicandum, quæ fuerit mens testatoris. Et quidem si occurrent, quæ verisimiliter persuaderent, intendisse solum exprimere causam impellentem, validum tunc esse pronunciandum. Eiusmodi essent, si postquam conualuit id testamentum retinuit atque seruauit, tanquam in quo sua vltima voluntas contineretur: aut si admonitus, vt testamentum conderet, respondit, se habere id confectum. Imo seruasse illud vsque ad mortem, neque aliud in postremo morbo, cum posset, condidisse, sufficiens meo iudicio esset, vt validum iudicaretur, quando aliunde non essent verisimiles aliæ coniecturæ, quod discedere voluerit intestatus. Ducor, tum quia vt habetur *l. in testamentis. ff. de reg. iur.* B in dubio in fauorem validitatis illius est iudicandum. Tum etiam quoniam, cum in eo euentu præsumendum sit noluisse illum discedere ab intestato, cerre seruasse vsque ad id tempus tale testamentum, neque aliud condidisse, iudicium sufficiens est, vt iudicemus, seruasse illud tanquam in quo sua vltima voluntas contineretur.

Quando autem res esset prorsus dubia, standum esset verbis testamenti, quæ conditionem potius, quam causæ impellentis expressionem, ex se significant.

5 *Quæstio.* Dubium est hoc loco, vtrum si quis ita iuramento confirmet testamentum, vt se iuramento astringat, nunquam illud reuocaturum, firmum maneat, nec possit deinceps reuocari.

C Barr. & multi alij, quos *Cou. in rubr. de test. par. 2. n. 15.* refert, *& Ant. Gom. ad l. 3. Tauri n. 95.* sequitur, quos etiam refert, ac videtur sequi *Mol. 4. tr. de primogenit. 6. 2. n. 4.* censent, non solum non manere firmum, sed etiam testatorem prohibito absque periurij reatu posse illud reuocare.

6 *Reuocari posse absque periurio sua detur. Primo.* Ducuntur. Primo quoniam promissio non reuocandi testamentum est contra bonos mores, atque adeo illicita, vt constat *ex l. stipulatio hoc modo concepta. ff. de verbor. obligat.* cuius verba sunt. *Stipulatio hoc modo concepta, si hæredem me confeceris, tantum dare spondes: inutilis est. quia contra bonos mores est hæc stipulatio: sed iuramentum de re illicita nō obligat, eo quod non sit vinculum iniquitatis: ergo absque periurio reuocari potest tale testamentum.*

7 *Secundo.* Secundo, quoniam testamentum suapte natura, D atque adeo de iure naturali ac gentium est reuocabile: sed promissio de re, quæ est contra ius naturale, est mala: ergo esto confirmetur iuramento, non obligat.

8 *Tertio.* Tertio, promissio de re, quæ impedit maius bonum, esto confirmetur iuramento, non obligare, sed non posse reuocare testamentum, impedit maius bonum; quia facile occurrere potest melior de eisdē bonis dispositio, præsertim si circumstantiæ varientur: ergo: esto sub iureiurando quis promittat, se non reuocaturum testamentum, poterit licite illud reuocare.

9 *Quarto.* Quarto, iuramentum sequitur naturam actus, E qui eo confirmatur, & licet arctius obliget non tamen ad plura, aut in alio euentu, quam actus, qui eo confirmatur, obligaret: vnde qui iurat se ducturum aliquam vxorem, potest nihilominus ingredi religionem, aut, si illa fornicetur, potest ducere aliam vxorem, eo quod illa eadem promissio, si iuramento non esset confirmata, haberet tacitas illas conditiones, nisi ingredi voluero religionem, &, modo tu talis fis, ac talem te conserues, qualis æstimaris, iuramentumque non in alio euentu obliget, quam iuxta naturam promissionis: cum ergo testamentum sit suapte natura reuocabile, consequens est vt esto iuramento confirmetur, maneat simili modo reuocabile.

10 Quintò. Quintò quoniam his de causis *Vlpian. l. 3. ff. de test.* dixit: *Testamenti factio, non privati, sed publici iuris est: ideoque forma eius privatorum pactis non læditur.* Et *l. si quis in principio testamenti. ff. de leg. 3.* habetur. *Nemo eam sibi legem potest dicere, vt à priori voluntate ei recedere non liceat*: quare cum iuramenti vis iuris consultis ignota non esset, sanè censuerunt, neque vi iuramenti testatorem posse sibi impedimentum apponere, quo minus liberè ac licitè mutare posset testamentum.

11 Hanc eandem sententiam secuti proculdubio sunt, qui ordinationes huius Lusitaniæ Regni condiderunt, dum *lib. 4. tit. 44. §. pen.* inter alia, in quibus pœnam conuentionalem inualidam esse statuerunt connumerant: *quando ò contracto for assi por derecho reprobado, que por iuramento naon possa ser confirmado, a si como, se algun hom en prometese abutro sob certa pena de ofaser heredeiro em parte ou em todo: oulhe fizesse doacam antre viuos sob certa pena de todos seus bens moueis e de raiz auidos epor auer, naon reseruando deles per a si cousa alguna.* Qui namque in eiusmodi donatione à se auferret omnimodam testandi facultatem, censent ordinationes eiusmodi donationem, etiamsi iuramento confirmetur, nullas omnino vires assumere; sicut neque promissionem de constituendo aliquem hæredem, non reuocandive testamentum, in quo in toto, aut in parte esset hæres constitutus.

12 *Testamentum de re non mala iuramento illud non reuocandi firmatum, absque periurio reuocari non potest.* Contrariam sententiam, nempe testatorem non posse absque periurij reatu reuocare testamentum, quod sub iureiurando se non reuocaturum promisit, asseruerant *Couar. par. 2 citata, n. 15. Iul. Clarus 3. libr. sentent. §. testamentum q. 49.* & communior Doctorum sententia, quam referunt: quæ nobis proculdubio est amplectenda. Est autem fermo de testamento, quod nullam continet dispositionem contra ius diuinum aut humanum, ac proinde quod, si nullum tale interueniisset iuramentum, posset testator absque peccato, quemadmodum reuocare, ita etiam non reuocare. Ratio potissima est, quoniam non reuocare tale testamentum, nihil mali continet, vt supponimus, esto fortè aliquando consilium esset vt reuocaretur, & aliquid melius disponeretur ergo, si iureiurando alicui homini in illius bonum id non reuocare promittatur, obligat eiusmodi iuramentum, quod non est re illicita ex parte iurantis, iuxta ea quæ duabus disputationibus præcedentibus ostensa sunt. Quin si testator merè liberè iuramentum adhibuit, vtique is, cui est præstitum, ius sibi comparauit, vt ea promissio impleatur, vt disputatione præcedente comprobatum est: neque in illius detrimentum potest tale iuramentum per publicas potestates relaxari, quo minus testator iuri satisfaciat, quod ille alius absque sua culpa comparauit.

13 Secundo possumus idem probare, quoniam si testamentum conditum esset ad pias causas, testatorque iuramento se astrinxisset illud non reuocare, proculdubio tale iuramentum vim haberet voti Deo facti, ac iuramento confirmati, vtpote de re moraliter bona ac Deo grata: quis autem dubitet tunc culpam lethalem esse periurij, transgressionisque voti Deo facti, illud reuocare, nisi esset in melius: idque quia semper id Deo gratius est, quod est melius, vt disputat. 149. dictum est; Præsertim cum ius ciuile nullam vim habeat, vt inualidas reddat promissiones ac dispositiones ad pias causas, nisi approbante summo Pontifice: & de iure canonico nihil reperiamus, vnde promissio Deo facta de non reuocando tali testamento, inualida fit, nedum, si simul etiam iuramento fit confirmata: autores vero contrariæ opinionis asseuerant, etiamsi testamentum conditum sit ad pias causas, & sub iureiurando promissum sit illud non reuocare, posse testatorem pro libito & absque vllo peccato, id reuocare, & vel discedere ab intestato, vel condere aliud testamentum ad non pias causas.

Tertiò, quoniam licet testando in solo iure naturali & gentium, nudum ac simplex quodcunque testamentum solemne, etiamsi ad pias causas fit conditum, pro testatoris libito posit reuocari, atque adeo firmitatem ante testatoris mortem non nanciscatur, idque propterea quod ea sit testamenti natura, si præcisè in se spectetur; nihilominus in primis id non sufficit, vt illud (postquam est conditum) non reuocare, sit malum, vt vlterius cum probabilitatis specie affirmari possit, promissionem, illud in gratiam hæredis non reuocandi, esse malam ex obiecto stando in solo naturali ac gentium iure, iuramentumque de illo non reuocando ideo nullum esse, quod sit de re ex se illicita & contra ius naturale, vt autores contrariæ sententiæ contendunt. Deinde illud idem non tollit, quo minus superueniente testatoris promissione omnino spontanea, aut etiam iuramento confirmata, nefas, lethalisque culpa periurij sit, stando in solo iure naturali ac gentium reuocare tale testamentum: quoniam obligatio id non reuocandi, non prouenit ex natura testamenti in se spectati, quod reuocabile est, sed ex promissione aut iuramento superadditis, quæ eam vim habent, nisi humano iure irrita reddantur: in re autem, de qua disputamus, licet iuribus citatis irrita sint promissio simplex, & contractus de testamento non reuocando, aut in futurum non condendo etiamsi pœna conuentionalis sit apposita, non tamen constat, iuramentum esse redditum nullum, neque vllus aduersariorum affirmat iuramentum ex eo capite non obligare, sed solum ex eo, quod sit de re illicita & contra bonos mores. Adde, esto gratis daretur tale iuramentum iure ciuili esse irritum, quia tamen ciuile ius nullam vim habet in dispositionibus ad pias causas, & de iure canonico nihil reperitur, vnde vel vmbra sit, *iuramentum de non reuocando* testamento ad pias causas esse irritum: sanè nullacum probabilitatis specie verum esse potest, testamentum ad pias causas posse sine testatoris culpa reuocari, etiamsi iureiurando promiserit, se nunquam illud reuocaturum; quod tamen aduersarij affirmant.

15 Quartò, quoniam licet cõcedatur, ius ciuile non solum irrita fecisse promissionem & pactum de testamento non reuocando, sed etiam illa prohibuisse, atque adeo peccare testatorem, qui id spondet; nihilominus adhuc iuramentum de illo non reuocando esset de re licita, atque adeo sub reatu periurij obligaret testatorem id non reuocare, quod magnopere in re, de qua disputamus est aduertendum. Aliud quippe est, non reuocare testamentum aliud vero spondere illud non reuocare, illudque primum, neque malum est ex se, nec prohibitum iure positiuo, quicquid sit de prohibitione secundi iure humano: qui autem iurat, se non reuocaturum, aut non conditurum testamentum, non iurat se id spondsurum, quod, existente prohibitione iuris positiui, esset malum, ac proinde iuramentum ad id non obligaret: sed illicite contrapositiuum ius spondendo, iurat se non reuocaturum, aut non conditurum testamentum, quæ illicita non sunt. Itaque ad iudicandum an promissorium iuramentum obliget, attendendum est ad id, ad quod quis tali iuramento se astringit: non verò ad promissionem, qua sub iuramento ad id se astringit: & quidem quando id, ad quod se astringit, licitum est, iuramentum obligat, esto actus, quo se astringit, promissiove iuramento confirmata illicita sit; non *quidem* ex obiecto, (quoniam contradictionem inuoluit, id,

uit,id quod promittit,illicitum non esse,& promissionem esse illicitam ex obiecto) sed ex dispositione iuris positiui, qua talis promissio rationabili ex causa sit prohibita. Rationes alias lege, si placet, apud *Couar.part.2.rubrica citata.*

10 *Ad primū argumētū.* Ad primum argumentum contrariæ opinionis negandum est, promissionem de non reuocando testamento esse contra bonos mores naturales, quasi ex se,secluso iure humano, sit illicita & mala ex obiecto, quod enim ea promittitur,non aliud est,quam non reuocare testamentum : quod sane, etiam hodie,stante iure positiuo, quod talem promissionem merito irritam fecit,& forte prohibuit, illicitum non est:solum ergo eatenus est contra bonos mores ciuiles,dignaque suapte natura,quæ irrita positiuo iure reddatur , aut etiam prohibeatur, quatenus licet non reuocare testamentum(quod ea promittitur) malum non sit; esse tamen testatorem per eam astrictum ad illud non reuocandum , bonum non est;quin potius contrarium sese offert vt rationabilius , atque Reipublicæ expedientius, vt statuatur. Tum ne,dum hæres scit firmum iam omnino esse bona talis testatoris ad ipsum deuentura, illi curet mortem,vt citius eisdem potiatur,aut certe ingratus in aliis ei existat. Tum etiam ne testator maneat velut seruus comparatione suorum bonorum,sed integrum semper illi ante mortem sit;si vel ex circunstantiis superuenientibus,vel aliunde, melior de suis bonis disponendi ratio occurrerit, eam pro arbitratu executioni mandare. Tum denique quoniam si eiusmodi promissio irrita non esset ,facile inirentur contractus iniusti de non reuocandis *testamentis* pro modico aliquo emolumento, extorquerenturque eiusmodi promissiones inuoluntariæ mixtæ,ex quibus lites & iniustitiæ orirentur, Quibus de causis *l. stipulatio* hoc modo concepta, affirmauit,eiusmodi stipulationes ac promissiones esse contra bonos mores,non naturales, sed ciuiles modo explicato.Esto autem concederetur,eiusmodi promissiones,non quidem ex obiecto,sed ex circunstantiis,malisve,quæ ex illis imminent, illicitas esse suapte natura & contra bonos mores,in eoque sensu concederetur maior propositio , argumentum nihil concluderet:concessa namque etiam minore,neganda esset consequentia:quoniam, vt explicatum est,iuramentum non est de ea promissione facienda,quæ,eo dato,esset mala ex *circunstantiis*,sed de non reuocando testamento,quod malum non est,esto promissio,qua id promitteretur, iure naturali esset mala.

11 *Ad secundum.* Ad secundum,si maior intelligatur, quod testamentum spectata præcise ipsius natura, stando que in solo iure naturali,sit reuocabile,interim dum nihil superuenit,quod reuocari impediat,vera est:sed tunc, concessa etiam minori, neganda est consequentia,quoniam in re proposita,promissio de non reuocando testamento,quæ iuramento confirmatur,non est de re,quæ sit contra ius naturale : cum non reuocare testamentum,neque contra ius naturale, neque malum sit,etiam contra dispositionem iuris positiui, vt ostensum est. Si vero maior intelligatur , quasi vel non reuocare testamentum sit contra ius naturale aut gentium,vel quasi nihil possit superuenire , quod illius reuocationem illicitam reddat,falsa est,ac neganda,vt ex dictis constat.

18 *Ad tertiū.* Ad tertium,neganda est maior,quando promissio & iuramentum homini fiunt , vt ex dictis duabus disputationibus præcedētibus est manifestum: satis namque tunc est, si sint de re non mala atque illicita,esto maius bonum impediant.

19 *Ad quartū.* Ad quartum dicendum, maiorem in primis non esse veram vniuersim , quasi nunquam iuramentum obliget,nisi quando promissio aut pactum secluso iuramento obligaret : vt enim ex duabus disputationibus præcedentibus liquet, sæpe promissio est irrita, vel iure humano, vel naturali, & tamen accedente iuramento vi solum illius obligat. In eo autem sensu est vera, quod si promissio in se spectata,aut pactum,habet tacitam aliquam conditionem,eandem etiam habet, esto confirmetur iuramento:quoniam in eodem sensu censentur confirmata,quando aliud non exprimitur: atque hoc solum probant exempla adducta. Deinde , quod ad rem præsentem attinet,duobus modis potest testamentum iuramento confirmari. Vno,apponendo ipsimet actui testandi iuramentum,quo dicatur; iuro me instituere Petrum hæredem , aut relinquere hæc vel illa legata his aut illis: vel iuro hanc esse meam vltimam voluntatem;aut velle impleri, quæ in hoc testamento continentur : & tunc iuramentum non est promissorium,quo testator alicui se astringat,sed est solum assertorium , quod ea sit sua vltima voluntas,aut id velit impleri:potestque eiusmodi testamentum ,non obstante tali iuramento valide ac licite reuocari. Quod si id argumentum confendat,libenter annuimus.Altero, adhibendo actui testandi nouam promissionem de eo testamento non reuocando,eamque iuramento confirmando, vel in obsequium Dei, quo pacto ea promissio rationem habet voti iuramento confirmati,vel in gratiam & fauorem alicuius, quo pacto est iuramentum promissorium homini factum.Hoc iacto fundamento,dicimus.Aliud esse quærere, an non impediente tali iuramento,testamentum in hoc sensu sit adhuc reuocabile, quod si testator id attentet ac exequatur,amittet vim testamenti:& de hac re paulo post erit sermo.Aliud vero,an,ex superaddita illa promissione iuramento confirmata,*illicitum* testatori sit illud reuocare,vt nos asserimus;contrariumque huius nequaquam probat argumentum propositum.

20 *Ad quintū.* Ad priorem partem 5.argumenti dicendum est, Vlpianum illis verbis *solum* voluisse,solemnitatem & alia requisita,vt testamentum sit validum,non requiri dispositioni priuatorum,vt quocunque modo voluerint possint valide testari,sed esse iuris publici præscribentis in commune Reipublicæ bonum,certas leges & formam, aduersus quam nihil valent pacta priuatorum:potest tamen ius diuinum naturale,quo quisque seruare tenetur iuramentum de re non illicita,præiudicare alicui dispositioni iuris humani ciuilis circa liberam testamentorum reuocationem.Ad posteriorem vero partem dicendum est,nullam ibi fieri mentionem de iuramento non reuocandi testamentum,neque forte in mentem Iurisconsulto illi tale iuramentum venisse. Quicquid autem conditores iuris ciuilis communis , aut Lusitani hac de re censuerint, sane eorum definitionibus non est standum : eo quod res hæc, non ad humanum ius , sed ad naturale ac diuinum spectat:quod ex naturis ipsis rerum , fideique principiis,ad Theologos pertinet inuestigare ac explanare;ad summum vero Pontificem in canonico iure definire.

21 *Dubium.* Dubium est,quid si testator *sub iure iurando* promisit se soluturum certam pœnam ,si testamentum reuocaret ? *poteritne sine periurij reatu* eam non soluere,esto testamentum reuocauerit? *Couar.in rub. de test.part.2.n.16.cum aliis* quos refert,censet,tale iuramētum nullam inducere obligationem adpœnæ solutionem.Fundamentum illius est,quoniam *l.stipulario hoc modo concepta ff.de verborum oblig.*censetur contra bonos mores atque illicitum , quenquam pœnæ adiectione velle alterum astringere ad certam hæredis institutionem:iuramentum vero nullam ad id,quod illicitum est,obligationem inducit. Idem affirmat de pœna appositā nō stantibus sponsaliis,de qua *capit.Gemma,de sponsalibus* dicitur , esse ipso iure nullam , eo quod matrimonia libera esse debeant.

Ego

22 Ego non dubito contrarium esse affirmandum. Primo, quoniam soluere eam pœnam non fecus illicitum non est ex parte promittentis, quam soluere vsuras, aut centum grassatori ne iniuste interficiat: sed quando vsuræ aut centum grassatori sub iuramento sunt promissa, is, qui promisit, tenetur sub reatu periurij ea soluere, nisi prius iuramenti relaxationem obtineat, vt *ex c. debitores, de iureiura.* & ijs, quæ duabus disputationibus præcedentibus dicta sunt, constat: ergo, esto peccauerit, qui ad talem promissionem testatorem induxit, testator tamen sub reatu lethalis culpæ tenetur implere, quod ita sub iureiurando promisit, nisi relaxationem obtinet. Secundo, quoniam absque vlla culpa eius, cui sub iureiurando esset facta talis promissio, poruit testator illam efficere, vt si ex nimio amore, quo hæredem tunc prosequebatur, aut partem illius testator sua sponte, nemineque id ei suadente, eam pœnam sub iureiurando promisisset: ergo tunc mala non esset, etiam ex parte eius, cui est facta. Tertio quia non solum solutio pœnæ, ad quam testator iuramento se astrinxit, mala non est ex se, sed neque promissio ipsa, quasi secluso iure humano vllum sint peccatum: solum vero sunt contra bonos mores ciuiles, quatenus inde nata sunt sequi aliqua mala: atque ea tantum de causa promissio pœnæ & pœna ipsa, irrita sunt iure humano, vt de promissione non reuocandi testamentum affirmat ipse Couarruuias: ergo eo ipso, quod iuramento confirmata sunt, consurgt obligatio illas implendi, nihil omnino impediente irritatione illa humani iuris: sicut etiam de promissione non reuocandi testamentum concedit Cou. Idemque dico de pœnæ promissione sub iureiurando, non stantibus sponsalibus. Licet enim canonico iure promissio talis pœnæ pœnaque ipsa, irrita ipso iure sint; non tamen iuramentum, si eo confirmatur: neque *c. Gemma* loquitur, nisi de stipulatione pœnæ sine iuramento.

Præmittit quædam pro intelligentia testamentum reuocari, debetur ne reuocatio.

Idem de pœna, si non stetur sponsalibus.

23 Dubium deinde est, si quis iureiurando se astrinxit non reuocaturum testamentum à se conditum, posteaue conficiat alterum, in quo illud reuocet, an, licet si periurus, valida tamen sit talis reuocatio. Hostiensis in summa, & alij, quos *Couar. eadem part. 2. n. 9* refert, censent, non solum illum esse periurum, sed etiam nullam esse talem reuocationem, quibuscunque clausulis sit facta, stantumque proinde esse priori testamento. Ducuntur, quoniam actus ex se non illicitus, esto iure humano sit irritus, si tamen confirmetur iuramento, vires assumit, neque potest reuocari: talis autem est prior ille actus testandi iuramento eum non reuocandi confirmatus.

Quæstio.

Hostiensis & alij.

24 Contraria sententia, quam à *nu. 9. citato, & nu. 15.* refert & sequitur Cou. est communis, nempe validam esse reuocationem, stantumque proinde esse posteriori testamento. Probatur primo, quoniam testandi actus, tam suapte natura, quam dispositione iuris positiui, est reuocabilis, neque iuramentum illum non reuocandi, fertur supra ipsummet testandi actum, sed supra promissionem illum non reuocandi: neque per iuramentum, quo non reuocari promittitur, transit in aliam speciem actus, vt donatio causa mortis iuramento confirmata transit in donationem inter viuos, vt suo loco dicetur: ergo, licet periurus sit testator, si tale testamentum reuocet, tanquam transgressor promissionis iuramento confirmatæ illud non reuocandi, valida tamen est reuocatio. Secundo, quoniam quando quis constituit aliquem procuratorem loco sui in aliquo negotio, & iurauit se eum non reuocaturum, si illum reuocet, licet lethaliter peccet, & sit periurus, valida tamen est reuocatio, vt affirmat *Gloss. communiter recepta cap. vltim. de procuratoribus libr. 6.* idque propterea, quod constitutio illa procuratoris reuocabilis est suapte natura pro arbitrio constituentis: ergo cum simili modo testamentum suapte natura sit reuocabile, consequens est, vt esto testator iuramento se astrinxerit illud non reuocare, lethaliterque reuocando peccet, valida tamen sit reuocatio. Tertio si quis contraxit sponsalia cum aliqua, iurauitque ducturum eam vxorem; & postea contrahat cum alia per verba de præsenti, validum est matrimonium, dissoluunturque priora sponsalia, non obstante, quod iuramento fuerint confirmata, & quod, qui ita contraxit, lethaliter peccauerit contra fidem datam & contra iuramentum præstitum: quando item quis vendidit rem aliquam alicui, nec tamen tradidit, iuramentoque se astrinxit non venditurum eam alteri, vtique si eam alteri vendat & tradat, quamuis lethaliter peccet contra iustitiam ac religionem, valida tamen est secunda venditio: ergo eodem modo, cum testamentum suapte natura ante testatoris mortem non confirmetur, si quis reuocet, quod iuramento promiserat se non reuocaturum, & condat aliud, quod morte confirmetur, validaerit talis reuocatio, standumque erit secundo morte testatoris confirmato.

25 Saluo autem meliori iudicio, quamuis non dubitem, hanc posteriorem sententiam veram esse, arbitror tamen in praxi, ex quodam alio fundamento, standum potius esse priori, implendumque esse prius testamentum, tam in conscientiæ, quam in exteriori foro. Etenim licet iure ciuili irrita sit promissio non reuocandi testamentum, nihilominus, cum non sit ex se mala, quasi contra bonos mores naturales, vt hac disputatione est ostensum, sane eo ipso, quod iuramento est confirmata, valida est, vt ex duabus præcedentibus disputationibus constat, affirmantque Couar. Feli. & alij, qui sunt in posteriori sententia: atque vsque adeo testatorem obligat, vt illam transgrediendo, non solum periurij, sed etiam iniustitiæ peccatum committat, siue id propter duplicem illam vim obligandi, quam disputatione præcedente iuramento promissorio esse ostendimus siue quia, vt Couar. & alij volunt, reuiuiscit vis ipsa, quæ promissioni inesset si iure humano non esset irrita, ex tali etiam promissione iureiurando confirmata datur actio tam de iure ciuili quam canonico, non tolum aduersus promissorem, sed etiam aduersus hæredes illius, vt disputatione præcedente dictum est: quare cum debita omnia realia testatoris transeant ad hæredes, vt ea iuxta vires hæreditatis soluant, consequens profecto est, vt in conscientiæ, & exteriori foro restituere hæredi in priori testamento instituto loco defuncti teneantur, quantum sua intererat, impletam fuisse promissionem non reuocandi prius testamentum iuramento confirmatam. Idem dicendum arbitror, quando prius testamentum conditum esset ad pias causas, & promissio haberet rationem voti Deo facti: hæredes namque implere tenentur vota omnia realia defuncti, tanquam vera illius debita, non secus ac soluere tenentur quæcunque alia eiusdem defuncti debita.

Sententia autoris.

26 Postremum dubium in hac disputatione est, vtrum, nullo interueniente iuramento, possit quis ex consensu Principis adimere sibi potestatem reuocandi testamentum, aut condendi testamentum in futurum interueniente pacto aut promissione non reuocandi testamentum, aut apponente testatore clausulam, quod nullo modo sibi liceat tale testamentum reuocare, accedenteque ad hæc omnia confirmatione & corroboratione Principis, vel Principe in fauorem hæredum ab intestato concedente alicui, vt possit se inhabilem reddere ad condendum testamentum, vel confirmante donationem omnium bonorum præsentium & futurorum, quam ille alicui fecerit.

Quæstio.

Adhoc

Ad hoc dubium, quicquid alij dicant, dicendum A est *cum Couarruuia in Rubr. de test. part. 2. n. 3. & cum aliis*, quos refert, procul dubio posse. Ratio est, quoniam id non est contra bonos mores naturales, atque adeo, seclusō iure humano, illicitum non est: potest vero occurrere rationabilis causa, tā ex parte eius, qui seipsum vult ea libertate priuare, quam ex parte Principis, qui id confirmat, cur id concedatur: quare cum volenti & consentienti nulla fiat iniuria, Principesque sint supra totum positiuum ius ciuile, non est cur dubitemus id esse posse. Ac quanuis iniqua, atque adeo nulla esset lex, qua Princeps statueret, vt vniuersim testamentum semel conditum, non posset amplius reuocari, eo quod id, & contra ipsam esset testamenti naturam, & multa incommoda afferret Reipublicę, spoliaretque subditos innata liberalitate disponendi vsque ad mor- B tem de rebus suis pro suo libito; non tamē esset iniqua lex, quæ in aliquibus euentibus, quib. sua sponte subditi se vellent subiicere, priuarentur liberalitate testandi, aut reuocandi aliquod testamentum. Vt si conderetur lex, qua concederetur, validam esse in dotem filiæ donationem, omnium bonorum præsentium & futurorum, quando quis neq; plures haberet filios, neque spem eos habendi, aut dummodo suæ legitimæ portiones aliis reseruarentur. Vnde arbitror hodie validam esse eiusmodi donationem, si à Rege confirmetur. Quin, esto non confirmetur, si adiuncta sit cum contractu oneroso cū quodam tertio, cui filia, aut filius matrimonio copulatur, valida est, vt cum *Moli. li. 2. de primog. c. 10. in fra disp.* 180. dicimus, nisi in fraudem donandi tam copiose filio aut filiæ ex circunstantiis facta iudicaretur. Idem esset si fanciretur lex, qua permitteretur condere testamentum irreuocabile, in quo talis filia hæres omnium omnino bonorum institueretur, detractis sumptibus honestæ sepulturæ.

SVMMARIVM.

1 *Duo aut plures simul, de communi consensu, condere possunt testamentum.*

2 *An testamentum à duobus factum de communi consensu, mortuo vno, sit irreuocabile comparatione alterius.* D

3 *Resoluitur præcedens dubium.*

4 *Testamentum fraude eo pacto confectum, animo ex parte alterius illud reuocandi mortuo altero, aut si ipse prius esset in vitæ discrimine, an restituendi obligationem inducat.*

5 *Testamentum à marito conditum de bonis communibus, concedente ad id vxore facultatem, non potest vxor reuocare quoad bona, circa quæ facultatem concessit.*

VTRVM TESTAMENTVM FACTVM à duobus, in quo hæredem de communi consensu instituunt, vel aliud statuunt, præmortuo vno, possit ab altero, quoad bona, quæ ad ipsum spectant, reuocari.

DISPVTATIO 152.

1 POsse duos, aut plures, simul in eadem scriptura & de communi consensu condere testamentū, receptissimum est, vt affirmant *Iul. Clar. §. testam. q. 60. Gama. decis. 258. & communis Doctorum sententia, argum. textus in l. eo quod. C. si certum petat.* Estque id valde consuetum in coniugibus.

2 Dubium vero est, vtrum mortuo vno illorum, *Dubium.* testamentum maneat irreuocabile comparatione alterius. Etenim quasi contractu, quidam inter uenisse videtur inter illos, nempe, instituto, aut constituto, si & tu idem facias confirmataque dispositione morte vnius, ita vt amplius ab illa non possit discedere, nefas omnino, iniustum, ac inualidum videtur, alterum non stare eidem institutioni, sed eam ex parte sua reuocare.

3 Dicendum tamen est cum *Gama decis. cit. ita, Cou.* *Decisium.* *in rubr. de test. part. 2. n. 7. & 8. Mol. 4. libr. de prim. c. 2. n.* 84. & communi doctorum sententia, quam referunt, validam, licitamque esse talem reuocationem. Idemque esse in donatione causa mortis, & in institutione maioratus de communibus bonis communique consensu, siue fiat testamento, siue donatione inter viuos, in cuentibus, præsertim iuxta ea quæ in Regno Castellæ *l. 44. Tauri. inscita l.* 17. constituta sunt, in quibus potest reuocari, & denique in quacunque alia reuocabili institutione. Ratio est, quoniam cum testamentum, & quæcunque alia prædictarum dispositionum, reuocabilia sint ad nutum ea constituentium, vtique etiamsi communi consensu, & de vtriusque bonis aliqui simile quippiam statuant, disponere censentur iuxta naturam actus quem efficiunt, & iuxta iura quę ea de re sunt, atque adeo ita, vt semper integrum cuique illorum sit ab ea dispositione discedere, etiamsi alius mortuus fuerit, neque quod ad se attinet, possit ab ea discedere. Qui autem id ignorat, sibi imputet, eaque de re interroget: neque enim id inri alterius præiudicare debet.

Quando tamen fraus, aut dolus interuenisset, 4 C quo aliquis alterum induceret ad aliquid communi consensu statuendum, aut ad se mutuo instituendum hæredes, animo id ex sua parte reuocandi, si mors ipsi antequam alter obiret, immineret, aut postquam alter è vita discederet, tunc sane arbitrio prudentis restituere teneretur hæredibus, qui probabiliter crederentur ab illo altero fuisse instituendi, aut successuri illi ab intestato, si non fuisset ita iniustè deceptus. Quoniam fraude illa & dolo tantundem damni censeretur dedisse iniuste eiusmodi futuris alioquin successorib. defuncti, necnon ipsimet defuncto.

5 Obseruant Couar. & Molina locis citatis cum communi sententia, quam copiosius refert Molina; quando vnus tantum, verbi gratia maritus, condideret testamentum, aut institueret maioratum, sed de communibus bonis, concedente ad id vxore facultatem, tunc mortuo marito, nō posse vxorem reuocare institutionem illam, quoad bona, de quibus facultatem concesit, vt ille eo pacto disponeret. Ratio est, quoniam ea dispositio non est vtriusque, sed solius mariti, quæ proinde tota confirmatur morte mariti. Id affirmant *argumento tex. in l. nec fratris. C. de donat. caus. mort. & apertius l. ficus §. venditionis ff. quib. mod. pig. vel hypot.*

SVMMARIVM.

1 *Testamentum reuocatum censetur confectione alterius validi, licet non adeatur ex eo hæreditas, quia hæres mortuus est ante testatorem. Et quomodo secundum testamentum non reuocet prius, & quomodo reuocet.* E

2 *Testamentum secundum inualidum non reuocat primum legitime factum.*

3 *Quando secundum testamentum reuocet primum.*

4 *An in Lusitania testamenti reuocatio locum habeat remissiue.*

5 *An etiam in Castella testamenti reuocatio locum habeat remissiue.*

6 *In regno Castellæ testamentum primum reuocatur per secundum, licet in secundo nullus sit institutus hæres.*

7 *De*

7 *De iure communi testamentum primum solemne renouatur per secundum absque hæredis expressa institutione.*

8 *Per solam verbalem reuocationem coram tribus testibus factam, reuocatur de iure communi primus testamentum legitimè factum, cum decem anni efluxerunt.*

9 *Reuocatio testamenti solo verbo facta, & duobus testibus comprobata, valida est.*

10 *Testamentum primum non reuocari per secundum de iure ciuili, quomodo intelligendum.*

11 *Quando censeatur reuocatum testamentum legitime factum.*

12 *Quando cancellatur pars aliqua, quæ non continet solemnitatem requisitam, vt validum sit testamentum, sola pars ita cancellata censetur reuocata.*

13 *Quando testator duo habet testamẽta eiusdem tenoris ac temporis, & vnum eorum rumpit, tunc alterum manet validum.*

14 *Testamentum nuncupatiuum, si sit apud tabellionem & transumptum apud testatorem, illudque testator rumpat, an censendus sit reuocasse testamentum.*

15 *Testamenta diuersa, eodem die confecta, si reperiantur apud testatorem, nec constat, quod eorum sit ante aliud confectum, an valeant.*

16 *Testamentum posterius legitime factum reuocare priora quæcunque testamenta, quomodo intelligendum.*

17 *Testamentum iuramento confirmatum censetur habere clausulam sequentium derogatoriam.*

18 *Quid de testamento inter liberos condito censendum.*

19 *Testamentum prius non reuocari per subsequens factum inter extraneos, confirmatur.*

20 *Quid de testamento ad pias causas.*

21 *Clausula reuocatoria sequentium testamentorum, quæ valida & quæ non.*

22 *Testamentum in quo clausula derogatoria generalibus verbis sequentium apponitur, quo pacto reuocari debeat.*

23 *Testamentum, in quo clausula derogatoria cum particulari nota apponitur, quo pacto possit ac debeat reuocari.*

24 *Testamentum inter liberos conditum, si expressam clausulam derogatoriam sequentium habeat, quomodo reuocandum.*

25 *Testamentum habens clausulam derogatoriam sequentium cum constat intendisse testatorem illud reuocare, in conscientiæ & exteriori foro censetur reuocatum.*

26 *Testamentum posterius iuramento assertorio confirmatum reuocat quodcunque prius cum quacunque clausula derogatoria factum.*

27 *An testamentum iuramento promissorio confirmatum possit reuocari, & quomodo.*

28 *Iuramentum promissorium, quo testamentum confirmatur arctiorem vim clausulæ derogatoriæ sequentium continet, ita vt numquam reuocatum censeatur, nisi in posteriori testamento expressa mentio reuocationis iuramenti fiat.*

29 *In reuocatione testamentorum standum est præsumptæ testatoris voluntati.*

30 *Testamentum secundum post ortas inimicitias inter testatorem & hæredem conditum sine clausula derogatoria, an deroget prius cum clausula derogatoria factum.*

31 *Si institutus hæres in posteriori testamento erat charus testatori, aut si post decennium decurrum à condito priori testamento, posterius conficitur.*

QVANDO TESTAMENTVM reuocatum sit censendum.

DISPVTATIO 153.

PRimum testamentum legitimè factum, id est, in quo sunt omnia requisita vt sit validium, reuocatur per secundum legitimè etiam factum, esto in secundo sit minor solemnitas. Vnde secundum testamenutum factum ad pias causas coram duobus testibus reuocat primum, etiamsi ad pias causas esset factum coram tabellione, & viginti testibus, imo etiamsi factum fuisset coram Rege, & ab eo esset approbatum. Ita communis Doctorum sententia, quam refert & sequitur *Couar. in Rubric. de testament. part. 2. n. 1.* iuxta iura apertissima, quorum aliqua citabimus statim. Secundum vero testamentum legitimè factum reuocat antecedentia testamenta, etiamsi ex eo non adeatur hæreditas, vel quia hæres in eo institutus noluit, vel quia mortuus est ante testatorem, vel quia quacunque alia ratione non potuit, bonaque testatoris denentura proinde sint ad hæredes ab intestato. Ita habetur expresse *§. posteriore, instit. quib. mod. testamenta infir. & consentit. l. 1. ff. de iniust. rup. affirmant que Iulius Clar. §. testam. q. 96. & Couar. loco cit. ato n. 21. vers. penul. Antonius Gomez ad leg. 3. Taur. n. 92.* Quod si secundum testamentum factum fuit sub conditione de præsenti aut de præterito, quæ non ita habet, non reuocat prius testamentum: si vero, quæ ita habet, aut etiam sub conditione, de futuro possibili, siue ita eueniat, siue contrario modo, reuocat prius testamentum: idem esset si conditio esset impossibilis cognita, vt talis, siue ea esset de futuro, siue de præsenti, aut præterito: quia haberetur pro non appositа. Hæc omnia habentur expresse *l. cum in secundo ff. de iniusto rup.* asseueratque ea *Syluester verbo testam. 1. quæst. 2.* Ea autem omnia intelligenda sunt, quando in priori testamento non est appositа clausula derogatoria posterioris: quid enim necessarium sit in posteriori testamento, vt reuocet prius, in quo ea clausula fuerit appositа, paulo post dicetur.

2 Per secundum testamentum inualidum non reuocatur primum legitimè factum, idque siue secundum sit inualidum, quia fuit inceptum & non perfectum propter mortem superuenientem, antequã testator illud absolueret, siue quia in ea facta non fuerit hæredis institutio, siue, quia defuit solemnitas necessaria, aut quacumque alia de causa. Ita habetur *§. ex eo instit. quib. mod. test. infir. & l. hæc consultissima §. siquis C. de testament.*

3 Excipitur, quando in primo testamento institutus fuerat hæres extraneus, in secundo vero hæres, aut hæredes ab intestato: tunc enim, si in secundo testamento appositi fuerint quinque testes, reuocat primum, si vero pauciores, illud non reuocat: valetque tunc secunda voluntas, non tanquam testamentum, sed quasi ille discedat ab intestato. Hæc omnia fusius habentur. *leg. hæc consultissima. §. si quis citato.* Affirmat vero *Antonius Gomez ad l. 3. Taur. num. 99.* habere id locum, etiamsi hæredes ab intestato instituti sint in portionib. hæreditatis inæqualibus, aitque in eisdem portionibus succedere defuncto. Baldus cuius opinionem refert & approbat *Gregorius Lopez ad l. 22. tit. 1. part. 6.* ait, tunc implenda esse legata in tali secundo testamento relicta.

4 Hæc tamen exceptio parum emolumenti habet in hoc Lusitaniæ Regno: cum, vt ex dictis disputatione 125. & 126. constat, testamentum in eo Regno, siue in scriptis fiat, siue nuncupatiue, validum sit cum quinque testibus. Locum tamen habebit in testamento nuncupatiuo, vocetenus tempore mortis facto, quod de iure huius Regni plures testes exigit.

In Re-

5 *Castell.* In regno autem Castellæ, iuxta dicta eisdem disputationibus, locum habebit in testamento in scriptis: non vero in nuncupatiuo, quòd in Regno valet factum cum quinque testibus, ac proinde siue in eo instituti sint venientes ab intestato, siue extranei, reuocat prius testamentum. *Ita Antonius Gomez loco citato numer. 100. Gregorius autem Lopez ad leg. 22. tit. 1. part. 6. Glos. penult.* ait, locum etiam habere in testamento nuncupatiuo, quando in eo Regno, factum coram quinque testibus non vicinis, non valet: si namque in eo institueretur hæres ab intestato, reuocaret prius testamentum, in quo institutus esset hæres extraneus.

6 Illud etiam est aduertendum, in Regno Castellæ, esto in secundo testamento nullus iusticutus sit hæres, reuocare primum: quoniam, vt in calce disputationis 124. dictum est, in eo Regno validum est testamentum, in quo hæres non est institutus, succeditque hæres ab intestato, & tenetur implere, quæ in eo fuerint instituta. Ita *Anton. Gom. ad leg. 3. Tauri, n. 104.*

7 *Couar. par. 2. rub. de testam. n. 1. vlt. concl. 6. cum Bart. & aliis* quos refert, asseuerat, de iure communi, primum testamentum solemne reuocari per secundum absque hæredis expressa institutione, si testator in eo dicat se reuocare primum, & velle discedere ab intestato: eo enim ipso censetur instituere hæredes ab intestato. Addit, si in primo testamento institutus fuit hæres aliquis extraneus, & testator voce tenus coram quinque testibus dicat, se illud reuocare, & velle discedere ab intestato, validam esse talem reuocationem, stando in solo iure communi, idemque affirmant *Antonius Gomez ad leg. 3. Tauri num. 103. & Gregorius Lopez ad leg. 8. titul. 1. par. 6.* possumusque reddere rationem, quoniam illud vere est testamentum nuncupatiuum vocetenus factum cum virtuali hæredis institutione: de iure autem communi validum est testamentum nuncupatiuum vocetenus factum, quando habet solemnitatem requisitam. Vnde cum de iure huius Lusitaniæ Regni testamentum nuncupatiuum, vocetenus factum solum valeat, si factum sit tempore mortis: vtique, quod proxime dictum est, solum habebit vim in hoc Regno, si fiat tempore mortis. Quod si testator in tali nuncupatiua reuocatione prioris testamenti vocetenus facta, non addiderit, se velle discedere ab intestato affirmant tres Doctores citati cum communi Doctorum sententia, quam *Anton. Gomez. num. 102.* refert, inualidam esse de iure communi, eo quod in ea non sit virtualis institutio hæredis, & consentit in his omnibus *Iulius Clarus §. test. quæst. 91. & 62.* Idemque est in hoc Lusitaniæ Regno, in quo etiam hæredis institutio ad validitatem testamenti requiritur.

8 Illud vero est animaduertendum, etiam per solam verbalem reuocationem coram tribus saltem testibus factam, in qua neque virtualis hæredis institutio sit adhibita, reuocari de iure communi prius testamentum legitime factum, quando effluxerunt iam decem anni, vt habetur *l. sanctimus C. de testam.* Lex tamen illa ambigua est. *Anton. Gomez. ad l. 3. Tauri. numer. 102. & 103.* cum quibusdam aliis, eum intelligit, de decennio elapso post talem reuocationem. Alii vero de decennio elapso tempore cõditi testamenti vsque ad reuocationem, quasi reuocatio illa, vt valeat, facta esse debeat post decennium à condito testamento. Atque hæc sententia placet. Tum quia illam amplectitur *Glossa Accursii ibidem*, cui in hoc Lusitaniæ Regno est standum. Tum etiam quia, vt *Iulius Clarus § testamentum quæst. 91.* refert, hæc est communior doctorum sententia, quam etiam innuit *Syluest. verb. testamen. 1. quæstio. 12. pronuntiato. 3.* Tumdenique quoniam irrationabile videtur exigere decursum decennij post talem reuocationem, vt valeat: præsertim cum testes facilius possint testificari falsum de tempore tam diuturno: & cum intra tantum tempus facile testator potuerit mutare consilium, & velle vt vim nihilominus haberet testamentum à se conditum & asseruatum. At vero testamentum à tam longo tempore fuisse conditum, verisimile efficit testatorem voluisse illud reuocare: cum facile tanto tempore mutari possent circumstantiæ, quæ inducant ad illud reuocandum.

9 Illud etiam est animaduertendum, reuocationem testamenti, etiam solo verbo factam, & duobus testibus comprobatam, validam esse, quando testator significat se reuocare testamentum, quod hæres sit indignus: sed tunc hæreditas deuoluitur ad fiscum. Ita habetur *l. hæreditas Cod. de iis quibus vt indignis*, & affirmat *Anton. Gom. numer. 103. cum Bart. & aliis*, quos refert.

10 In euentibus, in quibus hactenus dictum est, de iure ciuili testamentum primum non reuocari per secundum, vel per reuocationem solo verbo, aut quouis alio modo factam, intelligendum id est, in foro exteriori: cum, iuxta ea quæ disputatione 81. dicta sunt, in conscientiæ foro testatoris voluntati sit standum: vtique quando constiterit, voluntatem testatoris fuisse, vt testamentum à se conditum nullum esset, hæres in eo institutus obtinere in foro conscientiæ hereditatem ex illo non posset. Consentit *Antonius Gomez. ad l. 3. Tauri, numer. 103.* cum tamen, vt disputatione citata retulimus, arbitretur, testamentum minus solemne, etiamsi constet testatoris voluntatem in eo contineri, inualidum esse in foro conscientiæ: in quibus non videó eum sibi constare.

11 Censetur præterea reuocatum testamentum legitime factum, si rumpatur à testatore, aut deleatur, aut cancelletur aliqua pars substantialis ipsius, qualis esset tabellionis signum, aut auferat ab eo aliquam aliam de necessariis solemnitatibus, vt sit validũ, vt si esset in scriptis, & abscinderet chordulam, qua est consutum seu clausum. Intelligenda tamen hæc sunt, quando fiunt de industria, animo annullandi ac reuocandi testamentum: si vero casu aliquid horum præter testatoris voluntatem eueniat, atque id probetur: vel factum sit ab aliquo alio fine testatoris voluntate, validum est tale testamentum. Ita probant *leg. 1. §. si lignum, cum sequenti ff. de bonorum possess. secundum tabulas leg. si vnus versicul. vltim. & leg. nostrum C. de testamen. leg. 1. & l. cancellauerat. ff. de iis quæ in testamento delentur. & l. 24. tit. 1. part. 6*

12 Quando vero cancellatur pars aliqua, quæ non continet solennitatem requisitam, vt validum si testamentum, neque constat mentem testatoris fuisse reuocare ea ratione totum testamentum, sola pars ita cancellata censetur reuocata, vt habetur *leg. cancellauerat citata.* Quod si tabellio vel notarius faluet rupturam, aut cancellationem, hoc est, mentionem illius faciat, ac dicat, non noceat: tunc nihil propterea censetur reuocatum aut inualidum, vt colligitur *ex l. 1. ff. de iis quæ in testamen. delen.* Ait vero *Antonius Gom. ad l. 3. Tauri num. 91.* cum Baldo eiusmodi saluationem, quam vocant, fieri debere ante tabellionis signum.

13 Quando testator duo habet testamenta, eiusdem tenoris ac temporis, & æque principalia, seu originalia, atque vnum eorum rumpit aut cancellat, tunc alterum manet validum: quoniam plura illa testamenta pro eodem reputantur, solumque præsumitur contempsisse vnum illorum tanquam superfluum, illudque inualidasse quoad vim probandi: nisi aliunde de voluntate reuocandi testamentum constet. Ita habetur *leg. vltim. ff. de iis quæ in testam. delen.*

14 Dubium vero est, vtrum si vnum nuncupatiuum testamentum sit apud tabellionem tanquam

originale, & aliud inde transumptum & authenticum sit apud testatorem, testatorque rumpat solum, quod apud se est, aut quoad essentialia, illud cancellet, censendus sit reuocasse testamentum. *Antonius Gomez num 9. cit.* cum Paulo Castrensi, affirmat, *Angelus & Alexander, quos Iulius Clarus §. testamen. qu. 93. & Gregorius Lopez ad l. 24. titul. 1 part. 6.* sequuntur, negant: quoniam, cum principale instrumentum maneat integrum, non est quod censeatur reuocatum. Atque hæc sententia placet, quãdo aliunde non sunt verisimiles coniecturæ, ea ratione testatorem intendisse reuocare omnino testamentum.

15 Quando eadem die reperirentur confecta duo eiusdem testatoris diuersa inter se testamenta, ita vt ex nullo capite intelligi posset, quod eorum esset ante aliud confectum, ac proinde quod reuocaret aliud: tunc neutrum validum censeretur, sed hæreditas pertineret ad hæredes ab intestato: eo quod vtrumque illorum testamentorum habetur suspectum. Ita *Glossa leg. vltim. Cod. de edicto. D. Adria. Tolen. in verbo missus est*, communiter recepta, vt *Iulius Clarus §. testamentum quæst. vltim.* affirmat. In foro tamen conscientiæ, imo & in exteriori, si certum esset, vtrumque testamentum confectum esse à testatore sane mentis, sed diiudicari non posset, quod eorum prius, credo hæreditatem prudentis arbitrio esse diuidendam inter hæredes in vtroque instituto: quoniam eo ipso constaret, non pertinere ad hæredes ab intestato, solumque esset dubium ad quem, vel ad quos, hæredum ita institutorum, pertineret.

16 Quod dictum est, nempe posterius testamentum legitime factum reuocare quæcunque priora testamenta legitime facta, intelligendum est, dummodo, si prius aliquod testamentum habeat clausulam, per quam testator derogauit posterioribus testamentis, puta quia dixit, si quod aliud testamentum in posterum confecero, nolo illud valere, aut aliam magis pressam: in posteriori testamento apponatur aliquid, per quod tali clausulæ sufficienter derogetur. Licet enim testator, dum testamentum confecit, nullam sibi posset apponere legem, à qua non possit recedere: quia tamen appositione talis clausulæ protestatus est non velle valere quodcunque aliud testamentum condiderit, vtique nisi in posteriori testamento apponat aliquod, per quod significet se recedere ab ea voluntate, præsumendum est per posterius testamentum, alioqui legitimum, non intendisse reuocare prius testamentum, vtrumque habetur *ex leg. si quis in principio testamenti ff. de leg. 2. ex leg. si mihi & tibi §. vltimo ff. de legat. 1.* & ex aliis iuribus, affirmatque communis Doctorum sententia.

17 *Testamenti iuramento confirmati clausulam censetur habere derogatoriam sequentium.* Idem est, quando prius testamentum censetur habere clausulam posteriorum derogatoriam. Tale in primis est testamentum, quod iuramento fuerit confirmatum: vt affirmat communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur, *Antonius ad leg. 3. Tauri, numer. 95. & 96. Iulius Clarus §. testament. quæst. 94 versiculo vltimo*, & copiosius *Couarrutias in Rubric. de testamen. part. 2. numer. 19. conclus. 4. versiculo secundo* inferunt, eamque confirmat Gloss. communiter recepta, *capit. cum non deceat, de elect. lib. 6.* quæ asseuerat, per generalem canonum vel statutorum derogationem non tolli statutum iuramento confirmatum, consonat etiam *leg. cum pater §. filius matrem ff. de legatis 2.* Quin potius testamentum iuramento confirmatum vim habet clausulæ derogatoriæ specialissimæ, & arctissimæ, vt dicemus. Hæc tamen intelligo, quando iuramentum est promissorium: quod testator non mutabit, aut non reuocabit, quæ in eo continentur. Secus autem si solum esset assertorium, nempe quod ea esset sua vltima voluntas, aut quod vellet seruari, ac vafere, iuxta ea quæ disputatione præcedente explicata sunt: tunc enim cum absque vlla culpa pro testatoris arbitrio posset mutari, credo per quodcunque legitimum subsequens testamentum, esto in eo nihil reuocatorium apponeretur, maneret reuocatum.

Tale etiam est testamentum conditum inter liberos. Neque enim per subsequens testamentum legitime factum inter extraneos, hoc est, non liberos censetur reuocatum, etiamsi addatur non obstante quocunque alio testamento à me condito, nisi vel specialis mentio fiat de eo, quod conditum fuit inter liberos, vel in reuocatione illa generali addatur, etiam condito inter liberos. Priuilegium hoc testamenti conditi inter liberos habetur in *authentica hoc inter liberos, Codice de testamentis & in authentico de testamentis imperf. §. & si quidam*, vnde illa fuit desumpta, atque *l. 8. & 22. titul. 1. par. 6.* illudque affirmat communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur, *Iulius Clarus §. testamen. q. 98. & Couar. concluf. 4. citata coroll. 6. & Gregor. Lopez ad l. 8. citatam.* 18 *Item conditum inter liberos.*

Merito autem dictum est non reuocari per subsequens testamentum factum inter extraneos: quoniam si conditum sit inter liberos, etiamsi in eo non addatur clausula derogatoria præcedentis testamenti, illud reuocat, vt affirmat *Glos. communiter recepta, in authentico de testamentis imperfectis §. & si quidam, in verbo perfecta.* Ratio, vt Couarru. recte ait, est, quoniam cum sit æqualis fauor vtriusque testamenti, posteriori potius erit standum. Habetque id verum, etiamsi primum testamentum conditum inter liberos esset magis solemne, & secundum minus solemne, attamen habens solemnitatem sufficientem de iure communi & huius Lusitaniæ Regni, iuxta ea quæ disputatione 128. dicta sunt. Ratio est, quia priuilegium illud conuenit testamento condito inter liberos, non quia est magis solemne, sed quia est inter liberos legitime conditum, hoc est, cum solemnitate sufficiente. Iulius Clarus, vt testamentum minus solemne inter liberos deroget magis solemni priori, exigit, vt posterius sit filiis magis fauorabile, & Gregorius Lopez idem videtur vniuersim exigere, etiamsi secundum testamentum sit æque, aut magis solemne: Glossa tamen, cui omnes inniuntur, id non requirit, neque Couarr. id videtur exigere, neque video rationem, quæ id persuadeat. 19

Quid dicendum quoad pias causas. An vero testamentum conditum ad pias causas virtute censendum sit habere etiam clausulam derogatoriam subsequentium testamentorum, æquandumque hac in parte sit testamento condito inter liberos. Quidam, quos Gregorius Lopez vbi supra, & *Couarrutias conclusione quarta citata, & coroll. 7.* referunt & affirmant, & in eam sententiam propendet Gregor. Lopez. Alij, quos Gouarru. refert, negant. Mihi autem nihil hac de re est certum. 20

Clausulæ reuocatoriæ sequentium quæ inualidæ. Vt ad reuocationem testamenti, in quo formaliter est appolita clausula reuocatoria sequẽtium testamentorum, accedamus. Notant Doctores, duobus modis posse apponi eiusmodi clausulam. Vno, per verba, quibus testator significet, auferre à se facultatem cõdendi in posterum testamentum validum, quo illud prius reuocet, vt si dicat: nolo me posse condere aliud testamentum, aut nolo me posse reuocare hoc: & tunc talis clausula est inualida, neque indiget reuocatione: eo quod nullus possit auferre à se eam potestatem. Ita cum Bart. affirmat communis Doctorum sententia, quam refert *Couar. in rub. de testam. p. 2. num. 19. concluf. 2.* & sequuntur *Iulius Clarus §. test. q. 99. & Molina lib. 4. de primog. ca. 3. n. 33.* Alio modo, ita vt solum significet, voluntatem suam esse vt validum non sit quodcunque aliud postea condiderit, quasi solum sit protestatio 21 *Quæ valida.*

quædam

quædam voluntatis, quam circa subsequentia testamenta habet, quando prius illud testamentum condit.

22 Porro hæc clausula duobus modis potest apponi. Vno, per verba simplicia & generalia, vt si testator dicat, nolo valere quodcunque aliud testamentum in posterum condidero, aut quid simile, quod idem significet. Cõueniunt autem Doctores communiter (vt Iulius Clarus loco citato ait) quamuis sola ea clausula esset apposita, non censeri reuocatum tale testamentum per aliud, in quo dicatur, reuoco ac cassõ omnia & quæcunque alia testamenta à me facta: quam clausulam consueuerunt tabelliones apponere. Ratio est, quoniam eiusmodi clausula virtute intelligitur in quocunque posteriori testamento, esto non exprimatur. Vt ergo reuocetur prius illud testamentum, necesse est, vt in B posteriori, vel fiat mentio particularis prioris illius testamenti, esto clausulæ in eo appositæ nulla fiat mentio, vt si dicatur, & nolo valere testamentum, quod tali die præsente tali tabellione confeci, aut aliud simile, vnde intelligatur illud testamentum in singulari reuocari, vel generalibus verbis fiat reuocatio clausulæ prioris testamenti, vt si dicatur, non obstante quocunque alio meo testamento, sub quacunque verborum forma confecto. Ita *Couarruuias loco citato, concluſ. 1. Iulius Clarus quæſt. 99. citata. Gregorius Lopez. ad l. 22. titu. 1. part. 6. & alii quos referunt, conſentiunque lex illa* 22.

23 Alio modo apponitur clausula reuocatoria in C priori testamento, non verbis generalibus & simplicibus, sed specialibus & certis limitibus circumscriptis, vt si dicatur, nolo quodcunque aliud meum testamentum valere, nisi in eius principio aut fine scripta sit salutatio Angelica, aut aliquid simile, quod veluti nota sit quando voluntas testatoris erit vt illud suum testamentum reuocetur. Et tunc non satis erit in posteriori testamento mentionem facere illius prioris testamenti in singulari: nulla de tali clausula facta mentione: sed neque necessarium erit in individuo referre clausulã illam, sed satis erit generalibus verbis dicere, non obstante quocunque priori testamento cum quibuscunque derogatoriis verbis confecto. Ita *Couarruu. loco citato, concluſ. 3. Antonius Gomez. ad l. 3. Tauri. numer. 94. Iulius Clarus quæſt. 99. citata, cum Bart. & aliis. & conſonat leg. ſi quis in princ. teſtamenti ff. de leg. 3.* Tutum tamen arbitror in similibus euentibus addere verba illa in clausulis derogatoriarum derogatoriis apponi cõsueta, etiamsi de verbis illis specialis mentio esset facienda, aut etiamsi hic forent transcribẽda. Idem *Couarru. con luſ. 4. verſicul 4.* constat cum Paulo Castrensi, Anton. Rubeo ait, quando testator diceret, volo hoc meum testamentum non censeri reuocatum per quodcunque aliud quod fecero, nisi in eo ad verbum scripta sit salutatio Angelica, etiamsi nominatim huius primæ meæ voluntatis meminero: tunc vt tale testamentum sufficienter reuocetur non facta mentione in individuo de clausula illa, sed verbis vniuersalioribus illud reuocando, ne- E cesse esse dicere in posteriori testamẽto, nõ obstante quocunque alio testamento à me facto, quæcunque verba derogatoria habente sub quacunq; verborum forma: quasi reliqua, præter hoc vltimum, sufficientia sint ad reuocãdam priorem illam clausulam, si in ea additum non esset, etiamsi nominatim huius meæ primæ voluntatis meminero: & vltimum necessarium sit ad reuocanda ea verba in illa posita.

24 *Couarr. loco citato, concluſ. 4. ad finem corol. 4. & corol. 6 quæſt. citat 4. & Iulius Clarus cum aliis*, quos referunt admonent, quando in testamento condito inter liberos apposita esset clausula derogatoria: tunc vt sequenti testamento reuocaretur, non satis esse mentionem illius prioris testamenti in particulari, dicendo, non obstante tali meo testamento, nisi simul mentio modo hactenus explicato, fieret clausulæ in eo appositæ. Ratio est, qñ cum ex dispositione legis ciuilis habeat vnam clausulam derogatoriam tacitam & aliam expressam à testatore appositam, sane, quod sufficit ad priorem illam reuocandam, non sufficit ad vtramque. Idem affirmat *Couarr. de eo teſtamento iuramento confirmato*, quod similem reuocatoriam clausulam à testatore appositam haberet.

Illud vero est obseruandum, quando testamenta alioquin sunt legitima, & prius formaliter, aut virtute habet clausulam derogatoriam: cum, quod posterius tunc (nisi in eo modis explicatis derogatio apponatur) prius non reuocet, ex eo solum proueniat, quod præsumendum non sit, testatorem id B intendisse, ac voluisse: sane si aliunde verisimiliter id intendisse constet, esto, nullam omnino habeat derogationem appositam, reuocat prius, tam in exteriori, quam in conscientiæ foro. Ita communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur, *Couar. in rub. de teſt. par. 2. num. 19. conclu. 4. Gregor. Lopez. ad l. 22. titul. 1. part. 6. & Iulius Clarus §. teſtamen. quæſt. 99.* 25

Hinc primo infertur, si posterius testamentum iuramento confirmetur, eo ipso reuocare quodcunque prius, etiamsi in priori apposita fuerit clausula derogatoria verbis maxime specialibus & circumscriptis, & in posteriori solum sit appositum iuramentum. Ratio est, quoniam præsumendum est, noluisse esse periurum, atque adeo animum habuisse, vt, non obstante quacunque priori voluntate, staretur ei testamento. Ita communis opinio, quam Couar. & Iulius Clarus locis citatis referunt ac sequuntur. Hoc vero intelligo de iuramento assertorio, aut quod illi æquipolleret, quo testator assereret eam esse suam vltimam voluntatem, vellequeque seruari. 26

Ab hac tamen illatione excipiendum est, nisi prius testamentum confirmatum esset iuramento promissorio illud non reuocandi: tunc enim, cum culpa esset lethalis testatorem iuramento in posteriori testamẽto affirmare voluntatem suam esse, vt valeat præsumendum potius esset, oblitum se prius testamentum iuramento confirmasse, id ita asserere, voluntatemque ipsius, quasi habitualem tunc D esse, vt stetur potius priori testamento: neque enim præsumendum est velle lethaliter peccare, præsertim actu adeo morti vicino. Ita *Couar. concluſ. 4. citata, corol. 3.* Quare vt testamentum promissorio iuramento confirmatum posteriori alio testamento reuocetur, necesse est in posteriori testamento dicere, non obstante quocunque alio meo testamento, etiam iuramento confirmato. Atque tunc solum reuocatur in sensu præcedente disputatione explicato. 27

Hinc facile intelligetur, iuramentum promissorium, quo testamentum confirmatur, arctiorem vim clausulæ derogatoriæ sequentium testamentorum habere, quacunque derogatoria alia clausula formaliter testamento appositæ, idque ad effectum, vt nunquam reuocatum censeatur, nisi in posteriori testamento expressa mentio reuocationis iuramenti fiat. *Quicquid enim sit de clausulis derogatoriis superiorum, comparatione inferiorum, qui ipsorum iuramẽta ex rationabili causa possunt relaxate, vtrum, sc. absque expressa iuramenti mentione aliquibus verborum formis eorum statura, aut alia iuramento confirmata, reuocare censeantur, de qua re alibi disputatum est: certe quãdo absque periurij reatu quippiam reuocari non valet, vt in re, de qua disputamus, cernitur, nullius verborum formis cẽsendum est reuocatum, nisi luce clarius constet, qui ita reuocat, intendisse id cum periurij reatu efficere.* Quare esto testator, de quo loquimur,

quimur, in posteriori testamento dicat, cassum & A irritum decernens quodcunque aliud meum testamentum quibuscunque verbis derogatoriis à me conditum, quæ hic forent referenda, & pro relatis haberi volo, nisi expressam de iuramenti reuocatione faciat mentionem, censendus non est tale testamentum reuocasse: eo quod, vt dictum est de nullo sit præsumendum, incidere velle in periurij reatum præsertim actu morti adeo propinquo. Atque hæc sunt quæ Couar. dicere intendit 4. *concluſ. citata, corol. 2.*

29 Ex eadem doctrina, nempe in reuocatione testamentorum standum esse præsumptæ testatoris voluntati, inferunt cum communiori Doctorum sententia *Conar. concl. 4. citata, corol. 6. & Greg. Lopez. ad l. 22. citata*, si præcedat testamentum inter extraneos cum clausula derogatoria, & sequatur, conditum inter liberos sine vlla clausula in eo apposita, censendum esse reuocatum prius testamentum. Quoniam quamuis à iure testamento condito inter liberos concessa non sit virtualis clausula reuocatoria præcedentium testamentorum inter extraneos, sicut sequentium: affectio tamen parentum ad filios, quæ legislatores impulit, vt ex præsumpta testatorum voluntate priuilegium hoc concederent, (quod tamen locum non habet quando de contraria testatoris voluntate constat) cogit etiam, vt nos, cõsentanee ad idem priuilegium illud aliud præsumamus. Quare qñ coniecturæ essent, testatorem noluisse reuocare præcedens testamentum, quia, vt C liberorum turbationem sedaret, eorumque molestiam dum viueret vitaret, posterius condidit, censendum non esset prius per posterius reuocatum. Quod sit, vt tum hoc, tum quæ subiiciemus, ex iudicis arbitrio, attentis circumstantiis omnibus concurrentibus plurimum pendeant.

30 Ex eadem Doctrina *Couarru. loco citato corol. 5. & Gregorius Lopez ad l. 22. citatam*, cum Bartol. & aliis quos referunt, colligunt, prius testamentum habens clausulam derogatoriam reuocari per posterius, in quo nulla omnino de tali clausula facta sit mentio, quando post prius testamentum, & ante posterius ortæ fuêre graues inimicitiæ inter testatorem, & hæredem in priori testamento institutum: præsertim si culpa hæredis ortæ sint. Præsumendum namque est, testatorem vere intendisse reuocare prius testamentũ, sed oblitum fuisse clausulæ derogatoriæ in eo appositæ. Quin, si eiusmodi inimicitiæ, post testamentum cõditum ortæ sint inter testatorem & legatarium, aut eum, cui fideicõmissum relinquit, expirat legatum & fideicommissum, esto testator nullam aliam condiderit vltimam voluntatem: secus autem de hærede instituto, qui validam aliam vltimam testatoris voluntatem exigit, vt reuocatus censeatur: eo quod testamenti ratio ab hæredis institutione, vt disputatione 124. dictum est, pendeat. Vtrumq; constat: *l. 3. §. nõ solum & ex l. ex parte ff. de adimen. legatis*, & ex aliis iuribus, quæ Glossæ ibi, & Cou. loco citato ad finem conclusionis 5. citant.

33 Idem Couar. ibidem plura alia capita persequitur, ex quibus varij Doctores idem dicendum arbitrantur: vt si institutus hæres in posteriori testamento erat charus testatori, aut si post decennium decursum à condito priori testamento, posterius conficiatur. Hæc tamen & his similia capita, meo iudicio digna sunt, quorum habeatur ratio ad iudicandum, tam in conscientiæ, quam in exteriori foro, an mens testatoris fuerit per posterius testamentum, in quo nulla sit apposita clausula derogatoria, reuocare prius, in quo fuerit apposita: non vero, vt regula ordinarie sequenda inde statuatur.

(?)

SVMMARIVM.

1 *Qui hæredes institui possint, & qui non.*
2 *Qui ex priuatis hæredes esse possint.*
3 *An seruus hæres institui possit.*
4 *Si quis seruum hæredem instituat, eo ipso censetur ei libertatem concedere.*
5 *Si seruus, pendente accusatione, quod cum domina adulterium commisisset, hæres ab illa instituatur, valida non est institutio.*
6 *Qui hæredes esse non possint de iure communi.*
7 *De iure communi in Lusitania & Castella nullus hæreticus, aut apostatæ hæres institui potest, etiam ex testamento militis.*
B 8 *De iure Castellæ Iudæus nõ potest institui hæres à Christiano, nec hæreticus consanguineus à clerico.*
9 *An de iure ciuili fœmina ad secundas nuptias intra tempus luctus transiens, hæres esse possit.*
10 *An cum aliqui in pœnam pro crimine statuitur, vt hæres esse non possit, teneatur ab hæreditate abstinere.*
11 *Testamentum est nullum, etiam quoad legata non pia, in quo is solus hæres institutur, qui hæreditatis est incapax, de iure tamen Castellæ valida sunt.*

QVI HAEREDES ESSE possint.

DISPVTAIO 134.

COnsequenter de hæredibus est disputandum. Ac primo examinandum, quis hæres esse possit.

Hæredes institui possunt, non solum priuati, sed & communitates, vt ecclesia, ciuitas, vicus, collegium, &c. *l. 1. Cod. de sacrosanct. Eccles. leg. omnibus ff. ad Trebell.* Hostium vero ciuitates hæredes institui nequeunt *l. omnibus citata.* Item neque communitas ludæorum, aut alia similis, etiamsi infideles illi inter nos commorentur, ac permittantur *l. 1. C. de Iudæis.* Præterea neq; collegium illicitum, qualia sunt, quæ publica autoritate creata non sunt. *leg. collegium C. de hæredibus instit. leg. 3. §. in summa ff. de collegiis illicitis, & leg. 2. & 4. titul. 3. part. 6.* Priuati tamen de collegiis illicitis institui possunt *l. cum senatus ff. de rebus dubiis.* 1

Priuati etiam si amentes sint, surdi, muti, prodigi, religiosi (modo non professi ordinis minorum aut societatis nostræ) aut serui sint, institui hæredes possunt: & vniuersim omnes, qui legibus non sunt prohibiti. ita habetur *leg. 2. tit. 3. part. 6. cum A Zone C. de hæredibus instituendis*, & communi Doctorum sententia. 2

Seruus tamen hæres institui potest, modo dominus, qui per seruum id debet acquirere, talis sit, vt hæres etiam institui possit, alioquin serui institio non valet. *leg. non minus ff. de hæredibus instituend.* 3

E Si tamen dominus, vel manumittat seruum ita institutum, vel illum vendat, valida erit institutio antea facta, poteritque seruus ex facultate noui domini adire hæreditatem *leg. si seruus ff. de acquirend. hæred. & leg. 2. titul. 3. part. 6.*

Si quis suum seruum hæredem instituat eo ipso 4 censetur libertatem ei concedere *l. penult. in prin. C. de necessariis seruis hæred. instituend. §. idem quoque iuris, inst. quibus ex causis manumittere non licet. & l. 3. tit. 3. p. 6.* Quin eo ipso, quod quis seruum suum tutorem filij sui reliquit, censetur libertatem eidem concedere *l. penult. citata & inst. aut testamento tutores dari possunt, in prin.* Nisi tamen per errorem tutor relinqueretur, eo quod testator crederet liberum illum esse: tunc enim neque libertatem consequitur, neq; tutor esse potest, vt ibidem subiungitur.

Si seruus,

Si seruus, pendente accusatione, quod cum domina adulterium commisisset, hæres ab illa institueretur, valida non esset talis institutio *l. his verbis §. interdū ff. de heredibus instituen. §. est autem casus inst. de hæredibus instituend. l. 3. tit. 3. part. 6. & aliis iuribus.*

6 *Ius commune.* De iure ciuili communi, neq; deportatus, neque damnatus in perpetuum ad metalla hæredes esse possunt: quin neq; legatarij, nisi ad alimenta aliquid fuerit eis relictum (hoc quippe nulli prohibetur) *l. 3. ff. de ijs quæ pro non scriptis habentur leg. 1. C. de hæredibus instit. & l. 4. tit. 3. part. 6.* Neq; contrarium de iure authenticorum est postea statutum, tam vt hi testari, quam vt hęredes aut legatarij esse possint, vt aduersus *Cou. & Ant. Gom. disp. 9.* late ostendimus. *Ius Castellæ & Lusitaniæ.* De iure tamen Regni Castellæ *l. 4. Tauri & huius regni libr. 5. ordin. tit. 94.* vt ibidem probauimus, sicut testari non prohibentur, tam ipsi quam damnati ad mortem naturalem, sic nec hæredes, aut legatarios instituti. Excipiuntur de iure huius regni damnati ob crimina hæreseos, læsę maiestatis, aut Sodomię, qui, vt testari titulo citato prohibentur ita meo iudicio hęredes institui.

7 De iure communi, atque adeo in hoc & Castellæ regnis, nullus hæreticus aut apostata hęres aut legatarius esse potest, etiam ex testamento militis *l. vlt. & l. Manichæos C. de hæret. & l. 3. C. de apostat.* Credentes etiam receptores, defensores, aut fautores hæreticorum, si intra annum, ex quo ipso iure sunt excommunicati, non satisfecerint, hæredes aut legatarij esse non possunt, *authentica credentes. C. de hæret. cap. excommunicamus §. credentes de hæret.*

8 De iure Regni Castellę neque Mahumetanus, neque Iudæus potest hæres institui ab aliquo Christiano, eoque ipso hæreditas deuoluitur ad hæredes ab intestato *l. vlt. tit. 7. part. 6.* De iure etiam Canonico *c. 7. si quis Episcopus, & c. in eos, de hæret.* clerici omnes prohibentur hæredes instituere hæreticos vel paganos, etiamsi consanguinei sint, post mortemq; anathematizari præcipiuntur, si quem eorum hæredem instituant. Crediderim autem, paganorum nomine, quoscunque infideles ex mente Concilij Africani, cuius sunt duo illa capita, comprehendi. *Lex Castellæ 4. tit. 3. part. 6.* inter eos, qui hæredes instituti non possunt, cōmemerat cum Azone eos, qui scienter secundo baptizantur. Veruntamen, si id cū errore in fide fiat, quasi fas aut necessarium sit, secundo baptizari, de numero sunt hæreticorum, eaque sola ratione non possunt instituti hæredes.

9 De iure ciuili olim, quæ ad secundas nuptias intra tempus luctus, hoc est intra annum à morte mariti, transibat, hæres esse non poterat, pœnasq; alias incurrebat, vt constat *C. de secundis nuptiis l. 5. tit. 3. p. 6. & aliis iuribus.* Sed hæc omnia abrogata sunt *capit. cum secundum Apostolum, de secundis nuptiis*, integrumque illi est quocunque tempore post mortem mariti ad secūdum matrimonium impune trāsire. Idem in regno Castellæ dispositum est *leg. 3. tit. 1. lib. 5. nouæ collectionis.*

10 *Cap. fœlicis, de pœnis, libr. 6. in sequenti.* Cardinali sanctæ Romanæ Ecclesiæ in pœnam statuitur, vt hæres esse non possit. Aliisq; iuribus, extrauagantibus præsertim, eadem pœna pro aliis delictis interdum imponitur. Quando autem in pœnam pro delicto imponitur, necessariam arbitror sententiam cōdemnatoriam, vt talis delinquens in conscientię foro ab hæreditate abstinere teneatur.

De illegitimis, quorum comparatione hæredes esse non possint, dicetur inferius suo loco.

11 *Ius commune.* Quando testamento aliquo hæres solus instituitur, qui hæreditatis est incapax, de iure communi est nullum, etiam quoad legata, quæ pia non fuerint: eo quod hæres deficiat. Ita *Anton. Gom. ad l. 24. Tauri, num. 1. ver. 5.* iuxta varia iura quæ citat. Verum vero de iure regni Castellæ valida sint eiusmodi legata, eaque soluere teneatur hæres ab intestato. Re-

spondendum est cum eodem authore, valida esse propter *l. 1. titul. 4. lib. 5. nouæ collectionis*, quæ ita habet. *Y mandamos, que el testamento que en la forma suso dicha fuere ordenado, valga en quanto a las mandas y otras cosas, que en el se consienen, aunq; el testador no aya hecho heredero alguno. Y entonces herede aquel, que viniera de heredar en caso, que el testador no viniera hecho testamento, y cumplasse el testamento. Y si el testador instituyre heredero en el testamento, y el heredero no quisiere heredar, valga el testamento en las mandas, y en las otras cosas, que en el se contienen.* Ex quibus verbis constat, defectum hæredis, vel quod scriptus non fuerit: vel quod succedere noluerit, aut non potuerit, non impedire in eo Regno, quo minus legata, & alia, quæ in testamento scripta sunt, valida sint.

SVMMARIVM.

1 *Hæredes proprie sunt tam instituti in rota hæreditate, quam in quota illius: & quādo in portionibus æqualibus censeantur instituti.*

2 *Quando censendi sint hæredes instituti in portionibus inæqualibus.*

3 *Tam hæreditas quam hæres, personam defuncti repræsentant.*

4 *Hæredes qui instituuntur in re aliqua certa, parum differunt à legatarijs.*

5 *Quando nullus hæredum prioris generis instituitur, aut si instituatur hæreditatem repudiat, tunc alij hæredes censentur ac si essent prioris generis, personamque defuncti repræsentant.*

6 *Qui illud intelligendum sit.*

7 *Inter verba quibus aliquid per vltimam voluntatē relinquitur quædam directa vocantur, & quædam indirecta.*

8 *Comparatione directæ hæredis institutionis, quædam verba appellantur communia, & quædam propria.*

9 *Quando bona vniuersim alicui relinquūtur, institutio est directa hæredis, siue per verba propria & ciuilia, siue per communia fiat.*

10 *Quid de successione censuum.*

11 *Hæredes instituti in rebus certis inæqualibus quoad valorem, si in eis ius accrescendi competat, incrementum diuiditur inter eos in partes æquales, nisi aliud de voluntate testatoris constet.*

12 *Cum hæres est institutus in quota, si nullus alius est institutus, aut alij moriantur ante testatorem, vel repudient hæreditatem, accrescit reliquum hæreditatis & non deuoluitur ad hæredes ab intestato. Similiter accrescit incrementum hæreditatis duobus aut pluribus institutis in quotis: iuxta proportionem quotæ ad quotam.*

13 *Hæredi instituto à milite in re certa, & in quota, quādo sciens miles de reliquis suis bonis non disposuit, nō accrescunt cætera bona, sed spectant ad hæredes ab intestato.*

14 *An instituto hærede in re certa aut quota, quādo nullus alius simul est institutus, accrescant cætera bona defuncti, nec pertineant ad hæredes ab intestato.*

15 *Variis respondetur ad dubium propositum.*

16 *Quid si testator instituit vnum in quota aut re certa, de aliis vero bonis non disposuit, sed solum expressit, ne aduenirent, nec accrescerent hæredi ita instituto, pertinebunt ne tunc ad eum, an ad hæredes ab intestato.*

17 *Respondetur ad dubium propositum.*

18 *Refertur contraria aliquorum sententia.*

19 *Institutio hæredis in re certa est inualida in ratione institutionis, & ea de causa hæreditas tota defuncti pertinet ad hæredes ab intestato: & remissiuè cōuertitur in fidei commissum, & ideo hæredes ab intestato tenentur restituere hæredi ita instituto rem illam certam, in qua est institutus.*

20 *Refertur contraria opinio.*
21 *Authoris sententia probabilior.*
22 *Quibus fundamentis nitatur author, & num. 23.*
24 *Respondetur ad primum aliorum fundamentum.*
25 *Contra ius naturæ non est decedere ex parte testatum, & ex parte intestatum.*
26 *Respondetur ad secundum fundamentum.*

DE HÆREDIBVS EX TESTAMENTO, & quid interſit inter inſtitutum in re certa, & inter alios hæredes.

DISPVTATIO 155.

CVm hæredum quidam ex teſtamento ſuccedant, & quidam ab inteſtato, ab aliis prioribus ordiendum eſt. Dicemuſque prius de eis in genere, poſterius autem, qui eorum, & in qua bonorum portione à teſtatore ſint neceſſario inſtituendi.

Hæredum ex teſtamento quidam inſtituuntur, vel in vniuerſa hæreditate (qui, tum hæredes in ſolidum, tum etiam vniuerſales appellantur) vel in quota aliqua illius, puta in tertia parte, quarta, quinta, aut quauis alia, & hi omnes proprie dicuntur hæredes, vt conſtat *ex leg. quoties Cod de hæredibus inſtituendis, & ex aliis iuribus*, conſentitque communis Doctorum ſententia. Quando autem aliqui, ſiue plures ſiue pauciores, inſtituti ſunt hæredes, neque teſtator expoſuit in quanta portione, tunc inſtituti cenſentur in portionibus æqualibus: ſicut quando vnus tantum eſt inſtitutus, nec teſtator aliud adiecit, in tota hæreditate cenſendus eſt inſtitutus, *arg. text. in l. ſi quis ita ſcripſerit hæres ff. de hæred. inſtit.* & aliorum iurium.

Excipitur, niſi teſtator, quando plures hæredes inſtituit, vnum eorum inſtituat per ſe & alios collectiuo modo vt ſi dicat: inſtituo Petrum hæredem meum, & filios fratris ſui Pauli: tunc enim Petrus inſtitutus cenſetur in dimidio hæreditatis, & filij Pauli in alio dimidio: quia inſtituuntur per modum vnius contradiuiſi Petro, vt habetur *leg. interdum in princ. ff. de hæred. inſtit.* Vbi addit legislator, *ſi teſtator dixiſſet, Petrus & filii fratres ſui Pauli ex æquo mihi hæredes ſint, tunc omnes inſtituti cenſerentur in portionibus æqualibus: quia id donotant verba illa, ex æquo hæredes ſint*: de qua re, & ſimilibus inſtitutionibus, diſputat late Antonius Gomez. l. 1. com. variar. reſolut. ca. 2. à numer. 3. vide etiam Couarru. capit. Reynutius §. 2. Quia tamen legislatores eiuſmodi iuribus ſolum intendunt docere iudices modum, quo coniicere ac arbitrari debeant, quænam fuerit teſtatoris voluntas: non vero concedere intendunt poſitiuum ius contra teſtatoris voluntatem: vtique non ſolum in conſcientiæ, ſed etiam in exteriori foro ſemper in ſimilibus euentibus id iudicandum ſequendumque eſt, quod, attentis omnibus circumſtantiis, plus creditur fuiſſe voluntatem teſtatoris: in dubio tamen æquali, pronunciandum eſt iuxta eiuſmodi iura.

Vt quæ ſequuntur melius intelligas, obſerua. Tam hæreditatem, quam hæredem (quæ quod ad præſens inſtitutum attinet, pro eodem reputantur) perſonam defuncti repræſentare, vt conſtat *ex l. hæres & hæreditas ff. de vſucapionibus & ex aliis iuribus*. Vnde *authentico, de iureiur. à moriente præſtito, in principio* ſic ſcriptum legimus. *Noſtris videtur, vnam quodammodo eſſe perſonam hæredis, & eius, qui in eum tranſmittit hæreditatem*. Ratione huius repræſentationis, omne eius, quod ad defunctum pertinebat, tranſit ad hæredem, vt habetur *leg. hæres in omne ff. de acquirend. hæred.* Niſi fit tale, quod cum defuncto expiret, vt ſi defunctus erat vſusfructuarius, quia ius fruendi cū vita illius expirauit, non tranſit ad hæredem. Hæreditas vero non ſolum alia bona defuncti, ſed etiam eiuſmodi omnia illius iura, quæ cum eo non expirant, complectitur. Sicut autem ad hæreditatem tranſeunt iura omnia defuncti, ſic etiam tranſeunt debita & actiones, quæ aduerſus illum competebant, niſi aliqua cum defuncto expirauit: ad eaſque tenetur hæres, ſaltem iuxta vires hæreditatis, & ſimul etiam ad legata impleda. Quæ autem iura defuncti, & quæ onera cum vita illius expirent, melius intelligeretur ex progreſſu huius operis de iuſtitia, quam ſi hoc loco vellemus ea coacernare. Quando vnus tantum hæres ſuccedit defuncto, ille ſolus perſonam defuncti repræſentat: quando vero plures illi ſuccedunt, omnes integre eum repræſentant, & quilibet in parte, & quemadmodum iura, ita etiam onera & debita defuncti ad eum tranſeunt iuxta proportionem in qua eſt hæres, vt patet *ex leg. cum à morte. C. de rei vendic. l. 2. C. de hæreditariis actionibus l. 2. §. vlt. ff. de prætoriis ſtipulat. & aliis iuribus.*

Hoc iacto fundamento: alij hæredes inſtituuntur ſolum in re aliqua certa, puta in fundo aliquo, aut in re alia determinata: vt ſi dicatur, inſtituo Petrū hæredem meorum mancipiorum, aut mearum ouiū, aut mei tritici, vel meæ pecuniæ, aut quouis alio ſimili modo in re determinata. Eiuſmodi autem hæredes, quando ſimul cum alio, aut aliis ex hæredib. prioris generis inſtituuntur, parum à legatariis differunt, vt conſtat *ex leg. quoties. Cod. de hæredibus inſtit. iuncta Gloſſa ibi*. Vnde ſicut, non ipſi, ſed hæredes prioris generis perſonam defuncti repræſentant, ita nec ad debita defuncti tenentur, vt ibidem habetur, neque ſi quid (iuxta ea quæ dicenda ſunt) hæredibus accreſcant, ipſis, de hæredibus prioris generis accreſcit.

Quando tamen cum eis nullus hæredum prioris generis inſtituitur, aut ſi inſtituatur, hæreditatem repudiat, aut moritur ante teſtatorem, vel antequam hæreditatem adeat, in euentibus, in quibus, iuxta ea quæ inferius dicenda ſunt, hæreditatem non tranſmittit ad hæredes, tunc tales hæredes cenſentur acti eſſent prioris generis, perſonamque defuncti repræſentant, ipſiſque proinde accreſcunt cætera defuncti bona, nec deuoluuntur ad hæredes defuncti ab inteſtato, vt patet *ex l. ſi ex fundo, & l quoties, §. ſi duo, ex l. facto 2. ff. de hæredib. inſt. & l 14. tit 3 par. 6. atque ex aliis iuribus, quæ Anton Gom. l. 1 com. variar. reſolut. c. 10. num. 8 & n. 13.* refert, lege etiam *Sylueſt. verſ. legitima num. 14.* Id vero idcirco ſtatutum eſt, ne admittatur, quenquam ex parte diſcedere teſtatum, & ex parte inteſtatum, quod iura abhorrent, vt patet *regul. ius noſtrum quæ eſt ſeptima ff. de regulis iuris.*

Intelligendum tamen hoc eſt, quando, qui inſtitutus eſt in re certa, fuit inſtitutus per verba directa, & non communia: ſecus autem quando inſtitutus fuit per communia, aut indirecta, vt vocant: nam tunc ſolum haberet vim legati, ac proinde ſiue nullus alius eſſet inſtitutus hæres, ſiue eſſet inſtitutus, & vel repudiaſſet hæreditatem, vel mortuus fuiſſet ante teſtatorem, bona illa deuoluerentur ad hæredes ab inteſtato: eo quod teſtator nullum haberet hæredem ex teſtamento. Ita *Ant. Gom. loco citato, num.* 12. & alij quos refert.

Ad cuius rei intelligentiam obſeruandum eſt, cum *Bart. l. centurio ff. de vul. & pup. Panor. c. p. Reynutius, de teſt. num. 36. & 15. & cum Couarr. ibidem. § 9. n. 4. & 5. & cum aliis doctoribus communiter, iuxta l. quoniam indignum C. de teſtamen. & alia iura.* Inter verba quibus aliquid per vltimam voluntatem relinquitur, quædam directa vocari, & quædam indirecta ſeu obliqua. Poſterioris generis ſunt, quæ fideicommiſſariam ſubſtitutionem donotāt, qua quis, quod ſibi à teſtatore relinquitur, non ab eo directe & immedia-

immediate receptúrus sit, sed ab ipsius hærede, siue A
is sit hęres ex testamento, siue ab intestato; atque hac
de causa fideicommissaria substitutio indirecta ap-
pellatur: eiusmodi verba sunt, *rogo, volo, mando*, & his
similia, quibus sermo haberi videtur cum hæredi-
bus, vt ipsi, quod disponitur, exequantur, nempe vt
restituant hæreditatem, vel talem aut tantam illius
partem, tali vel tali. Prioris vero generis sunt, quæ
denotant aliquid directe & immediate relinqui à
testatore, siue nulla interueniat substitutio, & dica-
tur, relinquo omnia mea bona, aut talem, vel tan-
tam eorum partem Petro, siue substitutio interue-
niat, & dicatur, instituo Petrum hæredem, & si ille
hæres non fuerit, instituo Paulum. Hæ namque o-
mnes institutiones sunt directæ, quia tam Petrus,
quam Paulus illi substitutus, immediate succedere
debent defuncto: quare verba instituo, & relinquo, B
ex se directa sunt.

8 Obseruandum est deinde comparatione directæ
hæredis institutionis, quædam verba appellari com
munia, & quædã propria ac ciuilia, vt iurisperiti vo-
cant. Propria ac ciuilia sunt, quæ seruata sermonis
proprietate, neque ad legatum, neque ad fideicom-
missariã substitutionẽ trahi, & accommodari pos-
sunt, vt sunt hæc. *Sit Petrus meus hæres, aut sit hæres, in-
stituo Petrum hæredem.* Quin, esto non addatur hæ-
res, sed dicatur, instituo Petrum in quarta, aut quin-
ta bonorum meorum parte, vel in tali fundo, aut re
alia determinata: est verbum proprium ac ciuile, hę
redis institutionem denotans, ac significans. Com- C
munia verba sunt, quæ indifferentia sunt, ad directã
hæredis institutionem, & ad legatum, aut ad fidei-
commissariam hæredis institutionem, vt sunt ver-
ba, *relinquo succedat*, & his similia. Notat etiam *Pan-
orm. 15. citato*, in hæredum substitutionibus confi-
ciendis, verba propria & ciuilia denotantia substi-
tutionem directam esse, si quis dicat, instituo hæredẽ
Petrum, & si moriatur sine liberis, sit hæres Paulus,
aut instituo Paulum: quia verba illa, *sit hæres, aut in-
stituo*, denotant, vt Paulus quasi directe accipiat hæ-
reditatem ab ipso testatore. Verba vero indirecta
& obliqua esse, si dicat, si sine liberis moriatur, volo,
rogo, mando, vt restituat hæreditatem Paulo. Idem
omnino erit si dicat, restituat hæreditatem Paulo,
nullo aliorum verborum adiecto: quoniam præce
ptum illud, restituat, ad hæredem immediate institu-
tũ dirigitur. Verba autem communia erunt, si di- D
cat, si sine liberis decedat, substituo illi Paulum, aut
moriatur Paulo, hoc est, in commodum Pauli. Ver-
bum namque *substituo*, commune est directæ & in-
directæ substitutioni: item, *mori incommodum Pauli*,
indifferens est, vt ex directa, vel indirecta substitu-
tione commodum reportet.

His ita explicatis, intelligetur melius, quod dice-
9 bamus. Quia enim bonorum vniuersitas ad solum
hæredem pertinet, sane quando bona vniuersim a-
licui, aut aliquibus relinquuntur, institutio est dire-
cta hæredis, siue per verba propria ac ciuilia compa
ratione directæ hæredis institutionis relinquãtur,
siue per communia dicendo, relinquo bona mea Pe
tro, aut succedat Petrus in bonis meis, siue per ver-
ba indirecta & obliqua dicendo, volo, aut mando, E
vt sit meus hæres aut vt in meis bonis succedat, vel
quid simile: modo tamen ex indirecta forma verbo
rum perspicue non intelligeretur, mẽtem testato-
ris fuisse facere fideicommissariam substitutionem.
Quin esto testator diceret, lego omnia bona mea Pe
tro, esset hęredis institutio, & non legatũ, vt ex *Bal. &
alijs, quos refert. Anto. Gomez. nu. 12. citato* affirmat. Ra-
tio est, quia in contractibus & vltimis dispositioni-
bus plus attendendum est ad id, quod re ipsa fit,
quam ad verba quibus exprimitur, quando de con-
traria mente contrahentium aut testatoris non cõ-
stat: testatorem autem velle, vt omnia ipsius bona
ad aliquem directe deueniant, est instituere illum

hæredem. Doctrina hęc tota constat aperte *ex l. quo-
niam indignum C. de testa.* vbi de vniuersali hæredis
institutione sic habetur. *Quoniam indignum est ob ina-
nem obseruationem irritas fieri tabulas & inducia mortu-
orum* (id est, testamenta) *placuit, institutioni hæredis ver-
borum non esse necessariam obseruantiam, vtrum imperа-
tiuis & directis verbis fiat, aut inflexis. Nec n. interest, si dica
tur, hæredẽ facio, vel, volo, vel instituo, vel mando, vel cupio,
vel esto, vel erit: sed quibuslibet confecta sententijs, vel in quo
libet loquendi genere formata institutio valeat, si modo per
eam liquebit voluntatis intentio. Nec necessaria sunt mo-
menta verborum, quæ forte femineus & balbutiens lingua
profugit.* Hæc ibi.

Quia vero successio in re aliqua determinata, se 10
cundum se, rationẽ habet legati, sane nisi verbis spe
cialibus & ciuilibus, quæ institutionem hæredis si-
gnificent, alicui relinquatur, solum censebitur lega
ri: non vero eum, cui relinquitur, hæredem institui.
Imo esto verba hæredis institutionem aperte signi-
ficent, non aliter hæres instituti censetur, quam si nul
lus alius vniuersalis, neque in quota, simul instituã-
tur, vel in defectum similium hæredum, vt dictum
est. Hæc omnia censet *Anton. Gomez. num. 12. citato*
extendenda esse ad institutum in quota, nempe vt
si, vel verbis communibus, vel institutio fiat, ratio-
nẽ habeat solum legati: idq; *argumento textus indire-
cti in l. cogi §. & generaliter ff. ad Trebellian.* Attamen in
eo §. solum est sermo de instituto in re certa verbo
indirecto, quem, tanquam legatarium, definit §. ille
cogere non posse hæredem vniuersalem, vt hære-
ditatem adeat, vt ibidem Glos. Accursij exponit: &
aperte constat *ex §. siquis, subiuncto in eadem lege*, quẽ
ad id citat Accursius: in eo namque definitur, insti-
tutum verbo indirecto in quota hæreditatis, hoc
est, fideicommissarium in sola parte hæreditatis, cõ
gere posse hæredem vniuersalem vt adeat hæredi-
tatem: sibique comparare integram hæreditatem,
quam hæres vniuersalis tanquam suspectam, coa-
ctus in solam ipsius gratiam adiuit.

Illud viterius est animaduertendum, quãdo duo 11
instituti sunt hæredes, vnus in vna re certa & alius
in alia, illisque accrescit reliquum hæreditatis, vel
quia nullus alius institutus est hæres, vel in defectũ
hæredum, qui simul fuerant instituti, tunc esto res
in qua vnus est institutus, sit longe maioris valoris
in duplo, triplo, aut quadruplo, quam ea in qua alius
est institutus, vnumquemque debere quidem ac
cipere eam in qua est institutus, quia censendum est
testatorem intendisse præferre aut postponere in
ea vnum alteri: incrementum tamen hæreditatis di
uidẽdum esse inter eos in partes æquales, & non iu
xta proportionem valoris rei, in qua vnus est insti-
tutus, ad valorem rei, in qua alius est institutus. Ita
habetur expresse *l. quoties §. si duo, & l. ex facto 2. de hæ-
red. instit.* cum tamen, vt mox dicemus, quando ali-
qui instituti sunt in quotis diuersis, si quid accrescat
diuidendum sit inter eos iuxta proportionẽ quotæ
ad quotam, & non per partes æquales. Additur ta-
men §. *si duo citato*, modo aperte non constet contra-
riã fuisse voluntatem testatoris, vt scilicet inter insti-
tutos in rebus certis incrementũ diuideretur iuxtà
proportionem valoris rei vnius ad valorem alteri-
as: nam tunc in ea proportione iuxta testatoris vo-
luntatem esset diuidendum.

Quando aliquis institutus est in quota, & nullus 12
est alius institutus, aut si fuit institutus, mortuus est
ante testatorem, vel repudiauit hæreditatem, aut ea
non adiuit: tunc reliquum hæreditatis accres-
cit ita instituto in quota, nec deuoluitur ad hæredes
ab intestato, ne detur testatorem decessisse testatum
ex parte, & ex parte intestatum. Ita habetur §. *hære-
ditas, versi. & si vnum, inst. de hæred. inst.* Similiter ac-
crescit incrementum hæreditatis duobus, aut plu-
ribus institutis in quotis, sed tunc accrescit illis iu-
xta proportionem quotæ ad quotã, vt patet *l. quan-*

quam Cald. mili. test. l. sed & plures, in princip. ff. de vulgari & pupil. & leg. 1. Codice de impuberibus & aliis substit.

12 Qua vero miles, vt disput. 124. ostensum est, privilegium habet, vt discedere possit testatus ex parte, & ex parte intestatus: sane licet quando integre ex testamento de suis bonis disposuit, aut se disposuisse est arbitratus, locum similiter habeat ius accrescendi in hæredibus in re certa, aut in quota, aut quotis ab eo institutis, atque in institutis ab aliis nihilominus, quando prudens integre non disposuit, incrementum suorum bonorum, de quo non disposuit, nõ pertinet ad hæredes institutos in quota aut quotis, vel in re certa, sed ad hæredes ab intestato, quibus illud iuxta suum priuilegium, reseruasse est credendum. Ita habetur expresse *l. si miles vnum ex fundo ff. de mil. test. l. 2. C. de test. militis.*

13 Dubitant doctores, vtrum quod instituto in re certa, aut in quota, quando nullus alius simul est institutus hæres, accrescant cætera bona defuncti, nec pertineant ad hæredes ab intestato, solum habeat locum in exteriori, an etiam in conscientiæ foro. *Dubium.*

14 Non immerito dictum est, quando nullus alius simul institutus est hæres: quoniam si institutus fuisset hæres incrementi illius, tunc manifestum esset testatorem ab eo etiam voluisse excludere hæredes ab intestato, ac proinde, si per defectum hæredis, aut hæredum simul institutorum, vacaret, quia mortui essent ante testatorem, vel repudiassent hæreditatem, aut ad quia alia ratione, proculdubio per ius accrescendi, etiam in conscientiæ foro pertineret ad hæredem institutum in quota, aut in re certa.

Ad dubium propositum, *Panorm. cap. 2. de test. ad finem, nu. 4. cum Federico de Senis, Calderino, & Ioan. Andr. Sylvest. verbo hæreditas, 3. numero 3. Anton. Gom. primo tomo variar. resolut. cap. 10. numero 9. & alii* quos refert, respondent habere etiam locum in foro conscientiæ. Quoniam ius humanum, quando diuino non aduersatur, vim habet in foro conscientiæ, sufficiensque est ad dominii translationem. Adhibent vero limitationem, modo dolose non fuerit testatori persuasum, reliqua ipsius bona non pertinere ad ita institutum in quota, aut in re certa, sed ad hæredes ab intestato: idque in causa fuerit quod eo pacto suum condiderit testamentum. Tunc enim notum est in conscientiæ foro incremẽtum illud restituendum esse hæredibus ab intestato, quibus per fraudem iniuste est ablatum. Idemque in exteriori foro iudicaretur, si de tali fraude constaret, & insuper pœna imponeretur iniusto inductori.

15 Cum hoc dubio est hoc aliud coniunctum, in quo varie sentiunt doctores. Quid si testator instituit vnum in quota, aut in re certa de aliis vero suis bonis non disposuit, sed solum expressit, ne adnenirent nec accrescerent hæredi ita instituto: pertinebunt ne tunc ad eum, an ad hæredes ab intestato? *Dubium aliud.*

Alexand., Dynus, Iwol. Bald., Aretin., Angelus de Perusquos Anto. Gom. 1. tom. var. resolu. 10. c. 10. refert, censent, incrementum illud bonorum pertinere ad hæredem ita in quota, aut in re certa institutum, nõ vero ad hæredes ab intestato. Ducuntur, quoniam iura statuunt, vt institutus in quota, aut in re certa, succedat in omnibus bonis defuncti, de quibus nõ disposuit, neque illa deueniant ad hæredes ab intestato, idque, ne quis discedat partim testatus & partim intestatus, quod iura abhorrent ac prohibent, adeo vt *regula. ius nostrum, de regul. iuris*, habeat, *Ius nostrum non patitur, eundem in pagano* (id est, qui iure militari condit testamentum) *& testatum & intestatum discessisse, earumque rerum natura aliter inter se pugnat, vt testatus & intestatus quis sit.* hactenus regula illa. Atque hac de causa iura supra citata statuunt vt institutus in re certa eo ipso succedat in omnibus defuncti bonis, quorum non inuenitur hæres ex testamento: quare cum præceptum testatoris latum cõtra ordinem iuris sit nullum: fit vt non impediat quo minus cætera ipsius bona, iuxta iurium dispositionem, accrescant hæredi ita instituto. Præterea, quia *l. si quis ita hæres institutus ff. de hæredib. instituend.* cum testator quendam instituisset in omnibus suis bonis, excepto fundo, aut vsufructu fundi, atq; adeo prohibuisset, ne in eo succederet: nihilominus statuitur, rem ita exceptam ad eum hæredem non secus pertinere, ac si non esset excepta: eo quod testator de illa non disposuerit. *Secundum.*

16 *Quorundã opinio.*

17 *Fundamentũ primum.*

Contrariam sententiam affirmant *Sylvest. loco citato Bartol. Paul. a Castro, & alii*, quos *Anton. Gomez. num citato*, refert, Cynus & Salycetus, quos refert & sequitur *Gregorius Lopez. ad l. 14. titul. 3. par. 6. quam confirmant ex l. quoties §. si duo ff. de h. red. inst.* vbi habetur, institutos in rebus certis inæqualibus, quoad valorem, succedere æqualiter in hæreditatem: *si modo*, ait textus, *voluntas testatoris manifestissime non refragetur.* Ecce inquiunt, ex eo textu colligitur, cunc solum instituto in re certa accrescere cætera bona defuncti, de quibus non est testatus, quando non constat contrariam fuisse voluntatem testatoris, vt in re de qua disputamus, constat. Accedit, in vltimis voluntatibus ante omnia præferri ac seruari debere voluntatem testatoris. *Bar. opinio.*

Bartolus & Paulus à Castro censent, institutionem hæredis in re certa in euẽtu, de quo loquimur, esse inualidam in ratione institutionis. eaque de causa hæreditatem totam defuncti pertinere ad hæredes ab intestato, iuxta ea tamen, quę *disputationi* 124. dicta sunt, conuertin fideicommissum, & idcirco hæredes ab intestato teneri restituere hæredi ita instituto rem illam certam, aut quotam in qua institutus est, atque hanc cum Corneo censet Antonius Gomez. esse communiorem Doctorum sentẽtiam, in eamque potius, quam in sentẽciam priori loco relatam videtur propendere: cum posteriori loco eam referat, illamque defendat. 18 19

Cynus vero Salycetus, & Gregorius Lopez arbitrantur, validam esse institutionem illam in re certa, rationeque illius hæreditatem totam pertinere ad hæredem eo pacto instituta: attamen eo ipso, quod iussus est contẽtus esse re, in qua est institutus, censeri grauatum restituere incremẽtum hæredib. ab intestato, locoque quartæ Trebellianicæ retinere solam rem, in qua est institutus. 20

Opinio Bartoli sane intellecta mihi placet, tam in conscientiæ, quam in exteriori foro, quando testator ilio modo esset testatus, ignarus iuris prohibẽtis quenquam discedere ex parte testatum, eaq; de causa concedentis vniuersam hæreditatem quibuscunque hæredibus ex testamento: quæ ignorantia regulariter præsumẽda est in omnibus, qui in ciuili iure non sunt versati: cum hæc res non peruia, sed multum abdita eiusmodi hominibus sit. 21 *Dubii decisio.*

Fundamẽtum, cui nitor, non est §. *si duo*, citatus: in eo enim non recurritur ad testatoris voluntatem, quasi ab ea pendeat, vt quis ex parte testatus discedat: neque Bartolus in re, de qua disputamus id intẽdit, aut est vnquam in iure permissum: sed solum recurritur, vt videatur, an integra hæreditas, quę inter institutos in rebus certis inæqualibus, tanquam inter hæredes in solidum est diuidenda, fit per partes æquales diuidenda, vt §. ille, & alia iura regulariter atque in dubio faciendum esse statuunt: an potius iuxta proportionem rei ad rem, in quibus sunt instituti. 22

Fundamenta itaque, quibus innitor, duo simul iuncta sunt potissimum. Primum, quod nulla æquitas patiatur, vt sine vllo Reipublicæ commodo, & sine testatoris peccato, qui subtilem hanc iuris dispositionem inuincibiliter ignorauit, fraudetur intẽtione ac voluntate, quam habuit disponendo eo pacto de rebus suis, & hæredes ab intestato priuentur 23

portio-

portione, quam testator intendit illis relinquere. Quod si testator prudens id esse contra iuris dispositionem, eo pacto fuisset testatus; tunc merito hæreditas tota in pœnam ipsius adiudicaretur instituto solum in re certa, aut in quota hæreditatis: quin meriro statueretur, vt nulla expectata sententia, hæreditas tota adueniret eiusmodi hæredi: quandoquidem eo ipso, quod testator moritur, hæreditas vacat, ac proinde extrahenda in pœnam non est de dominio & possessione hæredum ab intestato: at vero, quod testator, inuincibiliter eam iuris dispositionem ignorans, eo pacto puniatur, profecto æquitas non patiatur. Secundum est, quod tam in vltimis voluntatibus, quam in contractibus, vt supra dictum est, potius sit attendendum ad id, quod re ipsa fit, quam ad verba quibus fieri significatur: qui autem solum instituit aliquem in re certa, aut etiam in quota, & reliqua sua bona deuenire vult ad hæredes ab intestato, quando id non exprimit, quia necessarium non arbitratur, re ipsa efficit codicillum quo verum legatum ei, quem in re illa certa, aut legatum vel fideicommissum ei quem in quota instituit, relinquit: non vero efficit testamentum cum successores ab intestato velit esse hæredes suos vniuersales: quare quemadmodum quando codicillo relinquitur alicui hæreditas, ex benigna iuris interpretatione, obliquari censetur talis hæredis institutione omnino vitietur, transitque in fideicommissum, vt disputatione 124. explicatū est, ita in re proposita longe maiori cum ratione id, quod solū verbis effigiem habet testamenti, reque ipsa est codicillus, censendum est codicillus, eaque in re certa, aut in quota, legatum, aut fideicommissum est appellandum, ad quod implendum censendum eo ipso est, grauatos esse hæredes ab intestato. Atq; hoc est, quod Bartolus voluit: neque credo illum existimasse in hoc euentu Falcidiam, vel Trebellianicam esse detrahendam, præsertim quando hæredibus ab intestato saltem quarta pars bonorum defuncti remaneret: quoniam non ea fuit mens testatoris, inopinatusque hic euentus per Epicheiam censendus est exceptus à lege Falcidiæ & Trebellianicæ. Quando autem quis in testamento vniuersalem aut vniuersales instituisset hæredes, & rem certam, aut quotam aliquam prohibuisset eos accipere, intendens vt deueniret ad hæredem aut hæredes ab intestato: tunc, quia illud re ipsa esset testamentum, idq; quod reseruasset, legati aut fideicommissi rationem non haberet, vera esset opinio Cyni, Salyceti, & Gregorii Lopez.

24 *Ad primum fundamentum aliorū.*

Ad fundamentum opinionis Alexandri, Dyni & aliorum dicendum est, id esse verum, quando testator, non ignorans inuincibiliter eam iuris dispositionem, condidit eo pacto testamentum: tunc enim, si expresse non prohibuit institutum in re certa, aut in quota accipere incrementum bonorum, præsumendum est intendisse, vt iuxta præscriptum iuris, illi accresceret: si vero prohibuit, curandum nō est de ipsius præcepto. sed puniendus est, vt iuxta legū dispositionem, eo ipso incrementum pertineat ad hæredē ita institutum. Non tamen esse verum quādo ex ignorantia inuincibili talis dispositionis quis eo modo esset testatus: quoniam iniquum esset legislatores id in tali euentu velle.

25

Porro ridiculum est arbitrari, esse contra ius naturale, vt quis decedat ex parte testatus, & ex parte intestatus: cum non solum militi liceat, sed etiam, quando hæres incapax est totius hæreditatis, fas sit testatori instituere illum in bonis, quorū est capax, & in reliquis discedere intestatum, vt colligitur aperte *ex l. 1. C. de secundis nuptiis*, affirmatque cōmunis doctorum sententia: Satis etiam per se est manifestum, nullum absurdum esse si quemadmodum quis potest discedere integre testatus, si dicat, instituo Petrum in tali meo fundo, aut in quinto meorum bonorum, reliqua vero deueniant ad hæredes meos ab intestato: quandoquidem eo ipso hæredes ab intestato essent hæredes ex testamento: sic etiam statutum fieret, vt ea, de quibus expresse non disponeret quis in testamento, deuenirent ad hæredes ab intestato. Neque contrarium voluit regula illa citata quandoquidem concedit militem discedere pro se testatum ex parte: sed solum voluit, quod sicut pugnat discedere aliquem testatum, & intestatum, ita statuit ius, vt nullus discedere posset testatus ex parte, & ex parte intestatus.

26 *Ad secundū fundamentum.*

Ad *l. siquis ita*, dicendum est, intelligendam esse quando testator conscius erat prohibitionis ne quis ex parte testatus discederet. Aut quando præsumptio erat, illum intendisse seorsim disponere de illa re, quam reseruabat, & vel oblitum, vel morte præuentum, non disposuisse: tunc enim accresceit hæredi instituto.

SVMMARIVM.

1 *An quis discedere possit ex parte testatus quoad tempus, & ex parte intestatus.*

2 *Quando quis eo pacto testatur, ignorans iuris dispositionem, intenditque vt hæredes reliquo tempore potiantur bonis suis, an illis debeatur hæreditas reliquo tempore.*

3 *De instituto hærede in diem incertum quid censendum.*

4 *Quod si dies à testatore institutus non adueniat, quia frater illius nunquam ducet secundam vxorem, aut consobrinus, cum dies aduenit, superstes non est, quis maneat hæres: & pendente illa conditione, quā impleri aut non impleri in ipsius est potestate, superstesque est consobrinus, quis hæres censeatur.*

5 *Hæredis institutio in diem certo futurum, sed incertum quando futurum sit, valida est.*

6 *An valida sit hæc institutio: Instituo Petrum in die, qua Petrus ipse morietur.*

7 *Quid si duo instituti sint simul hæredes, vnus vsque ad primum decennium à morte testatoris, & alius reliquo tempore, an valida sit vtriusque institutio.*

HÆREDIS INSTITVTIO EX CERto duntaxat die, aut ad certum diem, an valida sit.

DISPVTATIO 156.

HÆredis institutio qualis esse debeat, & quousque de iure communi, aut huius Lusitaniæ, vel Castellæ regni, necessaria sit, vt testamentum sit validum, dictum est, præsertim, disp. 124. & 127. Nunc circa eam nōnulla disputanda sunt, ordiendumque est à proposita quæstione: eo quod cum dictis disputatione præcedente sit coniuncta.

Ex iuris dispositione sicut non potest quis discedere ex parte testatus quoad bona sua, & ex parte intestatus, vt disputatione præcedente explicatum est: ita neque quoad tempus, ita vt vno tempore hæres aut hæredes instituti ex testamento debeant succedere, & alio hæredes ab intestato, sine eorum ex testamento institutione. Hinc, si quis ita testetur: post quinquennium à morte mea sit meus hæres Petrus, vel sit meus hæres decem prioribus annis à morte mea: talis limitatio temporis habetur pro non adiecta, censeturque ille institutus hæres in omne tempus: sicut de eo, qui in quota, aut in re certa institutus est, disputatione præcedente est dictum, cēseri institutum in vniuersam hæreditatem, quando nullus alius institutus est hæres. Ita habetur §. *hæres, instit. de hæred. instit. l. hæreditas ex die ff. eodem titulo leg. 15. titulo 3. part. sexta, & aliis iuribus.* Excipitur in milite, qui ex priuilegio, quemadmodū quoad bona, ita quoad tempus, discedere potest ex parte testatus & ex parte intestatus, vt constat *ex leg. in*

fraudem

fraudem.§.miles l.miles ita ff. de militari testa. & ex l. 15. *cit. ff.ea.*

2 Dicendum tamen quando eo pacto quis esset testatus, ignorare inuincibiliter, etiamsi de iuris dispositionem (quod regulariter de quocunque, in iure minime versato, est præsumendum) intendensque vt hæredes ab intestato reliquo tempore potirentur bonis suis: tunc tam in conscientiæ, quam in exteriori foro, illis reliquo tempore deberi hæreditatē, quasi qui pro priori tempore ex testatoris intētione essent hæredes, grauati censerentur restituere hæreditatem futuris pro posteriori tempore, Trebellianica minime detracta: militant namque illæ eædem rationes propter quas hoc ipsum disputatione præcedente definiuimus, quando quis simili modo discessisset testatus solum ex parte quoad bona sua, neque est necesse hoc loco repetere, quæ ibi dicta sunt. B

3 Quando autem quis esset institutus hæres in diem incertum, tam an esset futurus, quam quando esset futurus, vt si testator habens vnicum fratrem, qui ei ab intestato succederet, diceret, in diem quo frater meus secundam duxerit vxorem, instituo hæredem consobrinum meum Antonium, valida esset talis institutio: quia est conditionalis, vt constat *ex l. dies incertus ff. de conditionibus & demonstrationibus* cuius hæc sunt verba. *Dies incertus conditionem in testamento facit.* Et tunc si is dies adueniat, superstesque Antonius sit censetur hæres à die obitus testatoris: quoniam impleta conditione, retrotrahitur in- C
4 stitutio, ac si nulla esset apposita conditio. Quod si dies non adueniat, quia frater testatoris nunquam ducet secundā vxorē, aut Antonius, quādo dies aduenerit, superstes non sit, manet hæres frater defuncti, qui ab intestato succedebat: interim autem dum pendet conditio illa, quam impleri, aut non impleri in ipsius est potestate, superstesque est ab intestato, censetur etiam hæres sub conditione, si vxorem secundam non ducat superstite Antonio: ipsi tamē est tradenda hæreditas, cautione præstita, quod eā restituet, si impleta fuerit conditio, sub qua Antonius est institutus.

Quando etiam quis esset institutus hæres in diem
5 certum quando esset futurus, certum tamen, quod esset futurus, valida esset institutio; vt si testator in casu proposito dixisset, sit hæres consobrinus meus D in die, qua mortua fuerit mater eius: etenim licet certum sit futurum diem, in quo eius mater morietur, quia tamen incertum est, an tunc consobrinus erit superstes, quod tamen necesse est, vt frater defuncti, qui hæres est ab intestato, definat esse hæres, sitque hæres talis consobrinus, valida profecto est talis institutio, vtpote in certa comparatione conditionis appositæ.

6 An vero valida sit institutio, si quis dicat, instituo Petrum hæredem in die, qua Petrus ipse morietur. *Lex* 15. *citata* affirmat. Bartolus vero & alij quos refert ac sequitur Antonius Gomezius, *primo tomo, variarum resolutionum, capite secundo, numero* 11. censent, perinde id esse, ac si Petrus institutus esset, vt in parte duntaxat temporis esset hæres, nempe à puncto quo mori inciperet, testatoremque reputandum esse ac si discessisset ex parte quoad tempus restatus, atque adeo institutionem illam ducendam esse, acsi esset pura, & sine vlla temporis limitatione. Superuacaneum autem duco de iis, quæ rarissime, aut nunquam euenient, disputare.

Vt ad institutionem vsque ad certum tempus regrediamur, dubitant Doctores, quid si duo instituti sint simul hæredes: vnus vsq; ad primum decennium à morte testatoris, & alius reliquo tempore, valideне erit vtriusque institutio: Dynus & Cumanus, quos Antonius Gomezius, *loco citato, num. nono* refert, affirmant vtranque, vt iacet, esse validam tanquam directam institutionem. Neque sane est im- *Quæstio.* 7

probabilis ea sententia, quandoquidem testator nō discedit, ex parte, sed integre testatus quoad tempus: sicut si quis duos instituerit hæredes, vnum in sexto fuorum bonorum, & alterum in reliquo, discederet testatus integre quoad bona. Bartolus & alij arbitrantur, tempus illud institutionis subducendum esse, & vtrumuis censendum esse institutum pure vna cum alio in dimidio hæreditatis. Id tamen videtur consentaneum rationi. Communior doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Anton. Gomez, ibidem, & Gregor. Lopez, leg.* 15. *citata* censet primum grauatū esse reputandum restituere post decennium hæreditatem, quasi comparatione secundi hæredis sit illud fideicōmissum. Hoc si intelligatur, ita vt Trebellianica non sit detrahenda, in primam fere incidit sententiam, quæ satis est probabilis. Iuxta eam vero, si posterior hæres è vita discedat ante primum decēnium absolutum, accrescere videtur totum illius tempus hæredi in primum decennium instituto: quoniam posterior institutio tacitam videtur habere conditionem, nisi prius è vita discedat.

SVMMARIVM.

1 *Hæredis institutio & legatum, si in alterius voluntatem committantur, inualida sunt.*

2 *Quæ hæredis institutio, quæ alterius committitur voluntati, censeatur captatoria.*

3 *Hæredis institutio tacite solum ac virtute alterius voluntati commissa, quatenus sub tali conditione de futuro fiat, quam implere aut non implere situm est in tertij cuiusdam voluntate, valida est.*

4 *Valida est hæredis institutio, in qua apponitur expressa conditio.*

5 *Legatum si non in liberam voluntatem, sed in arbitrium hæredis vel cuiusdam tertii, alicui relinquatur, validum est.*

6 *Institutio hæredis determinata alicuius personæ, sed sub conditione, si alius ita fuerit arbitratus valet, sed si alius sufficientem reddat rationem, cur non debeat is esse hæres, redditur nulla.*

7 *Electio de aliquibus certis personis ad legatum, aut fidei commissum committi potest tam arbitrio, quam liberæ voluntati cuiusdam tertii.*

8 *Hæredis institutio ad pias causas valida est, esto alterius committatur voluntati.*

9 *Quid, quando testator non expressit quibus pauperibus sua bona relinquat.*

10 *Hæredis institutio, melioratio, substitutio & tutoris designatio alteri cōmissa, quatenus iure Castellæ valeāt.*

11 *Quid quando testator nec per seipsum hæredem instituit, nec facultatem commissario instituendi, sed solum condendi sui loco testamentum, concessit.*

12 *An, qui extremam suam voluntatem alteri committit, idcirco videatur discedere intestatus.*

13 *Quousque perduret facultas commissarii, & in defectu illius, ad quem pertineant bona defuncti, remissiue.*

E

HAEREDIS INSTITVTIO, AVT LEgatum, alterius voluntati commissa, an valida sint: Et quando aliquid pauperibus relinquitur, à quo & quibus pauperibus sit distribuendum.

DISPVTATIO 157.

HAeredis institutio quin & legatum, si in alterius voluntatem committantur, inualida sunt iure ciuili, vt si testator dicat; instituo hæredem meorum bonorum, quem Petrus, vel quos Petrus voluerit, aut instituo Paulum hæredem, si Petrus voluerit:

rit: idem est si dicat, lego centum ei, quem Petrus vo Iuerit, aut Paulo, si Petrus voluerit. Ita habetur *l. illa institutio, & l. captatorias ff. de hæredibus instituendis l. captatorias C. de testamen. milit. & l. 11. titu. tertio, parte sexta.* Quoad legata vero *l. captatoriæ, ff. de legatis primo, & l. 29. titulo nono, parte sexta, atque aliis iuribus, quæ Co narru. c. 2. cum tibi, de testamen. num. primo, & 7.* & Antonius Gomezius, *ad l. 31. Tauri, & 1. tomo var. ref. cap. 12. n. 47.* citant.

A

Cou. licet cõfiteatur quancunq; hæredis institutionem, quæ in alterius voluntatem committitur, esse nullam, vt ex iuribus citatis constat: cuius rei *Emmanuel à Costa cap. si pater, par. prima, in verbo, pauperes, fol. 173.* rationem reddit, quia, si post testatoris mortem, ille alius vel morte præuentus, vel quia nõ vult, nullum pronunciet hæredem, ille prior discedit intestatus, ac proinde institutio commissa alterius voluntati simpliciter non est institutio, cum tamen, ab hæredis institutione ratio testamenti pẽdeat: licet, inquam, id confiteatur Couar. censet tamen, non omnem hæredis aut legati institutionem, quæ alterius committitur voluntati, appellari in iure captatoriam, sed eam solam, quæ fit animo, aut specie adulandi, aucupandive alterius voluntatem, vt aliquid efficiat, vt si testator dicat, instituo Petrum hæredem, aut tale legatum illi relinquo, si ipse me, aut Paulum vicissim instituat; aut si dicat in qua portione me instituerit, ipsum etiam instituo. Hac enim via pessimi homines captare aliorum vo luntates solebant, eosque perducere, vt vel hæredẽ, quem optabant, instituerent, vel legatum illi relinquerent, & tunc ipsi suas reuocabant institutiones aut legata, deceptosque illos alios relinquebant. Ad his itaque malis obuiandũ, iure ciuili reddituæ sunt nullæ institutiones & legata quæ sub conditione de futuro, si alius talẽ vel talem hæredem instituet, aut legatum relinquet, fuerint effecta: secus autẽ sub cõditione de præterito: valida namque est huiusmodi institutio, Petrum hæredem instituo, aut tale legatũ ei relinquo, si ille me hæredem instituit, aut tale legatum reliquit, vt habetur *l. illæ institutiones, ff. de hæredibus instituendis.* Item prohibitum non est, aliquos se mutuo hæredes ex amoris affectu relinquere, vt habetur *l. captatorias, ff. de hæredibus instituendis*, quo pacto coniuges, etiam in eodem testamenti instrumento, solent se mutuo hæredes relinquere. Passim tamen Doctores vniuersim institutionem aut legatum captatoria appellant, quæ alterius committuntur voluntati. Forte quia ea omnia ideo iure ciuili sunt reddita nulla, quia suspecta sunt, ne animo eorum captandi voluntates fiant, quorum voluntati committuntur.

B

C

D

Quamuis nec hæredis institutio, nec legatum valida sint, si formaliter alterius voluntati cõmittantur, si tamen tacite solum ac virtute committãtur, quatenus sub tali cõditione de futuro fiunt, quã implere aut nõ implere sibi sit in cuiusdã tertii voluntate, valida sunt: vt si quis dicat, instituo meũ hæredẽ Petrum, aut lego centum Paulo, si Antonius tali die capitolium ascenderit. Ita habetur expresse. *leg. non nunquam, ff. de conditionibus & demonstrat.* Indeque ait Iurisconsultus *leg. expressa, ff. de regulis iuris*, dictum esse, *expressa nocent*, non *expressa non nocent.* Item habetur *leg. 29. titul nono parte sexta.*

E

Valida est hæredis institutio, aut legatum, in quibus apponitur expressa conditio, si, qui ita est institurus, voluerit, esse hæres: aut si legatarius legatum voluerit. Et quãuis ea conditio, esto non apponatur, ex ipsamet rei natura intelligatur, nihilominus quãdo apponitur, nisi legatarius antequam è vita discedat legatum acceptet, non transmittit illud ad hæredes, neque hæres illo modo institutus hæreditarem non aditam transmittit in euentibus in quibus, iuxta ea quæ inferius suo loco dicenda sunt, alioquin trãs. mitteret. Ita habetur *leg. si ita legatum §. illi si volet, & leg. senatus. §. legatum. iuncta gloß. ibi. ff. de legatis primo, & leg. si ita expressum. ff. de conditionib. & demonstrationibus*, & affirmant. Anton. Gomez. *ad leg. 31. Tauri n. 3. & 1. tom. variar. resol. c. 12. n. 47.*

Legatum, si non in liberam voluntatem, sed in arbitrium, vel hæredis, vel cuiusdam tertii alicui relinquatur, validum est. Quòd si illi non arbitrentur, quia morte præuenti, aut alia de causa vel iudicent non conferendum, nec sufficientem rationem reddant cur id ita iudicent, legatum debetur legatario: quoniam id eorum iudicio est commissum, tan quam prudentium, bonorumque virorũ arbitrio, neque proprie rationem habet conditionis. Ita habetur *l. si sic ff. de legatis primo*, cuius hæc sunt verba: *Si sic legatum ac fideicommissum sit relictum, si existimauerit hæres si comprobauerit, si iustum putauerit, & legatum & fideicommissum debebitur: quoniam quasi bono viro ei potius commissum est, non in meram voluntatem hæredis collocatum.* Idẽ habetur *l. fideicomm. §. sic fideicom. v. quanquã ff. de legatis 3.* qui ita habet. *Quanquã aũt fideicomm. ita relictũ, si volueris, non debeatur: tamen si ita scriptum fuerit, si fueris arbitratus si putaueris, si existimaueris, si vsile tibi fuerit visum, vel videbitur, debetur. Non enim plenum arbitrium voluntatis hæredi dedit, sed quasi viro bono commissum relictum. Proinde si ita sit fideicommissum relictum illi, si meruerit, omnino fideicommissum debebitur, si modo meritum apud virum bonum collocare fideicommissarius potuit. Et si ita sit, si te non offenderit, æque debebitur: nec poteris hæres causari non esse eum meritum, si alius vir bonus & non infensus meritum potuit admittere.* Hæc ibi. Idem habetur *leg. 29. titulo nono par. sexta*, & affirmant *Glos. leg. 1. ff. de legatis secundo*; *Anton. Gomez. ad leg. 31. Tauri, numero 3. & primo tomo variarum resolut. cap. 12. nume. 47.* & Doctores quos citat. Si tamen legatum omnino est relictum in liberam voluntatem hæredis, vt illud soluat si voluerit, tunc licet non fit captatorium, atque adeo omnino nullum, sicut si relictum esset in liberam voluntatem tertii, est tamen conditionale: semelque vellẽte, aut statuẽte soluere, firmũ redditur. Quodsi vel legatarius, antequã hæres illud soluere statuat, è vita discedat, vel hæres moriatur, nihil, aut contrariũ ita tuendo inualidũ efficitur tale legatũ: Atque hoc est quod habetur, *§. sic fideicommissum citato, & l. 1. ff. de legat. secundo. atque leg. 29. Castellæ citata.* Quare in eiusmodi legatis & fideicommissis magnopere est aduertendum, an verba, iuxta exempla iurib. citatis expressa, arbitrium sonent, an liberam voluntatem.

Non dubito institutionem etiam hæredis, quando est determinatæ personæ, quæ instituatur: sed dependenter ab alterius arbitrio, si illi videbitur, validam esse, eo pacto quo de legato dictũ est. Quid si iudicauerit, eo pacto institutum non debere esse hæredem, sufficientemque rationem reddiderit cur ita iudicet, hæreditas deuoluetur ad hæredes ab intestato, nisi in eo euentu testator ad alium instituerit hæredem.

Electio de aliquibus certis personis ad legatum, fideicommissum, aut etiam hæreditatem, committi potest non solum arbitrio, sed etiam liberæ voluntati cuiusdam tertii. Vt si vxor in hoc Lusitaniæ Regno dicat, relinquo tertium meorum bonorum, vni, aut duobus meorum filiorum, quos maritus meus voluerit: aut in Regno Castellæ dicat, relinquo tertium & quintum meorum bonorum ei, vel eis meorum filiorum, quibus maritus meus voluerit. Idem est si maritus simile legatum, aut meliorationes relinquat, electionemque vxori, aut cuiusi alteri cõmittat. Idem quoque est si quis dicat, relinquo hæredem meorum bonorum, eum, vel eos ex meis fratribus, quos meus patruus elegerit, vel quos elegerit talis doctus ac pius vir. Ita colligitur aperte *ex l. vnã ex familia, ex l. cũ quidam 24. ff. de leg. 2. ex l. verum §. 1. ff.*

§.1.ff.de rebus dubijs: & ex aliis iuribus, affirmatque cõmunis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Anton.Gomez.ad l.31.Tauri, numero quarto & primo tomo variar.resolut.cap.12.numero 48. Couar. capi.cum tibi,numero 11.de testam.& Emmanuel à Costa vbi supra. In huiusmodi namque euentibus, hæres, legatarius, aut fideicommissarius, à testatore manent instituti, adeo vt si is, cuius arbitrio, aut liberæ voluntati electio committitur, morte præuentus, aut alia ratione non eligat, omnes illi in hæreditatem, legatum, aut fideicommissum succedant, si omnes superstites sint, vt constat ex leg.vnum ex familia, §.rogo, & ex leg. cum quidam citato: quare sola qualitas, quippiamve ad id necessarium, nempe electio, alterius arbitrio aut voluntati committitur, non vero hæredis, legatarii, aut fideicommissarii institutio. Vnde eligente eo, cui electio commissa est, electus non censetur accipere de manu ipsius, sed de manu prioris testatoris, vique testamenti prioris testatoris: neque censetur habere effectus & qualitates, quasi accipiat ab eligente, sed quasi accipiat à solo priore testatore, vt habetur lege vnum ex familia, in princip. & §.primo.ff.de legatis primo. & aliis iuribus, quę Antonius Gomezius primo tomo variarum resolutionum capit.duodecimo numer. quadragesimo octauo citat. Poteritque electio fieri siue in testamento, siue extra testamentum coram duobus tantum testibus, vt Antonius Gomezius ibidem probat. Interimque, dum elector viuit, potest electionem factam reuocare, & efficere aliam, si testator dixit, cum morieris, eligas quem volueris, vt habetur eo.vnum ex familia in princ. & §.rogo citato. Quando electio liberæ electoris voluntati commissa est, valida est, esto eligat indignum: secus autem si illius arbitrio sit commissa: nam tunc solum eligere potest ex dignis, vt habetur leg.cum quidam, citata & affirmant Anton.Gomez. vbi supra, & Doctores quos citat.

3 Legatum, aut hæredis institutio, quando sunt ad pias causas, valida sunt, esto ita committantur alterius liberæ voluntati, vt alioquin iuxta iuris ciuilis dispositiones citatas, essent nullæ, vt si quis ita diceret, instituo meos hæredes eos, ex pauperibus omnibus qui sunt in vniuerso orbe, quos Petrus voluerit, aut quos elegerit, vel relinquo centum aureos maritandæ orphanæ puellæ, si Petrus voluerit. Ita colligitur ex cap.cum tibi, de testamentis, vbi Innocen. 3. qui extremam, inquit, voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur discedere intestatus. Quorum verborũ communis, inter alias, interpretatio est, quando dispositio est ad pias causas. Ita communis sententia, quam referunt & sequuntur Couarru. ibidem nume.12. Anton.Gomez. ad l.3.Tauri, nume.4.& 5.& Emmanuel à Costa vbi supra. Consentit ius ciuile. l.id quod pauperibus.C.de Episcop.& clericis, vbi scriptũ legimus. Id quod pauperibus testamento vel codicillis relinquitur, non vt in certis personis relictum, euanescat, sed omnibus modis ratum, firmumque consistat. Idemque est de relictis in redemptionem captiuorum & ad cæteras causas pias. Vnde l.nulli, eodem titu. subiungitur. Nulli licere dicernimus dispositionem pij testatoris infringere, vel improbamente violare, asserendo incertum esse legatum vel fideicommissum, quod redemptioni captiuorum relinquitur: sed modis omnibus exactum pro voluntate testatoris pię rei negotio proficere. Idem quoad institutionem pauperum, vel in redemptionem captiuorum statuitur l.si quis ad declinandum, eodem titul. & prohibetur ab eiusmodi legatis detrahi Falcidiam. Ratio autem quare, esto idem iure ciuili non statueretur, nihilominus in vltimis voluntatibus ad causas pias locum non haberent iura supra citata, manifesta est. Quoniam, cum institutionem hæredis, aut legatũ vel fideicommissum committi omnino alterius voluntati, non sit iure naturali prohibitum aut nullũ, sed solũ irritũ sit iure humano ciuili ad obuiandũ malis, quæ inde poterant oriri, vtique in dispositionibus ad causas pias id nullum locum habet, nisi cõsentiente Summo Pontifice, iuxta ea, quæ disputatione 134. dicta sunt: nulla autem erat ratio cur consentiret, præsertim cum in dispositionibus ad pias causas non sint ea pericula, & cum quando hæreditas aut legatum personis incertis esset relictum, vt pauperibus, aut captiuis redimendis in genere, semper detur ad quem spectet electio, vt subiungo.

Quando testator reliquit bona sua pauperibus, non exprimendo quibus, aut ad opera pia: non exprimendo quæ, aut vbi fiant: inprimis executio & electio pertinet ad eum, quem testator designauit. Quod si nullum signauit, aut ille negligens fuerit, pertinet ad Episcopum loci vbi testator habebat domicilium, vel ad ipsius vicarium. Quod si testator erat extraneus, & nescitur vbi habebat domicilium, aut vectura est difficilis propter loci distantiam, pertinet ad Episcopum loci, vbi ille mortuus fuerit. Distributio autem siue fiat per Episcopum, siue per alium quem testator designauerit, facienda est inter pauperes loci vbi habebat domicilium, aut vbi mortuus est; si ignoretur locus domicilii aut multum differet: in eisdemque locis conficienda sunt alia pia opera, quando testator non explicauit vbi fierent. Ita habetur l.nulli, & l.siquis ad declinandum C. de Episcopis & clericis, & in authentico de Ecclesiasticis titulis, §.siquis autem pro redemptione. Neque hodie necesse est ea, quæ pauperibus relinquuntur erogari hospitali pauperiori, vt habetur l.siquis ad declinandum citata, sed satis est distribui pauperibus arbitrio Episcopi. Lege Couar. cap.cum tibi citato, numero 14. & Anton. Gom.1.tom.var.ref.c.12.nu.48.& ad l.32.Tauri,n.4.& ad l.40.n.49.

Hodie in Regno Castel.l.31.Tauri, quæ est 5.titulo 4.lib.quinto.nouæ collect. institutio hæredis facta ex commissione testatoris valida est, modo testator illi, cui institutionem committit, exprimat nomen eius, quem vult hæredem instituí. Item valida sunt, si ex commissione testatoris fiant melioratio in tertio & quinto, exhęredatio descendentis, substitutio descendentibus vulgaris, pupillaris, & exemplaris, & quęcunque alia substitutio cuiuis alteri facta, necnon designatio tutoris filio, aut cuiuis alteri descendenti, modo peculiariter atque specifice ad hęc commissio à testatore fiat. Aliter autẽ inualida sunt. Quod si is, cui hęc in particulari committuntur, in aliquo excedat, inualidus est excessus. Ius Castel.

11 L.32.Tauri, quæ est 6.nouæ collect. statuitur, quando testator nec per se ipsum hęredem instituit, neque commissario facultatem, modo præcedente lege explicato hęredem instituendi concesit, nec ad alia, quę eadẽ lege cõmemorata sunt, facultatem in particulari tribuit, sed solum concesit illi facultatem condendi sui loco testamentum, posse eiusmodi commissarium soluere debita omnia defuncti, & obsequia famulorum, insumereque quintam partem bonorum remanentium in operibus piis pro anima defuncti: reliquas vero quatuor partes pertinere ad hęredes ab intestato. Quod si eis careat esto habeat vxorem, aut vxor virum, posse distribuere omnia vniuersim bona talis defuncti in operibus piis.

12 Inter alias expositiones capitis, cum tibi, de test. vna eaque doctorum frequentissima erat, eum, qui suam extremam voluntatem alteri committit, idcirco non videri discedere intestatum, quia eo ipso cẽsetur velle, vt omnia bona sua in operibus piis instituantur. Id quod nonnulli, vt ibidem Couarru. refert & sequitur, solum intelligunt verum, quando alterius arbitrio, non vero liberæ voluntati, committitur. Tametsi alij etiam in hoc posteriori euentu ve-

tu verũ existiment. Ius autem Castellæ, moderamine illo vtitur, vt si hæredem habeat ab intestato, qui alter coniux non sit, solum quintum inoperibus piis insumatur. Si vero eo careat, omnia illius bona, quę alioquin ad alterum coniugem, vel in coniugis defectum, ad fiscum, pertinere debebant, in operibus piis insumantur.

13 Septem legibus sequentibus *Tauri, & nouæ collectionis*, explicatur, quousque facultas commissarij perduret, & in defectum illius, ad quem pertineant bona defuncti. Itemque non eandem solemnitatẽ debere interuenire in concessione facultatis, quam defunctus commissario concesserit, quæ necessaria est in testamentis: alioqui facultatem nullam esse, neque vllam facere fidem.

Hoc loco dicendum esset de institutione heredis sub conditione, commodius tamen dicetur cum sermo inferius fuerit de legatis sub conditione. B

SVMMARIVM.

1 *Diuersum est hæredem esse necessarium, & aliquem succedere necessario testatori, velit nolit.*

2 *Quid quando testator legitimos descendentes habens illos hæredes non instituit apposita legitima causa in testamento, & si instituat, sed in minori portione, quam legibus sit debita.*

3 *Hæredes descendentes in quibus portionibus sint necessario instituendi.* C

4 *Hæreditas vniuersa antiquitus in duodecim æquales partes diuidebatur.*

5 *Quæ portio legitima quondam de iure communi descendentibus debebatur.*

6 *Quæ aucta fuerit eadem portio de iure authenticorum.*

7. 8 *Quæ sit legitima portio descendentium de iure Lusitaniæ, quæ de iure Castellæ.*

9 *Quid præter quintum testatoris hæredes habeant.*

10 *Legitima portio de iure communi Lusitaniæ & Castellæ descendentibus debita, quomodo nepotibus & pronepotibus debeatur.*

DESCENDENTES AN NECESSARIO instituendi sint hæredes, & in qua portione.

DISPVTATIO 158.

QVatuor disputationibus præcedentibus dictum * est de hæredum institutione in genere. Tribus sequentibus examinandum est, quinam & in quibus portionibus necessario instituendi sint.

Quo loco obserua aliud esse, quẽpiam hæredem 1 esse necessarium, hoc est, qui si instituatur, velit nolit tenetur esse hæres: aliud vero, quempiam succedere necessario testatori tanquam illius hæredem, velit nolit testator. Prioris generis hodie est solũ mancipium testatoris, quod in recompensationem eius oneris eo ipso, quod hæres est institutus, libertatem testatore defuncto consequitur, vt habetur *in instit. de hæredum qualit.* §. 1. Atque eiusmodi hæres est, qui in E iure dicitur necessarius. Dixi hodie solum mancipium esse hæredem necessarium: quoniam licet quõdam ij hæredes, qui in iure sui nuncupantur, essent etiam necessarii, vt *ibidem* §. *sui autem*, habetur: postea tamen de iure prætorio concessum illis fuit abstinere ab hæreditate, vt *in calce eiusdem*, §. subiungitur. His itaque tribus disputationibus de hæredibus posterioris generis est nobis sermo.

Vt ergo à descendentibus incipiamus, qui ascen- 2 dentibus, & quibuscunque aliis præferendi sunt: vtique quando testator legitimos descendentes habet, nisi illos vel hæredes instituat, vel apposita in testamento legitima causa, eos exhæredet, testamentum (saltem quoad hæredum institutionem) est nullum, vt cum de præteritione & exhæredatione inferius erit sermo, manifestum fiet. Quod si apposita causa illos exhæredet, sed causa postea non probetur, testamentum simili modo quoad hæredum institutionem annullatur. Item, si eos hæredes instituat, sed in minori portione, quam legibus sit eis debita, licet testamentum sit validum, agunt tamen querela inofficiosi testamenti ad incrementum vsque ad legitimam portionem, vt ibidem perspicuum erit.

Vt explicemus in qua legitima portione necessario sint instituendi, permittendum est. Licet quon- 3 dam discrimen esset in successione descendentium tam ab intestato, quam consequenter quoad legitimas portiones, comparatione patris & matris, necnon si descendentes mares essent aut fœminæ, vel sub patria potestate, aut emancipati: hodie tamen, non solum de iure huius Lusitaniæ & Castellæ Regnorum, sed etiam de iure Codicis & authẽticorum sublatam esse eiusmodi omnem differentiam, eodemque modo, & in eisdem legitimis portionibus succedere matri ac patri, & succedere fœminas ac masculos, & emancipatos ac non emancipatos. Ita habetur *in authentico de hæredibus ab intestato, in principio, & in authentica in successione. C. de suis & legitim. & l. penult. & vltim. C. de legiti. hared. atque alia iuribus, quæ* Anton. Gom. *1. tom. var. resol. c. 1. n. 3.* citat.

Illud etiam, vt iura Cæsarea, & antiqui autores 4 intelligantur, est notandum: Hæreditatem vniuersam in duodecim æquales partes consueuisse antiquitus diuidi, quarum singulas vncias vocabant; omnes autem simul, vniuersamve hæreditatem, assem appellabant. Præter vnciam, quæ duodecima pars erat assis, habebant peculiaria nomina, quibus pluralitatem eiusmodi partium significabant. Atq; vnciam cum dimidia, nuncupabant sexcunx, quasi semi vnciam & vnciam. Duas vncias appellabant sextans, quasi sextam assis partem. Tres, quadrans, quasi partem quartam. Quatuor, triens, id est, tertiam partem. Vlterius autem iuxta numerum vnciarum, imponebant nomina. Et quinque vncias, vocabant quincunx: sex, semis: septem septunx: octo, bes: nouem, dodrãs, decem, dextans: vndecim vero, decunx. Ita habetur *inst. de hared. inst.* §. *hæreditas, iuncta Glos. ibi.* D

His notatis, portio legitima quondam de iure cõ- 5 muni descendẽtibus debita solum erat quarta pars *Legitima portio.* bonorum testatoris diuidenda æqualiter inter filios masculos ac fœminas, & in defunctum filiorum inter alios descendentes, vt patet *ex l. Papinianus, §. quoniam. & §. quanta, ff. de inofficio. testam. & ex l. cum quæritur, & leg. parentibus. Cod. eodem titul. & ex §. vltim. instit. eodem tit.* De reliquis vero tribus partibus disponere poterat testator ad libitum, tam per vltimam voluntatem, quam quouis alio modo dum viueret.

Posteà verò de iure authenticorum in hunc mo- 6 dum aucta fuit eadem legitima portio. Vt si testator *De iure authenticorũ.* quatuor, aut pauciores filios haberet, tertia pars bonorum ipsius inter ipsos æqualiter diuideretur: si vero plures essent quam quatuor, diuideretur dimidium bonorum illius. Ita sancitum est *in authentico de triente & semisse, §. 1. & 2. & habetur in authentica nouissima, & in authentica vnde si pater. C. de inofficios. test.*

De iure huius Lusitaniæ Regni legitima portio 7 *Ius Lusit.* descendentium sunt duæ partes bonorũ testatoris, similiter inter eos æqualiter diuidẽdæ. Solum vero de reliqua tertia parte potest testator ad libitum disponere. Ita colligitur *ex lib. 4. ord. tit. 70. & ex aliis eorundem ordinationum locis.*

De iure Regni Castellæ legitima descendentium 8 sunt omnia bona testatoris, præter quintum, de quo *Ius Castel.* disponere potest ad libitum, vel in operibus piis, vel in fauorem extranei, vel quouis alio modo voluerit: cerra tamen, sacrificia & aliæ impensæ funeris, de

eiusmodi quinto extrahi debent, & non de integro aceruo bonorum, vt habetur *l.30. Tauri, quæ est 13. tit. 6. lib. 5. nouæ collectionis.*

Præter quintum, conceditur etiam parentib. tertium reliquarum quatuor partium suorum bonorum, de quo disponere possunt ad libitum inter solos descendentes, poterunt que relinquere illud nepotibus, aut pronepotibus, esto superstites sint parentes aut aui talium nepotum aut pronepotum, filij testatoris. Itaque si bona cuiusque parentis (deducto ære alieno) diuidantur in quindecim partes, solæ octo, quæ remanent detracto tertio & quinto, sunt portio legitima necessario diuidenda æqualiter inter filios, si superstites sint. Etenim tres partes sunt quinta pars omnium quindecim, quæ ante tertium est detrahenda, iuxta *leg. 114. Styli verum calce tituli sexti citati* habetur: quintum namque omnium vniuersim bonorum est de quo omnino libere potest disponere, vel in opera pia ac in subsidium animæ suæ, vel in quodcunque aliud voluerit: deinde vero de quatuor partibus aliis, quæ sunt tertium duodecim remanentium, disponere potest ad libitum, sed solum inter descendentes: quo fit, vt solum remaneant octo partes ex omnibus quindecim, quæ sint legitima portio necessario diuidenda æqualiter inter filios, si superstites sint. Possunt verò parentes disponere inter descendentes de tertio & quinto suorum bonorum vel per vltimam voluntatem, vel contractu aut donatione inter viuos: sed tertium & quintum computanda sunt habita quantitate bonorum, quæ habuerint tempore mortis, non vero alio tempore, in quo de illis disponant. Possunt etiam eligere ac deputare partem suorum bonorum, quam maluerint in tertium & quintum, dummodo valorem tertii & quinti non excedat eamque is, aut ii obtinebũt, quos in eis meliorauerint. Neque liberum est alijs hæredibus soluere in pecunia valorem, nisi quando bona eiusmodi fuerint, vt diuidi nequeant. Possunt præterea imponere tertio & quinto grauamina, quę voluerint restitutionis vel fideicommissi, & vincula, submissiones & substitutiones, quæ voluerint: modo fiant inter descendentes legitimos, & his deficientibus, inter eos descendentes illegitimos, qui hęredes ipsorum esse possint, & his deficientibus inter ascendentes, atque his deficientibus, inter alios consanguineos, quibus etiam deficiẽtibus, inter extraneos: poterunt que parentes prędicta omnia efficere, vel simul, vel seorsim vnus ab alio: Hęc omnia, & alia his similia, habentur *leg. 9. tit. 5. lib. 3. fori & à leg. 17. Tauri, vsque ad 30. quas immunes tituł. 6. citato nouæ collect. à l. 1. vsque ad 13.* Lege *Anton. Gom. ad leg. 17. Tauri, & Molinam 2. lib. de primog. ca. 1. n. 1.*

Illud est animaduertendum legitimam portionẽ de iure communi huius, aut Castellæ Regni, descẽdentibus debitam, nequaquam nepotibus deberi, nisi in defectum suorum parẽtum, quatenus personã illorum repræsentant, & loco eorum succedunt. Eodemque modo nõ deberi pronepotibus, nisi in defectum tam suorum parentum, quam auorũ, quorum personas repræsentant, & quorum vice succedunt. Hinc est, quod si nullus defunctorum filiorũ testatoris sobolem reliquit, portio legitima descendentibus debita diuidenda sit per partes æquales inter solos testatoris filios, qui superstites fuerint tempore mortis talis testatoris, quod est filios illos succedere per capita in tali legitima portione, seu (quod idem est) secundum viriles portiones. Si vero aliquis filiorum testatoris defunctus sit & sobolem reliquit tempore mortis testatoris superstitem toti illi soboli debetur solũ portio, in qua filius testatoris defunctus succederet, si esset superstes: eo q; soboles illa eũ repræsentet, illiusque loco succedat: quod iura vocant succedere, non per capita, sed per stipitem, quã repręsentat. Quod si in sobole illa nulli sint pronepotes testatoris, qui relicti sint ex patre & auo defunctis, portio, quam filius defunctus testatoris obtinere debebat, diuidenda est æqualiter inter ipsius filios, siue illi habeant filios pronepotes testatoris, siue non. Si vero sint in sobole illa pronepotes testatoris, relicti ex patre & auo defunctis tunc si talis auus alios reliquit filios, portio, quam auus ille obtinere debebat, diuidenda est primo æqualiter inter filios talis aui defuncti, & eum, qui sobole relicta mortuus est: deinde ea portio, quam is, qui mortuus est, obtinere debebat, subdiuidenda est per partes æquales inter ipsius filios superstites, pronepotes testatoris. Ita colligitur *ex l. Papinianus §. quoniam. ff. de inofficios. testam. ex §. cum filius inst. de hæreditatibus, quæ ab intestat. & ex alia iuribus*, eritque magis perspicuum cum de successione ab intestato fuerit sermo.

SVMMARIVM.

1 *Testator in defectum descendentium, si ascendentes habeat, tenetur illos hæredes instituere in portione eis debita: quid si in minori constituat.*

2 *Quos ascendentes testator debeat necessario instituere.*

3 *Portio, de iure communi, in qua ex testamento ascendentes erant necessario instituendi, quousque quondam se extendebat, & quousque nunc.*

4 *Quæ portio debita ex testamento ascendentibus de iure Lusitaniæ & Castellæ.*

5 *Ascendentes, de iure communi, quando ab intestato succedere debent in bonis descendentis, & descendens habet patres vtrinque coniunctos, admittuntur illi ad successionem vna cum ascendentibus secundum viriles portiones: in Lusitania vero & Castella soli ascendentes succedunt.*

6 *Descendentes & ascendentes quĩ differant, quoad defuncti repræsentationem.*

7 *An pater habens vsumfructum in aduentitiis filiifamilias, cui ex testamento succedit, illum habeat præcipuum toto tempore vitæ, esto bona talis filii diuidenda sint quoad dominium inter ipsum & matrem, hæredesque matris, post matris mortem remissiue.*

8 *Deficientibus descendentibus & ascendentibus, nullum consanguineorum pertinentium ad lineam transuersalem tenetur testator hæredem instituere, esto habeat fratres.*

9 *Quo in euentu concedatur fratri præterito querela ad rescindendum fratris testamentum, & obtinendam hæreditatem, quam alteri reliquit.*

IN DESCENDENTIVM DEFECTUM an ascendentes sint necessario instituendi hæredes & in qua portione, & quid de fratribus.

DISPVTATIO 159.

IN defectum descendentium testator, si ascendẽtes habeat, tenetur illos instituere hæredes in portione eis debita: alioquin testamentum erit nullum quoad hęredum institutionem: vel, si in minori portione illos instituat, agetur querela inofficiosi testamenti ad incrementum vsque ad integrã legitimã portionem, eo pacto-disparatione præcedente de descendentib. dictu est, vt patebit loco ibidẽ citato.

Ij soli ascendentes qui fuerint testatori proximiores in gradu, sunt necessario instituendi, vt pater & mater, si vterque tempore mortis testatoris viuat. Altero vero eorum defuncto: solus is, qui superstes fuerit. In defectum autem patris ac mãtris, aui, tam ex parte matris, quam patris, sunt necessario instituendi. Quod si ex parte alterius tantum parentum existant aut illi soli sunt instituendi in integra portione. In defectum omnium auorum, proaui sunt instituẽdi: & ita ascendendo, qui proximiores fuerint in gradu, sunt semper præferẽdi cæteris in portione integra

integra. Attamen si aui sint instituendi, aut proaui, eo quod illi sint proximiores in gradu defuncto, tunc si ex parte vnius parētum sint duo aui, aut duo proaui, ex parte vero alterius vnus tantum, portio legitima diuidenda est in duas partes æquales, & vna diuidenda est inter vtrumque auum, aut proauū ex parte vnius parentum: altera vero integra pertinet ad eum, qui solus superstes est ex parte alterius parentis. Hæc omnia hebētur *in authentica defuncto. C. ad Senat. Consult. Tertull. & plenius in authentico de hæredibus ab intestat. §. consequens autem, & §. sequenti.*

3 *Legitima ascendentiū.*

De iure communi, vt notat *Gloss. in authentica nouissima. Cod. de inofficios. testament.* & approbant Doctores communiter, referuntque *Antonius Gomezius, ad leg. sextam Tauri, numero decimoquarto*, portio, in qua ex testamento ascendentes erant necessario instituendi, quondam solum erat quarta pars bonorum testatoris. Postea vero fuit aucta, vt esset tertia pars: etenim, quod augmentum fuit factum in legitima, in qua descendentes succedere debebant ascendentibus, factum censetur in legitima, in qua è contrario ascendentes debent succedere descendentibus: illa autem de iure communi est hodie tertium bonorū testatoris, vt disputatione præcedente ostensum est. De reliquis autem suis bonis disponere possunt descendentes ad libitum, modo de numero eorum sint, qui de eodem iure, iuxta ea quæ disputat. 138. dicta sunt, testari possint.

4 *Ius Lusit. & Castellæ.*

De iure vero Lusitano, vt constat, *quarto lib. ord. titul. septuagesimo quinto §. primo & secundo, & de iure Castellæ. leg. sexta Tauri, quæ est prima titulo octauo, libro quinto, nouæ collect.* portio debita ex testamento ascendentibus sunt duæ partes bonorum testatoris, & solum de tertia reliqua disponere potest testator ad libitum suum.

5 Est verò circa hactenus dicta obseruandum de iure communi, quando ascendentes siue ab intestato siue ex testamento succedere debebant in bonis descendentis, descendensque ille habebat fratres mares aut fœminas, vtrinque coniunctos, hoc est, qui simul ex parte patris & matris essent illius fratres, admitti ad successionem vnà cum ascendentib. secundum viriles portiones, seu per capita, vt habetur *in authentica defuncta. & in authentico citatis.* De iure tamen Lusitano *titu. 75. citato in prin.* & Regni Castellæ, *l. 7. Tauri*, excludi fratres, solosque ascendentes succedere.

6 Obseruandum etiā est, non sicut in linea descendentium, defuncto vno hæredum, descendentes illius repræsentant defunctum, locoq; illius succedunt, ita in linea ascendentium, defuncto patre, verbi gratia, parentes illius repræsentare personā defuncti vt vna cum matre aui paterni succedāt in bonis sui nepotis, sed solam matrem, tanquam proximiorem in gradu succedere in bonis filii sui, vt ex dictis est manifestum.

7 Vtrum autem pater, quando habebat vsumfructum in bonis aduentitiis filiifamilias, cui ex testamento succedit, illum habeat præcipuum toto tempore vitæ suæ, esto bona talis filij diuidenda sint quoad dominium inter ipsum & matrem, hæredesque matris post matris mortem, aut inter quoscunque alios, dicetur commodius dum de successoribus ab intestato fuerit sermo, vbi etiam dicetur, quādo bona, quæ vni coniugum per mortem filii aduenerūt ex altero coniuge, si ad secundas nuptias trāseat, regrediantur per mortem ipsius ad filios prioris matrimonij.

8 Deficientibus descendentibus & ascendentibus, nullum consanguineorum pertinētium ad lineam transuersalem tenetur testator hæredem instituere: quare, esto habeat fratres, præterire illos poterit: ac instituere hæredem, quem voluerit. Ita habetur *inst. de inoffic. test. in princ. vers. soror autem. l. fratres. C. eo-*

A *dem tit. l. 2. tit. 8. par. 6. & lib. 4. ord. huius reg. titul. 74. in princip.*

Nihilominus in quodam euentu conceditur fratri præterito querela ad rescindendum testamentū fratris, & obtinendam hæreditatem quam alteri reliquit. Nempe quando defunctus hæredem sibi instituit personam aliquam infamem, siue iuris infamia siue facti: vt si institutus hæres, inter probos, reputaretur vilis & prauorum morum, vt si esset ebriosus, aut ludo dilapidaret, aut simili alio vitio deditus. Excipitur, nisi frater præteritus laboraret etiam infamia, aut defuncto fuisset ingratus, mortem illius via aliqua curando aut actionem aduersus illum fine debita causa intentando, vel illi curasset amissionem omnium, aut maioris partis bonorum. In his namque euentibus etiamsi hęres institutus infamis esset, nō concederetur tali fratri querela inofficiosi testamenti. Ita habetur *4. lib. ord. Lusitanarum titul. 74. l. 2. tit. 8. part. 6. inst. de inofficios. test. ver. soror autem citato, & l. fratrū, ac l. fratres. C. de inofic. testam.* Quibus in iuribus ad id etiā vlterius requiritur, vt, qui ita agere debet querela inofficiosi testamenti, sit frater vtrinque coniunctus, aut saltem consanguineus, id est, coniunctus ex parte patris: si namque solum sit vterinus, coniunctus solum ex parte matris, non conceditur ei talis actio. Atque eodem pacto intelligendæ sunt ordinationes Lusitaniæ *loco citato, & l. Castellæ citata*, licet id non exprimant: filius autem fratris, consobrinus testatoris mouere non posset eiusmodi querelam loco patris sui defuncti: quia non consobrino præterito, sed patri ea actio conceditur. Si seruus testatoris (qui hæres est illius necessarius) institutus esset hæres, non posset aduersus eum agi querela inofficiosi testamenti, vt habetur *l. fratres, Cod. de inofficios. testam. & leg. 3. tit. 8. par. 6* Lege, si placet, Anton. Gom. *1. tom. var. resol. cap. 11. a nu. 37.* vbi etiam explicat quis infamis sit censendus infamia facti.

B

C

D

SVMMARIVM.

1 *Patronus & libertus qui dicantur.*
2 *Libertus si, filios habens, ab intestato discedat liberi soli succedunt, si vero testamentum condat, nil tenetur relinquere patrono.*
3 *Libertus carens liberis, si ab intestato discedat, succedit ei patronus in omnibus bonis: si vero testamentum conficiat quid teneatur illi relinquere.*
4 *Quando teneatur libertus relinquere patrono tertium suorum bonorum.*
5 *Si vir & vxor aliquē manumittant, vter sit patronus.*

QVOVSQVE LIBERTVS INSTITUERE teneatur suum patronum hæredem, & vniuersim de successione patroni in bona liberti.

DISPVTATIO 160.

E PAtronus in re proposita dicitur, tum is, qui liberaliter, hoc est, absque pretio & recompensatione, libertatem concesserit, esto grauamen aliquod imposuerit: tum etiam is, qui in tali iure primo concedenti libertatem postea succedit. Libertus vero dicitur is cui ita libertas est donata. 1 *Patronus quis. Libertus quis.*

Si libertus, aut liberta, liberos habeat, hoc est, descendentes legitimos aut naturales, qui, iuxta ea quę in sequentibus dicēda sunt, illi necessario succedāt, vtique, si ab intestato discedat, liberi soli illi succedunt: si vero condat testamentum, nihil tenetur relinquere patrono. 2

Quod si libertus, aut libera, liberos non habeat, tunc, si discedat ab intestato, succedit ei patronus in omnibus bonis. Si vero condat testamētum, habe- 3

atque in bonis minus quam centum aureos, nihil A teneatur relinquere patrono: si autem habeat cētum, aut plus quam centum aureos, tenetur relinquere patrono tertium suorum bonorum. Quod si id non præstet, conceditur patrono actio ad illud obtinendum.

4 Obserua, iuxta *leg. Papiam*, cuius sit mentio *instit. de successione libertorum. §. sed nostra* libertum tunc solum debuisse relinquere patrono tertium suorum bonorum, quando habebat in bonis centum mille sextertios, id est, vnquento de maruedis castellanos, aut de reais Lusitanos: sextertius namq; valoris erat decem reais, seu maruedis. At vero §. *citatus* (non quidem interpretando, sed mutando ac innouando in hunc modum habet. *Summam legis Papiæ interpretari sumus, vt pro mille sextertiis vnus aureus computetur.* Quare post §. illū qui libertus habuerit valorem centum aureorum: relinquere tenetur patrono tertium suorum bonorum. Quod autem §. citatus minuere intenderit summam lege Papiæ constitutam, probat sufficienter, affirmatque cum multis aliis *Couar. in opusculo de moneta, ca. 3. §. 2. numero 6.* Obserua tamen, aureum, de quo in §. *sed nostra*, est sermo, non esse valoris vndecim argenteorum regalium, vt est aureus in Regno Castellæ: sed quatuordecim, & nouem maruedinorum, *vt numero 6. citato. & §. antecedente Couarru.* satis ostendit. Quare, nisi consuetudo in hoc Lusitaniæ Regno iam obtinuit, vt centum illi aurei essent quadringentorum reais, intelligendi sunt valoris quatuordecim regalium argēteorum, & nouē maruedinorum. Quod ad Regnum Castellæ attinet, nomine eiusmodi nūmorum, in donationibus, quæ insinuatione indigēt aut non indigent, intelliguntur nummi ipsi, de quibus iure Cæsareo est sermo: concertatioque inter Doctores est, cuius valoris hodie æstimandi sunt. Et Caspar Monterroso *in sua pract. tractat. 7. fol. 117.* refert sententiam latam in Pinciano prætorio qua pronunciatum fuit, singulos solidos æstimandos esse pretio quingentorum maruedinorum. Nos vero *infra disputat. 278.* rem late examinamus, & ni fallimur, efficaciter ostendimus æstimandos esse hodie, quoties in iure de eis est sermo pretio quadringentorum octaginta quinque maruedinorū, hoc est, quatuordecim regalium & nouem maruedinorum: neque illi sententiæ est standum, idemq; D hoc loco existimamus. Aureus enim de quo in iure sermo est in re proposita, idem est cum solido, de quo in donationibus mentio fit.

Si vir & vxor aliquem aut aliquam manumittāt, vterque est patronus comparatione talis manumissi. Eis vero defunctis, ius patroni transit ad descendentes, & in eorum defectum ad ascendētes, in quorum defectum transit ad consanguineos trāsuersales vsque ad quintum gradum. Semper autem, qui proximiores fuerint defuncto in gradu, succedunt in bonis libertorum, non per stipites, sed per capita, exclusis remotioribus in gradu. Fas autem est patronis assignare liberto vnum filiorum aut filiarū, vel nepotum, qui solus patronus sit talis liberti: & tunc, interim dum, quia assignatus fuerit, vixerit, ipse solus succedit in bonis liberti.

Hactenus dicta tota hac disputatione habentur *in ff. de success. libert. §. sed nostra. & §. multis.* Item *inst. de assignatione liber. per totum.* Præter alios lege, si placet, *Syl. verb. manumiss. 6.* præsertim *quæst. 6.*

SVMMARIVM.

1 *Quot lineæ consanguinitatis distinguuntur.*
2 *In lineis descendentium & ascendentium quod discrimen sit.*
3 *Ius canonicum quomodo gradus computet.*
4 *Iure canonico quomodo discernatur in quo gradu cōsanguinitatis sint quicunque collaterales inter se.*
5 *Quod alter collateralis sit proximior trunco, hinc efficitur difficiliorem esse dispensationem.*
6 *Ciuile ius quomodo gradus computet.*
7 *Computandi modus iuris canonici & ciuilis à quibus tradatur.*

CONSANGVINITATIS GRADVS quanam ratione tam ciuil. quam canonico iure sint computandi.

DISPVTATIO 161.

QVamuis disputari nunc poterat de præteritione, exhæredatione, & inofficioso testamento, ne tamen materiam successionis interrumpamus, commodius id fiet, si dixerimus prius de successione ab intestato, nec non de illegitimorum successione, & quibusdam aliis, quæ cum his successionibus sunt coniuncta. Operæpretium tamen erit præmittamus, qua ratione consanguinitatis gradus sint computandi.

Tres lineæ distinguuntur consanguinitatis, descendentium videlicet, ascendentium, & collateralium. 1

Et quidem in lineis descendentium, & ascendentium, nullum est discrimen in modo computationis inter ius ciuile & canonicum, nihilque in eis lineis est difficultatis. Filij namque distant à parentib. primo gradu nepotes ab auis secundo gradu: pronepotes à proauis tertio, abnepotes ab auis quarto, & ita consequenter. Et in quo gradu distat descendens ab ascendente, in eodem distat ascendens à descendente. 2

In linea vero collateralium, discrimen est in modo computandi gradus inter ius canonicum & ciuile. Ius namque canonicum in ordine ad matrimonia fratres, qui in patre tanquam in trunco coniunguntur, censet esse in primo gradu: filios fratrum, quinepotes sunt comparatione trunci, & quos primos hermanos appellamus, censet esse in secundo gradu: pronepotes ex diuersis patribus & auis, qui in proauo tanquam in trunco coniunguntur quosque primos segundos vocamus censet esse in tertio gradu: abnepotes ex diuersis patribus auis, & proauis, qui in abauis coniunguntur, & quos primos terceros vocamus, censent esse in quarto gradu, & ita consequenter. 3 *Ius canonicum quomodo gradus computet.*

Ad discernendum vero, in quo gradu consanguinitatis iure canonico sint quicunque collaterales inter se, hæc regula traditur. Ascendendum est vsque ad truncum in quo illi coniunguntur, sumendusq; est, qui plus à trunco distat, atque in quo gradu is in linea descendentium distat à trunco, in eodem distant collaterales inter se. Verbi gratia, nepos, qui distat in secundo gradu ab auo, in eodem distat ab altero nepote filio patrui sui aut amitæ, secumque primo hermano, & in eodem distat à patruo & ab amita, esto illi à trunco distent solum vno gradu. Pronepos, quia distat tertio gradu à proauo, distat etiam tertio gradu ab alio pronepote ex diuerso patre & auo progenito: & eodem tertio gradu distat à patre & auo illius, esto pater ille distet secundo gradu à trunco atq; auus ille, qui patruus magnus est cō E paratione alterius pronepotis, i. tio frater sui aui, distet vno tantum gradu à trunco. Deniq;, quia abnepos distat quarto gradu ab abauo, distat etiam quarto gradu ab altero abnepote sato ex diuerso patre, auo & proauo: & eodem quarto gradu distat à patre, auo, & proauo talis abnepotis. Trinepos vero: seu trineptis, quia distat quinto gradu à tritauo, quinto etiā gradu distat ab altero trinepote genito ex patre, auo proauo, & abauo, diuersis, & ab eiusmodi omnibus ascendentibus. Quare quia, licet prohibita quondam essent matrimonia inter consanguineos vsque ad septimū gradum, hodie solum sunt prohibita 4 *Iure canonico quomodo discernatur in quo gradu cōsanguinitatis sint quicunque collaterales inter se.*

hibita vsque ad quartum gradū, talis trineptis, sine A vlla dispensatione, nubere potest cum trinepote illo, & cum illius ascendentibus, quia omnes sunt extra quartum gradum.

Illud tamen est aduertendum, quamuis collaterales eo gradu distent inter se, quo eorum remotior distat à trunco: nihilominus, alterum collateralem proximiorem esse trunco, efficere difficiliorē dispensationem in eo gradu, eaque de causa id esse exprimendum in dispensationibus obtinendis, vt validæ sint: nempe vtrum comparatione trunci sint in quarto & tertio gradu in simul, vt vocant: vel in tertio & secundo, aut in alio proximiori. Quia etiam difficilior est dispensatio, quando fœmina proximior est trunco, quam quando est vir: eo quod cū sit ita comparatione viri, vir ea de causa debeat eā reuereri, & illa è contrario, cum sit vxor, suspicere B debeat virum: id quoque in portione dispēsationis est necessario exprimendum. Exprimendum quoque est, si duplici ex capite sint consanguinei, nempe ex parte patris & matris, aut etiam simul sint affines & in quo gradu vtrinque se attingant. Hæc obiter, quod ad dispensationes attinet, sint extra suum prōprium locum dicta.

6 *Ciuile ius quo modo gradus computet.*

Ius vero ciuile, ad hæreditates iure sanguinis obtinendas, merito aliter computat gradus consanguinitatis, qui bus collaterales distant inter se. Gradibus namque, quibus vnus collateralium distat, à trunco, addit gradus, quibus alter distat ab eodē trunco, in quo coniūguntur. Hinc est, quod cū fra- C tres iure canonico sint primo consanguinitatis gradu, iure ciuili sint in secundo: quia vnus gradus est vnius illorum fratrum cum trunco, alter vero alterius eorum cum eodē trunco. Filii vero duorū fratrum, qui iure canonico sunt in secundo gradu iure ciuili sunt in quarto: quia duo gradus sunt cuiusuis illorum comparatione aui, in quo coniunguntur, & totidem sunt alterius. Vnusquisque vero eorum est in tertio gradu cum patruo suo: quia ipsius ad auum sunt duo gradus, patrui autem ad eundem auū est vnus tantum gradus, qui simul computati sunt tres gradus. Similiter pronepotes, ex diuersis patribus & auis, sunt in sexto gradu iure ciuili. At vnusquisque eorum cum patre alterius est in quinto gradu: quia ipsius ad proauum sunt tres gradus, patris vero alterius ad eundem proauum, sunt tantum duo gra- D dus. Cum auo autem alterius, patruo suo magno, est in quarto gradu; quoniam ipsius ad proauum sunt tres gradus, patrui vero magni vnus tantum gradus. Eodem modo abnepotes ex diuersis patribus, auis & proauis, iure ciuili sunt in octauo gradu: vnusquisque vero eorum cum patre alterius est in septimo, cum auo in sexto, & cum proauo in quinto. Trinepotes autem sunt in decimo, & vnusquisque eorū cū patre alterius in nono, cum auo in octauo, cum proauo in septimo, & cum abauo in sexto. Quo fit, vt iure ciuili non detur primus gradus in linea collaterali, sed solum in linea ascendentium & descendentium.

7 Vterque computandi modus, tam iure canonico, quam ciuili, traditur ab Alexand. II. *capit. ad sedem, 35. quæstion. 5.* & à Ioanne Andrea, *in arbore & ex positione illius capitis*, quæ habentur in calce illius distinctionis, de qua re, inter alios, Couar. *in Epitom. part. 2. cap. 6. §. 6.* Modus computandi iure ciuili habetur *institut. de gradibus, per totum, & aliis iuribus.*

SVMMARIVM.

1 *Quis ab intestato discedere censeatur.*
2 *An discedentis intestati hæredes succedant in omnibus bonis illius.*
3 *Qui bonis ab intestato decedentis succedant.*

QVIS DICENDVS SIT DISCEDERE intestatus, & de successione ab intestato descendentium.

DISPVTATIO 162.

AB intestato discedere censetur in primis, qui testamentum non condidit. Quamuis, si idcirco non condidit, quia de iure non potuit, vt pupillus, dicatur late sumpto vocabulo discedere intestatus: quod ad rem tamen præsentem attinet, nihil refert, an eo etiam modo ab intestato discedat. Deinde, qui condidit testamentum nullum. Quod si aliquādo in foro tantum exteriori, iuxta ea quæ in superioribus dicta sunt, nullum sit, in solo eo foro cēsebitur discedere ab intestato: secus autē in conscientiæ foro. Tertio, quando licet conditum fuerit validum, nullum postea factum est, vel quia illud reuocauit testator, vel quia natus est illi postea filius omnino in eo præteritus, vel arrogatione & adoptione alicuius in filium, vel delicto testatoris. Item quādo ex testamento in se valido nullus extitit hæres, vel quia hæres mortuus est ante testatorem, vel repudiauit hæreditatem, vel institutus fuit sub conditione, quæ non fuit impleta. Ita habetur, *inst. de hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur, in principio, & quib. mod. testamenta infirmentur, per totum.* 1

Quando quis ab intestato discedit, hæredes illius succedunt in omnibus bonis eius, deducto ære alieno, & facta competenti impensa funeris. Nisi quā do testamentum solum est nullum, quoad hæredis aut hæredum institutionem, & validum quoad legata: nam tunc hæredes ab intestato succedunt in omnibus bonis defuncti, deductis legatis validis. 2

Hodie etiam de iure communi codicis & authēticorum, vt disp. 158. ostensum est, siue qui ab intestato discedit mas sit siue fœmina, si descendentes legitimos habeat, illi soli ei succedunt, siue mares sint siue fœminæ, & siue emancipati sint, siue non, excludūtque omnes alios propinquos, etiamsi ascendētes sint. At vero filii succedunt tali defuncto, idque per capita, seu in portiones æquales. Nepotes vero, si sint alicuius filij defuncti, aut pronepotes, si sint ex filio & nepote defuncti, succedunt per stipitem vna cum patruis suis, loco talium filiorum, aut nepotū defunctorum, eo pacto quo disput. 157. explicatum est. Hæc omnia habentur *in authentica de hæredib. ab intest. §. 1. in authentica in successione, Codice de suis & legit. hæredib. & l. 3. tit. 13. par. 6.* consentiunt ordinationes huius regni, *libro quarto titulo septuagesimo septimo in principio.* Lege inter alios *Antonium. Gom. primo tomo variarum resolutionum capite primo à num. 1. & rursus à nu. 8. & 12.* 3

SVMMARIVM.

1 *Defuncto ab intestato non habente descendentes, qui illi succedant, ei succedunt in omnibus bonis ascendentes: de iure Lusitano & Castellæ ipsi soli succedunt etiō defunctus habeat fratres vtrinque coniunctos: de iure vero communi vna cum fratribus vtrinque coniunctis.*
2 *An de iure communi posthumus totus vinus natus, sit legitimus hæres patri.*
3 *Quid ius Castellæ postulet vt posthumus censeatur hæres.*
4 *Bona quæ descendenti ab intestato sine liberis aduenerunt ex parte patris, ad quos pertineant.*
5 *Refertur contraria quorundam sententia.*
6 *Quid quando mater ad secundas nuptias transiens exiit filio hæres ex priori matrimonio ab intestato in aliquibus bonis, quæ illi ex patre aduenerant.*

7 *Hæredibus existentibus filio, si is erat in potestate patris aut de iure communi aui paterni, esto bona sint inter parentes dividenda, vsusfructus tamen eorum pertinere ad patrem aut auum, cuius erat, toto tempore, quo is vixerit.*

8 *An pater & mater in successione filii admittantur quo ad vsumfructum æque quoad proprietatem.*

9 *Authoris sententia refertur.*

10 *An filius matrimonium per verba de præsenti contrahens eo ipso egrediatur potestatem patris, & pertineat ad ipsum vsusfructus bonorum suorũ adueritiorum.*

11 *An id in regno Castellæ, annullatis matrimoniis clandestinis quæ coram parocho non fiant, locum habeat.*

12 *An liceat filio, de iure Castellæ, pubertatis annos excedenti de tertia parte bonorum testari.*

13 *Quando filius defunctus, de iure communi, habet fratres vtrinque coniunctos, & illi defuncto succedunt cum ascendentibus, an pater habeat vsumfructum in portione quæ filios contigerit.*

DE SVCCESSIONE ASCENDENTIVM ab intestato.

DISPVTATIO 103.

DEfuncto ab intestato non habente descendẽtes, qui illi succedant, ei succedunt in omnibus suis bonis ascendentes, eo prorsus modo, quo disputatione 158. explicatum est, succedere ex testamento in portionibus in quibus necessario à tali descendẽte sunt instituendi. De iure quidem Lusitano & Castellæ succedunt ipsi soli, esto defuncti habeat fratres vtrinque coniunctos: de iure vero communi succedunt vna cum fratribus vtrinque coniunctis, vt ibi explicatum est. Ita habetur in *authentica de hæredibus ab intestato, §. consequens & §. sequenti, & in authentica defuncto. C. ad senat. consult. Trebellian. & libro 4. ord. Lusitanarum, titulo 75. in princip. & 76. in princip. & l. sexta & septima Tauri*, quæ sunt 1. & 4. tit. 8. lib. 5. *nouæ collect.*

1 *Ius Lusit. & Castellæ.*

Obserua de iure communi, *l. 2. & 3. C. de posth. hæredib. instituend.* si posthumus nascatur totus viuus, nec sit monstrum, etiamsi continuo natus in obstetricis manibus moriatur, esse hæredem legitimum patri, aut etiam matri, si ex eodem partu ipsa continuo etiam obierit: imo etiamsi post mortem matris, sciſſo ventre, viuus egrediatur, est legitimus hæres, vt habetur, *l. quod dicitur, ff. de liber. & posth.* Quin & rumpit testamentum parentum, si in eo fuit prætermissus, vt eisdem iuribus & aliis habetur. In hoc ergo euentu, si alter parens superstes sit, ei succedit in omnibus bonis, cuius talis posthumus antequam moreretur fuit hæres: parentibus vero deficientibus succedunt aui deficientibus vero ascendentibus, succedunt ei propinqui collaterales.

2 *Ius cõmune.*

De iure tamen Castellæ, *l. 3. Tauri. quæ est 2. tit. 8. lib. 5. nouæ coll.* vt talis filius hæres sit, atque adeo vt parens superstes, aut alii ascendentes vel collaterales illi succedant, necesse est, vt non solum viuus totus nascatur, monstrumque non sit, sed etiam, vt viginti quatuor horas viuat à puncto egressus ex vtero materno, & insuper vt baptizetur: alioqui hæres non censetur. Quod si propter absentiam mariti, aut quia natus est in mense in quo, si esset mariti non posset naturaliter viuere, suspectus sit: tunc non censetur filius mariti, sed spurius, eáque de causa non reputatur hæres, esto viginti quatuor integras horas post egressũ de vtero materno viuat. Lege *Ant. Gom. ad eandem l. 3. Tauri, & 1. tom. variar. reputat. c. 1. n. 7.*

3 *Ius Castel.*

Obserua deinde, B *Bartolum in auth. itaque C. communia de succes. inter. auth. quod scitis, C. de bonis quæ liber.* in ea esse sententia vt dicat, bona quæ descendẽti ab intestato sine liberis aduenerũt ex parte patris, aut patris causa, pertinere ad solũ patrẽ, aut ad alios ascendentes ex parte patris: nõ vero ad matrẽ, aut ad ascendentes ex parte matris: eodemq; modo bona, quę eidẽ aduenerũt ex parte matris, aut matris causa pertinere ad solã matrẽ, aut ad ascendentes ex parte matris. Atque hæc sententia fertur vsu esse recepta in Gallia: fuitque quondam sancita in regno Castellæ *l. 10. tit. 6. lib. 3. fori.* A

Contrariam sententiam amplectũtur Bal. & multi alij, nempe quæcunque bona ita decedentis ab intestato æque esse diuidenda inter patrẽ & matrẽ, & inter alios ascendentes paternos & maternos: quoniam id sonant aperte iura authenticorum postea sancita. Neque aliud videtur disposítum *l. quod scitis tit. ata*: quin potius in ea dicitur, bona ex parte matris pertinere ad patrem superstitem quoad dominium, ad auum vero paternum, in cuius potestate erat nepos ab intestato decedẽs, quoad vsumfructũ, iuxta dispositionem iuris communis. Eandem Baldi sententiam statuit *l. 4. tit. 13. part. 6.* Eadem sentẽtia sancita est hodie in hoc Lusitaniæ regno, *libr. 4. ord. tit. 75. a §. 3.* & in Regno Castellæ, *l. 6. Tauri*: in qua tamen excipitur, quod si in aliqua ciuitate aut oppido eius regni consuetudine viget *Barrol. opinio. l. 10. fori sancita*, stetur tali consuetudini. Ea vero cõsuetudo seruatur in hac ciuitate Conchensi, in quà nati sumus. In dictis tota hac disputatione consentit *Couar. in Epitome de successionib. ab intestato. à n. 1. vsque ad 6. Lege etiam Syluest. verb. hæred 1. n. 3. 4. & 5.* B

Tertio obserua, nihilominus, si mater transeat ad secundas nuptias, & vel antequã tranſiret, vel postea, hæres extitit alicui filio aut filiæ ex priori matrimonio ab intestato in aliquibus bonis, quæ tali filio aduenerunt ex patre, aut auis paternis: tunc si talis filius aut filia tempore mortis matris superstitem habeat fratrem aut fratres ex priori matrimonio, mater habebit solum vsumfructum eorum bonorum toto tempore quo vixerit, neq; poterit ea alienare, aut quouis modo obligare, sed integra reuertẽtur ad filios superstites prioris matrimonii. Quod si tempore mortis matris nulli sint superstites filii prioris matrimonii, tunc, esto superstites sint nepotes, bona illa pertinent integre ad matrem atque ad hæredes matris. Si tamen, vna cum filio aliquo aut filijs prioris matrimonij superstites sint nepotes filii alicuius fratris ex priori matrimonio, iam defuncti, tunc nepotes illi admittuntur ad successionem per stipitem vna cum illis aliis filijs. Quod dictum est de matre transeunte ad secundas nuptias, est intelligendum similiter de patre, quoad bona ex parte matris aut auorum ex parte matris, in quibus hæres ab intestato extitisset filio aut filiæ ex priori matrimonio, vt statuitur *l. 5. Tauri*, quæ est *4. tit. 1. libr. 5. nouæ collect.* & in hoc Lusitaniæ regno loco statim citando. Est tamen hoc discrimẽ inter patrem & matrẽ, quod si eiusmodi bona essent mobilia, pater nõ teneretur præstare cautionẽ, quod ea bona restituet, mater vero teneretur cautionẽ præstare. Ita habetur *4. lib. Lusitanarum ord. tit. 75. à §. 3.* Consentiunt *l. fœminæ, §. vlt. & authentica ibi subiunctæ, C. de sec. nupt.* Atque *in auth. liberum quæ est 2. ibi subiunct.* statuitur, vt eiusmodi bona æqualiter diuidantur inter liberos prioris matrimonij: cum tamen, *§. citato* facta esset potestas matri inæqualiter ea diuidendi. Si tamen filio aut filiæ defunctis testari licuit, atque ex testamento parenti superstiti ex priori matrimonio bona sua reliquerunt, tunc integre pertinent ad eum, non secus ac si quiuis extraneus ea bona illi reliquisset. Ita habetur *in authent. ex testamento, Cod. de sec. nupt.* approbata in Lusitanis ord. *§. 3. citato.* Lege circa hactenus dicta *Antonium Gomez tom. ad leg. 13. Tauri.* Quo loco admoneo, dispositiones has de iure, non solum Codicis, sed etiam authenticorum, nempe quod bona filii defuncti ab intestato, quæ acquisiuit ex parente defuncto, pertineant, ad parentem superstitem, & quod, si tranſi-

si transeat ad sec. nuptias, & superstites sint fratres defuncti ex priori matrimonio, regrediantur solum post mortem parentis quoad proprietatem ad fratres illos, expugnare omnino Bartoli opinionem, nempe quod regrediantur statim post mortem talis filij, non ad parentem superstitem, sed ad ascendentes aut alios hæredes coniugis defuncti.

7 Quarto obserue, quamuis discedenti ab intestato sine liberis succedant ascendentes, modo hac, & disputatio. 138. explicato, aut simul etiã de iure cõmuni fratres defuncti vtrinque coniuncti: nihilominus, si de iure huius aut Castellæ Regnorum talis filius erat in potestate patris, ad patremque pertinebat vsusfructus bonorum aduentitiorum filij illius, aut de iure communi erat in potestate aui paterni superstitis, ad eumque proinde pertinebat vsusfructus eorundem bonorum: tunc esto alij ascẽdentes simul succedant in bonis illis quoad proprietatem cũ patre, aut auo habente vsumfructum, vsusfructus tamen illi remanet ipsi præcipuus post mortem talis filij toto tempore quo ipse superuixerit. Ita habetur *l. vlt. versic. vlt. C. communia de successionibus. l. 3. §. vltim. l. 4. versic. parentibus l. vlt. §. filiis, C. de bonis quæ liber. l. vlt. & l. 3. C. de vsufruct. & in auth. de hæredibus instit.* §. 1. illis verbis. *Licet enim defunctus sub alterius potestate fuerit tamen eius filij, cuiuslibet sexus aut gradus sint, etiam ipsis parentibus præponi* (quoad successionem videl.) *præcipimus, quorum sub potestate fuerit, qui defunctus est: in illis videlicet rebus, quæ secundum nostras alias leges parentibus non acquiruntur: nam vsu* (fructu videlicet, vt glosi libi exponit) *qui debet acquiri, aut seruari nostras de his omnibus leges parentibus custodimus.* Hæc ibi. Et sermo est de legibus paulo ante à nobis citatis. Consentiunt *Anton. Gomez. ad l. 6. Tauri, num. 11 Molina lib. 2. de primog. c. 9. num. 22. Pinel. ad l. 1. C. de bonis matern. parte 1. n. 44. Conar. c. quia nos. de testa. n. 2. Nauar. c. non licatis. nu. 87.* & alij quos citant. Hæc enim ratione, vt disp. 138. retulimus, cẽsent, vsumfructum, quem ante susceptos ordines sacros pater habebat in bonis aduentitiis eius filij, qui eos suscepit, non expirare vsque ad mortem patris. Eadem etiam ratione disputat. 140. dicebamus cum *Gregor. Lopez ad l. 5. tit. vl. 17. part. 4. Aries Pinello lo. 6 citato, num. 45.* & aliis quos referunt, patrem per professionem filij non amittere vsumfructum ante eandem professionem in bonis illius comparatum, idque esto talis filius iam professus moriatur ante patrem, sed perseuerare toto tempore vitæ patris.

8 Hinc constat, quod quamuis in successione filiifamilias pater & mater superstites æque admittantur quoad proprietatem, non tamen admitti quoad vsumfructum, si pater in aliquibus illius bonis eum habebat: quia in eo præfertur pater vsque ad suum obitum vnde *l. vlt. vers. vlt. C. ad Tertull.* sic scriptum legitur. *Si vero, defuncta persona, in sacris* (id est, in potestate) *patris constituta discesserit pater quidem vsumfructum, quem & viuente filio habebat; tentat, donec viuat, incorruptum.*

9 Dicerem tamen, in hoc & similibus euentibus, si quæ alia essent bona talis filij defuncti, in quibus pater non haberet vsumfructum, vt quia castrensia vel quasi castrensia, vel aliqua alia ratione, patrem debere assumere in suam partem bona in quibus habet vsumfructum, & etiam disp. 138. dicebamus. Quod de patre & matre dictum est, locum haberet de iure communi in auo paterno, & aliis auis, qui succederent tali filio mortuis patre & matre, itemq; quando auus paternus superstes est vna cum patre & matre filiifamilias defuncti: licet enim pater & mater succedant in bonis talis filij quoad proprietatem: vsusfructus tamen pertinebit ad auum paternum, & cum ipso vsque ad mortem suam perseuerabit, vt habetur *l. 3. C. de bonis quæ liber.*

10 Admonet tamen *Anton. Gomez, vbi supra*, quod cum, iuxta *l. 48. Tauri*, filius eo ipso, quod matrimonium per verba de præsenti contrahit, non egrediatur potestatem patris, neque ad ipsum pertineat vsusfructus suorum bonorum aduentitiorum, nisi simul, more regni Castellæ, sit velatus, si talis filius post contractum matrimonium per verba de præsenti generaret, & antequam velaretur, moreretur, vtique perseueraret apud patrem vsusfructus, & nepos, ex tali filio defuncto, esset sub aui potestate, vsusfructusque bonorum illius pertineret ad auũ: vnde si nepos ille moreretur, licet mater succederet in bonis illius quoad proprietatem, vsusfructus tamen eorum bonorum perseueraret apud auum toto tempore, quo talis auus viueret.

11 Verum autem in eo regno id etiam hodie post Concilium Tridentinum, annullatis matrimoniis clandestinis, quæ coram parocho non fiunt, locum habeat, cum ab eo regno distem, ignoro: standumque erit consuetudini. Credo tamen locum habere, quoniam post concilium similiter prius celebrant matrimonium, & postea velantur.

12 *Anton. Gomez ad l. 6. Tauri à num. 13.* disputat, num à regula hactenus tot iuribus & communi doctorum sententia confirmata, nempe vsumfructum bonorum aduẽtitiorum filiifamiliasdefuncti perseuerare apud patrem toto tempore, quo pater superuixerit, excipienda sit tertia bonorum de qua filiofamilias, si puberbitatis annos excedat, permittitur in regno Castellæ testari, an non: sed, si vel illam relinquat extraneo, vt ad legata pia pro anima sua, expectanda sit mors patris, vt voluntas talis filij ea in parte impleatur. Partem affirmantem amplectitur ibi Antonius Gomez. Nos vero cum Bald. Molina, Aries Pinel. & aliis, quos tam ij autores, quam Antonius ipse Gomezius refert. disputatione 138. contrarium affirmauimus. Neque sane sufficienter probat id iure regni Castellæ esse exceptum ab vniuersalibus illis iuribus. sed solum æquum esse si exciperetur.

13 De iure tamen communi à regula tradita excipitur, quando de eodem communi iure filius defunctus habet fratres vtrinque coniunctos, & illi defuncto succedunt cum ascẽdentibus: tunc enim in portione, quæ filios contigerit, etiamsi illi filiifamilias sint, non habet pater vsumfructum. Ita sancitum fuit *in authent. de hæredibus ab intestat. §. si vero cum adolescentibus*, & habetur *in authen. item hæreditas. C. de bonis quæ liber.* Forte tamen ibi non est sermo de bonis aduentitiis filij defuncti, quorum pater iam habebat vsumfructum, quasi pater vsumfructum iam acquisitum amittat, sed de vsufructu, quem de nouo pater acquirere debebat in portionibus suorum filiorum fratrum defuncti, eo quod filij ipsius essent familias: licet enim pater in portionibus illis dum erant defuncti, vsumfructum non habuisset, vt si essent bona castrensia aut quasi castrensia talis filij aut aliqua alia ratione, vsusfructus eorum ad eum non pertineret: eo tamen ipso, quod ad fratres hereditario iure transibant, erant aduentitia comparatione eorum, atque adeo vsusfructus eorum ad patrem pertinebat. Atque hic videtur esse vsusfructus de quo ibi est sermo. Sic enim habet textus. *Dividend. inter eos hæreditate secundum personarum numerum, vti ascendentium & fratrum singuli æqualem habeant portionem. nullum vsum* (fructum videlicet) *ex filiorum aut filiarum portione in hoc casu valente patre sibi penitus vendicare.* Ecce de vsufructu acquirendo, & vendicando in portionibus filiorum videtur esse sermo: non vero de vsufructu quæsito iam antea in bonis defuncti, quasi illud amittat. Hoc tamen iurisperitis definiendum relinquo.

(?)

SVMMARIVM.

1 *Defuncto alicui ab inteſtato deſcendentes non habenti quinam ſuccedant?*
2 *Quando defunctus habet fratres vtrinque coniunctos an illi ſoli ei ſuccedant, & quos à participatione hæreditatis excludant.*
3 *Si adſint filij fratris vtrinque coniuncti iam defuncti, quomodo ſuccedant.*
4 *Exiſtentibus filiis fratris vtrinq; coniuncti iam defuncti, & non exiſtentibus fratribus vtrinque coniunctis ei, qui ab inteſtato diſcedit, quinam ſuccedant, & quos excludant.*
5 *Deficientibus tam fratribus vtrinque coniunctis, quam ipſorum filiis, & exiſtentibus fratribus ex altera tantum parte coniunctis, illi ſuccedunt, & excludunt omnes collaterales.*
6 *Si adſint filij alicuius fratris ex altera parte tantum coniuncti iam defuncti, quinam ſuccedant, & qui excludantur.*
7 *Si mortuo fratre ſuccedant ſolum fratres, quorum quidam ſolum ſunt vterini comparatione defuncti, alij tantum conſanguinei: quomodo vterini conſanguineis, & conſanguinei vterinis præferantur.*
8 *In quibus habeat locum præferri in eodem gradu propinquum ex vtraque parte coniunctum ei, qui ex altera tantum parte eſt coniunctus.*
9 *Si quis habens duos filios, quoſdam inter ſe vtrumque coniunctos, & alios vterinos, diſcedat ab inteſtato, & vnus ex filiis vtrinq; coniunctis, habens filios nepotes defuncti, repudiet hæreditatẽ, quib. portio illius cedat.*
10 *Num filij fratrum illius, qui ab inteſtato diſceſſit, quãdo ſuccedunt vna cum patruis ſuperſtitibus, repræſentent perſonas ſuorum parentum defunctorum, ſicque ſuccedant in ſtirpes, & non per capita.*
11 *Reſpondetur ad dubium propoſitum.*
12 *Refertur contraria quorundam ſententia.*
13 *Quare introducta ſit repræſentatio in filiis fratrum vt ſuccedant cum patruis ſuperſtitibus.*
14 *Quatenus hæc opinio referatur.*
15 *Vtrum ſi defunctus ab inteſtato relinquat patruum, & filios fratris iã defuncti, præferẽdi ſint filij fratris, an vero cũ patruo ſuccedant per capita in bonis defuncti.*
16 *Reſpondet author ad dubium propoſitum.*
17 *Excluſis fratribus & filiis fratrum, quinam ſuccedant defuncto ab inteſtato.*
18 *Deficientibus hæredibus in linea tranſuerſali, vſque ad decimum gradum, ſi defunctus ab inteſtato ſit maritus, illi ſuccedit vxor in omnibus bonis: ſi vxor, maritus, modo non ſit diuortium inter illos.*
19 *Quid quando vir vxorem ſine dote ſuſcipit, & præmoritur illa non habente vnde commode poſſit viuere.*
20 *Deficientibus conſanguineis vſq; ad decimum gradum, quiſnam ſuccedat in bonis defuncti ab inteſtato.*
21 *Quid quando peregrini in hoſpitali ab inteſtato diſcedũt non habentes conſanguineos vſq; ad decimũ gradum.*

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO collateralium, coniugis ſuperſtitis, ac fiſci: & peregrino diſcedenti ab inteſtato quis ſuccedat.

DISPVTATIO 164.

1 DEfuncto aliquo ab inteſtato, qui neque deſcendentes habeat, tunc illi ſuccedunt conſanguinei collaterales, qui, iuxta modum computandi iure ciuili diſputatione 160. explicatum, vſque ad decimum gradum incluſiue illi proximiores fuerint. Licet n quondam ſoli agnati, id eſt, conſanguinei ex parte virorum, ſuccederent ab inteſtato vſque ad decimum gradum, cognati vero, id eſt, conſanguinei ex parte fœminarum, ſuccederent vſque ad ſextum tantum, & interdum vſque ad ſeptimum gradum, vt habetur §. *vlt. inſt. de ſucceſ. cognatorum*, *l. 1. §. hæc autem ff. vnde cognati*, & *l. non facile eſt ff. de gradib.* hodie tamen, cum ſublata ſit differentia cognationis & agnationis, & æque ſuccedant fœminæ ac mares, ſiue emancipati ſint, ſiue non, vt patet *in authentico de hered. ab inteſta. per totum*, conſanguinei omnes ſuccedunt vſque ad decimum gradum. Ita affirmant *Gloſ. §. vlt. inſtit. de ſucceſ. cognator. Gloſ. vlt. in authen. in ſucceſſione, C. de ſuis & legit. hared. item Gloſ. in auth. de hæredib. ab inteſtato §. ſi vero neque fratres.* & *Doctores communiter*: eſtque hodie ſancitum in Luſitania, *lib. 4. ord. tit. 69.* & in Caſtella *l. 6. titul. 13. part. 6.*

B Et quamuis regulariter ſuccedant ſoli, qui proximiores ſunt in gradu, & per capita: quia tamen nõnulla interdum eſt diſcrepantia, ſequentes concluſiones rem parefacient. Admonendum tamen eſt, dum dicimus, conſanguineos ſuccedere vſque ad decimum gradum, nos loqui de communibus hæreditatibus, non vero de maioribus, in quibus in quocunque vlteriori gradu etiam ſucceditur, neq; in feudis, in quibus ſolum vſque ad ſeptimum ſucceditur gradum.

Sit ergo prima cõcluſio. Quando defunctus fratres habet vtrinque coniunctos, i.e. tam ex parte patris quam matris, illi ſoli ei ſuccedunt, excluduntq; à participatione hæreditatis, tam fratres ex parte patris duntaxat, qui conſanguinei fratres, dicuntur, quam fratres ex parte tantum matris, qui vterini appellantur. Ita habetur expreſſe *in authen. de hæredibus ab inteſtato §. ſi igitur defunctus neque in authent. ceſſante, C. de legitimis hæredibus in authen. de conſanguineis, & vterinis fratribus, §. quia igitur, & in auth. itaque C. commun. de ſucceſſionibus.* 2 *1. Concluſio.*

C Secunda concluſio. Si adſint filij fratris vtrinque coniuncti iam defuncti, illi ſuccedunt per ſtipitem loco parentis defuncti vna cum fratribus vtrinque coniunctis patruis ipſorum, eſto ipſi in tertio gradu ſint comparatione eius, qui ab inteſtato diſcedit, & patrui ſint in ſecundo. Ratio autem eſt, quia repræſentant patrem, qui coniunctus erat defuncto in ſecundo gradu. Ita habetur *in auth. de hæred. ab inteſt. §. ſi autem defuncto, & in auth. ceſſante C. de legitim. hæredib.* 3 *2. Concluſio.*

D Tertia concluſio. Exiſtentibus filiis fratris vtrinque coniuncti iam defuncti, & nõ exiſtentibus fratribus vtrinque coniunctis ei, qui ab inteſtato diſcedit, eſto exiſtant fratres ex altera parte coniuncti, ſoli filij fratris defuncti, ſuccedunt, & excludunt patruos ſuos, licet patrui coniuncti ſint in ſecundo gradu cum eo, cui ſucceditur, ipſi vero in tertio. Ratio eſt, quoniam repreſentant patrem, qui erat vtrinque coniunctus in ſecundo gradu. Ita habetur *in auth. de hæredibus ab inteſta. §. ſi autem defuncto, & in auth. ceſſante, C. de legitim. hared.* 4 *3. Concluſio.*

Quarta concluſio. Deficientibus tam fratribus vtrinque coniunctis, quam ipſorum filiis, & exiſtẽtibus fratribus ex altera tantum parte coniunctis, ſiue ſint ex parte patris, ſiue ex parte matris, illi ſuccedunt, & excludunt omnes alios collaterales. Ita habetur *in auth. de hared. ab inteſt. §. ſi igitur defunctus neque, & in auth. poſt fratres 1. C. de legit. hared.* 5 *4. Concluſio.*

E Quinta concluſio. Si adſint filij alicuius fratris ex altera tantum parte coniuncti iam defuncti illi ſuccedũt per ſtirpes cum fratribus ex altera etiam parte coniunctis ſuperſtibus patruis ſuis, idque ratione parentis quem repræſentant & excludunt ſimiliter omnes collaterales. Ita habetur *in auth. de hæredib. ab inteſt. §. ſi autem defuncto, & in auth. poſt fratres, 1. C. de legit. hared.* 6 *5. Concluſio.*

Sexta concluſio. Si mortuo fratre ſuccedant ſolum fratres quorum quidam ſolum ſint vterini cõparatione defuncti, alij vero ſint tantum conſanguinei: tunc vterini præferuntur conſanguineis in bonis 7 *6. Concluſio*

bonis, quæ defuncto aduenerunt ex parte patris: in A
alijs vero bonis, quæ aliunde aduenissent, succederent æqualiter. Idem dicendum est de filiis ipsorum, quando loco parentum defunctorum per stirpes succedunt. Ita colligitur aperte *ex l. emancipantis, C. de legit. hæred.* & habetur expresse *l. 6. tit. 13. part. 6* atque affirmant glos. & doctores, quos *Ant. Gom. ad l. 8. Tauri num. 8. & Couar. in epit. de success. ab intest. n. 8. referunt.*

8 *7. Conclusio.* Septima conclusio. Præferri in eodem gradu propinquum ex vtraque parte coniunctum ei, qui ex altera tantum parte est coniunctus, solum habet locum in fratribus, & in ipsorum filiis, quatenus per stirpes repræsentant suos parentes. Vnde si quis discedat sine ascendentibus & descendentibus & fine fratribus & filiis fratrum, relicto vno patruo, B
qui erat frater sui patris vtrinque coniunctus, & alio patruo, qui erat frater sui patris, ex altera parte coniunctus, patruus ille vtrique coniunctus non præfertur alteri ex altera tantum parte coniuncto, sed vterque admittetur æque ad successionem, eò quod sint in eodem gradu. Si quis item discedat relicto patruo magno, fratre sui patris, aut matris, ex altera parte tantum ei coniuncti, & relictis nepotibus alicuius sui fratris vtrinque coniuncti, patruus magnus, præfertur talibus nepotibus: eo quod patruus magnus proximior sit in gradu, & quia vltra filios fratrum, in linea collateralium, nec detur repræsentatio, nec vlla habeatur ratio, an sint vtrinque coniuncti, vel non. Similiter si soli nepotes fratrum succedere debeant defuncto ab intestato, quod non habeat consanguineos proximiores, tunc succedunt per capita, non per stirpes, propterea quod in collateralium linea non detur repræsentatio vltra filios fratrum. Ita communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur. *Antonius Gomez. num. 8. citato, & Couarruu. in epit. de success. ab intest. numero 9. & 11.* & consentiunt *authen. post fratres 2. Cod. de legitimis hæred. leg. 6. tit. 13. part. 6.* & alia iura citata. Horumque omnium ratio hæc est, quoniã exclusio in eodem gradu eorum, qui non sunt vtrinque coniuncti, aut successio vterinorum in iis, quæ ex parte matris aduenerunt, & consanguineorũ in iis q̃ ex parte patris, pfluxêre, item q̃ succedere ex vlteriori gradu propter repræsentationem, solum habet locũ in D
iis, in quib. iura id expresserunt: solum vero id expresserunt in iis, qui conclusionibus præcedentibus sunt commemorati. Quin in *authen. de hæred. bus ab intest. § huiusmodi vero*, sic habetur. *Huiusmodi vero prærogatiuam in hoc ordine cognationis* (collateralium scilicet) *solum præbemus fratrum masculorum, & fœminarum filijs aut filiabus, vt in suorum parentum iura succedant. Nulli alij omnino personæ ex hoc ordine venienti hoc ius largimur.*

9 *8. Conclusio.* Possumus cum *Couarru. in epit. citato numer. 10. & 11.* hanc subducere conclusionem, quæ sit n. 8. Si quis habeat plures filios, quosdam inter se vtrinque coniunctos, & alios vterinos, discedatque ab intestato & vnus ex filijs vtrinque coniunctis, habens filios E
nepotes defuncti, repudiet hæreditatem: tunc portio illius cedit æqualiter, non filijs suis nepotibus defuncti, sed alijs fratribus etiam vterinis. Ita Couarru. ibi cum Bartol. & communi sententia quam refert & consentit *Anton. Gomez. ad l. 8. Tauri num. 9.* Ratio est, quoniam in primis filij repudiantis, nepotesque defuncti, cum habeant viuum patrem suum, non repræsentant illum nec succedunt loco illius, sed solum succedunt patrui ipsorum, qui defuncto proximiores sunt in gradu. Deinde succedunt æquæ in ea portione fratres vterini repudiantis, quoniam non succedunt fratri repudianti, sed parenti, cui repudians non vult esse hæres: patri autem æque succedunt filij ex secundo & ex primo matrimonio. Hac eadem ratione, si aliquis neque ascendentes neque descendentes habens sed solum fratres, moriatur ab intestato, & vnus fratrum, qui filios habet, repudiet hæreditatem, succedunt in ea portione, non filij repudiãtis, qui, cum patrem habeant viuum, nequaquam illum repræsentant, suntque secundum se remotiores in gradu, quam ipsorum patruus, frater repudiantis, sed succedunt soli fratres repudiantis non quidem ipsi repudianti, sed fratri defuncto, cui repudians non vult esse hæres. Neque hoc, sed longe diuersum est, quod *Couar. num 11. citato* negat, de quo statim erit sermo: satisque ibi, quod dicimus, innuit.

10 *Dubium.* Dubium graue, valdeque inter Doctores controuersum in materia hac repræsentationis parentum defunctorum in linea collateralium est, num quemadmodum filij fratrum illius, qui ab intestato discessit, quando succedunt vna cum suis patruis superstitibus, repræsentant personas suorum parentum defunctorum, sicque succedunt per stirpes, & non per capita: ita si nullus frater defuncti sit superstes: sed soli sint filij diuersorum fratrum defunctorum, quoad numerum inæquales, quia ex vno, verbi gratia, remanserunt duo filij, & ex altero tres, aut plures, succedant per stirpes, atque adeo obtineant inæquales portiones: an vero per capita æqualesque portiones fortiantur.

11 *Gloss. Accursii in authentica cessante, Cod. de legitimis* C
hæredibus propendet succedere in stirpes. Eandem opinionem innuit *gloss. penultima, iuncta Gloss. in verbo pura, lege prima, §. vltimo ff. si pars hæredit. petatur*: tametsi additio ibi ad eandem Gloss. in contrariam sententiam velit illam interpretari. Eandem affirmant gloss. eiusdem Accursij *in authentico de hæred. bus ab intestato § si autem defuncto, in verbo fratres fuerint.* Eandem sequuntur Bart. &, vt videtur, communior Doctorum sententia, quam refert & amplectitur *Antonius Gomez. ad leg. 8. Tauri, numero duodecimo.* Potissima huius sententiæ ratio est, quoniam authentica hactenus in superioribus citata simpliciter docent filios fratrum defunctorum succedere patruo defuncto ab intestato per stirpes, non limitando, vt id solum sit quando succedunt cum patruo aliquo superstite. Confirmat *id Gloss. Accursii postremo loco citata, ex eodem authentico de hæred. bus ab intestato, §. si vero neque*: cuius hæc sunt verba. *Si vero neque fratres, neque filios fratrum, defunctus reliquerit, omnes deinceps à latere cognatos ad hæreditatem vocamus, secundum vniuscuiusque gradus prærogatiuam, vt vicinores gradu ipsi reliquos præponantur. Si autem plurimi eiusdem gradus reperiantur, secundum personarum numerum inter eos hæreditas diuidatur, quod in capita nostræ leges appellant.* Hæc ibi. Ecce, à successione in capita, filios fratrum defunctorum excepit, sine vlla restrictione.

12 *Decisio.* In contraria sententia fuit Azo, Accursio antiquior, & sunt multi alij, quos *Couarruu. in Epit. de successione ab intestat. num. 8.* refert ac sequitur. Quin eam etiam sententiam approbat Accursius ipse, parum sibi constans, *instit. de legitima agnat. succes. §. hoc etiam in Gloss. verb. superstites*, nempe quando filij fratrum defunctorum, non concurrunt in successione cum patruo, non succedere per stirpes, sed per capita. Et hæc plane mihi videtur longe probabilior atque amplectenda, vbi non fuerit lex particularis alicuius regni in contrarium, vt in hoc Lusitaniæ regno non est. Potissimum fundamentum illius est, quoniam ante iura authenticorum nulla omnino erat præsentatio, successione per stirpes in linea collaterali, sed vniuersim, qui consanguinei reperiebantur superstites ac in eodem gradu defuncto ab intestato viciniores, illi soli per capita ei succedebant, vt constat *ex leg. 2. §. hæreditas ff. de suis, & legitimis hæredibus*, cuius hæc sunt

verba:

verba. *Hæreditas proximo agnato, id est ei, quem nemo antecedit, defertur. Et si plures sint ejusdem gradus, omnibus competit, scil. vt si duos fratres habui, vel duos patruos, & vnus ex eis vnum filium, alius duos reliquit, hæreditas mea in tres partes diuidatur.* Hæc ibi. Idem constat *ex §. si plures, instit. de legit. agnato. succes.* ita enim habet *Si plures sunt gradus agnatorum, aperte lex duodecim tabularum proximum, vocat. Itaque si verbi gratia, sint defuncti frater, & alterius fratris filius aut patruus: frater potior habeatur.* Et continuo subiungitur. *Si plures sint in gradu proximiori omnes æqualiter succedere.* Item constat *ex lege 12. tabularum, ver. illo proculdubio, Cod. de legitim. hæredit. & ex aliis iuribus,* consentitque communis Doctorum sententia. *Authenticum autem de de hæredibus ab intestato à §. reliquum est* introduxit eiusmodi præsentationem & successionem per stirpes: ea autem tradita, additur *§. huiusmodi vero*, non extendi vltra filios fratrum, vt supra retulimus. Et protinus sequentem in filiis fratrum subiūxit limitationē. *Sed & ipsis fratrum filiis tunc hoc beneficiū conferimus, quando cum propriis vocantur theiois* (id est patruis) *masculis & fœminis, siue paterni siue materni sint.* Ecce textum apertum à contrario sensu vnde Azonis sententia colligitur: coniunctio enim illa, *&*, addita, post dictionē aduersatiuā, *sed*, dum dictum est, sed &, præsertim addito illo aduerbio temporali, *tunc*, aperte significant additionem nouæ limitationis, nempe priuilegium illud nō solum non extendi vltra filios fratrum, sed neq; ad fratres, nisi quando cum patruis suis succedunt. Cum ergo *authenticum de hæredibus ab intestato* sit textus capitalis in hac materia: authenticæ vero aliæ, quæ citantur, ex illo sint desumptæ, & contrarium non doceant, sitque in eis subintelligenda limitatio in principali authentico addita: consequens profecto est, vt corruant fundamenta omnia contrariæ opinionis. Verba autem, quæ *ex §. si vero neque*, pro contraria sententia citantur, sic habent. *Si vero neque fratres, neque filios fratrum* (sicut diximus) *defunctus reliquerit, &c.* In illis autē verbis sicut diximus, manifeste legislator se remittit ad ea, quæ antea circa filios fratrum dispo suerat, eaque præsupponit.

13 His accedit, repræsentationem in filiis fratrum, vt succederent cum patruis superstitibus, ea ratione videri introductam, ne fratrum defunctorum soboles expers omnino maneret hæreditatis à patruis, tanquam à proximioribus in gradu, exclusa, eaque ratione constitutum esse, vt parentem defunctum repræsentaret, atque adeo vt cum patruis per stirpem succederet: quando autem nullus est patruus cessat ea ratio: & cū filij diuersorum fratrum pares essent in gradu comparatione defuncti merito institutum est, vt in eo euentu staretur iuri antiquiori: quare cum authenticum de hæredibus ab intestato hoc aperte sonet, antiquiori iuri erit in eo euentu standum.

14 *Couarru. loco citato* refert opinionem hanc, non solum Friburgensis municipali constitutione sanctum esse, in plurimisque Galliæ locis seruari, sed etiam à Carolo V. in comitiis totius imperii Germaniæ habitis anno millesimo quingentesimo vigesimonono decretam fuisse. Constituta præterea fuit in Regno Castellæ, *leg. 8 titul. 2. lib. 4. fori, & leg. 5. tit. 13. part. 6.* Collectores vero legum partitarum, sane ius commune se ea in parte sequi sunt arbitrati. Hoc ipsum sine dubio statuit *leg. 8. Tauri, quæ est 5. titul. 8. libro 5. nouæ collection.* sic enim habet *Mandamos, que sucedan los sobrinos con los tios ab intestato a sus trios in stirpen y no in capita. Con sus tios*, dixit ac limitauit: sicut & ius Cæsareum, & antiquiores aliæ leges eiusdem Regni. Vnde nihil cogunt, quæ *in eadem l. num. 12. & 14. Antonium Gomez* impulerunt, vt sibi persuaderet Accursij opinionem ea lege fuisse statutam. Tametsi subiūgat, interim dum in eo Regno lex illa Principis autoritate magis non explicatur, A standum esse opinioni Azonis, quam fatetur esse communem Glossatorū legum illius Regni. Cum vero post scripta Antonij Gomezij lex illa autoritate Regis Philippi eodem modo in noua collectione sit excusa, sane nihil in verbis illius fuisse immutatum, vt Anton. Gomez. mutari debere contendit: quasi per inaduertentiam illo modo fuerit scripta, non parum Azonis opinionem in eo Regno confirmat.

Dubium est, vtrum si defunctus ab intestato relinquat patruum, fratrem patris sui aut matris, & filios fratris iam defuncti, præferendi sint filij fratris, an vero cum suo illo patruo magno succedant per capita in bonis defuncti: eo quod tam patruus ille, quam ipsi, in tertio gradu sint comparatione defuncti. 15 *Dubium.*

B Mihi videtur dicendum, excludere patruum illum. Ratio est, quoniam si superstes esset frater ex altera tantum parte cum defuncto coniunctus, hunc excluderent, vt supra ostensum est: sed hic, si non essent filij fratris ex vtraque parte coniuncti, excluderet patruum illum: ergo longe maiori cum ratione filij fratris defuncti illum excludent. Quo fit, vt sicut ad excludendum fratrem ex altera parte defuncto coniunctum, repræsentant patrem suum: sic etiam, ad excludendum patruum magnum, eundem repræsentent. Lege *Anton. Gomez. num. 14. citato.* 16 *Respon so.*

His dubiis expeditis nona conclusio in hac materia est. Exclusis fratribus, & filiis fratrum, in euentibus hactenus explicatis, vniuersim in linea collaterali, qui consanguinei inueniuntur proximiores in gradu defuncto ab intestato, illi soli succedunt, idque per capita. Ita habetur expresse *in authentica de hæredibus ab intestat. §. si vero neque, in auth. post fratres, 2. C. de legit. hared. & l. 6. tit. 13. part. 6.* affirmatque communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Anton. Gomez loco citato, n. 18. & Couar. in epit. citato n. 11.* 17 *9. Conclus.*

Decima conclusio. Deficientibus hæredibus in linea transuersali vsque ad decimum gradum, aut illis aliqua de causa succedere prohibitis, si defunctus ab intestato sit maritus, illi succedit vxor in omnibus bonis, si vero sit vxor, illi succedit maritus: modo inter illos non sit diuortium. Ita habetur *lib. 4. Lusitanarum Ordinat. titul. 69. leg. 6. titul. 13. part. 6. leg. vnica, Cod. vnde vir & vxor. leg. vnica, ff. eodem titulo.* Ad id autem de iure Lusitano vlterius requiritur, vt vir vxorem in domum suam receperit, vt habetur *tit. citato.* 18 *10. Conclus.*

Si vir vxorem sine dote suscipiat, & vir præmoriatur, non habente vxore vnde commode possit viuere, esto vir liberos relinquat, succedit vxor vna cum filiis in quarta parte eorum bonorum mariti, in quibus liberi succedunt, modo illi non sint plures quam tres: alioquin succedit per capita cum illis: & modo quarta, aut portio illa, non excedat centum libras auri. alioquin succedit solum in centum libris. Dominium tamen in his omnibus euentibus bonorum, in quibus succedit talis vxor, pertinet ad filios eiusdem matrimonij, si illos habeant, & vsus ac fructus pertinent ad matrem. Quod si tales filios non habeant, bona illa pertinent pleno iure ad ipsam vxorem. Si tamen à marito aliquod legatum sit ei relictum, comparat illud in eam quartam, aut virilem portionem. Ita habetur *in authentico de exhibendis reis, §. quoniam vero, in authentica præterea: Cod. vnde vir & vxor, in authentico vt liceat matri & auiæ §. quia vero legem, 2. & leg. 7. titul. 13. part. 6.* Peculiaria alia hac de re videre licebit apud *Gregor. Lopez ad eandem legem*, vbi inter alia ait, hæc habere hodie locum in Regno Castellæ (idemque eadem ratione erit dicendum in hoc Lusitaniæ) non obstante quod legitima filiorum sit in his Regnis hodie aucta. Libra autem auri, vt constat *ex leg.* 19

quoties, C. de suscept. tribus & arcariis lib. 10. continebat septuaginta duos solidos.

20 Vndecima conclusio. Deficientibus consanguineis vsque ad decimum gradum, & vxore, aut viro, succedit fiscus in omnibus bonis defuncti ab intestato: secularis quidem, si defunctus sit laicus. sin minus Ecclesiasticus. Ita habetur *libr. 2. Lusitanarum Ordinationum titul. 15. § 16. leg. 6. titul. 13. part. 6. leg. 12. titul. 8. lib. 5. nouæ Collection. leg. vnica, C. vnde vir l. 1. §. vlt. ff. de iure fisci, l. 1. & l. vacantia. C. de bonis vacantibus, lib. 10.*

11. Conclus.

21 Duodecima conclusio. Discedentibus aliquibus peregrinis in hospitali ab intestato, & nō habētibus consanguineos vsque ad decimum gradum, bona eorum mobilia, quæ ibi reperta fuerint, per episcopum sunt distribuenda in pias causas. Ita habetur *in authentica omnes peregrini C. communia de successionibus leg. 5. titul. 12. libr. 1. nouæ Collection.* sic habetur. *Si el peregrino muriere sin hazer testamento, los Alcaldes del lugar, do murier, reciban sus bienes, y cumplan dellos lo que fuere menester para su enterramiento, y lo que restare guarden lo y hagan lo saber a nos, para que mandmos prouer lo que deuieremos de hazer.*

12. Conclus.

Ius Castellæ.

SVMMARIVM.

1 *Filius legitimus quis dicatur.*
2 *An filij ab infidelibus ex iis matrimoniis, antequam ad fidem conuertantur, geniti, quæ apud ipsos pro veris habentur, si parentes ad fidem conuertantur, legitimi sint censendi.*
3 *Quinam cum filiis legitimis computentur.*
4 *Naturales filij iure Cæsareo qui dicantur.*
5 *Quinam nothi eodem iure censeantur.*
6 *Filij naturales iure canonico & simpliciter hodie qui.*
7 *Quis spurius.*
8 *Qui manzares.*

FILII QVI LEGITIMI, ET qui illegitimi dicantur: & de variis illegitimis speciebus.

DISPVTATIO 165.

DIcendum est consequenter de successione filiorum illegitimorum. Perspicuitatis autem gratia, prius est id explicandum, quod propositum est.

1 Filius legitimus quis.

1 Quoniam vero rectum sui, & obliqui est index; à legitimis ordiendo. In primis legitimi dicuntur, qui ex legitimo geniti sunt matrimonio. Deinde, qui ex matrimonio in ecclesiæ facie cum bona fide, saltem ex parte alterius coniugis, celebrato sunt geniti, esto matrimonium propter occultum impedimentum fuerit nullum, vt constat *ex cap. ex tenore, qui filii sint legitimi, ex cap. 2. eodem titulo, ex leg. 1. titul. 13. part. 4. ac alias sæpe. affirmant que Molina de primogen. libro 3. cap. 1. numero 12. Emmanuel à Costa, cap. si pater. part. 1. verb. vxor. numero 2. fol. 31. Couarru. in epit. ad 4. decret. part. 2. cap. 8. §. 1.* & communis Doctorum sententia, quam referunt. Immerito ergo *Sotus in 4. distinct. 41. quæst. 1. articulo 4. ante 2. conclusionem*, asserere trepidauit, vt filij essent legitimi, sufficere bonam fidem alterius tantum coniugum: etenim ex iuribus citatis id sufficere satis aperte colligitur. Quando autem in aliquibus euentibus bona fides in exteriori foro præsumenda sit, aut non sit, disputant *Couarruuias loco citato, & Gregorius Lopez. ad 1. citatam.* Optime autem, cum multis aliis quos citat, aduertit *Emmanuel à Costa vbi supra*, filium genitum ex matrimonio in facie ecclesiæ ex parte alterius coniugis tantum bona fide celebrato, esse legitimum, etiam comparatione coniugis, qui impedimenti erat conscius, idque ad succedendum, ei non solum ab intestato, sed etiam ex testamento cum omnibus prærogatiuis filij legitimi.

A

Vtrum vero filij ab infidelibus ex iis matrimoniis antequam ad fidem conuertantur, geniti, quæ, cum vera non sint, ab ipsis tamen, iuxta sectas suas, vera matrimonia reputabantur, si parentes ad fidem conuertantur, filij legitimi sint censendi: vt si Iudæus, viuente vxore, quam repudiauit, aliam duxit, ex eaque filios genuit: aut viuente prima vxore, simul duxit alias, ex eisque liberos procreauit: respondendum arbitror, legitimos esse censendos, *argumento tex. cap. finali, qui filii sint legitimi.* Tum quia publica vtilitas id suadet, ne arceantur à fide suscipienda. Tum etiam, quia iuxta sectas suas, bona fide talia matrimonia contraxerunt putantes legitima. validaque esse. Consentiunt *glos. c. vlt. citato, Couar. vbi supra*, & alii quos refert.

2

B

3 Tertio cum filiis legitimis eos possumus computare: qui per subsequens matrimonium ipso iure legitimi fiunt: atq; ita computantur *l. 1. tit. 2. p. 4. colligiturque aperte ex c. Tanta, qui filii sint legit.* De iis autem disp. 171. dum de legitimatione erit sermo dicetur.

3

4 Naturales filii Cæsareo iure.

4 *Cap. nisi cum pridem, § persona, de renunc. Innocent. 3.* quatuor distinguit illegitimorum filiorum genera. Videlicet, *Naturales & spurios, nothos & manzares.* Naturales filij de iure Cæsareo ij soli dicebantur, qui ex vnica concubina domi retenta ab eo gignebantur, inter quem & talem concubinam tempore conceptionis, aut natiuitatis talis filij, nullum erat impedimētum, ad legitimum contrahendum matrimonium, vt constat *ex authentico quibus modis naturales efficiantur sui §. si quis autem defunctus*, & ex plerisque aliis iuribus: eodemque modo loquebantur iura partitarum Regni Castellæ, *l. 1. tit. 15. p. 4.* & aliàs sæpe.

C

5 Nothus iure Cæsareo.

5 Nothi dicebantur, qui ab eisdem parentibus procreabantur, sed matre domi non retenta. Atque ea de causa pater eiusmodi filiorum non est adeo certus ac priorum. Quocirca necesse est, vt pater recognoscat vt suum quencunque ita genuerit: alioquin non reputabitur illius, nisi id aliunde probetur sufficienter, vt aperte colligitur *ex l. 11. Tauri, qui est nona, titul. 8. libr. 5. nouæ collect.* Quando autem filius nascitur ex concubina domi retenta, eo ipso censetur filius illius, qui eam domi retinebat, nisi contrarium aliūde probetur: vt satis innuit eadem *l. 11. Tauri, & affirmant glos. c. Michael. de filiis presb. Couar. in epit. cap. 8. §. 4. nu. 6.* & Doctores communiter. Cum nothis, quod ad præsens instituti attinet, computare possumus filios progenitos ex concubina aut concubinis. quando plures simul domi retinebantur: tales quippe filij iure Cæsareo, propter libidinis effusionem patris, perinde quoad successionem reputabantur, ac si ex vaga meretrice essent geniti, vt ex authen. citat. liquet. Illud addendum est, filium nothum interdum accipi in longe alia significatione nempe pro filio nato ex adulterio, & interdum in alia. Lege *Couar. n. 6. citato.*

D

E

6 Naturales filii iure canonico, & simpliciter hodie qui.

6 Illud vero obseruandum est, de iure canonico vniuersim eos omnes filios reputari naturales, qui geniti sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis aut natiuitatis talium filiorum nullum erat impedimentum, quod irritum reddere posset matrimonium inter illos. Ita affirmant Panor. & alij quos. *Couar. §. 4. citato, num. 2.* refert ac sequitur, & colligitur *ex ca. Tanta: qui filii sint legit.* quatenus, nulla facta distinctione, an habiti fuerint ex vnica concubina domi retenta, statuitur, filios ante matrimonium genitos fieri legitimos per subsequens matrimonium cum ea, ex qua geniti sunt; modo, vt statim ibidem subiungitur, nō essent spurii, quia alter eorum erat coniugatus, quando geniti ac nati sunt. Ratio vero, cur merito ea extensio de

sio de iure canonico facta fuerit, hæc est. Quoniam longe peius est publicus concubitus cum fœmina instar vxoris in contubernio retenta, quam fortuitus ac vagus coitus cum ea, quæ domi non retinetur: vnde non expedrebat, vt filij earum, quæ domi in publico concubinatu retinebantur præferrentur in successione in bonis parentum & in priuilegiis, filiis aliarum mulierum cum quibus impedimentum non erat, vt vxores eorum esse possent, quibus cum fornicabantur. Atque hac de causa, etiam ante quam peculiares ciuiles leges iuri canonico consonas variis in regnis hæc de re ferrentur, Doctores, quos *Couar. num. 2. citato.* & *Ant. Gom. ad l. 9. Tauri, n. 1.* referunt, affirmant consuetudine in seculari foro fuisse receptum, vt omnes illi reputarentur filij naturales, adeo vt legitimatio à principe seculari obtenta nequaquam ex eo surreptitia reputaretur, quòd in petitione legitimandus appellatus fuisset filius naturalis non explicato quod natus non fuisset ex cõcubina domi retenta. Hodie autem *lib. 4. Lusit. Ord. tit. 71. in prin.* & *in Regno Castellæ l. 11. Tauri, quæ est 9. tit. 8. lib. 5. nouæ collection.* sancitum est, vt ij omnes filij naturales reputentur, qui nati fuerint ex parentibus, inter quos nullum erat dirimens impedimentũ, vel tempore cõceptionis, vel tempore natiuitatis, taliũ filiorum, vel matrimonium cõtrahere possent. Vnde merito *Couar. §. 4. citato n. 4.* & *Greg. Lopez. 1. titul. 11. par. 7.* & *alij*, quos referunt, affirmant, quæ quondam vel de iure communi, vel de iure horum regnorum sancita erant de filiis naturalibus natis ex vnica concubina domi retenta, vel quoad successionem, vel quoad alia, extendenda esse ad omnes, qui naturales hodie de iure horum regnorum reputãtur. Quare cum *lex illa 1. tit. 11. pag. 7.* statuerit, vt filij nati ex vnica concubina domi retenta, & patre hydalgo, ciuilitate illa ac exemptione patris, quam hidalguia vocant, potirentur: iure optimo hi Doctores censent, naturales omnes filios ex patre hidalgo potiri eo priuilegio, esto nati non sint ex concubina domi retenta: atque ita esse sæpe pronunciatum in prætorio Granatensi Couar. affirmat.

7 *Spurius quis* Spurius filius licet interdum is dicatur, qui incertum habet patrem, qualis is est, qui ex ea nascitur, quæ carnale commercium cum multis habere consueuit, vt constat *ex §. si aduersus, institut. de nupt.* asserunt que Alciatus & alij, quos *Couar. in epit. c. 8. §. 5. n. 1.* refert ac sequitur: in re tamen proposita is dicitur, qui ex iis parentibus est ortus, qui tempore conceptionis ac natiuitatis talis filij dirimens impedimẽtum ad inter se contrahendum habebant. Ita innuit textus, & affirmant glos. ibi & Doctores communiter. *c. tanta qui sit. sint legit. innuit etiam tex. cap. ad abolendam de filiis presb.* & *l. vulgo. ff. de statu hominum.*

8 *Manzares qui.* Manzares dicuntur quidam ex spuriis, iuxta *c. nisi cum pridem*, citatum. Neq; mihi est satis compertum, quinam hi sint, parumque ad præsens institutum id refert scire glos. ad idem ca. ait, esse natos ex scorto meretriceve. Quamuis autẽ eo pacto accipi aliquãdo vocabulum videatur, in eo tamen capite non ita videtur vsurpari, vt *Couar. loco citato, n. 2.* adnotauit. Illud summatim dixerim, vocabula illegitimorũ filiorũ hactenus cõmemorata confundi sæpe varieq; à Doctoribus, quin & à iuribus ipsis, soluere accipi.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi non existentibus legitimis descendentibus, neq; ascendentibus, quibusnam pater teneatur relinquere bona sua.*

2 *Cum de eodem iure existant legitimi descendentes, quibusnam fas sit sua bona ex testamento donare.*

3 *Deficientibus legitimis descendentibus & existentibus ascendentibus legitimis, quibusnam portio legitima relinquenda.*

4 *Patre discedente ab intestato, nec relinquente descendentes legitimos, nec legitimam vxorem quinam succedant.*

5 *Redditur ratio, cur superstite legitima vxore descendẽtis ab intestato, filij naturales in nulla portione defuncti succedant.*

6 *An necesse sit defunctum ascendentes legitimos non relinquere, & filij naturales in duabus vnciis succedãt.*

7 *An superstitibus filiis rescripto Principis legitimatis, filij naturales non succedãt ab intestato in duabus vnciis.*

8 *De iure communi, in quibus euentibus potest pater relinquere ex testamento bona filiis naturalibus, potest & naturalibus nepotibus.*

9 *In portione, qua descendentes naturales succedunt, ascendentibus tam ex testamento quã ab intestato succedunt etiã ascendentes naturales suis descendẽtibus.*

10 *Filius naturalis de prædicto iure quo pacto succedat matri, & quos excludat.*

11 *In qua portione, de supradicto iure, filij naturales & nepotes succedunt matribus & aliis ascendentibus per lineam maternam, in eadem matres & alij ascendẽtes succedunt ipsis, quando carent descendentibus.*

12 *Quid quando, de iure Lusitaniæ, pater tempore conceptionis filij naturalis erat plebeius: quid, quãdo nobilis.*

13 *Quomodo filius naturalis in Lusitania succedat matri, auis maternis, paternis, patri, & reliquis.*

14 *Filius naturalis ex propria ancilla genitus à viro plebeio succedit Lusitano iure cum legitimis in bonis illius, modo liber maneat tempore mortis patris.*

15 *An pater de iure Castellæ legitimis descendentib. carens, esto habeat ascendentes legitimos, conferre possit filiis omnia sua bona.*

16 *An in aliquibus euentibus filiis naturalibus æquales cum legitimis portiones concessæ licitæ sint.*

17 *Decidituir dubium propositum.*

18 *Iuxta quod iuris de legitimis filiis ex veris concubinis fornicationeq; natis Leo Papa & Ambrosius sint locuti.*

DE SVCCESSIONE FILIORVM NATVRALIVM.

DISPVTATIO 166.

DE hac re sit prima conclusio. De iure communi, non existẽtibus legitimis descendẽtibus neque ascendentibus, licet quondam concessum fuerit patri, relinquere filiis naturalibus, & ipsorum matri, dimidium suorum bonorum, aut etiam dum viueret, in dotem, aut quauis alia ratione tradere illud eis: postea tamen de iure authenticorum sancitum est, vt in eo euentu relinquere illis posset omnia bona sua, aut etiam ea dum viueret illis tradere. Primum constat *ex leg. humanitatis, C. de naturalibus liberis.* Secundum vero *ex authen. licet C. eodem titul.* & *ex authent. quibus modis naturales efficiantur sui, §. ne igitur, verſic. si vero filios, & ex l. 8. tit. 13. p. 6.* 1 *1. Conclusio.*

Secunda conclusio. De eodem iure communi, existentibus descendentibus legitimis, solum fas est donare aut relinquere ex testamento filiis naturalibus, atque ipsorum matri, vnciam vnam, hoc est, duodecimam bonorum partem. Quod si aliquid amplius fuerit illis datum, aut relictum, pertinet eo ipso ad descendentes legitimos. Si autem mater filiorum naturalium fuerit sine illis superstes, fas est relinquere aut donare illi semunciam. Hęc habentur *in auth. quibus modis natur. effic. sui, §. ne igitur citato* & *l. 8. titul. 13. par. 6.* Couar. *in epit. part. 2. c. 8. §. 4. nu. 11.* consentanee ad iura citata, obseruat, si filij naturales sine matre existant, fas esse relinquere illis integram vnciam. 2 *2. Conclus.*

Tertia conclusio. De eodem iure communi, deficientibus legitimis descendentibus, & existenti- 3 *3. Conclus.*

stentibus ascendentibus legitimis, relinquenda est ascendentibus portio legitima, in qua, velit nolit testator, succedere debent, hoc est, tertium bonorum de eodem iure communi, vt disp. 158. ostensum est: reliquum vero donare, aut relinquere ex testamento potest filiis naturalibus. Ita habetur *in authent. quibus modis natur. effic. sui, §. si vero habuerint, in authent. licet, Cod. de natural. liber. & l. 8. tit. 13. part. 6.*

4 Quarta conclusio. De eodem iure communi, 4. *Conclusio.* patre discedente ab intestato, nec relinquente descendentes legitimos, nec item legitimam vxorem, filij naturales illi succedunt in duabus vncijs, hoc est, in sexta bonorum parte, inter ipsos & eorum matrem, si superstes sit, per æquales portiones dividenda: in aliis vero quinque partibus succedunt alij legitimi hæredes ab intestato, iuxta ea, quæ disput. 164. & 163. dicta sunt. Quod si vel descendentes legitimos, vel vxorem legitimam relinquat, in nulla parte bonorum patris succedunt: illis tamen tribuenda sunt competentia alimenta de bonis patris prudentis arbitrio. Ita habetur *in authent. quibus modis naturales efficiuntur sui, §. si quis autem, & §. si quis igitur, in authen. de trien. & semisse, §. consideremus, & in authent. licet, Cod. de naturalibus filiis.* Similique modo filiis naturalibus debentur alimenta de bonis parentum, quando pater discessit quidem testatus, nihil tamen de suis bonis illis reliquit, vt innuitur, §. *consideremus, & §. si quis igitur, citatis, & affirmat l. 8. titu. 13. part. 6.* est enim eadem ratio, resque patebit magis disput. 167.

5 Ratio autem cur, superstite legitima vxore discedentis ab intestato, filij naturales in nulla portione defuncti succedant, esto ea bona, non vxori, sed aliis legitimis consanguineis defuncti obuenire debeant, est, in honorem matrimonij, legitima vxor cernens filios, non ex se, sed ex ea, qua coniux suus fuerat abusus, genitos, succedere in bonis mariti, scandalum patiatur, afficiaturque tristitia.

6 *Aut. Gom. ad 9. Tauri, num. 4.* affirmat, vt naturales filij in duabus vncijs succedant, necesse etiam esse: vt defunctus ascendentes legitimos non relinquat, aitque omnes in authenticis citatis id asseuerare. At neque glossæ, neque Bart. illis in locis id docent, neque *Couarr. in epit. part. 2. cap. 8. §. 4. num. 9.* vbi ea de re differit, quicquam tale affirmat, aut vllum eius opinionis autorem citat, neque video quis merito id affirmare possit: cum *iura citata, & l. 8. tit. 13. part. 6.* de ascendentibus nihil loquantur, & cum successio filiorum naturalium in duabus tantum vncijs, legitimæ portioni ascendentibus in defuncti bonis debitæ nullum omnino præiudicium afferat: & denique cum nullum fundamentum videam contrariæ opinionis, nullusque autor citetur in particulari.

7 Couar. loco citato cum Baldo ait, etiam quando superstites sunt filij rescripto Principis legitimati, imo & adoptiui, filios naturales non succedere ab intestato in duabus vncijs. Ducitur, quoniam in *auth. licet, C. de naturalib. liber.* vt filij naturales ab intestato in duabus vncijs succedant, exigitur, vt desit soboles ciuilis: filij autem, tam rescripto Principis legitimati, quam adoptiui, ciuilis soboles sunt. Contrarium tamen non dubito esse verum: in authentico namque *de triente & semisse, §. citato*, conditio illa requisita vt filij naturales in duabus vncijs succedant, his verbis scribitur: *si quis moriens legitima sibi penitus sobole non existente, filiorum dicimus aut nepotum, aut cæterę successionis, nempe pronepotum aut abnepotum*: in authent. vero *quibus modis natural. efficiuntur sui, §. si quis autem defunctus*, sic scribitur: *si quis defunctus fuerit, legitima ei omnino sobole non existente, filiorum dicimus, aut nepotum, vel deinceps successionis*: vbi non est fermo de sobole legitima ex priuilegio, sed per naturam: authentica autem licet, ex illis authenticis desumpta est, atque iuxta illa est intelligenda ac exponenda: mirumque esset, quod spurius principis rescripto legitimatus, aut ab aliquo adoptatus impediret, ne naturales filij ab intestato in illis duabus vncijs succederent.

Quinta conclusio. De iure communi, in quibus 8 euentibus potest pater donare, aut relinquere ex 5. *Conclusio.* testamento filiis naturalibus, ea, quæ tribus prioribus conclusionibus explanata sunt, potest naturalibus nepotibus eadem donare, aut relinquere ex testamento, & non in aliis euentibus, idque siue sint nati legitime ex filio naturali, siue illegitime ex filio legitimo, aut ex filio naturali. Ab intestato vero succedunt etiam in eis euentibus, atque in ea portione, in qua conclusione 4. dictum est succedere filios naturales. Hæc omnia colliguntur *ex l. vlt. Cod. de natural. liber. iuncto authen. quibus modis natur. effic. sui. §. de nepotibus.* Si addas extensionem, quæ postea circa filios naturales de iure authenticorum facta est, censeri etiam factam circa nepotes: quippe l citata aperte dicat, nihil esse coarctandum comparatione nepotum naturalium, quod circa filios naturales sit concessum. Hæc eadem, cum Bald. & aliis affirmat *Couar. loco citato num. 20.* lege etiam *Anton. Gom. ad l. 9. Tauri num. 6.* Obserua tamen, quando patres erant filij naturales, nepotes non succedere auis, nisi loco parentum defunctorum, atque adeo per stirpem, vt Doctores citati adnotarunt. Obserua etiam, quando nepos naturalis esset ex filio legitimo, vxorem aui legitimam esse superstitem, nequaquam impedire, quo minus nepos naturalis succedat auo ab intestato, quin potius simili modo succedere eidem vxori, quæ ipsius est auia. Quod de nepotibus comparatione auorum dictum est, intelligendum est de pronepotibus comparatione proauorum, vt *ex lege citata* constat.

Sexta conclusio. De iure communi eodem mo- 9 do, & in eadem portione, qua descendentes natu- 6. *Conclusio* rales succedunt ascendentibus tam ex testamento, quam ab intestato, succedunt etiam ascendentes naturales suis descendentibus, vt auus, & proauus filio naturali, & nepoti, quando tales filius & nepos non habent descendentes, qui ascendentibus præferantur. Eodemque modo à descendentibus sunt alimenta præstanda ascendentibus. Ita habetur expresse *in auth. quibus modis natur. effic. sui, §. de nepotibus, in authen. licet, C. de natur. liber. ad finem.* Et *l. 8. tit. 13. part. 6.*

Septima conclusio. De iure communi filius na- 10 turalis non solum ex testamento, sed etiam ab in- 7. *Concluſ.* testato succedit matri æque cum filiis legitimis, excluditque ascendentes legitimos, perinde ac si esset filius legitimus. Ita habetur *l. si qua illustris, iuncta glos. ibid. C. ad Senatusconsult. Orfitianum. Et l. 11. tit. 13. part. 6.* consentiuntque alia iura & Doctores, quos referunt & sequuntur *Couar. §. 4. citato, numero 15. Anton. Gom. ad l. 9. Tauri, num. 9. & Sylvest. verb. filij, quæst. 3.* idque etiam si mater sit illustris. De eisdem filiis naturalibus comparatione auorum per lineam maternam, quicquid Anton. Gom. loco citato dicat, distinguerem. Quia si mater simul erat filia naturalis, tunc nepos succedit auiæ eodem modo, sed per stirpem loco matris. Auo autem materno, & auis per lineam paternam non, nisi iuxta ea, quæ conclusione 5. dicta sunt. Si vero mater erat filia legitima, tunc credo succedere vtrique auo materno eodem modo, quo si esset legitimus: quia succedit loco matris, matremque repræsentat, non secus ac si esset filius legitimus: mater autem est proles legitima. Comparatione vero auorum per lineam paternam succedet iuxta 5. con-

clusionem: eo quod non succedat ratione matris, A sed ratione patris.

11 Octaua conclusio. De iure communi, in qua portione, & quo modo filij naturales & nepotes succedunt matribus & aliis ascendentibus per lineam maternam, in eadem matres & alij ascendentes succedunt ipsis, quando tales filij & nepotes carent descendentibus. Ita Doctores communiter, vt par pieres descendentium seruetur cum ascendentibus, iuxta *authent. quibus modis naturales efficiuntur sui*, §. *de nepotibus*, & *authent. licet*, *Cod. de naturalibus liberis*. De fratribus vero naturalibus, an mutuo sibi succedant, dicetur disputatione sequenti.

12 De iure huius Lusitaniæ Regni, sumpto naturali filio tam late, quam disputatione præcedente explicatum est, si pater tempore, quo filius concepB tus vel natus est, erat plebeius, quem piam in hoc Regno vocant (talis vnusquisque præsumitur, nisi contrarium probetur, vt *Gam. decisione* 86. *num.* 3. *cum Baldo & Ripa* recte adnotauit) esto postea ad gradum altiorem conscenderit, perinde illi succedit filius naturalis, tam ex testamento, quam ab intestato, ac si esset filius legitimus: quare æque succedit cum aliis filiis legitimis, si quos pater habeat. Si vero pater tempore conceptionis & nativitatis filij erat caualeiro, tunc filius ab intestato in nulla bonorum parte ei succedit, sed succedunt legitime descendentes, aut ascendentes, vel collaterales, qui proximiores fuerint in gradu. Ex testamento autem, si habeat descendentes legitimos, nihil relinquere potest filio naturali: Si vero careat descendentibus, & habeat ascenden- C tes legitimos, de tertio suorum bonorum potest illi relinquere, quod sibi placuerit: non vero de duabus, vel aliis partibus, in quibus velit nolit, succedunt ascendentes. Quod si ascendentibus etiam careat, potest ex testamento relinquere filio naturali sua bona, esto habeat fratres, aut alios collaterales consanguineos. Hæc omnia habentur *4. lib. ordinat. titulo* 71. iudicatum vero refert *Gam. ad finem decisionis* 312. ex eo, quod descendens ex parentibus non plebeis famulus sit alicuius nobilis, non censeri piam: id quod ex se satis erat manifestum.

13 Cum vero ordinationes nihil circa matrem disponant comparatione illius, iuri communi supra expositio erit standum, nec non comparatione auorum ex parte matris. Comparatione vero D auorum, aut proauorum ex parte patris, tunc illis nepos, aut pronepos naturalis potest succedere, quando iuxta ordinationes succedere eisdem potest filius ipsorum naturalis. Vniuersim autem, quando filius aut nepos naturalis succedere potest patri, matri, aut aliis descendentibus, iuxta ea, quæ dicta sunt, possunt vicissim ascendentes illis succedere, nisi tales filij, aut nepotes sobolem habeant, quæ ascendentibus debeat præferri, vt de iure communi supra explicatum est. De alimentis, quæ de iure huius Regni filio naturali, quando patri & aliis ascendentibus non succedit, debentur, dicetur, cum de alimentis filio spurio debitis, erit E fermo.

14 Vt ad filium naturalem comparatione patris regrediamur, de iure huius Lusitaniæ Regni *titulo* 71. *citato* statuitur, filium naturalem hominis piam, quem genuit ex sua propria ancilla, succedere etiam in bonis illius, perinde ac si esset legitimus: modo tamen mortuo patre liber maneat. Vnde non satis est, si, post patris mortem, ab hæredibus aut aliunde liber fiat. Id vero additum fuit, quoniam, vt disputatione 39. in sexto modo ex ijs, quibus mancipium libertatem consequitur, dictum est, non semper filius habitus ex propria ancilla libertatem per mortem patris consequitur.

Fuit vero valde controuersum in hoc regno, an idem esset de filio naturali hominis piam, quem genuit ex ancilla aliena: modo tamen tempore mortis patris liber esset. Et quidem partem negantem suadet argumentum à contrario sensu: ordinatio namque citata sic habet: E *isso mesmo auera lugar no filho, que algun homem solteiro piam ouuer dalgua sua escraua, se per morte de seu pay ficar forro.* Ecce dixit de sua escraua: ergo non idem erit, si fuerit ex aliena. Contraria tamen sententia est amplectenda, quæ, vt *Gam. decis.* 86, 167. & 312. refert, sæpe senatorum iudicio fuit confirmata. Etenim illud, de sua escraua, exempli gratia, & quod frequentius eueniret, fuit appositum: cum raro admodum filius hominis plebei ex aliena ancilla habitus liber tempore mortis patris manere consueuerit: argumento autem à longe maiori ratione, idem ordinatio citata censendum esse voluit, si quando id eueniret: præsertim cum vtrumque consonet cum iure communi, instit. de seruili cognatione in principio. Eiusmodi etiam filij naturales ex ancilla geniti eodem modo succedunt auis, vt *Gam. decisione* 312. consentaneè ad dispositiones iuris communis supra relatas, iudicatum refert.

15 De iure regni Castellæ, pater, si legitimis descen- *Ius Castel.*
dentibus careat, esto habeat descendentes legitimos, conferre, relinquereque potest filiis, aut nepotibus naturalibus omnia sua bona, vel quam partem suorum bonorum voluerit. Quod si legitimos descendentes habeat, solum potest in alimenta eis relinquere quintum suorum bonorum. Ita haberur *l.* 18. *Tauri, quæ est* 8. *tit. lib.* 5. *nouæ collect.* Ab intestato vero standum est in eo regno iuri communi. Hoc tamen excepto, quod esto superstes relinquatur legitima vxor, id non impedit, quo minus ab intestato filij naturales in sexta parte bonorum patris succedant. Ita habetur *l.* 9. *titulo* 13. *part.* 6. Quod ad matrem attinet, si descendentes legitimos habeat, neque ex testamento, neque ab intestato illi succedant filij naturales: fas tamen ipsi est in vita illis dare, aut post mortem illis relinquere quintum suorum bonorum, de quo pro sua anima poterat disponere. Quod si descendentibus legitimis careat, esto ascendentes habeat, filij naturales, nepotes, & pronepotes in suo ordine & gradu, tam ex testamento, quam ab intestato, illi succedunt, non secus ac si essent legitimi. Ita sancitum est, *l.* 9. *Taur. quæ est* 7. *tit.* 8. *libro* 5. *nouæ collectionis.*

16 Dubitabit aliquis, vtrum Lusitaniæ lex, nec non, *Dubium.*
l. si qua illustris, quatenus in aliquibus euentibus filiis naturalibus concedunt portiones æquales cum legitimis, iustæ licitæque sint. Etenim *Genes.* 21. cum Sara dixisset ad Abraham: *Eiice ancillam hanc & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*, dureque id accepisset Abraham, dixit illi Dominus. *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Vnde *Paulus ad Galat.* 4. eum locum referens ait. *Sed quid dicit scriptura? Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Et *Genes.* 25. scriptum legimus. *Dedit que Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret.* Idem etiam docent *Leo Papa ad Rusticum Narbonensem, capit. Non omnes*, 32. *quæstione* 2. *& Ambrosius capit. Dicet aliquis*, 32. *quæstione* 4. His ducti rationibus, *Couarruu.* §. 4. *citato, numero* 15. *cum aliis*, quos tam ipse, quam *Gama decisione* 312. *num.* 2. referunt, iniquas censent eiusmodi leges.

17 Non tamen sunt vlla ratione condemnandæ, *Decisio.*
quæ vsu, vbi ea iura vigent, perpetuo seruatæ sunt,

sunt, ac seruantur. Neque enim iuri naturali, aut A
Diuino positiuo sunt contrariæ. Etenim in illis scripturæ locis sermo non est de filio naturali, sed de legitimo, qualis erat Ismael, tametsi de minus præcipua vxore, quæ simul ancilla erat: Saræ & Abrahami, habito, vt omnes confitentur. Quod si legitimus non fuisset, vtique fuisset spurius, genitus ex adulterio, atque adeo non esset de numero filiorum, de quibus est nobis hoc loco sermo. Deinde credendum non est, Abrahamum, dum Saræ repugnabat, ius naturæ violasse: quia neque sacra scriptura ad id inuit, neque rei ipsius natura id suadet, neque de sanctissimo viro, Deo tam familiari, ab eoque tantopere illuminato, est præsumendum. Postremo, verisimile non est, Deum ius positiuum eo in loco statuisse, quod posteros Abrahami ad illud idem astringeret: præsertim cum A- B
braham Ceturam habuerit etiam vxorem, licet non tam præcipuam ac erat Sara, ex qua filios genuit, vt habetur *Genes.* 25. Cum vero Abraham soli Isaac dederit cuncta, quæ possidebat, iuxta Domini præceptum *Genes.* 21. eo quod in solo Isaac vocandum illi esset semen, filius autem concubinarum (in quibus Ceturæ filij comprehendebantur) largitus solum fuerit munera, eosque separauit ab Isaac, vt habetur *Genes.* 25. neque consuetudo fuerit in synagoga, vt filij vxorum minus præcipuarum excluderentur ab hæreditate paterna, consequens profecto est, vt *Genes.* 21. Deus non condiderit ius positiuum, quod Abrahami posteros ad illud idem astringeret, neque naturale exposuerit, sed iuxta doctrinam Pauli ad *Galat.* 4. iunctis ijs, quæ ad *Roman.* 9. docet, facto illo significare vo- C
luerit, cœlestem hæreditatem pertinere ad solos legitimos Ecclesiæ (in Sara figuratæ) filios, qui per repromissionem secundum spiritum fidei vitæ sunt veri Abrahæ filij, potiunturque libertate, quia Christus eos liberauit. Inter eos autem præcipui sunt Ecclesiæ Christianæ filij, liberi per Christum à iugo veteris legis, & quibus longe cumulatiora dona per Christum conferuntur, quam vel in naturæ lege, vel etiam in synagoga fuerint vnquam collata. His omnibus adde, esto admitteremus Deum *Genes.* 2. ius condidisse positiuum, quod ad Abrahami posteros sese extenderet, per Christi mortem, vt & cæteram legem veterem quoad iudicialia, expirasse, neque iam hodie vim habere. Quare cum nihil hac de re ius naturale, aut diui- D
num positiuum statuat, validum ac licitum est, quod iure humano positiuo ea in parte fuerit statutum, siue aliqua de causa interdum illegitimi aliqui filij ad hæreditatem vel maternam, vel etiam paternam vna cum legitimis filiis admittantur, vel ab ea excludantur, solumque alimenta, aut portio aliqua minor, quam legitimis filiis, concedatur.

18 Leo autem Papa & Ambrosius *duobus capitibus citatis*, de illegitimis filiis ex veris concubinis fornicationeque natis iuxta ius Romanorum ante *legem, si qua illustris*, conditum, sunt loquuti: idque, quod Romanorum iure fuerat statutum, frequen- E
tique vsu tunc seruabatur, tacito argumento à maiori ratione, tanquam æuum, ex illis scripturæ testimoniis merito confirmarunt. Si namque sacra pagina Deum iussisse commemorat, vt filius ancillæ concubinæ, alioquin veræ vxoris, non esset hæres cum filio liberæ, sane, spectata sola natura rei, longe maiori cum æquitate, iure & vsu Romani Imperij seruabatur, vt filij illegitimi ex veris concubinis habiti, ad hæreditatem paternam & maternam æqualiter cum legitimis filiis minimè admitterentur.

SVMMARIVM.

1 *An filius illegitimus, qui natus non est ex vnica concubina domi retenta, cum qua non est impedimentum ad matrimonium contrahendum, succedere possit patri tam ex testamento, quam ab intestato, & an pater possit alimenta præbere.*

2 *Posita extensione filij naturalis, quæ iure canonico facta est ad omnes genitos ex ijs, inter quos impedimentum non erat ad contrahendum matrimonium, quo modo talis filius de iure Lusitaniæ succedet patri ac matri.*

3 *Spurij ex ijs geniti, inter quos esse non potest matrimonium, an succedere valeant patri.*

4 *Ius Castellæ expenditur.*

5 *An, si filius spurius quicquam de bonis paternis præter alimenta obtineat, teneatur id restituere hæredibus.*

6 *Patri nec vulgari, neque fideicommissaria substitutione filium spurium licet substituere: at pupillari filio legitimo alterum filium spurium bonis, quæ pupillus obtinuit à patre, substituere potest, secus tamen in alijs.*

7 *An filij spurij presse sumpti succedere possint matri, quando concepti sunt ex coitu damnato & punibili lege humana.*

8 *Coitus damnati & punibiles qui.*

9 *Qui filij naturales consentaneè ad ius canonicum censeantur, & an ij matri, an vero spurij presse sumpti succedant.*

10 *In quo euentu locum habeat dispositio l. si qua illustris.*

11 *Quomodo fœmina filium spurium concipiens à culpa excusetur, & an natus succedat matri cum filijs legitimis.*

12 *Filius spurius in regno Castellæ ex clerico aut moniali professis, nec patri, nec matri succedit, neque potest quicquam ab eis obtinere præter alimenta.*

13 *Quid quando in eodem regno filius spurius conceptus est ex coitu, propter quem statuta est matri pœna mortis naturalis.*

14 *Quid quando in prædicto regno mater legitimè descendentibus caret, esto habeat ascendentes.*

15 *Quid quando mater in prædicto regno legitimos descendentes habet.*

16 *Deficiente auo legitima prole, quem hæredem possit instituere.*

17 *An, si filius spurius clerici duxerit aliquam, possit pater talis filij instituere hæredem vxorem illius.*

18 *Alij ab ascendentibus instituere possunt sibi hæredes filios spurios, non secus atque quoscunque alios extraneos.*

19 *Sicut spurij succedere nequeunt parentibus, aut alijs ascendentibus, ita neque ascendentes succedere possunt ipsis.*

20 *Fratres spurij vterini sibi mutuo succedunt ab intestato, secus est de non vterinis.*

21 *Filio naturali non habente fratrem vterinum, de iure Castellæ, quis succedat.*

22 *Quid quando iuxta Lusitanum ius, filius naturalis est filius hominis laici.*

DE SVCCESSIONE SPVRIORVM, & num collaterales spurij, aut naturales sibi inuicem succedant.

DISPVTATIO 167.

SIt prima conclusio. Si de nouissimo iure Cæ- 1
sareo authenticorum loquamur, antequam 1. *Conclusio.*

nomen filiorum naturalium iure canonico tam late extenderetur quam duabus disputationibus præcedentibus explicatum est, nullus omnino illegitimus filius, qui natus non esset ex vnica concubina domi retenta, cum qua non esset impedimentum ad matrimonium contrahendum, succedere poterat patri, tam ex testamento, quam ab intestato, quin neque pater præbere illi poterat alimenta. Ita habetur expresse *in authent. quibus modis natur. effic. sui* §. *vltima siquidem* (qui est penultimus) *iuncto* §. *si vero effusa*. Etenim cum in eo authent. soli filij ex vnica concubina domi retenta, cum qua poterat esse matrimonium naturales appellentur, modisque disputatione præcedente explicatis ad succedendum parri ibidem admittantur, §. *penult. citato* omnes alij illegitimi filij non naturales dicuntur, omninoque à successione patris, tam ex testamento, quam ab intestato, excluduntur, quin & ab alimentis: complexusque, ex quibus tales filij procedunt, nefarij, damnatique eo in loco appellantur. Idem habetur *in authent. huet, in vltimis verbis, C. de natur. liber.* consentitque *Bart. l. vlt. ff. de his quibus vt indig. num. 2. & 3.*

2 *2. Conclusio.* Secunda conclusio. Posita extensione filij naturalis, quæ iure canonico facta est ad omnes genitos ex ijs, inter quos impedimentum non erat ad contrahendum matrimonium, quæque consuetudine multorum regnorum in foro sæculari recepta est, & lege Lusitana & Castellæ est sancita, vt disputationibus præcedentibus ostensum est, de iure horum Regnorum vniuersim filij omnes in ea acceptione naturales, esto concepti sint ex coitu iure communi aut eorundem Regnorum punibili, succedunt eo modo patri ac matri, quo disputatione præcedente explicatum est. Probatur, quoniam eo ipso, quæ de iure communi sancita erant circa filios naturales genitos ex vnica concubina domi retenta, censentur extensa ad omnes vniuersim filios naturales in ampliori acceptione iure canonico introducta, eaque omnia, quæ de filiis naturalibus in his regnis quoad successionem constituta sunt, intelliguntur de naturalibus in eadem ampla acceptione. Quo fit, vt licet, vel de iure communi, vel de iure horum Regnorum, pœna statuta sit coeunti cum virgine, vidua honesta, aut etiam comprimenti has, vel quamcunque aliam soluram, cum qua matrimonium poterat contrahere, nihilominus filij ex eiusmodi copulis geniti eo pacto patri, aut matri succedant, quo disputatione præcedente explicatum est, filios naturales parentibus suis succedere. Vnde quando *libro 4. Lusitan. ordinat. titulo 81.* dicitur, *filio clerici, vel concepto ex quocunque alio damnato aut punibili coitu, cui de iure communi, aut iuxta ordinat. huius Regni succedere non potest pater, aut mater, &c.* vtique non excluditur quod de filijs naturalibus *eodem 4. lib. titulo 71.* fuerat vniuersim statutum, esto aliquibus copulis, ex quibus naturales filij generantur, pœnæ statuantur de iure communi atque Lusitani regni, vt constat 5. *lib. ordinationum tit. 14. 18. 20. 21. 23. & 24.* quibus in locis multæ etiam fornicationes simplices sub graui pœna puniuntur: cum tamen dubium esse non possit, filios naturales ex eisdem copulis genitos eo modo parentibus succedere, quo disputatione præcedente explicatum est. Quare verba illa ex *4. lib. ordinat. tit. 81.* relata, nempe, cui de iure communi, aut iuxta ordinationes huius regni succedere non potest pater aut mater: restrictio sunt illorum præcedentium, videlicet, vel concepto ex quocunque alio damnato, aut punibili coitu, quasi non vniuersim omni concepto ex damnato & punibili coitu succedere non possit pater aut mater, atque adeo neque ipse patri aut matri (cum, vt disputatione præcedente explicatum est, quando descendenti succedere non potest ascendens, neque ascendenti succedere possit descendens, & è contrario) sed ex iuribus ipsis intelligendum sit, quinam succedere possint, aut non possint.

3 *3. Conclusio.* Tertia conclusio. De iure huius Lusitani regni, & vbicunque in foro sæculari consuetudine aut lege recepta est extensio filij naturalis iure canonico introducta, neque aliud in particulari est sancitum, reliqui illegitimi filij, qui spurij prefse dicuntur, nempe, qui ex ijs sunt geniti, inter quos esse non poterat matrimonium, succedere nequeunt patri ex testamento aut ab intestato in vlla parte fuorum bonorum, aut illam donatione vel alio contractu inter viuos accipere. De alimentis vero dicetur disputatione sequenti. Probatur conclusio, quoniam, vt *conclusione prima ex authent. quibus modis natur. effic. sui*, §. *penult. & ex authent. licet*, ostensum est, hi omnes, & etiam naturales filij, qui ex vnica concubina domi retenta non erant geniti, excluduntur omnino à successione in bonis patris: ergo si propter extensionem iure canonico introductam excipiamus filios naturales genitos non ex concubina vnica domi retenta, vbi ea extensio consuetudine aut lege est recepta, sane reliqui omnes, si nihil aliud sit statutum, sed iuri communi stetur, excludentur omnino à successione in bonis patris. Atque hæc est sententia *Bart. loco citato, Couarru. in Epitom. part. 2. cap. 8. §. 5. numero 3. Iulij Clari 3. libro sentent. §. testamentum, quæst. 13. Gam. decisione 3. num. 5.* & communis: consentitque *l. 10. tit. 12. part. 6.* quæ exprimit, neque donatione, neque contractu aliquo inter viuos posse talem filium quicquam accipere à patre. Porro in ordinationibus Lusitanis nihil in contrarium est statutum, quin potius aperte consentiunt *lib. 4. titulo 81. citato.*

4 *Castellæ ius expenditur.* Non dubito in Regno Castellæ locum habere, quæ hac conclusione tertia dicta sunt: quandoquidem *l. 10.* citata suffragatur, nec video quicquam in contrarium in eo regno esse dispositum. Solum facit dubium *l. 10. Tauri, quæ est 8. titu. 8. lib. 5. noua collect.* quatenus disponit in euentu, in quo pater aut mater præbere teneantur alimenta filio illegitimo, vel dum viuunt, vel tempore mortis, non posse vi talis obligationis illi relinquere vltra quintum suorum bonorum, de quo pro anima sua poterant disponere: redditurque talis filius incapax ad plura bona accipienda. Additurque eiusmodi filium, cum eam portionem obtinuerit, posse de illa disponere ad libitum, tam dum viuit, quam tempore mortis. Circa eam vero legem controuertunt aliqui, an pater eiusmodi filio, etiamsi dives sit, aliundeque habeat alimenta, licite ac valide vi talis legis relinquere possit quintum suorum bonorum. *Gregorius Lopez. ad l. 10. titul. 13. part. 6. cum Aymone affirmat*, idemque dixerat *Couarr. in epitom. part. 2. capit. 8. §. 6. in priori eius operis editione.* Contrarium tamen non dubito esse verum, nempe nec patrem, nec matrem posse plus in alimenta tali filio de quinto illo suorum bonorum relinquere, quam ad ea indigeat, ita vt, si aliunde competentia alimenta habeat, nihil possint relinquere: si vero indigeat parte duntaxat alimentorum, quia aliunde reliquam habet, solam eam partem possint illi relinquere. Ratio est, quoniam ea lex manifeste id solum statuit, quando pater aut mater tenentur alimenta illi præbere, & quatenus spectato iure naturali & canonico (iuxta ea, quæ disputatione sequente dicenda sunt) ad id tenetur, intentumque illius legis solum fuit limitationem adhibere, ne sub pallio alimentorum plura bona eiusmodi filiis relinquerentur, quam par esset: non vero extendere facultatem, quæ antea erat ad bona eiusmodi filiis relinquenda, vt legem ipsam intuenti satis est manifestum.

Vnde

Vnde *Couarr. in postrema eius operis editione* in hanc nostram sententiam inclinauit.

5 Quod si filius spurius quicquam de bonis patris præter alimenta obtineat, in conscientia, tanquam illorum incapax, tenetur id restituere hæredibus relictis in testamento, quibus per ius accrescendi id cedit. Si autem nulli sint ex testamento, tenetur restituere hæredibus ab intestato, possuntque id exigere hæredes ac debent. Quod si intra duos menses exigere id negligant, tunc potest fiscus id sibi vendicare, *argument. text. l. 1. §. vlt. C. de natur. lib.* idemque aperte disponit *l. 10. tit. 13. part. 6.* Lege *Couar. num. 3. citato.*

6 Pater neque vulgari, neq; fideicommissaria substitutione potest filium spurium substituere: quin neque si instituat aliquem hæredem, eumque grauet, vt, cui voluerit, ea bona restituat, hæres ita institutus eligere poterit filium spurium: quoniam substitutus fideicommissaria substitutione à principali testatore censetur accipere ea bona. Ita *Couar. §. 5. citato, num. 3. & 4. Anton. Gom. ad l. 9. Taur. num. 20. & Molina lib. 2. de primogen. cap. 11. num. 28. cum aliis quos referunt, argument. text. l. vnum ex familia in princ. & §. 1. ff. de legat. 2.* Pupillari autem substitutione, licet filio suo legitimo substituere etiam non possit alterum suum filium spurium in bonis, quæ pupillus obtinuerit à patre: secus tamen est in aliis eiusdem pupilli bonis: quoniam licet spurius ea accipiat dispositione & ministerio patris, non tamen accipit à patre, sed à fratre suo pupillo. Ita colligitur aperte *ex l. si is qui* (sexta illius tituli) *ff. de vulg. & pupil. substitutione, & affirmat Gloss. in authen. quib. mod. natu. effic. sui. §. penult. in verbo participium, Couar. nu. 4. & Anton. Gom. num. 20. citatis, cum Bart. Bald. & aliis*, quos referunt.

7 Quarta conclusio. Filij spurij presse sumpti, id
4. Conclusio. est, geniti ex ijs inter quos erat impedimentum matrimonium dirimens, de iure communi atque Lusitano, neque ex testamento, neque ab intestato, succedere possunt matri, quando concepti sunt ex coitu damnato & punibili lege humana. In hac conueniunt omnes, eamque affirmant *Gloss. in §. nouissime, verb. admitti, institut. ad senat. consult. Orfic. Gloss. l. si qua illustris, Cod. eodem titulo. Bart. l. vlt. ff. de his quibus vt indig.* & Doctores communiter, quos referunt, & sequuntur *Couarru. §. 5. citato, numero 15. Anton. Gom. ad l. 9. Tauri, numero 13.* Porestque probari, quia quæ *authen. quibus modis n.t. effic. sui, §. penultimo.* statuta sunt de successione filiorum non naturalium comparatione patris, intelligenda similiter sunt comparatione matris, nisi quatenus iure ciuili fuerit exceptum: sed *l. si qua illustris. Cod. ad Orfi. & §. nouissime. institut. eodem titulo.* solum excipitur, quando filius, alioquin naturalis, conceptus est ex patre incerto, & mater est non illustris, aut quando filius est ex copula cum vnica concubina, cum qua non erat impedimentum ad contrahendum matrimonium, quæ copula, *l. si qua illustris*, appellatur consuetudo licita: ergo in euentu, de quo sermo est in nostra conclusione, filius succedere nequit matri. Idem confirmatur *ex authent. ex complexu, Cod. de incest. nupt.* vbi habetur: *ex complexu nefario aut incesto, seu damnato, liberi nec naturales sunt nominandi. omnis paternæ substantiæ* (Glos. addit, *& maternæ*) *indigni beneficio, vt nec alantur à patre.* Consentiunt ordinationes Lusitaniæ *lib. 4. tit. 81.* verbis supra relatis, vbi dum negant parentes succedere filio clerici aut concepto ex quocunque alio damnato aut punibili coitu, per consequens negant filium succedere parentibus, vt supra dictum est.

8 Licet in conclusione proposita conueniant Doctores, controuersia tamen inter eos est, qui coitus damnati & punibiles sint. Et quidem consentiunt, adulterium cum vxore aliena, & incestum,

Coitus damnati & punibiles qui.

A tam cum sanguinea, quam cum affine, damnatos esse: puniuntur namque tum iure communi, tum etiam *ordinationibus Lusitanis libro 5. tit. 13. 15. & 17.* Sacrilegium etiam cum clerico, religioso, aut religiosa, coitus damnati sunt in hoc Regno; puniuntur enim *ibidem tit. 22. 26. & 27.* Non desunt tamen Doctores, qui affirment, filium solutæ & coniugati succedere matri, eo quod concubitus, ex quo est genitus, non puniatur lege ciuili. Item filium solutæ, conceptum ex vno aut altero concubitu cum sacerdote succedere matri: quia similiter non punitur lege ciuili. Contrarium affirmat *Couarru. loco citato, num. 16. & 17. quoniam*, inquit, *cum adulterium cum soluta, tam ex parte soluta, quam ex parte viri, cedat in iniuriam vxoris, damnatum & punibile est, licet raro puniatur.* Sacrilegium B etiam cum sacerdote, cum in dedecus & iniuriam ordinum ac ministerij Ecclesiastici cedat, eaque ratione eiusmodi coitus adulterinus appelletur à Glos. communiter recepta, *capit. cum per venerabilem, qui filij sint legitimi*, vtique damnatum secundum se est ac punibile. Consentiunt ordinationes Lusitaniæ, eiusmodi coitus damnatos & punibiles esse: quoniam dum *loco citato tit. 25. & 26.* puniunt concubinas coniugatorum, clericorum, & religiosorum, vtique non solum damnant quemcunque coitum inter eiusmodi personas, sed etiam punibilem eum censent secundum se, quamuis forte concubina soluta non puniatur propter vnicum actum, etiamsi de illo conster. Possumus idem confirmare, quoniam *lib. 4. ordinat. titulo 81.* absolute & absque vlla distinctione dicitur, filium clerici nec succedere patri, nec matri, eo quod concubitus, ex quo fuit genitus, damnatus ac punibilis sit. Mirorque non defuisse senatorem in hoc regno, qui iudicauerit contrarium, vt *Gama decisione 136.* refert, & multo magis eiusmodi coitum ab eodem *Gama ibidem* appellari simplicem fornicationem. Nomine autem clerici in re proposita intelligitur is, qui in ordinibus sacris est constitutus, etiamsi solum sit Subdiaconus: quia in omni tali concubitu est sacrilegium, omnisque talis est inter illos, qui impedimentum dirimens habent ad contrahendum matrimonium. Non vero intelligitur clericus in minoribus constitutus, etiamsi beneficiarius sit: quoniam filius, ex eiusmodi clerico genitus, & ex solura, naturalis omnino est de iure Lusitano & canonico, ac proinde succedit matri. Hac eadem ratione filius genitus ex solutis, qui voto castitatis simplici matrimonium non dirimente essent ligati, sane naturalis esset, vt succederet hodie matri: eo quod genitus esset ex ijs, inter quos non esset impedimentum matrimonium dirimens, esto peccarent contrahendo matrimonium non obtenta prius voti dispensatione.

Hodie tamen, tam in hoc Lusitaniæ regno, quam 9
vbicunque in sæculari foro naturales filij consentaneè ad ius canonicum censentur, quotquot ex ijs sunt geniti, inter quos non erat impedimentum matrimonium dirimens, nec quoad successionem est aliud in particulari dispositum, arbitror vniuersim esse dicendum, nullum omnino spurium presse sumptum succedere matri: omnem vero non spurium, atque adeo naturalem, succedere, matri. Possumus vero id probare ratione, quam supra tetigimus, controuersias omnes proculdubio dirimente: ea vero est huiusmodi. *Nullus illegitimus filius, qui patri non succedit, succedit matri, nisi de quo fuerit facta exceptio in iure*: sed *lege si qua illustris, Cod. ad Orfi. & §. nouissime. institut. eodem titulo.* solum excipiuntur filij naturales presse, prout de illis ciuile ius loquebatur, & ij spurij, seu vulgo quæsiti, qui ex matre soluta & non illustri, & patre incerto erant geniti, qui hodie omnes sunt natura-

turales, etiamsi ex matre illustri sint geniti, succeduntque in hoc Lusitaniæ regno, & alijs, de quibus loquimur, matri, neque in iure ciuili inuenitur alia exceptio: ergo vera est nostra assertio. Confirmatur, quoniam ius ciuile Cæsareum sane copulam omnem, quæ non est cum vnica concubina domi retenta, cum qua poterat esse matrimonium, appellat illicitam & damnabilem, seu damnatam, vt constat *ex l. si qua illustris, §. vltimo, & ex authent. quibus modis natur. effic. sui. §. penultimo*, vt supra ostensum est, quin *& authent. ex complexu, Cod. de incestis nuptijs*, cuius verba paulo antea retulimus, desumpta sunt *ex authent. quibus modis natur. effic. sui, §. penult.* nec aliud disponit, quam quod §. illo fuit dispositum: ergo iure ciuili Cæsareo omnis copula, quæ non est cum vnica concubina domi retenta, cum qua esse poterat matrimonium, illicita & damnata censetur, atque adeo excludit filium ex ea genitum, tam à successione matri, quam patri, solumque, quoad successionem matri, excipitur, *l. si qua illustris, citata, & §. nouissime, citato*, copula solutæ non illustris cum incerto prolis parente.

10 Illud admonuerim hodie in hoc regno, & in alijs, de quibus loquimur, vim non habere dispositionem *l. si qua illustris*. Quoniam in his regnis omnis, qui ex soluta & incerto parente soluto est conceptus, censetur naturalis, ac proinde succedit matri, siue illa illustris sit, siue non, vt sæpius est dictum. Lex autem illa solum habet locum, posito, quod solus is filius naturalis sit, qui genitus est ex vnica concubina domi retenta: in priori namque parte eiusdem legis disponitur, filium etiam spurium genitum ex soluta & incerto parente solum succedere matri, modo mater illustris non sit.

11 Illud præterea admonuerim, quando fœmina, quæ filium alioqui spurium conciperet, à culpa excusaretur, vel quia fuit vi oppressa, vel quia inuincibiliter ignorauit eum, cum quo rem habebat, non esse suum virum, vel aliqua alia ratione, filium eo pacto genitum succedere matri vna cum alijs filijs legitimis: quoniam denegatio successionis est in pœnam & odium delicti parentum: vbi autem nulla interuenit culpa, cessare debet pœna.

12 Quinta conclusio. In Regno Castellæ filius spu- *5. Concluſ. Iuu Caſtel.* rius ex clerico religioso, aut moniali professis, nec matri, nec patri succedit, neque consanguineis patris, neque potest quicquam ab eis obtinere præter alimenta, *l. 6. & 7. tit. 8. lib. 5. nouæ collect.* Quo fit, vt, quod supra dictum est de pupillari substitutione, locum non habeat in Regno Castellæ in eiusmodi filiis spurijs.

13 Sexta conclusio. In eodem regno quando filius *6. Concluſio.* spurius conceptus est ex coitu, propter quem matri statuta est pœna mortis naturalis, vt ex adulterio matris, talis filius succedere nequit matri, neque ex testamento, neque ab intestato. Potest tamen mater illi relinquere quintum suorum bonorum, de quo dispo nere poterat pro anima sua. Ita habetur *l. 7. citata, quæ est 9. in legibus Tauri.*

14 Septima conclusio. In eodem Regno, si mater *7. Concluſio.* descendentibus legitimis careat, esto habeat ascendentes, reliqui filij ipsius spurij illi succedunt, tam ex testamento, quam ab intestato, perinde ac si essent legitimi. Ita habetur *l. 7. citata.* Quare filius ex soluta & coniugata, esto ille consanguineus aut affinis esset, non excluditur in eo Regno à successione matri: eo quod pro eiusmodi criminibus pœna mortis in eodem regno statuta non sit.

15 Octaua conclusio. In eodem Regno, si mater de- *8. Concluſ.* scendentes legitimos habeat, ij filij spurij, de quibus sermo est in præcedente conclusione, neque ex testamento, neque ab intestato succedunt matri. Potest tamen mater illis relinquere quintum suorum bonorum, de quo disponere poterat pro anima sua. Ita habetur *l. 7. citata.*

Nona conclusio. De iure communi (idem cen- 16
sendum est de iure Lusitano & Castellæ) deficiente *9. Concluſio.* legitima prole, auus instituere potest hæredem nepotem filium naturalem aut legitimum filij sui spurij: modo tamen institutio non fiat intuitu patris, sed nepotis, quia nepos est ipsius instituentis (tametsi ex tali filio, aut filia spuriis) vel aliqua alia de causa. Atque in dubio institutio censetur facta intuitu nepotis, esto pater viuat. Ita cum Bart. & communi Doctorum sententia *Couar. in epit. part. 2. cap. 8. §. 5. num. 13. Pinellus l. 1. C. de bonis mater. part. 3. num. 20. Gam. decis. 136. & Anton. Gom. ad l. 9. Tauri, numero 17.* colligiturque *ex l. vltim. Cod. de naturali. liber.* Excipitur, si nepos esset ex filio genito ex incestis nuptijs, *argument. l. si quis incesti, Cod. de incest. nupt.* Anton. Gom. cum Bartolo obseruat, si nepos institutus legitime iuxta conclusionem propositam, quando hæreditatem aut legatum aui consequeretur, esset adhuc sub potestate patris, vsusfructus non pertineret ad patrem, vtpote illius incapacem, sed ad filium. Illud etiam obserua, conclusionem propositam nihil in regno Castellæ pugnare cum quinta præcedente, esto talis nepos filius esset filij clerici, religiosi, aut monialis. Lex namque Castellæ solum prohibet filios spurios succedere consanguineis patris, non vero filios naturales aut legitimos genitos ex talibus spurijs succedere consanguineis patris. Quod si initiatus ordinibus sacris post ordines susceptos generaret filium, qui esset spurius, neque patri, neque auo, etiamsi auus clericus non esset, posset succedere.

Anton. Gom. iuxta conclusionem propositam 17
ibidem vult, si filius spurius clerici, aut alterius duxerit aliquam, patrem talis filij posse instituere hæredem vxorem illius, vel socrum, aut socerum, idemque affirmat, si filia spuria nupserit alicui. Cæterum cum in hoc regno matrimonia fiant contractu medietatis, atque adeo quicquid vni coniugum aduenit, commune fiat vtriusque, vtique relinquendo aliquid coniugi filij, aut filiæ, imo & socero, aut socrui, virtute relinquitur tali filio, aut filiæ, quod nequaquam licet. Imo esto in hoc regno, vel alibi contraherent contractu arrharum & dotis, non dubito illicitum inualidumque esse donare, aut promittere aliquid sponsæ, aut socero, vel socrui, ea lege, vt illa contrahat cum filio spurio: quoniam id est virtute donare filio, & quasi emere illi vxorem cum tanta, vel tanta dote, quod illicitum est atque inualidum. Non tamen damno sententiam Anton. Gom. quando donatio, legatum, aut institutio hæredis non redundaret eo pacto in filium, aut filiam spuriam.

Decima conclusio. Alij ab ascendentibus insti- 18
tuere possunt sibi hæredes filios spurios, non secus *10. Concluſ.* atque quoscunque alios extraneos. Ita affirmat *glos. in auth. quib. mod. nat. effic. sui, §. pen.* & cum ea *Panor. c. cum haberet, de eo qui duxit in matrim. quam polluerat per adult.* & Doctores communiter. Ratio est, quoniam id non reperitur prohibitum in iure, quin potius expresse est concessum *in authen. quibus mod. nat. effic. sui. §. filium vero*, illis verbis: nisi forte scripserit, aut ipse illos, aut ab illis scribatur, hæres scilicet. In regno tamen Castellæ hoc locum non habet in filiis clericorum, religiosorum, aut monialium, vt concluſ. 5. dictum est. *Iuu Caſt. ibi.*

Vndecima cõcluſ. Sicut spurij succedere nequeunt parentib. aut aliis ascendentibus, ita neq; ascen- 19
dentes succedere possunt ipsis. Ita Doct. communiter, per regulam sæpe traditam, habeturq; *in ordinat. Lusitanu lib. 4. tit. 81. & authen. quib. mod. nat. effic. sui. §. filiũ vero*; Lege, si placet, *Anton. Gom. ad l. 9. Tauri, n. 45.* *11 Con. Lyſ.*

Duode-

20 Duodecima concluſio. Fratres ſpurij vterini ſibi A
12. Concluſ. mutuo ſuccedunt ab inteſtato, idemque dicendum eſt de aliis conſanguineis ex parte matris, qui illis fuerint proximiores. Ita habetur *in Ordin. Luſitanis lib.4.tit.81.l.vlt.tit.13.p.6.l.hac parte. l.ſi ſpurius. ff.vnde cognati.* ſecus eſt de fratrib. ſpuriis non vterinis, qua-les ſunt filij diuerſarum matrum, & eiuſdem patris, & de conſanguineis eorum ex parte patris; neque enim ſibi mutuo ſuccedunt ab inteſtato, eſto Principis reſcripto legitimati ſint: quoniam legitimatio illa ſolum intelligitur ad effectum ſuccedendi patri, niſi aliud exprimatur. Ita notant *gloſſ. l. hac parte. ff. vnde cognati*, & Doctores communiter: Imo vero habetur expreſſe *in authent. quibus modis natural. efficiantur ſui. §. filium vero.* Ex teſtamento tamen ſuccedere ſibi inuicem poſſunt, vt habetur §. *filium vero citato.* Quod in hac concluſione dictum eſt de filiis ſpuriis, intelligendum etiam eſt de filiis naturalibus, vt affirmant Doctores communiter, quos referunt & ſequuntur Couar. *in Epit. part. 2. c. 8. §. 5. nu. vlt.* Gama *deciſ. 3.* Anto. Gom. *ad l. 9. Taur. n. 47.* & habetur §. *filium vero citato. & l. vlt. tit. 13. par. 6.*

21 In Regno tamen Caſtel. *l. vltima citata* excipitur, quando filius naturalis non habet fratrem vterinum: tunc enim, ſi habeat fratrem legitimum ex parte patris, is ei ſuccedit, eſto habeat alium fratrem naturalem, & non legitimum ex parte eiuſdem patris. Quod ſi fratre legitimo careat, & habeat naturalem, ſuccedit ei naturalis: alij vero conſanguinei C
ex parte patris non ſuccedunt illi ab inteſtato. Ita Ant. Gom. *loco citato nu. 48.* Quia ergo in quo euentu vnus conſanguineus ſuccedit alteri ab inteſtato, alius viciſſim illi ſuccedit, niſi ſit, qui præferatur, ſane ſi legitimus filius, neque deſcendentes, neque aſcendentes habeat, neque fratres legitimos, neque item vterinos illegitimos, in eo Regno ſuccedet illi frater naturalis ex parte patris, vt Greg. Lopez ad eandem legem adnotauit.

22 In hoc etiam Luſitaniæ Regno excipiendum eſt, quando filius naturalis eſſet filius hominis piam: cum enim eiuſmodi filius patri ſuccedat, non ſecus ac ſi eſſet legitimus, vt habetur *4. lib. ord. tit. 71.* & per conſequens pater etiam illi ſuccedat, vtique in hoc regno, defunctis patre & matre, æqualiter illi ſuccedunt fratres ex parte patris, ſiue legitimi, ſiue natu- D
rales ſint. Ita Gama *deciſ. 3. iuxta ordinat. citatam.*

SVMMARIVM.

1 *Quomodo intelligendum ius Cæſareum interdicere alimenta præbere filiis ſpuriis.*
2 *Quouſque teneantur parentes filiis ſpuriis alimẽta præbere.*
3 *Refertur Authoris ſententia.*
4 *Qui in defectum parentum teneãtur alere filios ſpurios.*
5 *Sicut parentes aliique aſcendentes in parentum defectum tenentur alere filios legitimos & naturales, atque etiam ſpurios: ita è contra filii alere tenentur ſuos aſcendentes ſi egeant.*
6 *Alimenta quæ inducant.*
7 *Quando pater habet legitimam ſobolem, filius illegiti- E
mus non poteſt plus accipere.*
8 *Quid, quando pater habens filium illegitimum relinquit legata pia.*
9 *Quid filiæ ſpuriæ in dotem à parentibus tradi poſſit.*
10 *An æque mater ac pater teneatur ad alimenta filio ſpurio.*
11 *Quouſque mater teneatur filium ſuum illegitimum nutrire, quoad lac, & cæteras expenſas facere tenetur pater.*
12 *Quid, quãdo mater lacte caret aut præ paupertate puero lactando vacare nequit.*
13 *Quis in defectum patris teneatur integra alimenta præbere filio.*
14 *Ex quibus cauſis remiſſiue parentes poſſunt filios exhæredare, poſſunt ex eiſdem alimenta denegare, & è contra.*

DE ALIMENTIS, FILIIS illegitimis debitis.

DISPVTATIO 168.

NVnc examinandum eſt, vtrum filiis illegitimis, 1
quos præcedentibus diſputationibus oſtenſum eſt parentibus non ſuccedere, alimenta ſaltem de illorum bonis debeantur. Et quidem de iure Ce- *Iur Cæſar.*
B ſareo patribus erat interdum præbere alimenta filiis ſpuriis. Ita habetur *authent. quibus modis naturales efficiantur ſui. §. penult. authent. ex complexu. Cod. de inceſtis nuptiis, & authent. lucet. Cod. de naturalib. liberis.* Id vero intelligendum non eſt de alimentis, ſine quibus eiuſmodi filij vitam amitterent: id namque apẽrte eſſet contra ius naturale, ac proinde manifeſte iniquum: & cum alij iure naturali in parentum defectum ſub reatu lethalis culpæ hæc illis exhibere teneatur, primo loco, multoque arctius parentes ad id tenentur: ſed intelligendum eſt de alimentis, ſine quibus vel proprio labore ac induſtria, vel aliqua alia via poſſent vitam conſeruare.

Iure tamen canonico hodie coguntur parentes 2
pro ipſorum, filiorumque conditione, quantita- *Iur Canon.*
te bonorum parentum, ſpectatisque cæteris circumſtantiis concurrentibus, nempe, numero aliorum filiorum, & aliis ſimilibus, competentia alimenta illis præbere: modò tamen aliunde ea non habeant; puta ex aliqua arte, quam eos deceat exercere, vel aliqua alia via. Ita colligitur aperte *ex capit. cum haberet.* de eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. Quo in loco, cum de filiis ſpuriis eſſet ſermo, ſic habetur: Solicitudinis tuæ intererit: vt vterq; (id eſt, tam pater, quam mater) liberis ſuis ſecundum quod eis ſuppetunt facultates, neceſſaria ſubminiſtrent. Atq; ex illo iure idem affirmant Innoc. & Panorm. *ibidem nu. 5.* Bart. *l. ſi quis à liberis. §. 2. ff. de liber. agnoſc. l. vlt. nu. 7. ff. de iis, quibus vt ind.* & plerique alii quos referunt & ſequuntur *Gama deciſ. 11. num. vlt.* Couar. *in Epit. par. 2. cap. 8. §. 6. à num. 1.* & *9.* & Ant. Gom. *ad l. Tauri, num. 37.* Eſtque id hodie in foro ſeculari receptum, quin & iure huius Luſitaniæ regni *lib. 1. ordin. tit. 67. §. 10.* & *lib. 4. tit. 68.* ſancitum, conſentitque ius Caſtellæ *l. 10. Tauri, quæ eſt 8. tit. 8. lib. 5. nouæ collect.* Sunt vero hæc intelligenda, eſto talis filius genitus ſit ex inceſtis nuptiis, vt aduerſus Bald. affirmat Ant. Gom. *loco citato nu. 38.* & alii, quos refert Quin & Nauar. *de ſpol. cleric. §. vlt. num. 9.* affirmat, hæc etiam poſt extrauagantem Pij V. locum habere in filiis presbyterorum, extrauagantemq; illam interpretatur.

Obſerua meo iudicio, nihil cum lumine natu- 3
rali pugnare, ſi quis propter crimen maximum, vt hæreſeos, aut læſum maieſtatis humanæ, ita priuetur bonis omnibus, vt filiis denegentur alia alimenta de eis bonis, præter illa, ſine quibus vitam non conſeruarent. Neque hoc pugnat cum canonica ſanctione, quæ ex naturali æquitate merito ſtatuit, vt quando bona habentium filios ſpurios non confiſcantur, non denegentur ex eis competentia alimenta eiuſmodi filiis: cum natura ipſa poſtulet, vt filij à parentibus alantur de bonis, quæ permanent parentum, *vt Couarr. in Epit. par. 2. cap 8. §. 6. nume. 15.* adnotauit, aut de his bonis, quæ hæreditario iure à parentibus in alios deriuantur: ius namque quod filij habent, vt à parentibus alantur, licet non tranſeat ad hæredes filiorum, quaſi defuncto aliquo filio hæredes illius petere poſſint, vt quæ alimẽta defuncto præſtabantur, ipſis dentur. vt colligitur *ex l. cũ ii.*

§.*modus. ff. de transactionib.* affirmantque *Couar. loco citato, & Anton. Gomez. ad l. 9. Tauri, nu.* 38. & alii quos referunt, transit tamen aduersus hæredes illius, qui alimenta præstare tenebantur. Ita colligitur *ex l. 2. §. si quis à liberis. §. item reſcriptum. ff. de liber. agnoſcen. & ex authent. licet. C. de natur. liber.* & affirmant Doctores communiter, quos referunt ac ſequuntur Gama *deciſione* 11. *num.* 8. *& 9. Couar. loco citato, num.* 14. *& Ant. Gom. num.* 39.

4 Non ſolum parentes tenentur alere filios ſpurios, ſed etiam aui in parentum defectum, iuxta *legem penult. ff. de liberis agnoſcend.* Id vero in ſpuriis (iuxta Cæſareum ius, quod prohibebat patri eis præbere alimenta) intelligit, *l. 5. tit. 19. par. 6.* de auis ex linea materna: quoniam ſicut mater tenetur eos alere, vt habetur expreſſe *l. ſi quis à liberis. §. idem in liberis, iuncta l. penult. ff. de liber. agnoſcend.* ita etiam aſcendentes per lineam maternam in defectum matris: non vero de auis per lineam paternam, quia, inquit, certum eſt, quænam ſit mater talium filiorum, nō vero quis ſit pater. Nihilominus hodie quemadmodum pāter, iuxta ius canonicum in ſeculari foro receptum, tenetur alere eiuſmodi filios, ſic etiam aui paterni in defectum patris tenentur eos alere. Ita Couarr. *loco citato, num.* 16. *Anton. Gom. in calce, num.* 38. *citati, & alii, quos Couar. & Greg. Lopez ad l. illam* 5. referunt, eſtque in hoc Luſitaniæ regno iudicatum, *vt ex Gama deciſ.* 11. *citata à num.* 6. *citato.*

5 Sicut parentes, aliique aſcendentes in parentum defectum, alere tenentur filios legitimos & naturales de iure Cæſareo, atque etiam ſpurios de iure canonico in ſeculari foro recepto: ita è contrario, filii alere tenentur ſuos aſcendentes, ſi egeant, neq; commode aliunde ali poſſint, ad idque iudicis officio cogi poſſunt. Ita habetur *l. ſi quis à liberis, in princip. ff. de liber. agnoſc. l. vlt. §. ipſum autem. C. de bon. quæ liber. l. 1. 2. & ſequentib. C. de alen. liber. & l. filia tua. C. de patria poteſtate*, vbi ſtatuitur, filiam etiam teneri exhibere patri alimenta.

6 Alimenta, potum, victum, veſtitum, habitationem, & reliqua neceſſaria continent, vt habetur *l. ſi quis à liber. §. non tantum alimenta, iuncta gloſſ. ibi, ff. de liber. agnoſc. l. 2. tit. 19. part. 4.* inter quæ computa impenſam funeris, ſi moriatur, & competentes expenſas pro anima defuncti. Hæc, vt dictum eſt, tribuenda ſunt ſpectatis circumſtantiis concurrentibus, habita etiam ratione eius, cui præſtanda ſunt, vt habetur *l. 2. citata.* Ait vero *l. 7. tit. 13. par. 6.* alimenta prudentis arbitrio eſſe, præſtanda conſone vero *ad cap. cum haberet.* addit, *ita tamen vt, qui illa exhibere debēt, ſine ſuo notabili damno poſſint ea præſtare. Anto. Gomez. ad l. 9. Tauri, num.* 40. affirmat, quando reditus bonorum immobilium, aliaque mobilia bona nō ſufficerent ad alimenta præſtanda, cogendum non eſſe eum, qui illa præſtare tenetur, vendere bonū immobile, quando ad ea præſtanda ſolum teneretur legis diſpoſitione, & non titulo oneroſo alicuius cōtractus; *argumento l. qui bonis. ff. de ceſſion. bonorum.* Excipe, niſi, qui ea præſtare tenetur, hæres eſſet parentis filij illegitimi defuncti, & idcirco ex reditibus bonorum immobilium defuncti ea præſtare non poſſet, quia ipſe diſſipaſſet alia bona defuncti: nam tūc de ſuis etiam bonis teneretur illa exhibere, eſto neceſſarium ad id eſſet vendere bona ſua immobilia. Dictum etiam eſt, eiuſmodi alimenta tunc ſolum ſpuriis eſſe ſperanda, quando eis indigent, quia aliunde commode ſuſtentari nequeunt, & quatenus eis indigēt: quoniam ſi aliunde ali ex parte poſſint, ſolum eſt eis tribuendum, quod deeſt ad competentia alimenta, vt etiam in Regno Caſtellæ de quinto bonorum iuxta *l.* 10. *Tauri, diſput. præcedente* dictum eſt. Quin ſi proceſſu temporis non indigeant, aut nō tanta portione, id illis detrahendum eſt, quo non indiguerint. Hinc eſt, quod ſi pater filio ſpurio dedit aut legauit fundū, vt ex illius reditibus aleretur, & moriatur talis filius, regreditur fundus ad patrē, aut ad hæredes patris: neque tranſire poteſt ad hæredes patris: neq; tranſire poteſt ad hæredes filij, niſi illi eſſent nepotes eius, qui fundum dedit, qui propter ipſorum inopiam alendi ſimiliter eſſent ab auo. Quando etiam fundus eſſet traditus æſtimatus, quia valor illius cenſebatur competentia alimenta ad tempus totum futurum, & quaſi interueniente pacto, vt illo eſſet contentus, ſiue paucioribus, ſiue pluribus alimentis in futurum indigere, tunc fundus tranſiret ad hæredes filii illegitimi, cui eſſet traditus. Ita Couar. §. 6. *citato, nume.* 15. Hodie vero in Regno Caſtellæ *l.* 10. *Tauri citata* ſancitum eſt, inprimis, vt illegitimus filius in alimenta non plus accipere poſsit de bonis parentum, quam quintum, de quo illi diſponere poſſunt pro anima ſua. Deinde, vt quæ de eiuſmodi quinto talis filius ita acceperit, poſsit poſtea ſiue in vita, ſiue in morte alienare, vt voluerit.

7 Ant. Gom. *ad l. 9. Tauri, n.* 41. merito primum horum intelligit, quando parentes habebant legitimā ſobolē: ne enim alij filij portione legitima defraudarentur, atq; ad lites tollendas ſancitum eſt, vt tūc filius illegitimus non plus poſſet accipere. Non exiſtente vero prole legitima, vtique ſicut parētes diſponere poſsūt pro anima ſua, aut ad quoduis aliud de tertio bonorum, ſi adſint aſcendentes, vel de omnibus ſuis bonis, ſi aſcendentibus careant: ita relinquere filio illegitimo poſſunt, & tenentur id omne, quoad alimenta competentia indiguerit.

8 Merito Ant. Gom. obſeruat, quando pater habēs filium illegitimum relinqueret legata pia, extrahenda prius eſſe de quinto bonorum parentis alimenta, quibus filius illegitimus indiguerit, tanquam verum debitum tali filio, de eo quinto bonorum patris; poſtea vero de reliquo implēda eſſe legata pia, ſi ad id ſufficiant, ſin minus omittendum eſſe, quod de eis impleri non potuerit.

9 In dotem filiæ ſpuriæ, etiamſi illa clerici filia ſit, tradi à parentibus poteſt id omne, quo illa ad competentia alimenta in totam vitam indiguerit, attenta illius qualitate, & circumſtantiis concurrentibus. Ita præter alios Nauar. *de ſpol. cleric. §. 1. n.* 10. vbi extrauagantem Pij V. quæ contrarium ſonare videbatur, interpretatur. *Quinamque* inquit Nauar. *alere poteſt filiam ſpuriam, poteſt illam dotare, eo, quod dos loco alimentorum ſuccedat*, vt ex Bart. & aliis refert. In Regno tamen Caſtellæ, ſi parentes ſobolem legitimam habeant, quod filiæ ſpuriæ fuerit in dotem datum, excedere non debet quintum bonorum parentum. Obſeruatamen, quod ita fuerit traditum, non ſolū in Regno Caſtellæ *iuxta l.* 10. *Tauri*, poterit filia illa alienare in vita & per mortem, ſed etiam, meo iudicio, in aliis locis: quoniam id tum marito in competentia alimenta vxoris & ſobolis (prout ad ea vxor etiam tenetur) tum etiam tali filiæ, quaſi æſtimatum traditur. Dixi, poſſe tradi in dotem id omne, quo illa ad competentia aliméta in totam vitam indiguerit: quoniam ſi competentia alimenta excedat, tunc ipſo iure exceſſus eſt nullus, ac proinde non ſolum repeti poteſt ab hæredibus parentum talis filiæ, ſed etiam tam ipſa quam maritus, tenentur illud reſtituere in conſcientiæ foro antequam petatur. Bart. & alij quos Couar. §. 6. *citato n.* 11. & Anto. Gom *ad l. 9. Tauri nu.* 44. referunt, aſſeuerant, exceſſum illū repeti non poſſe conſtante matrimonio, ſed ſolum eo per mortem alterius diſſoluto. Ducitur, quoniam maritus titulo oneroſo illud accepit. Merito tamen hæc ſententia à Couar. & Ant. Gom. reiicitur, ſaltē quando maritus non ignorabat illam eſſe filiā ſpuriam. Quando autem id inuincibiliter ignorabat, annuere videntur. Veruntamen exiſtimo etiā tunc falſam eſſe, ſaltem quando parentes legitimam habebant proſem, idque quod in alimenta tradiderūt, exceſsit ſummam, de qua ad libitum teſtari poterant,

Alimenta quæ includant.

rant, vt est tertium bonorum in hoc Lusitaniæ Regno; & solum quintum in Regno Castellæ: cum enim excessus ille debitus sit soboli, sane, nequitia parentum, & ignorantia generi, nocere non possunt soboli in portione ipsi debita: ficut nec eadem nocere possunt, si parentes filiæ legitimæ tradãt in dotem vltra legitimam portionem, & id omne, in quo pro libito poterant eam cum aliis filiis præferre. Quando autem id non cederet in præiudicium sobolis, cui esset debitum, veram existimo opinionẽ Couar. & Anton. Gom. quoniam tunc parentes ex parte damni iniuste dati tenerentur id restituere genero de bonis, de quibus pro libito poterant disponere. Quin & tunc licet dissoluto matrimonio hæredes parentum repetere possent incrementum illud à filia spuria & ab hæredibus illius, si ex ea & ex marito illo non esset proles, meo tamen iudicio repetere id non possent, si suscepta esset proles, nisi superstite matre, deficeret omnino proles illa: quoniã id in mariti iniuriam cederet, eo quod sua soboles, ex ea filia suscepta, priuaretur bonis sibi cum vxore in dotem datis.

10 Parorm. *c. cum haberet, de eo qui duxit in matrimon. &c.* affirmat, æque matrem ac patrem teneri ad alimenta filio spurio; ea autem, quæ proxime subiungam, intelligenda solum esse de filiis legitimis & naturalibus: Communis tamen sententia contrarium affirmat. Licet enim iure Cæsareo prohibitus esset pater alimenta filio spurio præbere, certe eo ipso, quod canonico iure id fuit reuocatum, in foroque C
seculari dispositio canonici iuris fuit recepta, quæ autea circa alimenta filiis legitimis præstanda, Cæsareo iure fuerant constituta, ad spurios filios extensa censentur, consentiuntq; Ordinat. Lusitaniæ *locis statim citandis*, atque ita in hoc Regno fuisse iudicatum refert Gam. *decis.* 304.

11 Mater vsque ad tertium annum absolutum tenetur nutrire filium suum illegitimum quoad lac dũtaxat: reliquas vero expensas, tam eo tempore, quã post illud, tenetur facere pater. Quod si mater in nutriendo tali filio quippiam expẽdat, quod pater expendere tenebatur, poterit illud postea exigere à patre, qui non solum in conscientiæ foro illud soluere tenetur, sed etiã in exteriori ad id cogetur. Ita habetur *lib.* 4. *Ordin. tit.* 68. § 1. Idemque in principio illius rituli disponitur de filiis legitimis, quando fit diuor- D
tium inter coniugatos. Idem habetur *l.* 3. *tit.* 19. *part.* 4. *& l. nec filium. C. de patria potest.* & affirmãt Nauar. *in manuali, c.* 14. *num.* 17. & Doctores, quos Couar. §. 6. *citato, num.* 13 refert ac sequitur.

12 Si mater lacte careat, aut præ paupertate, vel alio iusto impedimento puero lactando vacare nequeat, tunc pater tenetur lactis impensas soluere. Idem dicunt multi esse, si mater nobilis sit, neq; iuxta patriæ consuetudinem eiusmodi fœminæ suos filios lactare soleant. Quamuis autem Couarru. *loco citato* renuat, id innuunt Ordin. Lusitaniæ *tit.* 98. *citato*, etiam quando per diuortium, aut morte patris dissolueretur matrimonium. Idem est, si occultum esset, puerum esse filium talis mulieris, & sine sua infamia & dedecore non posset illum lactare.

13 In defectum patris tenetur mater, si possit, integra alimenta præbere filio, *l. si quis à liberis. ff. de liber. agnosc.* Quod si mater non possit, tenentur aui, aliiq; ascendentes, vt dictum est. Quod si neque ascendẽtes possint, constitutum est in hoc Lusitaniæ regno, vt requirantur alij consanguinei pueri: si autem illi non velint, aut eiusmodi spurij sint filij religiosorũ aut religiosarum, aut mulierum coniugatarum, ita vt minime expediat requirere consanguineos, sancitum est, vt de bonis hospitalium loci nutriantur: si vero hospitalia non sint, vt alantur de reditibus bonorum communium, *dos conselhos*. Quod si hi etiam desint, constitutum est, vt ministri, *das camaras*, eas collectas ad id statuant, quas fintas vocant, illasque A
ab eis tantũ exigant, qui ad res alias eas soluere consueuerunt. Ita habetur *tit.* 68. *citato*, & fusius *lib.* 1. *Ordin. tit.* 67. §. 10.

Illud postremo est addendum, ex quibus causis parentes possunt filios exhæredare (de quibus infra erit sermo) posse etiam eis denegare alimenta, de quibus in hac disputatione locuti sumus: secus autem de eis, quę ad vitam conseruandam sunt eis necessaria. E contrario, ex quibus causis filij exhæredare possunt suos parentes, possunt etiam eis alimẽta denegare, *l. vlt. C. de alendis liberis. l. si quis à liberis. §. idem iudex. ff. de liber. agnosc. & gloss. vtrobique l.* 6. *titula* 19. *part.* 4. quę exprimit nihilominus, eis non esse deneganda ea alimenta, quæ ad vitam conseruandam B
eis fuerint necessaria, *gloss. vltim. cap. cum haberet, de eo qui duxit in matrim. & c. gloss. item in authent. vt cum de appell. cognos. §. siue igitur, in verbo habere*, Bart. *Panorm. & communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur* Nauár, *in manual. cap.* 14. *num.* 17. Couar. *in Epit. par.* 6. *c.* 8. §. 6. *n. vlt. &* Ant. Gom. 1. *tom. var. resol. c.* 11. *n.* 13. Circa dicta tota hac disp. lege quæ infra disput. 228. circa quintum effectum patriæ potestatis adiicimus.

SVMMARIVM.

1 *Circa quos hanc rem taxauerit præcipue Domin. Soto,*

2 *Quid, quando parentes per seipsos quidpiam immediate relinquunt descendentibus illegitimis vel tribuunt,*

3 *Quid, quando aliquis parentum bona sua alicui extraneo relinquit sine vlla cõditione aut grauamine, quod ea, aut partem earum restituat filio spurio, tamen ea intentione & spe, quod restituet.*

4 *Quid, quando aliquis eiusmodi parẽtum quempiam inscium instituit suum hæredem, eumque grauat, vt hæreditatem, aut partem illius restituat filio spurio.*

5 *Quid, quando hæres ab eiusmodi parente institutus, palam aut secreto se illi astringit restituturum hæreditatem filio spurio,*

6 *Quid, quando hæres nihil promisit testatori, sed ex sua liberalitate partem hæreditatis vel totam tradit filio spurio,*

7 *Quid de hærede ita fraudem committente in legem,*

8 *Ad quem fiscum pertineant bona circa quæ fraus illa ab hærede commissa est.*

9 *An hæres & filius spurius, nulla expectata sententia, teneantur in conscientiæ foro restituere eiusmodi bona, quando hæres promisit testatori, se restituturũ ea spurio, & cui tunc facienda sit restitutio.*

10 *Hæres supradictus tuta conscientia potest sibi bona retinere ante latam sententiam, qua fisco adiudicentur.*

11 *Quæ sit mala fides, in qua iura ciuilia præsumunt hæredem fuisse.*

12 *Quis prædonis loco intelligendus?*

13 *Si eiusmodi hæres interrogetur à iudice, num fidem præstiterit testatori de restituendis illis bonis filio spurio, teneaturne confiteri veritatem.*

14 *Quid, quando hæres ante latam sententiam ea bona, aut eorum partem tradit filio spurio ex libera sua voluntate, & non quasi illi debita propter promissionẽ factam patri.*

15 *Quid, quando filius spurius ea bona accepit, non ex liberalitate ac voluntate hæredis, sed quia hæres errore ductus, existimauit teneri in conscientia ea illi tradere.*

16 *Quod si duo habentes singuli filios spurios, conueniant inter se: Tu institue filium meum hæredem, & da illi tantum, & ego instituam tuum, & dabo illi tantum, poterunt ne huiusmodi filii retinere illa bona, an vero tenentur ea restituere, & cui?*

17 *Satisfit dubio proposito.*

18 Hacte-

18 *Hactenus dicta quomodo intelligenda.*

19 *An validâ sit institutio, qua illegitimus hæres instituitur à patre sub conditione, si post testatoris mortem per legitimationem concedat.*

QVAE PARENTES DESCENDENTIBVS ILLEGITIMIS VLTRA EXPLICATA IMMEDIATE VEL PER INTERPOSITAM PERSONAM RELINQVVNT, AVT CONTRA ILLEGITIMI SVIS ASCENDENTIBVS, QVOSQVE RESTITVTIONIBVS OBNOXII SINT.

DISPVTATIO 169.

IN hac disputatione satis erit dicere de iis, quæ a- B scendentes contra legis præscriptum descendentibus illegitimis relinquunt, vt eadem vicissim intelligatur, quando eiusmodi descendentes aliquid ascendentibus simili modo relinquunt.

1 Dominic. à Soto 4. *de iust. q. 5. art. 1.* contra iura aperta, quæ disputationibus præcedentib. citata sunt, communemq; Doctorum sententiam plus iusto laxatis rem hanc, præsertim circa filios spurios laicorum, quare standum non est illius sententiæ.

2 Sit ergo prima conclusio. Si parentes, vltra ex-
1. *Conclusio.* plicata disputationibus præcedentibus per seipsos quippiâ immediate vel relinquant, vel tribuant descendentibus illegitimis, lethaliter peccant, tã dantes, quam recipientes, modo valor sit tantus, vt ad culpam lethalem sufficiat; obnoxiumq; id totũ restitutioni est, nulla expectata sententia; post mortem quidem dantis hæredibus illius ex testamento relictis, si quos legitime instituit; ad eos quippe per ius accrescendi id pertinet, sin minus hæredibus ab intestato: ante mortem vero dantis, ei ipsi, qui dedit. Conclusionem hanc asseruimus *disp. 167. concl. 3.* & est communis. *Bart. l. vlt. ff. de his quibus vt indignis, nu. 8. & aliorum*, quos referunt & sequuntur Ant. Gom. *ad l. 9. Tauri. n. 21. & 33.* Couar. *in epit. pa. 9. c. 8. § 5. n. 3.* & 8. & Iulius Clarus 3. *lib. sententiar. § test. q. 31.* Ratio autem cõclusionis est, quoniam illegitimus iure ciuili est factus incapax talium bonorum, ac proinde dominium permanet apud dãtem, aut, si defunctus sit, pertinet ad legitimos ipsius hæredes, estq; proinde illis in foro conscientiæ restituendum nulla expectata sententia; adiudicabiturq; illis in foro exteriori si id petant. Quin, vt concl. 3. citata dicebamus; si intra duos menses negligant illud petere, poterit fiscus deinceps sibi vendicare, iuxta *l. 1. C. de natural. lib. & l. 10. tit. par. 6.* Lege Couar. *n. 3. tit. tio.*

3 Secunda concl. Si aliquis parentum bona sua re-
2. *Conclus.* linquat alicui extraneo sine vlla quidem conditione aut grauamine, quod ea aut partem eorum restituat filio spurio, attamen ea intentione & spe, quod restituet; tunc esto hæres aut legatarius ita institutus intelligat, ea intentione & spe id fuisse sibi relictum, testatoremq; nisi id speraret, nequaquam eum hæredem aut legatarium fuisse instituturum, vere cõparat dominium talis hæreditatis aut legati, neque tenetur quicquam tradere filio spurio; si tamen det, licite id accipit spurius, comparatque dominium illius. Ita *Couar. § 5. citat. nu. 8. Ant. Gom. 21. cita.* & Doctores communiter. Ratio est, quoniam sustentatio illa, neque sub conditione, neque sub modo fuit, quod id spurio restitueretur, sed fuit absoluta: spes autem illa, atque intentio solum fuit causa impulsiua ad id tali hæredi aut legatario, relinquendũ, quæ nullam obligationem inducit, vt ex iis, quæ de legatis & donationibus suo loco dicemus, erit manifestum: ergo hæres ille aut legatarius ea institutione vere comparat dominium; nullamq; cõtrahit obligationem quicquam tribuendi filio illi spurio. Habetq; id verum, esto testator illi significasset, ea spe atque fiducia relinquere illum suum hæredem aut legatarium, modo tamen nullam obligationem ad A id illi imponeret, neque institutus ad id se illi astringeret. Quia ergo iam tunc, si quid spurius ab illo accipiat, neque proxime, neque remote accipit à suo parente, hoc est, ex obligatione ad id à suo parente inducta, sed ex sola liberalitate extranei, esto extraneus gratus esse velit defuncto, vtique licite illud accipit, comparatque dominium illius.

Tertia conclusio. Si aliquis eiusce modi parentũ 4
quempiam insciũ instituat suum hæredem, eum- 3. *Conclus.*
que grauet, vt hæreditatem, aut partem illius restituat filio spurio, valida est institutio. nihilque restituere tenetur spurio. Idem est, esto conscius sit se instituí & grauari illo modo, modò ipse ad id se non astringat. Quin si hæres instituatur, & testator palam eum roget, vt hæreditatem, aut partem illius reddat spurio, modo nec publice, nec secreto ad id se astringat, valida est institutio, comparatque dominiũ bonorum, neque tenetur quicquam tradere spurio. Ita colligitur aperte *ex l. 3. in prin. & § si quis palam. ff. de iure fisci, ex l. tacitis, & l. Lucius. § in testamento. ff. de l. 1. & cum Bart. Baldo, & aliis affirmat Couar. § 5. citat. n. 7. & Ant. Gom. ad l. 9. Tau. num. 21.* Ratio est, quoniã ita à testatore institutus & grauatus vere est hæres. neque vllum crimen commisit cum ad nihil illicitum, legeve prohibitum tacite vel expresse se astrinxerit. ergo bona illa, non ad fiscum propter crimen à tali hæredi commissum, sed ad ipsum pertinent. Cum autem grauamen illud sit ipso iure nullum, eo quod spurius incapax eorum bonorum, quæ fideicommissaria substitutione à parente ad ipsum deueniant, *disput. 166. conclus. 3.* ostensum est; efficitur sane, vt eiusmodi hæres neque in exteriori, neque in conscientiæ foro quicquam illorum bonorum tali spurio reddere teneatur.

Quarta cõclusio. Si is, qui hæres ab eiusmodi pa- 5
rente instituitur, palam aut secreto se illi astrinxit 4. *Conclus.*
restituturum hæreditate filio spurio, lethaliter peccauit, tam ipse, quam qui eum hæredem eo pacto instituit, nec non filius spurius, qui ex eo titulo bona illa accipiat; in pœnam vero delicti pertinent eo ipso ad fiscum. Hæc conclusio est Doctorum communis. Prior autem illius pars ex eo est manifesta, quoniam ea omnia in fraudem sunt legum, quibus filius ille incapax est effectus illorũ bonorum: quare si ea sola via & titulo filius ille spurius ea accipiat, neque dominium, neque ius vllum comparat, sed tenetur ea restituere. Posterior vero pars, nempe quod bona illa eo ipso in pœnam ad fiscum pertineant, constat *ex l. 3. in prin. & § cum ex causa. l. penult. ff. de iure fisci, ex l. ex facto § Iulianus. ver. respondi ff. de vulgar. & pupillar. substit. ex l. beneficio. ff. ad l. Falcid ex l. 3. C. eodem tit. ex l. cum quidam. § datum Pius. vers. tacito. ff. de vsuris, ex l. prædenis. ff. de petitione hæreditat. ex l. tacitis, & l. Lucius. § in testamento. ff. de legat. primo.* & ex aliis iuribus. Item *ex § 17. tit. 15. lib. 2. ordin. huius Lusitaniæ Regni.* Idem habetur *l. 13. tit. 7. par. 6.* meritoque illam Greg. Lopez *ibidem* interpretatur, vt ius commune non restringat, sed, esto traditio bonorum facta non fuerit filio spurio, locum habeat, quando præcessit promissio testatori facta. Ita autem bona, circa quæ fraus est commissa, ad fiscum pertinent, vt restituenda illi sint cum omnibus fructibus ex illa perceptis, etiam ante litem contestatam: eo quod hæres mala fide possedisse præsumatur, atque item filius spurius. Ita habetur *l. eum qui tacitum, in prin. ff. de iis quibus vt indign.* & affirmant Bartol. & alii, quos Anton. Gomez. *ad l. 8. Tauri, num. 27.* refert ac sequitur.

In conscientiæ foro, si re vera hæres nihil promi- 6
sit testatori, sed ex sua liberalitate ac gratitudine, vel partem hæreditatis, vel totam tradidit filio spurio, in nullam incidit pœnam. Ex quibus autem coniecturis in foro exteriori præsumatur, sufficienterve probatum censeatur, interuenisse promissionem, fraudemque in legem fuisse commissam, disputant

Ant.

Ant. Gom. loco cit. à n. 24. & Couar. in Epit. p. 2 c. 8. §. 5. n. 5. & Iulius Clarus §. testamentum. q. 31.

7 Hæres qui ita fraudem committit in legem, nisi id fisco prodat, punitur etiam pœna amissionis omnium suorum bonorum, & deportationis in insulã. Ita habetur *l. vnica C. de iis, qui se deferunt. lib. 19. ad fin.* Quando autem se prodit, remq; fisco denunciat, euitat prædictam pœnam, & cõsequitur in præmium tertiam partem eorum bonorum, circa quæ fraus illa commissa fuit, vt habetur *l. vnica citata.* Si filius ipse spurius post ea bona sibi restituta rem denuncieț, consequitur in præmium partem dimidiam bonorum, quæ sibi restituta sunt, *l. cum tacitum. ff. de iure fisci. l. 14. tit. 7. par. 6.* Si autem tertius aliquis rẽ deferat, consequitur tertiam partem, iuxta Gloss. *iuncto textu l. edicto. ff. de iure fisci.* Lege Ant. Gom. *loco citato num. 31. & 32.*

8 *Dubium.* Dubium est, ad quem fiscum pertineant bona, circa quæ fraus illa ab hærede commissa est. Communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Couar. §. citato, num. 10. & Anton. Gom. ad l. 5. Tauri, num. 29.* est, si talis hæres laicus sit, esto testator & filius spurius sint clerici, pertinere ad fiscum secularem: si vero hæres clericus sit pertinere ad fiscũ Ecclesiasticum, esto testator & filius spurius laici sint. Ratio est, quoniam amissio illorum bonorum, & applicatio eorum fisco, in pœnam hæredis est statuta, vt iura citata aperte docent, atque adeo sola ea bona, quæ ad hæredem pertinere deberent, tũ quia hæres illo modo est institutus, tum etiam, quia promissio de restitutione faciẽda spurio est nulla, sunt, quæ pertinent ad fiscum: quare, si hæres (qui solus eo modo punitur) laicus sit, pœna illa fisco seculari debetur; si vero sit clericus, pertinet ad forum Ecclesiasticum. Quando namque parentes aliquid relinquunt aut donãt spuriis, siue immediate, siue per interpositam personam, quæ nullum ius sibi comparat in ea bona, sed solum sit quasi deferens ac depositarius eorum bonorum, tunc vtique ea omnia bona non pertinent ad fiscum, sed ad alios legitimos hæredes talium parentum ex testamẽto aut ab intestato, vt conclusione prima cum communi Doctorum sententia ex variis iuribus ostensum est, habeturque expresse *l. 1. §. siue itaque. Cod. de naturalibus libe.* etiam quando per interpositam personam, modo explicato, dantur.

9 *Dubium.* Maius dubium est, vtrum hæres & filius spurius, nulla expectata sententia, teneantur in conscientiæ foro restituere eiusmodi bona, quando hæres promisit testatori se restituturũ ea spurio, & cui tunc facienda sit restitutio. Sotus *loco citato* censet, nulla expectata sententia restituenda esse pauperibus. Bart. *l. vlt. num. 9. ff. de iis quibus vt indig.* sic ait, *puto saluâ ratione Theologorum, legaliter loquendo, quod hæres ita institutus tenetur dare fisco secundum conscientiam, neque potest dare spurio, vel retinere sibi: quod patet, quia retinendo est possessor malæ fidei: id autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Idem ex eodem fundamento affirmat Ant Gom. *ad l. 9. Tauri, n. 28.* & alii, quos Couar. §. 5. *citato num. 9.* refert. In eandem sententiam propendet Gregor. Lopez *ad leg. 13. titul. 7. part. 6.* & ea videtur communior inter iurisperitos. Mihi vero placet sententia Couar. *loco citato à num. 8.* quæ seqq. conclusionibus continetur.

Bart fundamentum.

Satisfit.

10 *1. Conclusio.* Sit ergo quinta conclusio in ordine. Hæres, de quo in quarta conclusione est sermo, tuta conscientia potest sibi retinere bona illa ante latam sententiam, qua fisco adiudicentur. Probatur, quoniam est verus hæres, comparatque proinde dominium eorum, sed propter delictum statutum est in pœnã, vt illa amittat, neque incapax est effectus, vt illa accipiat immediate à testatore eo modo, quo spurius est factus incapax; tunc enim bona illa non pertinerent ad fiscum, sed ad hęredes alios testatoris, vt aũtores contrariæ sẽtẽtiæ confitẽtur: cum ergo prohibitio, qua se astrinxit, restituere ea, aut partem eorum spurio, sit ipso iure nulla; & pœna non debeatur ante latam sententiam; cõsequens profecto est, vt neq; spurio quicquam tradere teneatur, neq; ante latam sententiã teneatur ea fisco offerre, sed tuta conscientia possit ea sibi retinere.

Fundamentum autem Bart. nullius profecto est momenti: malam quippe illam fidem, in qua ciuilia iura præsumunt illum fuisse, est scientia, quod bona illa in pœnam fisco deberentur, quæ scientia efficit illum, non bonæ, sed malæ fidei possessorem ad effectum, vt si vel bona illa, vel fructus eorũ ante litẽ contestatam consumat, teneatur id omne post latã sententiam fisco restituere, nõ vero ad effectum, vt peccet illa retinẽdo, quouisq; sententia feratur, quasi conscientiam habeat, quod tunc non possit ea retinere: quod tamen necessariũ erat vt testimonium illud Pauli *ad Rom. 14. Quod non est ex fide, peccatũ est:* locum in re posita haberet. 11 *Ad fundamentũ Bar.*

Forasse quispiam nobis obiicit, *l. prædonis. ff. de petit. hared.* quæ sic habet, *prædonis loco intelligendus est is: qui tacitam fidem interposuerit, vt nõ capienti* (id est, incapaci) *restituere hæreditatem: prædo autem ante latam sententiam restituere tenetur.* Dicendum tamen est cũ Gloss. *ibid.* & Couarru. *loco citato.* non asseruisse esse prædonem, sed loco illius habendum esse, ad effectum scilicet, vt ab illo eiusmodi bona extrahantur ac vendicentur. Ac sane, si prædo esset, non esset cõparatione fisci, qui non comparat ius nisi post delictum ipsius, sed cõparatione eorũ, ad quos alioquin bona illa spectare debebãt, ac, pinde restituẽda nõ essent fisco, sed legitimis aliis hæredibus testatoris. 12 *Obiectio.* *Soluitur.*

Ex quinta hac concluſ. constat, quid dicendum sit ad quæstionem illam, quam *loco citato num. 10.* excitat Bart. Nempe, si eiusmodi hæres interrogetur à iudice, num fidem præstiterit testatori de restituendis illis bonis filio spurio, teneaturne confiteri veritatem. Bart. ibi, & multi alij, quos Couar. *§. citato nu. 10.* refert, affirmant teneri confiteri, esto neque infamia, neque semiplena probatio de tali fide præstita præcesserit. Contrarium tamen est cum Cou. affirmandum. Ratio est, quoniam interrogatur reus, atque ad ipsum puniendum amissione eorũ bonorum: quin puniri etiam potest pœna amissionis omnium suorum bonorũ, atque deportationis, vt supra dictum est: reus autem, nisi semiplena probatio aduersus eum præcesserit, aut id, quod semiplenæ probationi æquiualeat, neque se prodere, neque respondere tenetur ad mentem interrogantis, iuxta ea, quæ tractatu 5. dicẽda sunt. Couar. inter autores contrariæ opinionis citat Nauar. *in commentario Hispano de cinter verba. Corol. 65. fol. 226. §. lo septimo. & 137. §. al septimo.* Quamuis autem ibi de testib, loquatur, & non de reo ipso, inde tamen motus videtur Couar. ad eum citãdum, quia affirmat in damnum alterius vergere, nisi id detegeretur, quasi bona illa nulla expectata sententia ad alium pertinerent, hæresq; teneretur in conscientiæ foro ea restituere. 13 *Quæstio.* *Respõdetur.*

Sexta concluſio. Si ante eandem latam sententiã hæres ea bona, aut partem eorum tradat filio spurio ex sua libera voluntate, & non quasi illi debita propter promissionem factam patri, comparat filius ille dominium eorum, neque tenetur ea restituere, nisi sententia condemnatoria feratur. Hanc affirmat Couarruuias, probarique potest, quoniam filius ille non accipit ea bona à patre, neque propter obligationem inductam à patre, sed ex liberalitate hæredis, qui est verus illorum dominus antequam sententia condemnatoria feratur: ergo tuta conscientia potest illa retinere. 14 *6. Concluſ.*

Septima concluſio. Si filius spurius ea bona acciperet, non ex liberalitate ac voluntate hæredis, sed quia hæres errore ductus existimauit teneri in conscientia ea illi tradere, tunc obnoxia essent restitutioni ipsimet hæredi, qui antequam feratur sententia, 15 *7. Concluſ.*

tia, est eorum dominus. Probatur, quoniam in eo euētu spurius ille nullum verum titulum habet vnde ea licite iusteque possit possidere, dominiumq; eorum permanet apud hæredem. Posset tamen, manifestando rem totam fisco, comparare dimidiam eorum partem: quandoquidem iure suo veteretur deregendo crimen haredis fisco, pœnæque cōmeritæ illum obiiciendo, atque in præmium dimidiam eorum partem iuxta legum præscriptum lucrando.

16 *Dubium.* Dubium est, quod si duo, habentes singuli filios spurios, conueniant inter se; tu instituc hæredem filium meum, aut da illi tantum, & ego instituam tuum, & dabo illi tantum, poterunne huiusmodi filij retinere illa bona: an vero tenentur ea restituere, & cui? *Nauar de spolijs clericorum, §. vltim. num. 6. in calce, not. ab.* 3. satis innuit validas eiusmodi esse institutiones, nisi Bulla Pij V. quam in eo §. refert, reuocatæ essent quoad filios spurios clericorum: eam tamen Bullam audio in hoc Lusitaniæ regno non fuisse receptam: & suspicor neque in aliis Hispaniarum.

17 *Satisfit.* Dicendum nihilominus est, etiam secluſa Bulla Pij V. inualida esse illa omnia, tenerique filios illos spurios ea restituere. Non solum quia id aperte est in fraudem legis, sed etiam quoniam, quod filius eo modo accipit, potius accipit à patre suo tanquā pretium, aut quasi pretium, hoc est, in commutationem pro bonis, quæ daturus est filio alterius, quam accipiat à patre alterius. Si namque pater diceret alicui, vendo tibi hanc rem ea lege, vt reddas pretium filio meo spurio, vel commuto tibi illam pro alia, quam non mihi, sed filio meo reddas, vtique ex omnium sententia incapax esset filius eorum bonorum, quia neque per contractum onerosum comparatione tertiæ personæ permissum est patri relinquere bona aliqua filio spurio: at vero id ipsum est, quod fit in conuentione illa, de qua sermo est in dubio proposito: quare talis filius tenetur ante latam sententiam, qua fisco adiudicētur, restituere illa danti, aut hæredibus dantis, dummodo filius alterius nihil recipiat à patre huius, aut si quid accepit, similiter restituat, vel certe tenetur ea restituere legitimis hæredibus patris sui in commutationem pro his, quæ pater filio alterius dedit.

18 Hactenus dicta intelligenda sunt de filiis spuriis non legitimatis ad succedendum in bonis parentū: si namque legitimati ab eo sint, qui ad id habet potestatem, succedere parentibus possunt, accipereq; ab eis donatione inter viuos bona iuxta legitimationis priuilegium. Quin si pater filium nondum legitimatum hæredem instituat, isq; ante patris mortem legitimationem consequatur, valida est ea institutio, vt Iulius Clarus § *testamentum. q.* 31. cum cōmuni doctorum sententia affirmat.

19 Vtrum autem valida sit institutio, qua illegitimus hæres instituitur à patre sub conditione, si post testatoris mortem Rex legitimationem concedat. Affirmant Iulius *vbi supra*, Emmanuel à Costa *l. Gallus. §. & quid si tantum. par. 2. num.* 172. Molina *libr. 2. de primogen. cap. 7. num.* 40. *&* 41. & Couar. *in Epit. par. 2. ca. 8. §. 5. numer.* 12. cum communi Doctorum sententia, quam referunt. Arbitror tamen id intelligendum esse; modo, quam primum licuerit, petatur, inualidaque meo iudicio reddetur institutio, si semel denegetur: neque enim legitimi alioqui hæredes expectare debent, quousque talis filius non obtenta legitimatione moriatur, vt in eis bonis succedant.

SVMMARIVM.

1 *Illegitimi, qui naturales non sunt, non succedunt parentibus in nobilitate, & iis, quæ cum illa coniuncta sunt, secus de naturalibus.*

2 *In quibus filij illegitimi cum aliis filiis computentur.*

DE SVCCESSIONE ILLEGITIMORVM *in nobilitate, & in aliis, quæ non sunt bona parentum externa.*

DISPVTATIO 170.

HActenus dictum est de successione illegitimorum in bonis externis parentum, nunc paucis dicendum est de eorum successione in nobilitate, & aliis, quæ bona externa parentum non sunt.

Quod ad nobilitatem attinet, conueniunt Doctores, eos illegitimos qui naturales non sunt, non succedere parentibus in nobilitate, & iis, quæ cum illa coniuncta sunt. De naturalibus autem Ant. Gomez. *ad l. 9. Tauri, nu.* 54. *Corol.* 8. cum Bart. Panorm. & Ioan. And. quos refert, affirmat ex quadam æquitate succedere patri in nobilitate. Et quamuis Couar. *in Epit. par. 2. cap. 8. §. 4. num.* 4. referat, communiorem esse sententiam, neque naturales in nobilitate succedere, affirmat tamen Bartoli & Panormitani sententiam in Regno Castellæ, lege partitarum esse statutam, pronunciatumque esse sæpenumero iuxta eam in Granatensi prætorio, eiusmodi naturales filios succedere patri in ea nobilitate, quæ in eo regno hidalguia appellatur, ac proinde immunes esse à contributionibus & indictionibus, quas plebei soluunt: eo quod nobilitas illa eam immunitatem habeat annexam. Ad hunc vero effectum naturales filij hodie censentur, quicunque ex iis parentibus sunt nati, inter quos tempore conceptionis aut natiuitatis talium filiorum esse potuit legitimū matrimonium, iuxta ea, quæ disputationibus præcedentibus explicata sunt, esto geniti non sint ex concubina vnica domi retenta. Pronunciauit vero Carolus V. vt Couar. *loco citato* refert, & habetur *lib. 6. nouæ collect. tit. 2. leg. 22.* eos illegitimos, qui, legitimatione secluſa, nobilitate illa parentum non gaudent: neque gaudere, esto à Principe legitimationē obtineāt, nisi in ea expresse concedatur, vt nobilitate illa gaudeant, idemq; statuit Philippus eius filius, *l. 20. tit. 11. lib. 2. eiusdem collectionis.*

In reliquis, quæ non ad successionem in externis bonis, sed ad ius sanguinis ac pietatem parentibus debitam spectant, filij omnes illegitimi cum reliquis aliis filiis computantur. Quo fit, vt, si patrem interficiant, tanquam patricidæ puniantur; &, vt in quibus casibus parentum legitimi filij testificari non possunt, neque illegitimi possint. Item, vt inhabilitas ad aliqua, quæ propter crimen hæreseos parentum in filios redundat, vt patet *cap. statutum. 2. de hæretic. lib. 6.* & propter alia crimina, vt læsæ maiestatis humanæ, similiter in illegitimos quoscunque filios redundare censeatur. Eademque ratione, quæ solemnitas sufficit in testamento patris inter filios legitimos, sufficit etiam inter filios illegitimos, quoad ea, quæ illegitimis relinqui testamento possunt. Quod hæc omnia lege inter alios Anton. Gom. *loco citato à num.* 52.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatio quid.*

2 *Quotuplex sit legitimatio.*

QVID, ET QVOTVPLEX *sit legitimatio.*

DISPVTAT. 171.

COnsequenter dicendum est de illegitimorum filiorū legitimatione. Quam in genere sic possumus definire: *Est natalium restitutio quoad ea, quæ ius quid. filiis illegitimis positiuo iure denegata sunt.* Pro genere ponitur restitutio natalium. Loco differentiæ apponuntur

nuntur cætera, per quæ excluditur omnis alia natalium restitutio, quæ legitimatio non est, nempe restitutio libertatis ei mancipio facta, quod ex matris ventre seruitutem contraxit, & aliæ similes natalitij restitutiones, abolitionesve inhabilitatum, à natiuitate quidem prouenientium, at ex alio capite, quam quod ex legitimo matrimonio natus quis non sit. Porro in eadem definitione exprimitur, inhabilitates, quæ legitimatione abolentur, ex iure positiuo habuisse ortum.

Legitimatio iuris dispositione per subsequens matrimonium. *Legitimatio Principis rescripto.*

2 Duplex autem est legitimatio. Quædam iuris dispositione. Atque hæc solum fit per subsequens matrimonium, neq; comparatione omnium filiorum, vt videbimus. Est tamen plenissima: eo, quod canonico & ciuili iure meritò statuta sit, idq; absque vlla inhabilitatis reseruatione, quæ vtrouis iure introducta fit. Alia vero est per rescriptum Principis, qui supra ius, quo inhabilitates illegitimorum introductæ sunt, potestatem habet; aut alicuius alterius, qui à tali Principe ad id habet facultatem. Quia tamen sicut secularis Princeps potestatem nõ habet eas inhabilitates, quæ sunt canonico Ecclesiasticoue iure introductæ, sic neque suprema Ecclesiæ potestas iurisdictionem in eas, quæ ciuili iure statutæ sunt, aliter habet, quam quatenus id spirituale Ecclesiæ bonum postulat, vt ex dictis disput. 29. & aliis satis constat, aut nisi simul secularem potestatem in aliquos peculiariter habeat; inde proficiscitur, quod legitimatio per rescriptum duplex esse soleat: quædam ad eas inhabilitates abolẽdas, quæ ciuili iure introductæ sunt: quædam vero ad eas, quæ canonico iure sunt statutæ. Proficiscitur etiam, quod singulares legitimationes per rescriptum effectæ non eam plenitudinem habere soleant, quam habet legitimatio per subsequens matrimonium comparata. Quoniam, si rescriptum ab Ecclesiastica potestate emanet, esse non solet ad ciuilia: si vero emanet à laica, non fit ad spiritualia.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatio efficitur iuris dispositione per subsequens matrimonium inter parentes, à quibus illegitimi filii nati iam fuerant.*

2 *Explicatur definitio.*

3 *Qui filii legitimentur per subsequens matrimonium.*

4 *Quis filius naturalis reputandus.*

5 *Qui naturales filii per subsequens matrimonium legitimati efficiantur.*

6 *Legitimati per subsequens matrimonium per omnia æquantur filiis legitimis.*

7 *Cur dictum sit, eiusmodi legitimatos præferri in successione feudi & maioratu filiis legitimis natis, tam ex eo matrimonio, quo legitimati sunt, quam de quocunque alio posteriori.*

8 *Filii maiores natu legitimati ex priori matrimonio, præferuntur in successione in feudo & maioratu filiis maiorib. natu legitimatis ex posteriori matrimonio.*

9 *Filij per subsequens matrimonium legitimati, in dispositione de re aliqua, à libera voluntate alicuius dependenti, possunt ab eo excludi, eisque anteferri legitimi minores natu, quin & extranei.*

10 *An si quis habeat filium naturalem, & ex eo nepotem filium legitimum talis filij, mortuoq; filio naturali, auus ducit concubinam, ex qua illum genuit, an tunc nepos reddatur per tale subsequens matrimonium auo legitimatus?*

11 *An, si qui cum ignorantia impedimenti dirimentis matrimonium, generent filium ante illud, qui proinde ex vtriusque existimatione naturalis sit, & non spurius, postea vero sublato impedimento legitime contrahãt, talis filius legitimetur per subsequens matrimonium.*

12 *Quid, quando quis habet filium vere naturalẽ, & contrahit ignorando impedimentum dirimens matrimonium.*

13 *An per matrimonium in articulo mortis, aut in vltima senectute cum concubina, ex qua quis filios habet naturales, tales filii legitimentur.*

14 *Quid, quando parenti assignatus fuit substitutus sub ea conditione, si sine liberis legitimis discesserit, aut ad maioratum, quem possidet, legitimi soli vocantur.*

15 *An, si quis in odium substituti, eiusve, qui alioquin succedere debeat in maioratu, matrimonium contrahat, vt illi noceat, filii ita legitimati sint præponendi in ea successione.*

16 *Refertur contraria quorundam sententia.*

DE LEGITIMATIONE PER *subsequens matrimonium.*

DISPVTAT. 172.

VT à legitimatione, quæ iuris dispositione vim habet, ordiamur, ea efficitur per subsequẽs matrimonium inter parẽtes, à quibus illegitimi filij nati iam fuerant, *c. tanta, & c. 1. qui filii sint legit. l. cum qui. & l. nuper. C. de natur. liber. §. vlt. Inst. de nuptiis. §. nec nõ eos. Inst. de hared. quæ ab intestato defer. authen. quib. mod. natural. effic. sui. §. si quis igitur dotalia. l. 1. tit. 13. part. 4.* affirmatq; communis Doctorum sententia. 1

Dictum est, inter parentes à quibus illegitimi filij nati iam fuerant: quoniam, si solum fuissent concepti ante tale matrimoniũ, & nati post illud celebratum, non dicerentur legitimati, sed filij legitimi: eo, quod filij status indifferenter attenditur, vel penes natiuitatis vel conceptionis tempus, prout tali filio fuerit expedientius, vt quoad libertatem in calce disput. 23. ostensum, & quo ad rem propositam habetur expresse, *l. nuper. §. vlt. C. de natural. lib. & in authen. quib. mod. natural. effic. sui. §. si quis igitur dotalia, prope fin.* Quo fit, vt esto tempore conceptionis esset spurius, vtpote conceptus ex adulterio, vel ex incestu cum consanguinea, vel affine, si tamen nasceretur post legitime inter eos parentes celebratum matrimonium, vt si coniugatus eum genuisset ex soluta, defunctaq; vxore, duceret solutam illam ante natiuitatem talis filij, vel obtenta dispensatione duceret cõsanguineam vel affinem, ex qua illum genuerat, talis filius esset legitimus. 2

Per subsequens matrimonium non omnes filij, ex eisdem parentibus ante tale matrimonium nati, legitimantur, sed soli naturales: spurij namque manent illegitimi, vt constat *ex c. tanta, qui filii sint legit.* & ex reliquis ciuilibus iuribus citatis. Licet autem Bart. nomine naturalium solum intellexerit natos ex vnica concubina domi retẽta, eoq; pacto loquantur Cæsarea iura citata; ius tamen canonicum intelligit omnes, qui ex iis parentibus geniti sunt, inter quos tempore natiuitatis talium filiorum nullum erat impedimentum ad matrimoniũ legitime contrahendum, vt bene notat Pan. *c. tanta citato*, & affirmant Doctores communiter, estq; in praxi receptũ in foro seculari, quin & iuribus Lusitaniæ & Castellæ approbatum sanctumq;, vt ex præcedentib. disputationibus liquet. Licet etiam Cæsareum ius ad legitimationem per subsequẽs matrimonium exegerit, quod cum dotalibus instrumentis esset contractum, vt ex iuribus Cæsareis citatis est manifestũ; ius tamen canonicum id non exigit. estq; in seculari foro in praxi receptum, vt Pan. *c. tanta, citato*, & Doctores communiter affirmant. 3

Filius naturalis reputandus est is, qui licet conceptus ex iis parentibus sit, inter quos tempore conceptionis erat impedimentum dirimens matrimonium, tempore tamen natiuitatis cessauerat impedimentum, vt si soluta concepit ex coniugato, verumtamen, tempore natiuitatis filij, mortua erat vxor 4

coniugati illius; aut si soluta concepit ex consanguineo vel affine, attamen tempore natiuitatis filij obtenta erat dispensatio vt contrahere possent; filius eo pacto natus est naturalis, & non spurius: eo quod status filij ex tempore conceptionis, aut natiuitatis, prout magis tali filio fuerit expediens, sit iudicandus, vt satis patet ex iuribus supra citatis, & affirmat communior sententia, quam Couar. *in Epit. p. 2. c. 8. §. 2. nu. 2.* refert ac sequitur: estq; hodie in re, de qua disputamus, definitum in regno Castellæ, *l. 11. Tauri, quæ est 9. tit. 8. lib. 5. nouæ collectionis.* Quo fit, vt si parentes post natiuitatem talis filij inter se matrimonium contrahant, talis filius eo ipso legitimetur.

5 Vt naturales filij per subsequens matrimonium legitimati efficiantur, necessarius non est consensus parétum ac filiorum ad eam legitimationem, vt est necessarius in legitimatione, quæ rescripto fit Principum; quin potius ipso iure, etiam vtriusque inuitis, legitimati redduntur. Ita Couar. *§. 2. citato, nu. 12. & 13.* & alij, quos refert. Eiusmodi etiã legitimatio non reuocatur propter ingratitudinem filij: quãadmodum ex communi Doctorum sententia legitimatio Principis rescripto obtẽta propter ingratitudinem reuocatur quoad successionem in bonis eius parentis, cui legitimatus efficitur. Ita Couar. *loco citato, nu. 13.* cum Romano. Cum enim hæc ex voluntate parentum non pendeat, vt pendet, quæ Principis rescripto fit, sane neque propter ingratitudinem potest à parentibus reuocari.

6 Denicq; legitimati per subsequens matrimonium per omnia æquantur filiis legitimis, ideoq; disp. 164. diximus, computari posse cum legitimis filiis, interdumq; in iure legitimos appellari: ita enim appellãtur *in auth. quib. mod. natur. effic. sui. §. si quis igitur dotalia.* illis verbis: Et *filios, vel præcedentes* (nuptias scilicet) *vel conceptos, legitimos esse sancimus. Et licet postea nõ nascantur filij ei, aut etiam nati moriantur, nihilominus prior soboles legitima consistit.* Hæc ibi. Concinit *c. tanta, qui filij sint legitimi.* cuius verba sunt: *Tanta est vis matrimonii, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.* Quo fit, vt eo pacto legitimati habiles sint ad omnia, tam spiritualia quam secularia, non secus atque alij legitimi, etiam vt Episcopi creentur, & vt succedant in emphyteusi Ecclesiastica, in feudo, & maioratu. Quin in ea successione præponuntur filiis omnibus natis ex eo matrimonio, quo ipsi legitimati sunt effecti, & quibuscunq; aliis genitis ex quocunque alio posteriori matrimonio, tanquam maiores natu. Eadem etiam ratione filij ita legitimati excludunt substituturum patri vel matri sub ea conditione, si sine liberis legitimis decesserint: eo quod filius ita legitimatus inter legitimos computetur, quin & inter natos ex legitimo matrimonio, vt mox dicemus. Præterea, sicut natiuitate filij legitimi donatio à parente facta reuocatur, vt, cum de donatione fermo erit, ostenditur: ita reuocatur legitimatione filij per subsequens matrimonium. Hæc omnia Couar. *in Epit. p. 2. c. 8. §. 2. à nu. 21. vsque ad fin.* Molin. *3. lib. de prim. c. 1. à nu. 6.* Iul. Clar. *3 lib. sent. §. feudum. q. 82. vers. item quæro & seq.* & alij Doctores quos citant; tametsi in aliquibus nonnulli refragentur, quos Cou. & Molin. referunt atque impugnant. Possunt vero prædicta omnia, præter alia iura confirmari *ex l. cum quis. §. vlt. C. de natural. liber.* cuius hæc verba: *Quapropter sancimus, in eiusmodi casibus* (quando. s. aliqui geniti sunt ante matrimoniũ, & instrumenta dotalia confecta, & quidam post) *omnes liberos vna, eademq; lance trutinari, & omnes filios suos in potestate suis existere genitoribus, vt nec prior, nec iunior vllo habeatur discrimine, sed qui ex iisdem matrimoniis* (aut, vt litera alia habet, ex eisdẽ maioribus) *procreati sunt simili perfruantur forma.*

7 *Legitimatos.* Merito autem paulo antea diximus eiusmodi legitimatos præferri in successione in feudo & maioratu filiis legitimis natis, tã ex eo matrimonio, quo legitimati sunt, quam ex quocunque alio posteriori: quoniã si adsint filij legitimi ex priori aliquo matrimonio, esto minores natu sint, quam legitimati per subsequens matrimonium, præferri debent legitimatis. Ita Moli. *lib. 3 de primog. c. 1. n. 7.* Ant. Gom. *ad l. 9. Taur. n. 63. & 64. Sylueſt. verb. filii. n. 18.* & cõmunis DD. sententia quã referunt. Huius autem rei nõ ea est ratio, quod si post natos filios naturales sequatur matrimoniũ cum alia, & postea defuncta vxore cõtrahat cũ cõcubina, filij naturales, quos ex ea genuerat, non legitimentur, vt quidam voluerunt: cõtrarium namq; merito affirmat cõmunis Dd. sentẽtia, quã referunt & sequuntur Cou. *§. 2. citato, n. 15.* & Ant. Gom. *loco citat. n. 60.* sed legitima ratio est, quoniã filij prioris matrimonij obtinuerãt ius ad feudũ aut maioratũ, antequã filij naturales per subsequẽs matrimonium cum concubina legitimarentur: æquitas autem nõ patitur, vt à iure prius tempore acquisito expellantur per subsequentem legitimationem. In re quippe proposita locum habet regula illa, qui prior est tempore (in iure videlicet cõparando) potior est iure. Adde quod id cederet in præiudicium ac fraudem prioris vxoris, quę tali viro non nupsisset, si maioratus illius ad filios ex ipsa genitos non esset deuenturus: quare æquitas non patitur vt in præiudicium prioris vxoris, filiorumque illius, retrotrahatur legitimatio per posterius matrimonium ad punctum natiuitatis naturalium filiorum.

8 Idem merito ait *Moli. loco citato, num. 8. cum aliis,* quos refert, dicendum esse, si quis prius ducat vxorem cõcubinam, ex qua habebat filios naturales minores natu, & ea mortua, ducat aliam, ex qua habebat filios maiores natu: filij quippe minores natu legitimati ex priori matrimonio præferentur in successione in feudo & maioratu filiis maiorib. natu legitimatis ex posteriori matrimonio. Ratio est, quia per antecedentẽ legitimationem cõparassent ius ad feudũ aut maioratũ, antequã fratres maiores natu per subsequentem legitimationẽ illud acquirerent.

9 Licet filij per subsequens matrimonium legitimati æquentur per omnia legitimis, quin, si maiores natu sint, anteponantur modo explicato legitimis in iis rebus, quæ maioribus natu deferuntur: nihilominus, quando dispositio de re aliqua à libera voluntate alicuius dependet, poterunt ab eo excludi, eisque anteferri legitimi minores natu: quin & alij transuersales, aut etiam omnino extranei. Vnde, si quis in hoc Lusitaniæ regno de tertio suorum bonorum, aut in regno Castellæ de quinto, maioratum instituat, excludere poterit legitimatos per subsequens matrimonium: in qua re omnes cõueniunt. Illud tamen est animaduertendum, non censeri exclusos si dicat, velle, vt soli legitimi in eo maioratu succedant, neque item si dicat, velle, vt soli nati ex legitimo matrimonio succedant: quoniam legitimati per subsequẽs matrimonium cum legitimis & cum natis ex legitimo matrimonio cõputantur, vt constat ex iuribus supra citatis. Ita *Couar. in epit. p. 2. c. 8. §. 2. num. 25. & 30. Iulius Clar. §. feudum. vers. vlt. Mol. lib. 3. de primog. c. 1. num. 10. Pamor. c. tãta, qui fil. sint legit. Sylueſt. verb. filius. q. 13.* & cõmunis opinio quam referunt, tametsi aliqui refragentur.

10 *Dubium.* Dubium est, vtrum si quis habeat filium naturalem, & ex eo nepotem filium legitimum talis filij, mortuoque filio naturali, auus ducat concubinam, ex qua illum genuit, verum inquam tunc nepos reddatur per tale subsequens matrimonium auo legitimatus. Plurimi negant, quasi legitimatio descendere non possit ad nepotem nisi per patrem suum, qui eo ipso, quod mortuus est, incapax est legitimationis. Contraria tamen sententia est amplectenda cum Couar. *loco citato, num. 19.* Molin. *c. 1. citato, nu. 9.* Ant. Gom. *ad l. 9. Tauri, n. 61. & 62.* & aliis, quos citãt. Ratio potissima est, quoniam matrimonium subsequens ipso iure legitimat oẽs descendẽtes naturales ex eis-

Satisfit.

ex eisdem parentibus ante tale matrimonium genitos, falsumq; est, nepotem capacem non esse legitimationis per se immediate, quandoquidem Principis rescripto immediate legitimari potest; cum id ex solo positiuo iure, Principisq; voluntate pendeat.

11 Dubium. Dubium deinde est, vtrum, quemadmodum si qui contrahant in facie Ecclesiæ cum ignorantia, saltem ex parte alterius coniugis, impedimenti dirimentis tale matrimonium, filij ex eo matrimonio nati legitimi sunt, vt disputat. 165. ostensum est: ita si cum ignorantia eiusdem impedimenti generent filium ante matrimonium, qui proinde ex vtriusque existimatione naturalis sit & non spurius, postea vero sublato impedimento legitime contrahant, talis filius legitimetur per subsequens matrimonium. Multi affirmant, quos Couar. *in Epit. par. 2. c. 8. §. 2. n. 16.* refert. Contrariã tamen sententiã amplectuntur Couar. *ibidem, n. 17.* Molina *loco citato, n. 11.* & alij, quos citant. Quæ sane probabilior videtur. eo quod, cum parentes, dum ante matrimonium filium illum genuerunt, operam dederint rei illicitæ, ignorantiaq;, quod filius, quem ita illicite generabant, esset spurius, non debeat illis patrocinari. Confirmatur *ex cap. cum inhibitio. §. 1. de clandestina desponsatione*, vbi decernitur, si aliqui clandestine contrahant, esto ignorent impedimẽtum, prolem ex tali matrimonio susceptam esse illegitimam; eo quod rei illicitæ operã dederint, clandestine contra præceptum Ecclesiæ contrahendo: ergo cum contra ius naturale ante matrimoniũ aliqui coniungantur ignorantia, quod proles ita illicite concepta spuria sit, non patrocinabitur, vt per subsequens verum matrimonium legitima reddatur.

Responsio.

12 Molina *in citat. num. 11. citati* è contra existimat, si qui ita habeant filium naturalem, & contrahant ignorando impedimentum dirimens matrimoniũ, nihilominus filium illum legitimari per tale inualidum matrimonium. Ducitur iuribus, quæ statuunt prolem susceptum ex matrimonio inualido quidẽ, sed ante faciem Ecclesiæ celebrato cum bona fide ex parte saltem alterius contrahentium, legitimam esse. Non tamen auderem priuilegium hoc merito concessum matrimonio ex natura rei inualido cõparatione prolis bona fide ex eo susceptæ extendere ad legitimandum prolem illegitimam ante talẽ matrimonium ex peccato parẽtis generatam: quoniam neque iura, quæ citantur, id probant; neque mens dictat, vt per epicheiam arbitremur eam fuisse mentem Ecclesiæ in iuribus, quæ statuunt, vt proles susceptæ ex matrimonio inualido, sed bona fide celebrato, sit legitima, neque credo Doctores, quos pro ea sententia Molin. citat, id affirmare: nobiscumque consentit Dominus Franciscus Sarmiento *lib. 1. interpretationum, cap. 6.* Adde, raro euenire, vt filius sit naturalis, & sit impedimentum dirimens matrimonium inter parentes, ex quibus fuit genitus, celebratũ.

13 Dubium. Dubium præterea est, an per matrimonium in articulo mortis, aut in vltima senectute cum concubina, ex qua quis filios habebat naturales, tales filij legitimentur. Quicquid autem quidam dixerint, dicendum est, legitimari. Ita affirmat cõmunis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Couar. *in Epit. p. 2. c. 8. §. 2. n* 10. Molin. *lib. 2. de primog. c. 5. n. 25.* Ferdinan. Vasquez Menchaca *3. lib. controuers. c. 41. n. 4. & seqq.* Ant. Gom. *ad l. 9. Tauri, num. 57.* Ratio est quoniam illud est verum matrimoniũ, eo quod, quando nullum aliud adest canonicum dirimens impedimentum, ad validitatem matrimonij satisfit mutuus consensus cum facultate contrahentium, quantum est ex se, ad copulam, licet generare nequeant: talis autem facultas est in eo, qui, cum alioquin potens sit ad coeundum, in articulo tamẽ mortis propter sanguinis corruptionem, consumptionem, & extinctionem spirituum vitalium & animalium: nequit per accidẽs actum illum exercere: talis etiam præsumitur esse in sene, nisi contrarium aliunde constet; neque fœmina propter ætatem, & virium consumptionem, desinit potens esse ad coeundum, quod ad matrimoniũ sufficit, tametsi impotens sit ad generandum: quod, vt dictum est, matrimonium non impedit.

Posita validitate eiusmodi matrimonij, consentiunt Doctores, quando parenti assignatus fuit substitutus sub ea conditione, si sine liberis legitimis discesserit, aut ad maioratum, quem possidet, legitimi soli vocantur, filios ita legitimatos excludere substitutum, succedereque in eo maioratu, quando pater non in odium alterius, qui alioquin succedere debeat, sed in commodum suorum naturalium filiorum, aut vt veteretur iure suo, vel aliquo alio bono fine, tale matrimonium contraxit.

14

15 Quæstio. Controuertunt tamen, vtrum si in odium substituti, eiusve, qui alioquin succedere debeat in maioratu, matrimonium contrahat, vt illi noceat, eumq; excludat, filij ita legitimati sint præponendi in ea successione. Et quidem communior sententia, quã referunt & sequuntur Molin. *de primog. c. 5. nu. 27.* & Ant. Gom. *ad l. 9. Tauri, nu. 58* negat. *Quoniam*, inquiunt, *illud est in fraudem eius, qui alioqui succedere debebat: fraus autem aut dolus nulli debent patrocinari.* Idem dicunt esse, si quis ex simili odio substituti, religionem in articulo mortis ingrediatur. Licet enim monasterium loco filij legitimi habeatur substitutumque excludat, vt alibi dictum est, idq; locum habeat, etiã si quis in articulo mortis bono aliquo fine, puta eleemosynam illam monasterio relinquendi, religionem ingrediatur; si tamen inquiunt, in odiũ fiat substituti, idq; constet, quia, qui ita ingressus est; id significauit, aut antea fuit comminatus, præfertur substitutus monasterio propter fraudem, qua vsus is est, qui religionem eo animo est ingressus.

16 Decisio. Contrariam sententiam cum paucis aliis affirmat Vasquez Menchaca *3. lib. controuersiar. c. 41. num. 5.* & Dominus Franciscus Sarmiento *1. lib. interpret. ca. 6.* innuere videtur Couar. *in Epit. par. 2. c. 8. §. 2. num. 10.* nempe in prædictis euentibus præferendos esse monasterium, & filios ita legitimatos: quæ sententia mihi placet. Ducor, quoniam, qui eo animo religionẽ ingreditur, aut matrimonium contrahit, licet peccet propter odium, quo substitutum prosequitur, iniustramque illam intẽtionem, quam erga eum habet, vtitur tamen iure suo ingrediẽdo in eo articulo religionem, aut contrahendo cum concubina: qui autem iure suo vtitur, nequaquam censendus est fraudem committere, vllive iniuriam facere. Sane, si ille simularet se ingredi religionem, vt substitutũ excluderet, vel contraheret cum cõcubina, cum tamen neque vere ingrederetur, neque duceret illam vxorem, interueniret fraus & dolus, in eoq; euentu substitutus in exteriori & conscientiæ foro præferendus esset monasterio, & filiis illis naturalibus, simulate solũ legitimatis: at vero quãdo ingressus est verus, verumque est matrimonium, nullam conspicio fraudem aut dolum, sed odium tantum, quod iustitiæ ius non impedit, quando id exequitur quis, quod secluso odio iuste efficeret. Adde odium posse tunc esse causam impulsiuam ad religionem ingrediendam, aut contrahendum cum concubina, & non finalem. Adde etiam, tantum potuisse esse delictum, & ingratitudinẽ substituti, tam indignũque posse illum esse bonis illis, vt voluntas ea via excludendi illum illicita sit & sancta. Ducor præterea, quoniam nullum video ibi ius, quod nostræ huic sententiæ refragetur, tam firma naturali ratione confirmatę. *Caput* namque *vltimum 20. quæst. 3. ex Concil. Moguntino*, cui aduersarij nituntur, non pugnat contra nos. Sic enim habet: *Constituit sane sacer iste conuentus, vt Episcopi, siue Abbates, qui non in fructum animarum, sed in auaritiam, & turpe lucrum inhiantes,*

quoslibet homines circumueniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt, pœnitētiæ canonicæ (vtpote turpis lucri sectatores) subiaceant. Hi vero, qui illecti comam deposuerunt, in eo quod cœperunt, perseuerare cogantur: res vero eorum haeredibus reddantur. Certe caput hoc pœnale est, neque illius pœna ad alia delicta est extendenda, quibus imposita non est. Quare solum haberet locum, si qui in mortis articulo religionem professeretur, circumuentus à superiore monasterij id efficeret, esto odium non interueniret substituti ex parte ingredientis, neq; finistra alia intentio: secus autem esset, si qui est in articulo mortis, propria sponte, à nullo q; monasterij persuasus, religionem ingrederetur. Multo autem minus pœna illius capitis locum habet in eo, qui odio substituti duceret concubinam vxorem.

SVMMARIVM.

1 *Qui possint per rescriptum Principis legitimari?*
2 *Quotuplex sit legitimatio?*
3 *Dispensatio & legitimatio diuersa.*
4 *An legitimatio quantumuis ampla & absque restrictione filio spurio per summum Pontificem effecta, censenda sit legitimatio, an dispensatio?*
5 *Quod discrimen sit inter legitimationem & dispensationem cum legitimo?*
6 *Quando quis ad spiritualia simpliciter, & quo ad partem legitimatur cū restrictione & limitatione aliqua, an dicenda sit legitimatio, an dispensatio?*
7 *Legitimare cuius sit?*
8 *Legitimare ad ciuilia & secularia ad quem spectet?*
9 *Qui Principis cōcessione facultatem habet ad legitimandum illegitimos, eo ipso cēsetur habere facultatem ad dispensandum cum eisdem, non è contra.*
10 *Qui potestatem accipit ad legitimandum ad ciuilia, an censeatur eam habere ad legitimandum, vt succedatur in feudo.*
11 *Quid, quando quis à seculari potestate legitimatur ad succedendum in aliquibus bonis.*
12 *Princeps qui superiorem in temporalibus non agnoscit, potest proprios filios illegitimos legitimare.*
13 *Ad quem spectet legitimare filium clericum quoad ciuilia?*
14 *Summus Pontifex in spirituale bonum, prohibere potest, ne ecclesiasticorum bona ad filios ex sacrilegio genitos deueniant, irritum faciendo si quid in contrarium fuerit attentatum.*
15 *Quando filius legitimandus est clericus ad iurisdictionem pertinens ecclesiasticam, & pater laicus, ad quē spectet legitimatio?*
16 *Quid requiratur, vt legitimatio per rescriptum obtenta valida sit?*
17 *Quo pacto legitimatio & dispensatio valida esse possunt?*
18 *Legitimandi qualitas quomodo explicanda?*
19 *Quid, quando qualitas aliqua non est proposita, quæ tempore expeditionis legitimationis ignorabatur.*
20 *Quæ qualitates exprimendæ, vt legitimatio sit valida?*
21 *Quid, quando legitimatio aut dispensatio sit alicui vt succedat in bonis parentis, parensque legitimos habet filios?*
22 *Quid, quando legitimandus est filius naturalis, commodeque legitimari potest per subsequens matrimonium.*
23 *Rescriptum conceditur contra legem, quæ contrarium eius, quod conceditur, statuerat.*
24 *Quid, quando qtis Principis rescripto est legitimatus.*
25 *An filius rescripto legitimatus succedat in feudo?*
26 *An legitimatus rescripto secularis Principis succedere possit in emphyteusi ecclesiastica.*
27 *An legitimatus rescripto Principis succedere possit parētibus simul cum filiis legitimis natis ante talem legitimationem obtentam.*
28 *An, si quis non habens descendentes legitimos, obtineat à Principe legitimationē filii, & post eam obtētam nascatur filius legitimus, talis legitimatio censeatur reuocata ad succedendum cum filio legitimo, an vero nō solum quo ad alios effectus, sed etiam quo ad hūc valida maneat.*
29 *Parentes possunt relinquere filio ita legitimato tertium suorum bonorum, aut quam partem illius maluerint.*
30 *Legitimatus rescripto Principis transit in paternā potestatem, perinde ac si esset legitimus.*
31 *Legitimatus rescripto Principis quī efficiatur, & quid necessarium?*
32 *An legitimato patre, filius illius legitimus legitimatus eo ipso comparatione aui existat.*
33 *Ad quæ Principis rescripto legitimatus admittatur?*
34 *Quid, quando aliquis legitimatus est à summo Pontifice, quid quando dispensatus ad ordines sacros suscipiendos.*
35 *Quid facto opus sit legitimato à summo Pōtifice, si postea dispensationem petat, vt plura beneficia curam animarum habentia possit obtinere.*
36 *Spurij per religionis ingressum professione emissa, manēt dispensati ad sacros ordines suscipiendos, non vt Prælati esse possint.*
37 *Quomodo quis ad legitimationem rescripto Principis reducatur.*
38 *Qui modi quondam legitimandi filios naturales ad ciuilia in vsu essent.*

DE LEGITIMATIONE PER rescriptum & dispensationem.

DISPVTATIO 173.

1 PEr rescriptum Principis non soli naturales filij, sed etiam spurij possunt, ac solent legitimari. Ratio, quoniam cum inhabilitates illegitimorū omnium iure positiuo sint introductæ, accedente voluntate, seu decreto eius principis, cui tale ius positiuum subiaceat, abolite manent, ac proinde eiusmodi illegitimus, etiamsi spurius sit legitimatus efficitur.

2 Disputatione 170. ostensum est duplicem esse legitimationem. Quandam ad spiritualia, quæ tollit inhabilitates iure canonico introductas: atque hanc ad solam potestatem ecclesiasticam pertinere. Aliam ad secularia, quæ illegitimorum inhabilitates abolent iure ciuili institutas & hanc spectare ad potestatem laicam: ad ecclesiasticam vero non, nisi comparatione eorum locorum, in quibus habet etiam supremum temporale dominium, aut nisi legitimare eo pacto ad spirituale bonum necessarium sit, isque secularis princeps, ad quem alioquin spectat, id præstare non velit, aut non tam cito velit, aut possit, quam cito est necessarium, aut denique, nisi, qui superiorem in temporalibus non recognoscit, vult ea in parte se aut suos subiicere sedi Apostolicæ. Atque hæc sunt, quæ *Innoc. III. c. per venerabilem, qui filii sunt legitimi*, docere intendit. Lege inter alios *Cou. in Epit. par. 2. c. 8 §. 8. n. 16. & 18.*

Illud, antequam vlterius progrediamur, est obseruandum. Longe diuersa esse legitimare aliquem illegitimum, & dispensare cum illo. Dispensatio namque est stricti iuris, vt iurisperiti vocant, eaque de cau-

Dispensatio & legitimatio diuersa.

de causa, neq; plus valet, quam verba stricte intellecta sonant, neque effectus & priuilegia habet, quæ legitimatis competunt, vt doctores omnes iuxta *c.1. § vlt. & cap.2. de fil.presbyt.lib.6.* & alia iura affirmant: legitimatio autem ample est intelligenda.

4 Quamplurimi, quos Couar. *in Epit.part.2.c.8.§.8. num.4.* refert, & quos Molin. *lib.3. de primog.c.3.n.36.* annuere videtur, asseruerunt; legitimationē, quantumuis amplam & absq; restrictione filio spurio per summum Pontif. aut Principem secularem effectā, nequaquam censendam esse legitimationem, sed dispensationem. Contrarium tamen probat optime Couarr. *num.4. citato, in postrema editione*, habeque praxis, non solum in hoc Lusitaniæ Regno, sed vt credo, etiam in aliis, videlicet esse legitimationē simpliciter, esto non tam ampla, & tam priuilegiata sit, ac est ea naturalium filiorum legitimatio, quæ per subsequens sit matrimonium; æquarique legitimationi filiorum naturalium, quæ fit per rescriptum Principis. Idem sufficienter probat ratio, quā in principio huius disputat. reddidimus, cur spurij etiam filij rescripto Principis legitimari possint ac soleant.

5 Hoc autem discrimen tradunt Doctores communiter inter legitimationem & dispensationem cum illegitimo. Quod quando illegitimo conceditur habilitas & facultas, non ad omnia, ad quæ vel iure canonico vel ciuili erat inhabilis, sed ad aliqua duntaxat, est dispensatio, esto, qui ita habilem illum reddit, dicat, legitimo te ad hoc, vel ad illud officio. Ratio est, quoniam non potest quis esse pro parte legitimus, & pro parte illegitimus. Quando vero simpliciter redditur habilis, vel ad ea, ad quæ iure canonico, vel ad ea, ad quæ iure ciuili erat inhabilis, dicitur legitimatus, restitutusve naturalibus, quibus primitus omnes homines habiles nascebantur ad omnia, ad quæ postea iure positiuo inhabiles sunt facti, idque siue is, qui ita legitimum facit, dicat, legitimum te officio, aut restituo te natalibus, siue dicat, tecum dispenso; potius quippe est attendendum ad id quod fit, quam ad verba, quibus fieri significatur.

6 *Dubitum.* Dubitant Doctores, quando aliquis, vel ad spiritualia, vel ad ciuilia simpliciter, & non quoad partem duntaxat, legitimatur, veruntamen adhibetur restrictio atque limitatio aliqua; vt si dicatur, ita tamen vt nullum inde præiudicium filiis illegitimis sequatur, aut ita, vt patri succedat in qua portione pater voluerit, vel alia similis, vtrum tunc dicendū sit id legitimatio, sitque proinde ample intelligendum, gaudeatque ita legitimatus omnibus facultatibus, quibus legitimati rescripto Principis gaudent exceptis iis, quæ restrictione adhibita sunt exceptæ: an vero, solum sit dispensatio. Anton. Gomez. *ad l. 9. Tauri, num.vlt.* & alij quos refert, affirmant esse solum dispensationem. Asserendum tamen est esse legitimationem, cum Couarr. *in Epit.par.2.c.§.§.8.nu.* 1. Emmanuele à Costa, *§. & quid si tantum, par.2.num.* 152. Molina *lib.3. de primogen.cap.3.num.38.* qui refert iuxta eam opinionem in summo Regni Castellæ senatu fuisse iudicatū, & cum Gama *decis.* 383. & multis aliis, quos hi Doctores citant. Optime autem Gama *loco citato* cum Socin. ait, tunc dici dispensationem, quando substantia ipsa legitimationis restringitur, vt si dicatur, sit legitimatus quoad hoc, vel hoc: secus autem, quando non legitimatio, sed effectus, qui ex illa sequi deberet, restringitur, vt si dicatur, nullum inde præiudicium fiat legitimis, aut possit nihilominus pater ei relinquere quam portionem voluerit, vel aliud simile. Vnde nequaquam Gama sibiipsi repugnat, dum *decisione citata, & decisione 11. num.3. & decis.134. num.1.* affirmat, eum, qui legitimatur vt succedat patri ab intestato, aut in portione, quam illi pater relinquere voluerit (quo pacto ait moris esse in hoc Lusitaniæ Regno legitimari spurios) non esse legitimatum, sed dispensatū, loquitur namque, quando legitimatio fit ad id tantum, & non quoad alias partes, quas integra legitimatio includit. Possumus vero confirmare, restrictionem quoad effectum aut effectus aliquos non impedire veram rationem legitimationis; quoniam alioquin eo ipso, quod à Carolo V. & Philippo eius filio explicatū fuit, in nullius legitimationis rescripto Principis factæ consequi quenquam in Regno Castellæ eam nobilitatem partum, quam *hidalguia* vocant, vt disputatione 160. visum est, dicēdum esset, nullam omnino inibi esse legitimationem spuriorum, sed omnes, quantumcunq; amplas esse dispensationes, strictecq; esse in omnibus intelligendas, quod est valde absurdum.

Legitimare, vt tractatu quinto videbimus, ad supremum grādum mixti imperij, quem maximum iurisperiti cum Bart. appellant, spectat; estq; proinde supremæ potestati reseruatum. Quo fit, vt legitimare in spiritualibus, ad solum summum Pontificem spectet, qui vt suprema potestas est in Ecclesia, sic in totum ius canonicum ipse habet potestatem. Ad inferiores vero Ecclesiasticas potestates pertinet habiles facere illegitimos ad spiritualia, quantū à summo Pontifice fuerit illis permissum, aut commissum. Episcopi dispensare possunt cum illegitimis, tum vt solos minores ordines suscipiant, tum etiam vt possint ea beneficia Ecclesiastica obtinere, quæ neque curam habent animarum, neque personatus, seu dignitates sunt, vt *ex c.1. de filiis presbyt. libr. 6.* constat, reliqua summo Pontifici sunt reseruata. Nuncij & Legati à latere id totum ex munere suo possunt, quod Episcopi vt tractat. 5. videbimus, nisi in aliquo peculiariter ipsorum potestas fuerit arctata. Vtrum vero aliquid amplius possint, & quousq; ex facultatibus cuique eorum in particulari cōcessis est intelligendum. Idem dic de quocunque alio à summo Pontifice ad id delegato.

7 *Legitimare quid.*

8 Eadem ratione legitimare ad ciuilia & secularia, præter euentus, in quibus explicatum est summum Pontificem id etiam posse, spectat ad supremam cuiusque Reipublicæ potestatem, quæ superiorem in temporalibus non recognoscit, idque sibi subditorum comparatione duntaxat, etiam circa bona quæ extra ipsius territorium sunt, vt Gama *decis.307. nu. 5. Couar. § 8. citato, nu.17.* cum communi Doctorum sententia affirmant: *modo tamen*, vt ait Couar. *id non cedat in præiudicium alterius subditi eius Principis, in cuius territorio res illa sita est.* Posset etiam Princeps, extra suum territorium existens legitimare suum subditum: eo quod id non esset exercere iurisdictionem contentiosam, sed voluntariam. Si tamen ad id esset aliquis citandus, quoniam admisceretur iurisdictio contentiosa, non posset Princeps id efficere in alieno territorio. Ita Couar *§.8. citato, nume.15. & 17.* Aliæ vero inferiores potestates, neq; legitimare, neque dispensare possunt, nisi quatenus à supremis fuerit illis concessum.

9 Obseruandum est etiam, qui Principis concessione facultatem habet ad legitimandum illegitimos: eo ipso censeri habere facultatem ad dispēsandum cum eisdem: quoniam qui potest, quod maius est, potest etiam minus, quod in eo maiori includitur. Non tamen è contrario, qui facultatem habet ad dispensandum in aliquibus cum illegitimis, censetur eam habere ad eos legitimandum. Ita Couar. *in Epit.par.2.cap.8.§.8. num.6.* & communi Doctorum sententia, quam refert. Quamuis postea *num.10.* sibi videatur contrarius, dum asserit eum, qui ex Principis delegatione facultatem habet ad legitimandum, non censeri habere facultatem ad dispensandum: eò, quod dispensatio sit magis odiosa. Quod tamen nihil omnino vrget. Etenim, vt ipsemet paulo inferius subiungit, dispensatio ipsa iam facta in eo sensu est odiosa, quod sit stricte intelligenda; facilitas

Decisio.

cultas vero dispensandi, quæ Principis est beneficium, non est odiosa, sed multo facilius conceditur, quam facultas legitimandi: sicut etiam facilius dispensatur in aliquibus cum illegitimo, quam eidem legitimatio concedatur.

10 Obseruandum etiam est, eum, qui potestatem accipit ad legitimandum ad ciuilia, nō censeri eam habere ad legitimandum, vt succedatur in feudo aut maioratu; nisi sufficienter exprimatur ad id etiam facultatem concedi. Ratio est, quoniam, iuxta communem Doctorum sententiam, Princeps ipse, qui per rescriptum quempiam legitimat, non censetur eum legitimare ad succedēdum in feudo & maioratu, nisi id exprimatur, vt perspicue constat *ex §. naturalis, si de feudo defuncti, &c.* quare ex eo, quod facultatem ad legitimandum alicui concedat, existimandū non est maiorem facultatem velle concedere, quam sit ea, qua solet ipse vti, dum absolute & sine alia explicatione legitimat. Ita Couar. *ibidem*, & Doctores, quos refert. Qui tamen potestatem accipit à Principe ad legitimandum filios illegitimos, censetur accipere etiam ad legitimandum filias illegitimas: quoniam nomine filiorum, ad eum effectum, intelliguntur filiæ, vt Couar. cum aliis *num. 7. sequenti*, recte affirmat.

11 Item qui à seculari potestate legitimatur ad succedendum in aliquibus bonis, si illa adiunctum habeant ius patronatus censetur eo ipso ad illud, esto spirituale quippiam sit, legitimatus, neq; indiget legitimatione aut dispensatione potestatis ecclesiasticæ. Ita Couar. §. 8. *citato, nu.* 18. & alij, quos refert. Ratio est, quoniam accessorium comitatur principale.

12 Princeps, qui superiorem in temporalibus non recognoscit, quemadmodum legitimare potest alios suos subditos, ita & proprios filios illegitimos. Ita colligitur *ex c. per venerabilem, qui filii sint legitimi*, & affirmant Doctores, quos Couar. refert ac sequitur §. *citato n.* 20. Id tamen, meo iudicio, sufficere nō posset, vt in Regno succederent, quando institutio Regni à Repub. ipsa fuit, vt soli legitimi succederēt.

13 Ad quem autem spectet legitimare filium clerici quoad ciuilia, atq; adeo ad succedendum in bonis paternis: communior Doctorum sententia; quam *loco citato num.* 19. Couarru. refert ac sequitur, est, spectare ad Principem secularem; præsertim quando filius ille in ordinibus sacris non est constitutus, neque beneficium aut aliquid aliud habet, ratione cuius priuilegio fori gaudeat. Ratio est, quoniam is, qui legitimādus est, atque adeo in quem iurisdictio est exercenda, secularis est. Et quamuis patris consensus requiratur, talis tamen consensus non est, vt in ipsum, sed vt in filium laicum iurisdictio exerceatur. Item bona, ad quæ est legitimandus, secularia sunt. Præterea iuxta præscriptum legum secularium cuiuscunque Regni bona clericorum deferūtur ad hæredes, & non iuxta ius aliquod canonicū, quod ea de re vnquam latum fuerit, inhabilitasque talium filiorum ad succedendum in bonis parentū iure ciuili fuit introducta: quare cum in eiusmodi legitimatione dispensatio fiat in iure ciuili, & circa personam ac bona secularia, neque ibi disponat Princeps de bonis clerici, sed solum tollat inhabilitatē à suo subdito, vt in illis possit succedere (quod recte Gama *decis. 307. num.* 5. adnotauit) consequens profecto est, vt ad Principem secularem, & non ad potestatem Ecclesiasticam eiusmodi legitimatio spectet, idque consuetudo videtur obtinere, quæ in hoc Lusitaniæ Regno constat *ex Aluaro Valasco consilio* 80.

14 Illud tamen non dubito, summum Pontificem in spirituale bonum, vt Ecclesiastici à sacrilegiis & scandalis se contineant, pro iurisdictione quam in Ecclesiasticos & eorum bona habet, prohibere posse, ne Ecclesiasticorum bona ad eorundē filios ex sacrilegio genitos deueniant, irritū omnino faciēdo, si quid in contrarium fuerit attentatum. Cum vero eiusmodi lex æquissima sit, & ab habente ad id iurisdictionem plenissimam lata, non video quo iure vel ab inferioribus Ecclesiasticis, vel à Principibus secularibus, recipi non debeat, atque iuxta illam in vtroque foro, dum agitur de successione in bonis clerici defuncti, non debeat iudicari. Quod dico propter Bullam Pij V. de qua versus finem disputat. 169. habitus est sermo, in qua id statuit, & quam ibidem diximus in hoc Lusitano Regno, &, vt existimabamus, in aliis Hispaniarum non esse receptam. Illud tamen est obseruandum, eiusmodi legem non proprie exercere iurisdictionem in filium clerici, qui interim dum Ecclesiasticus non est, ad iurisdictionem ciuilem, aut quasi ciuilem, summi Pontificis non pertinet, sed eam exercere in parentem legislatori subditum. Quare legitimatio filij illius ad secularia, spectat quidem ad Principem secularem, sed non sufficit, vt talis filius succedere possit in bonis parentis clerici, nisi simul summus Pontifex in lege dispenset, qua eam dispositionem de bonis clerici sibi subditi irritam fecit. Sic è contrario non satis esset summum Pontificem in ea lege dispensare, vt filius ille succedere posset in bonis parentis: quoniam adhuc iure ciuili maneret illegitimus inhabilisque ad succedendum, donec Princeps secularis, vel eum ad ciuilia legitimaret, vel cum eo dispensaret, vt in parentis bonis posset succedere.

Quando filius legitimandus est iam clericus, ad iurisdictionem pertinens Ecclesiasticam, sed pater laicus, videtur legitimatio spectare ad summum Pontificem, & non ad Principem secularem: eo, quod legitimatio sit actus iurisdictionis, qui exercetur in personam, quæ legitimatur, & non in patrem, cui succedere debet: neque id probabilitate caret. Attamen cum inhabilitas ad ciuilia clerici ita legitimandi ortum habuerit ex iure ciuili, & non ex canonico, contractaque fuerit ante clericatum, dum ille ad laicam iurisdictionem omnino spectabat, & sit ad succedendum patri laico, cuius consensus ad legitimationem requiritur, & cui præstatur etiam beneficium legitimationis filij, fitque ad succedendum illi ciuiliter, iuxta leges seculares eius regni; sane ex eo, quod Respublicæ seculares concesserint Ecclesiæ iurisdictionem ciuilem in Ecclesiæ ministros, non videntur cessisse huic iuri suo legitimandi ciuiliter eos, qui vi iuris ciuilis ante clericatum contraxerant, ciuilem illam inhabilitatem; neque vsus habere videtur, vt clerici filij illegitimi sine legitimatione Principis secularis succedant parentibus laicis. Quod si alicubi vsus habet, vt eiusmodi illegitimi clerici succedant parentibus præstita legitimatione aut dispensatione per summum Pontificem, ei vsui, & consuetudini erit standum. Idem dicerem, quando tam filius quam pater clerici sunt.

16 Vt legitimatio per rescriptum obtenta valida sit, præter consensum patris si fiat ad succedendum in bonis illius, necessarius est filij consensus, vt perficiatur: quare esto inscio filio, aut nondum ad vsum rationis peruenīente; obtineatur, semper est dependens à libero ipsius consensu, vt cōstat *ex auth. quibus mod. natural. effic. fui. §. generaliter.* Ratio vero ibi redditur, quoniam cum filius eo ipso; quod legitimatus sit, transeat in patris potestatem, ac proinde vsus fructus bonorum ipsius, illorumq; administratio ad patrem pertineat, expediens non fuit, vt filius inuitus Principis beneficio legitimaretur. Vt enim Aries Pinellus *in Rub. de bon. matern. par. 2, nu. 8.* recte adnotauit, aliquando quo ad lucrum & commodū pecuniarium melioris conditionis est filius illegitimus, quam legitimus. Licet autem præsumptus, seu interpretatiuus filij consensus sufficiat ad legitimationē perficiendā; Emman. tamen à Costa §. *& quid si tantum par. 2. concl. 1.* arbitratur ex sola scientia & silentio

lentio filij non semper præsumi sufficienter consensum, nisi aliquid faciat, quod non, nisi legitimationis iure, poterat efficere.

Vtitem legitimatio per rescriptum obtenta, aut etiam dispēsatio valida sit, necesse est, vt legitimanti aut dispensanti proponatur ac manifestetur quicquid retrahere eum poterat à tali legitimatione, aut dispensatione eo pacto concedenda: alioquin surreptitia iudicabitur. Ita colligitur *ex cap. vlt. de filiis presbyt. lib. 6. cap. postulasti, de rescriptis, cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, & ex aliis iuribus*, affirmantque *Couar. in Epit. part. 2. cap. 8. §. 9. num. 1.* & Doctores communiter.

18 Hinc colligitur, explicandam esse legitimandi qualitatem quoad illegitimitatis fœdiorem modū, nempe an sit spurius, quod si spurius sit, vtrum ex adulterio, vel incestu, aut sacrilegio: & si ex adulterio, vtrum ex altera parte tantum, an ex vtraque, nempe ex coniugato & coniugata. Si vero ex incestu, arbitratur Couar. loco citato, explicandum esse, vtrum ex incestu cum matre, aut cum filia, vel sorore, & denique explicandum esse gradum consanguinitatis, aut affinitatis inter parentes, ex quibus fuit genitus. Si autem ex sacrilegio, vtrum cum sacerdote, moniali, aut religioso, & num vtrinque. Item explicandum est, vtrum simul concurrerint adulterium & sacrilegium, aut incestus. Ita *Panorm. cap. per venerabilem, qui filij sint legit. num. 27. Syl. verb. legitimus. nu. 8. Aluarus Valas. cons. 8. Couar. §. 9. citato*, & Doctores alij, quos citant, consonant etiam *l. sed si hæc, §. patronum, ff. de injus voc.* Neque defectus legitimationis, in qua eiusmodi qualitas filetur, tollitur ex eo, quod in legitimatione apponantur clausulæ de plenitudine potestatis, aut ex certa scientia, vel supplentes omnem defectum, vt *Aluar. Valas. consul. 80. cum aliis*, quos citat, recte ait. Si tamen princeps in legitimatione aut dispensatione diceret, ex quocunque coitu talis illegitimus esset conceptus, non dubito validam esse dispensationem, aut legitimationem, esto qualitas illegitimati non exprimeretur, nisi esset talis, de qua præsumeretur, quod si in particulari exprimeretur: nequaquam legitimatio aut dispensatio concederetur. Etenim in concessione generali non censetur id concessum, de quo si in particulari concedens interrogaretur, nequaquam id concederet, vt habetur *de reg. iuris lib. 6.* Sit itaque generalis regula. Quando coniecturæ sunt sufficientes, vt dubitandum non sit, eum, qui legitimationem aut dispensationem concedit, similiter illam fuisse concessurum, esto qualitas aliqua, quæ explicata non fuit, illi fuisset proposita, valida est iudicanda legitimatio aut dispensatio sine explicatione qualitatis illius obtenta: in dubio autem, an eam similiter concessisset, iudicanda est surreptitia.

19 Quando qualitas aliqua ideo non fuit proposita, quia tempore coitus & expeditionis legitimationis ignorabatur, vt si quis genuisset filium ex ea, quæ communiter habebatur vidua, & post legitimationem compertum est fuisse coniugatam, merito *Aluar. Valas. in calce cons. 80.* ait validam esse legitimationem.

20 Qualitates, quæ solum augent culpam, non tamen mutant modum illegitimitatis, saltem quoad gradum incestus aut sacrilegij, necesse non est exprimi, vt legitimatio sit valida: vt quod naturalis filius genitus sit ex virgine, aut vidua: quod filius genitus esset ex nobili, aut constituto in dignitate, vt *Aluar. Val. cons. 80.* affirmat, referens esse stylum Curiæ. Credo tamē si quis genitus esset ex Episcopo, id exprimi debere: quoniā non minus augeret gradū sacrilegij, quā esse genitum ex religioso, aut moniali.

21 Item si legitimatio aut dispensatio fiat alicui, vt succedat in bonis parentis, parensq; legitimos filios habeat, explicandum id est, alioquin erit surreptitia: A eo quod præiudicium, quod indē filiis legitimis sequitur, quatenus ex tali legitimatione aut dispensatione minuitur legitima ipsis debita, multum retrahere potest ac debet ad concedendam talem legitimationem ac dispensationem. Ita Doctores citati, *Emmanuel à Costa, §. & quid si tantum, par. 2. n. 132.* & communis sententia, quam referunt. Idem dicerem de ascendentibus, si similiter legitimatio aut dispensatio eis præiudicaret in portionibus ipsis debitis in bonis parentis eius, qui legitimatur, consentit *Emmanuel à Costa loco cit. n. 146. cum aliis*, quos refert, quicquid quidam alij in contrarium dixerint.

Item si is, qui legitimandus sit, filius sit naturalis, 22
commodeq; legitimari possit per subsequens matrimonium, eo quod commode pater, sine suoque
B dedecore possit assumere matrem vxorem, & mater similiter patrem, inualida erit legitimatio per rescriptum obtenta, nisi concedēti exprimatur commode talem filium legitimari posse per subsequens matrimonium: quandoquidem id retrahere potest principem à concessione legitimationis. Ita habetur expresse *in authent. quibus modis natur. effic. legitimi. §. sit igitur licentia*, & affirmant Doctores, quos referunt ac sequuntur *Couarr. §. 9. cit. num. 5. Molina 3. lib. de primog. cap. 3. num. 39. Emmanuel à Costa loco citato num. 96.*

Occasione legitimationis sequentem doctrinam 23
tradit *Couarr. §. 9. citato, num. 6. cum Alexandro, Gomezio, & cum aliis*, quos refert. Aut rescriptum con-
C ceditur contra legem, quæ futuris principum concessionibus derogat, aut non, sed solum contra legem, quæ contrarium eius, quod conceditur, simpliciter statuerat. In hoc secundo euentu, si res, quæ rescripto conceditur, non sit in notabile præiudicium tertij, satis est simplex rescripti concessio sine expressione, etiam in generali, iuris, cui eo rescripto derogatur. Si vero sit in notabile detrimentum tertij, necessaria est, ac sufficit clausula vniuersalis, quæ dicat, non obstantibus legibus seu iuribus contrarium statuentibus. In primo autem euentu, si rescriptum non solum sit contra legem, quæ futuris principum concessionibus derogat, sed etiam sit in notabile detrimentum principis, Reipublicæ, aut alicuius tertij, tunc necessaria est clausula, quæ in speciali deroget legi illi dicendo, non obstante tali
D lege in contrarium lata, alioquin rescriptum est inualidum. Sufficeret tamen clausula generalis, qua diceretur, non obstantibus quibuscunque iuribus in contrarium, etiamsi de eis specialis mentio esset facienda. Quod si non vergeret in notabile cuiusquam detrimentum, sufficeret, & necessaria esset clausula illa generalis, non obstantibus quibuscunque iuribus in contrarium. Si autem rescriptum, aut statutum derogaret iuri in concilio aliquo generali condito, tunc, esto ius illud concessionibus futuris non derogaret, ait Couar. cum Iacobatio, necessarium esse apponere clausulam, non obstante quocunque iure contrarium disponente, etiam concilio generali statuto. Iuxta hæc, quoniam *in authen. quibus modis natur. effic. sui, §. pen.* spurij à legitimatione per rescriptum Principis vi-
E dentur excludi, ait Couar. cum Gomezio, necessarium esse apponere in eorum legitimatione clausulam, non obstante quocunque alio iure in contrarium, idem affirmat Greg. Lopez *ad l. 4. tit. 15. part. 4. in verb. Barraganas.*

Legitimatus Principis rescripto nihil à legiti- 24
mis differt, vt in bonis parentis: cui legitimatur, & aliorum consanguineorum, tam ex testamento, quam ab intestato succedat. Quare dicere potest testamentum nullum, in quo præteritur, & agere querela inofficiosi testamenti, perinde atque alij legitimi, vt patet *in authen. quibus modis natur. effic. sui, §. & quoniam varie. §. reliqui. & §. si quis ergo. vers. sit igitur licentia, authen. quibus modis natur. effic. legitimi.*

§. *liceat*, & §. *sit igitur licentia*, & *Institut. de hæredib. quæ ab intest. deferun.* §. *quibus communerari*, & *l. vlt. tit. 15. part. 4.* affirmantque *Gama decis. 11.* & 134. *Couarru. in Epit. part. 2. cap. 8. §. 8. num. 2. Anton. Gom. ad l. 9. Taur. num. 66.* & Doctores communiter. Dispensato tamen ad succedendum patri, id non conuenit. Quin si quis legitimatus sit, sed cum restrictione, vt possit succedere patri ex testamento in eo, quod pater ei reliquerit (quo pacto *Couarr. num. 2. citato* cum aliis quos refert, ait solere in Hispanijs concedi legitimationes omnes) tunc filius ita legitimatus non potest dicere nullum testamentum patris, in quo præteritur, neque agere querela inofficiosi testamenti: quoniam limitatio illa patri permittit nihil ex testamento relinquere eo pacto legitimato. Ita *Couar. & Gam. locis citatis*, & Doctores alij, quos referunt.

25 Filius tamen rescripto legitimatus non succedit in feudo, neque etiam in maioratu ab alio præcessore instituto, vt supradictum est, nisi ad id specialiter legitimetur. Vtrum autem valide ac licite ad id possit princeps legitimare, dicetur disput. sequenti.

26 Legitimatus rescripto sæcularis Principis, præsertim si spurius erat, succedere non potest in emphyteusi Ecclesiastica, vt habet communis opinio, quam referunt & sequuntur *Gregor. Lopez ad l. 4. tit. 15. p. 4. verb. todas las hembras. Gama, cum alibi; tum dec. 307.* Merito tamen id limitandum censet, nisi emphyteusis illa transitura esset ad extraneos: tunc enim, cum ex eo, quod spurius per principem sæcularem legitimatus in tali re emphyteutica succedat, nullum præiudicium sequatur Ecclesiæ, quasi retardetur consolidatio dominij vtilis cum directo, neque talis spurius succedat in dominio directo, quod ad Ecclesiam pertinet, sed in solo vtili, quod interim spectat ad laicos, atque adeo ad quod se extendit iurisdictio sæcularis interim dum inde præiudicium non resultat Ecclesiæ, sane succedere in tali emphyteusi potest legitimatus per Principem sæcularem. Quod autem succedere possit in laica emphyteusi, habetur *4. lib. ordinat. tit. 62. §. 4.*

27 Vtrum autem legitimatus rescripto Principis succedere possit parentibus simul cum aliis filijs legitimis natis ante talem legitimationem obtentam. Iam supra dictum est, legitimationem esse surrepritiam, nisi concedenti rescriptum explicetur, parentem habere filios legitimos. Quod si obtineatur facta ea explicatione, neque in legitimatione apponatur clausula illa apponi consueta, sine præiudicio filiorum legitimorum, aut sine præiudicio succedentium ab intestato, tunc succedit vna cum legitimis, vt affirmant Doctores communiter, quos referunt & sequuntur *Ant. Gomez ad l. 9. Taur. nu. 67. Greg. Lopez. ad leg. vlt. tit. 15. part. 4. glos. vlt. & Emmanuel à Costa, §. & quid si tantum, part. 2. conclus. 2. à num. 131.* neque id esse inualidum aut illicitum, ostendemus disp. sequenti. Parentes tamen non possunt tunc relinquere filio legitimato maiorem portionem, quam vni ex filiis legitimis, cui minima portio fuerit relicta. Ita habetur expresse *in auth. quibus modis natur. effic. sui, §. & quoniam varie, & l. vlt. §. vlt. Cod. de natural. lib.* Vnde sequitur, neque in Regno Castellæ patrem posse meliorare in tertio & quinto eiusmodi filium, neque item in hoc Lusitano in tertio suorum bonorum, ac proinde neq; ex eiusmodi bonis posse instituere maioratum, in quo filium legitimatum filiis legitimis præferat. Ita *Mol. 2. lib. de primogen. capit. 11. num. 17.* & communis sententia, quam refert, consentitque *Emmanuel à Costa loco citato, num. 137.* quamuis Xuares ab eo relatus, in contrariam sententiam inclinet, eamque amplectatur *Anton. Gom. ad leg. 9. Taur. num. 69.* contendentes duo iura illa citata, quibus contraria sententia nititur, solum habere locum in legitimatis per oblationem curiæ, non vero per rescriptum Principis. Nulla tamen potest reddi congrua ratio, cur id in solis legitimatis per oblationem curiæ locum habeat, præsertim in Regno Castellæ, vbi *leg. 12. Tauri, quæ est 10. tit. 8. lib. 5. nouæ collect.* sancitum est, esto quis Principis rescripto legitimatus sit, vt in bonis paternis succedat, si tamen post talem legitimationem obtentam nascatur filius legitimus, aut naturalis per consequens matrimonium, legitimetur, talem legitimatum Principis rescripto succedere non posse parenti, aut cuiuis alteri ascendenti, tam ab intestato, quam ex testamento, vna cum filiis legitimis: posse tamen ascendentes illi relinquere de quinto suorum bonorum, quod voluerint, saluis integris legitimis aliorum filiorum.

B Controuertunt Doctores, vtrum si quis non habens descendentes legitimos obtineat à Principe legitimationem filij, & post eam obtentam nascatur filius legitimus, talis legitimatio censeatur reuocata ad succedendum cum filio legitimo: an vero non solum quoad alios effectus, sed etiam quoad hunc valida maneat. Communior sententia *Panorm. cap. per venerabilem, qui filij sint legit. Bartol. Syl. verb. filii. quæst. 14. & aliorum, quos Anton. Gom. ad l. 9. Taur. numero 68.* refert, est: neque quoad eum effectum conferi reuocatam. Potissimum ducuntur, quoniam cum ea legitimatio fuerit perfecta & consummata, conferi non debet irrita quoad eum effectum ex superueniente euentu. Contrariam sententiam, nempe irritam esse censendam quoad illum præcise effectum succedendi ascendentibus vna cum legitimis filiis, sequuntur Dynus, & quidam alij, quos *Anton. Gom. num. citato* refert, eamque confirmant *ex l. ex facto, ff. de vulgari & pupillari substitut.* Est vero hodie in Regno Castellæ *l. 12. Tauri* sancita, vt paulo ante dictum est. Ac sane est æquissima: eo quod quando is, qui eam concessit, contrarium non expressit, præsumendum non sit voluntatem ipsius fuisse, vt in eo euentu quoad illum effectum maneret legitimatus: in concessione autem generali non est censendum comprehensum id, de quo si is, qui concessit, in particulari interrogaretur: id non concederet. vt habet regula iuris. Confirmatur inualidam esse quoad eum effectum, quoniam si à legitimante, quando legitimationem concessit, peteretur, vt apponeret clausulam, vt esto filius legitimus nasceretur, succederet cum eo in bonis parentis, retrahi posset à concessione legitimationis in eo euentu propter præiudicium filiorum legitimorum: ergo nisi petatur & exprimatur, non est censendus id concessisse: præsertim cum, vt supra dictum est, ex communi Doctorum sententia surrepitia, & nulla sit legitimatio, in qua filetur, parentem filios habere legitimos. Confirmatur rursus, quoniam donatio per filij natiuitatem reuocatur: eo quod non sit præsumendum patrem donare voluisse in eo euentu, vt suo loco ostendetur: ergo pari ratione natiuitate filij legitimi irrita est censenda legitimatio illegitimi ad effectum, vt cum eo succedat ascendentibus. Licet posterior hæc sententia tam probabilis sit, quam probabilem eam ostendunt rationes propositæ, sitq; in Regno Castellæ sancita: quia tamen prior est Bartoli ac communior, & neq; glossa Accursij est expressa in contrarium, forte in hoc Regno stabitur in iudicando priori sententiæ, iuxta ordines *lib. 2. tit. 5. §. 1.* 28

29 Illud admonuerim, si posterior sententia, in hoc Regno reciperetur, posse parentes relinquere filio, ita legitimato tertium suorum bonorum, aut quam partem illius maluerint: quoniam sicut hoc relinqui titulo legati potest extraneis, ita filio legitimato rescripto Principis.

30 Legitimatus rescripto Principis in paternâ transit potestatem, perinde ac si esset legitimus, vt supra dictum

dictum est, *authent. quibus modis natur. effic. sui, §. generaliter. Couarr. in Epit. part. 2. cap. 8. §. 8. numero 5.* & Doctores communiter: secus autem est de solum dispensato.

31 Item legitimatus rescripto Principis non tantum efficitur legitimatus comparatione parentum, sed etiam comparatione agnatorum, vt in eorum bonis perinde succurrere possit, ac si esset legitimus. Vt vero comparatione illorum legitimatus efficiatur, necessarius non est consensus eorum, sicut necessarius est consensus patris, consonat *auth. quibus mod. nat. effic. sui, §. si quis ergo filios, ver. quapropter*, quo in loco filij rescripto Principis legitimati, nihil à legitimis quoad successionem differre asseritur, affirmatq; communior Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Cou. in Epit. p. 2. cap. 8. §. 16. n. 2. Ant. Gom. ad l. 9. Taur. n. 69. & Greg. Lop. ad l. 7. tit. 15. p.* B *4.* idq; definitum est *l. Taur. 12. & l. 7. citata.* Quando ergo *in auth. quibus modis nat. effic. sui, §* filiũ, scriptum legitur: *Filium per eiusmodi causam factum legitimum, ipsi soli genitori legitimum facimus, non etiam extraneæ cognationi patris*: sermo est de legitimatis per oblationem curiæ, id quod expressit *l. 7. Castellæ citata*, satisque aperte colligitur *ex verbo illo illius §. per eiusmodi causam*, hoc est, per oblationem curiæ: argum. namq; à contrario sensu innuitur, secus rem habere in legitimatis aliis de causis. Dispensatus vero, vt succedat patri, non censetur dispensatus, vt succedat aliis descendentibus, vel agnatis, vt Couar. & alij Doctores communiter affirmant.

32 Vtrum autem legitimato patre, filius illius legitimus legitimatus eo ipso comparatione aui existat. Affirmat *Cou. §. 10. citato, n. 5.* idq; egregiis rationi- C bus probat, consentit *Gam. dec.* 1[illegible].

33 Præterea, Principis rescripto legitimatus admittitur, sicut legitimi cõsanguinei, ad retractum rei, quam consanguineus vendiderat. Ita *Couar. ibid. nu. 3.* & alij quos citat.

34 Legitimatus à Summo Pontifice non solum potest ordines sacros suscipere, sed etiam beneficia curam animarum habentia obtinere: dispensatus tamen ab eo ad ordines sacros suscipiendos, non potest beneficia curam animarum habentia obtinere, nisi ad id peculiariter sit etiam dispensatus. Ita Couar. *in Epit., par. 2. cap. 8. §. 8. numero 5.* cum Archidiacono, & aliis, consentitque *caput 1. de filiis presbyt. lib. 6.*

35 Item legitimatus à Summo Pontifice necesse non D habet, si postea dispensationem petat, vt plura beneficia curam animarum habentia possit obtinere, exprimere in petitione, se illegitimũ fuisse natum: at vero id necesse habet exprimere, qui solum esset dispensatus, vt vnum beneficium cum cura animarum posset habere, si postea petat secum dispensari, vt simul plura possit habere: alioquin secunda dispensatio subreptitia erit, & nulla. Hoc secundum habetur aperte *l. vlt. de filiis presbyt. lib. 5.* Primum vero colligi videtur *ex eodem cap. iuncto cap. 1. eiusdem tituli.* Potest præterea probari, quoniam cum post legitimationem reputetur tanquam legitimus, abolitamque habeat inhabilitatem omnem, quam quatenus illegitimus habebat, non minus aptus iam est E ad plura beneficia cum animarum cura, quam sint filij legitimi. Ita *Couarru. numero 5. citato cum Ioanne Andræa, & Dominico capit. illo vlt. citato.* Idem Couarruu. ibidem cum Lappo & Dominico affirmat, illegitimum dispensatum, vt habere possit beneficium cum cura animarum, non posse dimisso vno, obtinere alterum sine noua dispensatione, eo quod dispensatio stricte sit intelligenda, atque adeo de vnico semel. Ita colligitur *ex cap. 1. §. vlt. de filiis presbyt. lib. 6. iuncto capit. non potest, de præs. lib. 6.* Legitimatus tamen, dimisso vno potest obtinere aliud.

A Illegitimi, etiamsi spurij sint per religionis in- 36
gressum professione emissa manent dispensati ad ordines sacros suscipiendos: non vero, vt prælati esse possint, aut vt possint aliam dignitatem obtinere: ad id namque speciali indigent dispensatione aut priuilegio. Ita habetur *cap. 1. de filiis presb.* & affirmant Syl. *ver. legitimus. num. 4. Nauar. in man. c. 27. n. 101. & alij* quos citant.

Ad legitimationem rescripto Principis reduci- 37
tur, quando pater filium naturalem constituit hæredem perens à Principe, vt velit illum legitimare, atque adeo sub conditione, si Princeps voluerit eum legitimare: tũc enim subsecuto Principis consensu, qui (si pater sobolem legitimam non reliquit) facile obtinebitur, efficitur ille legitimus post mortem patris, patrique proinde succedit. Ita habe- B tur *in authen. quibus modis natur. effic. sui, §. si vero is, & l. 6. tit. 15. part. 4.*

Quondam alij erant modi legitimandi filios so- 38
los naturales ad ciuilia, atque adeo ad succedendum patri, de quibus sermo est *in authent. quibus modis naturales efficiuntur legitimi. in authent. quibus modis naturales efficiuntur sui, in authenticis quæ habentur post l. nuper. Cod. de naturalibus liberis, & à l. 5. vsque ad finem tit. 15. part. 4. de quibus Syl. ver. legitimus, numero 5. Sotus in 4. distin. 41. quæst. 1. artic. 4. & Couar. in epitom. part. 2. cap. 8. §. 7.* & alij. Vnus erat, si pater publicõ instrumẽto talem filium appellaret filium suum, non addendo naturalem: tunc enim præsumebatur natus ex legitimo matrimonio occulto inter parentes, nisi contrarium aliunde constaret. Hic tamen modus post Concilium Trident. in C quo matrimonia clandestina inualida effecta sunt, locum non habet. Alius erat per oblationem curiæ, qui varias species seu modos, quos Doctores citati commemorant, continebat. Vt vero tradunt Couar. *§. 7. citato*, Gregor. Lop. *ad l. 5. citatam*, & alij, quos referunt, modus hic legitimandi non est hodie in vsu. Quare non est, quod plura circa hosce modos dicamus.

SVMMARIVM.

1 *Deficientibus ascendentibus & descendentibus legitimis, valida est legitimatio illegitimi ad succedendum in ijs bonis, non citatis legitimatis agnatis transuersalibus patris, modo ex patris voluntate legitimatio fiat.*

2 *Quid, quando deficiunt descendentes legitimi, & superstites sunt ascendentes.*

3 *Varij gradus iuris recensentur.*

4 *An possit Princeps pro suo libito concedere vni ius in bona alterius, eo inuito, dispensando in iure omnibus communi.*

5 *Quando statuatur legitimatio naturalium filiorum.*

6 *In legitimationibus illegitimorum, quorum maior ratio sit habenda.*

7 *Existentibus descendentibus legitimis, valida est illegitimorum legitimatio facta de consensu patris.*

8 *Probatur conclusio.*

9 *De iure communi, per oblationem, qua pater ipse filium naturalem consentientem offert curiæ, fit legitimatus ad succedendum patri vna cum alijs filijs legitimis.*

10 *Maior causa requiritur, vt legitimatio ad succedendum cum legitimis licita sit, quam si legitimationi ascendentium præiudicio fieret.*

11 *Probatur ratione.*

12 *Cur dictum sit, Præsertim quando legitimatio fit post matrimonium cum legitima vxore contractum, malo-*

maiorem causam requiri, si adsint descendentes ex illa, quam si fieret in præiudicium ascendentium.

13 *Cur additum: Et quando sequitur legitimas minui.*

14 *Necesse est legitimanti proponi esse tales descendentes aut ascendentes, vel legitimantem vti talibus verbis in concessione legitimationis, ex quibus constet velle legitimare nihil impediente, quod ascendentes aut descendentes legitimi existant.*

15 *Cur dictum, Apposita clausula de plenitudine potestatis, &c.*

16 *Quis sit sensus huius clausulæ in rescriptis legitimationis apponi consuetæ: Sine præiudicio legitimorum hæredum, aut sine præiudicio succedentium ab intestato.*

17 *An virtute illius clausulæ soli descendentes legitimi excludant legitimatum, an vero collaterales.*

18 *Refertur Authoris sententia.*

19 *An voluntate patris non præcedente valida sit legitimatio ad illi succedendum.*

20 *Quomodo hæreditas dicatur delata.*

21 *Quid, quando hæredes sumpserunt possessionem.*

22 *Refertur quorundam sententia.*

23 *Improbatur.*

24 *Sententia communior.*

25 *Refellitur.*

26 *Respondetur ad fundamentum Iurisperitorum.*

27 *Quid, quando libera de bonis dispositio ad partem illegitimi non spectat.*

28 *Quando in peculiari eventu bonum commune omnino, gratuiterque postulat, vt bona vinculo alicui subiecta, non ad eum deueniant, qui ius ad illa ex tali vinculo habet, sed ad quemdam alium, id potest efficere Princeps.*

29 *Quando commune bonum exigit, potest Princeps statuere omnibus de repub. communem legem, qua cum detrimento eorum, qui alioquin succedere debent, id in posterum seruetur, quod commune bonum efflagitat.*

30 *Refertur contraria quorumdam sententia.*

31 *Dicta obtinent etiam locum, quando maioratus est institutus ex Principis facultate ac priuilegio contra iuris dispositionem, cui Princeps ea facultate ac priuilegio derogat.*

32 *Refertur fundamentum contrariæ sententiæ.*

33 *Respondetur ad fundamentum propositum.*

34 *Non potest Princeps in præiudicium masculorum reddere fœminas habiles ad succedendum in feudo.*

35 *Si in supradictis ab institutore fideicommissi maioratus aut feudi, apposita sit clausula, Si sine filiis natis legitime, aut ex legitimo matrimonio procreatis discesserit, inualida est legitimatio illegitimi ad effectum, vt excludat substitutum, aut eum qui ad maioratum vocatur.*

36 *An, quando dictum est, in institutione, Si sine liberis decesserit, possit Princeps legitimare filium possessoris maioratus ad effectum, vt excludat eum, qui alioquin vocatur, validaque ad eum effectum sit talis legitimatio.*

37 *Quid, quando in institutione apponitur clausula illa, Si sine filiis legitimis decesserit.*

38 *Vtrum, si maioratus institutus sit cum clausula, Si sine liberis decesserit, nulla mentione facta de legitimis, filius naturalis excludat substitutum, eumve, qui in filiorum defectum, vocatur ad maioratum.*

39 *Quando possit Princeps ex rationabili causa legitimare spurium, vt in fideicommisso succedat, excludatque substitutum.*

40 *Quid, quando illegitimus ex iuris communis dispositione excluditur à successione in feudo propter iura peculiaria feudorum.*

LEGITIMATIO IN PRÆIVDICIVM tertij, an indigeat, vt tertius citetur, validáq; ac licita sit, & de aliquibus, quæ in rescriptis interdum apponuntur.

DISPVTATIO 174.

QVod ad res attinet, nulli vinculo subiectas, sit prima conclusio. Deficientibus ascendentibus & descendentibus legitimis, valida est legitimatio illegitimi ad succedendum in eis bonis, non citatis legitimatis agnatis trâsfuersalibus patris, modo ex patris voluntate legitimatio fiat. Hæc est *Bartol. in l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. de lib. & posth.* & communis Doctor. nec video in ea posse esse dubium. Probatur, quoniam licet agnati illi hæredes sint patris ab intestato in eis bonis, quia tamen pater absque cuiusquam illorum iniuria licite poterat ea omnia relinquere alicui extraneo, aut disponere de illis ad pias causas, sane in eo, quod talis filius legitimetur, nulli iuri ipsorum contrauenitur, quo ipsis ea bona essent debita, ac proinde sicut sine ipsorum iniuria potest legitimari, ita necesse non est, vt ad id citentur. Conclusio hæc magis perspicua erit ex sequentibus. Illud addo, vt licita etiam sit eiusmodi legitimatio aut dispensatio minorem causam requiri, quam si parens legitimos descendentes aut ascendentes haberet. Etenim, vt rationabiliter ea fiat, satis sunt probitas legitimandi, vel patris merita, aut filium illum eis omnibus bonis indigere ad competentem statum pro qualitate patris, aut aliud simile: eoque minor causa sufficiet, quo illegitimitas minus fœda fuerit. 1 *1. Conclusio.*

Secunda conclusio. Deficientibus descendentibus legitimis, & supersticibus ascendentibus, valida est legitimatio illegitimi ad succedêdum in eisdem bonis facta de consensu patris, etiamsi ascendentes priuêtur portionibus in eisdem bonis alioquin debitis, & esto non citentur. Hæc etiam est Bartol. & communis Doctorum, quos referunt & sequuntur *Emmanuel à Costa. §. & quid si tantum. à num. 141. Couar. in Epit. par. 2. cap. 8. §. 9. nu. 7. & Molin. lib. 3. de primogen. cap. 3. num. 2. & 10.* Possumus vero eam probare, quoniam licet, quando non sunt descendentes legitimi, debita illis sit portio, nempe duæ partes bonorum de iure huius Regni & Castellæ (exceptis, comparatione filiorum naturalium, euentibus, de quibus disput. 165. dictum est) nihilominus cum debitum hoc non sit nisi posito iure ciuili, quod ita statuit, & quod Principi subest, potestque variare, atque in eo dispensare. & dependenter ex eo, quod perseuerante iure illo sine mutatione ac dispensatione è vita discedat is, in cuius bonis est succedendum, vtique postulante id patre, minimeque auditis aut citatis ascendentibus, poterit Princeps ex rationabili causa derogare iuri, quod ab ipso pendet, legitimando filium illegitimum, aut cum eo dispensando, vt perinde patri succedat, ac si esset legitimus, neque ea in re Princeps vllum iniuriam ascendentibus facit, cum vtatur iure suo. 2 *2. Conclusio.*

Antequam autem vlterius in probatione ac explanatione huius conclusionis progrediamur, maximopere in lucem tam illius, quam cæterorũ, quæ dicenda sunt, est obseruandum. Ante ius in re esse varios gradus iuris ad rem. Primus est, iuris ad rem plene comparati. Si enim mihi promisisti centum, & ego acceptaui, nihilque sit, quod promissionem inualidam reddat, comparaui integrum & perfectum ius ad rem mihi promissam. Si item vendidisti mihi equum, nec tradidisti, comparaui integrum & perfectum ius ad illum: non tamen ius in re, neque dominium, vt disp. 2. & 3. dictum est. Secundus est, iuris, nondum quidem perfecte acquisiti, sed tamen 3

tamen quod non pendet ex alterius voluntate. Verbi gratia, si is qui poteſtatem ad id habebat, edictum propoſuit oppoſitionis ad cathedram aut canonicatum ea lege, vt conferretur ei, qui per examen dignior eſſet repertus ex ijs, qui intra menſem ad oppoſitionem acceſsiſſent, ſane, menſe elapſo, illi ſoli compararunt ius ad cathedram, aut canonicatum illum, vt conferretur ei, qui inter ipſos dignior reperiretur, neque eiuſmodi ius pendet iam ex voluntate eius, qui ea lege ad oppoſitionem vocauit, cuiuſuis alterius: quoniam velut contractus quidam fuit vtrinq; celebratus, ſi acceſſeris intra menſem, comparabis eiuſmodi ius vna cum cæteris, qui acceſſerint, fuitq; contractus impletus ex parte eorum, qui acceſſerunt. Ius tamen ita comparatum non fuit integrum, plenum, ac perfectum, ad cathedram, aut canonicatum: ſed perfectum ius adhuc in eorum vnoquoque erat dependens ex eo, quod dignior reperiretur examine, ac talis iudicaretur. Tertius eſt, iuris nondum ſimiliter perfecti ac pleni, & inſuper dependentis ab alterius voluntate. Verbi gratia, ſi donaſti, aut promiſiſti mihi cauſa mortis centum, comparo quidem ius ad illa, non tamen perfectum, atque integrum ante mortem tuam, interimque dum viuis, dependens à tua voluntate, qui, pro arbitratu poteſt donationem reuocare. Simile vero eſt ius, quod aſcendentes habent in bona deſcendentium: quoniam, vt ſit perfectum, non ſolum eſt dependens ex eo, quod dependens moriatur ante ipſos, & in articulo mortis liberis careat, ſed etiam pendet à voluntate Principis, qui mutare poteſt leges, quibus tale ius bona deſcendentium conceſsit, in illisque diſpenſare.

4 Illud etiam eſt obſeruandum, quamuis bona cuiusq; de Republica eatenus Reipublicæ ſupremoq; illius moderatori ſubiaceant, quatenus commune Reipublicæ bonum omnino poſtulat, vt in ſuperioribus ſæpe dictum eſt: nihilominus, ſecluſa exigentia illa Reipublicæ, non poteſt Princeps pro ſuo libito concedere vnius in bona alterius, eo inuito, diſpenſando in iure alioquin omnibus communi, aut condendo ius, quod inæquale hominibus de Republica ſit, vel ſecluſo quocunque iure ea bona, aut ius ad illa, concedendo: id namque in tyrannidem declinaret. Hinc eſt, quod ſine conſenſu patris, in cuius bonis eſt ſuccedendum, nec ſoleat, nec debeat Princeps derogare toti Reipublicæ communi legitimando illegitimos aut cum illis diſpenſando, vt in bonis parentum ſicut legitimi ſuccedant. Inde etiam eſt, quod ad legitimationem, aut diſpenſationem eiuſmodi, ſimul requiratur patris ac Principis voluntas. Vtrum autem exiſtente patris voluntate dum viueret, & poſtulatione, qua à Principe peteret, vt filius legitimaretur, ſed deueniente ad Principis notitiam poſt mortem patris, poſſit Princeps eum legitimare. Dicendum eſt, id vtique poſſe. Quoniam Princeps reſeruare ſibi potuit facultatem derogandi ea in parte legibus ſuis, etiam poſt mortem patris, modo pater dum viueret id vellet, & poſtularet: cenſendumque per epicheiam eſt, eam reſeruaſſe: quandoquidem, ſi dum ius condidit, interrogaretur, an vellet eam reſeruare, ſine dubio reſponderet affirmatiue, ſi id licite poſſet, vt reuera poteſt. Quin *ex authentico quibus modis naturales effic. ſui*, §. *ſi verò*, conſtat, eam reſeruaſſe: quandoquidem, vt in calce diſputationis præcedentis dictum eſt, inter alios legitimādi modos is, qui ibi ſtatuitur, eſt, ſi parens carēs legitima prole petat in teſtamento, filium ſuum naturalem, quem in eo hæredem conſtituit, legitimari à Principe accedente: namque Principis conſenſu poſt mortem patris legitimatus efficitur. Quo fit, vt in ſimilibus euentibus ius, quod hæredes ab inteſtato habebant ad bona defuncti, etiam poſt mortem illius fuerit dependens à Principis voluntate, an derogare vellet legibus, quibus

A ius illud ad ea bona nitebatur, quod valde eſt animaduertendum in rebus, de quibus diſputamus. Atque haud ſcio, an ſatis ea calluerit *Molina lib. 3. de primogen. cap. 7. à num. 36. vſque ad 39.* vbi concedens Principem in ſimilibus euentibus efficere poſſe legitimum filium naturalem, negat poſſe ſpurium: cum tamen ſicut derogando iuri poteſt ex voluntate patris legitimare ſpurium viuente patre, ita poſt mortem patris, qui id dum viueret, petiuit, poſſit ſimiliter eundem legitimare.

Nunc ad concluſionem redeamus. Poſſumus illam confirmare, quoniam *in authen. quibus modis natural. effic. legiti. & quibus modis natural. effic. ſui*, & C. *de naturalibus liber.* ſæpe ſtatuitur legitimatio naturalium filiorum, modo non adſint legitimi deſcendentes, nulla de aſcendentibus facta mentione, habitaue ratione, quaſi in legitimationibus non tanti faciendum ſit, quod aſcendentes portionibus alioquin debitis fraudentur omnino, tanti, quod deſcendentibus legitimis portiones debitæ minuantur. Vnde de iure Regni Caſtellæ, vt diſp. 165. diximus, ſancitum eſt, vt ſi pater deſcendentibus legitimis careat, poſſit ex teſtamento relinquere omnia bona ſua filiis naturalibus, eſto aſcendentes habeat legitimos. Ac ſane cum parentes filiis debeant theſaurizare, & non contra filij parentibus, ſecluſoque articulo neceſsitatis, potius debeat quiſque filijs ſuis, quam propriis parentibus, ſubuenire, maior cura incumbit filiorum ſuorum, quam parentum, atque idcirco minor cauſa ſufficit, vt illegitimi cum præiudicio aſcendētium, quam deſcendentium, legitimentur. 5

C Illud tamen negandum non eſt in legitimationibus illegitimorum maiorem rationem eſſe habendam aſcendentium, quam collateralium agnatorum: non ſolum, quia propinquiores & digniores ſunt comparatione illius, de cuius bonis agitur, ſed etiam quoniam ſtantibus legibus, quibus per legitimationem eſt derogandum, debitæ ſunt illis portiones, his vero non item: quare quemadmodū maior aliquantulum cauſa requiritur, vt legitimatio licite fiat exiſtentibus aſcendentibus, quam ſi ſoli collaterales exiſtant, difficiliusq; in priori euentu, q̄ in poſteriori concedi debeat: ſic, niſi in priori euentu mentio legitimandi fiat de aſcendentibus, ſubreptitia inualidaque erit legitimatio, vt diſputatione præcedente dictum eſt: cum tamen in poſteriori euentu neceſſe ſit fieri mentionem de collateralibus. 6

D Concluſio propoſita ex ſequenti corroborabitur, circa quam dicentur, quæ hoc loco dicenda forent.

Tertia concluſio. Etiamſi deſcendentes legitimi exiſtant, valida eſt illegitimorum legitimatio facta de conſenſu patris, eſto inde ſequatur minui legitimorum deſcendentium portiones legitimas: neq; vt valida ſit, neceſſaria eſt citatio legitimorum. Vt tamen licite fiat, præſertim quando poſt matrimonium cum legitima vxore ſit, & quando ſequitur legitimas minui, longe maior cauſa requiratur, quam ſi in aſcendentium præiudicium fieret. 7 3. Concluſio.

Concluſio hæc, quatenus habet, validam eſſe talem legitimationem, etiamſi ſequatur minui legitimas, neq; neceſſariam eſſe citationem deſcendentium legitimorum, eſt Bart. *l. Gallus*, §. *& quid ſi tantum, ff. de liber. & poſt.* & communiter Doctorū, quos referunt & ſequuntur Emmanuel à Coſta *in* §. *& quid ſi tantum, part. 2. num 95. & à num. 133.* Gama *deciſ. 278. num. 1. & 2.* Antonius Gom. *ad l. 9. Tauri num. 67.* Couar. *in Epit. par. 2. 1. 8. §. 9. num. 7.* & Molina *lib. 3. de primog. c. 3. n. 2. & 10.* Idemque longe maiori rationi dicent circa duas concluſiones præcedentes.

Ratio autem ea eſt, quam circa concluſionē præcedentem reddidimus, nempe quamuis ſolis legitimis deſcendentibus ſit debita portio legitima, eo maior, quo pauciores fuerint, ac proinde viuentibus parentibus ipſi ſoli ius habeant ad quantitatem 8

bono-

bonorum inter ipſos ex legum præſcripto per parentum mortem neceſſario diſtribuendam, ius tamen illud eſt dependenter ab eiſdem legibus poſitiuis, quæ Principis poteſtate ſubiacent, atque ex eo quod eis, parente id poſtulante, à Principe non derogetur: quare poſtulante id parente, poterit Princeps, deſcendentibus minime auditis, ex rationabili cauſa derogare legibus illis legitimando filium illegitimum, aut cum eo diſpenſando, vt perinde parenti ſuccedat, ac ſi eſſet legitimus. Quin ſi ſine rationabili cauſa efflagitante parente id efficiat, licet male faciat ac peccet, factum tamē tenebit: eo quod ſit diſpenſatio in lege, quæ ipſi ſubeſt, antequam ex ea integre & perfecte ius ſit comparatum.

9 Poſſumus hoc ipſum confirmare, quoniam de iure communi per oblationē, qua pater ipſe filium naturalem conſentientem offerebat curiæ, fiebat legitimatus ad ſuccedendum patri vna cum aliis filiis legitimis, vt conſtat *ex authent. quibus modis natur. effic. ſui* §. *& quoniam vat. e, & ex leg.* 5. *tit.* 15. *part.* 4. ergo facultas eſt in Principe legitimandi illegitimos cum præiudicio legitimæ portionis filiorum legitimorum antequam illi per mortem patris integrum & perfectum ius habeant ad portiones in bonis patris ipſis debitas. Poſſumus præterea id confirmare, quoniam de iure huius Regni ſancitum eſt, vt filij naturales hominis plebei æqualiter ſuccedant cum legitimis, ſiue illi geniti ſint ante legitimos, ſiue poſt, vt diſput. 165. oſtenſum eſt: ergo Princeps, viuente patre, concedere poteſt illegitimis, vt ſuccedant æqualiter cum legitimis atque adeo minuere poteſt ea ratione portiones legitimorum eiſdem minime requiſitis.

10 Quod autem, vt legitimatio ad ſuccedendum cum legitimis licita ſit, ſōge maior cauſa requiratur, quam ſi legitimatio in aſcendētium præiudicio fieret, communiter aſſeuerant Doctores. Conſentiunt etiam intra ciuilia *in auth. quibus modis natur. effic. legit. & quibus modis nat. effi. ſui.* quæ ſæpe denegant fieri debere legitimationem in exiſtentibus deſcendentibus legitimis, quando illam concedunt exiſtentibus aſcendentibus. Et *l. Tauri* 12. ſtatuit nullum legitimatum Principis reſcripto ſuccedere poſſe cum legitimis deſcendentibus, etiamſi illi nati ſint poſt talem legitimationem obtentam, aut poſt eam facti ſint legitimi per ſubſequens matrimonium: ſed ſolum poſſe obtinere quicquid de quinto ſuorum bonorum voluerit pater illi relinquere.

11 Ratio vero eſt, non illa ſolum, de qua dictum eſt concluſione præcedente, nempe quod in bonis patris plus debita ſit portio deſcendentibus, quam aſcendentibus propter ea, quæ ibidem dicta ſunt: ſed etiam, quoniam id cedit in grauamen, præiudicium, & quodammodo iniuriam alterius coniugis, cuius illi ſunt deſcendentes legitimi. Quare in nulla bene inſtituta Republica ſolet legitimatio concedi in præiudicium portionum legitimis deſcendentibus debitarum, niſi magna aliqua cauſa occurrat. Eiuſmodi (vt Emmanuel à Coſta *loco citato, num.* 139. ait) eſt, ſi filius legitimus tale crimē in patrem commiſiſſet, tam ingratus ve illi fuiſſet, vt dignus eſſet, qui in pœnam priuaretur portione in bonis patris ipſi debita, aut illa ei minueretur: tunc enim ob eam cauſam poſſet in ipſius præiudicium legitimari illegitimus.

12 Dixi præſertim, quando legitimatio fit poſt matrimonium cum legitima vxore contractū, maiorem cauſam requiri, ſi adſint deſcendentes ex illa, quam ſi fieret in præiudicium aſcendentium: quoniam ſi ante matrimonium fieret publice, ita vt conſtaret ei, quæ cum parte legitimati vellet contrahere: vtiq; tunc nulla fieret ei iniuria: quandoquidem integrum illi eſt contrahere, aut non contrahere cū eo, quem ſcit habere filium legitimatum, vt vna cū legitimis filiis, quos genuerit, ſuccedat. Hac eadem A ratione, quæ de iure toti Reipublicæ communi hac in parte ſtatuta ſunt: in nullius iniuriā cedunt: quoniam omnes ea lege & conditione contrahunt: vnuſquiſque autem videat cum quo contrahat, & cui diſcrimini ea in parte ſe ſubiicit. Vnde non eſt quod vituperetur, vel lex illa, quæ erat de iure communi, vt naturalis filius oblatus curiæ ſuccederet in bonis patris vna cum legitimis: vel Luſitana lex, quæ ſtatuit, vt naturales filij hominis plebei ſuccedāt ſimul cum legitimis, & aliæ ſimiles, quibus filiis illegitimis conceditur ſuccedere matribus cum aliis filiis.

Addidi: & quando ſequitur legitimas minui: 13
quoniam, quando id non ſequeretur neceſſaria nō eſſet tanta cauſa. Ad diſpenſandum namque cum illegitimo, vt in hoc Luſitaniæ Regno ſuccedere poſſit patri in tertio ſuorum bonorum, & in Regno B Caſtellæ in quinto, aut in portione eorum bonorum in qua pater velit, non tanta cauſa eſt neceſſaria: eo quod, exiſtentibus filiis legitimis, pater poſſit relinquere bona illa cuicunque extraneo: eaque ratione diſpenſatio illa, aut legitimatio cum reſtrictione, vt non aliter ſuccedat, non cedat in detrimentum aliorum filiorum aut vxoris. Eſt tamen animaduertendum, quod cum pater vt plurimum relinqueret bona illa, aut magnam eorum partem, filiis legitimis, niſi amore filij illegitimi propenderet ad ei ſubueniendum, & tali diſpenſatione aut legitimatione liberum ipſi relinqueretur: ſane ſuo etiam modo ea legitimatio aut diſpenſatio cedit in detrimentum vxoris & filiorum legitimorum: atque idcirco non eſt facile concedenda, vt ordinarie non ſolet facile concedi.

C Quamuis, vt habet tertia noſtra communiorque 14
Doctorum concluſio, neceſſe non ſit citari aſcendentes, aut deſcendentes, vt valida ſit legitimatio, quæ cum ipſorum detrimento ſit: nihilominus neceſſe eſt legitimanti proponi eſſe tales deſcendentes aut aſcendentes, vel legitimantē vti talibus verbis in conceſſione legitimationis, ex quibus conſtet velle legitimare nihil impediente, quod aſcendentes aut deſcendentes legitimi exiſtant, alioquin, vt diſputatione præcedente dictum eſt, ſubreptitia & nulla erit legitimatio. Si ergo in legitimationis reſcripto præmittatur petitio, in qua id proponebatur, & ſequatur legitimatio ſine appoſitione alicuius clauſulæ reſtringentis, valida erit legitimatio. Item eſto in reſcripto non contineatur petitio, neque de qualitate petitionis aliunde conſtet: ſi tamen D in legitimatione apponatur clauſula, non obſtante, quod pater deſcendentes aut aſcendēres legitimos habeat, valida erit ſimiliter legitimatio. Si item apponantur clauſulæ, de plenitudine poteſtatis, aut ex certa ſcientia, eſto non apponatur illa alia, non obſtante, &c. valida erit legitimatio: dummodo non addatur aliud, quod reſtringat, aut de quo conſtet, contrariam fuiſſe voluntatem legitimantis. Ratio eſt, quoniam, quando cauſæ cognitio & examē non eſt neceſſarium, ſed, quocunque modo res habeat, Princeps poteſt facere quod voluerit, vt in re propoſita poteſt: ſane quæuis illarum duarum clauſularum æquipollet citationi, ſeu in re propoſita clauſulæ illi, non obſtante, quod deſcendentes legitimos habeat. Ita cum *Innocen. Panorm. Decio, & aliis. Gam. deciſ.* 278. *num.* 1. *& 2. Emmanuel à Coſta* §. *& quid tantum, par.* 2. *num.* 158. *& alij.* Neque refragatur, quod *Molin.* 3. *lib. de primog. cap.* 3. *num.* 12. *cum Baldo, Paulo Caſtrenſi & aliis* docet: quoniam loquuntur, quando cauſæ cognitio & examen eſt neceſſarium, videturque *Couar.* 3. *variar. reſolut. cap.* 6. *num.* 9. nobiſcum conſentire. Plus tamen refragari videtur, quod idem *Molin. lib.* 2. *de primogen. cap.* 7. *num.* 15. *cum Baldo, Felino, & pleriſque aliis* ait, nempe clauſulam, ex certa ſcientia, nihil operari, niſi in ijs, de quibus Princeps præſumitur habere ſcientiam certam, ſicut ſunt ea, quæ conſiſtunt in iure: non vero in ijs,

quæ

quæ præſumitur ignorare, prout ſunt ea, quæ ſunt facti: etenim in re propoſita ad factum ſpectat, num pater legitimandi filios legitimos aut aſcendentes habeat, neque id Principem ſcire eſt præſumendū, niſi ei proponatur. Forte tamen in re de qua diſputamus neque Molina ab aliorum diſſidet ſententia, iuxta ea quæ numeris ſequentibus illo eodem capite de clauſula ex certa ſcientia ſubiungit. Fatetur namque æquipollere clauſulæ de plenitudine poteſtatis, neque videtur loqui, quando agitur de præiudicio in iure tertij gradus à concluſione ſecunda explicato, in quo, vt Princeps, accedente poſtulatione patris, filiis legitimis præiudicet, neceſſarium non eſt, vt citentur, ſed vt præiudicetur in iure aliquo in gradu: neque in re, de qua agimus, video, ad quid aliud apponi poſſit clauſula, ex certa ſcientia, niſi vt excludantur aſcendentes ac deſcendentes legitimi, quaſi Princeps vti ad eum effectum velit plenitudine ſuæ poteſtatis.

15 Non immerito dixi, appoſita clauſula de plenitudine poteſtatis, aut ex certa ſcientia, validam eſſe legitimationem, modo non addatur aliūd quod reſtringat, aut ex quo conſtet contrariam fuiſſe intentionem legitimantis: quoniam, vt *Gama deciſ. 278 n. 2.* refert, in quodam legitimationis reſcripto appoſitæ ſunt in hoc Regno clauſulæ ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, & nihilominus additaſuit clauſula, ſine præiudicio hæredum legitimorum, ex qua conſtat Principem præiudicare non intendiſſe, ſaltem deſcendentibus legitimis, atque adeo minui non debere legitimas eorum, aut præiudicium aliud in ſucceſſione in maioratu, aut alia ſimili re, eis inferri.

Hac occaſione examinandum eſt, quem ſenſum
16 efficiat clauſula illa in legitimationis, aut diſpenſationis reſcriptis non raro apponi conſueta, ſine præiudicio legitimorum hæredum, aut ſine præiudicio ſuccedentium ab inteſtato: vtrum videlicet, ſi exiſtant collaterales legitimi, excludant tunc ita legitimatum. Res eſt valde controuerſa inter iuriſperitos. Quidam namque eorum aſſeruerunt excludere illum. Alij affirmarunt, ſolos agnatos vſque ad quartum gradum ſecundum computationem iuris ciuilis excludere eum, non vero reliquos vſque ad decimum. Alij cenſuerunt, nullos collaterales, ſed ſolos deſcendentes excludere illum. Ducuntur, quoniam nulla eſt ratio cur ſoli collaterales vſque ad quartum gradum eum excludant, cæteri vero vſque ad decimum non item, neque eſt vnde id colligant: ſi autem affirmandum eſſet, omnes vſque ad decimum gradum illum excludere, inutilis plane eſſet legitimatio, aut diſpenſatio, in qua talis clauſula eſſet appoſita; quod alienum omnino videtur ab eorum mente, qui eiuſmodi reſcripta concedunt. Alij denique alia aſſeruerunt. De qua re legito inter alios *Cou. in Epit. part. 2. c. 8. §. 10. num. 1.*

17 *Gama deciſ. 278. numero 3. & 4.* diſputat hanc quæſtionem, quaſi ſolum ſit controuerſa, an virtute illius clauſulæ ſoli deſcendentes legitimi excludant legitimatum, an vero etiam collaterales, ſub collateralibus aſcendentes etiam comprehendens. Relatis vero diligenter authoribus vtriusque ſententiæ, communiorem cum Alexandro eſſe oſtendit eam, quæ affirmat, ſolos deſcendentes eum excludere. Atque iuxta eam, tanquam communiorem, & menti concedentium talia reſcripta conſonantiorem, air iudicatum fuiſſe in hoc Luſitaniæ Regno in cauſa cuiuſdam maioratus, de qua ibi diſputat: tametſi ex alio capite velit, legitimatum illum excludendum à ſucceſſione in maioratu. Sunt, qui hanc amplectentes ſententiam dicant, vi quidem ac proprietate verborum contrarium fuiſſe dicendum, ſed ne in abſurdum illud incidamus, vt inutiliter tales legitimationes concedi affirmemus, ex mente eas concedentium, Doctorumque, atque Curiarum interpretatione, eſſe aſſerendum, ſolos deſcendentes legitimos prædicta clauſula contineri.

Quia tamen ſemper verborum proprietati adhærendum putaui, quando non adeſt vrgens ratio, quæ contrarium ſuadeat, & in re propoſita nullam talem conſpicio, quin potius clauſula illa, proprietate verborum ſeruata, ſenſum habet digniſſimum, quem concedentes ſimilia ſcripta ea clauſula intendant, dicendum arbitror. In ea, nomine legitimorum hæredum, aut ſuccedentium ab inteſtato, comprehendi quidem non ſolos deſcendentes, ſed & aſcendentes & collaterales agnatos: attamen faciendam eſſe vim in proprietate verbi illius, ſine eorum præiudicio. Summa namque cum æquitate concedentes eiuſmodi reſcripta ea clauſula intendunt, vt legitimatio in nullo præiudicet hæredibus legitimis (qui alioquin ſuccedere debebant ab inteſtato) quoad ea, ad quæ habent ius ad rem in aliquo illorum trium graduum, qui concluſione ſecunda à nobis explicati ſunt: quoniam id verum ipſorum eſſet præiudicium legitimationis inuectum quandoquidem, ſecluſa legitimatione, pater legitimati efficere non poterat, vt poſt mortem ipſius bona illa ad eos non deuenirent: at vero, quia priuare eos poterat cæteris ſuis bonis, inſtituendo extraneum aliquem hæredem, aut illa applicando operibus piis; ſane in eo, quod legitimationisvi, in eis bonis ſuccedat filius legitimatus, nullum eis præiudicium infertur: atque hoc ſolum eſt, quod legitimantes concedere eiuſcemodi reſcriptis intendunt. Iuxta hæc ergo, ſi pater legitimati deſcendentes habeat legitimos, vi eiuſmodi legitimationis minuere non poteſt illorum legitimas, attamen in hoc Luſitaniæ Regno relinquere poterit filio illegitimo de tertio ſuorum bonorū, quod voluerit: in Regno vero Caſtellæ ſolum de quinto. Si autem careat deſcendentibus, & habeat aſcendentes, in vtroque Regno poterit illi relinquere de tertio ſuorum bonorum, quod voluerit: quin & ab inteſtato in eo ſuccedet: duæ vero reliquæ portiones bonorum ad aſcendentes ſpectabunt. Si item ſit feudum, aut maioratus, vel fidei commiſſum aliquod, in quibus ſecluſa legitimatione ſuccedere non poterat illegitimus, vtique neque vi legitimationis cum ea clauſula conceſſæ ſuccedet, ſed ſpectabunt ad eos, ad quos ſecluſa legitimatione pertinebant, etiamſi illi collaterales agnati ſint defuncti. In bonis autem reſtitutioni minime ſubiectis, legitimatus cum ea clauſula excludet collaterales, etiamſi pater ab inteſtato diſcedat. Quod ſi clauſula in legitimatione appoſita in hunc modum haberet, ſine præiudicio deſcendentium legitimorum, vt ſæpe habere ſolet: tūc eo pacto legitimatus excluderet aſcendentes legitimos, & cum deſcendentibus legitimis ſuccederet: ſi ne vllo tamen præiudicio aut diminutione legitimarum illorum, vt dictum eſt. 19 4. *Conclu.*

Quarta concluſio. Licet quando præceſſit patris voluntas, ſeu poſtulatio, qua id à Principe petiuit, valida ſit legitimatio illegitimi poſt mortem patris, neque ad eam neceſſe ſit citari, etiam deſcendentes legitimos: quando tamen voluntas patris non præceſſit, illicita, inualidaq; eſt talis legitimatio ad ſuccedendum patri, non ſolum ſi alij hæredes patris ſint iam in poſſeſſione hæreditatis, aut illam ſolum adierint, ſed et iam ſi duntaxat delata ad eos ſit. Prior pars huius concluſionis patet ex dictis circa duas præcedentes concluſiones, eamque cum *Bart. §. & quid ſi tantum, & alii affirmat Couar. in Epit. p. 2. c. 9. §. num. 8.*

Quod ad poſteriorem vero partem attinet, ſciēdum eſt. Hæreditatem dici delatam eo ipſo, quod 20 mortuus is eſt, cuius erant ea bona, continuoque hæredes, ſiue ex teſtamento ſiue ab inteſtato ſint, comparare integrum, & plenum ius ad ea bona, ſed cum poteſtate repudiandi hæreditatem, ſi voluerint.

rint, viderintve sibi non expedire hæredes esse. Tunc vero hæreditatem dici aditam, quando hæres consentit vultve hæres esse, eoque ipso talis hæres comparat dominium bonorum defuncti ante vllam eorum apprehensionem, vt disp. 2. & 3. ostensum est. Per apprehensionem autem bonorum comparat postea possessionem iuxta ea, quæ ibidem, & cum de possessione esset sermo, dicta sunt.

21 Consentiunt iurisperiti, quos referunt ac sequuntur *Couar. in tit. p. 2. c. 8. §. 9. Emmanuel à Costa. §. & quid si tantum p. 2. n. 174. & Moli. li. 2 de primog. c. 7. an. 28.* si hæredes sumpserunt iam possessionem, non posse Principem, etiam de plenitudine potestatis, legitimare illegitimum, vt in eis bonis succedat. Ratio eorum est, quoniam Princeps non potest quemquã priuare dominio rerum suarum, & illas tribuere alteri, nisi id omnino expediens Reipublicæ sit, factaque ei, qui illis fuerit priuatus, competẽti compensatione: cum autem hæredes post rerum apprehensionem, possessionemque comparatam non solum de ciuili, sed etiam de iure gentium dominium earum rerum comparauerint, consequens est, vt sine ipsorum libero consensu, Princeps non possit legitimare illegitimum, vt in eis bonis succedat, ipsique eis priuentur, & vt si Princeps id attentauerit, inualidum, nullumque id sit.

22 *Quorundã sententia.* Multi, quos *Emmanuel à Costa & Molina* referunt, voluerunt, esto hæreditas adita sit, si tamen nondum adsit possessio, posse Principem legitimare illegitimum, vt in eis bonis succedat. Atque in hanc sententiam inclinare videtur *Emmanuel à Costa loco citato*, tametsi Molina & Couar. solum cum recitent pro opinione alia, quam statim discutiemus.

Fundamentum. Ducuntur, quoniam, quod sola aditione hæreditatis comparet hæres dominium, est de iure ciuili, & non de iure gentium, quemadmodum de iure gentium est, quod rerum apprehensione dominium comparetur: cum ergo Princeps derogare iis possit, quæ sunt de iure ciuili, non vero iis, quæ sunt de iure gentium; consequens est, vt nihil impediente aditione hæreditatis, dominioque de iure ciuili per eam comparato, possit Princeps de plenitudine potestatis dispensare cum illegitimo, vt in eis bonis succedat. Confirmat id Emmanuel à Costa, quoniam id patet *ex l. 2. & vlt. ff. de crimine expilatæ hæreditatis aduersus furripientẽ ex hæreditate*, etiamsi illa adita sit, non datur actio furti, sed expilatæ hæreditatis: cum tamen detur actio furti, si comparata erat iam possessio: hoc autem non aliunde est, nisi quia debilius est dominium solo ciuili, quam gentium iure comparatum.

23 *Improbatur.* Merito tamen opinio hæc reiicitur à *Couar. & Molina locis citatis*, & ab aliis, quos citant. Etenim licet dum à iure ciuili pendens est, quod dominium comparetur, possit Princeps obrogando tale ius, aut in illud dispensando, impedire ne comparetur: nihilominus postquam comparatum est, neque impedire potest, quod comparatum non fuerit, eo quod ad præteritum non sit potentia: neque licitè, iustè, aut validè potest auferre illud ab eo, qui id comparauit, quique simpliciter factus est rei illius dominus. Neque, quod non concedatur actio furti aduersus eum, qui expilauit hæreditatem aditam antequam possessio comparata esset, tollit, quo minus ille iniustitiam contra septimum præceptum decalogi fecerit hæredi, cui ea de causa actio expilatæ hæreditatis aduersus talem mali factorem conceditur. Eodemque modo id non tollit, quin Princeps iniustitiam similiter contra septimum præceptum aduersus eundem hæredem committat, si eum priuet dominio iure ciuili comparato. Falsum præterea est quod dicunt, Principem videlicet derogare posse iis, quæ iuris sunt ciuilis, non autem iis quæ de iure sunt gentium. De iure namque gentium est, vt capti bello iusto mancipia sint capientium: Principes autem Christiani statuerunt, vt Christiani capti in bello iusto, mancipia non fierent. Emptio præterea & venditio de iure est gentium: multæ autem emptiones & venditiones iure ciuili irritæ efficiuntur. Quin hinc possumus conficere eiusmodi argumentum. Quemadmodum Princeps antequam iure gentium dominium, aut ius perfectum ad rem comparetur, potest ex rationabili causa id impedire, tollendo in suo regno id, quod alioquin est de iure gentium, aut dispensando in eo iura: & tamen postquam tale dominium, aut ius est comparatum, non potest subditum suum spoliare dominio aut iure illo, quia id esset iniustitia contra septimum præceptum decalogi: italicet possit impedire, ne acquiratur dominium aut ius ad rem ciuili aliqua lege, eam tollendo, aut in ea ex rationabili causa dispensando: non tamen potest iustè aut validè spoliare quemquam dominio aut iure ad rem ciuili lege acquisito: quia similiter esset iniustitia contra septimum decalogi præceptum. Quod dominium, aut ius, semel ciuili iure comparatum, non possit Princeps auferre à suo subdito, sicut nec potest auferre ius aut dominium gentium iure acquisitum, ostendit late & doctè *Aries Pinellus in Rubr. de rescindenda venditi, part. 1. c. 2.*

24 *Cõmunis sententia.* Quando hæreditas est solum delata, & non dum adita, est communis iurisperitorum sententia, paucis exceptis Principem de plenitudine potestatis legitimare posse illegitimum, vt succedat in eis bonis cum præiudicio hæredum, quibus hæreditas est delata. Sententiam hanc referunt & sequuntur *Couarruuias, Molina, & Emmanuel à Costa locis citatis*. Tametsi Coua. dubius tandem maneat, atque cum Fortunio, cuius autoritatem dicit plurimum apud le valere, in contrariam partem videatur inclinare. *Molina* etiam *n. 31* ait, non, nisi ex magna causa, debere Principem id efficere, numquamque se vidisse, aut ab aliis accepisse, id in Hispaniis esse factum.

Fundamentum. Fundamentum, cui iurisperiti nituntur, hoc vnum est. Quod iuri adeundi hæreditatem delatam possit Princeps præiudicare ex certa scientia & de plenitudine potestatis: eo quod facultas illa adeundi hæreditatem, & quod ea adita dominium comparetur, sint iure ciuili introducta, quibus, antequam effectum fortiantur, potest princeps præiudicare.

25 *Refellitur.* Contrariam tamen sententiam cum Fortunio, Iasone, & paucis aliis, non dubito esse veram, nempe esse contra iustitiã, septimumque præceptum decalogi, atque omnino inualidum, legitimare tunc illegitimum ad effectum, vt hæredes delata hæreditate priuentur. Ducor, quoniam per solam hæreditatis delationem, mortemve defuncti, comparauerunt ius ad bona illa, neque iam ius illud plenè comparatum à lege aliqua pendet, aut voluntate principis, vel cuiusuis alterius, sed solum in potestate hæredum est cedere iuri illi. Quin, si res bene expenda tur, quod mortuo eo, in cuius bonis est succedendum, hæredes comparent plenum ius ad bona defuncti, sintque ipsis simpliciter debita, non tam videtur habere ortum à ciuili, quam à gentium iure; quia tamen integrum erat hæredibus cedere iure illi, neque cum hæreditate velle teneri ad debita defuncti, scirique oportebat an hæredes esse vellent, vt defuncti creditores, quæ ipsis debebantur, ab eis exigerent, merito ius ciuile statuit, vt hæreditatis additione id profiterentur, atque ad inuitandum hæredes ad illam, quasi in præmium eis statuerunt, vt ante apprehensionem eo ipso assequerentur dominum bonorum defuncti. Hinc iam intelligitur facile delata & non adita hæreditate, esse quidem in potestate rincipis muertere ius, quo statutum est, vt hæreditatis additione comparetur dominium bonorum defuncti, irreuocabiliterque tenerentur hæredes ad onera defuncti, atque adeo impedire hos duos effectus iure ciuili statutos, qui nondum positi

essent

essent extra suas causas: at vero quod hæredes spolientur iure illo iam plene morte defuncti comparato, esto à ciuili, & non à gentium iure habuisset ortum, nulla sanè æquitas iustitiaque patitur: cum non minus contra ius naturale, septimumque decalogi præceptum sit, quenquam spoliari iure suo ad rem plenè comparato, quam iure in re ac dominio suo, siue ius in re & dominium ortum habuerint à gentium, siue à ciuili iure: satisque consonant cum hac nostra sententia, quæ *Couar. 3. var. resol. ca. 6. nu. 9.* rectè docet: egregieque *Aries Pinel. in rubr. de rescind. vend. par. 1. c. 2.* vniuersim ostendit, principem spoliare non posse dominio aut iure ad rem lege ciuili acquisito, sicut spoliare eis non potest, quando gentium iure sunt comparata.

26 *Ad fundamentum.* Ad fundamentum Iurisperitorum dicendum est quamuis princeps præiudicare possit iuri adeundi hæreditatem, ita vt sola aditio vim non habeat ad comparandum dominium, non tamen posse præiudicare iuri ad rem, quod delata hæreditate mortuo ve eo, de cuius bonis agitur, hæredes acquisierunt; ac proinde nec licitè, nec validè posse illos spoliare iure illo, aut impedire, ne saltem apprehensione simul comparent dominium & possessionem bonorum defuncti. Sicut, acquisito similiter quouis alio iure ad rem cõtractu donatione aut alia ratione, neque spoliare illo potest, neque impedire, quin suo tempore dominium & possessio apprehensione rerum, ad quas est tale ius, acquiratur.

27 *5. Conclus.* Quod ad res attinet vinculo institutionis, maioratus, aut alio simili subiectas, sit 5. conc. Quando libera de istis bonis dispositio ad partem illegitimino spectat, quia ab aliquo antecessore alicui vinculo subiecta sunt, neque id gratia & priuilegio principis effectum est, sed iure omnibus de Republica communi id permittente; tunc princeps, in præiudicium eorum, qui ex tali vinculo ius ad ea bona habent, nihil potest immutare, ipsis libere non consentientibus; nisi fortè in peculiari aliquo euentu id omnino Reipublicæ expediret atque tunc facta sufficiente compensatione ei, in cuius præiudicium id cederet; aut nisi facta communi aliqua lege omnibus de Repub. quam commune bonum efflagitaret.

28 Antequam ad id, quod conclusio hæc præcipue affirmat, deueniamus, dicendum erit de duabus restrictionibus, quas illi adiecimus. Et quidem quoad primam attinet, cum sæpe ostensum sit, principem plenissimam habere potestatem in omnia bona singulorum de Republica, quantum commune bonũ omnino, multumve postulat, nullus sane negare potest, si in aliquo peculiari euentu bonum commune omnino grauiterve postularet, vt bona vinculo alicui subiecta, non ad eum deuenirent, qui ius ad illa ex tali vinculo habebat, sed ad quendam alium, id principem posse efficere: citato tamen illo, adquem talia bona alioquin fuissent deuentura, & examinata ac cognita causa, vt tradunt *Molina l. de primog. c. 3. n. 22.* & alij quos refert. Quia tamen onus, quod bonum commune postulat non vnus solus particularis de Republica sustinere debet, vtique vel de communibus Reipublicæ bonis iactura illa esset illi particulari resarcienda, vel cæteri de Republica contribuere deberent, vt æqualitate Geometrica omnes onus illud æqualiter sustinerent. In hoc autem euentu compensationem sufficientem faciendam esse ei, ad quem alioquin bona illa fuissent deuentura, affirmant *Molin. li. 3. de primog. c. 3. n. 20. & multi alii*, quos citat, iuxta *l. item si verberatum. §. 1. ff. de reivend.* & alia iura.

29 Quod ad secundam vero restrictionem attinet, nullus negare potest, si commune bonum id exigat, posse Principem statuere omnibus de Republica communem legem, qua cum detrimento eorum, qui alioquin succedere debebant, id in posterum seruetur, quod commune bonum efflagitat. Talis *lex*

A *7. tit. 7. lib. 5. nouæ coll.* qua in Regno Castellæ prudẽter sancitum est, vt si ex matrimonio aliquorum futurum erat, vt duo maioratus ad vnum & eundem filium deuenirent, quorum alter valorem *de dos cuentas* excederet, primogenitus pinguiore & potiore fruatur; minus pinguis vero pertineat ad secũdo genitũ, ne cũ Reipublicæ iactura potentia & diuitiæ in vno solo multum accrescant, memoriaque institutorum vtriusque maioratus pereat. Quando autem nullus maioratuum ad valorem illum peruenit, pacisci non possunt inter se contrahentes matrimonium, vt contra vtriusque institutionem, vnus eorum deueniat ad primogenitum, & alter ad secundo B genitum, vt bene ait *Moli. lib. 1. de primog. capit. 7. num. 34.* 30 *Iuscastell.*

Contrarium eius, quod nostra conclusio affirmat, asseuerant multi, quos tandem sequi videtur *Gama decis. 278.* Nostram tamen sententiam amplectuntur *Couar. 3. var. res. cap. 6. à num. 5. Aries Pinel. in rubr. de rescindenda vend. par. 1. cap. 2. præsertim à num. 18. Molina lib. 1. de primog. cap. 7. à num. 31 & lib. 3. cap. 3. num. 10. & multi alii*, quos citant, eamque variis iuribus & rationibus confirmant. Nobis vero ea ratio sufficiat, quæ ex hactenus dictis est manifesta Nempe neque contractus semel rite factos, neque vltimas voluntates, dispositionesve defunctorum in priuatorum commodum, quæ legitime sunt factę, C morteque testatorum confirmatę, posse per Principes mutari, neque quenquam per eos posse spoliari iure, etiam ad rem, virtute talium contractuum aut dispositionum comparato: quoniam id totum contra ius est naturale, septimumque decalogi præceptum.

Sexta conclusio. Quod quinta conclusione dictum est, similiter est intelligendum, quando maioratus fuit institutus ex Principis facultate ac priuile- 31 *6. Conclus.* gio contra iuris dispositionem, cui princeps ea facultate ac priuilegio derogauit. Hæc est aduersus *Couar. 3. lib. var. res. c. 6. nu. 1* Est tamen *Molin. lib. 1. & 4. de primog. loco citato*, & multorum quos refert. *Contraria sententia.* Quin & Couar. ipse *in postrema editione in vltimis verbis, illius capitis* in hanc nostram conclusionem inclinat.

D Fundamentum Couar. vt in principio illius capitis contrarium nostræ conclusionis amplecteretur, fuit. Quoniam facultas illa creandi ita maioratum contra iuris dispositionem, apponendique circa successionem in bonis illis illas leges & conditiones, fuit gratia & priuilegium Principis: Princeps autem iuxta communem sententiam reuocare potest gratias & priuilegia à se concessa, eaque interpretari ac moderari: quare poterit Princeps post mortem institutoris maioratus de potestatis plenitudine tollere aliquas ex illis legibus & conditionibus, ac proinde admittere aliquem ad maioratus successionem, qui ex illius institutione minime foret admittendus. 32 *Fundamentum.*

Hoc tamen fundamentum facile euertitur, si attendamus, aliud esse gratiam ac priuilegium, aliud 33 *Ad fundamentum.* E vero effectum ex tali gratia aut priuilegio consecutum. Poterit quidem reuocare aut moderari gratias ac priuilegi à se concessa, ita vt vlterius vim non habeant: non tamen annullare aut minuere effectus ex eis secutos: quoniam id non est gratia aut priuilegium, sed effectus, qui sine tali gratia aut priuilegio non fuisset. Vnde, si quis vi gratiæ alicuius aut priuilegij aliquid fecit, aut dominiũ rei alicu⁹ cõparauit, id non potest Princeps infringere, aut minuere, licet reuocare possit priuilegium, ne deinceps simile quid sequatur. Quia ergo in re, de qua est sermo, maioratus, & leges, seu conditiones ab instituente in eo appositæ, non sunt gratiæ & priuilegia Principis, sed dispositiones atque effectus maioratum instrumentis, quæ vim non habuissent, nisi gratia & priuilegium Principis, vt id licite & valide fieret præcessisset

rint, viderintve sibi non expedire hæredes esse. Tunc vero hæreditatem dici aditam, quando hæres consentit vultve hæres esse, eoque ipso talis hæres comparat dominium bonorum defuncti ante vllam eorum apprehensionem, vt disp. 2. & 3. ostensum est. Per apprehẽsionem autem bonorum comparat postea possessionem iuxta ea, quæ ibidem, & cum de possessione esset sermo, dicta sunt.

51 Consentiunt Iurisperiti, quos referunt ac sequũtur *Cou. in tpi. p. 2. c. 8. §. 9. Emmanuel à Costa. §. & quid si tantum p. 2. n 174. & Moli. li. 2 de primog. c. 7. an. 28.* si hæredes sumpserunt iam possessionem, non posse Principem, etiam de plenitudine potestatis, legitimare illegitimum, vt in eis bonis succedat. Ratio eorum est, quoniam Princeps non potest quemquã priuare dominio rerum suarum, & illas tribuere alteri, nisi id omnino expediens Reipublicæ sit, factaque ei, qui illis fuerit priuatus, competẽti compensatione: cum autem hæredes post rerum apprehensionem, possessionemque comparatam non solum de ciuili, sed etiam de iure gentium dominium earum rerum comparauerint, consequens est, vt, sine ipsorum libero consensu, Princeps non possit legitimare illegitimum, vt in eis bonis succedat, ipsique eis priuentur, & vt, si Princeps id attentauerit, inualidum, nullumque id sit.

52 *Quorundã sententia.* Multi, quos *Emmanuel à Costa & Molina* referunt, voluerunt, esto hæreditas adita sit, si tamen nondum adfit possessio, posse Principem legitimare illegitimum, vt in eis bonis succedat. Atque in hanc sententiam inclinare videtur *Emmanuel à Costa loco citato*, tametsi Molina & Couar. solum cum recitent pro opinione alia, quam statim discutiemus. *Fundamentum.* Ducuntur, quoniam, quod sola aditione hæreditatis comparet hæres dominium, est de iure ciuili, & non de iure gentium, quemadmodum de iure gentium est, quod rerum apprehensione dominium comparetur: cum ergo Princeps derogare iis possit, quæ sunt de iure ciuili, non vero iis, quæ sunt de iure gentium; consequens est, vt nihil impediente aditione hæreditatis, dominioque de iure ciuili per eam comparato, possit Princeps de plenitudine potestatis dispensare cum illegitimo, vt in eis bonis succedat. Confirmat id Emmanuel à Costa, quoniam id patet *ex l. 2. & vlt. ff. de crimine expilatæ hæreditatis. aduersus furripientẽ ex hæreditate*, etiamsi illa adita sit, non datur actio furti, sed expilatæ hæreditatis: cum tamen detur actio furti, si comparata erat iam possessio: hoc autem non aliunde est, nisi quia debilius est dominium solo ciuili, quam gentium iure comparatum.

53 *Improbatur.* Merito tamen opinio hæc reiicitur à *Couar. & Molina locis citatis*, & ab aliis, quos citant. Etenim licet dum à iure ciuili pendens est, quod dominium comparetur, possit Princeps obrogando tale ius, aut in illud dispensando, impedire ne comparetur: nihilominus postquam comparatum est, neque impedire potest, quod comparatum non fuerit, eo quod ad præteritum non sit potentia: neque licitè, iustè, aut validè potest auferre illud ab eo, qui id comparauit, quique simpliciter factus est rei illius dominus. Neque, quod non concedatur actio furti aduersus eum, qui expilauit hæreditatem aditam antequam possessio comparata esset, tollit, quo minus ille iniustitiam contra septimum præceptum decalogi fecerit hæredi, cui ea de causa actio expilatæ hæreditatis aduersus talem malifactorem conceditur. Eodemque modo id non tollit, quin Princeps iniustitiam similiter contra septimum præceptum aduersus eundem hæredem committat, si eum priuet domino iure ciuili comparato. Falsum præterea est quod dicunt, Principem videlicet derogare posse iis, quæ iuris sunt ciuilis, non autem iis, quæ de iure sunt gentium. De iure namque gentium est, vt capti bello iusto mancipia sint capientium: Principes autem Christiani statuerunt, vt Christiani capti in bello iusto, mancipia non fierent. Emptio præterea & venditio de iure est gentium: multæ autem emptiones & venditiones iure ciuili irritæ efficiuntur. Quin hinc possumus conficere eiusmodi argumentum. Quemadmodum Princeps antequam iure gentium dominium, aut ius perfectum ad rem comparetur, potest ex rationabili causa id impedire, tollendo in suo regno id, quod alioquin est de iure gentium, aut dispensando in eo iura: & tamen postquam tale dominium, aut ius est comparatum, non potest subditum suum spoliare dominio aut iure illo, quia id esset iniustitia contra septimum præceptum decalogi: italicet possit impedire, ne acquiratur dominium aut ius ad rem ciuili aliqua lege, eam tollendo, aut in ea ex rationabili causa dispensando: non tamen potest iustè aut validè spoliare quemquam dominio aut iure ad rem ciuili lege acquisito: quia similiter esset iniustitia contra septimum decalogi præceptum. Quod dominium, aut ius, semel ciuili iure comparatum, non possit Princeps auferre à suo subdito, sicut nec potest auferre ius aut dominium gentium iure acquisitum, ostendit late & doctè *Aries Pinellus in Rubr. de restituenda vxore, part. 1. c. 2.*

Quando hæreditas est solum delata, & non dum adita, est communis iurisperitorum sententia, paucis exceptis Principem de plenitudine potestatis legitimare posse illegitimum, vt succedat in eis bonis cum præiudicio hæredum, quibus hæreditas est delata. Sententiam hanc referunt & sequuntur *Couarruuias, Molina, & Emmanuel à Costa locis citatis.* Tametsi Coua. dubius tandem maneat, atque cum Fortunio, cuius autoritatem dicit plurimum apud se valere, in contrariam partem videatur inclinare. *Molina* etiam *n. 31* ait, non, nisi ex magna causa, debere Principem id efficere, numquamque se vidisse, aut ab aliis accepisse, id in Hispaniis esse factum. *Fundamentum.* Fundamentum, cuiurisperiti nituntur, hoc vnum est. Quod iuri adeundi hæreditatem delatam possit Princeps præiudicare ex certa scientia & de plenitudine potestatis: eo quod facultas illa adeundi hæreditatem, & quod ea adita dominium comparetur, sint iure ciuili introducta, quibus, antequam effectum fortiantur, potest princeps præiudicare.

54 *Cõmunis sententia.*

55 *Refellitur.* Contrariam tamen sententiam cum Fortunio, Iasone, & paucis aliis, non dubito esse veram, nempe esse contra iustitiã, septimumque præceptum decalogi, atque omnino inualidum, legitimare tunc illegitimum ad effectum, vt hæredes delata hæreditate priuentur. Ducor, quoniam per solam hæreditatis delationem, mortemve defuncti, comparauerunt ius ad bona illa, neque iam ius illud plenè comparatum à lege aliqua pendet, aut voluntate principis, vel cuiusuis alterius, sed solum in potestate hæredum est cedere iuri illi. Quin, si res bene expendatur, quod mortuo eo, in cuius bonis est succedendum, hæredes comparent plenum ius ad bona defuncti, sintque ipsis simpliciter debita, non tam videtur habere ortum à ciuili, quam à gentium iure; quia tamen integrum erat hæredibus cedere iure illi, neque cum hæreditate velle teneri ad debita defuncti, scirique oportebat an hæredes esse vellent, vt defuncti creditores, quæ ipsis debebantur, ab eis exigerent, merito ius ciuile statuit, vt hæreditatis additione id profiterentur, atque ad inuitandum hæredes ad illam, quasi in præmium eis statuerunt, vt ante apprehensionem eo ipso assequerentur dominium bonorum defuncti. Hinc iam intelligitur facile delata & non adita hæreditate, esse quidem in potestate principis inuertere ius, quo statutum est, vt hæreditatis additione comparetur dominium bonorum defuncti, irreuocabiliterque tenerentur hæredes ad onera defuncti, atque adeo impedire hos duos effectus iure ciuili statutos, qui nondum positi

esset

essent extra suas causas: at vero quod hæredes spolientur iure illo iam plene morte defuncti comparato, esto à ciuili, & non à gentium iure habuisset ortum, nulla sanè æquitas iustitiaque patitur: cum non minus contra ius naturale, septimumque decalogi præceptum sit, quenquam spoliari iure suo ad rem plenè comparato, quam iure in re ac dominio suo, siue ius in re & dominium ortum habuerint à gentium, siue à ciuili iure: satisque consonant cum hac nostra sententia, quæ *Couar. 3. var. resc. ca. 6. nu. 9.* rectè docet: egregieque *Aries Pinel. in rubr. de rescind. vend. par. 1. c. 2.* vniuersim ostendit, principem spoliare non posse dominio aut iure ad rem lege ciuili acquisito, sicut spoliare eis non potest, quando gentium iure sunt comparata.

26 *Ad fundamentum.* Ad fundamentum Iurisperitorum dicendum est quamuis princeps præiudicare possit iuri adeundi hæreditatem, ita vt sola aditio vim non habeat ad comparandum dominium, non tamen posse præiudicare iuri ad rem, quod delata hæreditate mortuo ve eo, de cuius bonis agitur, hæredes acquisierunt; ac proinde nec licitè, nec validè posse illos spoliare iure illo, aut impedire, ne saltem apprehensione timul comparent dominium & possessionem bonorum defuncti. Sicut, acquisito similiter quouis alio iure ad rem cõtractu donatione aut alia ratione, neque spoliare illo potest, neque impedire, quin suo tempore dominium & possessio apprehensione rerum, ad quas est tale ius, acquiratur.

27 *5. Conclus.* Quod ad res attinet vinculo institutionis, maioratus, aut alio simili subiectas, sit 5. conc. Quando libera de istis bonis dispositio ad partem illegitimino spectat, quia ab aliquo antecessore alicui vinculo subiecta sunt, neque id gratia & priuilegio principis effectum est, sed iure omnibus de Republica communi id permittente; tunc princeps, in præiudicium eorum, qui ex tali vinculo ius ad ea bona habent, nihil potest immutare, ipsis libere non consentientibus; nisi fortè in peculiari aliquo euentu id omnino Reipublicæ expediret atque tunc facta sufficiente compensatione ei, in cuius præiudicium id cederet; aut nisi facta communi aliqua lege omnibus de Repub. quam commune bonum efflagitaret.

28 Antequam ad id, quod conclusio hæc præcipue affirmat, deueniamus, dicendum erit de duabus restrictionibus, quas illi adiecimus. Et quidem quoad primam attinet, cum sæpe ostensum sit, principem plenissimam habere potestatem in omnia bona singulorum de Republica, quantum commune bonũ omnino, multumve postulat, nullus sane negare potest, si in aliquo peculiari euentu bonum commune omnino grauiter ve postularet, vt bona vinculo alicui subiecta, non ad eum deuenirent, qui ius ad illa ex tali vinculo habebat, sed ad quendam alium, id principem posse efficere: citato tamen illo, adquem talia bona alioquin fuissent deuentura, & examinata ac cognita causa, vt tradunt *Molina l. de primog. c. 3. n. 22.* & alij quos refert. Quia tamen onus, quod bonum commune postulat non vnus solus particularis de Republica sustinere debet, vtique vel de communibus Reipublicæ bonis iactura illa esset illi particulari resarcienda, vel cæteri de Republica contribuere deberent, vt æqualitate Geometrica omnes onus illud æqualiter sustinerent. In hoc autem euentu compensationem sufficientem faciendam esse ei, ad quem alioquin bona illa fuissent deuentura, affirmant *Molin. lu. 3. de primog. c 3. n. 20. & multi alii*, quos citat, iuxta *l. item si verberatum. §. 1. ff. de reiuend.* & alia iura.

29 Quod ad secundam vero restrictionem attinet, nullus negare potest, si commune bonum id exigat, posse Principem statuere omnibus de Republica communem legem, qua cum detrimento eorum, qui alioquin succedere debebant, id in posterum seruetur, quod commune bonum efflagitat. Talis *lex*

A *7. tit. 7. lib. 5. nouæ coll.* qua in Regno Castellæ prudẽter sancitum est, vt si ex matrimonio aliquorum futurum erat, vt duo maioratus ad vnum & eundem filium deuenirent, quorum alter valorem *de bos euentos* excederet, primogenitus pinguiore & potiore fruatur; minus pinguis vero pertineat ad secũdo genitũ, ne cũ Reipublicæ iactura, potentia & diuitiæ in vno solo multum accrescant, memoriaque institutorum vtriusque maioratus pereat. Quando autem nullus maioratuum ad valorem illum peruenit, pacifci non possunt inter se contrahentes matrimonium, vt contra vtriusque institutionem, vnus eorum deueniat ad primogenitum, & alter ad secundo genitum, vt bene ait *Moli. lib. 1. de primog. capit. 7. num. 34.* *Ius Castell.*

B

30

Contrarium eius, quod nostra conclusio affirmat, asseuerant multi, quos tandem sequi videtur *Gama decis. 278.* Nostram tamen sententiam amplectuntur *Couar. 3. var. res. cap. 6. à num. 5. Aries Pinel. in rubr. de rescindenda vend. par. 1. cap. 2. præsertim à num. 18. Molina lib. 1. de primog. cap. 7. à num. 31 & lib. 3. cap. 3. num. 10. & multi alii*, quos citant, eamque variis iuribus & rationibus confirmant. Nobis vero ea ratio sufficiat, quæ ex hactenus dictis est manifesta Nempe neque contractus semel rite factos, neque vltimas voluntates, dispositionesve defunctorum in priuatorum commodum, quæ legitime sunt factę,

C morteque testatorum confirmatę, posse per Principes mutari, neque quenquam per eos posse spoliari iure, etiam ad rem, virtute talium contractuum aut dispositionum comparato: quoniam id totum contra ius est naturale, septimumque decalogi præceptum.

Sexta conclusio. Quod quinta conclusione dictum est, similiter est intelligendum, quando maioratus fuit institutus ex Principis facultate ac priuilegio contra iuris dispositionem, cui princeps ea facultate ac priuilegio derogauit. Hæc est aduersus *Couar. 3. lib. var. res. c. 6. nu. 1* Est tamen *Molin. lib. 1. & 4. de primog. locis citatis*, & multorum quos refert. Quin & Couar. ipse *in postrema editione in vltimis verbis, illius capitis* in hanc nostram conclusionem inclinat.

31 *6. Conclus.* *Contraria sententia.*

D Fundamentum Couar. vt in principio illius capitis contrarium nostræ conclusionis amplecteretur, fuit. Quoniam facultas illa creandi ita maioratum contra iuris dispositionem, apponendique circa successionem in bonis illis ilas leges & conditiones, fuit gratia & priuilegium Principis: Princeps autem iuxta communem sententiam reuocare potest gratias & priuilegia à se concessa, eaque interpretari ac moderari: quare poterit Princeps post mortem institutoris maioratus de potestatis plenitudine tollere aliquas ex illis legibus & conditionibus, ac proinde admittere aliquem ad maioratus successionem, qui ex illius institutione minime foret admittendus.

32 *Fundamentum.*

Hoc tamen fundamentum facile euertitur, si attendamus, aliud esse gratiam ac priuilegium, aliud

E vero effectum ex tali gratia aut priuilegio consecutum. Poterit quidem reuocare aut moderari gratias ac priuilegi à se concessa, ita vt vlterius vim non habeant: non tamen annullare aut minuere effectus ex eis secutos: quoniam id non est gratia aut priuilegium, sed effectus, qui sine tali gratia aut priuilegio non fuisset. Vnde, si quis vi gratiæ alicuius aut priuilegij aliquid fecit, aut dominiũ rei alicuj cõparauit, id non potest Princeps infringere, aut minuere, licet reuocare possit priuilegium, ne deinceps simile quid sequatur. Quia ergo in re, de qua est sermo, maioratus, & leges, seu conditiones ab instituente in eo appositæ, non sunt gratiæ & priuilegia Principis, sed dispositiones atque effectus maioratum instituentis, quæ vim non habuissent, nisi gratia & priuilegium Principis, vt id licitę & valide fieret præcessisset

33 *Ad fundamentum.*

e

vtique ex eo, quod Princeps moderari possit gratias quoad effectus, qui nondum ex eis sunt secuti, non sequitur vt in præiudicium tertij, qui iure ad rem spoliatur, inuertere, & mutare possit, quæ ab institutore maioratus de ipsius Principis facultate sunt iam antea instituta: quoniam id in iniuriam, tum maioratum instituentis, tum etiam succedentium in eo ex instituentis præscripto manifestè redundaret, pugnaretque cum iure naturali, septimoque decalogi præcepto. Adde, quod si maioratus institutor sciret dispositionem suam à Principe posse infringi ac mutari, numquam sane facultatem peteret, vt talem maioratum institueret.

34 Hinc est, quod si ex institutione, inuestiturave, feudi, aut ex contractu, fœminæ excludantur à successione, in illo non possit Princeps in præiudicium masculorum, quibus solis eo ipso ius competit, habiles reddere fœminas ad succedendum in eo, idemque est de maioratu. Ita *Molina lib. de primog. c. 7. n. 31. Iulius Clar. 3. lib. senten. §. feudum q. 73. Couar. 3. var. resol. c. 6. n. 7. in respon. ad 5. & 6. rationem*, secus autem esset, vt bene Couar. ibidem ait, si fœminæ solum prohiberentur communibus legibus feudorum; quoniam sicut Princeps legitimare potest illegitimum derogando ea in parte legibus suis: ita ex rationabili causa possit reddere habiles fœminas ad succedendum in feudo derogando similiter ea in parte legibus suis propriis antequam quisquam, in cuius præiudicium id cederet, comparasset ius in re in tali feudo.

35 Septima conclusio. In euentibus duarum conclu-
7. Conclus. sionum præcedentium, si ab institutore fideicommissi, maioratus, aut feudi apposita fuit clausula, si sine filiis natis legitime, aut ex legitimo matrimonio procreatis discesserit, tunc illicita, inualidaque est legitimatio illegitimi ad effectum, vt excludat substitutum, eumve, qui ad maioratum aut feudum vocatur. Ita *Molina li. 3. de primog. c. 3. n. 31. & 29.* Consentit *Couar. 3. var. res. c. 6. n. 7. in respon. ad 4. rationem, & alij.* Ratio est, quoniam nomine nati legitime, aut ex legitimo matrimonio procreati, intelligi nó potest legitimatus rescripto Principis: in eiusmodi autem euentibus standum est voluntati expressæ instituentis maioratus, feudi, aut fideicommissi, quam infringere non potest Princeps spoliando iure ad rem eum, qui ex institutoris voluntate ad maioratum, feudum, aut fideicommissum vocatur. Confirmatur ex dictis quarta conclusione: quoniam post mortem patris legitimare non potest Princeps illegitimum ad succedendum in bonis illius, priuareque ea ratione iure ad rem eum, qui morte illius id comparauit: cum ergo in re proposita mortuus sit institutor fideicommissi, maioratus, aut feudi, vt bene *Molina lib. 3. de primog. cap. 3. num. 10.* adnotauit, sit, vt filius illegitimus possessoris maioratus, feudi, aut fideicommissi, quem institutor aperte excludit legitimari non possit à Principe, vt excludat enim, qui ab institutore vocatur, quique ius ad tale fideicommissum, feudum, aut maioratum vi institutionis habet. Idem longe maiori cum ratione esset, si in stitutor expressioribus verbis excluderet legitimatum, dicens, etiamsi Principis rescripto legitimatus sit, vt sæpe fieri solet. Quin, si excluderet expresse legitimatum per subsequens matrimonium, vt interdum fit, filius per subsequens matrimonium legitimatus succedere non posset in tali maioratu, feudo, aut fideicommisso: quoniam semper institutoris voluntati est standum.

36 Præcipua difficultas est, vtrum quando in institutione dictum est, si sine liberis legitimis decesserit, posset Princeps legitimare filium possessoris maioratus, feudi, aut fideicommissi ad effectum, vt excludat eum, qui alioquin vocatur, validaque ad eum effectum sit talis legitimatio. Communior Doctorum sententia affirmat, quam refert *Molin. libr. 3. de primogen. capit. 3. numer. 2. & 26.* & sequuntur *Gama decis. 278. & Couarr. 3. variar. resol. cap. 6. numer. 7. in responsione ad 4. rationem, & in Epi. part. 2. cap. 8. §. 9. num. 8.* Tametsi subiungat, numquam se consulturum Principi, vt ad excludendum substitutum legitimet illegitimum. Multi etiam ex autoribus, qui eam sententiam amplectuntur, illam limitant, nisi sit nobilis, qui tale fideicommissum, aut maioratum instituit: tunc etiam censent, legitimatum rescripto Principis non excludere substitutum, vt *Molin, ibidem, num. 30.* refert. Item nisi, qui maioratum instituit, vocet filios & filias, addatque, & eorum filios legitimos (quod ait Moli. fieri frequenter in institutione maioratuum Hispanarum) tunc enim censendum est, institutorem excludere voluisse filium naturalem legitimatum Principis rescripto, ne in absurdum incidamus, vt dicamus, institutorem vocare voluisse filios legitimatos filiarum. Ita Moli. & multi alij, quos refert *ibidem n. 34.* Quasdam etiam alias limitationes addit.

Hac tamen opinione non obstante octaua nostra 37
8. Conclus. conclusio sit. Quando in institutione apponitur clausula illa, si sine filiis legitimis discesserit, legitimatus per Principem excludere non potest eum, qui in defectum filiorum legitimorum vocatur ad maioratum, feudum, aut fideicommissum. Ita *Molin. lib. 2. de primog. cap. 7. numer. 31. & lib. 3. cap. 3. num. 27. & 29. & multi alii*, quos citat. Ratio est, quoniam mentis ac voluntati institutoris maioratus, feudi, aut fideicommissi est standum, vt conclusione præcedente dictum est. Consentitque Couarruuias: in re autem proposita existimandum non est, institutorem nomine filij legitimi, comprehendere legitimatum rescripto principis. Etenim licet, iuris fictione, legitimatus interdum in iure legitimus appelletur, in communi tamen vsu loquentium, ex quo mens institutoris colligenda est, nomine legitimorum: non comprehenditur legitimatus rescripto principis, vt plurimi, quos *Mol. 3. lib. de primog. c. 2. n. 3. & n. 31.* refert sequitur, affirmant; estque cuique satis perspicuum.

Dubium est, vtrum si maioratus, aut fideicom- 38
missum, instituta sint cum clausula, si sine liberis decesserit, nulla mentione facta de legitimis, vtrum, inquam, tunc filius naturalis excludat substitutum, eumve, qui in filiorum defectum vocatur ad maioratum. Angelus & alij, quos *Molina lib. 3. de primog. cap. 3. numero 41.* refert, affirmant excludere: quod confirmant *ex leg. facto. §. si quis rogatus. ff. ad Trebel. & ex leg. generaliter. §. vltim. Codic. de institutionibus & substit.* vbi id sanciri videtur. Molina tamen *ibidem numero 43.* cum Emmanuele à Costa & aliis censet, ex qualitate instituentis, si nobilis erat, autde infima plebe, & ex aliis circumstantiis, iudicandum esse an nomine filiorum, etiam naturales intenderit comprehendere, vel solos legitimos: atque id sanè est, quod apertè habetur. *§. si quis rogatus, citato.* Addit Molina, in institutione maioratus, in qua agitur de familia nobilitanda in successore in tali maioratu, nunquam nomine filiorum simpliciter, intelligendos esse naturales: quoniam vt Baldus, Tiraquellus, & alij affirmant, quando de honore filiorum agitur, nunquam filiorum nomine comprehenduntur naturales.

Addendum, quando, attentis circumstantiis cō- 39
currentibus, censendum esset institutorem fideicommissi nomine filiorum, non solos legitimos intellexisse, posse principem ex rationabili causa legitimare spurium, vt in tali fideicommisso succedat, excludatque substitutum. Ratio est quoniam tunc is nomine filiorum comprehenditur, incapacitasque ad succedendum, quam habet, non est ex voluntate, & verbis instituentis ita fideicommissum, sed ex ciuili iure: quare cum princeps ex rationabili causa præiudicare possit iuri ciuili legitimando spu-

rium,

rium, illeque eo ipso capax fideicommissi illius efficiatur: consequens profecto est, vt succedat in fideicommisso, excludatque substitutum.

40 Postrema conclusio. Quando illegitimus ex iuris communis dispositione excluditur à successione in feudo propter iura peculiaria feudorum (quæ similiter in maioratib. sunt intelligenda) tunc princeps legitimare illum potest, vt in feudo succedat: ex sola tamen simplici illius legitimatione succedere nequit in feudo, aut maioratu, nisi peculiariter ad eum effectum legitimetur, vt constat ex §. naturales, si de feudo defuncti, &c. In hac conclusione conueniunt Molin. lib. 3. de primog. cap. 3. numer. 9. & 42. Couar. 3. variar. resolut. cap. 8. numer. 7. Iulius Clarus lib. 3. sent. §. feudum, quæst. 82. & alij, quos citat. Quod princeps legitimare possit ad eum effectum, ex eo est manifestum, quod incapacitas, de qua in hac conclusione agimus, proficiscitur ex solo iure ciuili, cui præ- B indicare potest Princeps legitimando ex rationabili causa.

SVMMARIVM.

1 *Si quis ascendentium quemuis ex descendentibus, quibus legitima portio debetur, prætereat, aut exhæredet non apposita in testamento causa, tale testamentum est ipso iure nullum. Et quid facto opus sit, vt sit validum.*

2 *Hæc probantur ex authentico, Vt cum.*

3 *De ascendentibus comparatione descendentium dicta, quomodo similiter intelligenda sint.*

4 *Nomine descendentium qui intelligendi sint?*

5 *Quando dispositio de prætéritione & exhæredatione locum habeat in illegitimis?* C

6 *Qui nomine ascendentium in ea dispositione intelligantur?*

7 *Quomodo intelligendum sit, testamentum, in quo aliquis indebitè prætéritur aut exhæredatur, esse nullum.*

8 *Validum videlicet esse tale testamentum, quoad reliqua, qui intelligendum.*

9 *An, pronuntiato nullo quodam testamento in Lusitania, in quo filius matrem superstitem præteriit, valide nihilominus sint nominationes in quasdam emphyteuses in eodem testamento; legitime alioquin à testatore factæ.*

10 *Refellitur contraria opinio.*

11 *An, quando testator idcirco præterit filium, quia ignorat se eum habere, legata in testamento relicta valida sint.* D

12 *Non satis est, vt filius non censeatur præteritus, si parcus titulo legati ei relinquat tantum aut plus, quam sit ipsius legitima, nisi eum hæredem instituat.*

13 *Vtrum de iure canonico, vt validum sit testamentum, necesse sit filium hæredem instituì.*

14 *An idem locum habeat in testamento condito inter liberos, vt inualidum sit in titulo hæredis, aut legitima alicui filiorum relicta.*

15 *Authoris sententia.*

16 *An in Castella locum habeat ea dispositio, vt inualidum sit testamentum, in quo legitima alio titulo, quam institutionis, sit relicta.*

17 *An testamentum, in quo quis præterit, apposita legitima causa validum sit.*

18 *Authoris sententia probatur, quæ triplici ratione stabilitur num. 19 20.*

21 *Quid si filius commisit causam legitimam exhæredationis aut prætéritionis, & pater inserta ea causa in testamento illum præteriit, aut exhæredauit, poterit ne talis filius in foro conscientiæ licitè intentare querelam aduersus testamentum illud, eoque in foro ex-*

terno pronunciato inualida, tuta conscientia possidere hæreditatem paternam.

22 *Testamentum ex quacumque causa nullum redditur, secus in regno Castellæ.*

23 *Qui cum iuramento renunciat successioni in bonis paternis in euentibus, de quibus talis renunciatio valida est, esto à parente prætereatur, dicere non potest testamentum esse nullum.*

24 *Cur dictum: in euentibus, in quibus, &c.*

25 *Quid, quando quis post mortem eius, qui ipsum exhæredauit aut prætériuit, expresse consentit in tali testamento, vel tacitè.*

26 *Quid de minore, dum conficitur testamentum, consentiente in sui prætéritione aut exhæredatione, vel post mortem patris tacitè vel expresse.*

27 *Quid de instituto in minori portione, quam sit integra sua legitima.*

28 *Quid de eo qui sine causa inserta est præteritus aut exhæredatus, in eoque testamento instituti sunt alij hæredes ab intestato.*

29 *De iure ciuili, esto filius præteritus aut exhæredatus non inserta causa moreretur ante patrem, qui ita eum præteriit aut exhæredauit, testamentum est nullum.*

30 *Posthumus præteritus aut exhæredatus eo ipso quod nè scitur, reddit nullum testamentum & non antea, secus, si per abortum egrediatur vterum maternum.*

31 *Quid quando filius legitimè est præteritus aut exhæredatus, & tempore mortis testatoris viuit.*

32 *Quando filius non inserta legitima causa præteritus aut exhæredatus est; an testamentum sit validum; & quæ tali filio actio competat.*

33 *Quod remedium competat tali filio.*

34 *Quando filius inserta legitima causa præteritus aut exhæredatus est, an testamentum sit nullum, & quæ actio tali filio competat.*

35 *An hæc eadem similiter habeant locum; quando filius emancipatus præteritus aut exhæredatus est.*

36 *Quando filius emancipatus præteritus est inserta legitima causa, quod remedium illi competat.*

37 *Quæ querela filio emancipato exhæredato inserta legitima causa competat.*

38 *Quomodo competat querela inofficiosi testamenti filio emancipato exhæredato inserta legitima causa.*

DE PRÆTERITIONE ET EXHÆREDATIONE, tam descendentium, quam ascendentium.

DISPVTATIO. 175.

SI ascendentium aliquis quemuis ex iis descendentibus, quibus (iuxta ea quæ à disp. 158. explicata sunt) legitima portio debetur, vel prætereat in suo testamento, hoc est, neque eum exhæredet, neque hæredem instituat, vel eum quidem exhæredet E non tamen apposita in testamento causa aliqua, aut causis aliquibus in particulari talis exhæredationis, ex iis, quas disputatione seq. explanabimus, tale testamentum est ipso iure nullum, quoad solam hæreditatis institutionem, ac proinde hæreditas tota deuoluitur ad hæredes ab intestato. Neque, vt testamentum sit validum, satis est, si testator descendenti illi, vt legitimam, vel plusquam est legitima, titulo legati, donationis, aut quouis alio, qui non sit institutionis hæredis in testamento, reliquat. Si tamen eum hæredem instituat in portione aut quantitate minori, quam sit legitima ei debita, validum quidè est testamentum; verumtamen, vt disp. 177. dicetur, conceditur ei actio ad petendū cōplemētū vsq; ad integram legitimā. Quod si apposita in testamento cau-

sa eam exhæredet (idem non dubito esse si illumpre tereat) testamentum non est ipso iure nullum; descendenti tamen ita exhæredato, aut præterito, conceditur querela inofficiosi testamenti ad illud annullandum: ad hæredemque, aut hæredes in eo institutos spectat, probare causam aut causas exhæredationis in testamento appositas veras esse, quando testator eas non probauit sufficienter. Et quidem, si vel vna sufficienter probetur, testamentum consequitur plenam firmitatem: validumque pronunciatur, & descendens ille excluditur omnino à bonis testatoris: si vero nulla earum vera probetur, testamentum probetur nullum, hæreditasque tota adhæredes ab intestato deuoluitur.

a Hæc omnia, quibus varia iura antiquiora correcta sunt, constant aperte *ex authentico, vt cum de appellatione cognoscitur, §. aliud quoque capitulum, & §. siue igitur omnes.* In quorum priori habentur hæc verba. *Sancimus non licere penitus patri vel matri, auo vel auiæ, proauo vel proauiæ, suum filium, vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut exhæredes in suo facere testamento, nec si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem: nisi forsan probabuntur ingrati, & ipsas nominatim ingratitudinis causa parentes suo inferuerint testamento.* In posteriori vero § habentur hæc. *Si ue igitur omnes memoratas ingratitudinis causas, siue certas ex his, siue vnam quamliber parentes in testamento suo inseruerint, & scripti hæredes, vel nominatas causas, vel vnam ex his veram esse manifestauerint, testamentum suam habere firmitatem decernimus. Si autem hæc obseruata non fuerint, nullum exhæredatis liberis præiudicium generari: sed quantum ad institutionem hæredum pertinet, testamento euacuato, ad parentum hæreditatem liberos tanquam ab intestato ex æqua parte peruenire, ne liberi falsis accusationibus condemnentur, vel aliquam circumscriptionem in parentum substantiis patiantur. Si vero contigerit in quibusdam talibus testamentis quædam legata, vel fideicommissa, aut libertates, vel tutorum donationes relinqui, vel quælibet alia capitula concessa legibus nominari, ea omnia iubemus adimpleri, & dari illis, quibus fuerint derelicta: & tanquam in hoc non rescisum obtineat testamentum.* Hactenus ibi. Hæc eadem constant *ex auth. non licet, & authen. ex causa. C. de liberis præteritis, ex l. 1. 2. 8. & 10. tit. 7. ex l. 1. 4. & vlt. tit. 8. part. 6. & ex tit. 70. §. 2. & 4. lib. 4. Ordinationis Lusitaniæ Regni.*

3 Quæ hactenus dicta sunt de ascendentibus comparatione descendentium, intelligenda similiter sūt si quis descendentium ascendentem prætereat aut exhæredet, quando illi debita erat portio de bonis talis testatoris. Ita habetur expresse *in auth. vt cum de appellatione cog. §. siue igitur omnes*, post verba, quæ proximè retulimus, *iuncto §. si tales igitur, & duobus sequentibus. l. 2. & 9. tit. 7. l. 1. & 4. tit. 8. p. 6. & tit. 70 §. pen. 4. lib. Ord. Lusitan.*

4 Sunt vero hactenus dicta exactius explicanda. Atque in primis, quod ad rem præsentem attinet, quicquid de iure antiquiori fuerit, nomine descendentium, intelligendi sunt, tam per maternam, quam per paternam lineam, & tam si emancipati sint, quam si non sint emancipati, etiamsi posthumi sint, vt constat *ex l. maximum vitium. §. penult. & vlt. Cod. de liberis præteritis. & ex §. sed hæc quidem, instit. de exhæredatione filiorum*, illis verbis. *Ideo simplex ac similè ius, & in filiis, & filiabus, & in cæteris descendentibus per virilem sexum personis, non solum iam natis, sed etiam posthumis nostra constitutio introduxit: vt omnes siue sui, siue emancipati sint, vel hæredes instituantur, vel nominatim exhæredentur, & eundem habeant effectum circa testamenta parentum suorum infirmanda, & hæreditatem auferendam, quam filij sui, vel emancipati habent, siue iam nati sint, siue adhuc in vtero constituti, postea nati sint.* Hæc ibi. Multo apertius id constat *ex auth. vt cum de appell. cognos. §. aliud quoque capitulum*: vt enim ex verbis supra relatis est manifestum, eo in loco sermo est vniuersim de omnibus ascendentibus, comparatione descendentium omnium, nulla facta limitatione. Eodem modo iura huius Lusitaniæ Regni & Castellæ, quæ citauimus, indistinctè de ascendentibus & descendentibus omnibus loquuntur.

Quin & dispositio de præteritione & exhæredatione locum habet in illegitimis, quando portio in bonis ascendentium est illis debita, eo quod legitimati sint, vt disputatione 173. ostensum est. Lege iura & Doctores, quibus id probauimus. Idem non dubito esse verum, quando ex quacunque alia causa est portio illis debita, vt de iure huius Lusitaniæ Regni debetur filiis naturalibus hominum de infima plebe, & in aliis euentibus, qui disput. 166. & sequentibus explicati sunt debetur illegitimis, vel in bonis matris, vel aliorum ascendentium. Colligiturque hoc *ex leg. si suspecta. §. 1. ff. de inofficioso testam.* cuius hæc sunt verba. *De inofficioso testamento matris, spurii quoque dicere possunt: quod exponit Glossa, si mater non sit illustris, & coitus non sit punibilis: quoniam tunc illi succedant illegitimi.* In eadem tenentia sunt, *Glossa, & Paulus Castrensis. l. si qua illustris. Cod. ad Orficianum, & Couarr. in Epitom. part. 2. capitu. 8. §. 4. numero 16.* Quando autem, licet ascendentes possint aliquid relinquere ex testamento illegitimis, nihil tamen illis relinquere tenentur, locum non habet dispositio relata de præteritione & exhæredatione, vt exse est perspicuum, affirmatque *Couar. loco citato*: vtuntur namque parentes iure suo illos prætereundo, nec hæredes eos instituendo.

Cum autem, in quibus euentibus debita est portio legitima descendentibus, debita etiam sit ascendentibus in bonis descendentium, quando hæredibus descendentibus carent: & dispositio de præteritione & exhæredatione similiter locum habeat si descendentes prætereant, aut exhæredent ascendentes consequens profecto est, vt nomine ascendentium in ea dispositione ij omnes intelligantur, qui descendentibus, de quibus habitus est sermo, in eadem linea respondent.

Quod dictum atque ostensum est, nempe testamentum, in quo aliquis indebitè prætereatur aut exhæredatur, esse nullum, aut per querelam inofficiosi esse annullandum quoad hæredum institutionem, ita quod hæreditas tota deuoluitur ad hæredes ab intestato, intelligendum est, nisi in eo testamento apposita sit clausula codicillaris: tunc enim hæredes ab intestato grauati censentur restituere incrementum vltra legitimam (detractis tamen ab eo legatis) ei, cui hæreditas in eo testamento erat relicta, vt disp. 132. ostensum est.

Quod additum est; validum videlicet esse tale testamentum, quoad reliqua; intelligendum in Regno Castellæ est; ita vt si in eo facta sit melioratio alicui filiorum in tertio & quinto, valida sit. Ita sancitū est *leg. 24. Tauri, quæ est 8. tit. 6. lib. 5. nouæ collectionis.* Quare si quis habeat multos filios, & vnum prætereat, aut exhæredet inualidè, alios vero hæredes instituat, sed vnum eorum melioret in tertio & quinto, is quidem habebit præcipuum tertium & quintum, nihil impediente inualiditate testamenti quoad hæredum institutionem, omnesque filii succedent ab intestato in reliquo bonorum defuncti, quod est hæreditas necessario inter ipsos æquāliter diuidenda, tam ex testamento, quam ab intestato.

Referente Aluaro Valasco *consil. 61.* controuersum in iudicio in hoc Lusitaniæ Regno fuit, an pronunciato nullo quodam testamento, in quo filius matrem superstitem prætererat, validæ nihilominus essent nominationes in quāsdam emphyteuses in eodem testamento, legitimè alioquin ab eodem testatore factæ. Quidam viri docti non contemnendis sanè fundamentis, quæ ibidem Aluar. Valascus refert &

A
B
C
D
E
5
6
7
8 *Ita Castell.*
9 *Controuer. sia.*

refert & conatur soluere, contendebant validas esse. At ipse contrarium consuluit, referrque sententiam iuxta ipsius consilium latam fuisse. Potissimum huius doctoris fundamentum fuit, inprimis, quod *4. libr. ord. huius regni, titul. sexagesimotertio, §. 3.* sic habetur: *E bem assi se lo caso onde a nomeacaon feita huna vez nao for pode revogar mais, aquele que assi ha de nomear, fezer hum testamento no qual o nomear, & depois revogasse o dito testamento, ou o dito testamento fosse por direito, por qualquer modo auido por nenhum, fica adita nomeacaon, isso mesmo revogada, & ella poderá nomear outra vez: por, quanto adita nomeacaon feita no dito testamento assi revogado, ou auido por nenhum, & isso mesmo auida por nenhuna, assi como se nunca fosse feita.* Ecce, inquit, manifestè disponitur vniuersim, nominationem factam in testamento nullo quocunque modo iuris dispositione, esse ipso iure nullam: cum ergo testamentum, in quo mater est præterita, iuris communis dispositione, atque huius regni, *lib. 4. tit. 70.* sit nullum; consequens est, vt nominationes in eo factæ nullæ etiam sint. Deinde quoniam *4. lib. ord. tit. 70. §. 1. iuncto, §. penult.* disponitur, tale testamentum esse nullum, solumque excipiuntur legata in eo relicta: cum ergo nominationes in emphyteusim legata non sint, vt latè probare conatur, manifestum est validas nequaquam esse.

Opinio.

Fundamentum.

10 *Refellitur.*

Non obstante autoritate tanti Doctoris, eorumque qui sententiam iuxta ipsius consilium tulerunt, non dubito nominationes illas validas fuisse, in contrarumque ferendam fuisse, & esse in futurum sententiam. Ducor, quoniam testamentum illud iuris dispositione non est nullum absolute, sed cum addito, & restrictione, quoad solam hæredum institutionem, ac præteritionem & exhæredationem, quoad reliqua vero, atque adeo quoad nominationes in emphyteusim, iuris expressa dispositione est validum, vt constat *ex authen. vt cum de appel. cognoſ. §. sive igitur omnes*, verbis illis supra relatis; *nullum præiudicium generari, sed quantum ad institutionem hæredum pertinet testamento euacuato.* Et infra: *Si vero contigerit in quibusdam talibus testamentis quædam legata, vel fideicommissa, aut libertates, vel tutorum donationes relinqui, vel qualibet alia capitula concessa legibus nominari, ea omnia iubemus adimpleri, & dari illis, quibus fuerunt relicta, & tanquam in hoc non rescisum obtinet testamentum.* Ecce, iuris ipsa dispositione non est absolute inualidum eiusmodi testamentum, sed solum quoad hæredum institutionem; validum vero pronunciatur quoad nominationes in emphyteusim ritè in eo alioquin factas: ordinatio autem *§. illo tertio citato* manifestè loquitur de testamento absolute ac simpliciter inualido, ex quocumque capite id proueniat, quale ex ipsa iuris dispositione hoc non est: porro ordinatio illa, & quæcunque alia, ita est intelligenda, vt quoad fieri possit à dispositione iuris communis non exorbiter. Ducor secundo (& coadiuuat præcedentem rationem) quoniam Ord. huius Regni, *titul. 70. §. 1. citato*, manifestè voluit huiusmodi testamentum validum esse quoad reliqua iuxta dispositionem iuris communis præterquam quoad hæredum institutionem, atque adeo voluit validum esse quoad nominationes in emphyteusim ritè alioquin in eo factas verba illius §. hæc sunt. *Tal testamento he por direito* (commune scilicet) *nenhum, ou de nenhum vigor, quanto á instituicaon, ou deserdacanne lle feita.* Ecce ad ius commune se retulit, secundum quod nullum est tale testamentum, & quo ad solam institutionem hæredum, atque exhæredationem, seu præteritionem pronunciauit illud nullum, ficut & ius commune. Adde, quod, quando res non esset adeo manifesta ex ipsis verbis ordinationis, paragraphus ille, re dubia, exponendus esset ita, vt non exorbitaret à iure communi. Dum vero ordinatio subiunxit: *Mas quanto aos legados no dito testamento contendos serão em todo caso firmes e valiosos*, certè non negauit reliqua, quæ ex dispositione iuris communis valida in eo testamento sunt, valida quoque in hoc Regno esse, sed consuluit breuitati ordinationibus huius Regni consuetæ. Quin eo ipso, quod nihil in contrarium affirmauit ac disposuit, standum pro cuius dubio est iuri communi. Quando autem posthumo nato nullum redderetur testamentum, in quo esset præteritus, nullæ quoque essent nominationes in emphyteusim in eo factæ, vt de legatis in eodem testamento relictis mox dicemus. Quare inde non bene argumentatur prædictus doctor vt obtendat, validos non esse in testamento, in quo is, de quo superstrem esse constabat, est præteritus. Nobiscum consentit *Emmanuel à Costa. cap. si pater. part. 3. verbo censendum, numero 17. fol. 575.* nempe Lusitanam legem intelligendam esse iuxta ius commune, ex illoque esse supplendam: Neque quicquam in contrarium probant, quæ *Aluarus Valasius conſ. 54. nu. vlt.* in contrarium adducit, quæ sane ex iis, quæ paulo antea diximus; perspicue euertuntur.

Ad fundamentum.

Intelligendum præterea est. Nisi testator idcirco præteriisset filium, quia ignorabat se eum habere, vt quia natus est post mortem patris, qui ignorabat vxorem esse grauidam, vel quia natus est post testamentum conditum, vel quia credebat illum esse defunctum, aut quauis alia de causa: tunc enim neque legata, neque fideicommissa in eo relicta valent. Ita sancitum est *lib. 4. Ordi. huius Regni. titul. 70. §. 3. & vlt.* idem cum Bartol. & aliis affirmant de iure communi *Ant. Gom. ad l. 24. Tauri, num. 3. & Iulius Clarus, lib. 3. sent. §. testamentum, q. 46. ad finem*, tametsi multi refragentur. Ratio est, quoniam præsumendum est, patrem ea non fuisse instituturum, si conscius fuisset se habere filium, atque adeo velle, vt valida non fiat, argumento textus *l. si cum vel in vtero. C. de testamento militis.* Ego sane valida nihilominus iudicarem ea legata pia, de quibus prudentis arbitrio dubitandum omnino non esset, testatorem similiter ea fuisse instituturum, esto conscius esset se habere talem filium. Idemque dicerem de legatis non piis, de quibus, spectatis circunstantiis concurrentibus, idem omnino esset credendum: secus autem de legatis tam piis, quam non piis, de quibus vel præsumendum esset testatorem ea non fuisse instituturum, vel res esset dubia: in dubio namque propendendum est in fauorem filii. Ducor ad hoc ita asserendum quoniam Doctores, qui inualida in eo euentu censent legata, solum ducuntur præsumptione, neque aliud colligitur ex iure illo citato, neque aliud intendisse videtur ius Lusitanum: quando vero taliasunt legata, vt prudentis arbitrio existimandum omnino sit similiter testatorem fuisse ea instituturum, cessat præsumptio in contrarium. Quando autem testator habebat alios filios, Ordinationes huius Regni nihil disponunt, quin satis innuunt se solum disponere, quando erat tantumille filius. Credo autem similiter in eo euentu ex circunstantiis concurrentibus coniecturis esse iudicandum, quæ fuisset testatoris mens, si conscius fuisset se habere eum filium, idque solum esse validum, de quo non dubitatur testatorem similiter id fuisse statuturum. Idemque in Regno Castellæ dicendum est de meliorationibus tertio & quinto, quæ alicui, aut aliquibus filiorum in eo euentu fuisset facta. *Ant. Gom. loco citato* legata omnia, etiam pia, & meliorationem in tertio & quinto existimat inualida. Baldus & alii, quos refert, in quodam alio sunt extremo. Nobis vero media via explicata placet.

Quod dictum est, nempe, vt filius non censeatur præteritus, ac proinde vt testamentum non censeatur inualidum, non satis esse si parens titulo legati, donationis, aut alio simili ei relinquat tantum, aut plus, quam sit ipsius legitima, nisi eum hæredem

instituat; nullus est, qui de nouissimo Cæsareo iure authenticorum possit id negare, vt constat *ex illis verbis auth. vt cum de appel. cogno. §. aliud quoque capitulum*; vel cæteros liberos præterire, aut exhæredes in suo facere testamento, nec si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem. Et ita affirmat communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Couar. de testa. c.* Raynutius. § 1. *Ant. Gom. to. 1. var. resol. 11. in calce, qu. 1. &* Iulius Clar. *§. testamentum q. 38.* Hoc autem iura statuerunt, non solum honoris filiorum causa, & ob alia emolumenta, quæ ex hæredis institutione Iulius Clarus hæredibus resultare commemorat, sed præcipuè, quoniam hæredi conuenit ius accrescendi, vt disp. 155. ostensum est, non vero legatariis, donatariis, & aliis: sicut autem descendentes, vt testamentum sit validum, necessario institui hæredes debent: ita etiam ascendentes, quando testator descendentibus caret. Cum omnia, quæ quoad præteritionē & exhæredationē comparatione descendentium disponuntur *in auth. vt cum de appel. cogno. §. aliud quoque Capitulum*, simili modo intelligantur comparatione ascendentium, vt supra dictum est. De iure tamen huius regni *lib. 4. ord. tit. 70. in principio*, si is, qui ascendentes aut descendentes habet, disponat solum de tertio suorum bonorum, quia ascendentes aut descendentes iuris dispositione necessario succedere debent in aliis duobus tertiis, virtute censetur eos instituere, vt sæpe dictum est, ac proinde testamentum est validum, hæredesque illi ita virtualiter instituti habent ius accrescendi.

Ius Lusit.

15 Vtrum de iure etiam Canonico, vt validum sit testamentum, necesse sit filium hæredem institui. *Hostiensis*, Raynutius, *de test. &* Alex. negarunt, dicentes, satis esse titulo legati, aut quouis alio legitimam ei reliquisse. Contraria sententia cum *gl. eod. c.* Raynutius *& glos. si pater de testa. lib. 6.* est hodie communis & amplectenda, quam referunt & sequuntur Couar. *c.* Raynutius. § 1. *nu. 1. &* Iulius Clar. *§. testamentum q 38.* Ratio est, quoniam nihil in contrarium sanctum est iure Canonico; iura autem ciuilia vim habent in foro Ecclesiastico, quando contrarium iure Canonico statutum non est.

14 Vtrum idem etiam locum habeat in testamento condito inter liberos, vt scilicet inualidum sit, si nō titulo hæredis, sed alio legitimo alicui filiorum relicta sit. Respondendum est, inualidum esse cum cōmuniori Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Couar. *c.* Raynutius. *§. 1. Iulius Clarus. §. testamentum, q. 8. vers. sed pone. & Ant. Gom. l. 3. Tauri, n. 57.* Ac sane *auth. vt cum de appel. cogno. §. aliud quoque Capitulum*, aperte loquitur de testamento condito inter liberos.

A eo pacto illos hæredes, singulos in re certa, neque intendisse relinquere illis legata: quandoquidem nullum alium instituit hæredem; illisque proinde competere ius accrescendi, vt ex dictis eadem disput. est manifestum: vbi etiam ostendimus, in contractibus & in vltimis voluntatibus potius esse attendendum ad id, quod fit, quam ad verba, quibus fit, quando de mente contrahentium aut testantium constat: secus autem quando res esset dubia. vnde si quis duos suos filios institueret hæredes, tertio vero relinqueret rem certam, testamentum esset inualidum: quia in eo euentu id neque censeretur, neque vim haberet institutionis hæredis, vt ibidem dictum est. Adde dispositionem illam factam filiis omnibus per particularia relicta, si non admittatur vt testamentum, institutioque hæredum, esse codicillum aut scripturam, quæ patris continet voluntatem, quoad incrementum vltra legitimas portiones; quæ valet inter liberos, vt habetur *l. 5. tit. 8. part. 6.* consentiuntque *l. parentib. C. de inoffic. test. & l. vlt. C. fam. hercisc.* id confirmat, quod in dispositione inter liberos censetur apposita clausula codicillaris.

B

16 Controuersum dubium est, an in Regno Castellæ locum habeat eadem dispositio, vt inualidum videlicet sit testamentum, in quo legitima alio titulo, quam institutionis sit relicta. *Roder. cus Xuares*, & quidam alij, quos *Mol. lib. 2. de primog. c. 15. n. 16.* refert, negant. Ducuntur quoniam in eo Regno. *l. 3. tit. 4. li. 5. Ordi. quæ est hodie. l. 1. tit. 4. lib. 5. nouæ collectionis*, sancitum est, vt validum sit testamentum, in quo nullus hæres sit institutus: quare esto legitima titulo legati, aut alio, alicui filiorum relicta sit, validum erit testamentum. Contrariam sententiam, nempe inualidum esse tale testamentum quoad hæredum institutionem, affirmat *Molina loco citato n. 17. cum Castillo, Burgos de Pace, & Roias*, quos refert; atque efficaciter meo iudicio probat. Primo quoniam lex illa Castellæ citata, neque tacitè, neque expresse derogat iuri authenticorum & partitarum, quibus tale testamentum inualidum pronunciatur. Aliud quippe est, testamentum absque vlla hæredis institutione validum esse quoad ea, quæ in eo statuuntur, quod lex illa Castellæ statuit; aliud nullam esse hæredis, aut hæredum institutionem, quando legitima alio titulo, quam institutionis hæredis, alicui descendentium aut ascendentiū relinquitur, quod iura alia disponunt: hoc enim secundum esse optimè potest, facta hæredis extranei, aut etiam ascendentis, vel descendentis institutione. Secundo, quoniam si eiusmodi testamentum validum esset de iure Regni Castellæ, sequeretur, descendentem aut ascendentem, cui hæreditas debetur, priuari posse iure accrescendi sola testatoris voluntate, qui legitimam titulo legati illi relinquat. quod tamen est absurdum, neque lege illa Castellæ fuit intentum. Lege, quæ fusius hac de re *Mol. in eo loco* docet.

Ius Castell. Quæstio.

C

Satisfit.

D

17 Dubium est, vtrum sicut testamentum, in quo aliquis exhæredatur apposita & probata legitima ex hæredationis causa, est validum: ita testamentum, in quo appositā similiter & probata legitima causa præteritur, validum sit. Vt si quis in eo instituat alios hæredes ac subiungat, filium autem meum Petrum ob talem, vel talem causam non instituo, aut illum prætereo, vel accipiat solum centum titulo legati. *Bart. & plerique alii à Couar. cap.* Raynutius, *de testam. in prin. nu. 1. 2. & 8. & ab Ant. Gomez. 1. tom. var. resol. cap. 11. nu. 2. & 5.* relati negant validum esse tale testamentum, eāmque sententiam defendere conatur Couarruuias; tametsi subiungat, non esse omnino tutam. Huius sententiæ non aliud video fundamentum, nisi quod *in authentic. vt cum de appell. cognosc. §. aliud quoque Capitulum*, dum nullum pronunciatur testamentum in quo aliquis descendentium præteritur aut exhæredatur, de exhæredatione subiungitur; nisi forsan probabuntur ingrati, & ipsas nō-

Dubium.

E

15 Non tamen arbitror discedendum esse à communi sententia, præsertim cum *authenticum, vt de appel. cognos.* conditum fuerit post iura omnia Codicis, illisque omnibus deroget. In re tamen, de qua prædictus Doctor eo loco disputat, arbitror, nihil impediente authentico citato, & communi opinione, testamentum fuisse validum. Quidam n. condidit testamentum inter liberos, illisque in eo distribuit bona sua per relicta particularia, puta, Petro, talia prædia, Paulo, quædam alia, & Francisco bona omnia mobilia: dubium vero erat, an huiusmodi testamentum esset nullum, eo quod filij titulo hæredis non fuissent honorati. Dicerem, validum proculdubio esse, mentemque testatoris, iuxta ea quæ disp. 151. dicta sunt, absque vllo dubio fuisse, instituere

minatim ingratitudinis causas parentes suos inse-
ruerint testamento.

18 Decisio.

Non dubito contrariam sententiam esse veram, nempe validum esse testamentum, in quo quis apposita & probata legitima causa præteritur: quam tandem sequitur *Ant. Gom. in calce n. 3. citati*, cum aliis, quos refert, & Couar. probabilem existimat, quin & in eam propendere videtur. Ducor in primis, quoniam præteritio, apposita & probata legitima causa habetur pro exhæredatione, vt cum aliis affirmat, probareque conatur *Ant. Gom. loco citato*, idemque confirmat *Couar. ex l. 3. C. de liberis præteritis*, cuius hæc sunt verba. *Si quis filium proprium ita exhæredauit, ille filius meus alterius meæ substantiæ fiat, talis filius eiusmodi verborum conceptione non præteritus, sed exhæredatus intelligatur: cum enim manifestus est sensus testatoris, verborum interpretatio numquam tantum valeat, vt melior sensus exsistat.* Hactenus lex illa. Cum ergo quando testator, institutis aliis hæredibus, subiungit; filium autem meum Petrum, ob talem legitimam causam non instituo, aut prætereo, vel obtineat solum titulo legati centum; manifeste eis verbis intendat excludere illum ab hæreditate; consequens profecto est, vt eiusmodi præteritio, appositæ & probata legitima causa, censenda sit exhæredatio. Nec est cur id Couar. admittat, quando testator dixit, filium meum Petrum ob talem causam nō instituo, aut eum prætereo: neget vero quando dixit, ob talem causam obtineat solum centum titulo legati. Etenim, qui exhæredat ex causa legitima appositæ & probata, potest nihilominus relinquere filio exhæredato aliquid titulo legati: quare quod titulo legati aliquid relinquatur filio præterito ex causa appositæ & probata, non impedit quo minus ex mente testatoris exhæredatio censeatur.

19

Ducor deinde, quoniam iura nouissima authenticorum æqualiter admittunt præteritionem appositæ & probatæ legitimæ causæ, atque exhæredationem: vnde post iura authenticorum, necesse non est recurrere ad fundamentum illud, quod præteritio appositæ & probatæ causæ censeatur exhæredatio, quasi præteritio appositæ causæ ex se id non habeat, sed quia ex intentione eo pacto præterentis censeatur exhæredatio, ita vt sola exhæredatio id habeat. Etenim *in authen. vt cum de appel. cogno. §. aliud quoque Capitulum*, ita habetur. *Sancimus igitur, non licere penitus liberos præterire aut exhæredes in testamento facere, nisi forsan probabuntur ingrati, & ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes in suo inseruerint testamento.* Ecce, de præteritione & exhæredatione æque dicitur, valere appositæ legitimæ causæ in testamento. Neque est, quod quisquam velit verba illa, *nisi forsan*, restrictionem esse solius exhæredationis, non vero etiam præteritionis, quasi nunquam testamentum valeat, in quo cernitur præteritio, etiamsi legitima causa præteritionis in testamento apponatur. Non, inquam, est quod quis id velit. Tum quia verba ipsa contextus aliud sonant. Tum etiam, quoniam verba illa alia quæ in eodem contextu ante restrictionem illam inseruntur, nempe, *nec si per quamlibet donationem aut legatum, &c* æque de præteritione & exhæredatione intelligantur. Idem constat apertius *ex auth. non licet. C. de liberis præteritis*, quæ sic habet. *Non liceat parenti aliquem ex liberis exhæredare, vel præterire, nisi is probetur ingratus, & ingratitudinis causas nominatim inserat testator in testamento.* Vbi vides restrictionem ac limitationem illam additam immediate fuisse verbo, præterire, quasi præteritio valeat, si filius præteritus ingratus probetur, & testator causam ingratitudinis probauerit.

20

Tertio ducor, & est apud me textus etiam expressus, *ex auth. vt cum de appel. cogno. §. & hæ quidem exhæredationis.* vbi commemoratis causis omnibus legitimis ad exhæredandum aut præterendum, subiunguntur hæc verba. Et hæ quidem exhæredationis, aut præteritionis pœnæ quantum ad ingratitudinis causas contra prædictas personas statuendæ sunt: si quæ autem ex his inter crimina reputantur, authores etiam alias pœnas sentiant legibus definitas. Ecce non solum exhæredationis, sed etiam præteritionis pœna dicitur statuta ob prædictas causas: quo fit vt non minus valida sit præteritionis pœna, quam exhæredationis, si causa ingratitudinis appositæ sit in testamento, legitimeque probetur: alioquin numquam haberet locum præteritionis pœna, sed semper inualidum esset testamentum, inquo quis præteriretur. Cum hac nostra sententia consentit apertè *lex decim. titul. septim. part. sexta. vt Gregorius Lopez.* argumento à contrario sensu, ibi dem notat.

21 Dubium.

Dubium est, quid si filius reuera commisit causam legitimam exhæredationis aut præteritionis, & pater inserta ea causa in testamento illum præteriuit aut exhæredauit; attamen neque pater neque hæredes sufficienter illam probant; poteritne tunc talis filius in foro conscientiæ licitè intentare querelam aduersus testamentum illud, eoque in foro exteriori ex defectu sufficientis probationis talis causæ pronunciato inualido, tuta conscientia possidere hæreditatem paternam? Meo iudicio respondendum est tuta conscientia posse id efficere. Ratio est, quoniam præteritio & exhæredatio non aliter in foro conscientiæ & exteriori est valida, quam quatenus iure ciuili est permissa: vt autem constat *ex authen. non licet. Cod. de liberis præteritis, & ex authen. vt cum de appel. cogno. verbus supra relatis*, solum iure ciuili permittitur, si causa in testamento inseratur & legitimè probetur. Confirmatur, quoniam exhæredatio, aut præteritio ex eiusmodi causa, pœna est, vt ex se est manifestum & patet *ex auth. vt cum de appel. cogno. c. & hæ quidem exhæredationis*: reus autem, esto delictum cōmiserit, ob quod pœna est statuta, non tenetur illam subire quousque delictum sufficienter probetur & feratur sententia, potestque licitè se defendere in iudicio aduersus obiicientem delictum, nulla vtendo fraude, interim dum præcedente legitima probatione non est condemnatus.

Satisfit.

22

Testamentum ex quacunque causa nullum reddatur, etiamsi fit, quia hæres adire noluit hæreditatem, exhæredatio aut præteritio inserta causa, quæ in eo facta fit, redditur etiam eo ipso nulla, vt patet *ex l. si patronus. §. ex testam. ff. de bonis libertorum*, cuius hæc sunt verba. *Ex testamento autem à quo neque adita est hæreditas, neque petita bonorum possessio, liberis exhæredatio non nocet. Absurdum est n. in hoc valere tantum testamentum, vt exhæredatio vigeat, cum alias non valeat.* Idem constat *ex l. filium. vers. sed cum exhæredatio. ff. de bonorum pos. contra tabul. & ex lege secunda titulo septimo parte sexta, vbi Gregorius Lopez* propendet in regno Castellæ post *l. à ti. 4. li. 5. noua collect.* valere exhæredationem, esto hæres scriptus non adeat hæreditatem: sic. n. ea lex habet. *Y si el testador instituyere heredero enel testamento yel heredero no quisiere heredar, valga el testamento enlas mandas y enlas otras cosas, quaen el se contienen.* Quare exhæredatio etiam in eo scripta valebit. Eadem *l. 2. tit. 7. p. 6.* definitur, vt quis ob delictū possit exhæredari; necesse esse, vt sit cum minimum decem annorum cum dimidio. Vide etiam *l. 9. tit. 1. p. 7. & iura, quæ Gre. Lopez* ad id citat. Vbi in fœminis ait, satis esse ætatem nouē annorū cū dimidio: est. n. in eis mediū tēpus inter septenniū vsus rationis, & duodecimum pubertatis, sicut in masculis decimus annus cū dimidio est tēpus mediū inter idē septenniū, & decimū quartū pubertatis. Sēper tamē adpuniendū delictū carnis requiritur in fœminis & iuma sculis tempus pubertatis expletū: quoniā ante id tēpus impotentes iudicātur ad tale delictū patrādum.

Iua Castell.

Exhæredatio vt valida fit, exprimi debet, qui exhæredatur, nomine proprio, aut tali nota vt omnino intelligatur, quis sit, de quo testator loquitur.

Vt si v-

Vt si vnicum filium habeat, & dicat, exhæredo filium meum. Valet præterea, etiam si conuitij nota illum exprimat, dicens, non nominandum filium meum, aut alia simili vt patet. *l. 3. ff. de lib. & post. & l. 5. tit. 7. p. 6.* Item, vt valida sit exhæredatio, necesse est vt fiat pure, h. e. absque aliqua conditione, alioquin nulla erit, vt habetur. *l. 3. §. pure. ff. de liber. & post. l. si quis Sempronium, in fine. ff. de hær. inst. & l. 3. tit. 7. p. 6.* & affirmat *Emmanuel à Costa. §. & quid si tantum. p. 3. nu. 101.* Præterea, vt valida sit exhæredatio, necesse est, vt fiat in totum & nõ in partẽ. *l. cũ quidã. ff. de lib. & post. & l. 3. tit. 7. p. 6.* Potest tamen filio exhæredato relinqui legatum. Ab his tamen iuribus docent, exhæredationem fieri non posse in partem, excipiendã est, præterquam si quis instituat in minori portione quam sit legitima, subiungatque ingratitudinis causam, aut in reliquo non velit eum hæredem constituere, sed habere illum exhæredatum: talis namque institutio valet, & neque actio ad incrementum conceditur ita instituto, vt constat *ex l. omnimodo. C. de inoff. test.* quæ sane limitare, aut etiam corrigere videtur legem illam Digestorum.

23 Qui cum iuramento renunciasset successioni in bonis parentis in cuentibus, in quibus disput. 149. explicatum est, talem renunciationem validam esse, esto à tali parente præteriretur, dicere non posset testamentum nullum, in quo ita præteriretur. Ratio est, quoniam illi in eo euentu non deberetur legitima in bonis talis parentis. Ita cum *Bart. & alijs affirmat Ant. Gom. 1. tom. var. resol. c. 11. nu. 9. argumento tex. in l. cum quæritur. C. de inoffic. test.* aliorum iurium, quæ citat.

24 Dixi, in euentibus in quibus disp. 149 explicatum est validam esse talem renunciationem: quoniam, vt ibidem ostensum est, *in Con. Trid. sess. 25. cap. 16. de regularibus* annullata est omnis renunciatio, etiam iuramento confirmata, facta ab ingrediente religionem, nisi de licentia Episcopi aut eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem sta turumque est, vt non alias intelligatur sortiri effectũ nisi secuta professione. Idem ibid. censebamus de renunciationibus factis ante ingressum in nouitiatum, aut etiam in monasterium, dummodo fierent intuitu disponendi de bonis ob ingressum. In hoc etiam Lusitaniæ regno ibidem dicebamus, nullum esse contractum, obligationem, conuentionem, promissionem, remissionem, aut quemuis alium distractum verbo aut scripto factum ac iuramento confirmatum, nisi prius facultas à rege obtineretur confirmandi id iuramento. Eadem disp. ostendimus pactum patris cum filio aut filia, vt contenta sit tanta dote aut portione; & nihil amplius in suam legitimam petat aut accipiat, esse nullum ipso iure: & longè maiori cum ratione erit nullum pactum, vt nihil omnino de bonis parentis accipiat, vt patet *l. qui superstitis. ff. de acquir. hæred.* Licet autem id ita sit consensus tamen filij aut filiæ, dum parens testamentum conficit, vt ab eo prætereatur aut exhæradetur, validus est, ac proinde talis filius, aut filia prætérita, aut exhæredata dicere non poterit nullum testamentum, in quo ita prætereatur, aut agere aduersus illud querela inofficiosi testamenti, esto causa in testamento inseratur: insertio quippe causæ solum est necessaria quando filius inuitus exhæredatur aut præteritur. Ita communis sententia, quam referunt & sequuntur *Ant. Gom. 1. to. var. resol. c. 11. n. 14. & Iulius Clar. 3. sent. §. testamentum. q. 43.* Probatur *ex l. non potuit. §. si quis sua manu. ff. de bonorum possessi. contra tab.* cuius hæc sunt verba. *Si quis sua manu exhæredem se scripserit, Marcellus nocere ei hanc exhæredationem ait.* Item quia, vt mox ostendemus, si filius præteritus aut exhæredatus approbet tale testamentum post mortem patris, redditur valida præteritio aut exhæredatio: ergo idem erit si in ipsa testamenti confectione consentiat, renuncietque iuri suo. *Iulius Clarus quæstio. quadragesima tertia citata* existimat, hæc vera esse, siue filius aut filia consentiat dũ testamentum conficitur, siue ante illius confectionem: Ant. vero Gom. cum Ang. Baldo, Imola, & Curtio Iuniore solùm arbitratur esse vera, si renunciatio in ipsa testamenti confectione fiat, secus autem si fiat ante confectionem testamenti: quoniam id habet vim pacti de non succedendo parenti, quod est ipso iure nullum; estque renunciatio iuris de futuro, vt instituatur hæres, quæ inualida est: in ipsa vero confectione est renunciatio iuris de præsenti vt instituatur, quæ iuribus approbatur. Consonant *l. non potuit. §. si quis sua manu* quæ est fundamentum præcipuum communis opinionis, & alia iura quæ Ant. Gom. affert. Quare hæc sententia placet. Tres casus disputat Mol. *lib. de primog. c. 3.* præcedenti affines, in quibus valida est renunciatio partis legitimæ in bonum alicuius filiorum, accedenteque patris consensu, in quo vsque ad mortem pater perseueret, & quot periculis illos postea inualidandi subiaceant, explicat. Eisdemque periculis eadem ratione casus, qui à nobis proximè est explicatus, subiacebit. Molinam, si placet, legas. Vnus illorum trium casuum, in quo consentit *Ant. Gom. 1. to. var. resol. c. 11. num. 31.* est, si fratres inter se conueniant circa vinculum ac propter vinculum maioratus imminutione aut alio grauamine in suis legitimis, in quibus debent patri aut matri succedere, patre consentiente, perseueranteque in eo consensu vsque ad mortẽ: nam tunc valet pactum filiorum & conuentio. *argumento l. vltim. C. de pactis*: quæ licet loquatur solum de hæred. extraneis, vt tamen ibi notant Glossa & Doctores communiter, idem etiam est in fratribus.

25 Si quis post mortem eius, qui ipsum exhæredauit aut præteriuit, vel expresse consentiat in tali testamento, vel tacitè; vt si, cum ipsi in eo testamento reliquerit legatum, vel filio ipsius, aut mancipio, illud acciperet non protestando se ea de causa non cedere iuri suo, vel fuerit aduocatus aut procurator vt legatum aut aliquid aliud ex eo testamento quis consequatur, aut denique aliqua alia simili ratione tacite illud approbauerit, non conceditur illi amplius ius ad agendum aduersus tale testamentum tanquam nullum, aut ad intentandam querelam ad nersus illud. Ita habetur. *l. pen. §. vlt. l. vl. & l. si pars. §. vl. & l. nihil interest. ff. de inoffic. test. l. 6. iuncta l. 5. præcedente, tit. 8. part. 6.*

26 Tria obserua. Primum est, si minor, vel dum conficieb atur testamentum consensit in sui præteritione aut exhæredatione, vel post mortem patris tacitè vel expresse consensit, concedi illi, si notabiliter sit læsus, beneficium restitutionis in integrum vsque ad vigesimum nonum suæ ætatis annum.

27 Secundum est, si quis instituerus quidem sit, at in minori portione, quam sit integra sua legitima, tunc esto illam portionem petat & recipiat post mortem patris, imo esto chirographum det hæredib. se illam recepisse, neque quicquam protestetur, manere sibi ius vt petat incrementum, nisi specialiter dicat, aut pactus sit, se ea portione esse contentum. Ita habetur expresse. *l. si quando. §. & generaliter. C de inofficioso testam.* & cum Rodetico Xuares, & aliis quos refert, affirmant *Ant. Gom. 1. tom. var. resol. c. 11. num. 23. & Gregor. Lopez. ad l. 6. titu. 8. part. 6.* Quare in hoc euentu non sufficit consensus tacitus, sed necessarius est expressus, vel dum testamentum conficiebatur, vel post mortem testatoris.

28 Tertium est, si quis sine causa inserta esset præteritus aut exhæredatus, in eoque testamento instituti essent alij hæredes ab intestato, quorum interesset testamentum quoad hæredum institutionem esse nullũ, eo quod simul institutus esset aliquis extraneus, longeq; maiores portiones accepissent ab intestato, quam ex testamento; vtique tunc, quod talis filius præ-

us præteritus aut exhæredatus tacitè vel expressè post testatoris mortem testamentum illud approbaret, nihil omnino impediret, quo minus quiuis aliorum hæredum posset agere de nullitate. Ita habetur expressè. *l. si post mortem. §. vlt. ff. de bonor. poss. contra tab.* & affirmant Gloss. ibi Bart. & Doctores, quos *Ant. Gom. 1. to. var. resol. c. 11. nu. 6.* refert ac sequitur. Dixi, sine causa inserta: quia tandem odum si præteritus aut exhæredatus esset inserta causa, tunc quia testamentum non esset ipso iure nullum, sed solum filio ita præterito aut exhæredato concederetur querela ad illud annullandum nisi causa sufficiens probaretur; vtique si talis filius illud approbasset, reliqui hæredes improbare illud non possent, vt cum Francisco Curtio ibidem rectè Ant. Go. subiungit.

39 De iure ciuili, esto filius præteritus aut exhæredatus non inserta causa moreretur ante mortem patris, qui ita eum præteriit aut exhæredauit, testamentum ipso iure erat nullum. *l. si filius qui in potestate. ff. de liberis & posth.* cuius hæc sunt verba. *Si filius, qui in potestate est, præteritus sit, & viuo patre decedat, testamentum non valebit, nec superius rumpetur, & hoc iure vtimur.* Consentiunt Bart. & alij, quos *Ant. Gom. 1. to. var. resol. c. 11. n. 4.* refert ac sequitur. De iure tamen prætorio reconualescit ac valet morte talis filij, dummodo, qui ab intestato hæredes erant futuri instituti in eo testamento sint, conceditur que illis bonorum possessio secundum tabellas. Ita habetur. *l. posthumus præteritus, versiculo, idem & circa iuncta Gloss. ibi. ff. de iniusto rupto.* & affirmant Bar. & alij, quos *Ant. Gom. citato* refert ac sequitur.

39 Posthumus præteritus aut exhæredatus eo ipso, quod nascitur, reddit nullum testamentum, in quo præteritus est aut exhæredatus, & non antea. Quare si per abortum, aut alia ratione mortuus egrediatur vterum maternum, validum est testamentum. *l. posth. nato. C. de bonorum possess. contra tab. l. 1. & l. posthum. ff. de iniusto rupto. §. posthumi, vers. & in eo, inst. de exhæredat. liber. & l. 20. ti. 1. part. 6.* affirmatque communis opinio, quam *Ant. Gom. nu. 4. citato* refert & sequitur. De iure autem communi, vt nullum reddat testamentum patris, satis est si totus nascatur viuus, esto statim atque in terram, aut in manus obstetricis decidit moriatur, modo constet non esse monstrũ, quod rationali animo animatum non sit. *l. 1. & 2. C. de posthumis hered. instituend.* De iure vero Regni Castellæ *l. 13. Tauri*, necesse est, vt ab egressu ex vtero viuat viginti quatuor horarum spatio, & baptizetur, & tali tempore nascatur, vt habita ratione temporis conceptionis reputetur legitimus, posseque naturaliter viuere. Aduertendum est tamen, quod si posthumus viuente adhuc parte nascatur, licet reddat nullum testamentum, in quo est præteritus aut exhæredatus, si tamen viuente parte è vita discedat reconualescit ac validum iterum redditur tale testamentum, idque siue in eo hæredes sint instituti, qui futuri erãt ab intestato, siue extranei: cum enimà principio fuerit validum, facilius recuperat suas vires, quam si à principio fuisset nullum. Ita habetur *l. posthumus, in prin. ff. de iniusto rupto*, & affirmat. Bart. & communis Doctorum sententia, quam refert & sequitur *Ant. Gom. nu. 4. citato.*

31 Quando filius legitimè est præteritus aut exhæredatus, & tempore mortis testatoris viuit, tunc filij ipsius nullum ius habent ad bona aui, qui talem filium exhæredauit, neque auus tenebatur eos instituere hæredes in portione alioquin debita filio. Ita probat latè & docte *Ant. Gom. 1. tom. var. resol. c. 11. n. 21.* eum legito.

32 Quando testamentum est ipso iure nullum, quia filius suus non inserta legitima causa præteritus est aut exhæredatus, competit tali filio actio intra triginta annos à morte testatoris ad illud dicendum nullum, quo tempore elapso, intentare eam non potest aduersus hæredes in eo testamento institutos, Ita iuxta *l. licet. C. de iure deliberan.* & alia iura affirmat communis Doctorum sententia, quam referunt, & sequuntur *Ant. Gom. 1. to. var. resol. c. 11. n. 4. Iulius Clarus. §. testamentum, q. 40. & 42. & Couar. de testamentis, c. Raynutius, in prin. à n. 3.*

Eidem etiam filio competit remedium petitionis 33
bonorum possessionis contra tabulas, iuxta *l. posthumo nato. C. de bonorum possess. contra tabul. l. maximum vtium. §. sancimus. C. de liberis præterito. inst. de bonorum possess. §. sunt autem, & §. nouissime autem*, & alia iura, quæ *Ant. Gom. c. 11. n. 5.* citat. Licet autem eiusmodi remedium, quod est de iure prætorio, vt inst. de bonorum possessione per totum patet, filiis & parentibus durer solum per annum. *l. 1. §. largius. ff. de iniudicio edicto. inst. de bonorum possess. §. cum igitur.* & affirmat *Couar. c. Raynutius in prin. n. 5.* aliis vero spatio centum dierum. *l. 2. C. qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & institut. de bonorum possess. §. cum igitur:* habet tamen hoc emolumentum, quod eiusmodi tempus computatur à tempore scientiæ, vt patet. *l. 2. proxime citata*, & affirmat *Glos. inst. de bonorum possess. §. vl. in verb. dies vtiles*: illud vero aliud iuris ciuilis currit etiam ignoranti. Ita. *Ant. Gom. nu. 5. citato.*

Quando vero filius suus inserta legitima causa 34
præteritus aut exhæredatus est, atque adeo testamentum non est ipso iure nullum, sed venit annullandum per querelam inofficiosi testamenti, tunc solum competit tali filio actio, ad eam querelam intentandam quinquennio, non à morte testatoris, sed à puncto aditæ hæreditatis computando: eo autem quinquennio elapso, non potest vlterius eam intentare. *leg. si quis filium, in fine, iuncta lege scimus. §. illud præterea. Cod. de inofficioso testamento, lege secunda Cod. quibus causis in integrum restitutio necessaria non sit. & lege quarta titulo octauo parte sexta.* affirmatque communis sententia, quam referunt & sequuntur *Antonius Gomezius capit. vndecimo citato, numero quarto, decimosexto & decimooctauo. Couarruuias & Iulius Clarus locis citatis.* Si tamen filius ita exhæredatus minor fit vigintiquinque annis, quinquennium non computatur nisi à vigesimo quinto anno suæ ætatis postquam desinit esse minor. Quare tunc non indiget beneficio restitutionis in integrum. Ita habetur expressè, *lege secunda Cod. quibus causis in integrum restitutio necessaria non sit, & lege quarta tit. 8. p. 6.*

Vtrum vero hęc eadem similiter habeant locum 35
quando filius emancipatus præteritus est aut exhęredatus. Communis sententia cum Bart. quam referunt & sequuntur *Couar. c. Raynutius, in prin. n. 3. Iulius Clarus §. testamentum. q. 42. & Ant. Gom. 1. tom. var. resol. c. 11. n. 45.* est, quod si filius emancipatus præteritus sit, nulla inserta præteritionis causa, sit ipso iure nullum testamentum, atque adeo competat ei actio intra triginta annos sicut filio suo. Ratio est, quoniam authenticum, vt cum de appellatione cognoscitur, vniuersim loquitur, etiam in filiis emancipatis, & in filiis comparatione matris, redditque tale testamentum ipso iure nullum. Idem dicunt esse, si pater exhęredet filium emancipatum, non inserta legitima causa: quia similiter aurhenticum, vt cum de appellatione cognoscitur, redditur tale testamentum nullum, etiam comparatione filij emancipati. De hac re loquitur *Iulius Clarus. §. testamentum quæst 40.*

Quando vero filius emancipatus præteritus est in 36
serta legitima causa, si dicatur id nõ equipollere exhęredationi appositæ legitimæ causæ, vt multi affirmant, ait *Couar. loco citato*, cum communiori sententia cuiusdam Glos. Bar. & plurium aliorum, tali filio ita præterito nullũ aliud remediũ cõperire, quã petitio nis possessionis bonorũ contra tabulas: quod remedium durat solum per annum, vt dictũ est, & de iure prætorio tam liberis suis, quam emancipatis cõcedi tur. *§. eadẽ hæc, inst. de hæreditatib. quæ ab intest. deferuntur, l. 3.*

tur. l. 1. & sequentibus. ff. & Cod. de bonorum possessione contra tab. & hanc sententiam amplectuntur *solus Clarus, quæst. 42. citata*, Emmanuel à Costa. §. *& quid si tantum, part. 3. à num. 169.* Si vero, inquit Couar. *dicatur præteritionem inserta legitima causa æquipollere exhæredationi, tuncidem dicendum est de filio emancipato præterito inserta legitima causa, quod de eodem exhæredato inserta legitima causa.* Cum vero nos supra satis efficaciter ostenderimus, de iure authenticorum eandem vim habere præteritionē inserta legitima causa, quam habet exhæredatio, in qua legitima causa inserta sit, proculdubio hoc vltimum est amplectendum post authenticorum iura.

37 *Cou. loco citato* & plurimi alij, quos tam ipse, quam *Anton. Gom. cap. 11. citato num. 34.* referunt, & affirmant, hodie filio emancipato exhæredato inserta legitima causa competere querelam inofficiosi testamenti, quæ non minori tempore, quam quinquennio, præscribitur: attamen talem filium teneri prius intra annum petere bonorum possessionē gratia litis agnoscendæ, quam vocant, & postea admitti ad querelam, iuxta *l. Papinianus. §. 1. iuncta Gloss. ibi. & l. posth. §. vlt. ff. de inoff. testa. & l. 2. C. eodem titu.* Cum enim querela sit de iure ciuili, & filio emancipato de iure ciuili nihil esset debitum in bonis patris, sed solum de iure prætorio, præcipiebatur prius vti aliquo modo remedio prætorio petendo bonorum possessionem contra tabulas quoad rem aliquam, vt, ea præparatione facta, ad querelam admitteretur. Atque hoc dicunt plurimi necessarium esse etiam hodie. Vtinam autem inter Christianos tot subtilitates, regulæ, ambages, ac tricæ in quam plurimis rebus abscinderentur, quæ ab ethnicis iurisconsultis excogitatæ atque iuuentæ sunt, litibusque Respublicas repletas, infectumque ius ciuile habent, adeo vt difficile admodum, & post longissimum tempus à paucis possit intelligi, & multo minus memoria retineri.

38 *Ant. Gom. n. citato* censet, hodie, post iura authenticorum, eodem modo competere querelam inofficiosi testamenti filio emancipato exhæredato inserta legitima causa, atque filio suo, neque necessariam illam bonorum possessionem gratia litis præparandæ, in eademque sententia videtur esse *Iulius Clarus, §. testamentum, q. 40.* Ratio Ant. Gom. est, quoniam iura authenticorum citata de liberis vniuersim, & de ascendentibus eodem modo loquuntur, suntque ciuilia, & non prætoria iura, vt constat *inst. de bonorum possessione, §. notissime autem*, atque ob alias rationes, quas poteris apud eum legere. Consonant satis ord. huius Lusitaniæ Regni, *lib. 4. tit. 7. & l. 10. tit. 6. & l. 4. titul. 8. part. 6. legum Castellæ*, quæ de filiis vniuersim hac de re loquuntur. Præsertim cum in his Regnis eodem modo succedant parentibus filij emancipati, ac sui, seu qui in potestate patris erant tempore mortis illius. Neque à sententia Anton. Gomez. recedendum censeo.

Modos, quibus filius præteritus aut exhæredatus non inserta legitima causa, intentare possit ius dicendi nullum testamentum: modos item quibus, quando inserta est legitima causa, intentare possit querelam inofficiosi testamenti, & aduersus quos fit intentanda, & vtrum ius vtrunque nondum intentatum transmittatur ad hæredes, lege apud *Ant. Gom. c. 11. citato, n. 7. 8. 15. 17. & 20.*

SVMMA RIVM.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Referuntur vndecim descendentes causæ, ob quas ascendentibus licet exhæredare suos.*

12 *Præsumendi sunt parentes semper velle maritum & dotem secundum vires suæ substantiæ filiæ dare, cum contrarium aliunde non constat.*

13 *Quid exigat ius commune vt filia exhæredetur.*

14 *De iure communi, esto filia inuitis parentibus ante 25. annum cui valet, nubat, modo ille non sit mancipium non potest ea de causa exhæredari.*

15 *Pater luxurioſe viuens potest exhæredare filiam luxurioſe etiam viuentem ante 25. annum expletum.*

16 *Quid, quando quis in Castella contrahit matrimonium cum aliqua, quod Ecclesia clandestinum iudicat.*

17 *An hæc lex hodie locum habeat.*

18 *Quid sanctum sit in regno Castellæ de famulo contrahente sponsalia vel matrimonium, durante tempore famulatus cum filia eius, cuius est famulus, sine heri consensu.*

19 *Quid de filia ante 25. suæ ætatis annum fornicante, cum aliquo, aut nubente sine consensu patris aut matris, ius Lusitanum statuat.*

20 *Filij, qui exhæredationis pœnam incurrerunt, non tenentur abstinere à bonis paternis, antequam ab ipsis exhæredentur, aut sententia exhæredationis in eos feratur.*

21 *An leges, quatenus exhæredant filios contrahentes sine facultate parentum, aut etiam contra ipsorum rationabilem voluntatem, iustæ ac validæ sint.*

22 *Respondetur ad dubium propositum.*

23 *Dicta tribus rationibus suadentur. num. 24. 25.*

26 *Contraria sententia probatur.*

27 *Respondetur ad tria argumenta proposita. Vsque ad 30.*

31 *Referuntur reliquæ exhæredationis descendentium causæ. Vsque ad num. 33.*

34 *Proponuntur octo exhæredationis ascendentium causæ. Vsque ad num. 41.*

42 *Hæc habent locum in quocumque descendentium comparatione ascendentium, siue mares sint siue fœminæ.*

43 *Ex quibus causis fas est exhæredare, licitum quoque est, alimenta denegare, & dotem filiæ, quæ licite potest exhæredari.*

44 *Vtrum, quando pater exhæredare non potuit filium, aut filius patrem, vt quia pater subito interfectus est à filio, & tempus non habuit ad eum exhæredandum, fas sit hæredibus eam causam obijcere filio post mortem patris, eaque probata, auferre ab illo hæreditatem, eique alimenta denegare.*

45 *An de iure communi ex aliis causis ab illis supra commemoratis, possit filius à patre exhæredari.*

46. *Probatur contraria quorundam sententia.*

47 *Responsio ad superiora.*

48 *Authoris sententia refertur, quæ quintuplici ratione confirmatur vsque ad num. 52.*

53 *Obiectio in contrarium.*

54 *Vtrum, si pater filium in suo testamento inserta legitima causa exhæredauit, & postea eundem in suam recepit amicitiam, censeatur exhæredatio reuocata.*

55 *Quando pater legitimè filium in testamento exhæredauit & post illud confectum eum in suam recepit amicitiam, testamentoque minime reuocato, pater è vita discessit, an censeatur abolita præcedens illa exhæredationis causa, filiusque, propter illam, quondam legitime exhæredatus, succedere debeat patri.*

56 *Deciditur dubium propositum.*

57 *Vtrum, si filius exhæredari dignus, agat ante mortem patris pœnitentiam, ac ad meliorem frugem se recipiat, tollatur ingratitudo, posseque opponere hæredi scripto eiusmodi pœnitentiam, vt ad paternam admittatur hæreditatem.*

58 *Vtrum per professionem emissam à filio ante mortem patris, tollatur omnis præterita ingratitudo, ita vt exhæredari iam non possit, aut si ante professionem patris testamēto erat exhæredatus, inualida talis exhæredatio reddatur.*

59 *Refertur quorundam sententia.*

DE CAV-

DE CAVSIS, OB QVAS FAS EST exhæredare, vel descendentes, vel ascendentes.

DISPVTATIO. 170.

1 IN *auth. vt cum de appel. cogno. §. causas autem*, sequentes causæ traduntur, ob quas fas est ascendentes exhæredare suos descendentes. Eædem traduntur, *l. 4. & dua b. sequen. tit. 7. p. 8.*

Prima exhæredationis descendentium causa.

Prima est, si quis in parentes manus iniecerit. Quod intelligendum est, cum lethali culpa. Si namque in patriæ defensionem, aut etiam legitimam sui ipsius, vel alterius proximi, id faceret, exhæredari ea de causa non posset. Lege si placet, *Cou. c. Raynutius, n. 9.* De hac re disponitur etiam *lib. 4. ord. huius regni Lusitaniæ, tit. 72. §. 4.* Iniectionem vero manuum eodem modo intelligas, quo earundem iniectione in sacerdotem quoad incurrendam excommunicationem. Satis enim est parentem lapide, aut quauis alia re iniurioſe atringere.

2 *Secunda.* Secunda, si grauem & inhonestam iniuriam eis ingesserit: Vt si grauem ac fœdam contumeliam eis dixerit. Arbitrio autem iudicis relinquitur iudicandum, quæ grauis atque inhonesta iniuria censenda sit, attentis qualitatibus parentum ac talis liberi, loci ac reliquarum circunstantiarum concurrentium. Ita *4. lib. ord. tit. 72. §. 5.*

3 *Tertia.* Tertia, si eos in criminalibus causis accusauerit, quæ non sunt aduersus principem aut Rempublicam. Nam si aduersus principem aut Rempublicam sint, nequit ea de causa exhæredari: ac proinde neq; exhæredari potest, quod accuser de crimine hæreseos, quod est contra maiestatem diuinam Rempublicamque Ecclesiæ. Lex *4. tit. 7. part. 6.* ait, causam talem esse debere, vt parens morte plectendus sit, aut exilio perpetuo, aut vnde infamia notabilis parenti sequeretur. *Greg. Lopez, ibidem, & Cou. c. Raynutius, in princ. nu. 11.* efficaciter ostendunt; idem esse, si puniendus sit membri amissione. Addit Cou. idem esse, si talis filius, non coactus, testis sit in eadem causa, aut aduocatus, vel procurator aduersus parentem, vel delator criminis.

4 *Quarta.* Quarta, si cum maleficis hominibus, vt maleficus versatur. Hæc verba vtrunque coniunctim exigũt, nempe, vt cum maleficis versetur, & maleficus sit, idemque habent *ord. huius regni. ti. 27. §. 4.* Lex tamẽ *4. tit. 7. part. 6.* vtrumuis sufficere statuit. Referente *Cou. loco citato, nu. 12.* Carolus Molin. nomine maleficorum, non quoscunque veneficos, sed quos incantatores vocant, intelligit. Lex tamen *4. citata* tam incantatores, quam quoscunq; alios veneficos exhæredari posse affirmat, verbumque græcum, quod *in auth. vt cum de appel. cognoſ.* habetur, vtrosque comprehendit; quod etiam *Cou. loco citato* affirmat.

5 *Quinta.* Quinta, si vitæ parentum suorum per venenum, aut quouis alio modo insidiari tentauerit. Quare hac in re attentatio puniturpœna exhæredationis, etiamsi nullus alius sequatur effectus. Vultque *Cou. loco citato n. 13.* emere solũ, aut parare ad id venenũ, si detegatur, puniri ea pœna. Arbitratur tamen, si filius antequam res detegeretur, pœnitentia ductus destitisset, non habere locum pœnam: quia, inquit, lex nõ excludit eam pœnitentiam. Consentiunt ordinationes huius regni, *tit. 72. citat. §. 8.* quæ sita habet. *Ité se o ficho, ou filho der peçonha ao pay, ou may, ou tratar de lhadar, e naon estiue por elle como lhe seia dada, ou der azo, favor, ou conselho, ou cõsentimẽto a algũ outro acinta mẽte pera lhadar.* Ecce dum dixit, *ou tratar delhadar*, adiecit, *e naon estiuer por elle como lhe seia dada*, quasi si pœnitentia ductus destiterit antequam detegatur, locum non habeat pœnitẽtia. Addidit Ordinatio, ad incurrendam pœnam satis esse præbere fauorem, consilium, aut consensum, vt venenum parẽti porrigatur. Hæc autem verba adduntur, *§. 9. sequenti.* Item *sobuscar por qualquier outra guisa, ou maneira, por si, ou por outrem sua morte.*

6 *Sexta.* Sexta, si nouercæ suæ, aut concubinæ patris, filius sese immiscuerit. *Cou. loco citato n. 14.* id intelligit, de concubina vnica & domi retenta, more legum ciuilium. Et idem expresse disponunt ordinationes huius regni, *ti. citat. §. 10.* Merito addit Cou. si filius cum ignorantia, quod esset vxor patris, aut concubina, rẽ cum illa habuisset, non incurrere hanc pœnam, quę statuta est solum propter circunstantiam illã, quod sit vxor, aut concubina patris: vt enim ignorãtia excusaret tunc à culpa, quam circunstantia illa addit, ita etiam excusaret à pœna, quæ ob solam culpam ex ea circunstantia profectam, statuta est, vt 12. dum de ignorãtia esset sermo, dictum est. Ordinationes huius regni. §. citato idem, quod de filio, disponunt de filia, quæ cum marito matris, aut cum eo, cuius mater esset concubina domi retenta rem haberet.

7 *Septima.* Septima, si delator cõtra parentes exiterit, & per suam delationem grauia eos dispendia fecerit sustinere. Sermo est de delatione in iudicio, vt verba aperte innuunt, & disponunt *Ordinationes huius Regni, tit. 72. citat. §. 11.* Lex tamen *4. tit. 7. par. 6.* etiam de delatione, infamatione ve extra iudicium loquitur. Couar. loco citato exponit, de dispẽdio in patrimonio. Merito tamen Ordinationes huius Regni statuunt de dispendio in honore aut in bonis temporalibus, quæ omnia, verbum illud, grauia dispendia, comprehendit. De dispendio aute in bonis corporis (exilium perpetuum in eis computando) in tertia causa dictum est. Quę autem grauia dispendia censenda sint arbitrio prudentis relinquitur iudicandum, vt Cou. rectè ait. Porro vt hęc pena incurratur, necesse est, vt parẽtes grauia dispendia propter delationem filij reipsa sustineãt, vt ex verbis legis est manifestũ.

8 *Octaua.* Octaua. Si quemlibet de parẽtibus inclusum esse contigerit, & liberi periti, seu requisiti ab eo, velvnus exhis, in sua eum noluerit fideiussione suscipere, vel pro persona, vel pro debito, in quantum, qui petitur probatur esse idoneus. Hoc tamen ad mascules tãtummodo liberos volumus pertinere. Hæc habentur in authentico citato. Ex his autem verbis cõstat, vt exhæredationis pœna ob hanc causam incurratur, necesse esse, vt parentum aliquis in vinculis detineatur, vel ob debitum, vel alia de causa (quamuis *ordinationes huius Regni loco citato*, §. 12. de solo debito loquantur) & vt filius vel filij, requisiti à tali parente vt pro debito aut persona ipsius fideiussores sint, vt à vinculis eruatur, id nõ velint efficere, cum tamen possint, idoneique ad id sint. Præterea hanc pœnam solum incurrere liberos mascul̃os, non vero fœminas, esto renunciato priuilegio Velleiano fideiussores esse possent: quoniã merito ius noluit eas adid astringere, eo quod cõiugatæ esse poterãt, & vniuersim minus idoneæ sint ad seipsas defendendum aduersus creditores.

9 *Nona.* Nona. Si liberorum aliquis prohibuerit aliquem suorum parentum condere testamentũ, & talis parens post eam prohibitionem condere potuerit testamẽtum, potest tunc illum ea de causa exhæredare. Quod si propter eam prohibitionem sine testamento discesserit, aut præcedẽs testamentũ, vt volebat, nõ mutauit aut reuocauit, tũc, qui ita impedimẽto fuit, amittit fisco, quod ipsi de bonis testatoris obuenire debebat. Comparatione tamen lęsi, qui aliquin hæres erat instituendus, aut cui legatũ erat relinquendũ, punitur pœna dupli, vt constat *ex auth. vt nulli iudicum. §. & hoc peruenit, & ex l. 29. tit. 1. par. 6.* Quod si soluendo non sit, tunc de bonis testatoris tradi cuique debent, quæ ei testator relinquere volebat, & prohibitus fuit. Porro prohibere testariquis dicitur, etiamsi id efficiat impediendo tabellionem, aut testes ne accedant ad testamẽtum conficiendũ.

Hæc omnia patent *ex authentico, vt cum de appel. cogn. §. causas, iuncta Gloss. ibi. in verbo, leges, & iuxta l. 1. & 2. ff. si quis aliquem testari prohibuerit, & l. 1. & 2. C. eodem tit. ex 4. lib. ord. huius Regni, tit. 73. §. 13. ex l. 4. tit. 7. p. 6. & l. 26. cum tribus seqq. tit. 1. p. 6.*

10 *Decima.* Decima, sipræter (hoc est contra) voluntatem parentum inter arenarios, vel mimos sese filius sociauerit, & in hac professione permanserit: nisi quando parentes eiusdem essent professionis. Ita habetur §. *causas, citat. & l. 5. tit. 7. p. 6.* Sed hæc intelligenda sunt de iis qui pretio, atque ex officio mimi sunt, aut se ad gladiandum aut pugnandum cum bestiis conducunt: quare hodie vix locum habent, atque idcirco in ordinationibus huius Regni inter causas exhæredationis non commemorantur.

11 Vndecima. Si alicui ex parentibus volenti suæ filiæ, vel nepti, maritum dare, & dotem secundum vires substantiæ suæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit. Additur tamen; si vero vsque ad viginti quinque annorum ætatem peruenerit filia, & parentes distulerint eam marito copulare, & forsitan ex hoc contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine consensu parentum marito se, libero tamen, coniungere; hoc ad ingratitudinem filiæ nolumus imputari; quia nō sua culpa, sed parētum id commissum cognoscitur. Hæc *in auth. vt cum de appel. cogno. § causas.*

12 Circa hanc vndecimam causam inprimis obserua, semper parentes præsumendos esse velle maritum & dotem secundum vires suæ substantiæ filiæ aut nepti dare, quando contrarium aliunde non cōstat: idque colligitur aperte ex verbis illis, quæ subiungūntur; si vero vsque ad viginti quinque annorum ætatem peruenerit filia, & parentes distulerint eam marito copulare.

13 Obserua deinde, de iure communi, vt filia exhæredari possit, nō satis esse si semel, aut bis furtim copiam sui faciat. *Lex Castella, 5. tit. 7. p. 6.* quasi authenticum relatum explicans, aperte videtur exigere, vt illam luxuriosam vitam eligat in lupanari. Tametsi Greg. Lopez ibidem id ad sensum à nobis traditum pertrahere conetur, esto illa non commoretur in lupanari.

14 Obserua tertio de iure communi, esto filia inuitis parentibus ante 25. annum, cui vult, nubat, modo ille mancipium non fit, non posse ea de causa exhæredari, nec̄ enim est verbum vllum, vnde ex authentico relato id colligatur: contrariumque affirmat *Glo. Accursii ibidem, & in auth. sed si post. C. de inoffic. te.* vnde idem etiam aperte confirmatur. Idem asserūt *Sot. in 4. dist. 29. q. 1. art. 4. ad 4. Pan.* & communior Doctorum sententia quā *Iul. Clarus, § testamentum, q. 41.* refert ac sequitur. Sicut autem postquam ad vigesimum quintum annum peruenit, si cum mancipio contrahat, exhæredari potest: ita longe maiori cum ratione poterit exhæredari, si ante vigesimum quintum annum idem, inuitis parentibus, efficiat.

15 *Cou. c. Raynutius, in pr. n. 15,* cum Bart. & aliis, quos citat, ait. *Esto pater luxuriosè viuat, posse exhæredare filiam luxuriosè etiam viuentem ante 25. annum expletum: quia vita luxuriosa, quoad honorem, & damna, quæ inde sequuntur, non adeo vituperatur in viris, sicut in fœmine. Matrem vero luxuriosè viuentem non posse filiam ea de causa exhæredare.* Consonat *Glos. iuncto textu in authen. vt cum de appellat. cognosc. §. causas, verbo professionis.*

16 Hodie in Regno Castellæ, *l. 49. Tauri,* quæ est 1. *tit. 1. li. 5. noua collect. à Philippo II. confirmata,* sancitum est, vt qui contraxerit cum aliqua matrimonium, quod Ecclesia clandestinum iudicet, eo ipso tam ipse quam testes, & quicunque alii in eo matrimonio interuenerint, incurrant pœnam amissionis omnium suorum bonorum fisco regis, & exilii perpetui à regno, cum pœna capitis, si tale exilium fue-

Lex Cast.

A rint transgressi. Item vt hæc legitima causa sit, vtram pater quam mater exhæredare possint, non solum filias sed & filios, qui ita clandestinè contraxerint. Verum tamen vt nullus alius ita delinquentes possit accusare, nisi pater filij, aut filiæ eo pacto contrahentium, aut mater defuncto patre. Quo loco obserua, legem Tauri non habere, quod parentes ea de causa possint exhæredare etiam filios, sed id additum esse ea Rege Philippo, qui eandem legem confirmauit. *Sotus in 4. d. 28. q. 1. art. 4. ad 4. & Cou. in Epit. p. 2. c. 6. in init. n. 22.* referunt. Carolum V. *l. 41.* in Pincianis comitiis edita, eam extendisse ad filiam maiorem 25. annis, quæ tamen nouercam non haberet. In postrema tamen edit. Cou. dum e am Caroli V. legem refert, inseruit hæc verba, *vt quidam, quorum opinio satis dubia est & incerta, opinantur.* Nescio tamen quid his

B verbis sibi voluerit. Neque credo legem Tauri, præsertim vt aucta fuit in noua collectione, ea extensione eguisse; cum vniuersim de contrahentib. clandestinè loquatur, & ad filios etiam se extendat. Quin potius illud fuit limitatio, quod non se extendat ad filiam 25. annum excedentem, si nouercam habuerit. Imo vero cum hodie in Regno Castellæ reuocatæ sint eiusmodi omnes comitiorū leges, quę in noua collectione non continentur, vt ex proœmio nouæ collectionis constat, eiusmodi limitatio non videtur locum habere.

Obserua, hodie eiusmodi legem nullum fere lo- 17
cum habere posse. *Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de reform.* vbi irrita facta sunt matrimonia omnia, quæ non fuerint celebrata coram parocho, aut alio sacerdote de licentia parochi aut ordinarij, & duobus aut tri-

C bus testibus: quæ autem eo pacto celebrantur, non clandestina, sed in Ecclesiæ facie celebrata censentur, ac proinde in eis locum non habent pœnæ lege Tauri statutæ.

In eodem Castellæ Regno, *l. 2. tit. 1. lib. 5. nouæ col-* 18
lect. ab Alphonso Rege sancitum est, vt famulus quicunque, qui durante tempore famulatus, sponsali a vel matrimonium contraxerit cum filia eius, cuius est famulus, aut cum propinqua, quæ in heri domo habitet, sine heri consensu, exulet à Regno in perpetuum, capiteque plectatur, nisi exilium seruauerit. Item vt quæ ita sponsalia aut matrimonium contraxerit, exhæredetur, bonaque illius ad propinquiores consanguineos deueniant. Item vtram pater, quā

D matereius, quę ita contraxerit, vel herus, aut hera talis famuli possint delictum accusare, atque exigere, vt eiusmodi pœnæ executioni mandentur, & hisnō accusantibus, consanguinei vsquè ad tertium gradū eius, quæ ita contraxerit, possint idem delictum accusare; dummodo tamen pater aut mater eius, quæ ita contraxerit, aut herus famuli, veniam delicti tali fœminę non concedant: nam tunc consanguineinō possent eam accusare. Credo autem exhęredationis pœnam, hoc est, vt expers sit hęreditatis paternę ac maternę, bonaque illius applicentur consanguineis propinquioribus, à iudice loci imponendam esse fęminę, quę cum famulo contraxit.

De iure huius Lusitan. regni, si filia ante 25. suæ ætatis annū fornicetur cū aliquo, aut nubat sine consensu patris aut matris ipso facto exhęredata ac ex- 19
cluſa manet ab omnibus bonis patris, aut matris

E (quod ob id sub diſiūctione dictū arbitror, quoniā si mortuus alter iā erat tępore delicti, à bonis solūsit perstitis excludetur) habetq̄ hęc pœna locum esto à parētibus nō exhęredetur. Quod si tępore mortis tā lis patris aut matris superstites sint alij eorū filij illegitimi aut filię, qui simile crimē non cōmiserint, vel nepotes legitimi ex eiusmodi filiis aut filiabus, tunc absq̄ eorū cōsensu, nō poterūt parētes hęredē instituere in legitima, alioquin illi debita, filiā, quę ita fornicata est, vel sine facultate parētū nupsit. Quādo aūt nulli superstites sūt eiusmodi filij vel nepotes possūt

paren-

parentes eam hæredem instituere in quanta suorum bonorum parte voluerint. Quod si prædicta filia notorie melius ac honorabilius nupsisset, quam à parentibus fuerat maritanda, tunc parentes solum exhæredare eam possunt in medietate legitimæ, quam per mortem cuiusq; eorum erat habitura. Si autem expresse illam in ea medietate non exhæredent, obtinebit integram legitimã, esto superstites sint alij filij aut nepotes legitimi ex eodem patre ac matre. Hæc omnia habentur *lib. 4. ordin. tit. 72. in pr. & §. 1. & 2.* Quo fit, vt de iure huius regni nulla eiusmodi pœna masculis statuta sit, si vxores ducant in uitis parentibus. Neq; fœminis, si post 25. suæ ætatis annum, vel fornicentur, vel matrimonium inuitis parentibus contrahant.

20 Illud vniuersim circa prædictas omnes leges, tam iuris communis, quam huius, & Castellæ regni, obseruandum est, quod cum omnes pœnales sint, filij aut filiæ, quæ exhæredationis pœnam incurrerint, non tenentur abstinere à bonis parentum, antequã vel ab ipsis exhæredentur, vel sententia exhæredationis in eos feratur, sed nihil impediente delicto ab ipsis commisso, & quod lex statuat, vt ipso facto aut iure, qui illud commiserit; sit exhæredatus, possunt portionem legitimam accipere & exigere, partitionemque bonorum cum cæteris fratribus aut cohæredib. facere. Ratio est, quoniã nullus tenetur subire pœnam ante latam sententiam, & multo minus illam exequi aduersum semetipsum.

21 *Quæstio.* Dubium circa eãdem leges est, an, quatenus exhæredat filios vel filias contrahentes sine facultate parentum, aut etiam contra ipsorum rationabilem voluntatem, iustæ ac proinde licita & valida sit talis exhæredatio, præcedente tali delicto filij aut filiæ.

22 *Communior opinio* Communior sententia Panormitani, & complurium aliorum, quos *Couar. 2. p. Epit. c. 3. §. 8. nu. 5.* refert ac sequitur, est. Quando modus contrahendi matrimonium non est ab Ecclesia prohibitus, nempe quando filij contrahunt in facie Ecclesiæ, neq; licite, neq; valide, posse exhæredari, esto ante 25. suæ ætatis annum contra voluntatem parentum cum indigno, longeque inferiori se contrahant, ac peccent propter inobedientiam, inordinationem odia, scandala, & alia mala, quæ inde nata sunt sequi. Quando tamen modus contrahendi est ab Ecclesia prohibitus, vt est clandestine contrahere, ait idem *Couar. in eadem 2. part. Epit. ca. 6. in pr. à n. 17.* cum aliis, quos refert, fas esse principibus secularibus, quasi ad iuuandã prohibitionem Ecclesiæ, prohibere eiusmodi matrimonium sub nouis pœnis, moderaris tamen: possequ inter eas statuere filiæ, vel etiam filio, qui ita contraxerit, pœnam exhæredationis. Huius opinionis fuisse videntur ij, quorum consilio lex Tauri 49 sancita est quæ pœnas solum statuit quando matrimonium à filia sine facultate parẽtum contractum clandestinum Ecclesiæ iudicio fuerit reputatum. *Nauar. in manual. cap. 14. n. 15. & Iulius Clarus. § testam. q. 4. & multi alii ex eis,* quos Couarruuias refert, indistincte negant licite posse filiã ea de causa exhæredari, quod contra voluntatem patris, parati tribuere illi condignum maritum, nubet indigno, longeq; inferiori se, esto talis filia lethaliter peccet non parendo ea in re patri. In eadem sententia est *Ledesmius, 2. 4. q. 49. art. 6. qui leg. 49. Tauri* damnat. atque pœnam illius vim non habere, nisi prius à summo Pontifice approbetur.

23 *Suadetur primo.* Possunt vero hæc omnia suaderi. Primo, quoniam postquam filia ad pubertatis annos peruenit; eligit q; contrahere cum viro indigno: Ecclesia non solum permittit, sed etiam adiuuat & defendit, vt, parentibus etiam inuitis, in ipsius facie contrahat, idque propterea quod iuris sui sit ad id faciendum, per accidens que, vtendo ira iure suo, male faciat ac peccet non parendo patri, se seque ita turpiter abijciendo: ergo propterea quod ita permittente, adiuuante, ac defendente Ecclesia, in facie ipsius contrahat, neque pater, neque secularis Respublica poteſt eam punire, præsertim pœna adeo acerba, ac est exhæredatio.

Secundo, matrimonia liberta esse debent, eaque de causa pœna in eis locum non habet, *ca. Gemma. de sponsalibus*: ergo filia, quę ante vigesimum suæ ætatis annum sine facultate parentum, aut etiam illis inuitis, matrimonium contrahit, nec licite nec valide potest exhæredationis pœna puniri: ea quippe pœna retrahentur maxime à contrahendo eo pacto matrimonio, atque adeo libertas, vt nuberet, cui vellet, ab ea auferretur. 24 *Secundo.*

Tertio, causæ matrimoniales, non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos iudices spectant, vt præter alia iura, *in Concil. Trid. sess. 24. canon. 12.* sub anathemate est definitum. Insuper *in eadem sess. c. 9. de reformat.* principes seculares sub anathematis pœna ipso facto incurrenda præcipiuntur, ne quouis modo directe, vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant: ergo illicitæ ac nullæ sunt leges, quibus statuunt, vt parentes exhæredare possint filias, si ante vigesimum quintum suæ ætatis annum sine ipsorum facultate contrahant: quippe quæ libertatem nubendi, cui velint, ab eis auferant. 25 *Tertio.*

Contrariam sententiam, præter quosdam quos *Couar. locis citatis* & alij referunt, sequuntur *Domin. à Soto in 4. dist. 29. q. 1. art. 4. ad 4. Ant. Gom. ad l. 49. Tauri. Menchaca lib. 1. de succession. §. 10. à n. 625. vsque ad 647. & Couar. 2. par. Epit. c. 6. in pr. à n. 17.* quæ nobis probatur. Ducor potissimum, quoniam licet matrimoniales causæ ad Ecclesiasticas, & non ad laicas potestates pertineant: eo quod matrimonium sit sacramentum: nihilominus quia ratio sacramenti fundatur in contractu mere naturali, quem personæ ad Rempublicam secularem pertinentes inter se celebrant, atque in modo contrahendi interuenire possunt abusus & delicta, quæ secularem Rempublicam denigrent ac perturbent: vtique ad eam spectat hos abusus & delicta, quatenus in ipsius præiudicium cedunt, prohibere, certisque statutis pœnis illa punire: hac quippe ratione mixti fori est delictum, quo, viuente altero coniuge, transit quis ad secundas nuptias. Et quamuis Ecclesia prohibere Reipublicæ seculari possit, ne quid circa matrimonij contractum statuat, quod sacramento præiudicium afferat, libertatemque, qualem spiritualis Ecclesiæ, salutisque animarum bonum postulat, in contrahendo impediat, cassareque possit statuta & pœnas, si quæ in præiudicium eiusmodi spiritualis boni sanciuerit: certe, quando ex vna parte statuta & pœnæ nullum, vel matrimonio quatenus sacramentum est, vel spirituali contrahentium bono præiudiciũ afferunt, ex alia vero abusus secularẽ Rempublicã fœdantes ac perturbantes impediunt, conducuntque ad spirituale simul atque temporale eorum, quibus statuuntur bonum, vt pœnæ timore contineantur, ne cum peccato inobedientes parentibus sint, & tam eos, quam alios consanguineos inhonorent, periculisque seditionum, odiorum ac necium exponant, atque ne impudenter ipsimet seipsos perdant, non leuem honoris, famæ, ac bonorum temporalium iacturam ea ratione faciendo: non video cur asserendum sit. vel Ecclesiam vnquam prohibere principibus secularib. intendisse, ne similes leges ac pœnas in suis Rebuspubl. conderent, vel potestatem esse in Ecclesia ad id prohibendum. Tales autem esse leges, de quibus disputamus, non difficile erit ostendere In primis namque, quod quæso præiudicium, vel sacramento matrimonij, 26 *Contraria sententia probatur.*

vel spirituali Ecclesiæ, salutique animarum bono afferet, quod filiæ ante 15. annum, vel etiam filij, eo quasi fræno constricti teneantur, ne cum tanto suo proprio, suorumque parentum spirituali & temporali damno, atque cum perturbatione ac dedecore Reipublicæ sine parentum facultate matrimonium imprudenter contrahere audeant? Nonne, si nihilominus contraxerint, sacramentum validum erit? Si idem vterque contrahentium illud nihilominus in Ecclesiæ postulet facie, vel inuitis parentibus, eo quod (tamen si per accidens cum peccato) iure vtantur, illis concedetur? At vero, quod eo apposito fræno, pauciora eiusmodi matrimonia præ timore in Republica contrahantur, certe non in detrimentum, sed in maximum commodum atque decentiam ipsiusmet sacramenti, bonique spiritualis Ecclesiæ, & animarum redundat. Item quod adolescentulæ, & inuenes timore pœnæ contineantur, ne imprudenter, animique leuitate ducti, sine parentum consensu contrahere cum quocunque libuerit audeant, certe in nullum sacramenti, aut salutis animarum detrimentum, sed in emolumentum potius vergit: cum experientia ipsa testetur, qui ita contrahunt, solere postea non raro dolere, quod eo pacto contraxerint, neque similia matrimonia exitum prosperum habere consueuerint. Deinde vero quod eiusmodi leges ac pœnæ impediant peccata & abusus familias Rempublicamque secularem fœdantes ac perturbantes, conducant; ad spirituale simul & temporale bonum tum parentum, tum etiam eorum ipsorum, quibus statuuntur, notius experienti a est, quam vt probatione alia indigeat. Finge ciuiles leges de quib. disputamus inualidas esse, & ram filios quã filias familias contrahere posse omnino impune sine parentum facultate, tenerique parentes non secus eas dotare, quam si ex ipsorum facultate nupsissent, nec minus succedere parentibus, etiam inuitis, in integra legitima portione, quam si ex eorum facultate nupsissent, & videbis qualis ea in parte, non solum secularis Respublica, sed etiam ipsiusmet Ecclesiæ facies futura sit, & quot mala, seditiones, neces, & scandala inde orientur. Profecto qui eiusmodi facultatem Reipublicæ seculari auferre molitur, non aliud, quam grauissima damna, sine vllo temporali aut spirituali commodo in eam, Ecclesiamque ipsam introducere conatur. Adde, leges principum secularium non facile tanquam iniustas & inualidas esse condemnandas: eas præsertim, quæ vsu in Rebuspublicis sunt receptæ, quales sũt, de quibus nunc disputamus. Adde etiam, quemadmodum ad Rempublicam secularem statuere spectat, quanta portio legitimæ filiis ex parentum suorum bonis obuenire debeat, in ipsius que potestate est eam minuere aut augere: ita ad eandem pertinere, causas præscribere, ex quibus vel possint, vel sint necessario illa priuandi: ac proinde inter eas merito computare posse, vt si filia ingrata, atque inobediens in contrahendo matrimonio parentibus fit, possit legitima priuari, aut eo ipso sit illa priuata, ob ingentia mala quæ inde nata sunt sequi. Nec sum eius sententiæ: vt existimem, ea solùm ratione posse secularem Rempublicam legitima illas priuare, si inobedientes eo pacto sint, quia legitima beneficium est, quod ab statuto eiusdem Reipublicæ pendet ac proinde id non habet rationem propriæ pœnæ, sed suspensionis beneficij rationabili ex causa. quasi (vt quidam arbitratur) Respublica secularis nihil ea de causa possit statuere, quod proprie habeat rationem pœnæ. Non in quam, sum eius sententiæ. Etenim præcipua ratio paulo ante à nobis confecta, aperte probat, potestatem esse in Republica seculari ad veras ac proprias pœnas ea de causa statuendas. Illud admonuerim, quãuis fas sit Reipublicæ seculari statuere ea de causa rationabiles ac moderatas pœnas: nefas tamen esse A potestatibus laicis, vt illas executioni mandet, impedimentum apponere potestatibus Ecclesiasticis, quo minus inquirere, examinare, ac iudicare sufficienter possint, num matrimonium ita contractum validum ac legitimum fuerit.

Ad primum argumentum in contrarium dicendum est, probare quidem sponsum & sponsam habere ius ad tradendum sibi mutuo per matrimonij contractum, quem in facie Ecclesiæ celebrare volunt potestatem in sua corpora, taleq; matrimonium validum esse: neq; Ecclesiam eo ipso, quod ita in ipsius facie contrahere volunt, posse illos impedire, quin potius teneri eos adiuuare, protegere ac defendere etiam aduersus parentes, ne postquam id ita elegerunt, iure illo vti prohibeantur: nihilominus id non tollere, quin inordinate contra parentum voB luntatem, cum tanto suo parentum, ac Reipublicæ detrimento id ita volendo, peccent, possintq; idcirco à parentibus & Republica legitimæ priuationc, aliisq; pœnis, quę prudentis arbitrio bono Reipublicæ expedire videbuntur, iuste puniri, ne similia flagitia passim in Republica deinceps fiant. Itaq; non punitur contractus matrimonij vsusve iuris in tradenda mutua potestate corporum, sed inobedientia & inordinatio in vtendo tunc cum illis circumstantiis eo iure, & cum tanto detrimento proprio, parentum, ac Reipublicæ: quod nequaquam Ecclesia approbat, sed vituperat ac detestatur, vt patet 30. q. 5. c. 1, 3. & 4.

Ad secundum dicendum est, quod matrimonia quoad fieri commode possit, libera esse debeant, nõ tollere, quo minus Respublica statuere possit rationabiles pœnas ad retrahendum ab abusibus & peccatis, quæ in eis celebrandis cum Reipublicæ, ipsorumq; contrahentium detrimento, minorig; ipsius sacramenti decentia interuenire possunt: sicut antequam matrimonia clandestina à Tridentina Synodo irrita essent effecta, quod matrimonia libera esse deberent, nihil impediebat, quo minus pecuniaria, & excõmunicationis pœna ab Ecclesia ipsa clandestine cõtrahere intendẽtibus statueretur, vt ab eo cõtrahẽdi modo, qui occasio multorũ erat malorum, homines abstinerent: cum tamen multi, & multæ, non aliter, quam clandestine contrahere cum eis possent, cum quibus volebant. Item, quod matrimonia libera esse debeant, non tollit quo minus is cogatur pœnis cum ea contrahere, cui se eandem ductuC rum vxorem promisit. Pœna autem, quæ iuxta caput gemma locum in matrimonio non habet, est cõuentionalis quam priuati apponant, aut quæ matrimonio præiudicium afferat; non autem Ecclesiæ in eo capite, aut in quouis alio iure, in mentem venit, irritas facere leges aut pœnas, quas Respublicæ seculares ad impediendos abusus & peccata, ipsismet cõtrahentibus & Reipublicæ noxia, & sacramento minus decentia, merito statuerent; neque in Ecclesia, vt dictum est, videtur esse talis potestas.

Ad primam partem tertij argumenti dicendum est, aliud esse causam matrimonialẽ, aliud vero abusum Reipublicæ seculari, ipsisquemet contrahentibus noxium, qui cum voluntate contrahendi sine parentum consensu interdum est coniunctus: atq; illud primum spectare solum ad Ecclesiasticas poE testates: puniri vero hoc secundum, postquam matrimonij est celebratum, nihil se immiscẽdo in matrimonij cõtractu, validusve fuerit, riteq; iuxta diuinũ ius, statutaq; Ecclesiæ celebratus, an nõ, pertinere ad laicas potestates, ad quas eadẽ rõe spectat statuere prius leges & pœnas, quibus idẽ abusus puniatur.

Ad secundam partem dicendum est, perspicue non esse in eo capite sermonem de ijs, qui filiabus-familias aut filiis sine parentum consensu contrahentibus pœnas statuunt: id quod Patres, ad dubia quæ circa Concil. Trid. occurrunt expediendaepu-

deputati, expresserunt: neq; enim eo in loco vlla fit mentio de parentibus, qui ea de causa filias exhæredant; sed esse solum sermonem de his principib. aut magistratib. qui sibi subditos cum iis matrimonia inuitos celebrare cogunt, quos ea ratione ditare volunt. Hæc dicta sint de 11. exhæredationis causa.

31 *Duodecima exheredationis causa.*

Duodecimà est, si aliquis ex parentibus furiosus fuerit (intellige, vt ordinationes huius Regni disponunt, aut quouis alio modo amiserit iudicium rationis) & liberi illius, aut aliqui eorum, obsequium ei & curam competentem non præbuerint, illeq; ad suâ redierit mentem, integrum illi est liberos ita ingratos exhæredare. Si autem ille ad mentem nunquam redierit, & extraneus aliquis, videns eum à suis hæredib. ex testamento aut ab intestato neglectum, misericorditer voluerit curam illius agere: tunc si hæredibus protestetur in scriptis (vt Glossa ait) vt curam illius habeant, illiq; protestatione facta neglexerint, ipseq; in domum suam eum receperit, propriisq; sumptibus vsq; ad finem vitæ curam illius egerit, hæreditas tota ad ipsum spectat: ita tamen, vt si furiosus testamentum confecerat, legata & reliqua in eo scripta, præter hæredis institutionem, impleantur. Ita habetur *in authentico, vt cum de appel. cognos. §. si quis de prædictis, in authentica liberi. C. de Episcopali audient. li. 4. Ordin. huius Lusitaniæ Regni, tit. 72. §. 14. 15. & 16. & l. 5. tit. 7. par. 6. Glossæ in authenticis citatis* quas sequitur *Greg. Lopez, l. citata* affirmant, si nullus curam furiosi egit, tunc ab hæredibus auferendam esse hæreditatem tanquam ab indignis, & applicandam esse fisco, iuxta *l. 3. ff. de iis quib. vt indig.* Idemq; disponunt *Ordin. huius Regni loco citato.* Hoc tamen locum non habet ante latam sententiam. Tota autem pœna huius duodecimæ causæ solum se videtur extendere ad hæredes ingratos, qui expleuerunt decimũ octauum suæ ætatis annum, iuxta ea quæ in sequenti causa dicenda sunt, statutum q; id est *l. 6. tit. 7. part. 6.* Huic tamen, qui decimum octauum annum excesserit, si ingratus eo pacto existat, non conceditur postea beneficium restitutionis in integrum vt pœnam possit euadere.

32 *Decima tertia.*

Decima tertia, si quis parentum in captiuitate detineatur, & liberi ipsius, aut vnus eorum, non festinauit eum redimere illeq; captiuitatem euadat, integrum ipsi erit filium, aut filios ita ingratos, ea de causa exhæredare. Quod si in captiuitate moriatur, & negligentia vel descendentium, vel aliorum hæredum ab intestato, aut ex testamento, qui se esse institutos hæredes agnouerint, redemptus non fuerit, per Episcopum Ecclesiæ, ad quam ille pertinuerit, aliosve Ecclesiæ ministros, conficiendum est inuentarium omnium bonorum illius, ex eisq; captiui sunt redimendi, exclusis omnino hæredib. Si tamen ille testamentum confecerat, omnia in eo contenta adimplenda sunt, præter hæredum institutionem. Pœna hæc tota solum habet locum in ingratis, qui 18. suæ ætatis annum excesserint. Porro ad redimendum huiusmodi captiuum, fas est minori, qui 18. annũ excesserit, contractus celebrare, etiá alienãdo bona talis captiui, vt redemptionis pretium inde habeatur, teneturq; captiuus stare postea illis contractibus. Hæc omnia habentur *in auth. vt cum de appel. cognos. §. si vnum de prædictis l. 6. tit. 7. part. 6. & lib. 4. Ord. tit. 72. §. 17.*

33 *Decima quarta.*

Decima quarta & postrema, si parentes Catholici sint, filij autem à fide defecerint. Ita habetur *auth. vt cum de appel. cognos. §. si quis de prædictis, l. 6. tit. 7. par. 6. & lib. 4. ordin. tit. 72. §. penul.*

34 *Prima exhæredationis ascendentium causa.*

Ex sequentibus etiam causis fas est liberos exhæredare suos parentes. Prima, si parentes liberos suos ad interitum vitæ tradiderint, eos videlicet accusando (ait glos.) de crimine propter quod ea pœna sint puniendi. Adde, vel si de tali crimine eos denunciauerint. *Lex 11. tit. 7. part. 6.* addit, aut de crimine ob quod sint mutilandi. Excipitur, nisi accusatio aut denunciatio sit de crimine læsæ maiestatis. Idemque est de crimine hæreseos, læsæve maiestatis diuinæ: vt circa causas; ex quibus permissum est parentibus exhæredare suos liberos dictum est.

35 *Secunda.*

Secunda, si parentes filiorum vitę venenum, aut maleficiis, vel quouis alio modo fuisse insidiati probentur.

36 *Tertia.*

Tertia, si pater cum vxore, aut concubina filij domi retenta se immiscuerit. Idem dicunt ordin. huius Lusitaniæ regni esse, si mater se immiscuerit cum marito, aut amasio filiæ, domi ab eo retentæ.

37 *Quarta.*

Quarta, si parentes filios suos testamentum circa ea, de quibus libere testari poterant, condere prohibuerint; Eadem quippe omnia in hoc euentu dicenda sunt, quæ supra de filiis, parentes testari prohibentibus, dicta sunt.

38 *Quinta.*

Quinta, si vir vxori, aut è contrario, vxor viro venenum dederit, vt interficiat, aut à mente alienet, vel quouis alio modo vnus eorum vitę alterius fuerit insidiatus; liberi namq; ea de causa exhæredare possunt parentem; qui crimen tale commiserit.

39 *Sexta.*

Sexta, si parentes curam filij, qui iudicium rationis amiserit, non habuerint, potest filius compos mentis factus eos exhęredare. Eaque omnia, quæ in hoc euentu de parentibus, qui rationis iudicium amiserunt, hæredum comparatione dicta sunt, similiter locum habent, quando filij in eundem morbum inciderunt.

40 *Septima.*

Septima, si filius aut filia in captiuitate detineantur, & parentes negligentes fuerint in curanda eorum redemptione. Ea quippe omnia, quæ de parentibus captiuis hæredum comparatione dicta sunt, similiter sunt intelligenda, quando filii in captiuitate detinentur. Quod si hæredum negligentia in captiuitate discedant, ex ipsorum bonis de quibus testari poterant, captiui sunt similiter redimendi.

41 *Octaua.*

Octaua si filio Catholico existente, parentum aliquis à fide discesserit.

42

Hæc omnia habentur *in auth. vt cum de appel. cogni. §. sine igitur, à versi. iustum autem perspeximus, l. 11. tit. 7. par. 6. & 4. lib. ord. huius regni, tit. 73.* habentq; locum in quocunq; descendentium comparatione ascendentium, siue mares sint, siue fœminæ.

43

Ex quibus causis fas est exhæredare, licitum quo que est alimenta denegare, præter illa sine quibus vita non conseruaretur, vt in calce disp. 168. ostendimus. Eademq; imo vero longe maiori ratione, licitum est denegare dotem filiæ, quæ potest licite exhæredari.

44 *Dubium.*

Dubium est, vtrum quando pater exhæredare non potuit filium, aut filius patrem, vt quia pater subito interfectus est à filio, & tempus non habuit ad illum exhæredandum, aut quia causam legitimã exhæredationis ignorauit, fas sit hæredib. eam causam obiicere filio post mortem patris, eaque probata auferre ab illo, tanquam indigno, hæreditatem, eique alimenta denegare. Ioa. Andr. Panor. & alij, quos *Anto. Gom. 1. tomo var. resol. c. 11. n. 11.* refert, affirmãt. Mihi vero contrarium videtur probabilius cũ *Anto. Gom. ibidem, & Molina li. 1. de primog. c. 11. n. 15. & sequentibus.* Ducor potissimum, quoniam *in auth. vt cum de appel. cog. tanquam forma, vt exhæredatio sit valida*, statuitur, vt ab ipsomet patre inferta causa fiat, & non ab hæredibus. Item, vt causa sufficienter probetur, aliterque quamuis causa vere subsisterit, hæreditas conceditur filio, vt disp. præcedente dictũ est. Item quia paterno amore potuit pater parcere filio, & filius reuerentia & amore filiali parcere potuit patri, neque ad hæredes transit declaratio eiusce voluntatis testatoris. *Decisio.*

45 *Quæstio.*

Dubium deinde est, an de iure communi ex aliis causis, ab illis quatuordecim *in authen. vt cum de appel. cognos.* cõmemoratis, possit filius à patre exhæredari. Communis Doctorum sententia affirmat; si æque *Communis sententia.*

si æque graues,aut grauiores illis sint, vt si filius proditor sit patriæ,fas esse illum exhæredare.Hanc sententiam referunt & sequuntur *Cou.c. Reynutius, de test.in initio.n.17.Anto.Gom.3.tom.var.resol.11.n.12.Iulius Clarus,§.testa.q.41. Molina, li. 1.de primog.c.9.n.32. 33.& 34.Emmanuel à Costa,§.& quid si tantum,part.3.à n.173.*

47 Contrariam sententiam amplectuntur Hostiensis, Alexander,& pauci alij,quos *Greg.Lopez ad l.8.ti. 6.glos.vlt.* refert. & in quorum opinionem propendet.Ea videtur sufficienter probari *ex auth.vt cum de appel.cognoſ.§ aliud quoque capitulum*, cuius hæc sunt verba: *Sed quia causæ ex quibus ingrati liberi debeant iudicari in diuersis legibus dispersæ, & non aperte declaratæ inuenimus quarum aliquæ nec dignæ nobis ad ingratitudinem visæ sunt: aliquæ vero,cum essent dignæ, prætermissæ sunt: ideo necessarium esse perspeximus,eas nominatim præsenti lege comprehendere,vt,præter ipsas,nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in huius constitutionis serie continentur.* Hactenus ibi. Quæ verba satis aperte sonant,ex nulla alia causa, quam ex aliqua de quatuordecim, quæ proxime in eodem authentico subiunguntur, fas esse quenquam liberos suos exhæredare. *Contraria probatur.*

47 Respondet Emmanuel à Costa,eis verbis,non fuisse absolute excluſum non apponere alias ingratitudinis causas,sed solum non opponere alias ex aliqua anteriori lege.Vnde ait, *esto aliqua causa tã grauis prudentis arbitrio, atque aliqua ex quatuordecim numeratis, reperiretur: si tamen antiquiori aliqua lege sufficiens ad exhæredandum esset sancita, nefas esset ex illa exhæredare:secus autem si sancita non fuisset.* Hac ratione vult, quamuis filius tam abiectam vxorem ducat, vt,patris qualitate attenta,non minor inde ignominia ei resultet, quam ex aliqua de numero illarum quatuordecim causarum, si tamen ea vxor mancipium non sit,nefas esse filium ea de causa exhæredare: eo quod causa illa quondam fuerit sancita sufficiens ad exhæredandum,*l.3 §.si emancipatus.ff.de bonor.possess.contra tabul.* & inter illas quatuordecim non fuerit numerata. 47

48 Certe mihi probabilissima videtur opinio Hostien.& Alexan.neque ab ea auderem recedere.

Primo. quoniam Doctores contrariæ sententiæ potissimum duci videntur, posteriores autoritate priorum:neque aliud video eorum fundamentum, quam argumentum à paritate aut maioritate rationis,& quod id æquitas postulare videatur: hoc tamen fundamentum in re,de qua agimus, nullius ostendam esse momenti. 48

49 Secundo, quoniam quod causæ quondam aliis legibus fuerint statutæ, vel non, si ex circumstantiis fuerint æque graues, aut etiam grauiores,quam aliqua ex illis quatuordecim,non erat ratio cur in authentico, vt cum de appel.cognosc.prohiberentur opponi. 49

50 Tertio,quoniam & verba illius authentici,nisi ad violentas recurrere velimus expositiones, satis, vel primo aspectu significant opinionem Hostiensis. & Alex,& multo magis si expendantur.Etenim verba illa,ideo necessarium esse perspeximus, eas nominatim præsenti lege comprehendere : cum sermo habitus esset tam de causis antiquioribus legib. statutis,quam de aliis,quæ cum statutæ non fuerint,tamen debuerunt:& Iustinianus dicat,se velle omnes, quæ deinceps possint opponi, nominatim ea lege comprehendere : certe nullum locum reliquit, vt quæcunque aliæ possent deinceps opponi,siue de eisdem legibus antiquioribus sermo fuisset habitus,siue non:alioquin non omnes comprehensæ fuissent, idque nominatim, hac lege, quod tamen Iustinianus se efficere docet. 50

51 Quarto (& euertit fundamentum contrariæ opinionis, meoque iudicio à priori excludit expositionem Emmanuel à Costa) tam lex huius authentici, quam antiquiores, quæ causas exhæredationis statuebant, pœnales erant, vt est manifestum; tum ex se,quoniam in pœnam ingratitudinis statuebãt exhæredationem: tum etiam ex hoc ipso *auth.§.& hæc quidem exhæredationis*, qui, vt supra retulimus, in hunc modum habet:& hæ quidem exhæredationis & præteritionis pœnæ, quantum ad ingratitudinis causas statuendæ sunt,si quæ autem ex his(causis sci licet)inter crimina reputantur (quæ à iudicibus videlicet puniantur)earum autores etiam alias pœnas sentiant legibus statutas: sed pœna, vt communis Doctorum sententia affirmat,tantum se extendit ad delicta pro quibus legibus est statuta, non vero ad alia, esto æque grauia aut grauiora etiam sint , & magis digna quæ eadem pœna puniantur: ergo neque ante hoc authenticum fas erat pœnam exhæredationis infligere, nisi pro causis antiquioribus legibus expressis: neque post hoc authenticum , nisi pro causis in eo commemoratis, esto graviores aliæ reperiantur : quandoquidem sancitum in eo non est, vt ad illas etiam hæc pœna extendatur , quin potius aperte prohibitum. Supponens ergo Instinianus ex hæredationis pœnam infligi non posse,nisi pro causa ad id lege expressa,addidit illa verba: vt præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere,nisi quæ in huius constitutionis serie continentur: non vero(quod Emmanuel à Costa vult)argumento à contrario sensu liberum relinqueret: modo causæ aliæ non essent de earum numero quæ antiquioribus legibus essent statutæ , fas esse, ex eis exhæredare , si æque graues , aut grauiores essent. 51

52 Quinto, quoniam *l.8.tit.7.par.6.* manifeste expressit, ex nulla causa,quæ non esset ex quatuordecim enumeratis , validam esse exhæredationem. Statutis enim quatuordecim his causis legibus præcedentibus,addit. *Mas si por alguna otra razon qualquier,que no fuesse de las sobre dichas en estas leyes , des heredasse el padre à su ijo,no valdria tal des heredamiento.* Licet autem hæc lex vim non habeat extra regnum Castellæ,certe ex illa constat,doctissimos earum legum ex communi iure compilatores eo modo , quo Hostiensis, & Alex.intellexisse *authen.vt cum de appellatione cogno.* Minor vero Cou.& Anto.Gom.ea lege posthabita,contrariam in regno Castellæ amplexatos fuisse sententiam. 52

53 Quod si quis aduersus Emmanuelé à Costa obijciat, ingratitudinem , quam filius nobilibus parentibus natus aduersus parentem committit, dum abiectissimam vxorem ducit , contineri in secunda ex quatuordecim ingratitudinis causis supra commemoratis,eo quo ea via grauis , & inhonesta iniuria parentib.ingeratur : si quis item aduersus nos illud idem obiiciat , & prærerea quamcunque æque grauem,aut grauiorem exhæredationis causam , de quibus est controuersia an propter illas fas sit exhæredare , contineri in eadem secunda causa , vt Ant. Gom. *loco citato* contendit. *Obiicitur.*

In primis respondemus , perperam quidem Antonium Gom. & quemcunque alium autorem contrariæ sententiæ , qui id affirmet , asserere , fas esse exhæredare ex causis in illis quatuordecim minime comprehensis,modo æque graues aut graviores sint : quandoquidem omnes vniuersim, ex quibus censent,licitum esse exhęredare in illis quatuor decim cõprehendi arbitrentur. Respondemus deinde,secundam causam intelligendam esse,de iniuria per se & directe illata parentibus , qualis est contumelia grauis verbo illis illata , aut quale est in patris ignominiam cornua pro forib,illius appendere, vel aliud simile : non autem de iniuria per accidens atque indirecte & præter filij intentionem in parentem redundante , vt est abiectissimam ducere vxorem , quæ mancipium non sit, filium proditorem esse patriæ ; aut intentasse interficere Regem, *Dilnitur.*

filium

filium amicitiam inire cum capitalibus hostibus patris, non animo illos aduersus patrem adiuuandi, sed quia filio placet illorum amicitia. suntque aliæ similes, vt manifeste constat ex vndecima causa ex illis quatuordecim, & ex communi Doctorum sententia, qui eiusmodi causas, neq; in illa secunda, neq; in omnib. quatuordecim simul comprehendi existimant.

54 *Dubium.* Dubium etiam est, vtrum si pater filium in suo testamento inserta legitima causa exhæredauit, & postea eundem in suam recepit amicitiam, censeatur exhæredatio reuocata *Couar. c. Raynutius in initio, n.* 17. cum aliis, quos refert ac sequitur, consentit, si pater antequam conficeret testamentum, vel expresse, vel tacite remisit ingratitudinem filij, eum in pristinam amicitiam recipiendo, non posse deinceps conficere testamentum, in quo illum exhæredet: quod si exhæredare illum attentet inserta ea causa, inualidum esse testamentum. Ratio est, quoniam eo ipso, quod tacite vel expresse ingratitudinem remisit, abolita est ea causa exhæredandi, ac proinde sine legitima causa deinceps exhæredat. Posse autem ingratitudinem tacite remitti, censerique tacite remissam, si filium ad pristinam amicitiam admittat, colligitur aperte *ex l. 3. §. vlt. iuncta l. 4. sequent. ff. de adimendis legatis, ex l. in ipsius, C. familiæ erciscundæ*, & ex aliis iuribus, quæ *Emmanuel à Costa, §. & quid si tantum par. 3. n.* 183 citat: atque in hoc conuenire videntur Doctores. Ait præterea Cou. cum aliis quos refert ac sequitur, si pater post legitime exhæredatum filium in testamento, illi expresse remittat ingratitudinis causam, neque tamen testamentum reuocet, abolitam censeri ingratitudinem, ac proinde filium succedere patri: id quod *lex Castella, 2. tit. 9. lib. 3.* fori ait etiam affirmare.

Decisio.

55 *Controuersia.* Tota controuersia est, quando pater legitime filium in testamento exhæredauit, & post illud confectum in suam eum recepit amicitiam, testamentoque minime reuocato, pater è vita discesserit, an videlicet tunc censeatur abolita præcedens illa exhæredationis causa, filiusque, propter illam quondam legitime exhæredatus, succedere debeat patri. *Bart. l. 3. ff. de adim. lega. Sylueſt. verbo hæred. 2. n. 3.* & quidam alij, quos *Couar. & Emman. à Costa locis citat.* referunt, asseuerant abolitam esse, eo quod, iuxta illa iura supra citata, censeatur à patre tacite remissa, ac proinde filium in eo euentu, nihil eo testamento impediente, succedere debere patri. Couar. loco, cum aliis quos citat, à Bart. sententia discedit, aitque in eo euentu non esse satis remissionem taciram, vt filius patri succedat. Quod probat *ex l. filio quem pater, ff. de liber. & posthu.* vbi, cum eo ipso, quod pater filium emancipatum roget, censeatur eum in suam recipere amicitiam, taciteque illi remittere ingratitudinem, nihilominus hæc verba à Papiniano scripta leguntur. Filio, quem pater post emancipationem à se factam iterum arrogauit, exhæredationem ante scriptam nocere dicti.

56 *Decidituꝛ,* Mihi sane hac de re opinio Emmanuelis à Costa *loco citato à n.* 180. probatur. Ait namque legitimum testamentum, in quo filius inserta causa fuit à patre exhæredatus, esto causa à patre tacite vel expressa remissione postea aboleatur, nec reuocatum, nec nullum censeri: vt enim nullum à patre reddatur, reuocatione indiget. Quia ergo, mortuo patre, non est ipso iure nullum. *Papinianus, leg. filio citata* dixit, nocere filio arrogato. Nihilominus cum per arrogationem, aut quamuis aliam tacitam vel expressam ingratitudinis remissionem, causa exhæredationis aboleatur, neque vlterius subsistat, sane tali filio competit, non quidem ius dicendi nullum testamentum illud, quoniam quoad hoc exhæredatio adhuc ipsi nocet, sed querela inofficiosi testamenti. Quare petere poterit aduersus hæredem scriptum possessionem hæreditatis, aut partis illius, quæ sibi tanquam legitimo hæredi debetur. Si vero obiiciatur, exhæredatum fuisse legitima causa inserta, replicabit, causam remissam fuisse, ac proinde non subsistere, annullandumque proinde esse tale testamentum, tanquam sibi iam nunc inofficiosum. Atque hoc pacto intellecta opinio Bart. & eorum, qui illum sequuntur, vera est, & amplectenda.

Dubium præterea est, vtrum si filius exhæredari dignus, agat ante mortem patris pœnitentiam, ac se ad meliorem frugem recipiat, tollatur ingratitudo, nec possit exhæredari, possitque opponere hæredi scripto eiusmodi pœnitentiam, vt, nihil impediente exhæredatione, ad paternam admittatur hæreditatem. Panor. quem Sylueſt. loco citato sequitur, & multi alij, quos *Couar. c. Raynutius, in prin. n.* 18. & 19. *& Emmanuel à Costa, §. & quid si tantum. par.* 3 *à n.* 188. referunt, partem affirmantem amplectuntur. Est tamen cum Couar. & Emmanuele à Costa locis citatis, & cum aliis, contrarium proculdubio affirmandum. Criminis namq; pœnitentia. *licet in foro interiori culpam deleat, nihil tamen impedit*, quo minus potestates seculares, imo & Ecclesiasticæ, exequi aduersus delinquentem possint pœnam legibus statutam, quam delicto, de quo coram Deo veniam culpæ consecutus est, fuit commeritus. Eodemque modo non impedit, quin parentes exhæredatione punire ingratitudinem filiorum possint, quantum leges ciuiles concedunt. Habetque hoc locum, etiam in denegatione alimentorum sine quibus vitam conseruare possunt: atque etiam quando delicto non intendebatur iniuria patris, quicquid in contrarium nonnulli dicant. Vniuersim namque ea tenus fas ipsis est, etiam post filiorum pœnitentiam, exequi pœnas ingratitudinis, quatenus legibus præscribitur, estq; eis permissum.

57 *Dubium.*

Decisio.

Postremum dubium est, vtrum per professionē emissam à filio ante mortem patris, tollatur omnis præterita ingratitudo, ita vt exhæredari iam non possit, aut si ante professionē testamēto patris erat exhæredatus, inualida talis exhæredatio reddatur. *Gratianus 19. q. 3. c. vlt.* expressam nouellam constitutionem adducit, qua id in religionis fauorem sancitum est, qui à filiis poterant exhæredari, & religionem profitentur: per quam sane constitutionem derogatum est, *l. Deo nobis §. 1. C. de epiſc. & cler.* ex qua contrariū colligebatur Panorm. & pleriq; alij, quos *Couar. c. Raynutius, in initio n. 20. & Emmanuel à Costa §. & quid sit tantum, part. 3. n.* 195. referunt, eam amplectuntur, vniuersimque iuxta eam volunt, per professionem causam omnem exhæredationis aboleri: nec dubito reiiciendas proculdubio esse varias restrictiones, quæ hac de re quibusdam confinguntur cum constitutio illa vniuersim loquatur, neque solum corpori iuris canonici sit inserta, sed in se ius cōmune Cæsareum sit: non quod cunq;, sed nouissimū quod proinde anterioribus omnibus derogat. Alciatus & Franciscus Valduinus, quos Couar. refert, negant extare talem constitutionem, conflictamq; à Gratiano arbitrantur. At Couar. satis docte ostendit desumptam fuisse ex nouella constitutione 123. tametsi in aliquibus codicibus non reperiatur. Cum ergo Gratianus vir fuerit doctissimus, summæq; auctoritatis, qui, nisi illam in nouellis constitutionibus reperisset, nunquam corpori iuris eam inseruisset, Alciatumq; illam in quibusdam codicibus, quos legit, non inuenisse, sufficiens argumentum non sit. latam non fuisse, non video cur illi standum omnino non sit.

Decidituꝛ.

Couar. loco citato eorum sententiam approbat, qui nouellam coarctandam censent, vt intelligatur in causa & vitio, quod directe ipsum tantum filium concernit: si autem patris personam directe causa spectet, aut læserit, non tollatur ingratitudo per professionem. Atq; hinc vult *leg. 49. Tauri*, eam

59 *Couarr. sententia*

filiam exhæredare permittentem, quæ sine patris A consensu matrimonium contraxit, locum habere etiamsi filia post contractum matrimonium religionem ante copulam profiteatur, matrimoniúmq; per talem professionem dissoluatur. Aitq; hac de re pronunciatam fuisse sententiam in Regio Pintiano prętorio, referente Ioan. Lupo. Certe opinio hæc, vt neq; Emmanueli à Costa, ita neq; mihi probatur, propter ea quæ dicta sunt. Et quoniam, vt *Menchaca de successionibus lib.1. §.10. n. 626.* ait, si alicubi locum habet aboleri ingratitudinem per subsequętem pœnitentiam, & factum filij ingrati, maxime cum habet in filia, quæ, contracto matrimonio sine patris consensu, ante matrimonij consummationem profitetur religionem: quandoquidem tollit matrimonium præteritum, quod ignominiæ erat causa præteritamq; patris ignominiam resarcit & abolet: vnde arbitratur in hoc euentu locum non habere exhęredationem, idemq; Emmanuel à Costa censet stando in iure communi. Ex eo autem capite excusare vult sententiam illam in Regno Castellæ latam, quoniam cum Castellæ Regnum exemptum sit ab imperio, potuit non velle recipere nouellam illam iuris communis. At certe, quamuis Princeps id statuere potuerit ante illum euentum, cum non constet, statuisse. Senatores iuxta ius illud commune, quod iuri regio non repugnabat, ferre tenebantur sententiam: Et non solum Senatores, sed neq; Principes ipsi post facti contingentiam potuerunt reiicere nouellam, vt iuri, quod Monasterium ex illa iam C antea comparauerat, præiudicium vllum inferrent.

B

SVMMARIVM.

1 *Quid quando is, qui hæres necessario instituendus est, institutus est in minori portione, quam sit legitima ei debita.*

2 *An quando pater dotem tradidit filiæ, satis sit eam instituere in dote, quam accepit, & neque actio inofficiosi testamenti illi competat, sed solum possit agere ad complementum integræ legitimæ.*

3 *Quid, quando filius est institutus in minori portione, quæ sit legitima.*

4 *Quid, quando filius, sine ingratitudinis causa sufficiente atque in testamento expressa, institutus est in portione minori, quam sit legitima ei debita.* D

5 *Aduersus quos competat actio ad complementum legitimæ.*

6 *Quanto tempore actio ad complementum legitimæ concedatur.*

7 *Legitimæ debitæ descendentibus nullum grauamen à testatore potest apponi.*

8 *Quādo quis filio vulgariter aliquem alium substituit, an censeatur appositum grauamen legitimæ illius.*

9 *An si is, cui debita est legitima instituatur in maiori* E *quantitate, & grauamen apponatur bonis omnibus, inualidum sit tale grauamen.*

10 *Grauamen legitimæ appositum, vt sit validum, non sufficit consensus tacitus, sed necessarius est expressus.*

11 *Grauamen in fauorem filii legitimæ appositum est inualidum.*

12 *Quid si statuto esset sancitum, vt filia contenta esset legitima, quam pater vellet illi dare, paterque relinqueret tertiam legitimam cum grauamine, an tale grauamen sit validum.*

13 *An idem sit, quando pater dispensationem obtinuit à Principe, vt filius illegitimus possit sibi succedere, in quantitate, quam ipse vult.*

14 *Quando filius dicatur suus.*

15 *Triplex conditio refertur.*

16 *Institutio filij in sua conditione casuali aut mixta testamentum inualidum reddit.*

17 *Quid si grauamen à parentibus impositum sub conditione casuali, aut mixta, siue sub potestatiua.*

18 *An grauamen circa incrementum, & legitimam filiis suis sub conditione potestatiua impositum, validum sit.*

19 *An, si filius suus instituatur sub conditione casuali aut mixta, inualidum sit testamentum.*

20 *An de iure Castellæ validum sit testamętum in quo filius, etiam suus, instituitur sub conditione casuali aut mixta, & quid de grauamine talis conditionis sentiat.*

INSTITVTO IN PORTIONE minori, quam sit legitimæ, solum conceditur actio ad supplementum. Et num legitima grauamen possit apponi.

DISPVTATIO 177.

QVando is, qui hæres necessario instituendus 1
erat, institutus quidem fuit, at in minori portione quam esset legitima ei debita, non solum est validum testamentum, sed neq; ita instituto conceditur actio inofficiosi aduersus illud: idque siue portio, in qua institutus, sit quota hæreditatis, siue res aliqua certa: sed tantum permittitur illi actio ad supplementū vsq; ad integram legitimam portionem. Ita *post l. omnimodo. C. de inoffic. test. habetur in authentico, vt cum de appel. cognos. §. hæc autem disposuimus*, hisce verbis. *Si qui hæredes fuerint nominati, etiamsi certis rebus iussi fuerint esse contenti, hoc casu testamentum quidem nullatenus solui præcipimus: quicquid autem minus eis legitima portione relictum est, hoc secundum nostras alias leges ab hæredibus impleri.* Refert autem se ad *l. omnimodo citatam, & ad l. scimus. C. de inoffic. testa.* Idem habetur. *§. sed hæc, instit. eodē tit. & l. 5. tit. 8. par. 6.* & affirmat cōmunis Doctorū sententia, quam *Ant. Gomez. 1. tomo variar. resol. c. 11. n. 23.* refert: licet de iure antiquo querela inofficiosi testamenti concederetur.

Vtrum, quando pater dotem tradiderat filiæ, sa- 2
tis sit eam instituere in dote, quam accepit, vt neq; actio inofficiosi testamenti illi competat, sed solum possit agere ad complementum integræ legitimæ. Communis opinio, quam *Iulius clarus, §. testamentum q. 44.* refert ac sequitur, cum *glos. l. 3. §. sed vtrum. ff. de minor.* affirmat. Licet enim dos iam non esset in bonis patris, sed detrahenda esset tanquam æs alienum si aliquid illius esset adhuc debitum: nihilominus tenetur filia eam computare in suam legitimam portionem, adducereq; illam totam ad partitionem si ea sola non sit contenta. Præterea, si quid ex illa sit adhuc ei debitum, detrahendum quidem est de bonis patris, dummodo tamen, computando in bonis patris integram dotem, legitimas aliorum id non minuat. Quod si minueret, esto filia iam id accepisset, cogeretur restituere illud vsq; ad complementum legitimarum aliorum filiorum. Quare quamuis quidam dicant tutius esse, si pater illam vltra dotem instituat in parua alia quantitate, id sane minime necessarium puto.

Filio instituto in minori portione, quam sit legiti- 3
ma, si parens addidit legitimam ingratitudinis causam cur velit, vt non plus accipiat, non conceditur actio ad incrementum, vt, iuxta *leg. omnimodo, C. de inoffic. testa. disputat. 175.* dictum est.

Quando filius, sine ingratitudinis causa sufficien- 4
te atq; expressa in testamento, institutus est in portione minori, quā sit legitima ei debita, esto, post mortem parentum eam petat, & accipiat absque vlla protestatione, tradatq; chirographum hæredibus se illam

iam accepisse, potest nihilominus agere ad complementum, modo expresse non dixerit aut fit pactus, se ea esse contentum, vt, iuxta *leg. si quando. §. & generaliter. C. de inofficios. testam. disputat.* 175. dictum est. Ratio est, quoniam licet tacitus consensus in testamentum, in quo filius est præteritus aut exhæredatus, satis sit, vt neque possit dicere illud amplius nullum, neque agere aduersus illud querela inofficiosi: vt tamen institutus in minori portione, quam sit sua legitima, agere non possit ad complementum, non sufficit tacitus, sed necessarius est consensus expressus, vt ibidem dictum est.

5 Actio ad complementum legitimæ competit aduersus hæredes, & legatarios, vt pro rata contribuant. Ita cum additione ad glossam quandam, *l. omnimodo. C. de inoffi. test. & cum Bartolo ac aliis affirmat Anton. Gom. n. 23. citato. Greg. tamen Lopez ad l. 5. tit. 8. par. 6. glos. penult.* sufficienter probare videtur, legatarios solum teneri contribuere ad complementum, quando alioquin hæredibus non remanerent integræ legitimæ portiones.

6 Quod attinet ad tempus, quo actio ad cõplementum legitimæ conceditur, Bartolus arbitratus est quinquennio solum durare, sicut & querelam inofficiosi testamenti, cui subrogatur. Communis tamẽ Doctorum sententia, quam Ant. Gom. & Greg. Lopez locis citatis referunt & sequuntur, affirmat, non minori tempore præscribi, quam triginta annorum iuxta *l. 2. C. de constituta pecunia, & l. sicut in rem, C. de præscri. triginta annorum*, & ea, quæ nos diximus disp. 71. idemque est de iure huius Lusitaniæ Regni, vt ibidem ostendimus: nihilque impedientibus iis, quæ *ex l. 63. Tauri* prædicta disputatione retulimus, idem Greg. Lop. affirmat esse in Regno Castellæ quoniam, quæ ea lege disponuntur, non se extendunt ad eis vt legitima compleatur. Hæc autem actio non tam subrogatur querelæ, quam in illius odium est introducta; eaque de causa durat tempore, quo reliquæ personales actiones (iuxta ea, quæ disp. citata dicta sunt) durare solent. Transit etiam hoc ius ad hæredes eius, qui minus, quam in legitima portione, institutus est, vt Doctores citati & alij communiter affirmant, habeturque expresse, *l. si quis filium, C. de inoffic. test.*

7 *Legitima apponi non potest grauamen.* Legitimæ debitæ descendentibus nullum grauamen, modus, conditio, aut dilatio potest à testatore apponi: quod si apponatur, licet hodie filio non concedatur querela inofficiosi ad annullandum tale testamentum, attamen grauamen illud, modus, conditio, aut dilatio, sunt ipso iure nulla, non secus ac si non essent apposita. Ita habetur expresse, *l. quoniam in priorib. C. de inoffi. test. l. 17. tit. 1. & l. 11. tit. 4. part. 6.* & affirmat communis opinio, quam *Ant. Gomez. 1. to. var. resol. c. 11. nu. 24.* refert ac sequitur. Idem dicendum est de legitima ascendentibus in bonis descendentium debita, vt cum *glossa in authentico de hæredibus & Falcidia, §. si vero expressim, & cum glos. leg. Pantonius, verbo constituat, ff. si a patre quis manumissus fuerit* affirmat communis opinio, quam referunt & sequuntur *Antonius Gome. num. vigesimoquarto citato, Gregor. Lopez., l. 11.* consonat etiam *lex sexta Tauri*, vt Greg. Lopez adnotauit.

8 Illud obserua, in eo, quod quis filio vulgariter aliquem alium substituat, nullum censeri appositum grauamen legitimæ illius; vt si dicat. Instituo hæredem meorum bonorum filium meum, & si ille hæres non fuerit, substituo illi Petrum, aut sit meus hæres Petrus. Quoniam in tali substitutione testator solum sibi prouidit de hærede casu, quod filius hæres non sit, neque propterea impedire censetur transmissionem hæreditatis ad quoscunque ipsius hæredes, disput. 183. dicetur. Obserua etiam in eo, quod filio substituat pupillariter aliquem, vt si in testamento suo dicat, si filius meus ante annos pubertatis mortuus fuerit, succedat in bonis illius Petrus, nullum ei-

A iam censeri appositum grauamen: quoniam pater vtitur iure sibi concesso ad prouidendum filio suo de hærede in illo euentu, vt suo loco patebit.

Vsque adeo legitimæ apponi non potest grauamen, vt si is, cui est debita, instituatur in longe maiori quantitate, verbi gratia, in omnibus bonis testatoris, & grauamen apponatur bonis omnibus, nihilim pediente quod hæres post testatoris mortem adeat hæreditatem, illaque perfruatur, & quod sit maius emolumentum ex incremento vltra legitimam, quam detrimentum grauaminis, inualidum sit tale grauamen, quoad legitimam; validum vero solum quoad incrementum. Ita sancitum est, *l. scimus, §. cum autem, C. de inof. test.* Exemplum in eo §. appositũ eiusmodi est. *Testator instituit hæredem quendam extraneum in omnibus suis bonis, illique præcepit, vt ea omnia post suam*
B *mortem, aut post aliquod certum tempus restitueret filio testatoris*; sanciturque eo in §. dilationem illam, seu fideicommissum, comparatione legitimæ inualidum omnino esse, statimque legitimam esse reddendam filio testatoris: validum vero esse cõparatione incrementi vltra legitimam. Hoc autem exemplum, licet tempore illius legis esset optimum, post authenticũ tamen, *vt cum de appel. cognos. §. aliud quoque capitulum*, nihil valet, vt Bart. & alij Doctores communiter ad notarunt. Etenim post authenticum illud requiritur institutio filij, neque satis est relinquere illi, vel legitimam, vel maiorem quantitatem, quam sit legitima, per fideicommissum, vt disp. 175. dictum est.
C Quia ergo filius censetur hodie in testamento illo præteritus, nihil valet institutio illa, sed ea omnia bona absque vllo grauamine pertinerent eo ipso ad testatoris filium. Hodie vero exemplum accommodatum est, si testator instituat ium filium in omnibus suis bonis, eum tamen grauet, vt si discesserit sine liberis, illa restituat cuidã tertio, aut vinculo maioratus sint eo ipso affecta: tale enim grauamen nullum est, comparatione legitimæ, poteritque proinde filius de ea disponere prout voluerit: imo vero, si nihil disponat, pertinebit ad ipsius hæredes ab intestato: validum est vero, quoad incrementum vltra legitimam. Ita Doctores communiter, quos referũt & sequuntur *Ant. Gom. 1. to. var. resc. c. 11. n. 24. & 25. & Mol. lib de primog. cap. 1. nu. 29.*

Dixi, hoc locum habere, esto hæres adeat totam hæreditatem in qua est positum grauamen, quando
D quis institutus est in minori portione, quam sit legitima, non satis est consensus tacitus, sed requiritur expressus, vt agere deinceps non possit ad incremẽtum vsque ad legitimam integram, vt tam hac, quã disputat. 175. dictum est: ita res habet in grauamine appositio in legitima, quod sanè quasi minorem reddit legitimam, quam sit debita. Quando ergo filius vel post mortem patris expresse consensisset in grauamine appositio in legitima, vel tempore quo pater conficiebat testamentum, vel antequam illud conficeret, in euentibus in quibus disputat. 175. dictum est non posse agere ad incrementum vsque ad legitimam integram, tunc non posset tollere grauamen à legitima. Sicut pater grauamen, aut vinculum maioratus in omnibus bonis apponeret, non absolutè, sed sub conditione, vt nisi filius in eo toro
E vellet consentire, incrementum vltra legitimam ad alium pertineret, aut insumeretur in operibus piis, tunc, vel filius in eo grauamine teneretur consentire, efficereque illud per eum consensum validum, vel amitteret omnino incrementum: quoniam de eo incremento patri fuit integrum disponere pro libito, atque adeo sub illa conditione. Consentit in his *Anton. Gome. 3. tomo variarum resolution. cap. 11. num. 25. 26. & 31.* Lege iura & Doctores, quos citat.

Grauamen, esto in fauorem filii apponatur legi-
F timæ, est inualidum: vt si mater hæredem instituat

filium

filium in legitima, aut in omnibus suis bonis, & prohibeat, ne vsusfructus pertineat ad patrem, inualidum est tale grauamen quoad legitimam: secus quoad alia bona. Si item pater filium instituerit, & prohiberet, etiam legitimam alienari posse vsque ad vigesimumquintum annum, inualidum esset tale grauamen legitimæ. Ita cum Bartolo & communi Doctorum sententia, *Antonius Gom. loco citato, n. 27.* & constat *ex authentico, vt liceat matri & auiæ, in princ.* vbi habetur, quod non in legitima, sed solum in aliis bonis, quæ mater, aut alij ascendentes per lineam maternam relinquant filio, possunt prohibere, ne vsusfructus, aut aliud emolumentum ex eis pertineat ad patrem.

12 Quando statuto esset sancitum, vt filia contenta esset legitima, quam pater vellet illi dare, pateretque illi relinqueret certam legitimam, attamen cum aliquo grauamine, dubium est, an tale grauamen esset validum. Cum enim integrum esset patri minorem illi relinquere legitimam, videtur grauamen illud validum esse. Contrarium cum Baldo, Iasone, Paulo Castrens. & aliis, affirmat Anton. Gom. *cap. 11. citato, n. 28.* Quoniam eiusmodi voluntaria, quoad quantitatem, legitimæ succedit legitimæ lege taxatæ, ac proinde conditionem illius retinere debet. Præterea, quoniam in potestate patris non est: nullam relinquere tali filiæ legitimam, sed necessario tantum, vt minimum, tenetur illi statuere in legitimam, quantum ad competentia alimenta sit sufficiens: ergo eo ipso, quod præscribit illi quantitatem legitimæ, siue maiorem siue minorem, tituloque legitimæ eam relinquit, non potest ei imponere grauamen. Idem vult Ant. Gom. quando filia cum iuramento renunciauit legitimæ (quod præsumitur, nisi contrarium aliunde constet, factum in fauorem patris) & nihilominus pater postea hæredem illam instituit: in legitima namq; ita relicta, illiq; filiæ alioquin debitæ, non fine probabilitate maxima asseritur imponi non posse grauamen.

13 Subiungit, idem etiam esse, quando pater dispensationem obtinuit à Principe, vt filius illegitimus posset sibi succedere in quantitate, quam ipse vellet: Contrarium tamen arbitror esse verum. Cum enim tali illegitimo, secluſa ea dispensatione, non esset debita legitima, neque dispensatio debitam eam illi efficiat, sed solũ per eam potestas facta sit patri, vt nõ secus possit illi relinquere legati, aut hæredis titulo, quod voluerit ac cuicunq; extraneo, non video, cur non posset perinde illi imponere grauamen, atque cuicunque extraneo, quem ad hæredem institueret.

14 Vt intelligas varia iura, & Doctores, qui de grauamine filiis à testatore impositio, institutioneve eorum sub conditione loquuntur, obserua. Filium dici duntaxat suum, interim dum est sub patria potestate, & comparatione parentis, sub cuius potestate est: vnde, si sit emancipatus, non appellatur suus. Esto autem sub patria sit potestate, comparatione tamen matris, aut auiæ, ascendentium q; ex parte matris aut auiæ, non dicitur suus: quia non est sub ipsorum potestate, vt disp. 179. dicetur.

15 Obserua deinde, triplicem esse conditionem, quod ad rem præsentem attinet. Nempe potestatiuam, vt iurisperiti appellant, casualem, & mixtam. Potestatiua est, cuius adimpletio à sola voluntate eius, cui imponitur, pendet. Vt si testator filium suum hæredem instituat sub hac conditione, si voluerit, aut si Titio decem dederit, quæ optimè per se vel per alium possit illi dare. Casualis est quæ non à potestate eius, cui imponitur, pendet. Vt si testator dicat, instituo filium, si nauis ex Asia venerit. Mixta est, quæ partim aliunde, partim vero à voluntate eius, cui imponitur, pendet. Vt si dicat, instituo filium meum, si duxerit Bertam vxorem: quod & à filij voluntate, & à Berta, variisq; euentibus pendet.

A His ita constitutis, scias. Licet quondam, non solum de iure digestorum, sed etiam de iure antiquiori Codicis, institutio filij non sui sub quacunque harum trium conditionum inualidum non redderet testamentum: institutionem tamen filij sui sub conditione casuali, aut mixta, nisi ille filius in euentum, quod talis conditio non impleretur, exhæredaretur, inualidum illud reddidisse: secus autem de cõditione potestatiua: sub illa namque optime poterat institui, validumque erat testamentum. Ita habetur expresse, *l. suus quoque, & l. iam dubitari, ff. de hæredib. instit. l. si pater. C. de institutio. & substitutionibus & aliis iuribus, quæ glos. 2. l. si pater citat.* 16

Ex his iam facile intelliges, quæ à nobis, iuxta *l. quoniam in prioribus, & l. scimus. §. cum autem*, hactenus circa grauamen à parentibus filiis impositum, dicta B sunt, nullam continere difficultatem, si fermo sit de filijs non suis. Etenim siue grauamen sit eis impositum sub conditione casuali aut mixta, siue sub potestatiua, validum est testamentum. estq; grauamen nullum comparatione legitimæ, secus autem circa incrementum: & in hoc Doctores omnes conueniunt, vt *Molina lib. 2. de primog. c. 1. nu. 29.* & alij affirmant. 17

Quod vero ad filios attinet, controuertunt Doctores. In primis, vtrum hodie post *legem quoniam in prioribus*, validum sit grauamen, non solum circa incrementum, sed etiam circa legitimam eis sub conditione potestatiua impositum: sicut validum ante eam legem erat iuxta iura illa antiquiora citata. Et quidem communis Doctorum sententia, cum *glos. l. si pater, & cum glos. l. suus quoque citatis*, quam etiam C sequitur Bartol. est, inualidum esse quoad legitimam: idemque habetur expresse *leg. 11. titul. 4. part. sexta.* Ratio est, quoniam in prioribus derogatum ea in parte est antiquioribus legibus dum omne omnino grauamen & onus exclusit à legitima quorumcunq; filiorum. Contrariam opinionem ad uersus Bar. videtur affirmare *Iulius Clar. §. testamentum q. 39.* eademq; de re *Ant. Gom. 1. tom. variar. resol. c. 11. n. 30.* longam disputat. texit, adductis Doctoribus vtriusq; sententiæ: & tandem in effectu idem docet, quod communis sententia, nempe conditionem potestatiuam non ita circa legitimam esse admittendam, quasi vllum omnino onus aut grauamen afferat, aut quasi impedimento sit, ne filius suus legitimã non aditam, transmittat ad hæredes. 18

Controuertunt præterea DD. num hodie, si filius D suus instituatur sub conditione casuali, aut mixta, sit inualidum testamentum, vt statuunt iura illa antiqua citata: an vero sit validum; grauamenq; talis conditionis reiiciendum sit solum à legitima, vimq; circa incrementum habeat. iuxta *l. scimus. §. cum autem C. de inoffic. test.* Communis Doctorum sententia post Bart. affirmat validum esse, grauamenque illud vim habere in incremento. non vero in legitima, iuxta §. *cum autẽ citatum*, per quem, iuxta l. quoniam in prioribus, asserit derogatum esse legib. illis antiquioribus. Doctores, qui hanc amplectuntur sententiam referunt ac sequuntur *Molina lib. 2. de primog. c. 1. nu. 32. Emmanuel à Costa, &* quid si tantum, *par. 3. n. 105. & Iulius Clarus, §. testamentum, q. 33.* eaq; nobis et iam probatur. 19

Lex Castellæ, *11. tit. 4. part. 6.* quicquid *Molina loco citato n. 30.* contendat, multum sane à iure communi discrepat. In primis namq; statuit validum esse testamentum, in quo filius, etiam suus, instituitur sub E conditione casuali aut mixta, vt Bartoli, Glossarum, & Doctorum, qui illas sequuntur, opinio affirmabat. Deinde vult nihilominus, grauamen talis conditionis, non solum vim non habere in legitima, sed neq; in incremento, contra dispositionem §. *cum autem citati*: estq; in ea lege fermo non solum quando filius suus, sed etiam quando emancipatus, aut is, 20

qui

qui sub patria est potestate, à matre sub ea conditione instituitur, vt Molina ipse tandem concedit, & cõstat, cum ex eo, quod lex illa vniuersim indistincteque de filiis loquitur; cum etiam, quoniam in eo Regno nullum discrimen quoad institutionem ad successionem est inter filium suum, & emancipatũ, Quare mirum non est, si Rodericus Xuares & Segura, à Molina ibidem relati, terribilem & contra ius commune, & Emmanuel à Costa, *n.105. citato*, satis duram & contra æquissimam iuris communis rationem eam legem appellauerint. Vim tamen, quousq; renuocetur, lex illa in eo Regno habet: eo quod ad ius positiuum hæc spectent, neq; vllam contineant iniquitatem.

SVMMARIVM.

1 *Si hæres ab intestato institutus, interficiat eum, cui succedere debebat, amittit hæreditatem fisco.*

2 *Num hæc locum habeant in filio, qui interfecit patrem, & in patre qui iniuste filium interfecit.*

3 *An is, qui legitimus hæres interfector exiſtit, possit postea instituere interfectorem, aut interfector possit ei succedere ab intestato.*

4 *Delictum patris non est filio impedimento, vt succedere possit matri.*

5 *Quis sit secundus euentus, in quo hæres tanquam indignus amittit fisco hæreditatem.*

6 *Quid, quando is, in cuius bonis est succedendum, interfectus est, non ab aliquo de familia sua, sed ab extraneo.*

7 *Filius interfectoris si ab interfecto sit hæres institutus, accusare non tenetur suum patrem.*

8 *Hæres, de iure communi, intra quod tempus teneatur interfectorem accusare.*

9 *Quod hæres post intentatam accusationem parcat idõ, iudici præsentetur, & amittat, non sufficit, vt talis hæres incidat in pœnam amissionis hæreditatis fisco.*

10 *Referuntur sex alij euentus, in quibus hæres amittit fisco hæreditatem, excepto octauo in quo amittit captiuo. vsque ad num. 15.*

16 *In omni euentu, in quo aliquis tanquam indignus priuatur hæreditate, illaque fisco applicatur, fiscus tenetur ad omnia debita defuncti iuxta vires hæreditatis.*

17 *Possunt hæredes indigni ante latam sententiam adire hæreditatem & ea frui quousque condemnentur & bona fisco applicentur.*

HAERES IN QVIBVS EVENTIbus hæreditatem amittat.

DISPVTATIO 178.

1 PRæter euentus, quibus in superioribus dictum est hæredem amittere hæreditatem, quidam alii adiiciendi sunt. Primus est, si hæres vel ab intestato institutus, eum interficiat, cui succedere debebat, amittit hæreditatem fisco. Quin si negligentia & culpa talis hæredis is moriatur, cui succedere debeat, similiter eam amittit. Hoc vltimum habetur expresse, *l. indignus, ff. de iis quibus vt indignis*, inde v. cætera manifeste colliguntur. Etenim si, quando negligentia, & culpa hæredis sequitur mors testatoris, hæres amittit hæreditatem, multo magis eandem amittet, quando ipse est, qui interficit. Idem etiam constat ex *l. vltim. §. vltim. ff. de bonis damnatorum*, vbi cum filia familias iussu patris veneno interfecisset eum, à quo hæres instituta erat, decernitur hereditatem ad fiscũ pertinere. Quin eodem §. & *l. Lucius ff. de iure fisci*, vniuersim statuitur, comparata ex delicto ad fiscum pertinere, esto per mortem patrantis ita extinguatur delictum, vt actio aduersus hæredes non transeat. In hoc primo euentu conueniunt Bart., & communis opinio, quam *Anton. Gom. 3. tom. variar. resolu. cap. 3. num. 51.* refert ac sequitur. Quod si plures hæredes fuerint ab intestato vel ex testamento, & vnus solũ fuerit in culpa eum interficiendo, cui succedere debent, portio illius, non ad cohæredes, sed ad fiscum spectat, iuxta iura citata: neq; contrarium colligitur ex *l. 2. §. fratris ff. siquis aliquem testari prohibuerit*, vt affirmat communior sententia, quam ibidem Ant. Gom. refert ac sequitur. Quod si is, cui est succedendum, accepto vulnere, ex quo mortuus est, interfectori parcat, eumque nihilominus hæredem instituat, vel, cum tempus habuerit ad mutandum testamentum in quo illum instituerat, testamentum non mutet, hæreditas, non ad fiscum, sed ad ipsum interfectorem spectat. Ita cum Baldo, Iasone, & aliis affirmat *ibidem Ant. Gom. argumento textus in l. vlt. C. de reuocandis donationibus*, vbi, in vltimis verbis, idem circa donationes statuitur.

2 Dubitabit forte aliquis, num hæc locum etiam habeant in filio, qui interfecit patrem, & in patre, qui iniuste filium interficit. Dicendum est locum habere. Iura namque citata vniuersim loquuntur sine vlla restrictione. Quo loco obserua, aliud esse quærere, num hi sint eo ipso exhæredati, quod tale homicidium patrarint, sine exhæredatione, quæ inferta causa facta sit ab interfecto: ad quod negatiue est respondendum, vt disp. 175. & 176. dictum est; aliud vero quærere, num tanquam indigni incurrant pœnam amissionis eorum bonorum fisco: ad quod sine dubio est respondendum affirmatiue: quippe magis indignus is sit, qui interficit filium aut patrem quam sit is, qui extraneum interfecit, ac proinde dignus magis sit, cui ea pœna infligatur. Consentit *Molina li. 1. de primog. c. 9. n. 22.* qui hoc ipsum affirmat ex quacunque causa ex iis, quas subijciemus, filius hereditate indignus efficiatur.

3 Vtrum autem is, qui legitimus hæres interfector exiſtit possit postea instituere interfectorem, aut interfector possit ei succedere ab intestato, ita vt bona aliqua interfecti ad interfectorem tandem deueniant, non immerito dubitatur. Verbi gratia, interfecit quis vxorem, ex qua habebat filium, qui proinde filius matri hæres extitit, postea vero mortuus est filius, quæritur, an pater ei succedat in bonis matris. Ant. Gom. cum Bart. & communi Doctorum sententia, quam refert, air, succedere non posse. Quando autem hæres in eis bonis instituereturaut legatarius vel ab intestato ad eum deuenirent, pertinere affirmat ad fiscum: quia tandem ex ipsius delicto esset profectum, vt ea bona ad ipsum deuenirent: atq; adeo, iuxta *l. Lucius, ff. de iure fisci, & l. cum ratio, §. vltimo ff. de bonis damnatorum*, pertinere debent ad fiscũ. Sic vero iudicatum fuisse refert in Salmaticensi & Brixiensi Ciuitatibus, cum delictum propositum vtrobique euenisset.

4 Quicquid autem ibidem cum quibusdam aliis, quos refert Ant. Gom. vlterius subiungat, non dubito, delictum patris impedimento non esse filio, vt succedat matri, esto filius sit familias. Etenim in eo euentu vsusfructus in bonis matris, non ad patrem, eo quod indignus eo sit, sed ad filium pertinebit: neque arbitror necesse tunc esse patrem renunciare tali vsuifructui, vt filius, de quo loquimur, esse possit hæres matri, neq; video textum, vndeid cum Doctoribus, quos citat, colligat.

5 Secundus euentus, in quo hæres tanquam indignus amittit fisco hæreditatem, est, si is, cui succedit, interfectus sit, neq; interfectores autoritate publica puniri faciat. Qua in re distinguendum est. Quoniam si is consilio aut opera alicuius de sua familia interfectus sit, idque hæres non ignorat, tenetur non

1 Primus.

3 Dubitatur.

4

5 Secundus.

non ſolum antequam adeat hæreditatem ac petat poſſeſsionem bonorum, ſed etiam antequam aperiatur teſtamentum (modo aperiri non ſit neceſſe; vt intelligatur, quis ſit hæres) intentare accuſationem, & inſuper expectare vt puniantur, alioquin amittit fiſco hæreditatem. Si tamen talis hæres, interim dum hæc fiunt, è vita diſcedat, tranſmittit hæreditatem nondum aditam ad ſuos hæredes, ex moraque illa nullum detrimentum, vel legatariis, vel quibuſcunque aliis prouenire permittitur. Ita habetur *l. 3. §. quod ad cauſam, & ſequentibus, ff. ad Senat. conſult. Syllanianum, l. ſi ea, & l. penultima, C. de iis quibus vt indig. l. 13. tit. 7. part. 6. & aliis iuribus.* Dictum eſt, idq; hæres non ignorat: quoniam ſi ignoret interfectum eſſe ab aliquo de familia, & hæreditatem adeat, non incidit in pœnam, vt expreſſe habetur *l. 3. cita, §. ſi quis ignorans, & l. 13. etiam citata.* Quibus in iuribus additur, idem eſſe, eſto ſciat interfectum eſſe ab aliquo de familia, modo per imperitiam, qualis in ruſticis eſſe ſolet, hæreditatem adeat, aut teſtamentum aperiat. Si item conſtat, qui de familia interfecerint, ſed ob fugam, aut alia ratione vindicta de illis ſumi non poteſt, ita quod nulla ſi negligentia aut culpa hæredis, tunc ſatis erit intentare accuſationē, eaque intētata, fas eſt adire hæreditatem, petereq; poſſeſsionē, *l. ſi ideo, C. de iis quibus vt indign.* Quin Salycetus, *ab Alexandro & à Greg. Lopez. l. 13. citata* approbatus, ait. *Quando palam quis interfectus eſt ab aliquo de familia, neceſſe eſſe expectare vindictam ante aditam hæreditatem: at vero quando occulte, neceſſario habendam eſſe quæſtionem de familia iuxta Senatus conſultum Syllanianum, inquirendo de delicto & torquendo ſeruos, & tunc ſi ſufficiens aliqua confeſsio de delicto habeatur, expectandam eſſe vindictam. ſin minus, poſſe ſtatim adiri hæreditatem. atque ita conciliant variatura.* Et hoc pacto vult Greg. Lopez intelligendā eſſe legem illam, quæ ſolam accuſationem exigit ante aditam hæreditatem: ſupplendamq; illam ex iure communi, quando conſtat interfectum eſſe à familia, vt non ſatis ſit accuſatio, ſed ſit expectanda vindicta. Præterea, ſi accuſatio intentata quidem ſit, at per iudicem ſupremum loci ſtat, quo minus reus condēnetur, adiri poteſt abſq; pœnā hæreditas *l. 15 tit. 7. part. 6.* Si item à Iudice reus abſoluatur, cum hæres, quod in ſe erat, feciſſet, eſto non appellet, adire poteſt hæreditatem, *l. propter venenum, §. vlt. ff. ad Syllan. & l. 15. tit. 7. par.* Si tamen reus à Iudice damnatus appellaſſet, hæres ante aditam hæreditatem proſequi tenetur appellationem vſq; ad condemnationem vel abſolutionem rei, *l. minoribus, C. de iis quibus vt indign.* Minor viginti quinque annis adire poteſt hæreditatem, neq; tenetur accuſare interfectorem. *l. 15. ti. 7. par. 6. & l. minoribus citata. Gloſſa ibidem*, quam *Antonius Gomez 3. tom variarum reſolutionum, cap. 3. n. 53.* ſequitur, aitq; eſſe communiter approbatam, affirmat, ſi poſt aditam hæreditatem efficiatur maior viginti quinq; annis, non teneri accuſare: quoniam obligatio illa fuit iam ratione minoris ætatis extincta. Iuriſperiti videant, num hęc quæ ex Senatus Conſulto Syllaniano ortum habuerunt, quo tempore Imperium plenum erat mancipiis, etiam ex Europa, paſsimq; domini ab eis eneabantur, hodie vim habeant: an vero conſuetudine eatenus ſint abolita, quatenus impediebant adiri hæreditatem, imo & aperiri teſtamentum ante expletam vindictam: ſuſpicor namq; tam in hoc, quā in Caſtellæ Regno, contraria conſuetudine hæc eſſe extincta, & multo magis in aliis Regnis, in quibus vel nulla, vel admodum rara ſunt mancipia. Tempore quidem legum partitarum, quando Saraceni erant in Hiſpaniis, & ex cōtinuo bello cum illis plurima de gente illa poſsidebantur mancipia, quæ in dominos mortem frequenter machinabantur, mirum non erat. ſi Senatus conſultum Syllanianum locum hac in parte haberet, quamuis, quicquid Gregorius Lopez in contrarium velit, aperte *l. 13. citata* illud temperauit, dum vniuerſim ſtatuit, ſatis eſſe intentare accuſationem ante aditam hæreditatem apertumq; teſtamentum at vero iam nunc cum in Luſitania ab aliquot annis frequentia ſint mancipia ex remotioribus Africæ partibus, quæ rudia admodum ſunt, neque dolos, vt Saraceni, in dominos machinantur, arbitror Senatus Conſultum Syllanianum hac in parte conſuetudine eſſe abolitum.

Si vero is, in cuius bonis eſt ſuccedendum, interfectus quidem ſit, veruntamen non ab aliquo de ſua familia, ſed ab extraneo, fas quidem eſt hæredi adire hæreditatem, eaq; frui; tenetur tamen accuſare interfectorem, & perſequi accuſationem vſq; ad vindictam expletam: alioquin tanquam indignus amittit fiſco hæreditatem: quin tenetur eam reſtituere cum fructibus perceptis à tempore quo ſciuit fuiſſe interfectum, negligensq; fuit in accuſatione intentanda vindictaq; petenda, *l. hæredem, ff. de iis quibus vt indig. l. 1. C. eodem titulo iuncta l. 1. C. vbi cauſa fiſcales, & l. 13. tit. 7. par. 6.* Habetq; id locum, etiam quando patronus ſuccedit liberto interfecto: *l. portiones ff. de iis quibus vt indig.* & quando ex pacto aliquo per mortem vxoris vir dotem lucratur, *l. cum mortem ff. de iure fiſci.* Ignorantia, impotentia, reum à iudice abſolui, minor ætas, & reliqua quæ diximus excuſare heredem ab hac pœna, quando is, cui ſuccedit, interfectus eſt ab aliquo de familia, excuſant etiam in re propoſita, vt ex iuribus ibidem citatis conſtat. Si vero poſtea ſcientia aduenerit, aut impotentia auferatur, incidit in pœnam, niſi accuſet, accuſationemq; vſque ad vindictam perſequatur, *l. cum fratrem. C. de iis quibus vt indignis.*

Filius interfectoris, ſi ab interfecto ſit hæres inſtitutus, vel ab inteſtato illi ſuccedat, vt ſi ſit filius, qui ſuccedat matri, quam pater interfecit, accuſare non tenetur ſuum patrem. Ita *Antonius Gomez 3. tomo variarum reſolutio. c. 2. n. 53. Gregor. Lopez. ad l. 13. citat. am. & multi alii quos referunt, argumento tex. in l. filius ff. de cōditionibus inſtitutionum, & in l. ſi adulterium cū inceſtu §. libero. ff. ad l. Iuliam de adulter.* Idem meritò Greg. Lopez ait eſſe; ſi pater interfectoris hæres ſit interfecti.

De iure communi taxatum non eſt tempus, intra quod hæres interfectorem teneatur accuſare, ſed id facere tenetur quamprimum commode poteſt, alio quin punitur amiſsione hæreditatis. Quod ſi iudex certum ei præfixerit tempus, tenetur intra illud accuſare, vtrumq; affirmat gloſſa 2. communiter recepta, *l. 2. C. de iis quibus vt indignis*, quam ſequitur Anton. Gomez vbi ſupra, & alii quos citat. Hodie tamē de iure Regni Caſtellæ tenetur accuſare intra quinquennium à tempore ſcientiæ quod is, cui ſuccedit, fuerit interfectus, eoq; tempore tranſacto, amittit fiſco hæreditatem, ſi non accuſauit. Ita habetur. *l. 13. citata & l. 1. ti. 3. lib. 5. ordin.* quæ eſt hodie *l. 11. tit. 8. li. 5. nouæ collectionis.* Vbi additur, modo integram habeat ætatem, viginti quinq; videlicet annorum, & modo maſculus ſit, & ſciat, quis eum interfecerit, interfectorq; abſens non ſit, & ipſe ſit potens ad accuſationem intentandam & perſequendam. Quod ſi interim, dum hæres non eſt in mora: alius præueniat & accuſet interfectorem, hæres non incidit in pœnam amiſsionis hæreditatis, etiamſi nunquam accuſet, *l. ſororem. C. de iis quibus vt indig.*

Illud poſtremo admonuerim, quod hæres poſt accuſationem intentatam parcat, idque iudici præſentetur & amittat, vt quotidie fieri ſolet, non ſufficere, vt talis hæres incidat in pœnam amiſsionis hæreditatis fiſco. Quoniam iudex ex officio, adhibito promotore fiſcali, proſequi ſolet & tenetur accuſationem vſque ad ſententiam; tametſi tunc mitiorem pœnam imponere ſoleat interfectori.

Tertius

10 *Tertius.* Tertius euentus, in quo hæres amittit fisco hæreditatem iuxta *glossam vltim. sororem C. de iis quibus vt indig.* est, si accessum habeat ad vxorem illius in cuius bonis succedit. Citat ad id *legem 3. §. vltim. iuncta l. sequenti. & l. ex parte, ff. de admendus legatis* veruntamen nihil tale ex his iuribus colligitur, sed potius contrarium, quod ad hæreditatem attinet, quicquid sit de legatis, vt *Molina lib. 1. de primogen. cap. 9. n. 23.* cum aliis quos citat, affirmat. Idem iuxta ius cõmune, quod glossæ illæ, affirmant nonnulli Doctores, quos *Greg. Lopez. ad l. 13. tit. 7. part. 6.* refert tametsi varie hac de re loquuntur, eosdemque impugnat Molina vbi supra. Quicquid autem sit de iure communi, euentus hic sanctus est in regno Castellæ, *l. 13. citata*: eamque Gregorius Lopez. intelligit, etiamsi ad vxorem iam viduam effectam accessum habeat.

11 *Quartus.* Quartus est, si quis aliquem testari prohibuerit: amittit namque hæreditatem fisco, & quæcunque alia bona, quæ ex tali ita prohibito ipsi aduenerint, iuxta ea quæ disput. 176. occasione filij in vndecima exhæredationis causa dicta sunt. Vide iura, quæ eo loco citauimus, & alia, quæ hac de re diximus, quibus adde *l. 13. tit. 7. p. 6.*

12 *Quintus.* Quintus, si institutus hæres in aliquo testamento, falsi illud accusauit, persecutusq; est accusationem vsque ad vltimam sententiam, & pronunciatum est esse verum: amittit enim hæreditatem fisco tãquam indignus, qui tali testatori succedat, *l. legatum ff. de iis quibus vt indignis, l. alia causa*, C. *eodem titulo, leg. 13. tit. 7. part. 6. & aliis iuribus.* Hoc euenire facile posset, si is, cui ab intestato obuenirent omnia bona (verbi gratia, testatoris frater) institutus esset hæres vna cum aliquo extraneo, cupiditateque omnium bonorum arguere vellet testamentum tanquam falsum, minimeq; à suo fratre conditum. Dictum est, persecutusque est accusationem vsque ad vltimam sententiam: quoniam si ante desistat ab accusatione & lite, etiamsi lata sit sententia aliqua definitiua, à qua vel ipse, vel aduersarius appellauit, & appellatione pendente desistat, non incidit in pœnam, iuxta *leg. alia causa Cod. de iis quibus vt indignus, iuncta leg. cum maior, §. accusasse, ff. de bonis libertorũ.* Minor etiam viginti quinque annis si accusasset, quamuis lata esset vltima sententia, excusaretur à pœna, per beneficium restitutionis in integrum, *leg. post legatum, §. arati ff. de iis quibus vt indigno.* Hæres institutus, non solum in nomine proprio accusaret falsi testamentum, sed etiam si esset aduocatus, aut procurator alterius ad illud accusandum, incideret in pœnam amissionis hæreditatis. Excipitur, nisi tanquam tutor aut curator alicuius minoris id efficeret, aut nisi ea in parte ageret partes Regis, vt esset procurator aut aduocatus fiscalis. Ita habetur *§. arati citato, & sequentibus, l. 13 tit. 7. part. 6. & l. si tutor. instit. de inofficioso testamento.*

13 *Sextus.* Sextus est, quando quis constitutus est hæres, & palam aut secreto testatori promisit se hæreditatem, aut partem illius restituturum filio illegitimo, aut cuicunque alteri, qui non poterat succedere patri in eis bonis; amittit enim hæreditatem fisco. Ita probant iura, quæ disputatione 169. conclusione 4. citauimus. Vide quæ ibi dicta sunt, quando ipse se prodit, aut is, qui de manu illius aliquid ea via accepit. Quia vero hac de re occasione filiorum illegitimorum ibi conclusione 4. & 5. dicta sunt quæ hoc loco dici poterant, non sunt plura hæc addenda.

14 *Septimus.* Septimus, si quis mente captus sit, & hæredes curam, quam oportet, illius non habeant, aufertur ab eis hæreditas tanquam ab indignis; fisco que applicatur, vt cum quibusdam glossis, & Ordinationibus huius Regni disputatione 176. causa duodecima exhæreditationis dictum est. Excipitur, nisi extraneus aliquis: facta hæredibus protestatione, curam illius habeat: nam tunc hæreditas non pertinet ad fiscum, sed ad talem extraneum, vt ibidem dictum est.

Octauus, si quis captiuus detineatur, & hæredes negligentes fuerint in eo redimendo, illeque in captiuitate è vita discedat, amittunt hæredes tanquam indigni hæreditatem: attamen non spectat tunc ad fiscum, sed captiui sunt ex ea redimendi, vt disputatione 176. causa decima tertia exhæredationis dictum est. Cum hactenus dictis, tota hac disputatione consentiunt *Ordinationes huius Regni, lib. 2. tit. 15. §. 18. & 19.* 15

Duo sunt obseruanda. Primum, in omni euentu in quo aliquis tanquam indignus priuatur hæreditate, illaque fisco applicatur, fiscum teneri ad omnia debita defuncti iuxta vires hæreditatis, *l. non possunt, ff. de iure fisci*, cuius verba sunt. *Non possunt vlla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superfutura sunt. Id enim bonorum cuiuscunque intelligitur, quod ære alieno deducto superest.* Item tenetur ad omnia legata, si quæ testator relinquat, *l. dicitur ff. de iure fisci, & l. cum fisco ff. ad Syllan.* Modo tamen fisco saltem quarta pars bonorum defuncti, detractis legatis, remaneat, sin minus detrahere potest à legatis vsque ad quartam Falcidiam, eo pacto quo hæres institutus detrahere eam poterat *l. Marcellus §. vlt. ff. ad Trebell.* Hæc omnia etiam habentur *l. 16. tit. 7 p. 6.* 16

Secundum est, cum hęc omnia in pœnam hæredibus tanquam indignis statuta sint: pœna autem ante latam sententiam subeunda non sit, tuta conscientia posse hęredes indignos adire hęreditatem, eam possidere atq; ea frui, quousque condemnentur, & bona fisco, aut alicui alteri rei applicentur. 17

SVMMARIVM.

1.2. *Duo sunt necessaria, vt quis hæres suus dicatur.*

3 *Si quis existẽs sub patria potestate religionem profiteatur, ad quos transmittatur paterna ipsius hæreditas nondum adita.*

4.5. *Filius adoptiuus nepos, & filius patris exhæredati, qui dicantur primilegiis suitatis gaudere.*

SVVS HAERES QVIS dicatur.

DISPVTATIO 179.

DIcendum est consequenter de transmissione hæreditatis. Vt vero ea res intelligatur, oportet prius explicemus, quis hæres suus dicatur.

Vt aliquis hæres suus dicatur, duo necessaria sunt. Primũ, vt tempore mortis illius, cui hęres existit, in eiusdem fuerit potestate. Excipitur posthumus, quia quamuis nũquam fuerit sub patria potestate, cõparatione tamen parentis, in cuius potestate statim ac esset natus, si talis parens viueret, erat futurus, dicetur hæres suus, vt habetur *instit. de hæreditatibus quæ ab intestato §. posthumi quoque, & aliis iuribus, quæ Antonius Gom. 1. tomo variar. resol. c. 9. num. 14. citat.* 1

Secundum est, vt nullus alius in eadem linea sit interpositus, cui primum illud requisitum conueniat. Quamdiu enim filius est hæres suus, nepos, qui ex tali filio descendit, non est hæres suus comparatione aui, esto in potestate aui sit. Mortuo autem, aut emancipato filio, nepos ex ipso genitus remanet hæres suus comparatione aui. Quamdiu etiam nepos est hęres suus, pronepos ex ipso genitus non est hęres suus comparatione proaui. Si autem nepos vel morte, vel emancipatione, patriam egrediatur potestatem, pronepos efficitur suus hęres proaui comparatione. Hinc primo constat, solos descendentes dici hæredes suos comparatione a descendẽ- 2

ſcendentium: non vero aſcendentes comparatione deſcendentium, & multo minus collaterales, aut alios extraneos.

Conſtat ſecundo, neminem comparatione fœminæ eſſe hæredem ſuum, eſto illa mater ſit, aut auia. Etenim deſcendentes non ſunt in poteſtate matris, aut auiæ, ſed duntaxat aſcendentium per lineam maſculinam paternam, hoc eſt, aui patris, pro aui paterni, &c.

Tertio conſtat, quamuis filia hæres ſuus ſit comparatione patris, aui, aut proaui, in cuius poteſtate ſit: nepotem tamen ex illa, comparatione eorundem, eſſe non poſſe hæredem ſuum. Quoniam ſicut non eſt in poteſtate matris, ita neque eſt in poteſtate maſculorum aſcendentium per lineam maternam: Quarto conſtat, emancipatum non eſſe hæredem ſuum: eo quod per emancipationem patriam egrediatur poteſtatem. Hæc omnia patent *ex §. ſui, & ex §. ceteri, inſtitut. de hæredum qualitate, ex l. 21. titulo 3. part. 6. & ex aliis iuribus, quæ Antonius Gomezius 1. tomo variarum reſolutionum cap. 9. numero 7. 8. & 9. citat.*

5 Obſeruandum tamen eſt, eum, qui ſub patria erat poteſtate: ſi religionem profiteatur, quamuis eo ipſo eſſe deſinat ſub patria poteſtate, nihilominus retinere priuilegium ſuitatis, ac proinde trāſmittere ad monaſterium, aut ad quoſcunque alios ipſius hæredes paternam hæreditatem nondum aditam, vt de hæredibus ſuis diſputatione ſequenti dicetur. Ita cum *Bartol. & aliis Antonius Gomezius loco citato, numero decimo, iuxta legem Deo nobis Codice de Epiſcopis & clericis.* Hoc ipſum dicendum etiam eſt de eo, qui Epiſcopus efficitur: eo namque ipſo, & patriam egreditur poteſtatem, & retinet nihilominus priuilegia omnia ſuitatis, vt expreſſe habetur *in authentico, conſtitutio quæ de dignitatibus §. illud, verſiculo palam: affirmatque Antonius Gomezius numero 11. ſequenti.*

4 Obſeruandum etiam eſt, filium adoptiuum, quamuis non dicatur eſſe ſub patria poteſtate comparatione eius, à quo eſt adoptatus, habere tamen priuilegium ſuitatis, ſi illi ab inteſtato ſuccedat: ſecus autem ſi eidem ex teſtamento ſuccedat. Ita habetur *l. cum in adoptiuo §. ſed ne, verſic. & ideo ſancimus C. de adoptionibus.*

Item nepotem, filium patris exhæredati, ſi ab auo, in cuius poteſtate ſit, hæres inſtituatur, habere priuilegium ſuitatis, vt non adita hæreditate eam ad patrem ſuum ſuperſtitem tranſmittat, vt habetur *leg. qui in altera §. interdum ff. de acquirenda hær.* Verumque cum aliis notat *Antonius Gomezius numero 12. ſequenti.*

SVMMARIVM.

1 *Quando quis è vita diſcedit nondum hæreditate adita, quid iura ſtatuant.*

2 *Hæres ſuus hæreditatem nondum aditam ad ſe ex defuncto attinentem, tranſmittit ad quoſcunque ipſius hæredes. Secus de filiis, qui in parentum poteſtate non ſunt, quibus ſuccedunt.*

3 *Hæres ſuus non cenſetur habere titulum ad præſcribendum rem, quam ſuus prædeceſſor bona fide cœpit poſſidere, ſecus de hærede non ſuo.*

4 *Si ſtatuto caueretur, vt ex quacumque hæreditate, quæ alicui obuenerit, ſolaatur certum tributum, quis teneatur illud ſoluere.*

5 *Quomodo omnes æqualiter vocentur ad ſuccedendum parentibus?*

6 *Cur addita ſint hæc: Modo, dum viueret, illam non repudiarit.*

7 *Quæ ſit facultas ſuis hæredibus conceſſa abſtinendi ſe ab hæreditate.*

8 *Quid cenſendum de facultate iure prætorio ſuis hæredibus conceſſa, vt ab hæreditate paterna ſe poſſint abſtinere.*

9 *Quid cenſendum de patre inſtituente ſuum hæredem ſub conditione poteſtatiua.*

10 *Ius quod hæres ſuus habet comparatione creditorum defuncti vt ſe poſſit abſtinere ab hæreditate, illamve repudiare, eſt perpetuum.*

11 *An ſi hæres ſuus, interim dum hæreditati non ſe immiſcet conueniatur à creditoribus, habeant illi ſufficienter fundatam aduerſus illum intentionem, vt poſſit condemnari.*

12 *Quod beneficium hæredi ſuo poſt hæreditatem repudiatam concedatur.*

13 *Vtrum iuri adeundi hæreditatem, quod conuenit hæredi non ſuo, & iuri immiſcendi ſe hæreditati, quod cōuenit hæredi ſuo poſſint præſcribi aduerſus illos, & quanto tempore.*

14 *Tribus modis reſpondetur ad dubium propoſitum vſque ad 16.*

17 *Tranſmiſſio iure ſanguinis.*

18 *Poteſtas hæc tranſmittendi hæreditatem parentum nondum aditam in deſcendentes, quibus competat.*

19 *Quid quando aſcendens hæreditatem aliquam reliquit deſcendenti ſub conditione in futurum pendente, quæ modus eſt.*

20 *Vtrum ſi aſcendens hæreditatem deſcendentem inſtituat eique vulgariter ſubſtituat quendam tertium, hæres ita inſtitutus hæreditatem nondum aditam tranſmittat ad ſuos deſcendentes, an vero pertineat ad ſubſtitutum remiſſiue.*

21 *Hæreditas inſue extranſmiſſione reſultans, quomodo præſcribatur aduerſus eos, ad quos iure ſanguinis eſt tranſmiſſum.*

22 *Tranſmiſſio iure deliberandi.*

23 *Quid opus facto, vt hæres tranſmittat intra illum annum, & alia quæ huc ſpectant.*

24 *Quid de inuentario conficiente vltra vires hæreditatis cenſendum.*

25 *Vtrum abolita ſit lex cum antiquioribus, quatenus cōcedit tranſmiſſionem hæreditatis intra annum à tempore ſcientiæ.*

DE TRANSMISSIONE HAEREditatis non aditæ iure ſuitatis, ſanguinis, ac deliberandi.

DISPVTATIO 180.

CVm hæres (vt diſputatione ſecunda & tertia oſtenſum eſt) eo ipſo, quod hæreditatē adit ſuam illam efficiat, manifeſtum eſt, ſi hæreditate adita ex hac vita diſcedat, illam tranſmittere ad quoſcunq; ipſius hæredes, non ſecus atque alia ſua bona ac iura. Quando autem è vita diſcedit nondum hæreditate adita: vel quia ignorauit ſibi eſſe relictam, aut ad ſe ab inteſtato pertinere, vel aliqua alia de cauſa, tunc cum nondum ſua ſit effecta, ſtatuerunt iura, vt eam non tranſmitteret, ſed pertinere ad alios prioris defuncti hæredes qui in ipſius defectum, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato ſuccederent: exceptis tribus capitibus in titulo huius diſputationis propoſitis, quorum duo poſteriora temporis progreſſu ſunt introducta, vt *ex l. vnica §. in nouiſſimo C. de caducis tollendis, & ex aliis iuribus, quæ Antonius Gomez. 1. tomo variarum reſolutionum cap. nono, numero 1. citat.* perſpicuum ſatis eſt. Quoniam vero ea capita diuerſitatem non modicam continent, tum quibus hæredibus concedantur, tum quorum comparatione hæreditatem tranſmittant, itemque circa

aliqua

aliaque alia, de singulis erit sigillatim dicendum.

2 Hæres suus hæreditatem nondum aditam ad se ex defuncto attinentem, cuius comparatione est suus hæres, transmittit ad quoscunque ipsius hæredes, modo tamen illam dum viueret non repudiarit *leg. apud hostes, Cod. de suis, & legitimis hæredibus leg. si fratris, Cod. de iure deliber. & aliis iuribus, quæ Anton. Gomez. 1. tom. variarum resolutionum cap. 9. numer. 7. & 20. not. abil 8. & Emanuel à Costa ad cap. si pater, part. 1. in verb. habens. numer. 18. citant.* Ratio autem, quæ hoc ipsum aperte probat, hæc est. Quoniam hæres suus vnum cum patre quoad bonorum dominium reputatur à iure, eaque de causa statim mortuo patre, ante aditam hæreditatem, dominium bonorum per mortem illius ad se pertinētium censetur continuari in eo, vt habetur *lege in suis. ff. de suis, & legitimis hæredibus, l. in suis ff. de liber. & posthum. §. sed sui, instit. de hæred. qualit. §. sui autem, institut. de hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur, & aliis iuribus*: quia ergo eiusmodi hæres dominus est paternæ hæreditatis antequam illam adeat, manifestum est non secus illam ad quoscunque ipsius hæredes transmittere, atque alia sua bona ac iura. Non idem censent iura de iis filiis, qui in potestate non erant parentum quibus succedunt, vt de emancipatis, & de filiis comparatione matris & ascendentium per lineam maternam, quos omnes iura inter hæredes extraneos comparatione suorum filiorum computant, vt habetur expresse §. *Cæteri, & duobus sequentibus, institut. de hæredum qualit.* Nisi hæreditatem adeant, non censentur dominium illius comparare.

3 Hinc ortum habuit discrimen illud, quod iuxta *leg. hîc pro hærede Codice de vsucapione pro hærede, & leg. 2. §. vltimo ff. de hærede, in calce disputationis 65.* constituimus. Nempe suum hæredem non censeri habere titulum ad præscribendum rem, quam suus prædecessor bona fide, sine titulo etiam cœpit possidere: hæredem vero non suum eo ipso, quod hæres est censeri illum habere. Etenim hæres suus non acquirit nouum dominium in bonis patris, sed continuat, quod antea habebat, ac proinde res censentur esse in eodem ipso statu, in quo erant apud patrem: hæres vero non suus aditione hæreditatis comparat dominium bonorum defuncti, quod antea non habebat, ac proinde censetur habere nouum titulum pro hærede dominij ex se translatiuum, vt præscribere res possit intra tempus, quo cum titulo ea bona solent præscribi.

4 Ex hoc eodem fundamento infert Anton. Gomez. *loco citato num. 18.* cum Angelo & aliis, si statuto caueatur, vt ex quacunque hæreditate, quæ alicui obuenerit, soluatur certum tributum, hæredes quidem non suos teneri illud soluere, non vero hæredes suos: quoniam nihil de nouo censetur eis aduenire, sed continuant dominium præcedens.

5 Obseruant *Couarruu. regul. possessor, part. 2. §. 5. numero 3. Emmanuel à Costa, capit. si pater. 1. verb. habens. numero 19. Anton. Gomez. 1. tom. variar. resolutio. cap. 9. numer 24.* & communis Doctorum sententia, quam referunt: quamuis hodie *iure Codicis & authenticorum l. minimus C. de suis & legitimis hæredib. & authen. de hæreditatibus quæ ab intest. deferantur §. nullam*, sublata sit differentia inter filios suos, & emancipatos, aut comparatione matris, omnesque æqualiter vocentur ad succedendum parentibus: id intelligendum esse, quoad successionem in portionibus æqualibus, & quoad remedia ad illas integras obtinendas: non vero quoad modum & qualitatem succedendi: quin potius hæredem suum succedere hodie vt suum, atque adeo vi suitatis transmittere hereditatem non aditam ad quoscunque ipsius hæredes: emancipatum vero succedere vt emancipatum, eaque de causa solum iure sanguinis illam transmittere, non ad omnes, sed quosdam ipsius hæredes, vt mox dicemus.

Dum supra dixi, hæredem suum transmittere hæreditatem nōdum aditam ad quoscunque ipsius hæredes, addidi: modo dum viueret illam non repudiauerit: quoniam licet quondam hæredibus suis non fuerit permissum repudiare hæreditatem paternam, hæredes essent necessarij, qui tanquam domini ipso iure bonorum parentum, vellent, nollent, parentum creditoribus tenebantur respondere: postea tamen de iure prætorio concessum illis fuit, vt antequam hæreditatem acceptauerint, possent se ab illa abstinere. Ita habetur *§. necessarii vero, institu. de hæredum qualit. & differen. & aliis iuribus, quæ Antonius Gom. 1. tom. var. resol. c. 9. num. 15. & 21. citat.*

B Obseruandum tamen est, medio tempore, quo sui hæredes post mortem eius, cui ita succedunt, neque hæreditatem adeunt, neque illam repudiant, esse veros dominos eorum bonorum, vt dictum est, neque talium hæredum comparatione dari hæreditatem iacentem, vt datur comparatione cæterorum, tempore, quo neque illam adeunt, neque repudiant. Quo fit, vt facultas suis hæredibus concessa abstinendi se ab hæreditate, illamve repudiandi, sit facultas ablegandi à se dominium, quod ipso iure morte eius, cui ita succedunt acquisierunt, & vna cum illo onera talis defuncti. Ita, iuxta *leg. si post mortem in princ. ff. de leg. 1. glos. in l. cum hæreditas C. depositi.* Bart. & communis Doctorum C sententia, quam *Anton. Gom. ibidem num. 17.* refert ac sequitur.

Obseruandum item est, facultatem illam de iure prætorio suis hæredibus concessam, vt ab hæreditate paterna se possint abstinere, non reddere institutionem, seu successionem conditionalem potestatiuam, quæ iuxta dicta in calce, disputatione 177. impediat transmissionem hæreditatis, saltem quoad incrementum vltra legitimam, nisi hæreditas prius acceptetur, quasi post ius illud prætorium, qui ante illud erant sui hæredes, non prius hæredes existerent, quam conditionem illam implerent: id namque esset tollere prorsus de medio suitatem, quoad dominij hæreditatis ipso iure acquisitionem, & quoad transmissionem hæreditatis non aditæ ad quoscunque hæredes: sed facultatem illam esse solum priuilegium suis hæredibus concessum, vt cum statim morte eius, cui succedunt, hæredes existant, comparentque dominium hæreditatis & cum eo ius ad eandem, nondum aditam, transmittendum: nihilominus potestatem habeant repudiandi hæreditatem, ablegandique à se illius dominium. Ita cum Bartol. & communi Doctorum sententia, iuxta apertissima iura, *Ant. Gom. vbi supra, num. 23.*

Illud hoc loco erit breuiter addendum, si pater hæredem suum instituat sub conditione potestatiua, cum ea conditio nulla sit comparatione legitimæ, vt disputatione 177. oftensum est non obstante ea conditionali institutione, talem filium E transmittere ad quoscunque ipsius hæredes legitimam suam portionem, esto hæreditatem non adierit: at vero incrementum non transmittere: quia quoad illud valida erat illa conditio, quæ propriissime habuit rationem conditionis, neque fuit impleta. Atque hoc solum est, quod Antonius Gomezius cum communi doctorum sententia probat efficaciter aduersus Baldum, Dinum, & alios 1. *tom. variar. resolut. cap. 9. num. 32.* vbi recte subiungit, filium emancipatum, aut à matre institutum sub eadem potestatiua conditione, non transmittere iure sanguinis in suos descendentes incrementum (quod à patre, aut matre grauari potuit ea conditione) nisi ante mortem adierit hæreditatem: neque extraneum similiter institutum transmit-

tere iure deliberandi talem hæreditatem non aditam, eo quod similiter institutus sit sub vera & valida conditione attento nouo iure Codicis, quicquid fuerit quondam de iure digestorum. Eum legito.

10 Ius, quod hæres suus habet comparatione creditorum defuncti vt se possit abstinere ab hæreditate, illamve repudiare, est perpetuum, ita videlicet, vt interim dum hæreditatem neque expresse, neque tacite adiuit, illi se immiscendo, & tanquam hæredem se gerendo, integrum illi semper sit, dum à creditoribus conuenitur, ab illa se abstinere, eamve repudiare. Ratio est, quoniam beneficium hoc, se abstinendi, vim exceptionis comparatione creditorum habet: regula autem est; quæ temporalia sunt ad agendum, perpetua esse ad excipiendum *leg. pure §. vltimo ff. de doli mali except. & leg. licet Codice, de exception.* Si tamen hæres suus tacite vel expresse hæreditatem adiuit, conueniri eo ipso potest à creditoribus loco defuncti. Hæc *Antonius Gomezius loco citato, numero 22.* & Doctores quos citat.

11 Numero 25. disputat, num si hæres suus, interim dum hæreditati non se immiscuit, conueniatur à creditoribus, habeant sufficienter fundaram aduersus illum intentionem, vt possit condemnari. Et quamuis communis sententia, quam refert ac sequitur, neget, raro tamen in praxi id locum habebit, si talis hæres in iudicio compareat: quoniam eo ipso, quod vt hæres respondeat, censetur se immiscere hæreditati, eamque tacite adire. Si vero dicat, se solum tanquam filium comparare, ac respondere, cogetur hæreditatem adire, vel repudiare. Quod si respondeat, se velle deliberare, quid horum sibi magis expediat, iudex, attentis circumstantiis concurrentibus, ad petitionem creditorum & legatariorum, illi præscribet tempus in quo alterum eligat: quo transacto, si intra illud non adiuit, censetur hæreditatem repudiasse. Interim vero dum deliberat, iudex, si ita opus fuerit, curatorem hæreditati, præbebit, vt *Antonius Gomezius in calce, numero decimo septimo* recte ait.

12 Hæredi suo, post hæreditatem repudiatam conceditur beneficium, vt reuocare possit repudiationem, iterumque adire & acquirere hæreditatem. Et quidem si illam repudiauerat post ætatem viginti quinque annorum, solum ei conceditur triennium post talem repudiationem, intra quod possit illam reuocare, modo tamen bona hæreditatis non sint iam magna ex parte alienata: nam tunc ei non conceditur reuocatio repudiationis. Si vero hæreditatem repudiauerat antequam esset viginti quinque annorum, tunc conceditur ei reuocatio repudiationis, per beneficium restitutionis in integrum vsque ad vigesimum nonum suæ ætatis annum expletum, & insuper postea per tres alios annos vsque ad trigesimum secundum expletum. Et quidem si bona hæreditatis alienata fuerunt, interim dum ille vigesimum quintum annum non expleuerat, conceditur illi reuocatio repudiationis, esto bona alienata fuerint. Si vero intra illud tempus non fuerunt alienata solum septennio sequenti conceditur illi reuocatio, dummodo bona hæreditatis magna ex parte alienata non sint. Ita habetur *leg. vltim. Cod. de repudianda hæreditate, & leg. vltim. titulo 6. part. 6.* Porro priuilegium hoc totum personale est comparatione suorum hæredum: quare si hæres suus moriatur intra tempus ei datum ad reuocandam repudiationem, non transmittit eiusmodi ius ac priuilegium ad ipsius hæredes. Lege inter alios *Antonium Gomezium 1. tom. variar. resolutionum cap. 9. numero 31.* & Doctores quos citat. Iterù si suo hæredi datus sit substitutus vulgaris, reuocare ne- A quit renunciationem postquam fuerit viginti quinque annorum: quia eo ipso quoad hoc amisisse censetur priuilegium suitatis, vt cum Baldo, & Alex. & aliis, affirmant *Anton. Gomez. num. citato, & Greg. Lopez. ad l. vlt. citatam, glos. ante p. iuxta l. si filius hæres ff. de lib. & post.* & alia iura quę citat. Vtrum autem eo ipso quod hæredi suo datum est substitutus vulgaris, amittat suitatem, vt, esto expresse non repudiet hæreditatem, eam non transmittat ex potentia suitatis, disp. 183. dicetur.

Dubium est, vtrum iuri adeundi hæreditatem, 13
quod conuenit hæredi non suo, possit præscribi *Dubium.*
aduersus illum, & quanto tempore præscribatur. Et similiter, vtrum iuri immiscendi se hæreditati, quod conuenit hæredi suo, possit præscribi, & quanto tempore, ita vt deinceps dominium a- B
mittat, neque possit se vlterius hæreditati immiscere.

Ad quod breuiter dicendum est, per professio- 14
nem quidem bona fide, vel totius hæreditatis, vel *Decisio.*
partis bonorum, quę quis tanquam sua possideat, præscribi dominium eorum, cum titulo sit sine titulo, tempore quo aduersus quemcunque alium, iuxta ea, quę in materia de præscriptione dicta sunt, præscriberentur, ac proinde deinceps vtrumque heredem, de quibus est sermo, amittere totum ius in re aut ad rem, quod ad illa habebant, atque adeo neque per additionem hereditatis, neque per hoc quod suus heres se velit illi immiscere, comparare C
ius aliquod. Neque est hoc, quod Doctores hoc loco intendunt disputare.

Dicendum deinde est, si eiusmodi heredes 15
ignorent, ea bona iure hereditario ad se pertinere, & qui præscribere debet, conscius quod heres ignoret, eum non admoneat, vt si velit, hereditatem adeat, eive se immisceat, neque in conscientię, neque in exteriori foro vllo tempore hereditatem aduersus eum præscribere, præsertim si qui ea præscribere debet, illa possideat. Probatur, quoniam eiusmodi bona debita reuera sunt eiusmodi heredi ignoranti, isque, qui illa aduersus eum præscribere vult, peccat ea illi non offerendo, eumve non admonendo, estque proinde malę fidei possessor comparatione illius: ergo nullo tempore præscribit iuri, quod heres ille ad ea habet, iuxta ea quę disputatione 66. de præscriptione iurium D
late dicta sunt.

Dicendum tertio est, si eiusmodi heredes non 16
ignorent ius, quod ad ea bona habent, vel is, qui in illorum defectum succedere in eis debet, in nulla fuit culpa eos non admonendo, quia vel id ignorabat, vel erat absens, præscribere aduersus tales heredes ius illud spatio triginta annorum, possęque tuta conscientia occupare aut retinere ea bona tanquam ad se deinceps pertinentia: atque in hoc sensu verum est, quod cum Bartol. & communiori Doctorum sententia *Antonius Gom. 1. tomo variarum resolutionum cap. 9. numero 27. & 28.* affirmat. Tunc enim non est in eiusmodi successore mala fides, & vt heredes illi ius illud amittant, aliusque illi præscribat, satis est, si illi eo non vtantur tempore dato ad illud aduersus eos præscribendum, vt disputatione 66. citata dictum est: ad præscribendum vero eiusmodi iuribus sine titulo regulariter requiritur, & sufficit tempus triginta annorum, vt disputatione 70. & 71. dictum est. Si tamen quis simul esset heres ex testamento, & ab intestato, tunc licet triginta annis præscriberetur aduersus eum nevna via succederet, posset nihilominus succedere alia: quocirca, vt aduersus eum præscribatur, vt neutra via possit succedere, requiritur spatium sexaginta annorum, vt *ibidem Antonius Gom. num. 29.* cum communi sententia subiungit. Si tamen is, qui vtraque via potest succedere, sciens & prudens vtraque via hereditatem sibi deberi, absolute hereditati renunciet,

nunciet, censetur ei vtraque via renunciare, secus A autem, si ignorans se vtraque via succedere, absolute renunciet: quoniam tunc succedere adhuc potest altera via, quam ignorabat, & cui nec tacite censetur renunciasse Ita *Anton. Gomez. cum Bart. & communi sententia ibidem, numer.* 30. habeturque expresse *l. penult. titul. 6. part. 6.* Idem dicit esse *Cou. reg. possessor. part. 2. §. 5. numer. 5.* quando vtraque via non concurrit simul tempore, sed posteriori succedit, quando priori non est locus: tunc enim licet, dum prior via adest, absolute renunciet, non censetur renunciare posteriori, quæ post primam sequitur, vt colligitur *ex l. 1. §. sed videndum ff. de succes. edict.* Hęc de primo capite trãsmissionis hæreditatis nondum aditæ.

17 *Transmissio in consanguineis.* Quod ad secundum attinet *leg. vnica Cod. de iis qui ante apertas tabulas*, sancitum est, vt vniuersim descendentes omnes, siue hæredes essent sui, siue non hæreditatem ex suis ascendentibus, tam per lineam masculinã, quam fœmininam, ad se pertinentem transmitterent nondum aditam, non quidem ad quõscunque ipsorum hæredes, sed duntaxat ad suos descendentes, idque siue illam non adierint, quia ignorabant ad se pertinere, siue quacunque alia ratione: modo tamen eam non repudiarint. Tranmissionẽ hanc appellant iurisperiti transmissionem iure sanguinis. Quamuis autem lex citata solum videatur loqui, quando hæreditas ascendẽtium pertinet ex testamento, idque siue simul institutus sit hæres aliquis extraneus aut descendens, siue non. Glossa tamen ibi & communis Doctorum C sententia affirmat, idem dicendum esse, quando ab intestato ad talem descendentem spectat. Hodie ergo filius, etiam emancipatus, ante aditam hæreditatem non solum patris, & auorum aut proauorum ex parte patris, sed etiam matris, & auorum aut proauorum ex parte matris, illam trasmittit ad suos descendentes, si quos habeat: non vero ad ascendentes, aut collaterales, vel quoscunque alios hæredes extraneos. Quo fit, vt si filius emancipatus careat descendentibus, discedatque ante aditam hæreditatem paternam, non transmittat illam ad matrem: hæreditatem vero maternam, etiamsi emancipatus non esset, neque ex hoc capite, neque ex præcedente transmitteret ad patrem: eo quod comparatione matris, de cuius successione agitur, nõ fit suus hæres. Lege quoad hactenus dicta *Anto. Gomez. 1. tom. variar. resolut. cap. 9. num. 41. & Emmanuelem à Costa, cap. si pater, part. 1. verb. habens numer.* 2. & communem sententiam Doctorum, quos citant.

18 *Antonius Gomez. ibidem num.* 43. cum multis aliis quos citat, affirmat, potestatem hanc transmittendi hæreditatem parentum nondum aditam in descendentes, competere filiis illegitimis naturalibus, quoad portiones in quibus ex legis præscripto succedunt suis ascendentibus, iuxta ea, quæ suo loco dicta sunt. Et quamuis nonnulli refragentur, placet hæc sententia, consentaneaque est iis, quæ disputatio. 170. dicta sunt: eo quod priuilegium hoc E iuri sanguinis innitatur. Quin potestatem hanc extendam arbitror ad spurios, quoad portiones in quib. legis præscripto succedũt matribus. Eodẽ etiam modo intellige legitimos filios transmittere hæreditatem suorum ascendentium nondum aditam in illegitimos descendentes, quando ex præscripto legis illegitimi possunt ipsis succedere, vt ibidem recte Antonius Gomezius cum aliis, quos citat, affirmat.

19 Illud est obseruandum, si ascendens hæreditatem aliquam reliquerit descendenti, sub conditione in futurum pendente, quæ modus non sit, tunc si descendens ante conditionem impletam ex hac vita discedat, non transmittere hæreditatem ad suos descendentes, vt colligitur *ex lege vnica §. sin autem. Cod. de caducis tollendis*, & ex aliis iuribus quæ *Antonius Gomez. ibidem numero* 49. citat, & affirmant *Glossa vltim. leg. vnica C. de iis quæ ante aper. tabul. Bartol. & alii quos Antonius Gomez. ibidem refert ac sequitur.* Excipitur legitima portio, quam omnino ad descendentes transmittit, eo quod grauamen ei imponi non possit.

Vtrum autem, si ascendens hæredem descendentem instituat, eique vulgariter substituat quendam tertium, hæres ita institutus hæreditatem non aditam transmittat ad suos descendentes, an vero pertineat ad substitutum, disputatione 183. dicetur. 20

Hæreditas, iusve ex transmissione resultans non 3 præscribitur aduersus eos, ad quos iure sanguinis est iam transmissum, esto neque per ipsos, neque per priorem hæredem adita fuerit hæreditas, nisi spatio triginta annorum cum ea bona fide de qua dictum est, quando hæreditas est transmissa ex potentia suitatis, idque propter rationes ibidem redditas: est enim vtrobique eadem ratio. Hæc de secundo capite. 21

22 *Transmissio de iure deliberandi.* Quod tertium attinet *leg. cum antiquioribus Cod de iure deliber.* omnibus vniuersim hæredibus, tam descendentibus, quam extraneis, conceditur annus computandus à die, qua nouerint hæreditatem aliquam ex testamento aut ab intestato ad se pertinere, vt in eo anno deliberare possint, num adire aut repudiare velint hæreditatem. Quod si intra id tempus è vita, neque hæreditate adita, neque repudiata discedant, conceditur vt eam ad quoscunque ipsorum hæredes, etiam extraneos, transmittant: in statu tamen in quo ad ipsos spectabat, nempe cum facultate illam adeundi, vel repudiandi, solum quousque annus compleatur, qui in prioribus hæredibus à scientiæ tempore decurrere cœperat: eo autem anno transacto, si neque per priores hæredes, neque per posteriores hæreditas sit adita, eo ipso deuoluitur ad hæredes ab intestato prioris defuncti, vel ad substitutos ab eo ex testamento relictos. Si tamen primus hæres è vita discedat cum ignorantia, quod ea hæreditas ad se pertineret, tunc quoniam ignorans deliberare non potest, eam non transmittit ad ipsius hæredes, sed pertinet ad hæredes ab intestato prioris defuncti, vel ad substitutos, nisi ex aliquo duorum priorum capitum eam transmittat, vt in eis ipsis explicatum est. Hæc habentur *lege citata*: consentiunt *Antonius Gomezius 1. tom. variar. resolut. cap. 9. à numero* 51. *Emmanuel à Costa cap. si pater, part. 1. verb. habens, numero* 22. & communis Doctorum sententia, quam referunt.

Quo loco in primis obserua, vt hæres transmittat 23 intra illum annum, necesse non esse, vt petierit illud tempus ad deliberandum, vt habetur expresse *lege cum antiquioribus citata.* Obserua deinde, etiam quando quis transmittit hæreditatem non aditam ex duobus capitibus præcedentibus, transmittere illam cum potestate in hæredibus, vt illam possint repudiare, sicut ipse eam facultatem habebat. Ita probat textus *in l. si quis filium §. 1. ff. de acquirend. hæredit.* & affirmant Glossa ibi Bartol. & alij, quos *Antonius Gom. loco citato numero* 55. refert ac sequitur. Obserua tertio, quando aliqs absens erat propter Rempublicam, aut ex alia rationabili & iusta causa, ignorauit hæreditatem aliquam ad se pertinere, atque idcirco eam intra tempus à iure concessum non adiuit, concedi, tam ipsi, quam ipsius hæredibus, si ipse sit defunctus, restitutionem in integrum, vt eam possint adire. Ita habetur *leg. Pomponius in princip. ff. de acquirend. hæredit. & leg. 1. ff. ex quibus causis maiores*, atque aliis iuribus. Eademque ratione, si minor viginti quinque annis discedat hæreditate non adita, conceditur hæredibus illius restitutio in integrum. Hæc Bartol. & communis Doctorum

sententia, quam referunt & sequuntur *Antonius Gomez. 1. com. variar. resolut. cap. 9. numero 56. & Emanuel à Costa cap. si pater, part. 1. verb. habens à numero 26.*

24 Illud etiam est obseruandum, quamuis *leg. cum antiquioribus, citata*, quando hæredes, siue inuentarium conficerent, siue non tenebantur creditoribus vltra vires hæreditatis, fuerit annus ad deliberandum concessus computandus à tempore scientiæ, vt dictum est: posteà tamen *leg. vltim. §. & hæc quidem Cod. de iure deliberandi*, constituto, vt qui inuentarium conficerent, vltra vires hæreditatis non tenerentur, aliisque potirentur priuilegiis, sanctum quoque fuisse, vt à iudicibus solum concedi possent hæredibus nouem menses ad deliberandum, idque semel tantum: si vero plus temporis concederetur, esset incrementum irritum & inane: vt à Principe solum concedi posset annus. itemque vt elapso tempore ita concesso, si hæredes intra illud non repudiassent hæreditatem, censerentur eo ipso illam adiisse, vt *ibidem §. sin autem*, subiungitur. Hæc eadem habentur *leg. 2. titul. 6. part. 6.* vbi additur, iudicem minuere posse tempus nouem mensium, si intellexerit breuius sufficere ad deliberandum: modo tamen saltem concedat centum dies, consonantque *lex itaque ff. de iure deliberandi.*

25 Dubium est, vtrum hodie abolita sit *lex cum antiquioribus*, quatenus concedebat transmissionem hæreditatis intra annum à tempore scientiæ. Placetque dicamus cum *gloss. vltim. leg. vltim. §. vltimo Codice de iure deliberandi*, partim esse abolitam, partim vero hodie habere vim. Si namque à iudice non præfigatur hæredi spatium nouem mensium intra quod deliberet, esto post nouē menses (ante annum tamen absolutum) è vita discedat, transmittit hæreditatem. Si vero spatium illud ei præfigatur, tunc elapso eo tempore censetur adiisse hæreditatem ac proinde non transmittit ad ipsius hæredes nondum aditam hæreditatem, sed tacite iam aditam. Absolute autem cum ea Glossa est dicendum, Imperatorem *lege vltima citata* intendisse minuere tempus transmissionis, quando nouem menses à iudice præscribentur.

SVMMARIVM.

1 *Triplex rei legatæ dominium comparatione legatarij.*
2 *Quod ius comparet legatarius antequam hæres adeat hæreditatem.*
3 *Quando legata sunt pura, transmittuntur ad hæredes legatarij statim à morte talis legatarij.*
4 *Quid, quando legata relicta sunt sub conditione pendente in futurum, aut in diem incertum.*
5 *Quæ excipiantur ab his conclusionibus.*

DE TRANSMISSIONE LEGATORVM, & an nulla reddantur si hæreditas adita non fuerit.

DISPVTATIO *181.*

QVoniam disputatio de legatorum transmissione cum disputatione de transmissione hæreditatis est coniuncta, hoc loco erit subiicienda.

1 Est autem ex disputatione 3. in memoriam reuocandum, quando res designata in singulari alicui legatur pure, hoc est, non sub conditione, quæ in futurum pendeat, neque in diem, tunc statim, ac hęres adit hereditatem, legatarium comparare dominium rei ita sibi legatę, esto ignoret sibi esse legatam: imo vero iuris fictione censeri comparasse dominium statim à morte testatoris, quasi per A aditionem factam ab hęrede retrotrahatur acquisitio dominij rei legatę fictione iuris, vt fuisse censeatur à morte testatoris. Ita tamen aditione hereditatis facta per hęredem comparat legatarius dominium rei sibi legatę, vt integrum ipsi sit accipere aut repudiare legatum. Quod si, postquam hereditas fuit adita, legatarius repudiet legatum, iuris etiam fictione censetur nunquam fuisse dominus rei illius: eaque, de causa dominium rei legatę, quod legatarius comparat aditione facta per hæredem antequam ipse legatum acceperet, censetur reuocabile, quasi repudiatione efficere posit, vt nunquam illud acquisierit. Eo autem ipso, quod legatum ac- 2 ceperat, comparasse censetur à morte testatoris dominium irreuocabile. Quia ergo hæc ita se habent, non incongrue *Alexand. l. si tibi homo, §. cum seruus ff. de legatis 1. à Gregor. Lopez, ad legem 34. titul. 9. part. 6.* relatus, distinguit triplex rei legatæ dominium comparatione legatarij. Quoddam fictum, quale est, quod, hæreditate per hæredem adita, fingitur habuisse ante illam aditam à morte testatoris. Aliud verum, sed reuocabile, nempe illud, quod habet statim ac hæreditas est adita, antequam ipse legatum acceptet. Atque aliud irreuocabile, nempe illud idem subsecuta iam legati acceptatione. Iuxta vero hoc triplex genus dominij conciliat varia iura, quæ delegari dominio comparatione legatarij diuersimode loquuntur. Quando autem legatur aliquid certum in quantitate, genere, aut B specie, sed certum in individuo, legatarius, hæreditate per hæreditatem adita, comparat, non quidem dominium, eo quod res, legata certa non sit & determinata, sed ius ad illud cum hypotheca in omnibus hæreditatis bonis, vt disputatione tertia citata explicatum est. Quæ hypotheca est etiam cōparatione legati determinati in individuo, vt ibidem dictum est.

Antequam autem hæres adeat hæreditatem 4 siue res legata certa ac determinata sit in singulari, siue tantum in specie aut genere, solum comparat legatarius ius quoddam remotius ad rem illam, quæ de iure communi ante aditam hæreditatem illi non est debita, eo quod nondum sit hæres qui illam debeat. Præterea, quia, si hæres non D adeat hæreditatem, legata ipso iure nulla redduntur, pertinentque ad hæredem ab intestato, eo quod testamentum eo ipso nullum omnino sit, vt constat *ex leg. nemo 1. ff. de testamentaria tutela*, cuius hæc sunt verba. *Si nemo hæreditatem adierit nihil valet ex iis, quæ testamento scripta sunt: si vero vnus ex pluribus hæredibus adierit, tutelæ statim valent* (idem intellige de legatis) *neque expectandum erit, vt omnes hæreditatem adeant.* Idem constat *ex leg. 1. §. aditam, ff. si quis testamento liber esse iussus fuerit, leg. si nemo, ff. de regulis iuris, & ex aliis iuribus, quæ Antonius Gomez, ad legem 24. Tauri, numero 1. & 1. tom. variarum resolutionum cap. 12. numero 11. & Emmanuel à Costa cap. si pater, part. 2. verb. deferuntur. numero 3. fol. 345. citant.* E Excipe legata ad pias causas, quæ vt disputatione 134. ostensum est, valida sunt, teneturque proinde ea soluere hæres ab intestato. Excipe etiam nisi in testamento appositа fuerit clausula codicillaris, aut aliquid quod ei æquipolleret: nam tunc etiam legata ad non pias causas debentur ab hærede ab intestato vt cum *Glossa cap. Raynaldus, de testamen. & gloss. vltim. leg. ex testamento, iuxta textum ibi. Cod. de fideicommiss., & gloss. leg. eam quam, verb. traditur. Cod. eodem titulo Bartol. Panormitano, & alii affirmat Couar. cap. cum Raynaldus, citato §. 3. numero 8.* Excipe præterea, si testator prohibuit hæredi detrahere Falcidiam, eaque de causa hæres adire noluit hæreditatem: tunc enim legata nihilominus debentur, vt habetur in *authentico de hæredibus & Falcidia §. si verò expressim. & cum aliis affirmat Couar. loco citato numer. 9.*

Denique

Denique excipe, in Regno Castellæ, vbi esto hæres non adeat hæreditatem valida nihilominus sunt legata, vt sæpe in superioribus dictum est, & habetur, *l. 1. ff. a. tit. 5. noua collectionis.*

3 1. Conclus. His ita constitutis, quod ad primum eorum attinet quæ in titulo proposita sunt, sit prima conclusio. Quando legata sunt pura, hoc est, non sub conditione pendente in futurum, aut aliquid est legatū, vt detur in diē incertū, transmittūtur ad hæredes legatarij statim à morte talis legatarii, idque siue hæreditas adita sit, siue non, & siue legatarius sciuerit sibi ea esse relicta, siue non: modo tamen legatarius mortuus non fuerit ante testatorem, nam tunc legata nulla redduntur, vt alibi dicendum est. Ita habetur expresse *l. vnica. §. cum igitur. & §. in nouissimo. Cod. de caducis tollendis. & l. 24. titulo nono part. 6.* consentitque communis Doctorum sententia. Quod si B legatū erat res certa & determinata in singulari, aditaque erat hæreditas, legatarius rē illā, cuius dominus aditione hæreditaris erat effectus, transmittit ad hæredes alioquin transmittit solū ad eos ius, vt ipsis soluatur legatum, cum hypotheca in vniuersa hæreditate, vt dictum est.

4 2. Conclus. Secunda conclusio Si legata relicta sint sub conditione pendente in futurum, aut in diem incertum ita vt iuxta ea, quæ disput. 156. explicata sunt, & disput. 205 fusius dicentur, vim habeat conditionis pendentis in futurum, tunc si legatarius post testatorem moriatur, attamen ante conditionem impletam, non transmittit ea ad hæredes, sed vel pertinent ad substitutum, vel ad collegatarium, si in eadem re simul cum legatario defuncto institutus est alius legatarius, vel ad hæredes testatoris: si autem conditio tempore mortis talis legatarij defuncti erat impleta, transmittit ea ad suos hæredes. Ita habetur *l. vnica. §. sin autem. C. de caducis tollendis, & l. 34. citata*, consentitque communis Doctorum sententia. Hæ duæ conclusiones magis explanantur disput. 189. Quod de legato relicto sub conditione dictum est, intelligendum est, si conditio sit expressa: nam si tacita, non impedit transmissionem legati, vt infra disp. 200. explicatur.

5 Ab his duabus conclusionibus excipitur inprimis, si legatum sit vsus fructus, & eadem ratione, vt ibidem notat Glossa, si sit vsus aut habitatio: hæc enim cum ex sui natura morte finiantur legatarii, non transmittuntur ad hæredes. Fructus tamen ex re in vsum fructum legata percepti, qui ad legatarium pertinent, non dubium est quin transmittantur. Excipiuntur, deinde libertates legatæ, vt si quis in suo testamento seruum manumittat. Idemque legata facta tam mancipijs, quæ in eo testamento manumittuntur, quam facta mancipijs, quæ aliis legantur: vt si quis dicat, lego Petro mancipium meum Antonium, cui Antonio hoc, vel illud etiam lego. Hæc namque solum debentur à tempore aditæ hæreditatis, neque hæreditate aditæ retrotrahuntur vt debita sint à morte testatoris. Omnes hæ exceptiones habentur expresse *l. vnica. §. libertatibus. C. de caducis tollendis.*

SVMMARIVM.

1 *Substitutionis definitio.*
2 *Non solum in hæreditate, sed & in legatis & donatione causa mortis fieri potest.*
3 *Codicillis interdum substitui potest.*
4 *Indirecta substitutio quid.*
5 *Directa substitutio.*
6 *Substitutionis species septem.*
7 *Vulgaris substitutionis definitio.*
8 *Alia vulgaris substitutionis definitio.*
9 *Militaris substitutio.*
10 *Pupillaris substitutio.*
11 *Substitutio exemplaris.*
12 *Fideicommissaria substitutio.*
13 *Substitutio vulgaris aut pupillaris, codicillo facta obliquantur.*
14 15 *Explicantur definitionis membra.*
16 *Compositæ substitutiones quid sint, remissiue.*
17 *In dubio substitutio censetur directa, non fideicommissaria.*
18 *Substitutus alteri directe & indirecte vulgari & fideicommissaria substitutione, eligere potest, quo illorum modorum succedere malit.*
19 *Si quis vulgariter & fideicommissarie substituatur, in eo euentu, quo institutus hæreditatem non adit, succedit substitutus in totam hæreditatem, in euentu vero quod eam adiat, talis hæres tenetur restituere substituto id quod grauatus fuit restituere, & tempore quo grauatus fuit restituere, Trebellianica detracta.*

SVBSTITVTIO QVID ET QVOTUPLEX sit.

DISPVTATIO 182.

A Disputatione 154. egimus de hæredum institutione, deque eorum successione, tam ex testamento, quam ab intestato, præteritione, & exhæredatione, itemque de transmissione hæreditatis; nūc vero de substitutionibus, quę hęredibus potissimū fiunt, dicendum est.

A substitutione ergo in genere ordiendo, eā consentaneè ad Couarruuiam, *cap. Raynutius, de testam. §. 4. num. 1.* sic possumus definire. *Est vnius, aut plurium, in alterius aut aliorum locum, ad rem aliquam in vltima voluntate facta vocatio.* Dictum est, *vnius aut plurium*: non solum quia plures in vnius locum possūt immediate substitui, quemadmodum & vnus in locum plurium qui cohęredes instituti sunt, *vt inst. de vulgari substitut §. & plures*, habetur: sed et am, quia plures ordine quodam possunt vni substitui, vt habetur *l. 1. ff. de vulgari substitutione*, vt si quis sic in suo testamento dicat: instituo hęredem meorum bonorum Petrum, & si is hæres non fuerit, sit Franciscus D & si Franciscus non fuerit, sit Antonius. Additum est, ad aliquam rem, & in vltima voluntate vocatio: quoniam substitutio non solum in hæreditate, sed & in legatis & donatione causa mortis fieri potest, *l. vnica. § sin autem. C. de caducis tollendis* expresse habetur. Quod si solam substitutionem in hęreditate definire voluerimus, dicemus. E. *si vnius aut plurium in alterius, aut aliorum locum ad hæreditatem vocatio.* Hęc autem vt plurimum fit in testamento, tametsi interdum in codicillo etiam fiat.

1 *Substitutionis definitio.*

2 *Substitutio non solum in hæreditate, sed & in legatis & donationibus causa mortis fieri potest.*

3

Substitutio in hęreditate, quędam est indirecta & quędam directa. Indirecta est, quando hęreditas defertur substituto per alterum qui eam illi restituat: vt quando vnus instituitur hæres, & grauatur hæreditatem, aut partem hęreditatis restituere E alteri. Et hęc dicitur etiam, tum obliqua, tum fideicommissaria substitutio. Directa verò substitutio est, quando hęreditas substituto defertur absque alterius ministerio, qui illam restituat. Differt autem inter vtranque præter alia, quod in fideicommissaria substitutione locum habet detractio trebellianicę: in substitutione vero directa non item. Directa & indirecta substitutio fieri etiam potest in legatis, & donationibus causa mortis: sed tunc locum non habet Trebellianica.

4 *Indirecta substitutio quid.*

5 *Directa substitutio.*

Sex substitutionum species communiter distinguūtur, vulgaris, pupillaris, exemplaris, fideicōmissaria, cōpendiosa seu reciproca, & breuiloqua. Merito tamen *Emman. a Costa... si. pater, in prin. n. 2. post Co-*

6 *Substitutionis species septem.*

uar.cap. Raynutius *de teſtamentis*, §. 9. *num.* 2. & alios quos Couar. refert, addit ſeptimam ſpeciem, quæ militaris ſubſtitutio appellatur, proximeque poſt vulgarem erit annumeranda.

7 *Vulgaris ſubſtitutionis definitio.*

Vulgaris ſubſtitutio ab *Anto. Gomez. t. 1. tom. variar. reſol. cap. 3. num. 1.* & *Couarr. loco citato num. 30.* & ab aliis cum Bart. in hunc modum definitur. *Eſt directa ſubſtitutio, quæ à quocunque teſtatore, & comparatione cuiuſcunque hæredis fieri poteſt.* Nomine teſtatoris is intelligitur, qui iuris diſpoſitione teſtari valet: ſicut nomine hæredis intelligitur, qui diſpoſitione iuris hæres inſtitui poteſt. Quare, eum, qui teſtari nequit, non poſſe vulgariter ſubſtituere, & eum, qui hæreditatis eſt incapax, non poſſe vulgariter ſubſtitui, nihil traditæ definitioni officit. Quia ergo quicunque de populo, & comparatione cuiuſcunque, poteſt modo explicato eiuſmodi efficere ſubſtitutionem, ait *l. 1. tit. 5. part. 6.* ad diſtinctionem reliquarum ſimplicium directarum, ſubſtitutionem hanc vulgarem fuiſſe nuncupatam. Idem affirmat *Bart. l. 1. ff. de vulgari ſubſtitutione, & alii Doctores.*

8 *Aptior eiuſdem definitio.*

Melius tamen poſſumus eam hoc pacto definire. *Eſt ſubſtitutio directa & ſimplex, qua quis abſque peculiari priuilegio hæredem ſibi ſubſtituit.* Per particulam, *directa*, reijcitur fideicommiſſaria ſubſtitutio, per particulam, *ſimplex*, reijciuntur breui loquæ & compendioſæ ſubſtitutiones, quæ, vt dicemus, compoſitæ ſunt ex pluribus. Per particulam, *abſque peculiari priuilegio*, reijcitur militaris: licet enim per eam miles ſibi ipſi hæredem ſubſtituat, vt tamē videbimus, id efficit ex particulari priuilegio. Reliquum vero definitionis excludit pupillarem & exemplarem ſubſtitutiones, quibus teſtator, non ſibi, ſed filio pupillo, ſi intra pupillarem ætatem, vel furioſo aut mente captus, ſi ſine liberis furioſus aut mente captus vitam finiant, hæredem ſubſtituit.

9 Militaris ſubſtitutio ex illo militis priuilegio ortum habet, quod, vt *diſputat. 124. 125. §. quoniam vero, & diſputat. 156.* dictum eſt, diſcedere poteſt ex parte teſtatus & ex parte inteſtatus, non ſolum quoad bona ſua, ſed etiam quoad tempus: quemadmodum pro vno tempore inſtituere poteſt vnum hæredem ſibi directum, & pro alio alium. Atque hinc proficiſcitur, vt de bonis ſit i propriis poſſit ſtatuere, vt poſtquam aliquis ſibi hęres in eis extiterit, eadem bona directa ſubſtitutione deueniant ad alium, qui ſibi ipſi hæres ab aliquo tēpore ſit, nēpe vel à morte hæredis primo loco inſtitui qui poſt mortem talis militis hæres extiterit, vel à certo tempore poſt militis mortem, quod eſt directo ſibi poſt mortē ſuam ſubſtituere. Ita habetur *l. Centurio. ff. de vulg. & pupil. milite. l. etiam. ff. de militari teſtamento*, & *C. de teſtamēto militis, & alia iuribus.* Alijs autem hominibus, licet fas ſit directo ſubſtituere vulgariter hæredibus à ſe inſtitutis ſub conditione ſi hæredes non extiterint, nefas tamen eſt illis directo ſubſtituere tempus, quo hæreditatem iam adierint: hæredeſque extiterint: ſed ſolum in id tempus poſſunt illis ſubſtituere indirecte, eos grauando, vt vel totam, vel partem hæreditatis reſtituant, vt habetur. § *extraneo, inſt. de pupil. ſubſt.* Iuxta hæc ergo, ſubſtitutionem militarem poſſumus in hunc modum definire. *Eſt ſubſtitutio directa ac ſimplex, qua quis ex ſolo priuilegio hæredem ſibi ſubſtituit.* Per particulam, *ex ſolo priuilegio*, excluditur vulgaris ſubſtitutio. Per reliquas particulas excludūtur cæteræ ſubſtitutiones, eo pacto, quo circa præcedentem definitionem explicatum eſt.

10 *Pupillaris ſubſtitutionis definitio.*

Pupillaris ſubſtitutio, vt colligitur *inſt. de pupill. ſubſti. in pr. & l. 2. ff. de vulgari*, in hunc modū cū *Couar. c. Raynutius. §. 5.* definitur. *Eſt ſubſtitutio directa & ſimplex, qua teſtator libero impuberi in poteſtate ipſius conſtituto, neq; per mortem ipſius in alterius poteſtatem recaſuro hæredem inſtituit qui impuberi ipſi ſit hæres.* Cum enim ſæpe euenire ſoleat, vt impubes filius poſt mortem parentis intra pupillarem ætatem (hoc eſt ante decimumquartum annum omnino expletum, ſi ſit maſculus, vt habetur *inſt. de pup. ll. §. maſculos*, & aliis iuribus & duodecimum ſi ſit fœmina) è vita diſcedat, neque eo tempore condere poſſit teſtamentum, prouidit ius, vt parens, ſub cuius poteſtate erat, aut (ſi ſit poſthumus) erat futurus, poſſet pro eo tempore conſtituere in ſuo teſtamento illi hæredem, atque hæc hæredis inſtitutio, in parentis teſtamento, appellatur ſubſtitutio pupillaris. Quo fit, vt teſtamentum patris, in quo pupillaris ſubſtitutio continetur, quaſi duplex ſit teſtamentum, *vt inſt. de pupill. ſubſt. §. igitur*, habetur: vnum quo pater ſibi de hærede prouidet: alterum, quo de hærede prouidet filio. Verba illius §. hæc ſunt. *Igitur in pupillari ſubſtitutione duo quodammodo ſunt teſtamenta, alterum patris, alterum filii, tanquam ſi ipſe filius ſibi hæredem inſtituiſſet: aut certe vnum teſtamentum eſt duarum cauſarum, id eſt, duarum hæreditatum.* Hæc ibi.

Exemplis vulgarem ac pupillarem ſubſtitutiones illuſtremus. Si quis ſic in ſuo teſtamento dicat: inſtituo meum hæredem Petrum, & ſi ille hæres nō fuerit, ſuccedat Franciſcus, vel inſtituo, vel ſubſtituo Franciſcum, ſubſtitutio eſt vulgaris. Si vero dicat, inſtituo hæredem filium meum, & ſi ille poſt mortem meam intra pupillarem ætatem diſceſſerit, hæres illius ſit Petrus aut ſubſtituo illi Petrum, ſubſtitutio eſt pupillaris. Quod ſi dicat, inſtituo hæredē filium meum, & ſi ille hæres non fuerit, vel intra pupillarem ætatem poſt mortem meam diſceſſerit, ſuccedat Franciſcus, vel inſtituo aut ſubſtituo Franciſcum, tunc vtranque ſubſtitutionem in ſuo teſtamento expreſſit, vt habetur *inſt. de pupil. ſubſt. in pr.* vulgarem quidem, quatenus in euentu, quod filius hęres non ſit, vt ſi ante patrem moriatur, ſubſtituit ſuum hæredem, & non filii, Franciſcum: pupillarem vero quatenus in euentu, quod filius moriatur quidem poſt mortem patris, hęreditate adita, atque adeo hæres ſit, ſed è vita intra ætatem pupillarem diſcedat, hæredem filij ſubſtituit Franciſcum.

In definitione propoſita per verba illa, *quæ teſtator libero impuberi hæredem inſtituit, qui ipſius impuberi ſit hæres*, reiiciuntur, tum ſubſtitutio exemplaris, qua non impuberi, qua impubes eſt, ſed amenti hæres inſtituitur: tum etiam vulgaris & militaris, quibus teſtator ſibi ipſi, & non alteri, hæredem inſtituit. Cur autem dictum ſit, *in poteſtate ipſius conſtituto*, atque additum ſit, *neque per mortem ipſius in alterius poteſtatem recaſuro*, explicabitur diſp. 185. Per verba autem illa, *directa & ſimplex* fideicommiſſaria, & compoſitę ſubſtitutiones excluduntur. Subſtitutio exemplaris, eſt directa ſubſtitutio ac ſimplex, qua ad exemplum pupillaris, pater aut mater, cęterique aſcendentes ſecundum ſui gradus prærogatiuam, liberis mente capris, aut ſimili morbo teſtari prohibitis, hęredem inſtituunt. Ita colligitur *ex §. quæ ratione, inſt. de pupil ſubſt. & ex l. humanitatis. C. de impuberum & aliis ſubſtitutionibus.* Ius namque prouidit, vt ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis, aſcendentes ſecundum ſui gradus prærogatiuam inſtituere illis poſſent hęredes ſub conditione, ſi amentes, ſimilivé morbo affecti, è vita diſcederēr, eſto pupillarem ętatē excederent, imo eſto eſſent ſui iuris. Definitio hęc tota ex dictis circa præcedentes eſt manifeſta, magiſque perſpicua fiet diſputatione centeſima octuageſima quinta.

Fideicommiſſariam ſubſtitūtionem ſic poſſumus definire. *Eſt ſubſtitutio ſimplex, & indirecta, qua hæres ab inteſtato, vel teſtamento inſtitutus, grauatur, reſtituere alteri hæreditatem totam, vel quotam illius, hoc eſt, dimidiam, tertiam, quartam aut aliam ſimilem hæreditatis partem.* Vt cui hęreditas aut quota hęreditatis reſtitui pręcipitur, appellatur *fideicommiſſarius vniuerſalis*: hęreditas autem, aut pars hęreditatis, quę reſtitui pręcipitur, nec non pręceptio ipſa, dicitur *fideicommiſſum*

commissam vniuersale: is vero, qui restituere præcipitur, *hæres grauatus* nuncupatur.

Dictum est in definitione, *qua hæres ab intestato, vel testamento institutus grauatur. &c.* Quoniam etiam, quando quis intestatus discedit, potest hæredem aut hæredes ab intestato grauare, vt hæreditatem, aut partem illius alteri restituant, vt constat §. *præterea, inst. de fideicomm. hæreditaribus leg. 1. §. hoc autem & l. recusare. §. meminisse. ff. ad Trebel. & l. 3. Cod. eodem tit.* Quo fit, vt fideicommissum codicillo instituí possit, vt disputatione centesima vigesimaquarta dictum est.

13 Directa tamen substitutio, vt vulgaris, fieri nequit codicillo: eo quod sit secunda hæredis institutio, qui tanquam hæres testatori immediate succedat: vnde, si in codicillo fiat, transit in fideicommissariam ex benigna interpretatione, vt eadem disputatione dictum est, & consentit *cap. si pater de testament. libr. 6.* Quare, si quis ita in testamento dicat, sit mihi hæres Petrus, & postea in codicillo dicat, si Petrus hæres meus non fuerit, succedat Paulus, censetur grauare hæredem ab intestato, vt hæreditatem restituat Paulo. Ita *Glosia prima institutis. de vulgari subst. in principio* quam, vt communiter receptam, sequitur *Emmanuel à Costa. cap. si pater, p. 3. verbo interdum num. 25. fol. 492.* Eodem etiam modo pupillaris substitutio, si codicillo fiat, obliquatur; censeturque hæres pupilli ab intestato grauatus restituere hæreditatem tali substituto, detracta Trebellianica, quam hæres ab intestato sibi reseruet. Quia si plures substituantur pupillariter in codicillo, substitutique ipsi adinuicem substituantur, quasi breuiloqua substitutione, de qua in sequentibus erit sermo, obliquatur eiusmodi mutua ad inuicem substitutio, solique superstites substituti, qui tempore mortis pupilli fuerint reperti, accipient de manu hæredis ab intestato integram hæreditatem, detracta 4. Trebellianica, vtrumque habetur expresse *leg. Scæuola. ff. ad Trebellianum.* Obseruat vero *Emmanuel à Costa cap. si pater p. 3. verb. interdum, num. 2. fol. 428. cum Bart. & communiori Doctorum sententia*, substitutionem illam non fuisse vulgarem patris obliquatam, quasi filius per suam mortem, hæredesve filij restituere teneretentur solam hæreditatem patris detracta legitima portione filij, in qua pater non potuit eum grauare, sed fuisse pupillarē obliquatā, in qua si filius intra ætatem pupillarē moreretur grauabatur omnia vniuersim bona ipsius filii restituere substitutis detracta Trebellianica; id quod satis aperte significant verba *leg. Scæuola.* Satis etiam ingeniose aduersus multos à num. 27. ib. obseruat mutuam illam substitutorum substitutionem esse vulgarem, ita vt in portiones eorum, qui tempore mortis pupilli hæredes fideicommissarij non extiterint, succedant cæteri, qui hæredes extiterint. Licet enim vulgaris substitutio simpliciter fieri non possit codicillo, ea tamen quæ fit post fideicommissariam, qua fideicommissarij in fideicommissis ipsis adinuicem substituuntur, cum sit ipsiusmet fideicommissariæ explicatio & coarctatio, fieri potest codicillo, tanquam pars principalis fideicommissariæ.

14 Additum in definitione est, *hæreditatem totam, vel quotam illius*: quoniam quemadmodum quando aliquis hæres directo instituitur, non in tota hæreditate, aut in quota illius, sed in re aliqua determinata, puta in fundo, aut determinata quantitate, non dicitur heres vniuersalis, sed talis institutio legatum reputatur, vt disputat. 155. ostensum est: ita quando solum restitui iubetur res aut quantitas determinata, tale fideicommissum non est vniuersale, de quo solo loquimur modo: sed est particulare, quod nihil iam hodie à legato differt, vt constat *institutis de legatis. §. sed non.* Quo fit, vt in eo nec Trebellianica, neque alia quæ de fideicommissis vniuersalibus disputat. 186. dicemus, sed quæ suo loco de legatis dicenda sunt, locum habeant, vt ex multis iuribus est manifestum.

15 Definitio hoc pacto explicata intelligitur facile cum suo definito recurrere. Particula namque *simplex*, excludit compendiosam & breuiloquam substitutionem. Particula vero, *indirecta*, reijcit quatuor directas substitutiones ante hanc fideicommissariam explicatas. Reliquum autem, definitionis, & rem magis explicat, & excludit substitutionem fideicommissariam particularem.

16 Compositæ vero substitutiones, quid sint, dicetur commodius, dum explicatis prius simplicibus substitutionibus, de eis, in particulari fuerit sermo. *Compositæ substitutiones.*

17 Duo circa substitutiones in genere obseruanda sunt. Primum est, in dubio, an substitutio aliqua directa sit, aut fideicommissaria, interpretandam, censeridamque esse substitutionem directam, non vero fideicommissariam. Ita habetur expresse *cap. si pater, de test. libro 6.* cuius hæc sunt verba. *Cum in substitutionibus semper sit interpretatio facienda* (dummodo earum verbis, & personis conueniat institutis) *vt substitutio directa intelligatur potius, quam obliqua.* Lege Emmanuelem à Costa *in idem c. part. 3. verb. obliqua, fol. 451.*

18 Secundum est, si quis simul substituatur alteri directe & indirecte, vulgari & fideicommissaria substitutione, in optione eo pacto instituti esse eligere, quo illorum duorum modorum pacto succedere maluerit. Ita *Anto. Gom. 1. tom. variar. resol. c. 3. n. 7. Emmanuel à Costa c. si pater, par. 3. verb. obliqua, nu. 14. fol. 461. & alii quos referunt, iuxta, l. recusare. §. Titius. ff. ad Trebel.*

19 Habet etiam hoc commodum institutio simul directa & fideicommissaria, quod si quis simul vulgariter, verbi gratia, & fideicommissarie substituatur, vtique in euentu, quod hæres institutus hæreditatem non adeat, succedit substitutus in totam hæreditatem: in euentu vero, quod eam adeat, talis hæres tenetur restituere substituto, id quod grauatus fuit restituere, & tempore in quo restituere fuit grauatus, Trebellianica detracta. Lege *Anton Gom. 1. tom. par. resol. 6. 3. n. 34. & iura ac Doctores, quos citat.*

SVMMARIVM.

1 *Qui simul tres aut plures coheredes in portionibus inæqualibus instituit, eosque vicissim substituit nulla alia declaratione adiecta, si vnus eorum hæres non existat, qui portio illius cæteris accrescat.*

2 *Duo sunt capita, ex quibus hæres institutus in aliquo testamento non est postea hæres.*

3 *Referuntur variæ substitutionis species.*

4 *Quæ sit secunda species substitutionis vulgaris tacitæ?*

5 *Prædicta locum habent quando non constat de contraria testatoris voluntate.*

6 *Quid quando succeditur ex vulgari, quid quando ex pupillari.*

7 8 *Substitutio vulgaris quando expiret.*

9 *Vtrum, si is, cui substitutus vulgaris fuit datus, è vita ante hæreditatem aditam discedat, illam transmittat ex quouis trium suprà dictorum capitum, an nō, sed substitutus sit in ea hæreditate præferendus.*

10 *Refertur quorundam sententia quoad hoc dubium.*

11 *Hæres quicunque legitimam sibi debitam nondum aditam transmittit iure sanguinis ad ipsius descendentes, & iure suitatis ad quoscunque ipsius hæredes, modo illam non repudiarit.*

12 *Qui*

12 *Quî liceat testatori: de iure Castella, in tertio bonorum suorum facere substitutiones.*

13 *Hæres iure sanguinis transmittit hæreditatem non aditam ad ipsius descendentes, & iure deliberandi ad quoscunque ipsius hæredes.*

14 *Hæres ficus ad quos transmittat hæreditatem iure sanguinis & deliberandi.*

15 *Num, quando datus est hæredi substitutus vulgaris, & non habet descendentes, nec potest ex iure deliberandi transmittere eam non aditam ad hæredes qui non sunt descendentes ipsius, vi suitatis ad eos transmittat an non, sed pertineat ad substitutum.*

16 *Refertur probabilior authoris sententia circa decisionem præcedentis dubii.*

17 *An, si legatario datus sit substitutus vulgaris in legato descendat que ante agnitionem seu acceptationem legati, transmittat illud, ad hæredes an ad substitutū.*

18 *Quando testator multos instituit hæredes eisque substituit quendam an si vnus desinat esse hæres, portio illius pertineat ad substitutum, an vero accrescat aliis hæredibus.*

19 *Probatur exemplis.*

20 *Quando ex vna sorore superstes est vnus tantum filius, & ei alia quinque, bona mente captæ dividendæ sunt in sex portiones æquales inter eos dividendas.*

DE VVLGARI SVBSTITVTIONE.

DISPVTATIO 183.

1 DIsputatione præcedente explicatum est quid sit vulgaris substitutio. Circa eam inprimis obserua, si quis simul tres, aut plures cohæredes in portionibus inæqualibus instituat, eosq; vicissim substituat, nulla alia declaratione adiecta, tunc, si vnus eorum hæres non existat, portio illius cæteris accrescit, non æqualiter, sed iuxta proportionem partis ad partem, in qua quisque institutus est. Ita habetur. *§. & si, instituat. de vulg. substitut. l. si in testamento, & l. si plures. ff. eodem tit. l. 1. C. de impub. & aliis substit. & l. 3. tit. 5. par. 6.*

2 Obserua deinde, duo esse capita, ex quibus hæres institutus in aliquo testamento non est postea hæres, nempe, vel quia non potest, vt si moriatur ante testatorem, aut alia de causa: vel quia non vult. Primum caput appellatur impotentiæ. Secundum dicitur à iurisperitis noluntatis. Si autem contingat testatorem, dum hæredi aliquem vulgariter substituit, exprimere solum vnum caput aut partem illius, censetur ex iuris dispositione in eo capite aut parte capitis intelligere reliqua: quia ea præsumitur testatoris voluntas, quando contrarium alunde non constat. Tunc vero substitutio illa dicitur expressa ex capite, quod in ea exprimitur, & tacita ex capite, aut parte capitis, quæ non exprimuntur. Vnde si quis ita in suo testamẽto dicat, instituo meũ hæredem Petrũ, & si noluerit, instituo Franciscum, vtique si Petrus ante testatorem moriatur, aut alia de causa hæres esse non possit, hæreditas pertinet ad substitutum, & non ad hæredes ab intestato: quia testator sub capite nolitionis, caput etiam impotentiæ intellexit. Similiter si dicat, instituo meum hæredem Petrum, & si ille mortuus fuerit ante me, substituo Franciscum sane in euentu, quod ex aliqua alia causa hæres esse non possit, aut quod, licet hæres esse possit, non tamen velit, hæreditas pertinet ad substitutum, non vero ad hæredes ab intestato: quoniam in illa parte expressa capitis impotentiæ intelliguntur, tam reliquę partes eiusdem capitis, quam caput noluntatis. Ita iuxta *l. Gallus, per totam fere legem. ff. de liber. & post. & leg. vltim. iuncta Gloſa ibidem. C. de institution, & substitutionibus, atque alia iura, Couarr. cap. Raynutius. de testa. §. 4. nu. 4. & 5. Anton. Gom. 1. tom. variar. resol. c. 3. n. 10.* (vbi quam late res hæc pateat, multis illustrat exemplis) *Emmanuel à Costa. c. si pater. part. 1. verb. eidem filio, n. 47. fol. 129. Bart.* & communis Doctorum sententia, quam referunt.

Vt vero varias substitutionis vulgaris tacitæ & expressæ species intelligas, tertio obserua. Capita 3
omnia, ex quibus hæres institutus potest non esse hæres, aliquando dum fit substitutio exprimi verbo aliquo capitibus omnibus communi, & tunc substitutionem appellari expressam verbis generalibus. Talis erit si testator dicat, si Petrus hæres meus non fuerit, sit Franciscus verbum enim illud, *si hæres non fuerit*, comprehendit capita omnia ex quibus po
B test non esse hæres, tanquam quippiam capitibus omnibus commune. Quando autem verbis particularibus capita omnia exprimuntur dicitur substitutio expressa verbis particularibus, vt si testator dicat, si Petrus noluerit, aut non potuerit esse hæres, sit hæres Franciscus. Quando vero exprimitur vnum tantum caput, aut pars capitis, resultat prima species substitutionis tacitæ, quoad caput, aut capita, quæ non exprimuntur, de qua paulo ante dictum est.

Secunda species substitutionis vulgaris tacitæ 4
est, quando filio impuberi constituitur à patre substitutus pupillaris, & nihil amplius exprimitur. Est
C enim regula, quod in pupillari substitutione expressa comprehenditur tacita vulgaris ex iuris dispositione, præsumptaque voluntate testatoris. Quare si testator dicat, sit hęres Petrus meus filius, & si in pupillari ætate discesserit, illi substituo Antonium, aut sit hęres Antonius: tunc si filius ille moriatur ante testatorem succedit testatori Antonius, non vero testatoris hęres ab intestato: idque propter vulgarem tacitam substitutionem, quę in pupillari expressa intelligitur. Simili modo in vulgari filij substitutione expressa, esto sit ex vno tantum capite, aut ex vna tantum parte vnius capitis, intelligitur tacita pupillaris ex eadem iuris dispositione, præsumptaque testatoris voluntate. Vt si testator dicat, instituo meum filium hęredem, & si ille hęres meus non fuerit, instituo Antonium: tunc esto filius post patrem moriatur, hęresque illius sit, si tamen
D intra pupillarem ætatem è vita discedat, succedit illi Antonius, non vero hęres illius ab intestato, idque propter tacitam pupillarem substitutionem comprehensam in illa vulgari ex vno tantum capite expressa. Ita habetur expresse *l. iam hoc iure. ff. de vulg. & pupill. & l. quamuis. Cod. de impuberum & aliis substitutionibus*: & colligitur aperte *ex l. vltim. C. de institutionibus & aliis substitutionibus*. Vbi cum quidã in hunc modum testamentum condidisset, Sit meus hęres posthumus meus, qui in ventre me æxoris remanet, & si ille natus non fuerit, sit hęres Petrus: decernitur, nato illo, & mortuo intra pupillarem ætatem post matrem, succedere illi Petrum, & non hęredes ab intestato, idque propter tacitam substitutionem pupillarem in vulgari ex illo tantum ca-
E pite, si natus non fuerit, comprehensam. Consentit communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Ant. Gom. 3. tom. variar. resol. cap. 3. numer. 10. & Couar. cap. Raynutius, de test. §. 4. à numer. 6.*

Quod dictum est, nempe in vulgari expressa 5
comprehendi tacitam pupillarem, & è contrario in expressa pupillari comprehendi tacitam vulgarem, intelligendum est, quando de contraria voluntate testatoris non constat. Si namque de contraria voluntate testatoris constet, illi statur, vt expresse habetur *leg. iam hoc iure. & l. quamuis. citatis.*

Recte

6 Recte autem obseruat Sylu. *ver. hæreditas 4. num. 6* quando succeditur ex vulgari, succedi in solis bonis patris testatoris: quando vero succeditur ex pupillari, succeditur tam in bonis patris testatoris, quam pupilli intra pupillarem ætatem defuncti, si quæ ille aliunde habebat, vt disput. 185. erit manifestum. Quæ circa eiusmodi tacitas vulgares, & pupillares in expressis comprehensas, addi hoc loco poterant, commodius dicentur disputat. 185. & dum de breuiloqua substitutione fuerit sermo.

7 *Substitutio vulgaris quando expirer.*

Substitutio vulgaris statim ac hereditas per eum, cui substitutus est datus, adita est, expirat, *l. post aditam. C. de impuberum & aliis substitutionibus & l. 4. tit. 5. par. 6.* & colligitur *ex l. si legata. C. de legatis*, vbi habetur, si vulgaris substitutio facta sit in legatis, expirare per legati agnitionem & acceptationem. Ratio autem, vt *leg. 4. citata* ait, hæc est. Quoniam vulgaris substitutio continet conditionem hanc, si is, cui substitutus est datus, hæres non fuerit: aditione autem hæreditatis, qui hæres fuit institutus, absolute & perfecte est hæres. Si tamen pupillo datus esset à patre substitutus vulgaris, licet aditione hæreditatis facta per pupillum expiraret substitutio vulgaris, non tamen expiraret tacita pupillaris cum ea coniuncta: eaque de causa, si pupillus intra pupillarem ætatem postea moreretur, nec matrem haberet, ad omnia bona illius admitteretur substitutus, exclusis hæredibus ab intestato, etiam ad illa ad quæ vulgariter fuerat substitutus, si adhuc existerent. Atque hac de causa *l. post aditam citata*, in hunc modum habet. *Post aditam hæreditatem directæ substitutiones non impuberibus filiis factæ, expirare solent.* Dictum namque est, *non impuberibus factæ*, propter ea, quæ proxime dixi. Dictum etiam est, *directæ*: quoniam fideicommissaria, adita hæreditate per hæredem grauatum non expirat, quin potius firmatur. Hæc *Anton. Gom. 3. tom. variar. resol. c. 3. n. 32.*

8 Expirat etiam substitutio vulgaris eo ipso quod substitutus discedit è vita, antequam conditio, sub qua erat substitutus, impleatur: ius namque & spes illius non transit ad hæredes: *leg. sed si plures. ff. de vulg. & pupil.* Item hæreditas, aut legatum, si relicta sint sub conditione pendente in futurum, non transmittuntur ad hæredes, si is cui sunt relicta, ante impletam conditionem vitam finiat, vt in calce disputationis 177. & disp. 180. & 181. dictum est. Quare cum substituto vulgari hæreditas relinquatur sub conditione, si is cui substituitur, non sit hæres, consequens est vt si, dum talis conditio in futurum pendet, substitutus è vita discedat, expiret substitutio. Ita *Anton. Gom. citato. n. 20.* & communis Doctorum sententia.

9 *Quæstio.*

Discutiendum est modo dubium illud, quod disput. 180. in hunc locum seruauimus. Nempe, verum si is, cui substitutus vulgaris fuit datus, è vita ante hæreditatem aditam discedat, illam transmittat ex quouis illorum trium capitum, quæ ea disp. explicata sunt, an non, sed substitutus sit in ea hæreditate præferendus. Ratio dubitandi est, quoniam, cum duplici ex capite hæreditas ad substitutum vulgariter deueniat, videlicet, si vel institutus non posit, vel noluerit esse hæres: & transmissio locum non habeat, quando institutus non potest esse hæres: consequens est, vt solum sit difficultas ex parte alterius capitis: substitutio autem vulgaris *ex cap. nolantes* includit hanc tacitam conditionem, si institutus voluerit esse hæres, sit, alioquin sit substitutus, vt colligi videtur *ex leg. 1. §. si proponatur. ff. si quis omissa causa testamenti, & ex leg. aliquando. ff. de conditionibus & demonstra.* cum ergo, quod sub conditione relinquitur, conditione non impleta ad hæredes non transmittatur: consequens est, vt in eo euentu non fiat hæreditatis transmissio, sed præferendus sit substitutus vulgaris.

10 Bart. & communis Doctorum sententia propter hoc fundamentum, & quædam alia iura, quæ huic opinioni fauere videntur, affirmat, suum hæredem, quando ei substitutus vulgaris est datus, non transmittere hæreditatem non aditam ad ipsius hæredes, sed præferendum eis esse substitutum. Id vero limitant, vt intelligatur, quando vulgaris substitutio expressa est quoad caput nolũtatis, siue verbis generalibus, siue particularibus expressa sit: secus autẽ quando vel est omnino tacita, vel est tacità quoad c. noluntatis, & expressa quoad c. impotẽtiæ. Bart. & alij huius sententiæ Doctores nihilominus asseuerant iure sanguinis & deliberandi transmitti hereditatẽ non aditam, non obstante, quod hæredi substitutus vulgaris sit constitutus. Baldus tamen & alij censent, etiam si hæredi suo constitutus sit substitutus vulgaris, transmittere hæreditatem non aditam ad ipsius hæredes, præferendosque proinde esse tali substituto. Has omnes sententias late explicat ac prosequitur *Ant. Gom. 1. tom. var. resol. c. 3. à numer. 15.* & rursus dilucidius & melius *cap. 9. à nu. 50.* & quamuis Bart. sententiam vt communiorem defendat; sententiam tamen Baldi, præsertim *c. 3. citato* amplectitur.

11 *1. Conclus.*

Vt vero paucis ac dilucide controuersiam hanc dirimamus, sit 1. conclusio. Nihil impediente, quod substitutus vulgaris sit datus, hæres quicunque legitimam sibi debitam nondum aditam transmittit iure sanguinis ad ipsius descendentes, & iure suitatis, quam deliberandi, ad quoscunque ipsius hæredes, modo tamen illam non repudiauerit: quare in illa hæredes sunt præferendi substituto. Hanc affirmant *Anton. Gom. c. citato, à numer. 17. & ca. 9. à num. 40. Emmanuel à Costa. cap. si pater. part. 2. verb. debita à num. 3. fol. 300. & 301. & multi alii*, quos referunt, constatque ex dictis disp. 177. & 180. quoniam legitimæ neque conditio neque grauamen imponi potest.

12 His eadem ratione in regno Castellę *leg. 27. Tauri*, merito sancitum est, quod quamuis testator in quinto suorum bonorum facere posit substitutiones, quas voluerit, & apponere quecunque alia vincula: nihilominus in tertio (de quo solo potest ad libitum disponere inter solos suos descendentes) neque in perpetuum, neque ad tempus facere posit substitutiones, nisi substituendo descendentes, & in eorum defectũ ascendentes, & in ascendẽtium defectum alios propinquos, quibus omnibus deficientibus, posit substituere quoscunque alios extraneos. Additur, si aliter in tertio factę fuerint substitutiones, sint eo ipso nullæ.

13 *2. Conclus.*

Secunda conclusio. Esto hæredi datus sit substitutus vulgaris, iure tamen sanguinis transmittit hæreditatem non aditam ad ipsius descendentes, & iure deliberandi ad quoscunque ipsius hæredes. In hac conueniunt Bartol. & Bald. & cæteri Doctores communiter, quos referunt & sequuntur *Anton. Gom. 1. tom. ver. resol. capit. 9. à numer. 50. & Emmanuel à Costa cap. si pater par. 1. ver. habens numer. 20. & 22.* Præter alia vero iura colligitur aperte *ex l. vnicæ §. cum autem, iuncto §. in nouissimo. Cod. de caduc. tollend.* Etenim cum *in §. in nouissimo* dictum esset, hereditatem non aditam non transmitti nisi ex iure sanguinis iuxta *leg. vltim. Cod. de iis, qui ante apertas tabulas*, & ex iure deliberandi iuxta *l. cum antiquiuibus. Cod. de iure deliberandi*: *in §. cum autem*, hoc idem referendo, atque ad dicta *in §. in nouissimo* remittendo subiungitur: quando extra eos casus hæreditas non fuit adita, pertinere ad substitutum, si fuit datus: vnde manifeste colligitur, in

illis alijs duobus euentibus, quando hæreditas non fuit adita, non pertinere ad ſubſtitutum, ſed ad eos, ad quos alioquin ſit hæreditatis tranſmiſſio.

14 *3. Concluſ.* Tertia concluſio Eſto hæredi ſuo datus ſit vulgaris ſubſtitutus, tranſmittit iure ſanguinis hæreditatem non aditam ad ſuos deſcendentes, & iure deliberandi ad quoſcumq; ipſius hæredes. Hæc eſt *Imola, & Anton. Gom. c. 9. citato num. 50.* prope finem, continenturque in præcedente concluſione. Poteſt vero probari, quoniam ex eo, quod quis ſit ſuus hæres, non amittit facultatem tranſmittendi, quam haberet, ſicut ſi non eſſet hæres ſuus, ex iure ſanguinis & deliberandi, quæ iura omnibus vniuerſim hæredibus ſunt communia.

15 Solum ergo ſupereſt controuerſia quoad hæreditatem relictam hæredi ſuo vltra legitimam, num, quando ei eſt datus ſubſtitutus vulgaris, & nõ habet deſcendentes, nec poteſt ex iure deliberandi tranſmittere eam non aditam ad hæredes, qui non ſunt deſcendentes ipſius, vel quia ignorauit ad ſe pertinere, vel quia intra annum à tempore, quo id ſciuit, eam non adiuit, num, inquam, tunc vi ſuitatis illam ad eos tranſmittat, an non, ſed pertineat ad ſubſtitutum: comparatione namque deſcendentium oſtenſum eſt iure ſanguinis eam tranſmittere: tempus autem, in quo iure ſanguinis tranſmittitur, æquale eſt ei, in quo vi ſuitatis tranſmittitur.

16 *Potiſſima quæſtionis deciſio.* Hac de re mihi certe valde probabilis eſt opinio Baldi, illam videlicet tranſmittere. Ducor, quoniam quando alioquin ex iuris diſpoſitione locum habet tranſmiſsio, ſane caput illud noluntatis in ſubſtitutione vulgari, nempe, ſi Petrus à me inſtitutus, noluerit eſſe hæres ſit hæres Franciſcus non impedit tranſmiſsionem: etenim vi ipſa verborum non idem ſignificat, quod ſi voluerit, ſit hæres, alioquin ſit Franciſcus: ſed potius ſignificat, ſi illam repudiauerit formaliter aut virtute, ſit hæres Franciſcus: qui autem ſublata ſubſtitutione, ius habet trãſmittendi hæreditatem, certe ex eo, quod diſcedat illa non adita, non cenſetur eam repudiaſſe, ſed adhuc in ſe, aut in ſuo hærede, ad quem ius ſuum ac facultatem adeundi tranſmittit, liberum manet eam acceptare, aut repudiare: quo fit, vt caput illud noluntatis non inferat ſi præciſe voluerit in ſeipſo, ſit hæres, alioquin in quocunque alio euentu, ſit hæres Franciſcus; ſed inferat, ſi voluerit per ſe, aut per hæredem, in quem vis adeundi transfuderit, ſit hæres, alioquin ſit Franciſcus: neque ſane iura, quibus autores contrariæ opinionis niruntur quicquam in contrarium, ſi recte expendantur, probant. Secundo ducor, quoniam quando hæreditas eſt relicta ſub conditione, quæ neque tempore mortis hæredis impleta eſt, neque poſtea impleri poteſt, certe impeditur tranſmiſsio hæreditatis non minus iure ſanguinis, aut deliberandi, quam ſuitatis: id namque vniuerſim impedit tranſmiſsionem, eo quod auferat omnino ius hæredis ſub ea conditione inſtituti: cum ergo caput noluntatis in ſubſtitutione vulgari idem ſemper ſignificet, ſane ſi ſenſus illius eſſet hic, ſi Petrus à me inſtitutus voluerit per ſeipſũ, ſit meus hæres, alioquin in omni alio euentu ſit hæres Franciſcus, neque iure ſanguinis, neque deliberandi tranſmitteret Petrus hæreditatem non aditam: quandoquidem neque ante mortem voluerit eſſe hæres, neque poſt mortem poſuit per ſeipſum velle eſſe hæres: contrarium autem affirmant Bartolus & ſectatores alij contrariæ opinionis. Non ergo ille eſt ſenſus *capit. noluntatis*, ſed qui à nobis traditus eſt: neque eam conditionem ſignificat, quam autores contrariæ opinionis volunt, ſed quam nos explicauimus. Ex ea vero Iuriſconſultus *lege vnica. Cod. de caducis tollend.* & aliis iuribus, naturæ ipſi rei inuixus, intulit, eo ipſo, quod poteſtas transmittendi ex iure ſanguinis & deliberandi introducta eſt, excludendum eſſe ab hæreditate non adita ſubſtitutum vulgarem, & admittendum eſſe hæredem ad quem ex illis capitibus hæreditas tranſmittitur, idemque proculdubio diceret de eo, ad quem vi ſuitatis ex deciſione iurium antiquorum hæreditas tranſmittitur: præſertim cum potentior magiſque priuilegiata ſit ſuitas ad hæreditatem transmittendam, quam ſint duo illa alia capita.

Anton. Gom. 1. tom. var. reſ. c. 9. numer. 50. verſus finem, ac alibi, vult ſi legatario datus ſit ſubſtitutus vulgaris in legato, diſcedatque ante agnitionem ſeu acceptationem legati, non tranſmittere illud ad hæredes, ſed præferri in eo ſubſtitutum. Id vero probat *ex lege ſi ita legatum. §. illi ſi volet. ff. de leg. 1.* Cæterum nihil tale ex ea lege colligitur: in ea namque ſolum eſt ſermo, quando legatum fuit relictum ſub conditione poteſtatiua, & legatarius ante impletam conditionem diſceſsit è vita. Idem etiam probat *ex lege ſi legata. Cod. de legatis.* Attamen neque lex illa id probat: in ea namque ſolum habetur, quod ſi legatarius cui ſubſtitutus vulgaris eſt datus, legatum accepret, expirat ſubſtitutio. hoc autem nihil ad rem, de qua agemus. Quare non dubito falſam cenſeri debere eam opinionem, ſi attendantur, quæ proxime de tranſmiſsione hæreditatis, nihil impediente ſubſtituto vulgari, dicta ſunt, & quæ de tranſmiſsione legatorum diſp. 181. ſunt tradita. 17

18 *Dubium.* Dubium eſt, ſi teſtator multos inſtituat hæredes, eisq; ſubſtituat quendã, an ſi vnus deſinat eſſe hæres, quia non potuit, aut quia non voluit, portio illius pertineat ad ſubſtitutum, an vero accreſcat aliis hæredibus, ita vt, ſi vel vnus hæredum adeat hæreditatem, expiret ſubſtitutio, neceſſariumque ſit nullum eorum eſſe hæredem, vt hereditas ad ſubſtitutum deueniat. Dicendum eſt, ex verbis teſtatoris id iudicandum eſſe. Si namque dicat, inſtituo meos hæredes Petrum & Paulum, & ſi neuter fuerit hæres, ſubſtituo Franciſcum: conſtat Franciſcum vocatum non fuiſſe, niſi in defectum vtriuſque ſimul, atque adeo portionem vnius, qui hæres non fuerit, ac creſcere alteri. Idem in hoc euentu eſſet, etiam ſi pauperes, aut alia cauſa pia, eſſent ſubſtituti: eo quod manifeſta ſit voluntas teſtatoris. Si autem diceret, inſtituo Petrum & Paulum & ſi hæredes non fuerint, ſubſtituo Franciſcum: idem quoque eſſet dicendum. Quoniam licet non ſit tam apertum hanc fuiſſe voluntatem teſtatoris vt apertum eſſet, ſi dixiſſet, ſi neuter, aut ſi nec Petrus nec Paulus fuerint hæredes; nihilominus id potius atque in rigore ſignificant verba illa, quam in defectum cuiuſque vocari ſubſtitutum. In hoc tamen euentu non caret probabilitate opinio Baldi & Iaſonis, quos Anton. Gom. *1. tom. var. reſol. cap. 3. num. vlt.* refert ac ſequitur, nempe, ſi ſubſtitutus eſſet cauſa pia, fauore illius, & quia præſumendum eſſet eam fuiſſe voluntatem teſtatoris, præferendum eſſe ſubſtitutum. Quod ſi teſtator diſiunctim ſubſtitueret, addendo, ſi vel Paulus non fuerit hæres, ſubſtituo Franciſcum, vel eorum cuique ſubſtituo Franciſcum, aut aliud ſimile, tunc locum non haberet ius accreſcendi, ſed præferendus eſſet ſubſtitutus. Ita iuxta varia iura, Bart. & communis opinio, quam Anton. Gomez. *num. citato* refert ac ſequitur. Atque in hoc euẽtu vera ſunt, quæ idem Doctor late in eodem capite num. 26. diſputat, tam quando ſubſtitutio vulgaris eſt expreſſa, quam quando eſt tacita. 19

Dubium. *Deciſio.*

Iuxta hæc mihi non probatur opinio doctiſsimi *Ant. à Gama deciſ. 367.* Quidam enim teſtator filiæ mente captæ exemplariter ſubſtituit duas ſorores filias ipſius teſtatoris. Addidit vero, *è ſe caſo for, que as ditas minhas filhas forem fallecidas tempore mortis mentecapte em tal caſo herdaraon à dita fazenda os filhos & filhas das ditas minhas filhas.* Obiit autem ante mentecaptam vna ex ſororibus ſobole relicta. Mortua

verò

vero mente capta orta fuit lis inter ſororem ſuperſtitem, quæ contendebat ad ſe pertinere bona omnia mente captæ, & inter filiam alterius ſororis defunctæ, quæ intendebat ad ſe pertinere portionem matris: eo quod loco illius fuiſſet à teſtatore ſubſtituta. Pronunciata autem fuit ſententia in fauorem ſororis ſuperſtitis, excluſa conſobrina, eo quod, vt ex verbis ſubſtitutionis conſtat, conſobrina non vocetur, niſi ſub conditione, quod copulatiue ſorores mente captæ defunctæ ſint ante mentecaptam. Anton. vero à Gama reuocauit ſententiam, cenſuitque conſobrinam, ſtatim mortua matre, vi ſubſtitutionis ſucceſsiſſe in locum illius, ac proinde bona mente captæ diuidenda eſſe inter conſobrinam & ſororem defunctæ ſuperſtitem. Potiſsimum ducitur *l. Lucius. §. Caio. ff. ad Trebel.* vbi, cum duo inſtituti fuiſſent hæredes in portionibus inæqualibus, rogatique eſſent reſtituere per mortem ſuam bona, in quibus hæredes erant inſtituti, decernitur, mortuo vno illorum portionem illius reſtituendam eſſe ſubſtituto fideicommiſſario, neque ad id expectandam eſſe mortem vtriuſque hæredis. Hæc, inquam, Gamæ ſententia non placet, vt neque alijs ſenatoricus, quibus à Rege iterum examinari proceſſum eſt commiſſum, placuit. Primo, quoniam, vt diſp. 185. dicetur, probabilior communiſque eſt ſententia, conſobrinam non poſſe exemplariter ſubſtitui, niſi in defectum omnium ſororum ac fratrum mente captæ. Secundo, quoniam verba ipſa ſubſtitutionis ſatis ſonant requiri mortem vtriuſque ſororis, vt earum filij ac filiæ loco ipſarum ſuccedant.

Præſertim cum, vt ex verbis ſubſtitutionis conſtat filij & filiæ non ſubſtituantur vt ſuccedant per ſtirpes, ſed per capita, ita vt ſi ex vna ſorore ſuperſtes ſit vnus tantum filius, & ex alia quinque, bona mente captæ diuidenda ſint in ſex portiones æquales inter eos diuidendas. Tertio, quoniam *l. Lucius §. Caio*, nihil definitur huic noſtræ ſententiæ contrarium. Etenim ſeorſim Caius inſtitutus fuerat, in quadam hæreditatis portione, Titia in alia, at alij in alijs, ſolique Caius & Titia iuſsi ſunt poſt mortem cuidam tertio reſtituere portiones ſuas: quocirca merito ibi definitur, portionem vniuſcuiuſque eorum ſtatim, ac mortuus fuerit, reſtituendam eſſe ſubſtituto, non expectata morte alterius: quoniam facta ea inſtitutione, perinde fuit teſtatorem Caio & Titiæ dicere, iubeo per mortem veſtram portiones veſtras reſtitui Sempronio, ac ſi dixiſſet, vnicuique veſtrum iubeo, vt, cum mortuus fuerit, reſtituat portionem ſuam.

SVMMARIVM.

1 *Pupillaris ſubſtitutio quid.*
2 *Qui ſint de iure communi in poteſtate aui paterni.*
3 *Quid neceſſe ſit, vt quis ſubſtituat pupillariter?*
4 *Quid facto opus ſit, vt ſubſtitutio pupillaris ſit valida.*
5 *An neceſſe ſit vt tempore, quo conditum fuit teſtamentum, ſub teſtatoris fuerit poteſtate.*
6 *Explicatur membrum definitionis.*
7 *Vtrum ab hac parte definitionis & à præcedente hactenus explicatis, euentus aliquis excipiendus ſit, in quo pupillaris ſubſtitutio locum habeat, etiam quando impubes in alterius eſt poteſtate, aut recaſurus in alterius poteſtatem.*
8 *An ſubſtitutio hæc ſit pupillaris, an militaris directa.*
9 *Quid neceſſe ſit, vt de iure antiquo ſubſtitutio pupillaris valeat.*
10 *Quid quando filius eſt præteritus aut exhæredatus, non inſerta iuſta exhæredationis cauſa, & de nullitate agit atque obtinet.*
11 *Quod ſit ius Luſitaniæ circa legata, in quibus filius præteritus.*
12 *Teſtamentum, de iure Caſtellæ, ab filij præteritionem eſt nullum, & eo ipſo pupillaris ſubſtitutio in eo facta.*
13 *Vtrum filio impuberi qui ante 14. annum validum contraxit matrimonium poſsit fieri à patre valida ſubſtitutio pupillaris, an potius ſubſtitutio valida, ante tale matrimonium contractum effecta expiret eo ipſo quod matrimonium illud contrahitur.*
14 *Subſtitutio pupillaris variis modis expreſſa. n. 15. 16.*
17 *In vulgari ſubſtitutione facta filio impuberi intelligitur fieri pupillaris tacita, & è contra.*
18 *Subſtitutione pupillari quouis modo expreſſa ex ſupradictis ſubſtitutus pupillaris excludit matrem ſuperſtitem, etiam quoad legitimam portionem.*
19 *An pupillaris ſubſtitutio tacita matrem excludat?*
20 *Tacita vulgaris ſubſtitutio, in pupillari expreſſa comprehenſa excludit matrem.*
21 *Tacita pupillaris ſubſtitutio in vulgari expreſſa comprehenſa, excludit matrem, quando ſufficientes coniecturæ ſunt eam fuiſſe voluntatem teſtatoris.*
22 *An in pupillari ſubſtitutione inualida à matre facta, intelligatur tacita vulgaris valida.*
23 *Eadem inutilis pupillaris ſubſtitutio conuertitur infidei commiſſariam.*
24 *Pater apponere poteſt grauamen legitimæ, quam impubes ab eo accepit & cæteris bonis omnibus ſi illi pupillariter ſubſtituat. Quin & hæredibus ab inteſtato poteſt idem grauamen imponere, nullum filio ſubſtituendo. Eo ipſo quod filius pubes ſit, ceſſant ea grauamina.*
25 *Pupillaris ſubſtitutio quando expiret.*
26 *An ſicut adueniente pubertatis tempore expirat pupillaris ſubſtitutio quouis modo expreſſa, ſic quoque adueniente eodem tempore expiret vulgaris ſubſtitutio cum ea coniuncta.*

DE PVPILLARI SVBſtitutione.

DISPVTATIO 184.

HOc loco dicendum erat de militari ſubſtitutione, niſi commodius id fieret dum de compendioſa erit ſermo. Pupillarem ſubſtitutionem in hunc modum diſput. 182. definiuimus. *Eſt ſubſtitutio directa & ſimplex, qua teſtator libero impuberi in poteſtate ipſius conſtituto, neque per mortem ipſius in alterius poteſtatem recaſuro, hæredem ſubſtituit, qui impuberi ipſi ſit hæres.*

Vt vero intelligas, quæ diſp. citata in hunc locum ex ea definitione explicanda reſeruauimus, obſerua. Vt ſuo loco inferius dicetur, de iure communi in poteſtate aui paterni eſſe filium nepotem & cæteros deſcendentes per lineam maſculinam, non obſtante quod coniugati ſint, niſi ex aliquo capite ſui iuris efficiantur. Mortuo autem auo, nepotes relabuntur, eſſeque incipiunt in poteſtate patris, vniuerſimque deſcendentes per lineam maſculinam ſemper ſunt in poteſtate ſupremi aſcendentis: eo autem mortuo, incipiunt eſſe in poteſtate ſupremi ſuperſtitis in eadē linea. De iure vero huius Regni & Regni Caſtellę, eo ipſo quod filius coniugatus eſt efficitur ſui iuris, amittitque pater poteſtatem, tam in illum, quam in deſcendentes ex illo: modo tamen in regno Caſtellæ talis filius non ſolum coniugatus, ſed etiam velatus more eius regni ſit: alioquin tam ipſe, quam filius, qui antequam eſſet velatus ex eo naſceretur, eſſent in poteſtate eiuſdem parētis. In eo tamen regno nepos ex filio coniugato & velato mortuo patre non relabitur in poteſtatē aui, ſed manet omnino extra patriam poteſtatē. Idemque eſt in hoc regno, quicquid ordinationes per errorem in

contrarium innuant. Hæc omnia inferius suo loco ostenduntur, interim autem supponantur.

3 Hoc iacto fundamento, idcirco in definitione proposita diximus: *est substitutio, qua testator libero impuberi in potestate ipsius constituto haredem substituit*: quoniam, vt quis substituere possit pupillariter, necesse est, vt is, cui substituit, in ipsius sit potestate, vt cõstat *l. 2. ff. de vulg. & pupill. inst. de pupil. substit. in prin. & .. 5. tit. par. 6.* Hac ratione, nec̃ mater, etiã post mortem patris substituere potest filio impubert pupillariter, neque auiæ, aut auus maternus, neque item de iure huius & Castellæ regnorum auus paternus: eo quod nepos in nullius horum sit potestate.

4 Vt pupillaris substitutio valida sit, necesse est, vt tempore mortis eius, qui substituit, is in potestate eius sit, cui talis substitutus datur, aut certe sit posthumus adhuc vtero clausus: alioquin si vel emancipatione, vel aliqua ratione tempore mortis testatoris sub illius non fuerit potestate, euanescit substitutio, *l. Lob ereda §. ..um t lio ff. de vulgari & pupill.*

5 Vtrum autem necesse etiam sit, vt tempore, quo conditum fuit testamentum, sub testatoris fuerit potestate. Quamuis raro eueniet, vt quis prius substituat alteri pupillariter, quam ille in ipsius sit potestate, Bart. tamen & communior antiquorum sententia *l. 2. §. ..d si extraneum, per textum ibi. ff. de vulgari, & pupill.* negant esse necessarium. Couar. vero *c. Raynatius §. 5. ..* cum multis recentioribus quos refert, affirmat necessarium esse, substitutionemque aliter factam esse nullam: eo quod id, quod à principio nullum fuit, vtpote cui deerant conditiones ad validitatem necessariæ, superuentu conditionum validum non reddatur. At vero *Emmanuel à Costa. ca. si pater. p. 1. verb. habeas, n. 6. fol. 16.* quamuis Couar. opinionem iure veriorem esse existimet, conetur-que cum Couar. satisfacere §. *sed si extraneum*: ait tamen, Bar. opinionem, vtpote longe magis receptã, in praxi obtinere: quod præsertim verum erit in hoc Lusitaniæ regno, in quo opinionibus Bartoli standum est in iudicando, quando neque communem opinionem, neque Accursii glossam habent in contrarium. Mihi vero videtur Bartoli opinio apertissime confirmari *ex §. cum filio*, citato. Vbi cum de iure communi tradiab auo non posse nepoti substituturus pupillaris interim dum pater viuit, decernitur, validã esse substitutionem, sine tempore, quo auus testamentum condidit ac substituit, nepos per mortem patris tenuerit patris locum, siue post testamentum conditum eum locum tenuerit: euanescere tamen substitutionem, si tempore mortis aui potestatem illius erat egressus. Ecce substitutio pupillaris facta eo tempore, quo non aderant conditiones, vt valida esset, necessariæ, valida pronunciatur ex superuentu necessariæ ad id conditionis, ei sane perfimilis conditioni, de qua Conarr. & alii recentiores Bartol. cum & antiquioribus controuertunt.

6 Addita sunt in definitione pupillaris substitutionis verba illa: *neque per mortem ipsius in alterius potestatem recasuro* quoniam id pupillarem substitutionẽ impedit, vt expresse habetur *l. 2. in prin. ff. de vulg. & pupil. & l. 5. ti. 5. p. 9.* Quare de iure communi, viuente patre & auo, neuter poterat substituere pupillariter impuberi, non quidem pater, quoniam non in ipsius, sed in aui erat potestate. Non item auus, quoniam per aui mortem, in patris recasurus erat potestatem.

7 Dubium est hoc loco, vtrum ab hac parte definitionis, & à præcedente hactenus explicatis, euentus aliquis excipiendus sit, in quo pupillaris substitutio locum habeat, etiam quando impubes in alterius recasurus est potestatem. Multi, quos *Emmanuel à Costa cap. si pater, p. 1. verb. pater. fol. 6. à num. 7.* refert, arbitrantes eam esse Bar. opinionem, affirmant de iure communi, viuente patre & auo, si pater miles sit, posse filio impuberi substituere pupillariter, non obstante quod non in ipsius, sed in aui potestate sit: similiterque si auus miles sit, posse substituere pupillariter nepoti, nihil impediente quod in patris potestatem sit recasurus. At vero dicunt, eiusmodi pupillares substitutiones fieri non posse de omnibus bonis, quæ tempore mortis impuberis fuerint illius, vt fieri possunt cæteræ pupillares substitutiones: sed tantum de eis bonis, in quibus talis pater, aut auus miles eum hæredem instituerint. Probant id ex *l. cum filius familias ff. de militari testamento*, cuius hæc sunt verba. *Cum filius familias decessisset filio impubere hærede instituto, eique substituisset in aui potestatem manenti: tutoresque dedisset: dum fratres re scripserunt, substitutionem quidem valere, tutoris autem dationem non valere. Quia hæreditati quidem suæ miles, qualem velit, substitutionem facere potest. verumtamen alienum ius minuere non potest.* Hæc ibi. Ex quibus patet, militem patrem substituere posse pupillariter filio suo impuberi, non obstante, quod non in ipsius, sed in aui sit potestate: at verò solum id posse circa bona, in quibus hæredem illum instituit, vt ex illis verbis constat, hæreditati quidem suæ: quasi diceret, non aliis bonis miles in eo euentu, qualem velit substitutionem facere potest. Idem eadem ratione esset de auo milite, esto nepos recasurus in patris esset potestatem.

Copiose tamen & docte *Emmanuel à Costa loco citato a n. 10.* cum aliis ostendit, illam non esse substitutionem pupillarem, sed militarem directam, qualem iuxta militare priuilegium efficere eidem filio posset, esto impubes non esset, & qualem posset facere cuicunque extraneo, quem hæredem instituisset, neque contrarium sensisse Bartolum, aut colligi ex verbis illius legis, quæ hanc aliam substitutionem aperte significant, vt illa expendenti erit manifestum. Emmanuelem legito.

8 De iure antiquo, vt substitutio pupillaris valida esset, necesse erat filium, cui pupillaris substitutus daretur, hæredem instituisset aut exhæredasset: alioquin, si præteriretur, cum de eodem iure antiquo inualidum omnino esset tale testamentum, inualida quoque erat talis pupillaris substitutio in eo contenta. Ita habetur *l. 2. in prin. ff. de vulgari & pupil. & §. non solum, inst. de pupil. subst.* Quin esto alius filius præteriretur, & non is, cui substitutus datur, erat de iure antiquo inualida substitutio: eo quod similiter testamentum erat omnino nullum. Hodie tamẽ post authenticum, vt cum de appellat. cognoscitur §. *fine igitur, & §. si vero contigerit. & authenticam ex causa. C. de liber. præteri.* Esto vel filius alius, vel is ipse impubes, cui substitutus datur, sit præteritus aut exhæredatus non apposita causa ex legitimis ad exhæredandum, quamuis testamentum quoad hæredum institutionem sit nullum, validum tamen est quoad legata, fideicommissa, libertates, tutorum dationes, & quælibet alia capitula in eo contenta, quæ legibus sunt concessa, vt habetur §. *si vero contigerit*, citato: in quibus sane directæ etiam substitutiones cõprehenduntur vt affirmant Bart. Accursius, & communis doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Iulius Clarus. §. testamentum q. 54. Emmanuel à Costa c. si pater par. 3. verb. considendum, à n. 9. fol. 169. Aluarus Valasius consilio. 54. Greg. Lopez ad l. 20. ver. fe delatariam, tit. 5. part. 6. & Anton. Gom. 3 tom. var. resol. 4. n. 4. & c. 3. n. 24.*

9 Obserua tamen, quando filius esset præteritus aut exhæredatus, nõ inserta iusta exhæredationis causa, & de nullitate ageret, aut querela inofficiosi aduersus tale testamentum, atque obtineret: tunc sicut sua successione nullæ redderentur primæ directæ hæredum institutiones, ita etiam inualidæ fierent vulgares substitutiones, quæ illarum loco erant statutæ, vt bene notant *Ant. Gom. c. 3. citato, num. 24. & Iulius Clarus, §. 54. citata.*

10 Illud

Decisio.

Dubium.

Illud etiam obſerua: de iure communi, vt ſubſtitutiones factæ in teſtamento, in quo filius eſt præteritus aut exhæredatus, validæ ſint, neceſſe eſſe, vt in eo teſtamento aliquis alius hæres ſit inſtitutus: alioquin, ſi nullus omnino eſſet hæres inſtitutus, teſtamentum eſſet prorſus inualidū, ac proinde neq; legata ad non pias in cauſas in eo relicta, neque quip piam aliud quod in eo eſſet ſcriptum validum eſſet, vt ex dictis diſp. 175. conſtat, affirmatque *Ant. Gom. 1. tom. var. reſol. c. 3. n. 24. & c. 4. n. 4.* communiſque doctorum ſententia.

Quod ad ius huius Luſitaniæ Regni attinet, *Aluarus Valaſcus conſilio* 54. *citato*. cum prius conſuluiſſet validam eſſe ſubſtitutionem quandam exemplarem, in qua filius mente captus fuerat præteritus, idque propter diſpoſitionem iuris communis Bartoliique ac communem Doctorum ſententiam hactenus explicatam quando tamen conſilium illud typis mandauit, mutauit ſententiam, ductus, quod *ordinationes huius Regni lib. 4. tit. 70.* ſola legata teſtamenti, in quo filius eſt præteritus aut exhæredatus non inſerta iuſta cauſa, valida eſſe pronuncient. Contrarium tamen eſt proculdubio affirmandum cum *Emmanuele a Coſta c. ſi pater, par. 3. verb. conſentaum, in calce, n 17. fol. 575* vbi recte ait, quod ordinationes eo in loco breuitatis cauſa non expreſſerunt, ex iure communi eſſe ſupplendum, ſatisque perſpicue, ni fallimur, id nos diſputatione centeſima ſeptuageſima quinta oſtendimus.

Quod vero attinet ad ius Regni Caſtellæ *leg. 10. tit. 5. l. 6.* ſatis perſpicue cum Azone & Dyno ſancitur quando teſtamentum quoad hæredum inſtitutionem eſt nullum ob filij præteritionem, aut rumpitur ob exhæredationem non inſerta iuſta cauſa, ſubſtitutionem pupillarem in eo factam reddi nullam: atque ita eam legem intelligit eo loco Greg. Lop. Quin Couar. c. R. *ignutus, de teſtamentis §. 6. nu.* 8. diuerſus communem opinionem cum duobus doctoribus citatis, Baldo, Iaſone, & paucis aliis, ſentit veram eſſe de iure communi. Addit tamen ſi filius inſtitutus ſit in re certa vna cum hærede alio vniuerſali, quo pacto inſtitutio illa, iuxta ea quæ diſputat. 155. dicta ſunt, vim habet legati, valetque eſſe ſubſtitutionem pupillarem factam inſtitutis eo pacto, vt expreſſe habetur *l. ſi pater, de teſt. lib.* Quatisque apertum eſt ex iis, quæ diximus diſp. 177. Etenim vt ibi oſtenſum eſt, inſtitutio illa, eſto ſit in re certa, quæ minor ſit, quam legitima portio, neque reddit nullum teſtamentum, neque parit querelam inofficioſi aduerſus illud, ſed ſolum actionē ad incrementum vſque ad integram portionem legitimam. Vtrum vero in regno Caſtellæ poſt *leg. 1. tit. 2. lib. 5. ord. mæſt. vide Additionem collectionis* quæſtuitur, vt, eſto in teſtamento nullus hæres inſtituatur, valeant nihilominus legata & cætera in eo contenta, ſit valida pupillaris ſubſtitutio facta filio præterito aut indebite exhæredato. Greg. Lopez anceps eſt, defenditque non valere. Idem defendit *loco citato* Couar. tametſi in poſtrema editione ſubiungat, ſe intelligere, vix quemquam à communi doctorum ſententia diſceſſurum, affirmetque neque ipſummet eſſe diſceſſurum ſi in cauſa controuerſa ſententia eſſet ferenda, imo addat, in Granatenſi prætorio vſufrequenti eſſe receptum, *vt ex l. 1. ordinamenti ac nouæ collectionis* in eo ſenſu accipiatur, vt vniuerſim quicquid in teſtamento, in quo hæres non eſt ſcriptus, fuerit repertum, etiamſi ſit ſubſtitutio, admittatur, modo conſtet eam fuiſſe voluntatem teſtatoris *Emmanuel etiam à Coſta ca. ſi pater fol. 575. citato n. 18.* ait, & Azonem, *& l. 10. Caſtellæ*, loquutos fuiſſe attendendo ad iura antiqua, non vero ad iura authenticorum, legemque illam ea in parte vim non habere poſt *l. 1. citatam*. Idem omnino ſentit *Ant. Gom. 1. tom. var. reſ. c. 3. n. 24. & c. 4. n. 4.* dū affirmat, in regno Caſtellæ poſt *leg. 1. citatam* validas

11 *Ius Luſit.*

12 *l. l.*

A eſſe ſubſtitutiones factas in teſtamento, in quo nullus omnino hæres eſt inſtitutus, aut filius eſt præteritus, vel indebite exhæredatus.

Dubium eſt hoc loco, vtrum filio impuberi, qui ante quartum decimum annum expletum, malitia vigoreque naturæ ætatem ſupplente, matrimoniū validum cōtraxit, poſſit fieri à patre valida ſubſtitutio pupillaris: an potius ſubſtitutio valida, ante tale matrimonium contractum effecta, expiret eo ipſo, quod matrimonium illud contrahitur. Reſpondendumque eſt, de iure communi, validam perſeuerare poſt tale matrimonium contractum, valideq; de nouo poſſe effici ante decimumquartum annum expletum. Etenim de iure communi, neque per tale matrimonium eximitur filius à patria poteſtate, neque teſtari poteſt in ea ætate. Ita cū communi Doctorum ſententia, quam refert *Emmanuel à Coſta, c. ſi pater, par. 1. ver. impuberes, n. 9. fol. 28.* Si tamen filio, qui ita contraxit, ante decimūquartum annum expletum legitimus filius naſceretur, natiuitas talis filij inualidam redderet ſubſtitutionem pupillarem factam ab auo: niſi is ipſe nepos ab auo eſſet ſubſtitutus pupillariter filio: quoniam in præiudicium nepotis non cenſetur ius conceſsiſſe facultatem auo ſubſtituendi filio pupillariter. Ita colligitur aperte *ex l. ex facto. ff. de vulgari & pupil. concinit etiam l. poſthumo. C. de bonorum poſſ. contra tabul. & affirmat Emman. à Coſta ibid. n. 10. & 11. & communior ſententia*, quam refert. Dixi, de iure communi hæc ita habere: quoniam de iure huius regni, cum per legitimum matrimonium filius patriam egrediatur poteſtatem, atque etiam de iure regni Caſtellæ, ſi coniuges illi eſſent velati, vtrique expirarent omnino ſubſtitutio pupillaris tali filio adhuc impuberi effecta.

13 *Dubium.*

Reſpōſio.

B

C

Subſtitutio pupillaris multis modis poteſt eſſe expreſſa. Primo, verbis generalibus. Si enim quis habens filium impuberem ſic dicat, inſtituo filium meum hæredem, eique ſubſtituo Antonium, ſubſtitutio eſt expreſſa pupillaris: imo vero ſimul eſt ex preſſa vulgaris, ſed verbis generalibus: verbū quippe, ſubſtituo, generale & commune eſt vtrique ſubſtitutioni. & quando is, cui ita fit, capax eſt vtriusq; ſubſtitutionis, quia eſt impubes, vtraque cenſetur facta expreſſe, ſed verbis generalibus. Atque hinc eſt, quod ſi quis duos habens filios impuberes dicat inſtituo hæredes duos filios meos, eosq; inuicē ſubſtituo, reſultet breuiloqua, ſeu reciproca ſubſtitutio, quæ conſtat quatuor ſubſtitutionibus expreſsis, ſed verbis generalibus, nempe duabus vulgaribus, quibus inuicem vulgariter ſubſtituuntur, & duabus pupillaribus, quibus itidem pupillariter adinuicem ſubſtituuntur, vt conſtat *ex l. tam hoc iure, & l. Lucius. ff. de vulgari & pupillari. l. precibus. C. de impuberum & aliis ſubſtitutionibus, & l. in teſtamento 1. C. de militari teſtamento*. Si tamen duo vicisſim ſubſtituerentur illo modo, quorum alter tantum capax eſſet pupillaris ſubſtitutionis, alter non item, vt ſi eſſent duo fratres, quorum vnus eſſet pubes, & alter impubes, tunc ſolum cenſerentur vulgariter ad inuicem ſubſtitui impuberi vero non cenſeretur illis verbis datus ſubſtitutus pupillaris, quia ex verbis illis præſumēdum non eſt patrē inæqualitatem voluiſſe inter eos conſtituere, vt vnus duplici via eſſet ſubſtitutus, alter vna tantū: quare ſi id intendere velit, expreſsioribus verbis debet illud ſignificare. Ita habetur expreſſe, *l. quamuis, in vltimis verbis, C. de impuberum & aliis ſubſtitution. l. tam hoc iure, & l. teſtamento, citatis*. In hoc autem poſtremo iure additur, quando à milite impubes filia vna cum quodam extraneo eſt hæres inſtituta, inuicemq; à teſtatore ſunt ſubſtituti, tantum cenſeri factam vulgarem ſubſtitutionem filiæ, niſi cohæres extraneus probet, teſtatorem ex militari priuilegio intendiſſe ſubſtituere etiam ipſi filiam in euētu: quo is ipſe, poſtquam hæ-

15 *Subſtitutio pupillaris varijs modis expreſſa.*

D

E

res extitisset, è vita discederet : quoniam alioquin daretur inæqualitas in substitutionibus, quæ præsumenda non est, quando aliunde non constat. Quando autem verbis similiter generalibus impuberi compendiosè in hunc modum substitutus daretur, instituo hæredem filium meum, & quocumque tempore è vita discesserit, substituo illi Antonium: ea compendiosa substitutio comprehenderet quidem substitutionem, pupillarem expressam, quæ si ille intra pupillarem ætatem discederet, non secus excluderet matrem atque aliæ expressæ pupillares eam (vt mox dicemus) excludunt , & simul comprehenderet fideicommissariam aut militarem (si testator miles esset) per quam, si talis filius extra ætatem pupillarem è vita discederet, succederet substitutus, vt, dum de compendiosa substitutione sermo erit, dicetur. Quod autem eiusmodi expressa pupillaris substitutio, in compendiosa comprehensa, matrem excluderet, sicut & aliæ pupillares generalibus verbis expressæ, satis dilucide habetur *l. precibus. C. de impuberum & aliis substitutionib. & l. Lucius. ff. de vulg. & pupil.*

15 Deinde fit pupillaris substitutio expressa verbis particularibus, quando mentio fit pupillaris gratis, vt si testator dicat, instituo hæredem filium meum impuberem, & illi substituo Antonium, vel si dicat, instituo filium meum, eique impuberi substituo Antonium. Sicut enim si quis dicat instituo meum filium furiosum, eique substituo Antonium , substitutio est exemplaris, vt habetur. *l. ex facto, in prin. ff. de vulgari*: ita etiam ea, de qua loquimur, substitutio est pupillaris estque expressa verbis particularibus.

16 Tertio fit pupillaris substitutio expressa verbis singularibus, si testator dicat: instituo hæredem filium meum & si ille hæres fuerit, & in pupillari ætate discesserit, substituo illi Antonium. In his omnibus consentit *Couar. c. Raynutius, de testamentis* § 5. n. 4. & § 4. n. 7. & Doctores, quos citat, vnxta varia iura, quę etiam citat, suntque ex se satis perspicua.

17 In vulgari autem substitutione facta filio impuberi, esto pupillaris expressa nulla eorum modorum qui explicati sunt, fiat, intelligitur fieri pupillaris tacita, vt disputatione præcedente dictum est. Vt si quis dicat, instituo filium meum hæredem, &, si ille hæres non fuerit , sit Antonius, aut si dicat , si hæres esse noluerit: aut dicat , si hæres esse non potuerit, substituo Antonium : in omnibus enim his vulgaribus substitutionibus, esto ex solo capite impotentiæ, aut noluntatis sint factæ, intelligitur tacita pupillaris substitutio, quando contrarium non cõstat de voluntate testatoris, vt ibidem dictum est: aut quando non fuerit mutua substitutio, quæ ex alterius parte pupillarem tacitam non posset comprehendere, vt paulo antea in hac disputatione dictum est. E contrario etiam in pupillari substitutione, quæ nullo modo vulgarem expressam habeat adiunctã, intelligitur vulgaris tacita quando contrarium nõ constat de voluntate testatoris, vt disputatione præcedente dictum est. Si enim quis dicat: instituo filiũ meum hæredem. & si ille hæres fuerit, in pupillari quæ ætate discesserit, substituo illi Antonium, sane talis substitutio expresse solum est pupillaris; in ea tamen ex præsumpta voluntate testatoris intelligitur vulgaris tacita. Si vero testator dicat, instituo filium meum hæredem, & si ille in pupillari ætate discesserit, substituo illi Antonium, *Couar.* § 5. *citat. n.* 5. cum Bart. & aliis, merito censet, simul esse pupillarem expressam verbis singularibus & vulgarem itidem expressam verbis generalibus, ex aliquo capite; quando quidem simul stat, illum discedere in ætate pupillari, & non esse hæredem patri, si hæreditatem repudiauerit.

18 His ita constitutis, duo dicenda sunt. Primum est, quando pupillaris substitutio est expressa quouis modo ex iis, qui explicati sunt, substitutus pupillaris, quamuis sit valde extraneus, excludit matrem superstitem, etiam quoad legitimam portionem alioquin in bonis pupilli defuncti matri debitam , & qua filius ipse, esto liberã testandi facultatẽ haberet, non posset eam excludere: haberque id verum esto in bonis pupilli reperiantur bona , quæ ex materna linea acquisierit. Ita habetur expresse, *l. precib. C. de impuberum & aliis substit. iunct. l. sed & si plures,* §. *ad substitutos. ff. de vulg. & pupil.* Idem habet *lex Lucius , eodem tit. l. Papinianus.* §. *sed nec impuberu. ff. de inoffic. test. l. in testamento. 1. C. de militari testa. l. 12. tit. 5. p. 6. & c. si pater, de test. lib. 6.* vbi cum filij vicissim essent instituti pupillariter, eisque essent substituti pauperes, mortuis illis intra ætatem pupillarem excluditur omnino mater, & succedunt pauperes pupillariter in omnibus illorum bonis. Idem affirmat communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Emmanuel à Costa, ca. si pater. par. 2. verb. superstite matre, à n. 9. fol. 239. Ant. Gom. 1. tom. var. resol. 4. n. 7. & Couar. c. Raynutius,* § 5. *nu. 6. & c. cum esses. de test. nu.* 11. Ratio vero huius rei, iuxta *l. Papinianus,* §. *sed nec impuberu , & l. sed & si plures ,* §. *ad substitutos citatas,* hæc est. Quoniam testamentum , in quo pupillaris substitutio cõtinetur ipsaque pupillaris substitutio, non est dispositio filii, sed patris: quia ergo pater nõ tenetur instituere vxorem hæredem inde effectum est, vt sicut ius patri substitutionem pupillarem in filij bonis concesserit, ita liberum ei reliquerit præferri vxori in eis bonis quemcunque vellet. Quia ergo de iure naturali debita non est matri legitima portio in bonis filii, quando grauiter ea non indiget, sed hæc omnia ex positiuo iure pendent, proculdubio, interim dum ea iuris ciuilis sanctio, *c. si pater, de test. lib. 6.* canonico iure recepta, non mutatur, valida est prælatio substituti pupillaris matri , etiam in foro conscientiæ, vt communis Doctorum sententia, quam *Emman. à Costa. Ant. Gom. & Couar, locis cit.* referunt & sequuntur, aduersus Archidiaconum & paucos alios affirmat.

19 Secundum est, pupillarem substitutionem tacitam, quæ ex præsumpta voluntate testatoris in vulgari expressa includitur, non excludere matrem, quin potius præferendam esse substituto in omnibus vniuersim pupilli bonis: excludere tamen cæteros pupilli hæredes ab intestato, quibus proinde omnibus præferendus est substitutus. Vtrumque habetur expresse *l. vlti. C. de institutionibus & substitutionibus, & l. precibus, C. de impub. & aliis substi.* affirmatq; communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Ant. Gom. 1. tom. var. resol. c. 4. nu. 8. Couar. c. Raynutius* §. *4. n. 6. Emmanuel à Costa, c. si pater. n. 5. fol. 9. & par. 2. verb. superstite. n. 13. fol. 240.*

20 Obseruandum tamen est tacitam vulgarem substitutionem, in pupillari expressa comprehensam, excludere matrem, vt notant *gl. vlt. l. vlt. Cod. de inst. & substi. Ant. Gom loco citato, n. 9. & alii.* Ratio autem est, quoniam ea tacita vulgaris locum non habet, nisi quando filius non est hęres, vel quia moritur ante patrem, vel quia repudiat hęreditatem , atque adeo cum per eam non succedatur filio, sed patri testatori, in cuius bonis nihil vxori debetur, quando substitutus ab eo est designatus, vel alius hęres est instituius, consequens est, vt tunc substitutus matri pupilli sit præferendus. Licet autem tacita vulgaris in pupillari comprehensa excludat pupilli matrem, non tamen excludit testatoris matrem; quin potius si pupillus ante testatorem discedat, vel discedat nõ adita hęreditate, eamque non transmittat, testatoris mater est præferenda substituto (nisi substitutus esset ex descendentibus testatoris) in eoũ euentu testator censendus est ab intestato discessisse. Ita cum *Bart. Alex. & communi Doctorum sententia. Couar. ca. Raynutius* §. *4. n. vlt. & Emman. à Costa, c. si pater, parte 3. verbo interdum, n. 97. fol. 529. & par. 1. verb. si vtrumque n. 9. fol.* 194.

Obser-

21 Obſeruandum etiam eſt, tacitam pupillarem A ſubſtitutionem, in vulgari expreſſa comprehẽſam, excludere nihilominus matrem, quando ſufficientes coniecturæ ſunt, eam fuiſſe voluntatem teſtatoris. Ita cum *gl. l. precibus. verb. omni modo C. de impub. & aliis ſubſt.* affirmat Bar. & communis Doctorum ſententia, quam præter alios refert ac ſequitur *Anton. Gom. vbi ſupra n. 10. argu. text. in l. teſtamento, C. de militari teſtamento, in virimis verbis illius legis, & l. iam hoc iure, ff. de vulgari.* illis verbis, *ſi voluntas parentis non refragetur.* Si enim teſtator extra teſtamentum dixit, voluntatem ſuam eſſe, vt filius hæres non eſſet, bona ſua, non ad vxorem, ſed ad ſubſtitutum deuenirent, vel in odium vxoris ob illius culpam, aut alia de cauſa vulgarem ſubſtitutionem fecit, vel ſi in teſtamento aliquid vxori reliquit, addiditque, vt illo B eſſet contenta, neque plus acciperet à ſubſtituto, certe in his euentibus ſubſtitutus præferendus eſt matri. Ita Anton. Gom ibidem argumento aliquorum iurium quæ citat. Præterea, ſi ſubſtitutus erat filius aut nepos teſtatoris, frater aut conſobrinus pupilli, præferendus eſt matri: quoniam præſumendum eſt, teſtatorem ſobolem ſuam vxori voluiſſe præferri. Ita Bart. & communis Doctorum ſententia, quam referunt & ſequuntur *Ant. Gom. ibidem*, *Emmanuel à Coſta c. ſi pater, par. 2. verb. ſuperſtite, nu. 10. fol. 139. & Couar. in calce. §. 4. citati* argumento quorundam iurium, quæ citant. Fortaſſe idem eſſet, ſi ſubſtitutus eſſet frater teſtatoris. & multo magis, ſi eſſet C aliquis de aſcendentibus: præſumendum namque eſt, idcirco eiuſmodi vulgarem ſubſtitutum eſſe traditum, quia teſtator intendit, vt bona filii, & multò magis ſua propria deuenirent potius ad ſuos cognatos, quam ad vxorem & vxoris cognatos, quando ex eadem vxore nullum alium habebat filium, per inaduertentiamque aut ignorantiam non addidiſſe pupillarem ſubſtitutionem expreſſam. Itẽ quando pauperes, aut alia pia cauſa, ſubſtituti ſunt vulgariter, cenſet communior Doctorum ſententia, ex eiuſmodi tacita pupillari ſubſtitutum præferendum eſſe matri; illam referunt & ſequuntur *Ant. Gom. n. 10. cit. & Emman. à Coſta, fol. 239. citato, n. 11.* Cou. vero §. 4. *cit. n. 6.* cũ quibuſdam aliis, exiſtimat, ſolum eſſe veram, quando pia cauſa ſubſtituta eſt pro exoneratione conſcientiæ & male ablatorum. Dicerem D tamen, in hoc, & in cæteris euentibus, ſemper iudicis prudentiæ, attentis circunſtantiis omnibus, concurrentibus, eſſe relinquendum, vt coniiciat, quæ potius fuerit voluntas teſtatoris. In dubio autẽ mater erit potius præferenda, pro qua non ſolum æquitas pugnat, vt à bonis proprii filii non excluda tur ſed etiam iura citata à quibus Doctores has omnes exceptiones facere conantur.

22 Dubium eſt hoc loco, ſi à matre fiat pupillaris *Dubium.* ſubſtitutio inualida, eo quod, vt dictum eſt, mater non poſsit pupillariter ſubſtituere, vel à patre fiat ſimiliter inualida filio emancipato aut extra pupillarem ætatem iam conſtituto, vel fiat alicui extraneo, vtrũ tunc in eiuſmodi pupillari ſubſtitutione inualida intelligatur tacita vulgaris valida, per quã ità inſtitutus ſuccedat teſtatori, ſi hæres principaliter E inſtitutus diſcedat ante teſtatorẽ, vel repudiet hæreditatem, aut aliqua alia de cauſa non ſit hæres. Atque in primis dicendum eſt, ſi pupillaris ſubſtitutio inualida in hunc fieret modum: inſtituo hæredem filium meum Petrum, & ſi intra pupillarem ætatem *Deciſio.* diſceſſerit, ſubſtituo illi Antonium, vtique iuxta ea, quæ cum Bar. & Couar. ſupra dicta ſunt, illa haberet ãdiunctam vulgarem expreſſam verbis generalibus: quoniam diſcedere poſſet intra pupillarem ætatem ante teſtatorem, vel non ãdita hæreditate, aut illa repudiata: quæ omnia capita verbis, quibus pupillaris illa ſubſtitutio concepta eſt, comprehenduntur. Atque hoc affirmat *Couar. c. Raynutius, §. 5. n. 5. cum Socino & aliis, quos citat.* Dicendum deinde eſt, eſto pupillaris ſubſtitutio inualida in hunc modum eſſet concepta: inſtituo filium meum hæredẽ, & ſi is hæres fuerit, in pupillarique ætate diſceſſerit ſubſtituo illi Antonium, in ea intelligi vulgarem ſubſtitutionem validam. Ita *Couar. nu. 5. citato. Ant. Gom. t. 10. var. reſ. c. 3. n. 32. & alii, quos referunt.* Præcipua ratio eſt, quoniam vulgaris ſubſtitutio tacita, quæ in pupillari verbis ſingularibus expreſſa comprehenditur, non oritur à pupillari ſubſtitutione, quaſi ab eo tanquam paſsio & affectio illius emanet ac pendeat, ſed ortum habet ex præſumpta voluntate teſtatoris, qui dum ita pupillariter ſubſtituit, præſumitur maiori cum ratione velle vt ſi impubes ipſius non extiterit ſubſtituſus ſibi ſaltem hæres exiſtat: cum ergo eadem ſit præſumptio, quando teſtator, arbitratus ſe valide ſubſtituere pupillariter, inualide ſubſtituit: conſequens eſt, vt cum ea inualida pupillari ſubſtitutione coniuncta ſit valida vulgaris tacita ſubſtitutio. Legito apud Antonium Gomez. & Couarr. alia: quibus conſentiunt, quæ *Emmanuel à Coſta c. ſi pater, par. 2. ver. teſtatore mortuo, n. 2. fol. 199. tradit.*

Idem *Ant. Gom. t. tom. var. reſ. c. 4. n. 6. & Coua. §. 5.* 23
citato n. 5. ratione 11. cum quibuſdam Accurſii Gloſſis, Bart. & communi Doctorum ſententia, affirmant, eandem pupillarem inutilem ac inualidam ſubſtitutionem conuerti in fideicommiſſariam, ſi is, qui ita fuit inſtitutus hæres exiſtat: ac proinde, ſi intra pupillarem ætatem è vita diſcedat, hæredes illius teneri reſtituere ſubſtituto bona omnia, quæ ex illo teſtatore ad talem pupillum deuenerunt, deducta duntaxat quarta Trebellianica. Et quamuis *Emmanuel à Coſta c. ſi pater. part. 3. verb. perſonis, à n. 9. fol. 439.* multa obijciat, diſſoluereque conetur fundamenta, quibus Gloſſæ & communis opinio nitũtur, tandem n. 17. ſubiungit, neque in iudicando, neque in conſulendo ab ea opinione eſſe recedendũ. Longiorem de hac re diſputationem, lege ſi placet, apud tres Doctores citatos.

24 Pater licet in filii legitima nullum poſsit impo-
nere grauamen, ſi tamen ei ſubſtituat pupillariter, poteſt apponere ſubſtituto grauamen etiam in legitima quam à patre accipit, & in bonis quæ à matre, aut aliunde, quam à patre, filius habet. Ratio eſt, quoniam pater, ſubſtituendo, conſtituit hæredem filio loco ipſius filii; ſicut autem filius inſtituendo eundẽ ſubſtitutũ ſuũ hæredem, poterat illi imponere grauamen, etiam in legitima, quam à patre acceperat, & in qua pater non poterat imponere ipſi grauamen: ita pater poteſt imponere ipſi ſubſtituto illud idem grauamen. Hac eadem ratione poteſt pater hæredibus ab inteſtato talis filii imponere in eiſdem bonis grauamen, neminem alium filio ſubſtituendo. Sicut autem eo ipſo, quod filius pupillarem ætatem egreditur, expirat ſubſtitutio pupillaris: ita expirat grauamen bonis filij ea ratione illius hæredibus impoſitum. Hæc omnia colliguntur aperte *ex l. ſi Titio pecunia* (alias incipit, ſi feudũ per fideicommiſſum) *§. vlt. iuncta l. quod fideicommiſſum ſequenti, ff. de legat.* & affirmant Bart. & communis Doctorum ſententia, quam *Ant. Gom. t. tom. variar. reſol. c. 4. n. 12.* refert ac ſequitur.

25 Subſtitutio pupillaris in primis expirat, ſi ſub-
ſtitutus ante pupillum è vita diſcedat: ſicut & vulgaris expirat, ſi ſubſtitutus ante teſtatorem diſcedat: *Pupillaris quando exi-* ius quippe, ſeu ſpes ſubſtituti, ad hæredes ſubſtitu- *pirat.* ti non tranſit, *l. ſed ſi plures. ff. de vulgari, & Ant. Gom. c. 4. cit. n. vlt. & c. 3. n. 29.* Deinde expirat ſtatim ac is, cui ſubſtitutus eſt datus pupillarem egreditur ætatẽ. Pro ſolo namq; tempore pupillaris ætatis eſt ei datus ſubſtitutus, & ſub conditione ſi intra id tempus è vita diſcedat. Ita habetur dẽ maſculo, *inſt. de pupillari ſubſt. l. in pupillari, ff. de vulgari & pupil. & l. 10. tit. 5.*

tit.5.par.6. Tertio expirat statim ac filius efficitur sui iuris, viuente patre qui substitutum pupillarem ei tradidit. Vnde, si pater testamentum condat, in quo filio impuberi pupillariter substituat, paterque postea religionem profiteatur, eo ipso pupillaris substitutio expirat, adeo, vt esto pater è vita ante annos pubertatis filii post professionē discedat, & filius similiter post mortem patris discedat ante pubertatis annos, bona filii pertineāt ad hęredes ipsius ab intestato, non vero ad substitutū pupillarem. Ita *Emmanuel à Costa c. si pater, p.2. à n.10. fol.203.* Ratio est, quoniam, vt disp.140. dictum est, filius patriam potestatem egreditur eo ipso, quod vel ipse, vel pater religionem profiteatur. Quando autem filii, aut parentis, vel vtriusque captiuitate expiret pupillaris substitutio, disputat late *Emmanuel à Costa ibid. à n.13.* Quoniam vero raro id euenit, supersedendū ab ea disputatione duxi: Illud duntaxat admonuerim, fortasse illa locum non habere quando nostri, qui apud illos detinētur, iure non sunt captiui propter manifestam belli iniustitiam ex parte illorum, iuxta ea quæ *disp. 35. dubio 1. ante 4. conclusionem, & disp.39. atque disp.118.* dicta sunt.

26 *Dubium.* Dubium est, vtrum sicut, adueniente pubertatis tempore expirat pupillaris substitutio quouis modo expressa: sic quoque, adueniente eodem tempore, expiret vulgaris substitutio cū ea cōiuncta. Quidā vniuersim expirare affirmarunt. Bart. vero & communis sententia dixerunt, si pupillaris substitutio expresse limitata sit ad tempus pupillaris ætatis, aut ad aliud breuius tempus, transacto eo tempore, vna cum pupillari expirare vulgarem cum ea coniunctam. Quod si ad nullum tempus limitata expresse sit, sed testator de filio impubere dixit, instituo hæredem filium meum Antonium, eique substituo Petrum, tunc dicunt: adueniente tempore pubertatis extingui solam pupillarem, non vero vulgarem: quin potius, si ille pubes ante testatoris mortem discedat, neque pater aliud condat testamentum, aut pubes post mortem patris repudiata, aut non adita hæreditate, locumque non habente transmissione, discedat, succedit substitutus in solis bonis testatoris vi vulgaris substitutionis in pupillari intellectæ, quæ nondum cessauit. Idem de mente horum Doctorum censet Couar. loco statim citando, esse si testator dixit, instituo filium meum impuberem, eique substituo Petrum, nulla mentione facta de ætate pupillari, in qua discedat. *Ant. tamen Gom. 1.tom.var.resol.n.3. & Couar. c. Raynutius. §.5.nu.5. cum Glossa penult. l. lex Cornelia, ff. de vulgari & pupill. & cum paucis aliis quos Couar. citat*, vniuersim existimāt, vulgarem substitutionem in pupillari intellectam non expirare esto pupillaris expiret pubertate aduenīente, aut alio breuiori tempore. Atque hæc sane sententia placet, quam Couarru. vndecim egregiis rationib. sufficienter probat, eas, vt breuitati consulā, nō refero: fas vero cuiq; erit eas apud Cou. legere.

A B C D E

SVMMARIVM.

1 *Quibus fieri possit exemplaris substitutio?*
2 *Quid facto opus ei, cui exemplaris substitutio est facienda.*
3 *Pater & mater possunt exemplariter substituere filio.*
4 *An si filius, cui substitutus datur, descendentibus careat, habeat vero fratres, mater teneatur substituere fratrem, & pater fratrem.*
6 *Vtrum mater, quæ ad secundas nuptias transiuit, possit substituere filio exemplariter.*
7 *Vtrum si is, cui est substituendum, tam descendentibus quam patribus careat, habeat tamen consobrinum filium fratris defuncti, is necessario substituendus sit, & vtrum possit is consobrinus filius fratris defuncti præferri in substitutione.*
8 *Num pater filio substituens exemplariter, possit excludere matrem à portione in bonis talis filii ipsi debita.*
9 *Substitutio exemplaris, si rite fiat, valida est.*
10 *Substitutio exemplaris verbis generalibus expressa.*
11 *Quomodo fiat substitutio exemplaris expressa verbis specialibus?*
12 *Quæ dicatur substitutio exemplaris verbis singularibus expressa.*
13 *Quando exemplaris substitutio expiret.*

DE EXEMPLARI SVBSTITVTIONE.

DISPVTATIO 185.

QVidnam exemplaris substitutio sit, & qui possint illam efficere disp.182. dictum est. Fieri autem, potest, non solum amentibus, sed etiam iis, qui surdi ac muti simul sunt, siue à natiuitate, siue postea morbo tales effecti fuerint: modo tamen scribere nesciant. Quemadmodum enim, qui tales sunt, neque scribere sciunt, testari non possunt, nisi vel milites sint, vel ad pias causas testētur vt disput. 136. ostensum est ita fieri illis potest exemplaris substitutio, vt Bar. & communis Doctorum sententia, quam *Ant. Gom. 1.tom.var.resol. c. 6. n.3, Couar. c. Raynutius, de test. § 6.nu.1. & Greg. Lopez. ad l.vi.tit.5.par.6.* referunt ac sequuntur, affirmat *argumento textus d. ex facto. ff. de vulp. & pupil.* Sicut enim quondam priuilegium petebatur ac obtinebatur, etiam ad surdis, & mutis conficiendum testamentum, indeque ortum habuit *l. humanitatis. C. de impub. ac aliis substit.* quæ absq; priuilegio id circa amentes cōcessum est, sic ēt idē concessū censetur circa surdos simul ac mutos, quādo scribere nesciunt, vt cōmunis Doctorū sententia affirmat. Idē affirmat cōmunis sententia, quā Doctores citati referūt ac sequūtur, de prodigis qui, vt disp.137. ostensum est, testari non possunt, neque multum ab amentibus distant. Atque propter hos omnes disp. 182. in definitione substitutionis exemplaris apposuimus verba illa, *aut simili morbo testari prohibitus.*

2 Si is, cui exemplaris substitutio est facienda, descendentes habeat, necessario illi sunt substituendi, aut aliquis eorum; institutis reliquis in portionib. eis debitis. Quod si descendentibus careat, habeat tamen fratrē, aut fratres, hi, aut eorum aliquis sunt substituendi: neque valida erit substitutio, si alius substituatur. Deficientibus vero fratribus, fas est substituere quēcunq; extraneū. Hæc omnia habentur *l. humanitatis. C. de impub. & aliis subst. §. quæ ratione. inst. de pupill. subst.* Potest vero fieri eiusmodi substitutio filiis illegitimis, quando tamen ascendentibus, iuxta ea, quæ suo loco in superiorib. explicata sunt, possunt succedere. Atq; hoc est q. *Ant. Gom. c. tit.n.6.* vult, & quod affirmat *Greg Lopez. Gl. 1. ad l.1. tit.5.p.6.*

3 Esto pater exēplariter substituat filio, pōt ēt mater eidē substituere exēplariter. Substitutio autē facta per patrē vim habebit in bonis, quæ filius habuerit ex patre: substitutio vero facta per matrem, obtinebit in bonis quæ habuerit ex parte matris. Si tamē is, cui substitutus datur, habuerit alia bona, ppria industria, aut aliunde acquisita, dimidium obtinebit, substitutus datus à patre, & alterum dimidium substitutus datus à matre. ita cū Bar. Ant. Gom. *ibid. n.13.*

4 Idem Ant. Gom. *n.6. cum Bar.* ait, si filius, cui substitutus datur, descendentib. careat, habeat vero fratres, matrē non teneri substituere fratrē, nisi vterinus sit, hoc est, ex se genitus: & patrem non teneri substituere fratrem, nisi consanguineus sit, id est, ex se genitus. Imola tamen refragatur, resque profecto est dubia: quoniam quod necessario substituendus sit frater, fauor sane est filii, cui substitutus est tradendus, ne excludantur adeo propinqui hæredes ipsius: non vero parentum; tametsi æquitas postulet, vt parentum quoque ratio habeatur. Fortasse, iuxta ea quæ disputat. 164. dicta sunt, si is, cui substitutus est tradendus, fratres habeat vtrinque con-

coniunctos, & alios ex vno tantum latere vtrinque coniuncti, aut aliquis eorum, erunt necessario substituendi ab vtroque parente, exclusis omnibus fratribus ex vno tantum latere coniunctis: quandoquidem, vt disputatione citata dictum est, si is, cui substitutus datur discederet ab intestato, soli fratres vtrinque coniuncti illi succederẽt. Quod si solum habeat fratres ex altero tantum latere coniunctos, tunc, si vterque parens filios etiam habeat ex altero priori matrimonio, quinis potest substituere suos proprios filios, iuxta ea, quæ Bartol. & Anton. Gom. affirmant. Et fortasse substitutio aliter facta non valeret: quoniam si talis filius ab intestato discederet, soli fratres vterini ei succederent in bonis ex matre profectis, & consanguinei in bonis, quæ ex patre dimanarunt, vt disputatione citata ostensum est. Si vero alter tantum coniugum haberet filios, fratres illius ex altero latere coniunctos, existimo vtrumque parentem non alium posse illi substituere, quam fratres illos, aut aliquem illorum: quoniam illi soli sunt, qui in filij fauorem *leg. humanitatis citata*, necessario illi substitui præcipiuntur. Parens aũt, cuius illi nõ sunt filij, de suis propriis bonis, legitima talis filij excepta, facere poterit quod voluerit, ac proinde in eis bonis poterit illi substituere, quem voluerit.

6 Vtrum mater, quæ ad secundas nuptias transiuit, possit substituere filio exemplariter, Bart. negat alij vero affirmant, quos *Anton. Gom. 1 tom. variar. resol. c. 6. n. 9. & Greg. Lopez ad l. 11. tit. 5. p. 6. glos. 1.* referunt ac sequuntur: atque Greg. Lopez hanc opinionem esse indubie veram, si mater humaniter atque honeste circa filium testata sit, non vero si corrupto animo & qualiter, si filius sanæ mentis esset, nullo modo testaretur. Placetque hęc sententia, quamuis in hoc Lusitaniæ Regno forte stabitur Bar. opinioni: eo q̃ contraria nondum videatur esse cõmunis.

7 Dubium. Dubium est, vtrum si is, cui est substituendum, tam descendentibus quam fratribus careat, habeat tamen consobrinum filium fratris defuncti, is necessario substituẽdus sit: & eadem ratione vtrum esto fratres superstites habeat, possit is consobrinus filius fratris defuncti præferri in substitutione. Ant. Gom. *nu. 6. cit.* in postrema editione affirmat in primo euentu necessario esse substituẽdum. Tum quia consobrinus repręsentat patrem suum defunctum, iuxta ea quæ disput. 164. dicta sunt. Tum etiam propter alias rationes, quas conficit. Negat vero in secundo euentu posse substitui. Quod si hoc secundũ, à quo neminem discrepare video, verum est profecto, esto in exemplari substitutione, de qua in calce disput. 288. locuti sumus, verba testatoris sonarent, vt cõsobrina statim mortua matri succederet cum matertera in bonis mente captæ, inualida esset talis substitutio: eo quod interim dum soror mente captæ viueret, consobrina non potuit substitui, vt senatores ibidẽ relati huic fundamento innitentes asseruerunt. Fateor tamen me non videre congruentem rationem, cur filius patrem repręsentet ad effectum, vt necessario substitui debeat deficientibus fratribus mente captis: non vero vt, interim dum illi viuunt, nõ possit eis in substitutione præferri. Vnde illud etiam primum quod Ant. Gom. affirmat suspectũ est, & ipsemet affirmat esse valde controuersum inter Doctores sui temporis, neque ad hanc vsque diem alium ex scribentibus legi, præter Anton. Gom. qui ea de re disputat.

Decisio.

8 Dubium. Dubium etiam est, num si pater filio substituat exẽplariter, possit excludere matrem, etiam à portione in bonis talis filij alioquin ipsi debita, quemadmodum in substitutione pupillari disput. præcedente ostensum est posse id efficere. Bar. & cõmunis Doctorum sententia, quam *Cou. c. Reynutius §. 6. n. 6. & Gre. Lopez ad l. 11. tit. 5. p. 6.* referunt ac sequuntur, affirmant: quoniam, inquiunt, substitutio hæc ad exemplum pupillaris est introducta, in qua id pater potest. Cõtrarium cum Bal. & Ias. asserit Ant. Gom. *c. 6. cit. n. 7.* quæ sane æquior, ac verior sententia videtur. Iura namque priuilegium illud in sola pupillari substitutione cõcesserunt patri: & quãuis postea exemplarem substitutionem ad pupillaris exemplum introduxerint, in multis tamen voluerunt ab illa differre: quippe concesserint matri substituere exemplariter, fratremq̃ eius, cui exẽplariter est substituendum, statuerunt præferri necessario debere cæteris extraneis, atque adeo per epicheiam cẽsendi sunt statuisse matrem, non solum in legitima ipsi debita, sed etiam in omnibus filij bonis præferri lõge maiori cum ratione debere, cum cæteris extraneis, tum & fratribus defuncti: alioquin profecto lex non esset æqua, neq̃ prudentibus legislatoribus digna. Adde, quod data Bar. ac communi contraria sententia, dicendum eadẽ ratione esset qñ mater exemplariter substitueret filio, posse excludere patrẽ illius à portione legitima in bonis filij ex ipsa profectis eidem patri debita, in eaque legitima portione patri necessario esse præferẽdos proprios filios fratris eius, cui substitutio fieret: q̃ sane valde absurda sunt. Propter has rationes verã esse arbitror Bal. Ias. & Ant. Gom. sententiam: in hoc tñ Regno Bartol. & cõmuni erit standum, interim dum hęc alia effecta non fuerint inter recentiores cõmunis sentẽtia.

9 Subſtitutio exemplaris, si rite alioquin fiat, valida est, esto filio præterito, aut indebite exhæredato fiat, idque non solum de iure communi, sed etiam de iure huius Lusitani Regni, vt disp. præcedente ostensum est. Subſtitutio exemplaris expressa verbis generalibus erit, si quis, sciens filium suum esse mente captum, dicat instituo filium meũ Petrum, eique Martinum substituo *Lex facto, in prin. ff. de vul. & pupil. Bar. & alii, quos Ant. Gom. decis. 367. n. 3. & Cou. c. Raynutius. de test. §. 6. n. 5. referunt ac sequuntur.* Quin si quis habens duos filios mente captos dicat, instituo duos filios meos, eosque inuicem substituo, erit reciproca, seu breuiloqua continens verbis generalibus duas vulgares substitutiones & duas alias exemplares, vt disp. præcedente circa similes pupillares substitutiones dictum est. Ita cum Bartol. & aliis Cou. *loco citato*. Imo vero, si illi filij simul sint impuberes, erũt sex, duæ vulgares, & duæ pupillares pro tempore, quo fuerint pupilli: eaque ratione, si quis eorum intra pupillarem ætatem post patrem obierit, substitutus excludet matrem, etiam à portione alioquin matri in bonis talis filij debita, & duæ aliæ erunt exemplares pro reliquo tempore. Consentit Ant. Gom. cum Bartol. & aliis quos citat. Ait namq̃ si pater filium impuberem ac mente captum hæredem instituat, eique (sine adiectione, quod si intra tempus pupillare discedat) substituat aliquẽ, talem substitutionem pro tempore pupillaris ætatis esse pupillarem, pro reliquo vero esse exemplarem, validamq̃ proinde esse talem substitutionem tempore pupillaris ætatis, esto talis filius habeat fratres, & substitutus sit aliquis extraneus: secus aũt pro tempore extra pupillarem ætatẽ. Si tamen pater eidem filio in hunc modum substituat, si intra pupillarem ætatem decesserit, ei substituo Antonium, erit pupillaris substitutio: non vero simul exemplaris pro tempore quo pupillarem ætatem fuerit egressus: idque propterea, quod conditio illa, si intra pupillarem ætatem discesserit, locum non relinquat, vt pro tempore, quo pupillarem ætatem fuerit egressus, substitutio etiam exemplaris intelligatur.

Decisio.

10 Exemplaris verbis generalibus.

11 Exemplaris verbis specialibus.

Subſtitutio exemplaris expressa fit verbis specialibus, si mentio fiat defectus ob quem cõcessum est exemplariter substituere. Vnde si testator sic dicat, filio meo furioso substituo Martinum, in primis est substituo exemplaris expressa verbis specialibus. Deinde simul est vulgaris expressa verbis generabus, qua, si is filius mortuus fuerit ante patrem, aut

sanæ mentis effectus repudiauerit paternam hæreditatem, vel loco illius, dū in amētia perseuerat, hereditas fuerit repudiata, succedit substitutus. Præterea simul est pupillaris verbis generalib expressa, si talis filius nondum ad pubertatem peruenit, per quam, si is intra pupillarem ætatem, siue sui compos effectus, siue in amentia perseuerans è vita discedat, succedit illi substitutus, etiam exclusa matre: si vero post pupillarem ætatem in furore discedat, est pro eo tempore exemplaris. Ita Bar & alij, quos Cou *n.* 5. refert ac sequitur. Quod si pater prædicto filio impuberi ac furioso in hūc modum substituat, si filius meus furiosus discesserit in furore, substituo illi Martinum, continebit quidē ea substitutio tres substitutionis species paulo antea explicatas: attamē q̄uis vulgaris locum habeat, si sanæ mentis effectus repudiet hæreditatem, nihilominus duæ aliæ euanescent, si compos sui, vel intra pupillarem ætatem, vel extra illam vitam finierit: eo quod vtraque sub illa cōditione facta fuerit, si furiosus è vita discesserit, quæ impleta non fuit. Ita Couar. ibidem.

11 Erit denique substitutio exemplaris verbis singularibus expressa, si testator sic dicat, si filius meus hæres erit, & in furore discesserit substituo illi Martinum. Ea vero ex præsumpta testatoris voluntate continet vulgarem tacitam. Simul etiam, si talis filius impubes sit cōtinet pupillarem expressam verbis generalibus: attamen coarctatam illa conditione si intra pupillarem ætatem in furore discesserit, vt paulo ante de simili exemplari verbis specialibus expressa dicebamus. Hæc Cou. *loco citato cum* Bar. & Alexan. Vbi cum eisdem autoribus addit exemplarem substitutionem factam ex vno eorum capitum ex quibus diximus, tradi posse substitutum exemplarem, extendi ad alia. Vt substitution em factam capite prodigalitatis, extendi ad caput amentiæ, & è contrario, vt duabus disputationibus præcedentibus de substitutione vulgari facta ex vno tantum capite dictum est extendi ad alia.

13 *Exemplaris expirat.* Exemplaris substitutio expirat eo ipso, quod is, cui facta est ad sanam redit mentem *l. humanitatis* C. *de impuberum & aliis subst. & instit. de pupil. subst. §. qua ratione.* Si tamen postquam ad sanam mētem rediit testamentum non fecit, iterum mente captus factus fit, reconualescit exemplaris substitutio prius facta, esto, qui exemplariter substituit, mortuus fuerit antequam ille ad sanam mentem redierit. Ita Bart. & Doctores communiter, quos Ant. Gom. *t. 6. cit. nu. 11. & Couar. §. 5. et n. 7.* referunt ac sequuntur. Tametsi Couar. non displiceat Zasij limitatio, vt id intelligatur, modo non redierit ad amentiam post longum tempus à pūcto, quo ab ea liberatus fuit. Ant. autem Gom. *loco cit.* recte admonet, fieri non posse exemplarem substitutionem, qui, dum primo in amentiam incidit, legitimum habebat confectum testamentum, sed illius vltimæ voluntati esse standum.

SVMMARIVM.

1 *Quid iure Castellano statutum de fideicommissaria substitutione.*

2 *Vtrum si hæres grauatus, hæreditate adita, nondumq; adueniente tempore, in quo restituere eam tenetur, in delictum incidat, ob quod bona illius fisco abdicātur, hæreditas illa illico fideicommissario restituenda sit, an frui ea debeat fiscus, quousque morte hæredis grauati, aut alia ratione tempus restitutionis adueniat.*

3 *Hæres grauatus religionem profitens, vsque ad ipsius naturalem mortem fideicommissarius non admittitur, nisi Minoritarum religionem profiteatur.*

4 *Quid, quando fideicommissi restitutio ex testatoris præscripto est sub conditione pendente in futurum post professionem talis religiosi.*

5 *Eo ipso quod hæres grauatus hæreditatem fideicommissario modo aliquo ex statim dicendis restituit, actiones omnes tam actiuæ quam passiuæ transeunt ad fideicommissarium.*

6 *Hæreditatis restitutio quī fieri possit?*

7 *Si pupillo restituenda sit hæreditas, ipsimet, interueniente tutoris autoritate, fieri debet.*

8 *Quid, quando hæres grauatus requisitus non vult adire hæreditatem, & ante litem contestatam contumaciter se abscondit.*

9 *Vtrum dominium, quod tunc fideicommissarius acquirit, sit solum vtile, ita vt dominium directum perseueret cum hærede directo.*

DE FIDEICOMMISSARIA SVBstitutione.

DISPVTATIO 186.

QVid sit fideicommissaria substitutio, quid fideicōmissum: quis dicatur fideicōmissarius: quis item hæres grauatus, disputatione 182. explicatum fuit.

Quamuis de iure *Regni Castellæ l. 1. tit. 2 lib. 5. Ord.* quæ hodie est prima *tit 4 lib 5. nouæ collectionis*, validum sit fideicommissum, esto hæres grauatus è vita hæreditate non adita, aut etiam repudiata, discedat: de iure tamen communi quemadmodum eo ipso testamentū efficiebatur nullum, quod testator illo pacto è vita discederet ita expirabant fideicommissa, & cætera in eo contenta, vt ex dictis in superioribus constat, exceptis aliquibus euentibus, de quibus dicetur quando de modis, quibus fideicommissum expiret, sermo erit. Hæc de causa, vt hæres grauatus ad adeundam hæreditatem inuitaretur, & simul ne nomen talis hæredis vacuum & absque fructu esset, concessum illi fuit, vt restitutionis tempore detrahere de fideicommisso posset quartam Trebellianicam, de qua disp sequenti dicetur. Illa eadem de causa concessum fuit, vt si hæres grauatus adire non vellet hæreditatem, posset officio iudicis ad id cogi, vt continuo eam restitueret: & vt si coactus eam adiret, amitteret quartam Trebellianicam. Ita habetur §. *ergo, ver. sed si recusset, & §. sed & id, inst. de fideicommissariis hereditatibus, l. præterea l. recusare, per totam l. nam quod, §. qui compulsus ff. ad Trebell. l. non iustam* C. *eodem titulo l. vltim. titulo 5. part. 6. & l. vltim. titulo 11. p. 6. & affirmat Anton. Gomez. 1. tom. variar. resolut. c. 5. n. 3. & 14.* Habent vero hæc locum, etiam quando hæres ab intestato codicillo est grauatus restituere hæreditatem, *l. 1. §. hoc autem l. recusare §. meminisse, ff. ad Trebell. l. si fideicommissum* C. *eodem titulo, & §. præterea Inst. de fideicommiss. hereditatib.* traditque *Anto. Gom. ibidem. num. 4.* Item quia vnus fideicommissarius grauari potest restituere fideicommissum, vel totum vel partem alteri, vt habetur §. *cum quoque, instit. de fideicommiss. hæred.* vtique quando multi ita grauati sunt, vnusquisque eorum in defectum antecedentium, petere potest, vt hæreditatem adeat, sibique restituat *leg. cogi §. si ergo ff. ad Trebell. Anton. Gomez. ibidem, numero 5. Bart. & Angel.* quos citat.

Vtrum autem, si hæres grauatus, hæreditate adita, nondumque adueniente tempore, in quo restituere eam tenetur, in delictum incidat, ob quod bona illius fisco abdicantur, hæreditas illa illico fideicommissario restituenda sit, an vero frui ea debeat fiscus quousque vel morte hæredis grauati, vel alia ratione tempus restitutionis aduenial. Dicendum est, ad fiscum eo tempore toto attinere, *l. Statius Florus §. Cornelio, ff. de iure fisci, & l. ex facto §. ex facto ff. ad Trebellia. & Greg. Lopez cum Bal. ad l. vlt. tit. 5. part. 6. verb. tanto tempore.* Excipitur, nisi testa-

1 *Ius Castellæ.*

C *Ius communе.*

D

E

2 *Dubium.*

Decisio.

tor

tor alienationem prohibuerit ſtatuendo, vt bona in familia remanerent: aut conſtaret voluntatem illius fuiſſe, vt, etiam viuente hærede grauato, aut alia ratione durante tempore, in quo nondum facienda erat reſtitutio, non tranſirent ad alium, quam ad fideicommiſſarium. Ita iuxta *l. Imperator, in prin. cum Bart. & Angel. Gregor. Lopez. ibidem*.

3 Si hæres grauatus religionem profiteatur, licet mundo cenſeatur mortuus, vſque ad ipſius tamen naturalem mortem, aut quouſque tempus aliud à teſtatore ad reſtitutionem conſtitutum adueniat, fideicommiſſarius non admittitur. Ita *arg. 2. tex. in l. cum pater, §. hæreditatem ff. de leg. 2. Greg. Lopez ibidem cum Bar. Idem affirmant Mol. lib. 2. de primog. c. 13. num. 77. Couar. 1. libr. variar. reſolut. c. 19. nu. 7. Emmanuel à Coſta c. ſi pater, p. 1. verb. ſi abſque liberis num. 63. fol. 160. Caldas de nomina. emph qu. 6. num. 1* & alij, quos Caldas refert, quamuis male in contrarium citet *Emmanuelem à Coſta vbi ſupra n.* 61. *Bar. Couar. c. 2. de teſt. n. 6. Greg. Lopez, & plerique alij, quos Emmanuel à Coſta n. 61. cit.* refert ac ſequitur merito id limitandum cenſent, niſi Minorum religionem profiteatur, adde, aut ſocietatem noſtram. Quoniam neque religio ipſa, neque aliquis nomine & loco talis religioſi, quicquam poteſt habere, ſed perinde, quoad externa bona, reputatur, ac ſi naturaliter eſſet mortuus, vt diſp. 139. & 240. dictum eſt.

4 Obſerua tamen, ſi fideicommiſſi reſtitutio ex teſtatoris præſcripto facienda eſſet ſub conditione pendente in futurum poſt profeſſionem talis religioſi, vel in diem mortis naturalis eiuſdem, vel in aliquod aliud tempus, atque ex eo, quod conditionis euentus expectaretur, accidere poſſet, vt fideicommiſſum reſtituendum eſſet, non ei, cui reſtitutio eſſet facienda, ſi religioſus ille naturaliter moreretur tempore, quo profeſſionem emittit, ſed alicui alteri, tunc expectandum eſſe tempus mortis naturalis talis religioſi, aut aliud iuxta conditionem à teſtatore præſcriptam, reſtituendumque eſſe ei, cui iuxta conditionem à teſtatore præſcriptam venit reſtituendum. Atque hoc eſt, quod *Emmanuel à Coſta numero ſexageſimo primo cit.* velle videtur, in quo non video Doctores alios ab eo diſſidere: tametſi in diſputat. de qua ibi Emmanuel à Coſta loquitur fortaſſe cõtrarium, ac ille exiſtimauit, ſit cenſendũ: nempe quando pater duos filios inſtituerit æqualiter in re aliqua, de qua libere poſſet teſtari, eoſque inuicem in portionibus illis ſubſtitueret ſub conditione, vt ſi eorum aliquis ſine liberis diſcederet, portio illius adueniret alteri, & ſi vtrumque ſine liberis diſcedere contingeret, vtraque portio pauperibus tribueretur. Arbitratur namque Emmanuel à Coſta, ſi vnus illorum religionẽ Minorum profiteatur ſuperſtite alio fratre, portionem profitentis nõ eſſe reddendam ſuperſtiti, eſto ſuperſtes liberos habeat ſed expectandam eſſe mortem naturalem religioſi, vt ſi alter frater ante ipſum diſcedat, eſto liberos relinquat, reſtituatur, nõ liberis conſobrinis religioſi, ſed pauperibus. Veriſimilius autem credo mentem teſtatoris in eo euentu fuiſſe, vt portio talis religioſi eo ipſo, quod eam religionem profiteretur, tradere tur alteri fratri, deueniretque ad filios illius, nepotes teſtatoris, & non ad pauperes: quoniam cenſendum eſt, teſtatori non occurriſſe euentũ illum profeſſionis in religione: voluntatemque illius eſſe, vt in ea portione, tum alter frater, tum etiam filij illius præferrentur pauperibus, in defectumque vtriuſque fratris, ſoboliſq; ipſorum, pauperes ſubſtituit.

Vtrum primus hæres grauatus conficere teneatur inuentarium, cogique ad petitionem fideicommiſſarij ad id debeat, vt tempore reſtitutionis rationem hæreditatis reddat, dicetur diſputat. 219.

5 Eo ipſo, quod hæres grauatus hęreditatem fideicommiſſario modo aliquo ex ſtatim dicendis reſtituitur, actiones omnes, tam actiuæ, quas hæres quatenus defuncti hæres, poterat exercere, quam paſſiuæ, quas legatarius, & defuncti eruditores poterant aduerſus eundem hæredem exercere, tranſeunt ad fideicommiſſarium, etiam defuncti creditoribus inuitis, adeo vt, ſi legatarij, aut creditores defuncti aliquid ab hęrede exigant, poſſit excipere, ſeu opponere, ſe iam ad id non teneri, & è contrario, ſi ipſe à defuncti debitoribus quippiam petet, excipere poſſint ac debeant, non pertinere iam ad ipſum eam actionem. Si tamen apud hæredem grauatum aliquid hæreditatis remaneat, vel quod grauatus non fuerit totam hæreditatẽ reſtituere, vel ꝙ Trebellianicam detraxerit: tunc diuiduntur actiones, tam actiuæ quam paſſiuæ, inter ipſum & fideicommiſſarium pro rata, iuxta hæreditatis portionem, quæ vnumquemq; contingit. Hæc conſtant *inſtitut. de fideicommiſſariis hæreditatibus §. reſtituta §. ſed quia ſtipulationes, & §. ſi quis vna, verſic. ſed illud intereſt. & leg. in prin. & §. 1. & leg. reſtituta ff. ad Trebellia.* habentque locum, etiam quando vnus fideicommiſſarius alteri fideicommiſſario hęreditatem reſtituit. Conſentiunt *Antonius Gomez 1. tome variar. reſol. c. 5. n. 12 & 3.* & communis doctorum ſententia. Quod ſi hæres, reſtituta iam hæreditate, aliquid creditoribus ſoluat, quod fideicommiſſarius ſoluere tenebatur, poteſt illud à fideicommiſſario repetere, vt habetur. *leg. 1. C. ad Trebellia.* Actiones autem cœptæ per hæredem grauatum, & alia ſimiliter ab eo cœpta, quouſque hæreditate reſtituta tranſeant in fideicommiſſarium, vide Apud Anton. Gomez. *nu. 2. citato.*

Reſtitutio hæreditatis fieri poteſt re: idque non ſolum tradendo res hæreditarias, ſed etiam patiendo, vt fideicommiſſarius, vel omnes, vel quaſdam earum poſſideat, dũmodo hæres id patiatur mente & animo hæreditatem reſtituendi, & fideicommiſſarius animo eam accipiendi, illas poſſideat: ſecus autem ſi hæres ex alia cauſa putaret fideicommiſſarium poſſidere, niſi poſtea id ratum haberet: nam ſola ratihabitio ſequens ſatis eſſet vt cenſeretur facta traditio realis hæreditatis. Itẽ ſi aliquis iuſſu hæredis tradiderit hæreditatem, vel poſt illam ita ſine juſſu traditam hęres id ratum habuerit, cenſetur facta realis traditio: idque ſiue ipſi fideicommiſſario hæreditas ſit tradita, ſiue alicui, quem ipſe ad id cõſtituit. Satis etiam erit, ſi fideicommiſſarius poſt hæreditatem ſine ipſius commiſsione acceptam ratũ id habeat. Poteſt etiã fieri reſtitutio ſolo verbo, aut per epiſtolam, vel internuncium: attamẽ his tribus modis non cenſetur facta realis, ſed verbalis reſtitutio. Hæc habentur *l. reſtituta ff. ad Trebell.* ſuntque abſque controuerſia communiter recepta.

6 Si pupillo reſtituenda ſit hæreditas, ipſimet fieri debet. modo infans non ſit, neque abſens: ſimulque interuenire debet autoritas tutoris. Idem dicẽdum eſt, quando pupillus grauatus eſt reſtituere hæreditatẽ: ipſe namque eam reſtituere debet, interueniente ſimul autoritate tutoris. Ita habetur eadem *l. reſtituta §. vlt.* Quod ſi pupillus infans ſit, aut abſens, ſatis eſt ſi tutor reſtituat, aut ſi tutori reſtitutio fiat, vt *eodem §. vlt.* habetur *& l. pen. C. ad Trebell.* Quod ſi is, cui facienda eſt reſtitutio, aut qui reſtituere debet, mente captus ſit, ſatis eſt ſi curatori ipſius fiat reſtitutio, aut ſi curator reſtituat, vt habetur *l. penultima citata.*

7 Si hæres grauatus requiſitus noluerit adire hęreditatem, & vel ante litem coeſtatam, vel poſt contumaciter ſe abſconderit, vel poſtquam eſt requiſitus è vita diſceſſerit, cenſetur ipſo iure facta reſtitutio hæreditatis. Idem eſt ſi vnus fideicommiſſarius grauatus reſtituere hæreditatem alteri è vita diſcedat: eo namq; ipſo cenſetur facta hæreditatis reſtitutio ſequenti fideicommiſſario. Hæc habentur *l. penult. §. vlt. C. ad Trebellian.*

Quouis autem ex his omnibus modis facta ſit reſtitu-

ſtitutio, non ſolum tranſeunt actiones in fideicommiſſarium, ſed etiam comparat eo ipſo dominium bonorum hæreditatis: eaque de cauſa rei vendicatio illarum ei conceditur. Sicut enim hæres eo ipſo, quod hæreditatem adit, comparat dominium rerũ hæreditariarũ, quarũ defunctus erat dominus, eſto illarum nulla ſit ei facta traditio, vt diſp. 3. oſtenſum eſt: ita fideicõmiſſarius eo ipſo, quod hęres vel ſolo verbo hæreditatem illi reſtituit, comparat earundem rerum dominium. Quãdo ergo ſit ei realis reſtitutio aliquo ex modis explicatis, ſimul comparat dominium & poſſeſſionem, quando vero ſolum ſit ei verbalis reſtitutio, comparat quidem dominium ſed nondum habet poſſeſſionem. Hæc omnia conſtant *ex l. facta ff. ad Trebell.* cuius hæc ſunt verba. *Facta in fideicommiſſarium reſtitutione, ſtatim omnes res in bonis fiunt eius, cui reſtituta eſt hæreditas, etſi nondum earum nactus fuerit poſſeſſionem.* Conſentiunt *Ant. Gom. 3. tom. var. reſ. c. 5. n. 7. & 13. Couar. Reynutius, de teſt. §. 10. à num. 4. & DD. communiter.*

9 Vtrum autem dominium, quod tunc fideicommiſſarius acquirit, ſit ſolum vtile, ita vt dominium directum perſeueret cum hærede directo. Communior ſententia affirmat, acquirere ſolum vtile, quam ſequitur *Ant. Gom. loco citato, n. 1.* Contrarium vero, nempe acquirere etiam directum, aſſeuerat Couar. *num. 4. 6. & duobus ſequentibus*, cum Paulo Caſtren. ſi, Socino, Ripa, & Carolo Molineo, beneſp id probat. Ac ſane rationis lumen id ſatis docet, eaque videtur fuiſſe mens teſtatoris, & ſaltem extincto hærede directo, negãdum non eſt vtrumſp dominium eſſe penes fideicommiſſarium.

SVMMARIVM.

1 *Quantum hæres à fideicommiſſo detrahere poſſit: & cur.*
2 *Fideicommiſſarius, qui cuipiam tertio grauatus eſt eandem reſtituere hæreditatem, non poteſt deducere quartam Trebellianicam.*
3 *Quod ſi hæres grauatus liberalitatem in fideicommiſſarium exercendo detrahere Trebellianicam nolit, tunc fideicommiſſarius, tanquãrem ſibi ab hærede donatam, detrahere illam poteſt, cum hæreditatẽ reſtituit.*
4 *Vtrum, ſi filius, cui legitima portio debita eſt, in bonis teſtatoris, grauetur hæreditatem reſtituere, poſſit vltra ſuam legitimam portionem detrahere de reliquo Trebellianicam, an contẽtus eſſe debeat ſola legitima portione aut ſola Trebellianica.*
5 *Reſpondetur ad dubium propoſitum.*
6 *Vtrum deductio vtriuſque portionis locum etiam habeat in aſcendentibus grauatis ſub conditione, aut in diem reſtituere hæreditatem.*
7 *Vtrum quæ dicta ſunt de quarta Trebellianica, deducenda vltra portionem legitimam, intelligenda ſimiliter ſint de Falcidia.*
8 *Quorundam limitatio.*
9 *Non poteſt de iure Caſtellæ Falcidia nec Trebellianica vltra legitimam deduci.*
10 *Nefas eſt iudicibus Luſitanis, occurrente euentu, in quo res hæc in litem vocatur, ferre ſententiam pro vna aut altera parte.*
11 *Fructus ex hæreditate percepti quando cõputandi ſint in quartam Trebellianicam, & quouſque reſtituendi aut non.*
12 *Fructus percepti poſt mortem teſtatoris ſed ante aditam hæreditatem per hæredem grauatum, accreſcunt hæreditati, & reſtituendi ſunt.*
13 *Limitatur hæc concluſio.*
14 *Quidam fructus dicuntur percepti iudicio teſtatoris, quidam non item.*
15 *Fructus iudicio teſtatoris percepti ab hærede grauato in quibus computentur.*
16 *Quid, quando teſtator expreſſe præcipit reſtituì fructus.*
17 *Si fructus percepti non ſunt iudicio teſtatoris, an ſi negligentia fideicommiſſarij, qui hæreditatis reſtitutionem nõ petiuit, ab hærede ſunt percepti illos reſtituat.*
18 *Quid, ſi fideicommiſſum relictum ſit Eccleſiæ, in redemptionem captiuorum.*
19 *Quid, ſi fideicõmiſſum reſtituendum ſit minori viginti quinque annis.*
20 *Si hæres grauatus in mora ſit reſtituendi hæreditatem à puncto, quo in mora eſſe incipit, tenetur computare fructus in quartam, & ſi quid ſuperſit reſtituere.*
21 *Eo ipſo quod reſtitutio hæreditatis eſt facta in tribus ſupradictis euentibus, fructus deinceps percepti pertinent ad fideicommiſſarium.*
22 *Liberi primi gradus, qui.*
23 *Num teſtator prohibere poſſit Trebellianicæ deductionem, ita vt hæres grauatus abſque talis portionis deductione teneatur hæreditatem inſtituere.*
24 *Vtrum ſatis ſit tacita prohibitio Falcidiæ, vel Trebellianicæ.*
25 *An parens filiis primi gradus prohibere poſſit deductionem Trebellianicæ*
26 *Refertur contraria quorundam ſententia.*
27 *Num ex fideicommiſſo ad rem piam deduci poſſit Trebellianica.*
28 *A fideicommiſſo ita relicto, vt alienari non poſſit, ſed permaneat apud certos ſucceſſores, detrahi non poteſt Trebellianica.*

DE QVARTA TREBELLIANICA à fideicommiſſis deducenda, & num fructus in ea ſint computandi, & quouſque ſint reſtituendi.

DISPVTATIO 187.

VT in principio diſputationis præcedentis dictum eſt, quando hæres, ſiue in integram hæreditatem, ſiue in quotam inſtitutus, grauatuſque vel totum, in quo eſt inſtitutus, vel partem reſtituere, à iudice nõ coactus hæreditatem adiuit, reſtitutionis tempore detrahere poteſt à fideicommiſſo quantum ſatis ſit, vt quarta pars bonorum, in quibus fuit inſtitutus, apud ipſum permaneat: idque propter rationes ibidem redditas. Idem efficere poſſunt hæredes ipſius, quando reſtitutio facienda eſt poſt mortem eo pacto grauati. Ita habetur §. *ſed quia hæredes, & ſequentibus inſt. de fideicommiſſariis hæreditatibus l. 1. & ſequentibus, C. ad Sen. conſ. Trebell. & c. Reynutius, & c. Reynaldus, de teſtam.* Dixi, ſiue in integrã hæreditatem, ſiue in quotam: quoniam inſtitutus in re certa, aut in quantitate aliqua, ita inſtitutio vim legati habeat, non detrahit Trebellianicam. Ita *Couar. cap. Reynutius. de teſtam. §. 1. n. 10. & Emmanuel à Coſta cap. ſi pater p. 2. verb. Trebellianica à num. 14. fol. 180.* cum communiori ſententia aduerſus gloſſam in eo capite, quam referunt. Neque admittit Emmanuel à Coſta excuſationem, qua Couarru. gloſſam excuſat. Quando autem teſtator expreſsiſſet, vt hæres in vniuerſam aut quotam hæreditatis inſtitutus, retenta aliqua re, puta fundo aliquo, aut aliqua determinata quãtitate, vt mille, verbi gratia, aureorum, reliquum hæreditatis reſtitueret, ſane ſi id, vel integram quartam, vel amplius contineret, nihil inſuper detrahere poſſet, atque in eo euentu actiones non diuiderentur inter ipſum & fideicommiſſariũ pro rata, ſed integræ in fideicommiſſarium tranſirent: eo quod id, quod penes hæredem grauatum maneret, tanquam legatum reputaretur, ac proinde onus hereditarium nequaquã ſuſtineret. Ita habetur expreſſe *inſt. de fideicommiſſariis hæredit. §. ſi quis vna, & l. 1. §. ſi hæres, & § ſi is, ff. ad Trebel.* Quod ſi id ad valorem

valorem integræ quartæ non pertingeret, tunc detrahere hæres grauatus insuper posset complementum vsq; ad integram quartam; & quoad id solum, iuxta ea quæ præcedente disp. dicta sunt diuiderentur actiones pro rata inter ipsum & fideicõmissariũ, vt *glos. in §. si hæres cit.* affirmant estq; satis perspicuũ. Porro quarta Trebellianica, de qua loquimur, licet ortũ habuerit à Senatusconsulto Pegaliano, quod posterius Trebelliano fuit, quia tamen tẽporis progressu lex lata fuit, qua resecata sunt nõnulla ex Senatusconsulto Pegaliano, idq; quod de quarta fuerat in eo statutum, insertum fuit statutis in Senatusconsulto Trebelliano. resque tota fideicommissorum ad meliorẽ formam reducta fuit, à Trebelliano Senatusconsulto nomen Trebellianicæ accepit, vt *inst. de fideicommiss in his hæreditatibus præsertim §. sed quia stipulationes*, constat.

2 Licet hęres grauatus possit tempore restitutionis deducere quartam Trebellianicam: fideicõmissarius tamen, qui cuipiam tertio grauatus etiam sit eãdem restituere hæreditatem, non potest deducere quartam Trebellianicam. Ita habetur *l. 1. §. denig; & §. inde Neratius, & affirmant glos. ibi. ff. ad Trebel. & l. mulier §. vult. ff. eod. tit.* cuius hęc sunt verba. *Vt Trebelliano locus sit, non sufficit de hæreditate rogatum esse. sed quasi hæredem oportet.* Idem cum Bar & cõmuni sententia affirmat *Molin. lib. 1. de primog. c. 17. n. 30.* idque præterea confirmat *ex l. lex Falcidia §. nunquã ff. ad l. Fal. & ex Lagi §. Mettanus, & l. ex asse ff. ad Trebel.* Idem asserit *Emmanuel à Costa c. si pater, p. 2. verb. Trebellianica, n. 15. fol. 283.*

3 Obserua tamen, quod si hæres grauatus liberalitate in fideicommissariũ exercẽdo detrahere Trebellianicã non vellet, tunc fideicõmissarius, tanquã rem sibi ab hærede tacite donatam, detrahere illam posset, quando hæreditatem restitueret. Ita habetur *l. 1. §. inde Neratius ff. ad Trebel. & affirmant glos. ibid.* Bart. & cõmunis Doctorum sententia, q̃ Molina *loco citato n. 31.* refert ac sequitur. In dubio aũt, quando hæres integram hæreditatem restituit neq; Trebellianicam deduxit ait glos. cit. cum Azone, quã Bart. Alexander Paulus à Castro, Molina, & Doctores communiter sequũtur, censendũ esse voluisse eam donare: tametsi Cumanus, & Iason contrariũ affirment. Quando autem hæres grauatus persona esset coniuncta fideicõmissario, aut essent aliæ verisimiles coniecturæ, quod voluisset eam donare, censent cum Alex. & Paulo Castrensi indubitatam esse hãc glossæ opinionem *Mol. n. loco cit. & Emmanuel à Costa c. si pater p. 2. verb. Trebellianica n. 30. fol. 297.*

4 Licet conueniant Doctores, hæredem grauatum, si extraneus sit, in nullo euentu posse deducere duas portiones, sed vel contẽtum esse debere, aut portione quam testator voluit eum habere pręcipuam, reliquumque restituere, Trebellianica minime inde detracta, vel contentum esse debere sola Trebellianica, ita videlicet, vt vel eam solam detrahat, vel si testator aliquid præcipuum illum habere voluit, & sit minus quam Trebellianica, possit iuxta ea quę hactenus dicta sunt, petere incrementum vsque ad integram Trebellianicam: licet in quam, in hoc cõueniant DD. controuertunt tamen. vtrum si filius, aut alius descẽdens, cui legitima portio debita sit in bonis testatoris, grauetur hæreditatem restituere, possit vltra suam legitimam portionem, in qua testator nullum potuit ei imponere grauamen, detrãhere de reliquo Trebellianicam: an potius contentus esse debeat, vel sola legitima sua portione, vel sola Trebellianica, si forte maior sit, q̃ legitima de iure cõmuni, aut alicuius alterius Regni illi debita.

Quæstio.

Prætermissis vero aliis opinionibus dicẽdum est cum *Glossa c. Reynutius, de test. glos. l. quamquam C. ad l. Falc. Bar. Panor. & communi Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Ant. Gom. ad l. 3. Tauri n. 82. Cou. c. Reynutius, de test. §. 11. n. 5. Mol. lib. 1. de primog. c. 17. nu.* 5 Decisio.

4. & Emman. à Cost. c. si pater p. 2. verb. absq; deductione n. 3. & 4. fol. 254. si talis filius pure ac simpliciter sit grauatus, ita vt statim sit restitutio facienda solũ posse detrahere vnam portionẽ, vel legitimam, vel Trebellianicam, q̃ ipse maluerit. Si vero grauatus sit sub cõditione, pura si sine liberis decesserit, aut quauis alia aut grauatus sit restituere non statim, sed à certo die, videlicet mortis, aut quocunque alio, ita vt portiones nõ simul sunt necessario extrahẽdæ posse detrahere duas: vnam legitimã sibi debitã statim à morte testatoris: alteram, Trebellianicam tempore restitutionis, de reliquo hæreditatis. Atq; in eum modum conciliant, *cap. Raynutius, & c. Raynaldus de test.* deductio vtriusque portionis apertissime definitur cum quibusdam iuris ciuilis legibus, qui alteram portionem deducendam statuunt. Affirmant vere Doctores citati ita in praxi receptum vbique esse in tribunalibus. Anvero id locum habeat in his Lusit. & Castellæ Regnis, subiicietur statim. *Iur. commune.*

Vtrum deductio vtriusq; portionis locum ẽt habeat in ascendentibus grauatis sub conditione, aut in diem restituere hæreditatem. Cõmunior Doctorum sententia q̃ *Cou. loco cit. n. 6. Moli. vbi supra n. 5. & Emmanuel à Costa c. si pater p. 3. verb. priuare non possit, n. 36. fol. 557.* referunt ac sequuntur affirmat habere locum: qm nulla potest reddi sufficiens diuersitatis ratio: quippe cum eodem modo debita sit portio ascendentib. in bonis descendentiũ, quo descendentibus in ascendentium bonis esse debita. Contrariam tamen opinionem asseruerunt *Ant. Gom. ad l. 3. Tau. n. 85. & quidam alii*, quos Doctores citati referunt: eo q̃ *c. Raynutius, & c. Raynaldus*, solum de descendentibus loquantur. Hęc posterior opinio suaderi ex eo potest, quod quãuis nullus sit textus iuris ciuilis, qui cum dispositione iuris canonici modo explicato intellecta pugnet, vt *Emmanuel à Costa, c. si pater, p. 2. verb. absq; deductione, à n. 11.* satis ingeniose ostendit: nihilominus communior Doctorum sententia, vt idem autor sufficienter probat, est, secluſa dispositione iuris ciuilis, neq; in descendentibus sub conditione, aut in diem restituere grauatis, locũ habere deductionẽ duplicis portionis. Quo fit, vt dispositio iuris canonici, cum de solis descendẽtibus loquatur, extendenda non videatur ad ascendentes. Arbitror rũ recedendum non esse à communi opinione, quod etiam *Emmanuel à Costa, n. 36. cit.* affirmat. Etenim dispositio iuris canonici huic fundamento innitur, quod vtraq; portio sit debita, nec simul sit deducenda: q; sane locum simili modo habet in ascendentibus sub conditione, aut in diẽ grauatis: quare dispositio illa, seu iuris ciuilis interpretatio, in vtrisq; est intelligenda, præsertim cum ius canonicum locis citatis eam non arctauerit ad descendentes, sed, euentu & materia in descendentibus oblata, id lata sententia pronunciauit: idem in ascendentibus similiter facturum, si oblata materia id postularet, eo quod eadem esset prorsus ratio. C *Dubium.*

Vtrum autem, quæ dicta sunt de quarta Trebellianica deducenda vltra portionem legitimã quando ascendens aut descendens, cui legitima debetur, grauatus in diem aut sub conditione est hæreditatẽ restituere, intelligenda similiter sint de Falcidia, quando iisdem hæredibus iniunctum in diem, aut sub conditione est, soluere legata, aut fideicommissa aliqua particularia. Multi, quos *Cou. c. Raynutius, de test. §. 11. n. 7. & Greg. Lopez ad l. 11. tit. 11. p. 6.* referunt ac sequuntur, id negant: quoniam nusquam id sanctum comperitur. Contrarium vero esse asseuerant plerique alii, quos *Molin. lib. 1. de primog. cap. 17. n. 9. & Emmanuel à Costa, c. si pater, part. 2. verb. absque deductione, num. 10. fol. 256.* referunt ac sequuntur. Tum quia videtur esse eadem ratio. Tum etiam quoniam sancita de Falcidia, in iure & à Doctoribus constituta censentur de Trebellianica, & à contrario, vt perspicuis exemplis Emmanuel à Costa o- 6 *Quæstio.*

Diuiſio. ſta oſtẽdit. Quamuis autem lectoris erit optio, quænam harum duarum opinionum verior ſit: illud ad monuerim, admiſſa poſteriori ſententia, raro habere locum deductionem Falcidiæ vltra legimam. Tum quia non eſt ita frequens legata relinqui in diem, aut ſub cõditione, vt eſt relinqui fideicommiſſa vniuerſalia. Tum etiam quia raro eiuſmodi legata in diem aut ſub conditione ita relinquuntur, vt hæredi, vltra ſuam legitimam, non remaneat quarta hereditatis pars, facta cõputatione eius, quod vltra legitimam ipſi remaneat cum ſolis legatis in diem, aut ſub conditione: quando autem heredi remanet quarta pars hereditatis, locum nõ habet detractio Falcidiæ, vt ſuo loco videbimus.

8 *Quorundã imitatio.* Quod dictum eſt de detractione Trebellianicæ, aut etiam Falcidiæ, vltra legitimam, quando heres grauatus eſt in diem, aut ſub conditione, limitandũ cenſet Baldus, quem ſequuntur *Cou. c. Raynutius, de teſt. §. 11. n. 6. & pauci alii*, dummodo portio legitima heredibus debita non ſit dimidium hereditatis, vt eſt de iure communi quando filij ſunt quinque aut plures, vt ſupra ſuo loco dictum eſt, vel non ſit pluſquam dimidium, vt eſt de iure Luſitaniæ, & Caſtellæ regnorum. Huius rei non aliam rationem reddunt hi authores, niſi quia alioquin maiorem hereditatis partem obtineret hæres grauatus, quam fideicommiſſarius honoratus: quod reputant abſurdum. Contrarium *cum gloſſa in authen de heredibus & Falcidia §. ſi quis autem non adimplens, verb. auferri, in fine Bar. & Bald. ſibi contrario & pleriſque aliis merito affirmant Molin. lib. 1. de primog. c. 17. n. 7. & Emmanuel à Coſta c. ſi pater. p. 2. ver. abſque deductione, n. 9.* Quoniam plus hereditatis eſt tertia pars, quando eſt vnus tantum filius, quam dimidium hereditatis, ſi diuidatur in quinque aut octo filios. Et quoniam licet daremus rationem illam ſufficientem eſſe, vt legislatores mouerent ad id ita limitandum atq; ſtatuendum, interim tamen dum nõ comperitur ſancitum, ſtandum proculdubio eſt poſteriori ſententiæ.

Refellitur.

9 *Ius Caſtellæ.* Quod ſi Baldi & Coua. ſententia proxime impugnata vera eſſet, ſane neque in hoc Luſitanię, neque in Caſtellæ regno locum haberet deductio Trebellianicæ aut Falcidiæ vltra legitimam. Ex alio tamen capite *Emmanuel à Coſta, loco cit. n. 22. Mol. loco cit. n. 8. Greg. Lopez, ad l. 12. tit. 5. part. 6. gloſ. vlt. & Burgos de Pace, ad l. 3. Tauri, num. 97.* aſſeuerant, communi praxi in regno Caſtellę eſſe obſeruatũ, vt vltra legitimam neque Falcidia, neque Trebellianica deducatur: quia videlicet in eo regno libera omnino diſpoſitio deſcendentibus de tertio ſuorum bonorum relicta eſt, & aſcendentibus de quinto, atque inter liberos ſimul etiam de tertio, vt conſtat *ex l. 9. tit. 5. lib. 3. fori, & ex l. 17. Tauri, quæ ſunt hodie, prima, & 11. tit. 6. lib. 5. nouæ collect. iunctis legibus intermedijs*: quod ſi vel aſcẽdẽres, vel deſcendentes vltra ſuas legitimas portiones detrahere poſſent Falcidiãaut Trebellianicam, vtique nõ relinqueretur eis libera conditio de tertio & quinto.

10 *Ius Luſit.* Emmanuel à Coſta *loco citato à nu. 19.* cum oſtendiſſet, ſtando in ſola diſpoſitione iuris ciuilis, communiorem eſſe ſentẽtiam Doctorum, & gloſſarum deducendam non eſſe Trebellianicam aut Falcidiam vltra legitimam, docet nefas eſſe iudicibus Luſitanis, occurrente euentu, in quo res hæc in litem vocetur, ferre ſententiam pro vna aut altera parte, ſed ad regem eſſe recurrendum, iuxta ordinationem huius Regni, *lib. 2. tit. 5. §. vlt.* quę ſic habet *Se aconteceſſe caſo, o qual naon foſſe materia de peccado, e naon foſſe determinado por lei do Reino, nem eſtillo de noſſa corta, nem caſtume de noſſos Reinos, nem lei imperial, è foſſe determinado pellos textos dos canones por hum modo, e pellas groſſas e doutores das leis por outro modo, mandamos que tal caſo ſeia reſue ido a nos, e guar deſſe ſobre ello noſſa determinacaon.* Addit vero Emmanuel à Coſta Regem potius ſtatuere debere, vt vna tantum portio deducatur. Tum quia id poſtulat æquitas, cum tam ingens portio legitima de iure huius Regni aſcendentibus, & deſcendentibus ſit conceſſa. Tum etiam, quia id conſonantius eſt teſtatorum voluntati. Tum denique quoniam ordinationes huius Regni liberam diſpoſitionem de tertio ſuorum bonorum relinquunt eiuſmodi teſtatoribus, nõ minus quam iura Regni Caſtellæ diſpoſitionem de quinto aut tertio eiſdem relinquant, & quoniam id habet conſuetudo regni adeo vicini: ego addere, neceſſe non eſſe recurrere ad Regem, quoniã ſi in re adeo quotidiana non ſit conſuetudo, vt vltra portionem legitimam Trebellianica aut Falcidia deducatur, vtiq; conſuetudine eſt receptum, vt non deducatur, ac proinde neceſſe nõ eſt recurrere ad Regẽ, ſed conſuetudini præſcriptæ erit ſtandum: arbitrorq; conſuetudinem eſſe, vt non deducatur.

11 *Fructus ex hereditate percepti.* Quod ad fructus hæreditatis attinet, quando cõputandi ſint in quartam Trebellianicam, & quoũſque reſtituendi ſint, aut non, diſtinguendum eſt. Quoniã ſi viuente adhuc teſtatore fuerunt collecti dubitandum non eſt, eſſe partes hęreditatis, non ſecus atq; aliæ res eiuſdẽ hæreditatis mobiles, ac, proinde reſtituendos eſſe deducta quarta. Si vero tempore mortis teſtatoris erant pendẽtes, vt ſunt ſata, ſegetes, & poma ex arboribus pendentia, reputantur tanquam partes hæreditatis, venientque proinde reſtituendi, ſicut cætera hæreditatis bona. Ita *Anton. Gom. 1. tom. Var. reſol. c. 5. in calce, n. 15. Couar. cum Alex. & aliis, quos refert c. Raynutius de teſt. §. 11. in calce n. 9. & conſentit l. in lege Falcidia 2. ff. ad l. Fal.*

12 Si fructus percepti ſunt poſt mortem teſtatoris, ſed ante aditã hæreditatem per hæredem grauatũ, accreſcunt hæreditati, ac proinde veniunt reſtituẽdi deducta ex eis, ſicut ex reliqua hæreditate, quarta Trebellianica *l. ita tamen § 1. ff. ad Trebell. gloſ. 2. l. an fideicommiſſariam ff. eodem tit. & communis Doctorum ſententia, quam Emmanuel à Coſta, ca. ſi pater, p. 3. verb. obliqua, n. 84. fol. 478.* refert ac ſequitur. Quamuis enim hæres adita hæreditate ita dominium compararet illius, vt retrotrahatur dominij acquiſitio à puncto mortis teſtatoris, nihilominus id non eſt in prędiudicium fideicommiſſarij, quaſi fructus, qui hæreditati ante ipſam aditam ceſſerunt, non veniant fideicommiſſario reſtituendi, vt recte Emmanuel à Coſta obſeruat. Anto. Gom *n. 15. cit.* limitãdum hoc voluit, vtſolum intelligeretur quãdo hæres coactus adiuit hæreditatem. ſecus autem quando ſponte illam adiuit. Attamen contrarium affirmant DD. cõmuniter, & abſque illa reſtrictione gloſſæ & iura loquuntur, neque *l. mulier §. ſi hæres ff. ad Trebell.* cui Ant. Gom. innititur, talem reſtrictionem innuit.

13 Melius Emmanuel à Coſta *loco cit. n. 50.* cum communi Doctorum ſententia quam refert, id limitandum cenſet, niſi hæres grauatus comparatione teſtatoris erat ſuus hæres. Cum. n. ſuus hæres ante aditam hæreditatem dominum illius cõparat, imo dominium teſtatoris cenſeatur in eo morte teſtatoris continuatũ, vt diſp. 180. oſtenſum eſt, vtiq; quem admodum à puncto mortis teſtatoris dominus hæreditatis fuit cum libera facultate illam repudiãdi, ita perinde de fructibus hæreditatis eſt cenſendum, acſi à puncto mortis teſtatoris hęreditatem adiiſſet.

14 Quod attinet ad fructus perceptos poſt hæreditatem aditam, aut ab hærede ſuo à morte teſtatoris, ſciendum eſt, quoſdam dici perceptos iudicio teſtatoris quoſdam non item. Quando. n. teſtator hæredem grauauit reſtituere hæreditatem à certo die, vt per mortem ipſius hæredis, aut ab aliquo alio tempore, vel ſub conditione, tunc fructus percepti ante aduentum illius temporis, aut cõditionis, dicuntur percepti iudicio teſtatoris. Fructus vero percepti poſt illud tẽpus ab hærede, qui pure grauatus eſt reſtituere abſque præfinitione alicuius temporis aut conditionis, dicutur percepti ſine iudicio teſtatoris.

Quando

15 Quando fructus iudicio teſtatoris percepti ſunt ab hærede grauato, computat illos in quarta Trebellianica, quam extrahere debet, tum de hæreditate, tum etiam de fructibus ipſis. Quod ſi fructus ad quartam non pertingant, extrahit inſuper vſque ad integram quartam: ſi vero quartam excedant, non reſtituit, ſed ſibi reſeruat tale fructuum incrementum. Ita habetur *l. in fideicommiſſariam, l. plane, & §. quoties, & apertius l. mulier, §. ſi hæres, verſ. alia cauſa, ff. ad Trebell. & affirmant gloſ. in l. iubemus, verb. hæreditariis, Cod. ad Trebellian. Anton. Gom. num. 15. citato, & Molina lib. 1. de primogen. cap. 15. num. 32.* & Doctores communiter.

16 Excipitur, niſi teſtator expreſſe præcepit reſtitui fructus: nam tunc, ſiue iudicio teſtatoris percepti ſint, ſiue non, integri ſunt reſtituendi, deducta ſolum quarta fructuum & hæreditatis, *l. in fideicommiſſariam, & l. Baliſta, ff. ad Trebellianum.* Idem eſt, ſi tacite præcepit fructus reſtitui: vt ſi teſtator dilationem temporis, in quo hæreditas eſſet reſtituenda, appoſuit, non in gratiam hæredis, ſed fideicommiſſarij. Ita habetur *l. ſi ita relictum. §. Pegaſius, ff. de leg. 2. & l. in fideicommiſſi, §. cum Pollidius, ff. de vſuris, & affirmant gloſ. 1. l. in fideicommiſſariam, citata, & Anton. Gom. num. 15. citato.* De hac re diſputatione ſequenti redibit ſermo.

17 Si fructus percepti non ſunt iudicio teſtatoris, tunc ſi negligentia, ab abſentia fideicommiſſarij, qui hæreditatis reſtitutionem non petiuit, ab hærede ſunt percepti, vtique neque illos reſtituit, neq; computat in quartam, ſed habet illos ſibi præcipuos, inſuperque Trebellianicam ex hæreditate deducit *l. mulier, §. ſi hæres, ff. ad Trebell. gloſ. 1. in fideicommiſſariam, iuncto text. ibi. ff. eodem tit. gloſ. l. iubemus, verb. hæreditarij, C. eodem tit. Ant. Gom. num. 15. cit. & Doctores communiter.* Ratio eſt, quoniam cum hæres ante reſtitutionem dominus ſit hæreditatis, vtique ſuos facit fructus illius, niſi in mora & culpa ſit hæreditatem non reſtituendo.

18 Excipiendum tamen eſt, niſi fideicommiſſum relictum ſit Eccleſiæ, ciuitati, in redemptionem Captiuorum, aut alicui alteri pio loco. Cum n. à puncto, in quo reſtituendum venit, dominium illius tranſeat abſque traditione in Eccleſiam, ciuitatem, &c. quibus eſt relictum, iuxta *l. vt inter diuinum, C. de ſanctiſſimis Eccleſiis,* & diſp. 3. à nobis dictum eſt, vtique fructus ab eo puncto percepti pertinent ad fideicommiſſariam Eccleſiam, ciuitatem, aut pium locum, non vero ad hæredem grauatum eſto non petantur, aut abſens ſit Eccleſia. Quod ſi hoc voluerit *Benedictus Capra, Ripa, & alciatus ab Emmanuele à Coſta cap. ſi pater, par. 2. verb. ipſis pauperibus, numero 9. fol. 329.* relati, immerito profecto eos reprehendit.

19 Excipiendum etiam eſt, niſi fideicommiſſum reſtituendum ſit minori viginti quinque annis: nam aduenient tempore reſtitutionis, cenſetur eſſe in mora hæres grauatus priuilegio minoris, eſto reſtitutio non petatur, *arg. l. minorum, C. in quibus cauſis in integrum reſtitu. l. Titia, Seio, §. vſuras, ff. de legat. 2. & habetur l. 3. §. 1. verſ. idem dicendum, ff. de adimend. legat. & affirmat cum Alexand. Emmanuel à Coſta vbi ſupra nu. 9.* quare iuxta ea, quæ §. ſequenti ſubiiciemus, ab eo puncto fructus fideicommiſſi pertinent ad fideicommiſſarium. Atque ex hoc cap. vult ibidem Emmanuel à Coſta, idem dicendum eſſe, quando fideicommiſſum Eccleſiæ, aut pauperibus fuit relictum, vt ait gloſſa communiter recepta *§. ex maleficiis, verb. in iudicium, inſtit. de actionibus.*

20 Si hæres grauatus in mora ſit reſtituendi hæreditatem à puncto, quo in mora eſſe incipit, tenetur computare fructus in quartam, & ſi quid ſuperſit, tenetur illud reſtituere *l. in fideicommiſſariam, ff. ad Trebellian. gloſ. 1, ibi & gloſ. l. iubemus, verb. hæreditariis, C. eodem titu. Ant. Gom. num. 15. cit. & Doctores communiter.*

Ater. Ex eiuſmodi autem fructibus arbitror non eſſe deducendam Trebellianicam.

21 Eo ipſo, quod reſtitutio hæreditatis eſt facta, etiamſi ſolo verbo facta ſit, imo etiam ſi ipſo iure abſque verbo ſit facta, in tribus illis euentibus iuxta *l. penult. C. ad Trebell.* diſput. præcedente explicatis, fructus deinceps percepti pertinent ad fideicommiſſarium. Ratio eſt manifeſta, quoniã eo ipſo dominium rerum hæreditariarum tranſiuit in fideicommiſſarium. Ita *Anton. Gom. num. 15. citato, Emmanuel a Coſta cum Bart. capit. ſi pater, part. 2. verb. ipſis pauperibus, num. 9. folio 329.*

22 *Liberi primi gradus qui.* Quæ hactenus dicta ſunt de fructibus reſtituendis, aut computandis in quartam Trebellianicam, intelligenda ſunt, niſi hæres grauatus de liberis fuerit primi gradus, hoc eſt de ijs deſcendentibus teſtatoris, quibus portio legitima in bonis teſtatoris debita ſit. Si namque de liberis ſit primi gradus, eſto grauetur reſtituere hæreditatem aliis liberis, & eſto teſtator præcipiat, vt fructus reſtituat, neque illos retineat, pertinent integri fructus hæreditatis ad ipſum, neque illos computare tenetur in quartam Trebellianicam, quam inſuper poteſt deducere. Ita habetur expreſſe *l. iubemus, C. ad Trebell.* & affirmat communis ſententia, quam referunt & ſequuntur *Couar. cap. Raynutius, de teſt. §. 11. num. 4. & Ant. Gom. ad l. 3. Tauri, num. 83. & Molina lib. 1. de primog. cap. 17. num. 32.* A die tamen, quo talis hæres in mora eſſet reſtituendi hæreditatem, reſtituere tenetur fructus deinceps perceptos, vt Couar. ibidem, & communis Doctorum ſententia affirmat.

23 *Quæſtio.* Dubium eſt, num teſtator prohibere poſſit Trebellianicæ deductionem, ita vt hæres grauatus abſque talis portionis deductione, teneatur hæreditatem reſtituere. Gloſſa *in authent. ſed cum teſtator, in verb. ceſſat, C. ad L. Falcid.* quam nonnulli alij ſequuntur, negat prohiberi poſſe Trebellianicæ deductionem. Contrarium cum additione ad eandem gloſſam, & cum gloſſa *in authent. de hæredib. & Falcid. §. ſi vero expreſſim, verb. ſubſtitutis,* affirmat communis Doctorum ſententia, quam referunt & ſequuntur *Couar. c. Raynaldus, de teſt. §. 3. nu. 6. Ant. Gom. 1. tom. var. reſol. c. 5. nu. 11. lib. 1. de primog. cap. 17. n. 11. Greg. Lopez. ad l. 6. tit. 11. par. 6. Emmanuel à Coſta cap. ſi pater, par. 2. verb. Trebellianicæ, num. 11. fol. 278. & Iulius Clarus 3. lib. ſent. §. teſtamentum, q. 62.* Ratio eſt, quoniam licet quondam, tam de iure digeſtorum, quam Codicis, nec Falcidiam, nec Trebellianicam prohibere poſſet: hodie tamen de iure authenticorum fas eſt Falcidiam prohibere, vt conſtat *ex authent. ſed cum teſtator, C. ad L. Falc. & ex authent. de hæredib. & Falcid. §. ſi vero expreſſim,* quare cum in iure Falcidia & Trebellianica æquiparentur, adeo vt Trebellianica ſæpe nomine Falcidiæ ſignificetur: conſequens eſt, vt eo ipſo, quod Falcidiæ prohibitio teſtatoribus eſt conceſſa, Trebellianicæ prohibitio conceſſa quoque cenſeatur. Affirmant vero Couar. & Iulius Clarus *locis citatis,* ſatis eſſe ſi codicillo prohibeatur, neque opus eſſe prohiberi teſtamento.

24 Vtrum vero ſatis ſit tacita prohibitio vel Falcidiæ, vel Trebellianicæ. Multi merito negant, quoniam id videtur doceri *cap. Raynutius, de teſt.* Præterea, auth. ſed cum teſtator, & auth. de hæredibus, & Falcidia, ſolum concedunt expreſſam prohibitionem, idque quando conſcius eſt teſtator quantitatis patrimonij: quæ ſcientia, vt Gloſſa ibi & Doctores communiter affirmant, ſemper præſumitur: quare cum ante ea iura nefas eſſet Falcidiam aut Trebellianicam prohiberi, non plus cenſendũ eſt conceſſum, quam prædictis authenticis eſt expreſſum. Nihilominus concedendum erit, ſatis eſſe, ſi ſit expreſſa verbis generalibus, quæ id ſatis innuant, ita vt de teſtatoris mente dubitandum non ſit. Ita cum Bart. & pleriſque aliis affirmat Molina *lib. 1. de primogen. c. 17. num.*

num. 15. consentitque Iulius Clarus vbi supra cum multis aliis, quos citat. Multi vero alij, qui refragantur, & quos Molina & Iulius Clarus referunt, exponi possunt, quando verba non sunt adeo expressa, vt ex eis testatoris mens plene intelligatur.

25 *Quæstio.* Vtrum autem parens filiis primi gradus prohibere possit deductionem Trebellianicæ. Adeo diuisi sunt Doctores, vt difficile sit iudicare, quænam sit communior opinio. Multi, quos præter alios referunt & sequuntur *Couarr. cap.* Raynutius, *de test.* §. 11. *num.* 7. & Iulius Clarus 3. *lib. sent.* §. *test.* q. 63. censent, prohiberi non posse. Potissimum eorum fundamentum sunt verba illa *l. iubemus, Cod. ad Trebell.* vbi, cum fermo esset de fideicommissaria substitutione, qua quibusdam filiorū filij alij substituerentur, subiungitur. *Iubemus, vt omnibus modis retenta quarta pro auctoritate Trebelliani, non per imputationem redituum* (licet hoc testator rogauerit vel iusserit) *sed de ipsis rebus hæreditatis deducta* (id est, reliquæ octo vnciæ, quæ sunt tres aliæ partes hæreditatis) *restituatur.* Ex quibus verbis constat, neq; quartam Trebellianicā prolib eri posse, primi gradus, neq; eis iniungi posse, vt fructus perceptos in ea computent. Licet autem *in auth. sed iam testator, C. ad L. Falc. & in auth. de hæredib. & Fal. § si vero expressim*, facta postea fuerit potestas prohibendi Falcidiam, atque adeo etiam Trebellianicam: cum tamen, inquiunt autores huius opinionis, nulla mentio facta sit, vt id locum habeat, etiamsi grauati sint liberi primi gradus: consequens est, vt nullatenus censendum sit derogatum esse legi iubemus, citata. Idq; præsertim, ait Couarr. amplectendum est in fauorem filiorum.

26 *Diuisio.* Contrariam sententiam, nempe filiis etiam primi gradus interdici posse deductionem Trebellianicę, asserunt multi alij, quos præter alios referunt & sequuntur *Molina libro 1. de primogenitura, cap. 17. numero 12. & Emmanuel à Costa cap. si pater, parte 2. verb. Trebellianicæ, à numero 12. folio 278.* quæ sane nobis est amplectenda. Etenim si res expendantur, lex iubemus non statuit, vt pater prohibere non possit filiis primi gradus deductionem Trebellianicæ, sed id supponens tanquam quippiam eo tempore omnibus hæredibus grauatis commune, solum statuit, vt tales filij non teneātur computare in ea fructus perceptos, esto pater id iubeat: quare cum postea de iure authenticorum facta fuerit potestas testatoribus prohibendi deductionem Trebellianicæ, atq; adeo sublatum id sit, quod tempore legis, iubemus, commune erat omnibus hæredibus grauatis: consequens est, vt hodie non minus filiis primi gradus prohiberi possit deductio Trebellianicæ, quā quibuscunq; aliis hæredibus grauatis. Adde, esto lege iubemus, peculiariter fuisset statutum, vt filiis primi gradus prohiberi non posset deductio Trebellianicæ, cum postea de iure authenticorum absolute & absq; vlla restrictione fuerit facta potestas illā prohibendi, debere censeri derogatum ea in parte legi iubemus. Neque in lege iubemus locum habet peculiaris fauor filiorum, vt Emmanuel à Costa *loco citato* recte admonet. Etenim ibi fermo est, quando filij primi gradus aliis filiis eiusdem gradus substituuntur: inter eos autem, qui æquales sunt, eodemq; gaudent priuilegio, locum non habet peculiaris fauor quorundā comparatione aliorum. *Legi* autem *6. tit. 11 par. 6.* quę opinioni Couar fauere videbatur, satisfacit Molina loco citato. Idem Molina & Emmanuel à Costa *locis citatis* recte admonent, positis iuribus & consuetudinibus huius regni & Castellæ, vt neque ascendentes neque descendentes deducere possint Falcidiam aut Trebellianicam, vltra legitimam, sed testatores libere omnino disponere possint de tertio, aut quinto suorum bonorum, vt supra dictum est, superfluam in his regnis esse eiusmodi controuersiam.

27 Vtrum ex fideicommisso ad rem piam deduci possit Trebellianica. Licet *glossa cap. si pater, de test. lib.* 6. & quidam alij deduci posse affirmauerint: contraria tamen sententia communis est & amplectenda, quam referunt ac sequuntur *Couar. cap.* Raynaldus, *de test.* §. 3. *num.* 7. *Anton. Gom. 1. tomo variarum resolut. cap. 5. in calce, numero 11. & Emmanuel* à Costa *cap. si pater, par. 2. verb. Trebellianicæ, num. 21. folio* 288. Ratio est, quoniam de legatis piis Falcidia non deducitur, vt constat *ex authentica similiter, C. ad L. Falcidiam, & ex authentico de Ecclesiasticis titulis* §. *si autem hæres*: quod autem in Falcidia sancitum est, eo ipso in Trebellianica censetur constitutum, vt supra dictum est. Excipit Emmanuel à Costa *loco citato, numero* 13. cum communi Doctorum sententia, quam refert (tametsi nonnulli refragentur) quando hæres esset etiam pia caussa: tunc enim, & à legatis piæ caussæ relictis detrahere posset Falcidiam, & à fideicommissis piæ etiam caussæ relictis deducere posset Trebellianicam, *argumento textus in l. sed & milites, in princ. ff. de excusationibus tutor.* *Quæstio.* *Decisio.*

A fideicommisso ita relicto, vt alienari non possit, sed permaneat apud certos successores, detrahi non potest Trebellianica. Probatur, quoniam, vt habetur *in authent. sed & ea re, Cod. ad L. Falcid. & in authent. vt sponsalia largitas*, §. *vlt.* à legato similiter relicto detrahi non potest Falcidia: dispositio autem circa Falcidiæ prohibitionem vim etiam habet circa Trebellianicæ inhibitionem, vt dictum est: Consentiunt Molina *lib. 1. de primog. c. 17. num.* 18. Gregor. Lop. *ad l. 6. tit. 11. par. 6.* & communis Doctorum sententia, quam referunt. 28

Vtrum autem, quemadmodum si hæres inuentarium non conficiat, detrahere non potest Falcidiam à legatis: ita etiam si hæres grauatus non conficiat inuentarium, detrahere non possit Trebellianicam, disput. 219. examinabitur.

SVMMARIVM.

1 *Vtrum, si quis vna cum aliis sit hæres institutus, & grauatus sit partem suam alteri restituere, illique in cohæredum defectum aliquid accrescat, teneatur restituere non solum partem, in qua fuit institutus & grauatus, sed etiam incrementum illud.*

2 *Quid, quando testator grauat hæredem restituere per mortem talis hæredis, quod ex hæreditate superest.*

3 *De iure antiquo, quando quis restituere præcipiebatur, quod tempore mortis ipsius ex hæreditate supereset, si quid vltra fructus consumptum ex hæreditate reperiebatur, quæ distinctio fieret.*

4 *In quocumque alio fideicommisso, si quid hæreditatis restituendæ pereat, tenetur hæres grauatus de dolo & lata culpa, non de leuissima aut leui.*

5 *Vtrum, quando testator grauauit post aliquod tempus restituere hæreditatem, partus ancillarum ab adita hæreditate vsque ad tale tempus pertineant ad hæredem grauatum, atque adeo ad successores ipsius, an ad fideicommissarium.*

6 *An hæres grauatus restituere integram hæreditatem, teneatur iura sepulchrorum restituere.*

7 *An ius patronatus non transeat in fideicommissarium, sed maneat apud hæredem.*

QVÆ AB HÆREDE GRAVATO sint fideicommissario restituenda, & num sepulchrorum & patronatus iura ad fideicommissarium pertineant.

DISPVTATIO 188.

FRuctus hæreditatis, aut eius portionis, quam hæres grauatus est restituere, quousq; fideicommissa-

missario restituendi sint, aut non, disp. præcedente occasione Trebellianicæ est explicatum.

1 Vtrum, si quis vna cum aliis sit hæres institutus, & grauatus sit partem suam alteri restituere, illique in cohæredum defectum aliquid accrescat, teneatur restituere non solum partem, in qua fuit institutus & grauatus, sed etiam incrementum illud. Respondendum est affirmanter cum Anton. Gom. 1. *tom. variarum resolut. cap. 5. n. 19.* & communi Doctorum sententia. Ratio est, quoniam incrementum illud accrescit portioni, & non personæ in ea institutæ, nisi ratione ipsius portionis, eaq; de causa concomitatur portionem ipsam, afficiturq; eo ipso grauamine ipsius portionis, *argument. text. in l. si totam. ff. de acquir. hæred. l. si in testamento, ff. de vulgari, & l. si Titio vers. vlt. ff. de vsufructu.*

2 Quando testator grauauit hæredē restituere per mortem talis hæredis, quod ex hæreditate superesset: si dixit, quicquid ex hæreditate superit, tunc etiam fructus hæreditatis non consumpti, quia videlicet vel in se, vel in aliquo alio, quod ex illis sit acquisitum, existunt, sunt restituendi. *l. in fideicommissi, §. nonnunquam, ff. de vsuris, & l. Balista, ff. ad Trebell.* Si vero solum dixit, vt restitueret, quod superesset ex hæreditate, nō tenetur restituere fructus, sed solum quod ex hæreditate superfuerit. Ita *glossa & Bart. l. Titius. ff. ad Trei ell.* Ratio est, quoniam fructus iudicio testatoris percepti (de quorum numero sunt ij, de quibus loquimur) restituendi non sunt, vt disputatione præcedente dictum est, nisi quando constat de contraria voluntate testatoris: vt vero ex iuribus citatis est manifestum, satis constare censetur, quando testator dixit, quicquid, aut id omne quod ex hæreditate superfuerit, aut perceperit; non vero quando illis aliis verbis vsus est.

3 De iure antiquo, quando quis restituere præcipiebatur, quod tempore mortis ipsius ex hæreditate supereſſet, si quid vltra fructus consumptum ex hæreditate reperiebatur, ciusmodi distinctio fiebat. Quoniam vel consumptum erat mala fide, hoc est, gratia minuendi fideicommissum, & tunc resarciendum erat ex aliis bonis hæredis ita grauati: vel consumptum erat bona fide: & tunc si talis hæres alioqui habebat bona pro rata quantitatis hæreditatis & eorum bonorum, diuidendum erat id, quod ex hæreditate erat consumptum, idque solum erat resarciendum, quod tanquam consumptum ex aliis bonis hæredis erat censendum. Ita habetur *l. Titius. ff. ad Trebel. & l. in fideicommissi, §. nonnunquam, ff. de vsuris.* Hodie vero *auth. contra rogatus. C. ad Trebel.* sancitum est, vt hæres illo pacto grauatus reseruare fideicommissario teneatur, saltem quartam hæreditatis partem, & reliquas tres possit consumere. Quod si, post tres legitime consumptas, indiguerit etiā quarta, solum possit eam consumere dotis causa, vel donationis propter nuptias, vel in redemptionem captiuorum (intellige hæc omnia comparatione eorum, qui ad ipsum spectant) vel ad propria alimenta. Quod si tempore mortis talis hæredis grauati integra hæreditas perseueraret, teneretur illam restituere deducta Trebellianica, vt cum Bart. & aliis Anton. Gom. 1. *tom. variar. resolut. cap. 5. num. 16* affirmat. Idem arbitror esse, si dolo, gratia solum minuendi fideicommissum illa alienasset.

4 In quocunque alio fideicommisso, si quid hæreditatis restituendæ pereat, tenetur hæres grauatus de dolo & lata culpa, non vero de leuissima aut leui, *l. mulier, §. sed enim, ff. ad Trebel.*

5 Dubium est, vtrum quando testator grauauit hæredem post aliquod tempus, nempe post mortem talis hæredis, aut quodvis aliud, restituere hereditatem, partus ancillarum ab adita hæreditate vsq; ad tale tempus pertineant ad hæredem grauatum, atq; adeo ad successores ipsius: an vero ad fideicommissarium. Cum enim partus ancillarum, vt disput. 7. ac alibi ostensum est, inter fructus non computentur, sane consequēs esse videtur, vt licet fructus medij illius temporis (iuxta ea, quæ hac & præcedente disp. dicta sunt) ad hæredem grauatum pertineant, vtpote iudicio testatoris, nullaque tacita aut expressa existente prohibitione, ab eo percepti, nihilominus partus ancillarum ad eum non pertineant, sed fideicommissario sint restituendi. Hac de re, vt Anton. à Gama *decis.* 183. refert, magna concertatio fuit in hoc Lusitaniæ regno, tandemq; pronunciatum fuit, pertinere ad hæredem grauatum atque ad successores illius, non vero ad fideicommissarium. Primo, quia ita colligitur *ex l. Paulus, ff. ad l. Falcid.* vbi hæc verba habentur. *Idem respondi, partus ancillarum ante diem fideicommissi* (intellige, restituendi) *editos ad hæredem eius, qui rogatus est, pertinere: eosque in quartam & quartæ fructus computandos.* Optime vero ostendit Gama, esto perperam quis interpretati illum textum vellet de fideicommisso particulari, idem ex eo textu, argumento à minori ad maius, probari in fideicommisso vniuersali. Idem etiam colligitur *ex l. vxorem, §. sorori, ff. de leg. 3.* quæ de fideicommisso particulari ancillarum loquitur. Ratio vero vtriusque iuris est, quoniam quando in fideicommisso, siue vniuersali, siue particulari, dilatio restituendi gratia hæredis grauari apponitur, censetur testator velle, vt toto eo tempore fructus & emolumenta fideicommissi pertineant ad hæredem eo pacto grauatum: idemque censet esse *glossa l. cum ex filio, ff. de vulgari*, quando dilatio tam gratia hæredis, quam fideicommissarij apponitur, eamq; commendant Alexan. & Ripa: negari vero nequit partus ancillarum, non solum emolumenta, sed & fructus, latè sumpto vocabulo, esse ancillarum, quæ restitui præcipiuntur, vt iuxta glossam *l. ex diuerso. ff. de rei vendicat. cum Bart. Panorm. & aliis notat Gama loco citato.* Secundo, quia idem etiam videtur aperte decisum. *leg. Paulus, ff. de vsuris*, vbi habetur, *quod si quis grauatus sit restituere fideicommissum siue vniuersale siue particulare ancillarum post mortem suam, reditu deducto: partus ancillarum intermedij temporis percepti ante moram pertinent ad hæredem, non vero ad fideicommissarium.* Atque suffragatur ratio, quoniam partus illi in hæreditate non continebantur, sed erant emolumenta ex hæreditate: cum ergo tempore, quo editi sunt, hæres fuerit dominus ancillarum, non vero fideicommissarius, cedunt *hæredi tanquam domino tunc*, & non fideicommissario. His accedit, hanc esse Accursij opinionem. *l. Paulus. C. ad leg. Falcid. & aliis iuribus*, essēq; communiorem Doctorum sententiam, vt Alex. à Gama relatus, ait: quare in hoc regno illi erit standum in iudicando. Quo pacto satis fiat iuribus, quæ contrarium sonare videntur: lege si placet, apud Ant. à Gam. loc. cit.

Quando aliqui instituti sunt hæredes in portionibus inæqualibus, grauatusq; aliquis est portionem suam restituere reliquis, *tunc restituendum illis est fideicommissum*, non per portiones æquales, sed iuxta proportionem portionis ad portionem, in qua vnusquisq; institutus est, nisi aliunde constet, aliam fuisse voluntatem testatoris. Ita habetur *l. quoties. ff. ad Trebell. & alis iuribus, quæ Anton. Gom. vbi supra, num. 20. citat*

6 Etiamsi hæres grauatus fuisset restituere integrā hæreditatem, restituere non tenetur iura sepulchrorum, quæ erant defuncti, sed permanent apud ipsum, nec transeunt in fideicommissarium. Ita habetur *l. quia perinde, §. restituta. ff. ad Trebell.* cuius hæc sunt verba: *Restituta hæreditate, iura sepulchrorum apud hæredem permanent.* Quo loco obserua, vt habetur *l. familiaria, cum sequenti, ff. de religiosis & sumptibus funerum*, inter iura sepulchrorum illi dici familiaria, quæ quis sibi & familiæ suæ sumpsit. Atq; in eiusmodi sepulchra illi soli & omnes habēt ius sepulturæ, qui sunt de familia, ac proinde si vel hæres gra-

Decisio.

Iura sepulchri.

Quæ familiaria, & quæ hæreditaria.

Quæstio.

uatus, vel fideicõmissarius de familia sint illius, qui primo tale ius sepulchri sibi vendicauit, ius habent sepulchri in eo loco: sin minus illud non habent: neque de eiusmodi iure sepulchrorum est nobis sermo hoc loco. Alia vero dicũtur iura sepulchrorum hæreditaria, illa videlicet, quæ quis sibi & hæredib. suis vendicauit: atque de eiusmodi iuribus sepulchrorum est sermo in iure illo citato, & in aliis similibus. Lege, si placet, *Molinam lib. 1. de primog. c. 24. à num. 35.* vbi pulchre hæc explicat, & quid interſit inter ſepulchrum, ius ſepulchri, & ius inferendi mortuum aliquem in ſepulchrum. Ratio autem deciſionis. §. reſtituta, citari, vt idem Molina *ibidem num. 12.* recte ait, hæc eſt. Quoniam iure ſancitum eſt, vt ius ſepulchri non ad alium tranſire poſsit, quam ad hęredem, etiam extraneum: tametſi ius inferẽdi mortuum in ſepulchrum legari aut concedi cuiuis alteri poſsit. Ita habetur *l. ius ſepulchri, Cod. de religioſis & ſumptibus funerum*, cuius hæc ſunt verba. *Ius ſepulchri hæreditarij ad extraneos etiam hæredes, non etiam ad alium quemquam, qui non eſt hæres, tranſire poteſt.* Quia ergo fideicommiſſarius hæres non eſt, hæres autem grauatus, etiam hæreditate reſtituta, hæres dicitur, ac eſt: inde eſt, quod iura ſepulchrorum defuncti apud eum maneant, nec tranſeant in fideicommiſſarium, vt §. *reſtituta*, ſancitum eſt, affirmatque communis Doctorum ſententia. Ex hoc eodem fundamento proficiſcitur deciſio textus *in l. ſi quis fuit, ff. de relig. & ſumptibus funer.* vbi habetur, *quod ſi quis hæres fuit, ab eoque tanquam indigno ablata ſit hæreditas, iura tamen ſepulchrorum apud ipſum maneant, nec tranſeant ad fiſcum.*

7 *Quæſtio. Ius patronatus.*

Vtrum autem ſicut iura ſepulchrorum nõ tranſeunt in fideicommiſſarium, ſed remanent apud hęredem grauatum, ſic etiam ius patronatus Eccleſiaſticum hoc eſt, præſentandi, aut eligendi ad beneficium Eccleſiaſticum, non tranſeat in fideicommiſſarium, ſed maneat apud hæredem grauatum. Affirmant *gloſa*, Bart. & *l. quia perinde, §. reſtituta, ff. ad Trebell.* & communis Doctorum ſententia, quam referunt ac ſequuntur *Anton. Gom. 1. tom. variarum reſolut. cap. 5. num. 29. Couar. cap. Raymundus, de teſtam. §. 9. num. 8. & lib. 2. variarum reſolut. c. 18 num. 8. & Emman. à Coſta c. ſi pater, p. 2. in verb. Trebellianica, num. 4.*

Deciſio.

fol. 272. Molina tamẽ poſt Ludouicum Romanum, contrariũ aſſeuerat, *li. 1. de primog. c. 24.* lateq; & meo iudicio, ſufficienter id probat. In hoc tamen regno, interim dum hæc Molinæ ſententia communis effecta non fuerit, ſententiæ gloſſæ Bart. ac communis ſtabitur in iudicando. Si Dominus vitam conceſſerit, locus magis oportunus in progreſſu huius ſecundæ ſecundæ ad diſputandum latius hac de re ſeſe nobis offert.

SVMMARIVM.

1 *Subſtitutio fideicommiſſaria quando expiret.*

2 *Quid, niſi hæres grauatus diſcedat poſtquã coactus, iuſſuve eſt hæreditatem adire.*

3 *Quid, ſi hæres grauatus iure ſuitatis, ſanguinis, aut deliberandi hæreditatem ad ipſius hæredes tranſmittat.*

4 *Quid, quando in teſtamẽto, in quo hæres grauatus fuit, appoſita eſt clauſula codicillaris.*

5 *In Caſtella vniuerſim fideicommiſſum non expirat propter hæreditatem non aditam, ſed quicunq; hæredes ſucceſſerint, reſtituere tenentur fideicommiſſum.*

6 *Quid ſi fideicommiſſarius è vita ante teſtatorem diſcedat, ſi poſt.*

7 *Quando expendendum ſit, vt quis intelligat, quando legatum, aut fideicommiſſum in diem relictum tranſmittatur, diſcedente legatario aut fideicommiſſario ante eum, & quando non tranſmittatur.*

8 *Siue tempus appoſitum ſit ex parte hæredis, ſiue ex parte fideicommiſſarij, aut legatarij, ſi appoſitum ſit verbum, quod principaliter ſignificat conditionem, diſpoſitio cenſetur conditionalis, neque legatum aut fideicommiſſum tranſmittitur.*

9 *Quid, ſi tempus appoſitum ſit ex parte fideicommiſſarij aut legatarij, adiuncto verbo, quod licet principaliter ſignificet tempus, vim tamen poteſt habere conditionis.*

10 *Quando tempus appoſitum eſt ex parte hæredis, & non fideicommiſſarij aut legatarij, adiunctumq; eſt verbum, quod principaliter ſignificat tempus, diſpoſitio non cenſetur conditionalis.*

FIDEICOMMISSVM QVANDO expiret.

DISPVTATIO *189.*

FIdeicommiſſaria ſubſtitutio expirat, ac nulla redditur, ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è vita diſcedat, *l. ille à quo, §. ſi teſtamento, in fine, ff. ad Trebell. gloſ. Bart. & DD. communiter ibi. l. non iuſtam, C. eodem tit. Anton. Gomez 1. tom. variarum reſol. cap. 5. num. 8. & Emmanuel à Coſta c. ſi pater, p. 1. verb. ſi abſque liberis, num. 55. fol. 157. & par. 2. verb. abſque deductione, num. 27. fol. 263.* 1

Primo excipitur, niſi hæres grauatus diſcedat poſtquam coactus, iuſſusve eſt hæreditatem adire: tunc enim hæres, ad quem hæreditas deuenit, reſtituere cogitur fideicommiſſum, *l. non iuſtam, citata, & notant gloſſ. §. ſi ex teſtamento, citato, Anton. Gom. vbi ſupra, & Doctores communiter.* 2

Secundo excipitur, ſi hæres grauatus iure ſuitatis, ſanguinis, aut deliberandi hæreditatem ad ipſius hæredes, iuxta ea, quæ diſput. 180. dicta ſunt, tranſmittat: tunc enim illi hæreditatem adire coguntur, ac fideicommiſſario reſtituere fideicommiſſum. Ita cum *Bart. Anton. Gomez. vbi ſupra, argum. textus in l. eam quam, C. de fideicommiſſis*, & affirmat *Emmanuel à Coſta cum aliis*, quos citat, *verb. abſque deductione, citat. num. 27.* quando hæres vi ſuitatis hæreditatẽ tranſmittit, colligiturque *ex l. ita tamen, §. ſi pater, ff. ad Trebellian.* eademque eſt prorſus ratio, quando ex quocunque alio capite tranſmiſsio fit hæreditatis non aditæ. 3

Tertio excipitur, quando in teſtamento, in quo hæres grauatus fuit, appoſita fuit clauſula codicillaris: tunc enim hæredes, ad quos in defectum hæredis grauati hęreditas deuenerit, etiamſi ab inteſtato hæredes ſint, grauati cenſentur reſtituere fideicommiſſum, iuxta *l. Stanola, ff. ad Trebell.* & ea, quę diſput. 132. late explicata ſunt. 4

In Regno vero Caſtellę vniuerſim fideicommiſſum non expirat propter hęreditatem non aditam, ſed quicunque hæredes, etiam ab inteſtato, ſucceſſerint, reſtituere tenentur fideicommiſſum, vt *l. 1. tit. 1. lib. 5. Ordinat.* ſancitum eſt. Hodie vero eſt *l. 1. tit. 4. lib. 5. nouæ collectionis.* 5

Si fideicommiſſarius è vita ante teſtatorem diſcedat, dubitandum non eſt expirare fideicõmiſſum, neq; tranſmitti ad hæredes fideicommiſſarij. Si vero fideicommiſſarius è vita poſt teſtatorẽ diſcedat, ſed antequã tempus aduenerit, in quo ſibi fideicommiſſum ex teſtatoris præſcripto erat reſtituendum, vtrum tunc ad ipſius hęredes tranſmittat ius, quod ad fideicommiſſum habebat. An vero morte ipſius expiret. Breuiter diſtinguendum eſt. Si namq; hęres ſub conditione grauatus eſt reſtituere fideicommiſſum, aut in diem incertum, ita vt, iuxta ea, quę diſput. 156. dicta ſunt, conditionem efficiant; tunc ſi fideicommiſſarius è vita diſcedat ante diem illum, vel conditionem impletam, expirat ius fideicõmiſſarij. neq; illud tranſmittit ad hęredes. Si vero è vita diſcedat poſt diem, aut conditionem impletam, illud 6

illud transmittit. Quod si hęres sine vlla conditione fuit grauatus restituere, aut in diem certum: tunc fideicommissarius transmittit ius, quod habebat, ad ipsius hæredes, idque siue è vita discedat, antequam hæres grauatus hæreditatem adierit, siue post. Hæc omnia constat *ex l. vnica, §. cum igitur, §. in nouissimo. & § fin autem, C. de caducis tollend.* Et ex aliis iuribus, eaque affirmant Doctores communiter, quos Couar. *cap. Raynald. de test. §. 1. num. 2.* & Anton. Gom. *1. tom. var. resol. cap. 5. num. 9. & in calce 14.* referunt ac sequuntur. Lege etiam Anton. à Gama, *decis. 160. nu. 1. & 2.* Idem de transmigratione legatorum dictum est *disput. 181. conclus. 1. & 2.*

7 Vt vero exactius intelligas, quando legatum aut fideicommissum in diem relictū transmittatur, discedente legatario, aut fideicommissario, ante eum diem, & quando non transmittatur, expendendum est, tum ex verbis testatoris, tum ex cæteris circumstantiis concurrentibus, num dies ad executionē solum ac restitutionem statutus sit, an vero tamquam conditio, nempe quod si dies ille extiterit, restituatur, executioq; fiat. Sin minus pertineat ad hęredem. In priori namq; euentu legatum, aut fideicommissum, transmittitur: quoniam dies non censetur appositus tanquam conditio. In posteriori vero non transmittitur: eo quod legatarius, aut fideicommissarius discesserit ante impletam conditionem.

8 Siue autem tempus appositum sit ex parte hæredis, siue ex parte fideicommissarij aut legatarij si appositum sit verbum, quod principaliter significat conditionem, dispositio censetur conditionalis, neque legatum aut fideicommissum transmittitur: vt si dicatur, restitues hæreditatem post tuam mortem Petro, si tunc superstes fuerit, aut dicatur, restitues Petro, si peruenerit ad vigesimum annum: quare si existente priori dispositione Petrus è vita discedat ante hæredem grauatum, nō transmittit fideicommissum: si vero existēte dispositione posteriori discedat ante vigesimum annum, similiter non transmittit fideicommissum, vt ex se est manifestum, & constat *ex l. si seruus liber, ff. de statu liberis, & l. quibus diebus, §. quidam Titio. ff. de conditionib. & demonstrat. atque affirmant Bart. & alij, quos Anton. Gom. 1. tom. variar resolut. c. 5. num. 26.* refert ac sequitur. Excipitur, nisi legatum sit libertatis: fauore namque libertatis non censetur cōditionale, vt constat *ex l. si seruus liber citata.*

9 Si vero tempus appositum sit ex parte fideicommissarij aut legatarij, adiuncto verbo, quod licet principaliter significet tempus, vim tamē potest habere conditionis, vt sunt verba, cum, quando, & alia eiusmodi, tunc coniecturis est iudicandum ex verbis testatoris, & ex circumstantiis concurrentibus, an dispositio vim habeat conditionis, ac proinde, si fideicommissarius aut legatarius ante eum diē discedat, expiret legatum aut fideicommissum, neq; illud ad ipsius hæredes transmittat: an potius tempus ad solam executionem sit præscriptum. Et quidem si fideicommissum vel legatum primo absolute relinquatur, vt si dicatur, lego Titio centū, aut illi hæreditatem restitues, & postea addatur, hæc accipiet, quando ad talem ætatem peruenerit, vel tempore mortis tuæ, aut quando vxorem duxerit, aut aliquid simile, vtique eiusmodi dispositio non est conditionalis, ac proinde esto Titius ante illum diem è vita discedat, transmittit legatum, aut fideicommissum ad ipsius hæredes. Ita habetur *l. ex his verbis C. quando dies legati cedat.* Quando autem non præcessit dispositio absoluta, sed testator dixit, dabis Titio centum, vel illi restitues hæreditatem quando vxorē duxerit, vel quando peruenerit ad vigesimum annū, locum habent coniecturæ. Et quidem si gratia consulendi legatario aut fideicōmissario id ita relictū fuit, vt quia erat filius, aut minor, aut aliunde timor erat, ne fideicommissum aut legatum dissiparet, transmittit fideicommissum aut legatum ad ipsius hæredes, idemq; est, quando sunt aliæ verisimiles coniecturæ, quod in bonum fideicommissarij aut legatarij id ita relictum fuit. Ita probat *l. Seius Saturninus, ff. ad Trebell.* Quin potius si gratia solius fideicommissarij id eo pacto relictum fuit, & non simul constituendi hæredi grauato, vt interim bonis illis frueretur, statim mortuo fideicommissario est restituendum ante impletum tempus alioquin constitutum: quia cessat ratio, ob quam dilatio illa appositа fuit. Imo restituendum est cum fructibus, *iuxta ea quę* disput. 187. dicta sunt. Quando autem coniecturæ non sunt, quod id ita in bonū fideicommissarij aut legatarij relictum fuerit, censenda est dispositio cōditionalis: quia verba illa, quādo, & cum, licet tempus principaliter significent, simul tamen vim habent conditionalis. Quare si fideicommissarius aut legatarius ante illud tempus è vita discedat, non transmittit legatum, aut fideicommissum, sed expirat omnino. Ita probant textus *in l. si cui legetur, §. hoc autem, ff. de leg. 1. tex. in l. si Titio, ff. quando dies legati cedat, & text. in l. si ita scriptum, ff. de manumiss. testam.* in quo sermo est, quando dispositio fit in tempus, quo quidam tertius ad certam quandam ætatem peruenerit. Ab hac regula excipitur, nisi legatum esset libertatis: nam tunc fauore libertatis non expiraret illo pacto relictum, vt constat *ex l. si ita scriptum, citata.*

Quando tempus appositum est ex parte hæredis, & non fideicommissarij aut legatarij, adiunctumq; est verbū, quod principaliter significat tempus, dispositio non censetur conditionalis: quare, si ante id tempus discedat legatarius aut fideicommissarius, transmittit legatū, aut fideicommissum: expectandum tamen est id tempus, vt executio voluntatis testatoris fiat. Verbi gratia, si testator grauauit Petrum, vt per mortem suam restitueret hæreditatem Ioanni, aut quando Petrus ipse ad trigesimum annum peruenerit: vtique si Ioannes ante id tempus è vita discedat, transmittit fideicommissum: hæredes tamen ipsius expectare debent, quousque Petrus in priori casu è vita discedat, & in posteriori quousque peruenerit ad trigesimum annum, aut (si ante id tempus Petrus moriatur) quousque tantum desinat tempus, quantum deerat, vt ille, si præuentus non fuisset morte, ad trigesimum annum deuenisset. Ita probat *text. in l. libera, secunda, 2. §. ab hæredibus, ff. de alimentis & cibariis legatis.* Lege quoad hæc omnia, Anton. Gom. *1. tom. variarum resolut. cap. 5. num. 26.* & Doctores quos citat.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo aliquis descendentium intelligatur grauare quempiam suorum descendentium, vt restituat hæreditatem, aut partem hæreditatis post suam mortem alicui actori.*

2 *Id non solum habet locum in patre aut ascendente per lineam masculinam comparatione quorumcunque descendentium, tam masculorum, quam fœminarum, sed etiam in matre & auia, & quocunque alio ascendente per lineam fœmininam.*

3 *Esto quis grauet suum ascendentem restituere hæreditatem partemve cuidam extraneo, non intelligitur illa tacita conditio, Si talis ascendens sine liberis decesserit.*

4 *Quid, si ascendens, qui supra se alium ascendentem superstitem habet, instituat aliquem descendentem, eumque grauet, vt hæreditatem aut partem alicui tertio post mortem suam restituat.*

5 *Si descendens restituere grauetur, vel statim, vel post certum tempus, ita quod non per mortem, non intelligitur conditio illa, Si sine liberis decesserit.*

6 *An tacita illa conditio, Si sine liberis decesserit, locum habeat, etiam quando vnus descendens grauatus restituere hæreditatem alteri descendenti testatoris.*

7 *Vtrum, si ascendens instituat descendentẽ, illegitimum quendam, ac naturalem, in portione, in qua pro diuersitate iurium diuersorum regnorum, potest eum instituere, eumque grauet id alicui per mortem restituere, tunc locum habeat tacita conditio, Si sine liberis decesserit.*

8 *An in cuentibus, in quibus pro diuersitate iurium diuersorum regnorum fas est ascendentibus relinquere aliquid aliquibus spuriis, si grauentur restituere, locum etiam habeat eadem tacita conditio.*

9 *Si quis descendentem legitimum aut naturalem instituat, eumque grauet per mortem suam restituere aliquid alicui hæredi, ita grauatus discedat, relicto solum descendente naturali illegitimo, an talis descendens illegitimus excludat substitutum virtute tacitæ conditionis, Si sine liberis decesserit.*

10 *Respondetur ad dubium propositum.*

11 *Ab hac via prudentis iudicis relinquendum est, vt, cum testator expresserit conditionem illam, Si sine liberis decesserit, ex circumstantiis concurrentibus, dignitatis, conditionis & voluntatis diiudicet, num filiorum nomine, etiam naturales comprehendere intenderit.*

12 *Quod ex circumstantiis relatis certa coniectura voluntatis sumi non possit, testatur l. hæredibus.*

13 *Quando conditio est tacita, & à lege præsumpta sola soboles legitima excludit substitutum, siue legitimus, siue naturalis sit filius, qui institutus grauatusq; est, non sobolem naturalem illegitimam.*

14 *Filius naturalis hominis plebei in Lusitania excludit substitutum: secus de fœmina.*

15 *Vtrum naturalis siue spurius, si legitimatus sit, excludat substitutum.*

16 *Quid, quando fideicommissum tacitam vel expressam conditionem habet, si hæres grauatus sine liberis decesserit.*

17 *Quid, si hæres grauatus sine alijs liberis discedit, verumtamen vxorem prægnantem relinquit.*

18 *Si constet naufragio defecisse simul hæredem grauatum & ipsius liberos, fideicommissum non expirat, sed debetur fideicommissario.*

19 *Vtrum, si testator dicat, instituo filium meum aut nepotem meum hæredem, & si filios non habuerit, restituat tertium aut quintum Antonio, conditio, si liberos non habuerit, idem valet ac conditio, Si sine liberis decesserit.*

20 *An, si testator sciens aliquem suorum descendentium liberos habere, eum instituat ac grauet restituere per mortem suam aliquid cuidam tertio, locum habeat tacita illa conditio, Si sine liberis decesserit.*

21 *Si testator descendentem grauauit restituere aliquid alicui adiuta hac expressa conditione, Si sine liberis masculis decesseris, vtrum si tunc tempore mortis careat filijs masculis, & relinquat descẽdentem fœminam, illa excludat fideicommissarium.*

22 *Si testator in Lusitania grauauit filium suum, vt nepoti, quem ex hoc filio habebat, restitueret per mortem suam tertium suorum bonorum, aut in Castella tertium & quintum, & ante mortem talis filij nascantur ex eodem filio alij nepotes, vtrum fideicommissum diuidendum sit inter omnes, an nepos ille debeat habere integrum fideicommissum.*

23 *Quando quis grauat aliquem restituere aliquid alicui sub expressa aut tacita conditione, Si sine liberis decesserit, vtrum, si cum liberis decedat, liberi illi vocati censeantur à testatore ad fideicommissum illud.*

24 *Si hæres grauatus restituere per mortem suam aliquid sub conditione tacita vel expressa, Si sine liberis decesserit, delictum committat, ob quod deportetur, bonaq; illius confiscentur, liberi illius post talem deportationem concepti non excludunt fideicommissarium.*

25 *Quid, quando filij post deportationem sunt concepti, & pater Principis beneficio in pristinum statum est restitutus.*

26 *Differentia hæc inter deportatum & seruum pœnæ quando habeat locum.*

27 *Descendens grauatus per mortẽ restituere aliquid pauperibus, Si sine liberis decesserit, si cum liberis decedat, filij illius præferuntur piæ causæ substitutæ.*

28 *Quid, quando quis grauatur aliquid per mortem suam alicui restituere, si sine liberis decederet.*

29 *Testator potest fideicommissarium monasterio præferre.*

30 *Pia aliqua causa fideicommissariè substituta, si hæres grauatus sine liberis decesserit, & hæres in monasterio bonorum capaci professetur, monasterium non excludit piam causam substitutam.*

31 *Testator, in Castella, meliorans vnum filiorum in tertio, & grauans, vt, si sine liberis decesserit, id restituat fratri, talisque filius religionem professus, monasterium non excludit fratrem.*

32 *Si monasterium excludens fideicommissarium, faciat id in fraudem fideicommissarij, gratia illum priuandi fideicommisso, monasterium non excludit substitutũ.*

33 *Testator grauans hæredem aliquid restituere alteri filio, si sine liberis decesserit, monasterium non excludit substitutum.*

34 *Quid, quando fratres mutuo grauati sunt restituere sibi inuicem, Si sine liberis decesserint.*

35 *Vtrum, quando descendens grauatur sub tacita conditione, Si sine liberis decesserit, neque substituitur pia causa monasterium præferatur substituto.*

36 *Conditio tacita, si descendens grauatus sine liberis decesserit, in quibus locum habeat.*

37 *Quid, si quis donet descendenti tertium suorum bonorum, & eum grauet, vt post mortem suam alicui alteri restituat.*

CONDITIO, SI SINE LIBERIS decesserit, quando tacite apposita censeatur fideicommissis & alijs dispositionibus. Aliquid etiam de expressa dicitur.

DISPVTATIO 190.

QVando aliquis descendentium grauat quempiam suorum descendentium restituere hæreditatem, aut partem hæreditatis post suam mortem alicui alteri, intelligitur sub condition e, si decedens ita grauatus sine liberis decesserit: quoniam, esto id non exprimat, iuris interpretatione ac dispositione censetur id ita intelligere. Quare si hæres ita grauatus cum libero, aut liberis, masculis, aut fœminis discedat, expirat tale fideicommissum. Ita sancitum est *l. cum auus, ff. de conditionibus & demonstrationibus. l. cum acutissimi, C. de fideicommissis, l. generaliter, §. cum autem, C. de institutionibus & substitutionib. & l. 10. titulo 4. part. 6.* affirmatque communis Doctorum sententia. 1

Sine vlla exceptione dixi: *quando aliquis ascendentium*: quoniam id non solum habet locum in patre, aut ascendente per lineam masculinam, comparatione quorumcunque descendentium tam masculorum, quam fœminarum, vt expresse habetur *lege cum acutissimi, citata*, sed etiam in matre & auia, & quocunq; alio ascendente per lineam fœmininam, vt affirmant *glossa secunda, l. generaliter, §. cum autem, C. de institutionibus & substitutionibus*. Bart. & communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Antonius Gomezius 1. *tomo variarum resolutionum, capit. 5, numero 33. ampliatione 7.* Emmanuel 2

à Costa, *c.si pater. par.1. verb.si absque liberis,num.5.fol.* 139. & Gregor. Lopez *ad l.10. citatam, in verb. Algun testador.* Et præter alia iura, quæ Emmanuel à Costa citat, consentit *l.cum acutissimi*, tum in aliis verbis, tũ præsertim in illa ratione eiusce sanctionis, quã reddit; ne scilicet videatur testator alienas successiones propriæ anteponere; quæ sane ratio æque vim habet siue testator masculus sit, siue fœmina.

§ Addidi; *grauet quempiam suorum descendentium*; quoniam esto quis grauet suum ascendentem restituere hæreditatem, partemve cuidam extraneo, nõ intelligitur illa tacita conditio, si talis ascendens sine liberis decesserit. Ita glos. *l.ex facto. §.si quis rogatus.1. ff.ad Trebell.* Bart. & communis Doctorum sententia, quam referunt ac sequuntur Anton. Gom. *1.tom. variar.resolut.c.9.num.35.* Emmanuel à Costa *loco citato num.6.* & Gregorius Lopez *vbi supra in verb. dos hijos.* Hoc verum reputant Bart. & communis opinio, quam Emmanuel à Costa & Gregorius Lopez *locis citatis* referunt & sequuntur, etiamsi ascendens restituere extraneo grauatus alios ascendentes habeat, nempe vt in eo euentu non intelligatur ea tacita conditio, si is sine ascendentibus superstitibus discesserit. Longe autem maiori cum ratione si quis fratrem aut aliam personam magis remotam, sibi tamen charam, grauet restituere hæreditatem alicui, non intelligetur illa conditio, si sine liberis, & multo minus si sine ascendentibus decesserit. Ratio horum omnium est, tum, quia non solet esse tanta affectio testatoris ad suos ascendentes vel collaterales, quanta ad suam sobolem, vt præsumendũ absque dubio sit, etiam in illis euentibus voluisse eam conditionem esse subintelligendam: tum etiã, quoniam hæc non plus sunt extendenda, quàm in iure, (cuius est id interpretari & statuere) comperta fuerint extensa.

4 Emmanuel à Costa *vbi supra num.8.* fatetur, si ascendens, qui supra se alium ascendentem superstitem habet, instituat aliquem descendentem, eumque grauet, vt hæreditatem, aut partem alicui tertio post mortem suam restituat, non intelligi conditionem illam tacitam, nempe nisi superstes fuerit talis ascendens. Addit tamen tanquam probabilius, quod si quis habens filium & neporem, instituat nepotem, eumque grauet restituere cuidam tertio, intelligendam esse tacitam conditionem, nisi pater nepotis, filius talis testatoris, fuerit superstes, quasi pater grauati, filius testatoris, cẽsendus sit tacite prælatus in fideicommisso extraneo fideicommissario. Contrarium non dubito esse verum. Tum quia, etiam quando quis instituit descendentem, conscius, quod talis descendens liberos habeat, si eum grauet vt restituat extraneo, non censetur subintelligenda illa tacita conditio, si sine liberis decesseris, vt statim dicemus, consentitque ipsemet Emmanuel à Costa: eademque est ratio, quando auus conscius se habere filium patrem nepotis, nepotem grauat restituere cuidam tertio: quoniam eo ipso censetur voluisse præferre illum tertium proprio filio, quem sciebat superstitem, posseq; superuiuere nepoti, neque tamen eum excepit. Tum vel maxime, quoniam, vt dictum est, hęc non plus sunt extendenda, quam iure comperiatur expressum.

5 Vlterius addidi; *post mortem suam*: quoniam si descendẽs restituere grauetur, vel statim, vel post certum tempus, ita quod non per mortem, non intelligitur conditio illa, si sine liberis decesserit. Ita glos. *l.cum acutissimi. C. de fideicommiss.* Bart. & communis sententia, quam referunt & sequuntur Anto. Gom. *1.tomo variar.resolut.c.5.n.37.* Emmanuel à Costa *vbi supra, num.12.* & Gregor. Lopez *l.10. tit.4.par.6. verb. que murieſſe.* Huius autem rei hæc est ratio, quoniam sicut testator voluit fideicommissarium præferri in fideicõmisso hæredi grauato tempore illo, quo supererat vsque ad mortẽ illius: ita longe maiori cum A ratione velle censetur, vt præferatur soboli eiusdẽ ab eodem temporis puncto.

Dubium est, vtrum tacita illa conditio, si sine liberis decesserit, locum habeat, etiam quando vnus descendens grauatur restituere hæreditatem alteri descendenti testatoris. Respondendumque est, locum procul dubio habere, etiamsi remotior restituere grauetur proximiori comparatione testatoris, vt constat aperte *ex l.cum auus. ff.de conditionib. & demonstrationib. & ex l.10. tit.4. par.6.* affirmantque Bart. & communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Anton. Gomez. *1. tom. variar. resolut.cap.5.num.33.* Emmanuel à Costa *cap.si pater, verb.si absque liberis, num.1.fol.137.* Couarru. *de practicis quæstionib.c.38. in calce num.11.* & Gregor. Lopez *l.10. citata, verb.dexaſſe.* 6

Vtrum si ascendens instituat descendentem, illegitimum quidem, at naturalem, in portione, aut in re, in qua (iuxta ea, quæ disputat. 166. dicta sunt) pro diuersitate iurium diuersorum regnorum potest eum instituere, sed non tenetur, eumque grauet id alicui per mortem restituere, vtrum inquam tunc locum habeat tacita conditio, si sine liberis decesserit. Respondendum est cum Anton. Gomez. *numero 33. citato. ampliat.6.* & cum aliis Doctoribus communiter locum habere, vt habetur expresse *l.generaliter. §.cum autem, Cod. de instit. & substit. iuxta Gloss. ibidem.* Licet enim textus de filiis solum naturalibus (hoc est, legitimis) grauatis loquatur, merito Glossa ibiait, idem intelligendum esse de cæteris descendentibus similiter grauatis, *iuxta l.cum acutissimi, C. de fideicommiss.* 7

An vero in euentibus, in quib. (iuxta ea, quæ disput. 167. dicta sunt) pro diuersitate iurium diuersorum regnorum fas est ascendẽtibus relinquere aliquid aliquibus spuriis, si grauentur id restituere, locum etiam habeat eadem tacita condino. Respondendum arbitror affirmãter: quoniã similiter præsumendum est, eam esse testatoris voluntatem circa legitimam sobolem ex tali spurio susceptam. 8 Dubium.

Maius dubium est, si quis descendentem legitimum aut naturalẽ instituat, eumq; grauet per mortem suam restituere aliquid alicui, hæresq; ita grauatus discedat relicto solum descendente naturali illegitimo, an talis descendens illegitimus excludat substitutum virtute tacitæ conditionis, si sine liberis decesseris. 9

Prætermissis vero aliis opinionibus, quas referũt Gloss. *vit. l.generaliter. §.cum autem. C. de instit. & substit.* & Anton. Gom. *1.tom.var.resol.c.5.nu.40.* & Emmanuel à Costa *verb.si absque liberis citat. a nu.34. fol.* 149 multi asseruerunt, si conditio, Si sine liberis decesseris, sit expressa per testatorem, regulariter liberum naturalem excludere substitutum, iuxta dispositionẽ *l.ex facto. §.si quis rogatus. ff.ad Trebell.* Si vero non sit à testatore expressa; sed in tacita lege intellecta, liberum naturalem nõ excludere substitutum, atq; hanc sententiam amplectitur ibidem Anton. Gom. Communior tamen cum Bart Doctorũ sententia, vt ibidem Ant. Gomez. fatetur, affirmatque Emmanuel à Costa cum aliis est, nullam statuendam esse differentiam, siue conditio illa expressa à testatore, siue tacita sit & à lege intellecta, quam sequuntur Emmanuel à Costa *vbi supra.* & Gregor. à Lopez *ad l.19. tit.4. par.5. verb. dexaſſe.* est q; nobis amplectenda sequenti modo explanata. 10

Lege *ex facto. §.si quis rogatus.1. ff.ad Trebell.* reiecta Papiniani sententia, qui asserebat, filium naturalem vniuersim efficere vt deficiat conditio, si sine liberis decesserit, ac proinde vniuersim excludere substitutum, aut Vlpianus, *mihi autem, quod ad naturales attinet, voluntatis quæstio videtur esse, de quib. liberis testator senserit. sed hoc & voluntate & conditione eius, qui fideicommisit, accipiendum erit.* Quib. verbis aperte docet, arbitrio prudentis iudicis, aut viri relinquendũ 11

esse, vt cum testator expressit conditionem illam, si sine liberis decesserit, ex circumstantiis concurrentibus, dignitatis, conditionis, & voluntatis (hæ duæ posteriores omnem vniuersim circumstantiã concurrentem comprehendunt) diiudicet, num filiorũ nomine, etiam naturales comprehendere intenderit. Minus enim id præsumendum est de testatore nobili, aut in dignitate constituto, præsertim si de liberis suæ sobolis loquatur, quam de alio, quamuis neq; id sit certa coniectura, si adsint circumstantiæ aliæ, quæ contrarium suadeant: & minus id præsumendum est, si fœmina sub ea conditione grauetur, quam si masculus; eo quod maius dedecus, multoque fœdius sit, fœminam filios naturales habere, quam virum: in quo euentu plus præsumendum est voluntatem testatoris fuisse, nõ includere filios naturales talis fœminæ, si illa nullos tales habebat, quã si testatori esset notum eam habere iam filios naturales: quamuis hæ etiam certæ coniecturæ non sint, quæ ex aliis circumstantiis concurrentibus nõ possunt elidi: quare hæc prudẽtis arbitrio, spectatis circumstantiis omnibus concurrentibus, merito Vlpianus, Papiniani sententia reiecta, reliquit; eo quod certa regula, vnde testatoris voluntas iudicetur, nõ possit statui. Idem autem est, quando conditio illa non est expressa, sed tacita atque lege præsumpta.

12 Quod ex circumstantiis relatis certa coniectura voluntatis testatoris sumi non possit, testatur *l. hæredibus. §. vlt. ff. ad Trebell.* vbi cum quidã filiam mente captam, cum qua verum matrimonium esse non poterat, ac proinde ex qua generari non poterant filij legitimi hæredem instituisset, eamq; grauasset, vt, si sine liberis decederet, cuidam cohæredi hæreditatem restitueret, paterq; illi maritum (non verũ, cum illa furiosa esset) tradidisset, & post mortem patris filiam genuisset, decernitur, eiusmodi filiã, tamen si illegitimam ex tali filia grauata, excludere substitutum: eo euentu, concurrentibusq; illis circumstantiis, perspicuum erat eam fuisse voluntatem testatoris. Idem præterea testatur *l. Lucius 90. §. Damæ. ff. de legat. 2.* vbi cum textatrix quædã Damam Pamphilum suos seruos habentes filiam naturalem ex testamento manumisisset, præcipiens filiam quoq; manumitti, prædictisq; Damæ & Pamphilo legasset fundum, eosq; grauasset, si sine liberis decederent, restituere fundum cuidam alteri, recessissentq; relicta sola illa filia naturali in seruitute genita, statuitur illam excludere substitutum, obtinereq; fideicommissum ex testamento & voluntate textatricis, quæ tam parentes, quam ipsam manumisit. Reddit ibidem rationem Claudius Iurisconsultus, *quia in eo euentu creditur, appellatione filiorum etiam naturales liberos, id est, in seruitute susceptos contineri.* Hæc ille Iurisconsultus.

13 Non refragatur nostræ communiori quæ Doctorum sententiæ *l. generaliter. §. cum autem. C. de inst. & subst.* vbi, postquam definitum esset, tacitam conditionem, si sine liberis decesserit, non solum habere locum, quando filius legitimus instituitur & grauatur; sed etiam quando instituitur & grauatur filius naturalis, vt supra *ex eadem lege* explanatum est, subiungitur. *Non aliter substitutione locum habente, nisi ipsi libert naturales ita grauati sine iusta* (id est, legitima) *sobole decesserint, vt quod inter iustos* (id est, legitimos) *liberos sancitum est, hoc & in naturales filios extendatur.* Quibus verbis definiri videtur quando cõditio est tacita & à lege præsumpta, solam sobolem legitimã excludere substitutum, siue legitimus siue naturalis sit filius, qui institutus grauatusque est, non vero sobolem naturalem legitimam. Hoc, inquam, nõ obstat, quoniam proculdubio Iurisconsultus illis verbis euertere ac mutare non intendit dispositiones, *l. ex facto. l. hæredibus. & l. Lucius.* paulo ante relatas, neque item constituere discrimen inter expressam & tacitam conditionem, quod nullũ prorsus est; quippe cum vna & eadem omnino sit tacita & expressa conditio, idem prorsus significans, solumque differunt penes tacitum & expressum. Quia tamen soboles non legitima, etiamsi naturalis esset, substitutum non excludebat, nisi ex coniecturis constaret eam fuisse voluntatem testatoris, idcirco Valerianus Imperator in ea lege, ad excludendum substitutum, legitimam sobolem exegit, quę, quando de contraria testatoris voluntate non constat, omnino necessaria est, non tamen excludere voluit dispositionem iuris antiquioris explicatam. Atq; hęc est vna ex interpretationibus Glossæ eo in loco cum Azone.

Emmanuel à Costa *loco citato n. 37.* ait, in hoc Lusitaniæ Regno, in quo filij naturales eius hominis plebei, quam piam vocant, æque cum legitimis succedunt, esto homo nobilis eiusmodi plebeum sub expressa conditione grauet, si sine liberis decesserit, filium naturalem illius excludere substitutũ: secus autem censet de fœmina, esto filij naturales æque illi succedant cum legitimis. Arbitror tamẽ multum in vtroq; euentu efficere legem huius Regni, quæ eiusmodi filios naturales æque succedere statuit cũ legitimis vtrique parenti, vt credatur, mentem testatoris fuisse, vt naturalis in vtroque euentu excludat substitutum. Semper tamen habenda erit ratio omnium circumstantiarum cõcurrentium, vt prudentis arbitrio coniiciatur ac statuatur, quæ fuerit in vtroque euentu testatoris mens. 14

Vtrum filius, siue naturalis siue spurius, siue legitimatus sit, excludat substitutum. Dicendum est, si naturalis sit, & per subsequens matrimonium legitimatus, eum excludere, nisi de contraria mente instituentis fideicommissum constet. Ratio est, quoniam ille eo ipso cẽsetur legitimus, nihil à legitimis differens. Si vero Principis rescripto sit legitimatus, & non ad petitionem eius, qui fideicommissum instituit, neque ex præsumpta illius voluntate, qui libenter vellet vt succederet in eo, si esset capax; vtiq; licet, vt Emmanuel à Costa *c. si pater. verb. si absque liberis, a num. 49 fol. 154.* refert, communior sententia sit, excludere substitutum; attamẽ proculdubio dicendum est, eum non excludere, iuxta ea, quæ in calce disputat. 174. cum Molina dicta sunt: quin dicendum est, neque valide, neque licite posse Principem ad eum effectum legitimare eiusmodi illegitimam: eo quod voluntate ac morte testatoris fideicommissarius ius ad fideicommissum acquisierit ex hypothesi, quod hæres grauatus eos filios non habeat, qui secluſa legitimatione ipsum excludant; cui iuri Princeps præiudicium per legitimationem inferre non potest, vt ibidem late ostensum est. Adoptium autem filium non excludere fideicõmissarium, affirmat communis Doctorum sententia, quam Emmanuel à Costa *loco citato à nu. 46.* & Gregor Lopez *l. 10. titul. 4. part. 6. in verb. dexasse*, refert & sequitur. 15 *Dubium.*

Quando fideicommissum tacitam vel expressam cõditionem habet, si hæres grauatus sine liberis decesserit, vtiq; esto hęres dum viueret liberos habuerit, si tamen tempore mortis nullum habeat, nõ expirat fideicommissum, vt ex se est notissimum, & habetur *l. ex facto. §. si quis autem. ff. ad Trebel.* affirmantque Ant. Gom. *c. 5. citato, nu. 41.* & Emmanuel à Costa *verb. si absque liberis, citato num. 18. fol. 144.* Quod si, vel breuissimum tempus, aliquis liberorum superuiuat, expirat omnino fideicommissum, eo, quod conditio sub qua fuit relictum, impleta non fuerit. Ita habetur *§. si quis autem citato*, & affirmat communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Anton. Gom. *num. 41. citato*, & Molin. *lib. 1. de primog. c. 5. nu. 16.* vbi cum multis, quos refert, recte ait, si Princeps alicui militi concesserit castrum sub conditione, quod si miles ille sine liberis discederet, castrum ad Principem reuerteretur, mortuo milite cũ liberis, castrum nũquam amplius ad Principem reuerti, 16

uerti, esto filij paulo post fine liberis discedant: eo, quod, morte militis cum liberis, integre defecerit conditio à qua pendebat, vt castrum ad Principem reuerteretur. Dixi, si vel ad breuissimum tempus aliquis liberorum superuiuat, expirare fideicõmissum: quoniam, vt Emmanuel à Costa *loco citato à nu. 21.* late ostendit, nomine liberorum in plurali, etiam vnus descendentium intelligitur, siue ille masculus sit, siue fœmina, vt probant varia iura, quę citat, quibus adde *l. Lucius. 90. §. Damę. ff de legat. 2.*

17 Si hæres grauatus discesserit fine aliis liberis, veruntamen vxorem reliquit prægnantem, si posthumus ita nascatur vt hæres existat, excludit fideicõmissarium, alioquin illum non excludit. Quando autem, vel de iure communi, vel de iure Regni Castellæ, natus censendus sit vt hæres existat, explicatum est disputatione 163. Consentiunt Anton. Gomez. *num. 21. citat.* Emmanuel à Costa *vbi supra à nu. 28. fol. 148.*

18 Si constet naufragio, ruina, aut aggressione, vel alio infortunio discessisse simul hæredem grauatũ & ipsius liberos, fideicommissum non expirat, sed debetur fideicommissario. Ita habetur *l. ex facto. §. si quis autem. ff. ad Trebell.* Si simul moriantur, & non constet quis ante quem animam efflauerit, si filius erat masculus & pubes, præsumitur discessisse post patrem, ac proinde fideicommissum expirare: alioquin præsumitur patrem aut matrem ante filium periisse *l. quinquies. §. vlt. & §. cum in bello. l. cum pubere. & l. si miles. ff. de rebus dubijs, & l. inter socerum, in prin. ff. de pactis dotalibus, & affirmant Gloss. §. si quis autem. cum. 2, & Emmanuel à Costa §. cum in bello citato verb. cum filio à nume. vndecimo, folio vigesimo secundo,* tametsi, quando filia pubes eodem infortunio periret cum matre, præsumendum esset filium post matrem emisisse animam. Si constet parentem & suum descendentem periisse vnum ante alium, & non constet quis eorum ante alium perierit, præsumitur parentem ante suum descendentem fuisse mortuum. Ita habetur expresse *l. ex facto. §. si quis autem ff. ad Trebellian.*

19 Dubium est, vtrum si testator dicat, instituo filium, aut neporem meum hæredem, & si filios non habuerit, restituat tertium, aut quintum Antonio, conditio, si liberos non habuerit, idem valet ac conditio, si fine liberis discesserit, ita vt esto dum viuat liberos habuerit, si tamen tempore mortis nullum habeat, restituere teneatur fideicommissum. Et quidem quando de restitutione tempore mortis agitur, regulariter intelligendum est idem prorsus valere atq; conditionem, si fine liberis decesserit, vt, quicquid nonnulli dixerint, recte cum multis aliis affirmat *Emmanuel à Costa cap. si pater verb. si absque liberis, num. 19. folio 145.* quoniam ea videtur fuisse mens testatoris, cui potius quam verbis in fideicommissis est standum, vt habetur *l. hæredes mei. §. cum ita fuerit. ff. ad Trebell. l. pater Seuerinam. & l. an conditionib. ff. de conditionib. & demonstrat.* Quando autem non agitur de tempore mortis, vel ex circumstantiis concurrentib. coniecturæ non sint, quod idem omnino valeat ac cõditio, si fine liberis decesserit, standũ est verbis talis cõditionis, ac proinde si filios aliquãdo habuit, esto non tempore mortis, cẽsendum est, impletam fuisse conditionem: atque hoc est, quod habetur *l. cum vxori. C. quando dies legati cedat. & l. hæredibus. in princ. ff. ad Trebell.*

20 Dubium est, si testator sciens áliquem suorum descendentium liberos habere, eum instituat ac grauet restituere per mortem suam aliquid cuidam tertio, locum habeat tacita illa conditio, si fine liberis decesseris. Et, quicquid nonnulli dixerint, asserendum est cum communiori Doctorum sentẽtia, quam referunt & sequuntur Anton. Gomez. *1. tomo variar. resolut. c. 5. num. 56.* Emmanuel à Costa *cap. si pater. verb. si absque liberis, numero nono. fol. 140.* locũ non

A haberẽ. Ratio est, quoniam cõditio illa ex sola præsumpta voluntate testatoris vim habet; quando autem testator sciens hæredem liberos habere, eum absolute grauauit restituere aliquid alicui; censetur voluisse præferre substitutum liberis talis hæredis. Id etiam confirmatur, quoniam *l. generaliter. §. cum autem. C. de instit. & substit.* tacita conditio de liberis procreandis intelligitur illis verbis; Nulla liberorũ ex his procreandorum actione habita, & rursus si is, qui substitutione grauatus est, pater efficiatur, & liberos sustulerit.

Si testator descendentem grauauit restituere aliquid alicui addita hac expressa conditione, si fine liberis masculis decesseris, vtrum si tunc tẽpore mortis careat filiis masculis, & relinquat descendẽtem fœminam, illa excludat fideicõmissarium. Respondendum est cum Bart. & aliis, quos Ant. Gom. *ibid. num. 38.* & Greg. Lopez *l. 10. tit. 4. part. 6. verb. dexasse,* referunt & sequuntur, non excludere: quoniam eo ipso, quod solos masculos expresit, se velle, vt eum excluderent, satis aperte innuit, non idem velle de fœminis. 21 *Dubium.*

B

Si testator in hoc Lusitaniæ Regno grauauit filiũ suum, vt nepoti, quem ex eo filio habebat, restituere per mortẽ suam tertium suorum bonorum, aut in Regno Castellæ tertium & quintũ, & ante mortem talis filij nascantur ex eodem filio alij nepotes: vtrum fideicommissum diuidendum sit inter omnes an nepos ille debeat habere integrum fideicommissum. Antonius Gomez. *ibidem* cum Paulo Castrensi, Iasone, & aliis, quos refert, respondet, si is auus tempore, quo ita filium grauauit, habebat alios nepotes ex eodẽ filio, vel erat spes probabilis, quod illos haberet, solum illum nepotem debere obtinere integrum fideicommissum: si vero, cum haberet solum illum nepotem, casu, & præter spem, natus fuerit alius, diuidendum esse inter eos fideicommissum. Ego in hoc euentu censerem, prudentis arbitrio ex affectu aui ad illum nepotem, ex aliisque circumstantiis iudicandum esse, quæ fuerit testatoris voluntas. 22 *Dubium.* *Decisio.*

C

Dubium est, quando quis grauat aliquem restituere aliquid alicui sub expressa aut tacita conditione, si fine liberis decesserit, vtrum, si cum liberis decedat, liberi illi vocati censeantur à testatore ad fideicommissum illud, ita quod substituti fideicommissarij sint hæredis ita grauati quoad ea bona; an verò non, sed eo ipso hæres grauatus perinde dispone re possit de eis bonis, atque de quibuscumque aliis suis bonis, atque adeo possit in hoc Regno de tertio suorum bonorum, sicut & cęterorum disponere ad libitum, & in Regno Castellæ de quinto, & inter liberos simul etiam de tertio. Respondẽdumque est cum Bartolo & cõmuniori Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Anton. Gom. *1. tomo variar. resolut. c. 5. num. 42.* Emmanuel à Costa *c. si pater. verb. si absque liberis. num. 54. fol. 156* non censeri vocatos, sed patrem perinde de eis, atque de cęteris suis bonis posse disponere. 23 *Dubium.*

D

Probat id Ant. Gom. tum multis aliis, tum *ex l. ex facto. ff. ad Treb.* vbi habetur, si hæres grauatus restituere per mortem suã aliquid sub conditione tacita vel expressa, si fine liberis decesserit, delictũ cõmittat, ob quod deportetur, bonaque illius confiscentur, liberos illius, post talem deportationem conceptos, non excludere fideicommissarium; quoniam, cum pater tempore cõceptionis filiorum mortuus esset ciuiliter, reputantur, ac si eos non genuisset: quare hũc bona restitutioni obnoxia ad fiscum pertinent interim dum deportatus viuit; per mortẽ vero illius tradenda sunt fideicommissario: si vero, inquit textus, homo ille filios habebat natos, vel certe conceptos ante deportationem, tunc expirat fideicommissum, excluditurque substitutus: quia homo ille non discedit fine liberis, eaq; ratione ait tex- 24

E

tus,

tus, si fidei commissum tunc pertinet plenè ad fiscum. Hinc Anto. Gom. optimè colligit, per conditionem, si hæres grauatus sine liberis decesserit, non censeri liberos vocatos ad fideicommissum, patrique in eis bonis substitutos: si namque substituti essent, vtique bona illa, non ad fiscum, sed ad liberos per naturalem mortem patris deportati pertinerent, quoniam delictum patris præiudicare non potuit voluntati testatoris neque filij excludi possent à iure ad ea bona ex substitutione testatoris.

25 Emmanuel à Costa. *c. fi. pater. verb. fi absque liberis num. 44. fol. 153.* addit, si filij post deportationem essent concepti, & pater principis beneficio in pristinum statũ esset restitutus, tales sic filij tempore mortis naturalis patris essent superstites, excluderent fideicommissarium, vt aperte colligitur *ex leg. intercidit ff. de conditionibus & demonstrationib.* Non tamen idem esse dicendum de damnato in metallum, aut quacunque alia ratione (iuxta ea quæ dispu. 9. dicta sunt) seruo facto pœnæ, maximamve capitis diminutionem passo. Quoniam, vt habetur *eadem l. intercidit, per restitutionem* serui pœnæ in pristinum statum, filij concepti post eam pœnam, superstitesque tempore mortis patris, restitui non impediunt fideicommissum sub conditione, si hæres grauatus sine liberis decesserit. Idem confirmat *Emmanuel à Costa ex l. ex facto. §. si quis grauatus. 2. ff. ad Trebel.* vbi si quis rogatus sit restituere aliquid filiis suis vel vni eorum, quem ipse voluerit, & hæres grauatus deportetur, conceditur illi electio cui filiorum velit fideicommissum deuenire: si vero seruus pœnæ sit effectus, talis electio illi denegatur, ac proinde filij per mortem illius succedunt æqualiter in fideicommissum.

26 Emmanuel à Costa *ibidem* ait, differentiam hanc notam inter deportatum, & seruum pœnæ, solum habere locum, si seruus pœnæ libertinus erat: secus autem si erat ingenuus: quoniam ab hominibus ingenuis seruitus pœnæ sublata est per *auth. sed hodie. C. de donationibus inter virum & vxorem.* Hoc tamen dictum Emmanuelis à Costa & multorum late à nobis impugnatum est disput. 9. Illud vero addendum est, in quibus euentibus de iure huius Lusitaniæ Regni & Castellæ in eadem disputatione ostensum est, per maximam & mediam capitis diminutionem nõ finiri vsumfructum, nec regredi ad proprietatem, dicendum similiter esse, quando fidei commissum relictum est sub tacita aut expressa conditione, si hæres grauatus sine liberis decesserit, eo ipso quod hæres liberos tempore mortis naturalis habuerit, excludi fideicommissarium, siue liberi concepti sint ante, siue post damnationem ad maximam aut mediam capitis diminutionem, iuxta ea quæ disputat. citata dicta sunt, ac proinde si bona talis delinquentis ad fiscum propter delictum pertineant, fideicommissum integrè ad fiscum pertinere: si vero ob delictum, iuxta iura horum regnorum, ad fiscum non pertineant fidei commissum permanere apud delinquentem ita damnatum, & per mortem ipsius pertinere ad eius hæredes ex testamento, aut ab intestato, iuxta ea quæ eadem disputatione copiosè dicta sunt.

27 Esto aliquis descendentium grauetur per mortẽ suam restituere aliquid pauperibus, Ecclesiæ in redemptionem captiuorum, monasterio, aut cuiuis alij piæ causæ, semper locum habet tacita illa conditio, si sine liberis decesseris, non secus ac si fuisset expressa, ita vt, si grauatus cum liberis decedat, filij illius præferantur piæ causæ substitutæ, ac proinde expiret fideicommissum. Ita cum communiori Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur, *Antonius Gomezius 1. tom. variarum resolut. cap. quinto numero trigesimo quarto. Emmanuel à Costa. capit. si pater. verb. si absque liberis, numero decimo septimo fol. centesimo quadragesimo quarto & Gregor. Lopez. l. decima titulo quarto par. sexta in verb. dexasse.* Ratio est, tum quia eo ipso, quod descendentem prætulit causæ piæ, visus est etiam filios illius eidem causæ præferre voluisse. Tum etiam, quoniam licet monasterium interdum loco filij habeatur comparatione eius, qui bona sua illi relinquit, vt statim dicemus: nihilominus, vt hactenus ostensum est, filij eius hæredis grauati qui testatoris comparatione descendens est, præferuntur aliis filiis eiusdem testatoris, quibus fideicommissum relictum sit. Tum denique quoniam licet monasterium interdum habeatur loco filij, id solum est iurisfictione: veri autem filij hæredis grauati præferuntur fictis liberis testatoris. Doctrinam tamen hãc limitandam, censet Emmanuel à Costa, *num. decimo octauo sequenti*, & alij, quos refert, vt intelligatur, præterquam quando testator exprimeret, se relinquere piam causam substitutam tali descendenti ad exonerandam propriam, aut alicuius alterius conscientiam: nam tunc pia causa præferretur filiis hæredis grauati.

Quando quis, siue descendens esset testatoris, siue non, grauaretur aliquid per mortem suam alicui restituere sub expressa conditione, si sine liberis decederet tunc si is liberos non relinqueret, sed profiteretur religionem bonorum capacem, fideicommissum expiraret, pertineretque omnino ad monasterium, in quo ille profiteretur: quoniam in eo euẽtu monasterium habetur loco filij. Ita habetur expresse *in authentic. de sanctissimis Epis. cap. §. sed & hoc præsenti, in authent. nisi rogati. Cod. ad Trebell. & capit. in præsentia de approbationibus*, affirmatque communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Ant. Gomez. *nu. 34. citato*; Molin. *lib. 2. de primog. c. 5. nu. 28.* Emmanuel à Costa *c. si pater. verb. si absque liberis. num. 64. fol. 161.* Couar. *1. tom. variar. resol. c. 19. à num. 6.* expulsis q̃ aliis huius statuti rationibus *nu. 11.* subiungit legitimam esse, quod legislator præsumpserit, testatorem æque cum filiis grauari dilexisse monasterium, ac proinde si de monasterio, professionetq̃ in eo ab hærede grauato nuptiis spretis, liberisq̃ minimè susceptis emittenda, cogitaret, prælaturam similiter fuisse monasterium fideicõmissario. Atque hinc vult ibidem cum multis aliis, quãuis testator his verbis grauaret hæredem, si sine legitimis liberis ac naturalibus ex tuo corpore genitis ex hac vita decesseris, restitue hæreditatem Antonio tali hærede sine liberis religionem professẽte, monasterium ex præsumpta testatoris voluntate præferendum nihilominus esse Antonio.

Hæc vero nonnullis moderationibus restringẽda sunt. Inprimis si testator expresit velle, vt fideicommissarius monasterio præferretur, aut eam fuisse testatoris mentem aliunde sufficienter constat, vtiq; illi est standum: neq; dubitandum est id licite, & valide posse testatorem velle, vt cum Paulo Castrensi & plerisque aliis affirmant Couar. *num. 11. citato.* & Emmanuel à Costa, *verb. si absque liberis, citato num. 68.*

Deinde, si pia aliqua causa fuit fideicommissarie substituta sub conditione, si hæres grauatus sine filiis decesserit, & hæres in monasterio bonorum capaci profiteatur, monasterium non excludit piam causam substitutam. Ita habetur expresse *in auth. de sanctissimis Episc. §. sed & hoc præsenti. & in auth. nisi rogati. C. ad Treb. & affirmant Gloss. vlt. ca. in præsentia, de probat.* Emmanuel à Costa *vbi supra num. 63.* & communis Doctorum sententia.

Præterea, si testator in regno Castellæ vnũ filiorum melioret in tertio (de quo in eo regno potest solum disponere inter liberos) eumque grauet, vt, si sine liberis decesserit, id restituat fratri aut alteri ex ipsius descendentibus, talisq; filius religionem profiteatur, vtiq; monasterium non excludet fratrem, aut alium descendentem testatoris substitutum, vt Emmanuel à Costa *loco citato nu. 66.* recte obseruat.

Etenim

Etenim tertium illud ad filiorũ legitimas in eo regno spectat, superstiteq; descendente testatoris, nefas est in eo regno substituere in illo tertio aliquem alium, vt expresse habetur *l.27.Tauri*, quæ est 11. *tit. 6. lib. 5. nouæ collect.*

32 Item, quamuis in euentibus, in quibus monasterium excludit fideicõmissarium, locum id habeat, etiamsi hæres grauatus in articulo mortis ex deuotione aut gratia eleemosynam ea ratione monasterio efficiendi religionem profiteatur, vt cum Felin. & aliis affirmant Molin. *lib. 2. de primog. c. 5. nu. 28.* & Ant. Gom. *ad l. 9. Tauri, n. 58. & 59.* nihilominus, si id fiat in fraudem fideicommissarij, gratia illum priuandi fideicommisso, monasterium non excludit substitutum, esto valida sit professio emissa, vt cum Pan. Felino, & aliis, Doctores citati iuxta quæ dã iura affirmant.

33 Multi, quos Emmanuel à Costa *loco cit. nu. 63.* refert, in ea fuerunt sententia, quod sicut quando testator grauat hæredem restituere aliquid piæ causę, si sine liberis decesserit, monasterium non excludit piam causam: ita quando grauat restituere alteri filio, vel descendenti testatoris, monasterium nõ excludat substitutum, eo quod præsumendum sit eam fuisse voluntatem testatoris. Emman. tamẽ à Costa *ibidem n. 64.* cum Decio & aliis potius censet, monasterium excludere descendentem testatoris, estq; procuidubio ea sententia nobis amplectenda, non solũ tanquam consonantior duobus authenticis citatis, sed etiam tanquam expresse definita, *c. in præsentia, de probat.* vbi monasterium excludit duos fratres hæredis grauati.

34 Merito Emman. à Costa *ibidem nu. 67.* excipit, nisi fratres mutuo grauentur restituere sibi inuicem, si sine liberis decesserint, postremusque eorum, si sine liberis decesserit, grauetur restituere piæ causæ, vt fit *c. si pater, de testam. libr. 6.* Etenim cum monasteriũ piam causam, vt ostensum est, non excludat; & testator piæ causæ prætulerit alterum fratrem superstitem; vtiq; ex præsumpta testatoris voluntate, iurisq; dispositione in duobus authenticis citatis, præsumendum est in euentu, quo alter fratrum professus fuerit religionem, monasterium non excludere alterum fratrem superstitẽ. sicut nec piam causam vlterius substitutam excluderet, si alter frater sine liberis esset mortuus, ipseq; religionem post mortẽ fratris profiteretur. Idem propter eandem rationẽ censet, quando hæres sub eadem conditione grauatus esset restituere extraneo, & similiter extraneus piæ causæ: vt enim pia causa excluderet monasterium, ita fideicommissarius extraneus, qui à testatore piæ causæ esset prælatus, monasterium excluderet.

In quocunque autem euentu, fideicommissum pertinere ad monasterium interim dum talis religiosus viuit, aut quousque aliud tempus à testatore præscriptum accedat, & quid in eiusmodi euentib. dicendum sit quando hæres grauatus profitetur eã religionem, quæ in religiosi bonis non succedit, dictum est disput 186.

35 Vtrum autem quemadmodum quando hæres grauatus sub expressa conditione, si sine liberis decesserit, neque substituitur pia causa, monasterium præfertur substituto, ita etiam præferatur, quando grauatur descendens sub tacita eadem conditione, iuxta *l. cum auus. ff. de condit. & demonstrat. & alia iura. Glos. vlt. l. cum acutissimi. C. de fideicommiss.* affirmat, & hanc opinionem sequitur, asseritque esse magis cõmunem Anton. Gomez. *1. tomo variar. resol. c. 5. num* 34 Emmanuel à Costa *c. si pater. verb. si absque liberis, nu. 69.* citat esse eiusdem sententiæ Gregorium Lopez *l. 10. tit. 4. part. 6. verb. dexasse.* Contrariam sententiam sequitur, asseueratque esse magis communem Emmanuel à Costa *ibidem & num. sequenti*, pro qua citat Bartol. aitque eam innuere *Gloss. secund. in au-*

Quæstio.

A *thent. ingressi. C. de sacrosanct. eccles.* Huic opinioni suffragantur. Primo; *athent. de sanctissimis Episc. §. sed & hoc præsenti*, illis verbis, adiectis conditionibus quibuscunque ex iis, quæ superius enumeratæ sunt, vbi statuit, monasterium præferri, quando aliqua ex conditionibus expressis, & in eo §. connumeratis, fuerit apposita, non vero quando nulla fuerit expressa. Secundo quoniam, vt Couarruuias *primo tomo variar. resolut. c. 19. num. 6.* & post eum Emmanuel à Costa *vbi supra num. 70.* cum Bart. & aliis, affirmat, nusquam in iure reperitur, monasterium haberi loco filij, neque id concedendum est, nisi in casibus à iure expressis, in quibus successio perinde illi conceditur, ac si esset filius, vt disputatione centesima quadragesima dictum est, de quorum numero non
B est hic, de quo disputamus. Tertio, quoniam quando hæres extraneus, nulla adita expressa conditione grauatur restituere hæreditatem alteri extraneo, esto talis hæres religionem profiteatur, monasterium non excludit fideicommissarium, vt est notissimum, nullisque refragatur; eo quod, vt supra dictum est, in eo euentu locum non habeat tacita conditio, si sine liberis decesserit: non est autem verisimile mentem iuris esse, vt quando descendens sine expressa conditione grauaretur restituere alteri descendenti, si hæres profiteretur religionem, monasterium excluderet fideicommissarium descẽdentem testatoris, idque ex præsumpta testatoris voluntate, & quando extraneus grauaretur restituere, vel descendenti testatoris, vel extraneo, si hæres religionem profiteretur, monasterium non excluderet
C fideicommissarium: cum maior esse soleat testatoris affectus ad suum descendentem, quam ad extraneum. Atque his rationibus omnino mihi persuadeo hanc posteriorem sententiam.

Conditio tacita, si descendens grauatus sine liberis decesserit, locum habet non solum in fideicommissis vniuersalibus, sed etiam in legatis fideicommissis ve particularibus, vt habetur *leg. generaliter. §. cum autem. C. de instit. & substit.* Quin etiam in donationibus causa mortis, si descendẽs donatarius grauetur aliquid causa mortis sibi donatum post mortem suam alteri restituere. Ita cum Gloss. *vltim. C. de donat. causa mortis.* & communi Doctorum sententia Anton. Gom. *1. tom. variar. resol. c. 5. n. 33.* Emmanuel
D à Costa *c. si pater. verb. absque liberis, num. 14. fol. 143.* & Couar. *de pract. quæstionib. c. 38. num* 12. Ratio est, quoniã, vt habetur *l. Marcellus. §. Paulus. & l. Illud, in prin. ff. de mortis causa donationib.* donationes causa mortis legatis æquiparatæ sunt: vnde *l. illud citat.* subiungitur, *quodcunque igitur in legatis iuris est, id in mortis causa donationibus erit accipiendum.*

Idem dicendũ est in donatione inter viuos, quãdo quis donat descendenti tertium suorum bonorum, aut aliquid aliud & eum grauat, vt post mortẽ suam id restituat alicui alteri: intelligitur enim, si sine liberis decesserit. Ita Ant. Gom. *c. 5. nu. 11. vlt.* Emmanuel à Costa & Couar. *vbi supra*, & Greg. Lopez *l. 10 tit. 4. par. 6. verb. Algun testador*, idq; colligitur *l. ge*
E *neraliter, §. cum autem. C. de instit. & substit.* illis verbis: *partem eis reliquerit vel dederit, & substitutionib. eos subiunxerit.* Consentit etiam *l. tale pactum, §. vlt. ff. de pactis.* Non vero idem est cẽsendum in emptione, emphyteusi, & aliis similibus contractibus, qui lucratiui non sunt, sed onerosi comparatione eius, cũ quo immediate fiunt (quod dico, vt excludam dotem & donationes propter nuptias) vt cũ multis aliis Emmanuel à Costa *vbi supra nu. 16.* recte affirmat.

36

37

SVMMARIVM.

1 *Breuiloqua substitutio quid?*
2 *Emmanuel a Costa censet definitioni addendã esse particulam, sub breuitate compendiove verborum.*
3 *An ea expressa verbis generalib. pupillaris simul & vulgaris sub-*

ris substitutio, qua quis Petro filio suo impuberi substituit Ioannem, sit breuiloqua.

4 *Quid censendum, quando duo aut plures instituantur, ad inuicemq; substituuntur, si neuter sit impubes, vel neuter sit filius, aut si sint personæ inæquales.*

5 *Breuiloqua substitutio quando expiret.*

6 *Probatur exemplo.*

7 *Quid lex singula censeat de multos filios impuberes habente.*

8 *An, quando aliqui instituuntur, eisve legatū relinquitur, & præcipitur, vt qui vltimo è vita decesserit restituat alij, eo ipso hæredes ita instituti aut legatarij, censeantur breuiloqua substitutione ad inuicem substituti.*

9 *Respondetur ad dubium.*

10 *Ab hac regula excipitur, nisi alia via hæreditas tota, aut legatum totum deuentum esset ad vltimum, cui in vniuersam hæreditatem aut legatum substituus datur.*

11 *Quid, quando aliqui hæredes aut legatarij instituti sunt in vniuersam hæreditatem aut in fundum, eisq; omnibus substitutus post eorum mortem est datus.*

12 *Ab hac secunda regula excusatur, nisi adsit persona adeo testatori chara, vt verisimiliter credendum sit, voluisse eam præferri substituto.*

DE BREVILOQVA, SEV RECIPROCA SUBSTITUTIONE.

DISPVTATIO *191.*

1 *Breuiloqua quid.*

BReuiloqua substitutio est, composita multorum ad inuicem, seu reciproce, substitutio. Vnde reciproca etiam substitutio appellatur. Per particulā, *substitutio composita*, excluduntur simplices substitutiones. Per particulam vero, *multorum ad inuicem*, id est, reciproce, excluditur compendiosa substitutio, de qua disputat, sequenti erit sermo. Etenim breuiloqua & compendiosa, qua tali, in hoc differt, quod breuiloqua pluralitatem substitutionum ex parte personarum inuicem substitutarum, compendiosa vero ex parte temporum complectitur.

2 Emmanuel à Costa *c. si pater. p. 1. verb. pater. n. 12. & 18. fol. 4.* censet, definitioni addendam esse particulam, sub breuitate, compendiove verborum. Nam, inquit, si pater, Petro & Ioanne instituris hæredibus, addat; si Petrus mihi hæres nō sit, Ioannes sit hæres, & si Ioannes mihi hæres non fuerit, sit Petrus; erit quidem reciproca substitutio Petri & Ioannis facta duabus distinctis ac separatis vulgarib. substitutionibus, non tamen dici poterit breuiloqua substitutio, qualis esset, si eisdem instituris, verborum compendio testator addidisset, eosq; inuicem substituo. Aliis vero placet, etiam illam aliam sub reciproca, seu breuiloqua substitutione, de qua nobis modo est sermo, comprehendi. Cum enim sermo sit de compositis substitutionibus, quæ ex multis simplicibus coalescunt, impertinens est, vtrum multæ illæ substitutiones compendio verborum, an diffusa oratione exprimantur: neq; necesse est nominis etymologiam rebus omnibus eo significatis adaptari. Vnde Couarr. *Raynutius de testament. § 7. in calce nu. 2.* reciprocam seu breuiloquam expressam verbis singularibus eam substitutionem appellat.

3 Emmanuel à Costa *c. si pater. verb. si decederet. à n. 7. fol. 112.* eam expressam verbis singularib. pupillarem simul & vulgarem substitutionem, qua quis, Petro filio suo impuberi substitueret Ioānem, de qua disput. 164. dictum est, appellat breuiloquam; eo quod verborum cōpendio duplicem substitutionē contineat. Veruntamē, si intendat eam esse breuiloquā, de qua modo loquimur, & de qua Dd. loqui consueuerunt, profecto admittenda nō est illius opinio. Breuiloqua namq; substitutio reciproca pluriū substitutorū esse debet, qualis illa non est, sed est vnius & eiusdem substituti duplici via substitutio, quod ad breuiloquam substitutionem, de qua Dd. loquūtur, non est satis. Neq; omnes substitutionum complicationes, quæ inter disputandum de simplicibus explicatæ sunt, tam quādo quædam earum sunt tacitæ, quam quando omnes sunt expressæ, necesse est in distinctas substitutionum compositarū species, seu modos distinguere, vt de singulis perinde atque de breuiloqua & compendiosa, sigillatim disputetur: id enim molestiam afferret, artisq; rationem superstitiosam atq; inconcinnam redderet: sed satis est præcipuos, in quibus plus est negotij, eo pacto explicare; reliquos vero obiter, dum alia explanantur, & prout ad ea melius intelligenda expedit tradere, vt à nobis in superioribus factum est.

Quādo duo, aut plures instituūtur, ad inuicemq; substituūtur, si neuter sit impubes vel neuter sit filius, aut personæ sint inæquales, nempe quia vnus est pubes, & alter impubes, aut quia licet vterq; sit impubes, vnus est filius & alter extraneus, vel quacunque alia ratione, talis breuiloqua substitutio est composita ex duab. vulgaribus; nō vero includit pupillarem, nisi altero impubere existente, aliter id testator exprimat, vt disput. 183. & 184. late explicatū est, copioseq; disputat Emman. à Costa *cap. si pater. verb. personis à nu. 2. vsque ad 8.* Siue autem personæ æquales essent, siue inæquales, si substitutio mutua obliqueq; fieret, vt quia instituti vicissim rogarentur, vt, qui prior decederet, portionem suā alteri restitueret, aut vt in quouis alio euentu alter alteri portionem restitueret, talis breuiloqua substitutio constaret duabus fideicommissariis substitutionibus. Idē esset, si substitutiones mutuæ, eo quod codicillo fierent, aut aliqua alia ratione obliquarentur, iuxta ea, quæ disput. 182. inter explicandum definitionem fideicommissariæ substitutionis, & alias sæpe in superioribus dicta sunt. Si vterq; directe inuicem substitutorum sit filius impubes, tunc breuiloqua substitutio constat quatuor expressis substitutionibus, duabus videlicet vulgaribus, quibus inuicem substituuntur, & duabus pupillaribus, quibus similiter inuicem substituuntur, vt disputat. 183. & 184. explicatum est. Quin, si simul essent mente capti, eadem breuiloqua substitutio constaret sex constitutionibus expressis, quatuor videlicet explicatis, & duab. aliis exemplaribus, quibus inuicem substitueretur; vt disputat. 185. dictum est. Imo vero, esto mente capti nō essent, sed substitutio illa simul sortiretur rationem compendiosæ, vt si testator diceret, quocunque tempore è vita discesserint, eos inuicem substituo; contineret tex substitutiones, quatuor scilicet priori loco explicatas, si ante annos pubertatis discederent, & duas fideicōmissarias, quibus qui prior è vita post pubertatem discederet, restituere grauaretur alteri eam partem, in qua testator potuit eos grauare, vt disputatione sequenti dicetur. Eademq; ratione, si simul essent mente capti, contineret octo substitutiones, nempe sex directas, de quibus supra dictum fuit, & duas fideicommissarias, quibus grauati inuicem restituere censerentur in euētu, quod sani mente extra annos pubertatis è vita discederent. Emmanuel à Costa *loco citato* fuse contra Paulum Castrensem cum communi Doctorum sentētia ostendit, casu, quod inter personas reciproce & compendiose hoc modo substituras daretur inæqualitas, quia vna esset pubes & alia vel aliæ impuberes, locum non habere pupillarem ex parte impuberum, sed solum omnes alias. Idemque esset de exemplari, si vnus reciproce substitutorum esset sanæ mentis. Hæc disputationibus citatis iuribus, Doctorumque auctoritate confirmata sunt; id vero, quod de breuiloqua quando ad compēdiosam extenditur

tenditur, dictum est, disputatione sequenti fiet manifestum, eaq; de causa non pluribus hoc loco hæc omnia confirmo. Lege Antonium Gom. *primo tomo variarum resolutionum cap.* 8. & Couarruuiam *cap.* Raynutius, *de testament.* tametsi Couarruuiæ doctrina §. *nono sequenti, num. 2. corol. 7.* vbi asserit, reciprocam substitutionem nunquam continere fideicommissariam, nisi codicillis fiat, non placeat: contrarium namque ex dictis est manifestum, quando simul extenditur ad compendiosam ex reciprocis constantem.

5 *Breuiloqua quando expirat.* Reciproca substitutio, quo ad singulas partes, ex quibus coaluit, eo pacto expirat, quo, dum de simplicibus substitutionibus erat sermo, dictum est eas expirare. Obseruant tamen cum Barto. & communi Doctorum sententia Couarruuias §. *7. citato, num. vlt.* & Antonius Gomezius *cap. 8. citato, numero etiam vlt.* reciprocam pupillarem substitutionem non expirare ex parte vnius extremi adhuc impuberis, ex eo, quod expiret ex parte alterius extremi, quod ad pubertatem peruenit. Idem censendum est in aliis similibus reciprocis substitutionibus; vt ex eo, quod è duobus amentibus adinuicem exemplariter substitutis, vnus ad sanam mentem redeat, expiretque proinde substitutio illi facta, non censetur expirare substitutio facta alteri, qui sui compos nondum est effectus.

6 *Lege Titia Seio.* §. *Sed ita, ff. de legatis 2.* cum quædam textatrix legasset fundum duobus, eosque grauasset, ne illud alienarent, sed qui posterior eorum è vita discederet, illud restitueret tribus suis hæredibus, aut eis, qui ex illis superstites essent, Paulus Iurisconsultus respondit, eam textatricem in eo fidei commisso videri fecisse duos gradus: vnum, vt is, qui ex duobus legatariis prior decederet, partem suam fundi alteri restitueret: alterum vero, vt qui posterior moreretur, integrum fundum hęredibus restitueret.

7 *Lege vel singulis, ff. de vulgari. & §. vel singulis, Instit. de pupillari substit.* habetur eum, qui multos filios impuberes habet, posse vel singulis substituere, loco singulorum testamentum conficiendo, in quo vnicuique substitutum constituat, vel posse solum substituere ei, qui nouissimus eorum impubes decesserit, permittendo, vt iuxta legem duodecim tabularum, legitimæ descendentium inter superstites vsque ad nouissimum diuidantur, solique nouissimo, ad quem tandem tota hæreditas deuenerit, substitutum pupillarem constituendo.

8 *Quæstio.* Occasione horum iurium Couar. *cap. Raynutius, de testamen.* §. 8. disputat, an, quando aliqui instituuntur, eisve legatum relinquitur, & præcipitur, vt, qui vltimus è vita decesserit, restituat alij, aut aliis, eo ipso hæredes ita instituti, aut legatarij, cęteantur breuiloqua substitutione ad inuicem substituti. Nam *ex* §. *Seia citato* pars affirmans colligi videtur: at vero ex duobus aliis iuribus contrarium videtur inferri.

9 *Decisio.* Paucis autem dicendum est, quando ex testatoris dispositione intelligitur: voluntatem ipsius esse, vt qui vltimus è vita discesserit, totum legatum, aut totam hæreditatem pluribus relictam, alicui aut aliquibus restituat, vt ex dispositione, de qua §. *Seia* est sermo, satis perspicue intelligetur, tunc hæredes aut legatarij reciproce seu breuiloque censentur substituti, erit autem talis reciproca substitutio, vel fideicommissaria, vel pupillaris, vel exemplaris, aut etiam vulgaris, prout materia subiecta postulauerit.

10 Ab hac regula excipitur, nisi alia via hæreditas tota, aut legatum totum deuentum essent ad vltimum, cui in vniuersam hæreditatem, aut legatum substitutus datur. Vnde si quis hodie, habens solos filios impuberes, qui ascendentibus careant, in hūc modum testetur: instituo hæredes tres meos filios, quod si omnes impuberes decesserint, eorum vltimo in vniuersa mea bona, & si quæ alia tempore mortis suæ habuerit, substituo Petrum fratrem meum; vtique impuberes non censentur inuicem substituti: quoniam sine vlla substitutione bona testatoris hæreditario iure deuentura erant ad eum, qui impubes vltimo ex hac vita decederet, & cui pupillarem substitutum exhibuit: atque hoc est, quod habetur *l. vel singulis. & §. vel singulis citatis.* Quod si impuberes illi ascendentes haberent, qui secluſa impuberum mutua pupillari substitutione, hæredes singulorū existerent, vtique tunc, qui prædicto modo testaretur, censeretur impuberes illos reciproce substituere pupillariter, vt excluderetur mater, aut alius ascendēs ab illorum bonis: quoniam alioquin hæreditas tota non deueniret ad vltimum, cui in eā vniuersam pupillaris substitutus datur.

11 Quando aliqui hæredes aut legatarij, instituti sunt *in vniuersam hæreditatem, aut in fundum*, eisque omnibus substitutus pollet eorum mortem est datus, tunc, nisi ex dispositione aperte constet, mentem testatoris fuisse, vt qui vltimus moreretur totum restitueret, non censeretur esse reciproca substitutio inter ita institutos aut legatarios, sed eo ipso, quod quisq; eorum moreretur, pars illius deuolueretur ad substitutum omnibus datum, adeo, esto testator diceret, vt post mortem omnium aut vtriusque hæreditas, aut legatum ad substitutum deueniret, non censetur facta inter eos reciproca substitutio. Ita colligitur *ex l. vlt. §. filium. ff. de legatis 2. ex l. Lucius. §. Caio. ff. ad Trebellian.* & affirmat communis sententia, quam refert ac sequitur Couarruuias §. *octauo citato, numero quarto.* Idem etiam confirmat Couarru. *ex l. hæredes mei, §. cum ita. ff. ad Trebellian.* vbi quidam, dum filios hæredes instituit, eosque grauauit, vt si *sine liberis* decederēt, sibi mutuo restituerent portiones hæreditatis, & qui vltimus decederet, restitueret integram hæreditatem cuidam nepoti testatoris; cum autem vnus decessisset vel cto filio & alter postea sine filiis esset mortuus dubitabatur, an portio illius restituenda esset nepoti, eo quod defecisse videretur conditio, quippe cum testator statuisset, vt, vtroq; sine filiis defuncto, vltimus integram hæreditatem restitueret. Respondumque est, ex præsumpta testatoris voluntate portionem illam esse restituendam: quoniam, qui statuit, vt, vtroq; sine liberis decederē, restitueretur tota hæreditas, præsumendum est, velle, vt vltimo solo sine liberis decedente, pars illius simili modo restitueretur. *Hæc tamen decisio parum profecto* doctrinam illam confirmat.

12 Ab hac secunda regula excipitur, nisi adsit persona adeo testatori chara, vt verisimiliter credendum sit, voluisse eam præferri substituto, vt colligitur *ex l penult. C. de impuberum & aliis substitutionibus.* vbi cum testator, habens duos filios impuberes, dixisset, si vterq; impubes decesserit, substituo eis Titium, dubitarentque antiqui legislatores, an in eo euentu statim ac quinis eorum moreretur, pars illius deueniret ad substitutum, an potius censeretur facta reciproca pupillaris substitutio inter illos, eligitur Sabini sententia, qui asserebat, ex præsumpta testatoris voluntate, eo quod essent filij, censendos esse adinuicem substitutos, nec prius portionem primo decedentis deuenire ad substitutū, quam vterque vitam finiret.

SVMMARIVM.

1 *Compendiosa substitutio quid?*

2 *Si, instituto filio impubere, quis dicat, Quandocunque è vita discesserit, Ioannem illi substituo, est substitutio compendiosa: quid si dicat, Si in pupillari ætate vel postea decesserit, Ioannem illi substituo.*

3 *Diuersa tempora, quæ compendiosam efficiunt substitutionem*

tutionem non sunt alia quam pupillaris ætatis & pubertatis.

4 *An hæc sit compendiosa, si filius meus in pupillari ætate discesserit, substituo illi Sempronium.*

5 *Hæc substitutio impuberi filio facta, Quocunque tempore è vita discesserit, rogo, vt hæreditatem Petro restituat, non est compendiosa.*

6 *Miles substituere potest filio impuberi duplici directa substitutione.*

7 *Verborum quibus substitutio fit quædam appellãtur directa propria ac ciuilia.*

8 *Quid, quando quis hac verborum forma filio impuberi substituit, Instituo filium meum Petrum, eiq; vulgariter, pupillariter, & fideicommissarie substituo Ioannem.*

9 *Quid, si miles filio impuberi verbis directis seu ciuilibus in hunc modũ substituat, Quandocunque filius meus è vita discesserit, sit hæres Ioannes.*

10 *Quid, quando pater miles erat, & militis priuilegio filio impuberi compendiosè verbis directis seu ciuilibus substituit, taliq; filius matre superstite pubes factus mortuus est.*

11 *Conciliantur hæreditaria iura.*

12 *De iure communi, quãdo miles testando priuilegio militis gaudet, filioque post pubertatem verbis directis ac ciuilibus substitutum tradit, substitutio est directa militaris.*

13 *An militi militari priuilegio testanti excludere liceat matrem & ascendentes alios à legitima filii puberis in bonis talis militis, substituẽdo filio in omnibus eis bonis directo quemcunque velit.*

14 *Quid, quando pubes, cui verbis ciuilibus datus est substitutus à patre milite, non habet matrem, quando vero habet.*

15 *Quid, quando substitutio compendiosa verbis ciuilibus facta impuberi nõ fit in forma pupillaris, sed miles dicit, Quandocunque filius meus discesserit, sit hæres Ioannes.*

16 *Quid, si miles filio iam puberi verbis ciuilibus quempiã substituat, dicendo, Quandocunque mortuus fuerit, sit hæres Ioannes.*

17 *Quid, si miles extraneum aliquem instituat hæredem, eiſdemq; verbis illi quempiam substituat.*

18 *Quid, quando miles verbis communibus, compendiosè substituit impuberi.*

19 *Quid, si miles solis verbis indirectis substitueret.*

20 *Refert substitutionem factam a milite directam esse an fideicommissariam.*

21 *Quid, si paganus filio impuberi ciuilibus verbis in hunc modum substituat, sit hæres filius meus, & quocunque tempore è vita discesserit, sit hæres Ioannes.*

22 *Referuntur quidam casus, in quibus substitutio illa post pubertatem vim fideicommissariæ habet.*

23 *An substitutio pro tempore pubertatis valeat vt fideicommissario.*

24 *Quid, si paganus verbis communibus in hunc modũ filio impuberi substituat, Quocunque tempore filius meus ex hac vita discedat, illi substituo Ioannem.*

25 *Varij varie de hac substitutione sentiunt. & n. 26. 27.*

28 *Quid, si paganus verbis indirectis in hunc modum impuberi substituat, Instituo filium meum hæredem, & quocunque tempore è vita discesserit, restituet hæreditem Ioanni.*

DE COMPENDIOSA SVBSTITVtione, & simul de militari.

DISPVTATIO 192.

1 COmpendiosa substitutio est, quæ plures quoad diuersa *tempora complectitur substitutiones verbis saltem generalibus expressas.* Per particulam, *quo ad diuersa tempora,* excluditur breuiloqua seu pupillaris substitutio, qua talis, non quoad diuersa tempora, sed quo ad diuersas personas complectitur plures substitutiones, vt disputat. præcedente dictum est. Per particulam, *expressas verbis saltem generalibus*, excluditur substitutio vulgaris facta pupillo, quę tacite comprehendit, annexam vel habet pupillarem ex præsumpta testatoris voluntate, & similiter pupillaris simplex substitutio, quæ ex eadem præsumpta testatoris voluntate annexam habet tacitam vulgarem; vt disputatione 183. & 184. ostensum est. *Compendiosa quid.*

Emmanuel à Costa *cap. si pater, num. 13. fol. 4.* ait, si 2
instituto filio impubere, quis dicat, quandocunque
è vita discesserit, Ioannem illi substituo; esse substitutionem compendiosam: quia verborum cõpendio pupillarem complectitur, si ille ante pubertatẽ discedat, & fideicommissariam, si fine liberis post pubertatem moriatur. At vero, inquit, si dicat, si in pupillari ætate vel postea discesserit, Ioannẽ illi substituo; nõ esse compẽdiosam, sed esse duas distinctas substituriones, nullo verborum compendio in vnã vnitas. Citat ad id Gloss. *l. precibus, verb. fideicommissi, prope fin. C. de impub. & aliis substit.* Cæterum, quamuis Glossa illa affirmet illas esse duas substitutiones, non tamen negat ex illis confici vnam integrã compendiosam expressam verbis singularibus. Vnde, iuxta ea, quæ disputatione præcedente de reciproca dicta sunt, defendi optime potest esse compendiosam, idq; præter alios affirmat Gregor. Lopez *l. 11. tit. 5. par. 6.* Glossa prima tametsi id vnde compendiosæ nomen est impositum, illi non conueniat, sed aliis, quæ regulariter verborum compẽdio fieri solent. Cui sententia Emmanuelis à Costa placuerit, nostræ definitioni addat particulam, verborum compendio, ac dicat, quæ verborum compendio plures quo ad diuersa tempora complectitur substitutiones generalibus saltem verbis expressas.

Couar. *c. Raynutius, de testam. §. 9. num. 1.* ait, diuersa 3
tempora, quę compendiosam efficiunt substitutionem, non esse alia, quam pupillaris ætatis & pubertatis. Iuxta eam verò sententiam excludendum esset à compendiosa substitutione, si quis instituto hærede extraneo, aut filio pubere, adderet, quandocũque è vita discesserit, illi substituo Antonium. Licet enim hæc substitutio verborum compendio duas expressas complectatur, nempe vulgarẽ, si ante testatorem, vel alia ratione hæreditate non adita discesserit; & fideicommissariam, si post aditam hæreditatem moriatur; quia tamen id non facit diuersitas pupillaris ætatis & pubertatis, sed differentia penes aditam aut non aditam hæreditatem, non comprehenderunt in definitione eo pacto intellecta. De hac substitutione disputat Emmanuel à Costa *cap. si pater, num. 13. fol. 4.* & quamuis, citato in contrariam partem Curtio Iuniore, addat, quæstionem videri de nomine, neque esse circa eam diutius immorandũm; postea tamen *verbo habens, num. 16. fol. 22.* compendiosam eam appellat, estque meo iudicio appellanda. Etenim licet pubertas & impubertas, quia non possunt eidem inesse simul, exigunt diuersa tempora, ideoque substitutiones compendio in pupillarem statum factæ censentur plures per comparationem ad diuersa tempora: ita cum vni & eidem hæredi non possit simul conuenire adiisse & nondum adiisse hæreditatem, vtique expresse substitutiones compendio verborum pro vno & altero statu factæ, erunt similiter plures per comparationem ad diuersa tempora atque adeo substitutio, quæ eas complectitur, verè erit compendiosa.

Couarr. *loco citato ex eodem cap.* vult hanc non esse
compendiosam, si filius meus in pupillari ætate dis- 4
cesserit, substituo illi Sempronium, esto verborum compendio generalibus verbis contineat expresse

presse vulgarem, si ille in pupillari ætate, ante testatorem, aut aliter non adita hæreditate discesserit, & pupillarem; si hæreditate adita pupillus discesserit. Existimo tamen cum Baldo & communiori sententia, quam idem Couarruuias *ibidem* refert, esse compendiosam, idque propter eandem rationem, qua præcedentem compendiosam esse ostendimus.

5 Hæc vero substitutio impuberi filio facta, & longe maiori ratione si fuerit facta puberi, aut extraneo, quocunque tempore è vita discesserit, rogo, vt hæreditatem Petro restituat; non est compendiosa, vt recte Couarruuias *ibidem*, & alij Doctores adnotarunt; quoniã propter verba illa, rogo, vt restituat, quę sunt obliqua, solum est simplex fideicommissaria substitutio.

6 Duo obseruanda sunt in lucem cæterorum, quæ in hac disputatione sunt subiicienda. Vnum est, ex illo priuilegio militis, de quo disputatione centesima octuagesima secunda, inter explicandum definitionem militaris substitutionis dictum est, prouenire, quod miles filio impuberi substituere possit compendiose, duplici directa substitutione: vna pupillari, sicut cæteri: & altera pro tempore extra pupillarem ætatem, per quam directe succedatur in solis bonis, quæ à tali milite filio abuenerunt, de qua statim dicemus. Eis autem, qui milites non sunt, solum est datum filiis post pubertatem (modo amentes non sint) atque extraneis, substituere fideicommissarie seu indirecte.

7 Alterum est, vt cum Bart. Panorm. & Couar. disputat. 155. dicebamus, verborum, quibus substitutio fit, quædam appellari directa, propria ac ciuilia; illa videlicet, quæ, seruata sermonis proprietate, solum inseruiunt directæ substitutioni, eamq; solam denotant. Eiusmodi sunt verba, *sit hæres, instituo*, & si quæ sunt huiusmodi. Vt si quis, instituto hærede, in hunc modum illi substituat; si hæres non fuerit, aut sine liberis decesserit, sit hęres Petrus, aut instituo Petrũ. Verba namq; illa, *sit hæres Petrus*, aut *instituo Petrum*, in ea substitutione apposita, proprietate sermonis seruata, solum significãt directam substitutionem. Quædam vero alia dicuntur indirecta seu obliqua, illa nempe, quæ solum inseruiunt indirectæ, fideicommissariæ ve substitutioni, eamq; denotant. Cuiusmodi sunt verba, *volo, rogo, mando, vt restituat, aut restituat hæreditatem, vel partem illius* Petro, & alia eiusmodi. Alia autem communia nuncupãtur, eo, quod tam directæ quã indirectæ substitutioni aptari possit, atque adeo vtramuis significare. Vt sunt verba, *substituo, succedat, deueniant bona, moriatur* Petro, hoc est, in commodum & vtilitatem Petri (quo verbo vtitur *c. si pater, de testament. lib. 6.*) hæc namq; omnia verba æque substitutioni directæ & indirectæ accõmodare possunt, & vtramuis denotare ac significare, vt ex se est manifestum.

8 His prænotatis, si quis hac verborum forma filio impuberi substitueret, instituo filium meum Petrũ, eiq; vulgariter, pupillariter, & fideicõmissarie substituo Ioannem; vtique, si ante testatorem discedat, locũ habebit vulgaris substitutio expressa; si postea ante pubertatem, habebit locum pupillaris, si vero post pubertatem, obtinebit fideicõmissaria. Quod si diceret; quocunq; tempore Petrus discesserit, ei omni modo, quo possum, substituo Ioannem; nõ solum haberent locum prædictæ omnes substitutiones, sed etiam, si mente captus esset, locum haberet exemplaris, imo si testator esset miles, haberet locũ militaris, itavt substituto optio daretur, quo horum modorum succedere vellet: quãdoquidem omnes comprehensi essent verbis illis testatoris. Quia tamen testatorum dispositiones non semper sunt perspicuæ, multæq; sunt compendiosæ substitutiones, de quibus est controuersia quas simplices contineant, subiicienda sunt, quæ sequuntur.

A Similes filio impuberi verbis directis, seu ciuilibus in hunc modum substituat, quando cunq; filius meus è vita discesserit, sit hæres Ioannes; in primis talis compendiosa substitutio comprehẽdit vulgarem, non solum tacitam, sed etiam expressam verbis generalibus, per quam si filius, vel quod ante patrem mortuus fuerit, vel alia de causa hæres nõ fuerit, Ioannes hæres existet. Deinde fatentur omnes comprehendere pupillarem, per quam, si filius hæres extiterit, atque intra pupillarem ætatem mortuus fuerit, Ioannes succeder in omnibus bonis illius, tam quæ à patre, quam quę aliunde habuerit, excludetque matrem, etiam in portione legitima matri in bonis talis filij alioquin debita, iuxta ea, quæ de B substitutione pupillari expressa disputatione 184. dicta sunt. Pro reliquo autem tempore extra pupillarem ætatem, si mater mortua sit, & talis filius sine liberis decesserit (semper namque ea tacita conditio intelligitur, quando substitutio fit alicui descendentium, vt disputatione centesima nonagesima dictum est) fatentur etiam omnes includere directam militarem, per quam sola bona, quæ ex parte patris tali filio aduenerunt, vna cum fructibus in eis bonis inuentis, spectabunt ad Ioannem substitutum (vtrum vero hodie, etiam legitima, quæ filio in eisdem bonis à patre erat debita ad eum pertineat, dicetur statim) reliqua vero bona illi non item; sed pertinent ad hæredes ab intestato, vel ex testamento à tali filio relictis. Ratio est, quoniam pro eo tempore non potuit pater circa ea bona substitutum ei C dare. Compendiosam illam substitutionem continere pupillarem & militarem, directã modo explicato, colligitur aperte *ex l. Centurio. ff. de vulgari. & ex l. milites etiam. & l. milites ita. ff. de militari testam.* Id autem, quod de fructibus in eis bonis inuẽtis dictum est, habetur *l. Centurio citata*, atque explicabitur inferius.

Quando pater miles erat, & militis priuilegio fi- 10
lio impuberi compendiose verbis directis seu ciuilibus substituit, talisque filius matre superstite pubes factus mortuus est, in hunc modum Imperatores Diocletianus & Maximianus *l. precibus. versic. vlt. Cod. de impuberum & aliis substitutionib.* matri consulenti responderunt: *Sin vero post pubertatem mortuus est, tunc eius successionem obtinente, velut ex causa fideicommissi, bona, quæ, cum moreretur patris eius fuerint, à te peti possint. Ea videlicet petendo à substituto verbis directis tali filio à patre dato.* Quibus verbis innuitur, substitutionem illam post pubertatem non esse directam militarem, sed fideicommissariam: contra id quod sonant *l. Centurio. ff. de vulgar.* & alia iura citata. Verba *legis Centurio* hæc sunt: *Centurio, filio si intra vicesimum & quintum ætatis annum sine liberis è vita discesserit, directo substituit. Intra dicimum quartum annum, etiam propria bona filii, substitutus iure communi* (militibus videlicet cum paganis) *capiet. Post eam autem ætatem ex priuilegio militum, patris duntaxat cum fructibus inuentis in hæreditate.*

Circa intellectum, conciliationemque horum 11
iurium, multum variant iurisperiti, adeo vt Emmanuel à Costa *cap. si pater. par. tertia*, verbis interdum *à nume. 45. fol. 502.* vndecim modos conciliandi exponendique hæc iura afferat. Nos præcipuos duntaxat afferemus.

Stando in solo iure communi, quam plurimi, 12
quos Couarruuias *cap. Raynutius. de testament. §. nono à numero sexto.* refert ac sequitur, asseruerunt vniuersim, quando miles testando priuilegio militis gaudet, filioque post pubertatem verbis directis ac ciuilibus substitutum tradit, substitutionem esse directam militarem, siue mater talis filij superstes sit, siue non, ac proinde, si talis filius sine liberis decesserit, substitutum admittendum esse ad omnia bona filij, quæ ex milite testatore illi obuenerunt, iuxta *leg. Centurio citatam*. Quod intelligendum est, non

tolum de bonis talis militis castrensibus, sed vniuersim de omnibus illius bonis: eo, quod priuilegium militis, ab eo pacto hæredibus, quos instituerit, directe substituendum de omnibus militis bonis intelligatur. Respondent vero ad legem precibus hi Doctores, idcirco Imperatores non dixisse ea bona peri posse à matre ex causa fideicommissi, quoniam reuera ibi non fuit fideicommissum, sed directa substitutio; quia tamen mater in eo euentu hæres erat filij, ac proinde bona omnia, tam quæ à patre, quam quæ aliunde filio obuenerant, ad ipsam, tanquam ad filij hæredem permixtim deuenerant, dicitur substitutum perinde petere ab ea posse bona, quæ fuerunt patris, ac si mater illa grauata esset ea restituere. Neque dictum est, posse petere partem eorum bonorum, quasi mater vel Trebellianicam, vel legitimam filij in bonis patris retinere deberet, sed dictum est, bona absolute quæ fuerunt patris, vtpote directa militari substitutione pertinentia ad substitutum. Certe hæc opinio mihi vera videtur standa in solo iure communi.

53 Couarruuias *loco citato numero decimo* cum Alexandro, Paulo Castrensi, & aliis, censet, quamuis ante iura *authenticorum & l. quoniam in prioribus*, *Codice de inofficioso testamento*, posset miles, dum militari priuilegio testabatur, excludere matrem & ascendentes alios à legitima filij puberis in bonis talis militis, substituendo filio in omnibus eis bonis directo quemcumque vellet, vt præter iura citata constat *ex l. fin. familiæ. ff. de militari testamento.* nihilominus post authenticum, *vt cum de appellatione cognosc. §. aliud quoque capitulum, & l. quoniam in prioribus.* id non posse. In authentico quippe citato sic habetur: *sancimus non licere penitus patri, vel matri filium, vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut exhæredes in sue testamento facere, nec si per quamlibet donationem, &c.* Penitus dixit, vsque adeo, vt priuilegium, quod ad id antea milites habebant, vt constat *ex lege vltima Cod. de inofficioso testamento.* excludatur. Et *leg. quoniam in prioribus*, omne grauamen à legitima liberorum excluditur, irritumque eo ipso fit. Quæ doctrina, si vera sit, vtique probat, non solum matri, si superstes sit, sed etiam quibuscunque aliis hæredibus filij ab intestato, aut ex testamento deberi legitimam in bonis patris tali filio debitam, non obstante quacumque directa militari substitutione à patre tali filio facta, vt Gregorius Lopez *leg. duodecima titulo quinto, part. sexta, verb. Aura la madre, & verb. La tercera parte* recte adnotauit. Socinus tamen & alij, quos Gregor. Lopez *loco citato* refert, & in quorum sententiam propendet, & quos sequitur Emmanuel à Costa *loco citato, numero quinquagesimo primo, folio quingentesimo quarto*, censent, licet miles post iura authenticorum non possit exhæredare aut præterire filium, posse tamen ei directo substituere in omnibus bonis, quæ ex ipso profluxerint, exclusa matre, & quocumque alio ascendente, aut collaterali: ficut etiam non solum miles, sed etiam paganus, potest substituere filio impuberi in omnibus bonis exclusa matre, & aliis ascendentibus, esto exhæredare aut præterire illum non possit. Atque hæc sententia est Bartoli, & communior, neque videtur ab ea recedendum, præsertim in hoc Lusitaniæ Regno, in quo Bartoli opinionibus est standum, quando communiter non reiiciuntur, neque est textus consuetudo; aut glossa Accursij in contrarium.

14 Glossa *leg. precibus. verb. fideicommissi, gloss. vltim. leg. Centurio. gloss. cap. si pater. de testament. libro sexto, verb. absque deductione.* Azo & multi alij conciliant aliter hæc iura. Nempe, vt quando pubes, cui verbis ciuilibus datus est substitutus à patre milite, non habet matrem, substitutio sit directa, excludatque substitutus hæredes talis filij puberis quoad omnia bona, quæ illi obuenerunt ex parte patris, iuxta *leg. Centurio.* quando vero habet matrem, fauore matris, ac simul etiam filij, obliquetur substitutio, ac fiat fideicommissaria, *iuxta l. precibus, C. de impuberum & aliis substitutionib.* Hæc sententia proculdubio est sancita in Regno Castellæ *l. 12. tit. 5. par. 6.* Vult tamen lex illa, quod si talis filius ab intestato discedat, vltra omnia bona, quæ aliunde, quam à patre habebat, matri adueniat legitima filio in bonis patris militis debita, quæ eo tempore erat tertium bonorum patris, si non habebat alios cohæredes descendentes patris; hodie vero in eo Regno sunt omnia bona præter quintum: si quid autem vltra legitimam filio ex parte patris aduenit, id mater restituat substituto, Trebellianica inde minime detracta. Quod autem in ea lege sermo sit de propria fideicommissaria substitutione, testantur, tum alia, tum præcipue, quod ea de causa ea lege simul statuitur, vt sepulchra hæreditaria ex parte patris adueniant matri, & non substituto: si autem substitutus esset hæres directus militis; & non fideicommissarius, vtiq; iuxta ea, quæ de eiusmodi sepulchris disputatione centesima octuagesima octaua dicta sunt, illis etiam aduenirent tanquam hæredi tempore legis illius in maiori portione bonorum talis militis.

Emmanuel à Costa *cap. si pater, parte tertia, verb. interdum, à numero quinquagesimo nono, fol. quingentesimo octauo*, aliter conciliare nititur illa iura. Nempe, quod quando substitutio compendiosa, verbis ciuilibus facta impuberi, non fit in forma pupillaris, sed miles dicit, quandocunque filius meus discesserit, sit hæres Ioannes, tunc siue superstes sit mater, siue defuncta, filio pubere discedente substitutio sit directa militaris, iuxta *leg. Centurio*, atque adeo substitutus in omnibus bonis militis excludat matrem, & quoscunque alios filios hæredes, tam ex testamento, quam ab intestato. Quando vero fuit facta in forma pupillaris, quia miles dixit, quandocunque filius meus discesserit, sit illi hæres Ioannes: tunc filio discedente extra ætatem pupillarem, fit substitutio pro eo tempore fideicommissaria quoad bona, quæ ex milite filius habet, idque siue mater sit hæres talis filij, siue non. Ratio, inquit, est, quoniam pro tempore extra pupillarem ætatem, non aliter potest substitutus esse hæres filio, & non militi ipsi, vt substitutio illa in forma pupillaris significat, nisi filius rogatus censeatur à patre restituere bona, quæ ex ipsa obtinuerit, tali substituto. Atque in hoc euentu censet procedere dispositionem legis precibus, *Cod. de impuberum & aliis substitutionibus*, asseuerans substitutionem, de qua in ea lege est sermo, factam fuisse in forma pupillaris. Præter alia autem, quæ aduersus hanc sententiam dici poterant, sane *leg. precibus, statim in initio*, aperte ei refragatur. Preces namque, quæ à fœmina illa oblatæ fuerant Imperatoribus, continebant, patrem militem defunctum, communem vtrique filium instituisse hæredem, secundumque hæredem scripsisse. Respondent vero Imperatores, eam explicare debuisse, an defunctus vulgarem, vel pupillarem, &c. substitutionem fecisset: Et ad singula membra, ad quæ preces se poterant extendere, respondent sigillatim. Porro si substitutio esse poterat vulgaris, sane talis substitutus non poterat esse hæres datus filio, sed ipsimet testatori: quare ex eo textu non constat, substitutionem factã fuisse in forma pupillaris, quasi hæres datus esset filio: quin potius aperte constat, substitutionem illam non fuisse propositam in forma pupillaris. Quare potius eligendum censeo aliquem ex duobus prioribus modis conciliandi ea iura. Atque in Regno Castellæ secundus est eligendus eo commodo, quo *l. 12. citata* est sancitum. Stando vero in solo iure cõmuni, potius eligerem primum.

Quod si miles filio iam puberi verbis ciuilibus quempiam substituat, dicendo, quandocunq; mortuus fuerit, sit hæres Ioannes; tunc substitutio care-

nus erit compendiosa, quatenus comprehendet vulgarem in euentum quod filius ante testatorem, aut repudiata hereditate moriatur: non vero quatenus comprehendit pupillarem; cum talis filius pubes iam sit. In euentum autem, quod filius post patrem hereditate adita sine liberis moriatur, siquidem superstes non sit mater; erit directa militaris; si vero mater sit superstes, recurrit dubium paulo ante examinatum, vtrum censenda sit militaris directa, an vero fideicommissaria fauore matris.

17 Si miles extraneum aliquem instituat heredem, eisdemq; verbis illi quempiam substituat, erit substitutio compendiosa, comprehendens vulgarem, & directam militarem, vt est satis perspicuum.

18 Quando miles verbis communibus compendiose substituit impuberi, censet Bartol. *l. Centurio.* & communior Doctorum sententia, substitutionem pro tempore ante pubertatem esse pupillarem, pro tempore vero pubertatis esse directam militarem. Ratio est, quoniam verbum commune directæ & fideicommissariæ substitutioni potest aptari: in dubio autem substitutio potius censenda directa, quã fideicommissaria, vt habetur *cap. si pater, de test. lib. 6.* Couarr. tamen *c. Raynutius. de test. §. 9. num. 13* potius censet, pro tempore pubertatis esse fideicommissariam; ductus eo argumento, quod licet miles iure militari censeatur testari, quando dispositio nõ potest aliter valere, vt ex *l. 3. ff. de testam. milit.* constat; attamen quando non cõstat voluisse vti priuilegio militis, & dispositio valere potest iure communi sibi cum paganis, non censetur testatus iure militari, sed communi, vt colligitur *ex l. in testamento 1. Cod. de testam. milit.* quare cum substitutio illa, si à pagano, hoc est, non milite, fuisset facta, proculdubio esset pro tempore pubertatis fideicommissaria, quandoquidem paganus pro eo tempore non potest aliter substituere; consequens est, vt facta à milite sit etiam fideicommissaria. Placet tamen magis opinio Bart. & communis, non solum quoniam in hoc Regno non licet in iudicando ab ea recedere. & quodeo ipso, quod communior est, cæteris paribus sit probabilior & amplectenda, sed etiam, quod dispositiones intelligendæ sint, prout congruunt temporib. & personis, vt de substitutionibus habetur expresse *c. si pater citato.* ad eum ipsum effectum, de quo nunc agimus: circumstantiæ autem legis in testamẽto citatæ, non postulabant, vt præsumeretur, militẽ iure militari voluisse tunc substituere, vt textum illũ expendenti erit manifestum.

19 Quãdo miles solis verbis indirectis substitueret, esto impuberi substitueret, & formæ effigiem compendiosæ haberet; solum esset substitutio simplex fideicommissaria: quoniam, vt supra dictum est, verba indirecta non inseruiunt alij substitutioni, quam fideicommissariæ.

20 Refert vero, præter alia, substitutionem factam à milite directam esse, aut fideicommissariam: quoniam si fideicommissaria sit, vtiq; fructus hæreditatis, qui iudicio testatoris percepti non sunt, pertinẽt ad hæredem grauatum, & post mortem illius ad ipsius hæredes interim dum fideicõmissum vel absentia vel negligentia fideicommissarij non peritur, vt disputatione centesima octuagesima septima ostensum est, idq; propterea, quod dominium hæreditatis pertinet ad hæredem gravatum, illiusq; successores, interim dum fideicommissum non restituitur, & in dominij consequentiam pertinet etiam fructus. At vero si substitutio directa sit militaris, sine dubio à puncto mortis hæredis, cui talis directus substitutus est datus, fructus pertinent ad substitutum, qui ab eo puncto militi succedit immediate, ac proinde eo ipso, quod primus hæres è vita discedit, militis hæreditas censetur iacere iterum, quousque substitutus tanquam militis hæres eam adeat; eaque de causa fructus, tum in illa pendẽtes, tum etiam ex

A ea percepti medio tempore, inter morte primi hæredis & aditionem per substitutum factam, accrescunt hæreditati, fiuntq; substituti, hereditate per eũ adita. Atq; hoc est quod Papinianus docere intẽdit *l. Centurio. ff. de vulg.* illis verbis: *Post pubertatem capiet substituti ex priuilegio militum bona patris dumtaxat cũ fructibus inuentis in hereditate*, vt Emmanuel à Costa *c. si pater. par. 3. verb. obliqua, & num. quadragesimo tertio, fol. 468.* reiectis aliis expositionibus, ingeniose satis ac docte ostendit.

Vt ad paganum, hoc est, eum, qui non priuilegio militis testatur, gradũ faciamus, si paganus filio impuberi ciuilibus verbis in hunc modum substituat, sit hæres filius meus, & quocunque tempore è vita

B discesserit, sit hæres Ioannes; controuertunt Doctores, vtrum eusmodi substitutio, præter vulgarem, atque etiam pupillarem, quæ ab omnibus bonis talis filij excludat matrem, si is intra pupillarem ætatem è vita discedat, comprehendat etiam fideicommissariam pro tempore pubertatis: nam paganus substituere non potest directo pro eo tẽpore. Glos. Accursij *vltim. l. Centurio. ff. de vulgari*, & multæ aliæ ciuilis & canonici iuris, quas referunt Couarruuias *cap. Raynutius. de testament. §. nono, num. 15.* & Anton. Gomezius *1. tomo variar. resolution. cap. 7. numero 4.* & copiosius Emmanuel à Costa *cap. si pater. part. 3. verb. interdum. num. 72. fol. 518.* & communis interpretum iuris ciuilis opinio, de quorum numero est Bartol,

C quem referunt ac sequuntur Couarruuias & Emmanuel à Costa *locis citatis*, negant eam comprehendere, sed dicunt eo ipso, quod filius ille hæreditate adita peruenit ad pubertatem, extingui substitutionem, bonaque omnia ab eo testatore tali filio relicta, pertinere ad filij hæredes ex testamento aut ab intestato. Ducuntur, quoniam, vt dictum est, paganus non potest pro eo tempore substituere directo; verba autem ciuilia, quale est illud, sit hæres, non denotant ac significant fideicommissariam, sed directam substitutionem. Consentit *l. verbis ciuilibus. ff. de vulgari*, quæ sic habet: *Verbis ciuilibus substitutionem post quar. ũd: cum annum æta is frustra fieri conuenit: idem autem est frustra fieri, quod fieri inutiliter.* Eadem sententia est definita *in Regno Castellæ, l. 11. tit. 5. part. 6.*

D Excipiunt nihilominus authores huius sententiæ nonnullos casus, in quibus substitutio illa post pubertatem vim fideicommissariæ habet. Primus est, si substitutio illa sit facta in codicillo: nam tunc ante pubertatem & post pubertatem obliquatur, iuxta ea, quæ disputatione centesima octuagesima secunda, ac alibi dicta sunt. Idem est, si facta sit in testamento, sed apposita est clausula codicillaris: quia tunc post pubertatem obliquatur, vt locis citatis dictum est, & vtrumque affirmant Anton. Gom. *num. 4. citato*, & alij, quos citat. Secundus est, si talis substitutio fieret à matre filio impuberi, vel à patre eidem sed emancipato, in quibus euentibus locum

E nõ habet pupillaris substitutio, vt disputatione centesima octuagesima quarta dictum est, aut si fieret in eadem forma filio iam puberi: cum enim tunc parentes aliquam substitutionem filio intendant facere, neque alia locum habeat, quam fideicommissaria, censetur fideicommissarie illi substituere. Ita Anton. Gomez. *num. 4 citato*. Consentit Emmanuel à Costa *cap. si pater. verb. interdum. numero 94.* quando substitutio fit puberi, citatque pro eadem sententia Accursium & Azonem. Tertium addũt aliqui, cum quibus Couarruu as *§. 9. citato numero 5.* consentit, imo ita habetur expresse *l. 12. titul. 5 part. 6.* quando pater filio impuberi non emancipato substituit illo modo, sed dicit, quocunque tempore sine liberis discesserit, sit hæres Ioannes: cum enim conditio illa, si sine liberis decesserit, adiecta non sit pro tempore pupillaris ætatis, in qua nulla est verisimilitudo, quod filius habebit, sane constat patrem intendo, quod filius habebit,

disse illi substituere etiam pro tempore extra pupillarem ætatem, atque adeo fideicommissarie, cum eo tempore locum nō habeat alia substitutio, quam fideicommissaria. Quartum cum Angelo & aliis addit Emmanuel à Costa *c. si pater, verb. interdum n.* 89. *fol.* 525. quando sub ea forma substituitur à patre impuberi ad pias causas. Vt enim habetur *cap. si pater, de testament. lib.* 6. directa substitutio interdum trahitur ex iusta causa ad fideicommissariam: nulla autem iustior est causa ad id efficiendum; & ad præsumendum eam fuisse testatoris voluntatem, quam causa pietatis.

23 Ioannes Andreas *cap. si pater, de testamen. lib.* 6. vniuersim asseruit, substitutionem illam pro tempore pubertatis valere vt fideicommissariam, quoniam ex forma illa, pro quocunque tempore substituendi filio impuberi, præsumendum est, patrem etiam pro tempore pubertatis intendisse illi substituere; neque pro eo tempore potuit aliter, quam fideicommissarie: in substitutionibus autem voluntati præsumptæ testatoris est standum; neque iura, quæ contrarium innuunt, ius positiuum testatoris voluntati contrarium inuehere intendūt, sed solam præsumptam voluntatem testatoris ex verbis, quibus est testatus, explanare. Panorm. *cap. Raynutius, de testamen. num.* 21. quamuis dicat contrariam Bart. sententiam de iuris subtilitate esse veriorem; attamen de æquitate sententiam Ioannis Andreæ multum sibi placere. Eandem amplectitur Anton. Gom. *nume.* 4. *citato*, tanquam veriorem cum Baldo, Cardinali, Anton. de Butrio, & aliis, quos citat; tametsi fateatur, contrariam esse communem, & in Regno Castellæ definitam. Ad *l. verbis ciuilibus*, cui authores contrariæ sententiæ nituntur, respondet, frustra fieri substitutionem post pubertatem verbis directis, vt valeat tanquam directa, non vero vt valeat tanquam fideicommissaria, quando est præsumptio eam fuisse testatoris voluntatem. Sane in hanc sententiam propendeo tanquam tutiorem in foro conscientiæ, in quo præsumptæ testatoris voluntati in hoc euentu est standum; cum iura nihil contra voluntatem testatoris præsumptam statuere impendāt, præsumendumque semper sit, quando circumstantiæ non occurrerint, quæ contrarium suadeant, illam fuisse voluntatem testatoris. Forte sse in hoc Lusitaniæ Regno, cum contraria sit sententia Accursij, Bartol. & communis, iudices propter ordinationem, sententiam ferre non audebunt pro opinione Ioan. Andreę, interim dum communis inter recentiores effecta non fuerit, & multo minus in Regno Castellæ, in quo lex est in contrarium.

24 Si paganus verbis communibus in hūc modum filio impuberi substituat, quocunque tempore filius meus ex hac vita discedat, illi substituo Ioannem, succedat Ioannes, aut moriatur Ioanni; controuertunt etiam Doctores, quot, & quæ substitutiones in eiusmodi compendiosa substitutione contineantur. Atque dubitandum non est, contineri vulgarem, si filius ante patrem, vel repudiata hæreditate post patrem discedat. De substitutionibus autem pro tempore pupillaris & pubertatis ætatis est dissensio. Sunt que de hac re tres sententię, quas Antonius Gomez. *primo tomo variarum resolutionum capit. septimo, num.* 6. refert.

25 Quidam dixerunt, esse ibi vnicam substitutionem pupillarem, omninoque extingui aduenientе pubertate, ita vt pro tempore pubertatis nulla omnino sit substitutio. Ducuntur, quoniam cum sit vnica forma substitutionis, atq; vnica determinatio, substitutio eiusdem rationis sub ea intelligi debet, non vero pro vno tempore vnius rationis, & pro alio alterius: & cum verbum sit commune indifferēs ad directam & indirectam substitutionem, potius intelligi debet facta directa, quam indirecta, iuxta *capit. si pater. de testamen. lib. sexto*, quare, cum tempo-

A re pubertatis locum non habeat directa, cēnsendū est in ea substitutione solum comprehendi directā pupillarem, ac proinde extingui omnino aduenięte pubertate.

Alij consentientes cum prioribus esse pro vtroq; 26
tempore substitutionem eiusdem rationis propter illud eorum fundamentum, censuerunt esse fideicommissariam pro vtroque tempore, verbumque illud commune ex præsumpta voluntate testatoris intelligendum esse, non de directa, sed de fideicommissaria, vt substitutio omne tempus complectatur vt ipsa substitutionis forma aperte significat. Hanc sententiam sequuntur Glossa *l. precibus. Cod. de impuberum &* aliis *substitutionib. Gloss. leg.* 3. *Cod. de in-*
B *offic. testamen. Glossa cap. Raynutius. de testamen. Azo & multi alii.*

Alij denique voluerunt, substitutionem illam 27
comprehendere pupillarem pro tempore ante pubertatem, & fideicommissariam pro tempore pubertatis. Sententiam hanc sequuntur Gloss. Accursij *vltim. l. Centurio. ff. de vulg. Gloss. in § quaratione. Instit. de pupill. substit. & Gloss. cap. si pater. de testamen. lib.* 6. Joan. Andr. *ibi*, quem refert ac sequitur Panorm. *cap. Raynutius, de testamen. num.* 20. eandem sequuntur Bart. & communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Anton. Gomez. *1. tomo variarum resolut. cap. 7. num.* 6. & Couar. *cap. Raynutius* §. 9. *num.* 17. Eandem amplectitur Emmanuel à Costa *c.*
C *si pater. ver. interdum in calce, nu.* 93. *fol.* 528. quin & definita est *leg. duodecima titulo quinto, parte sexta* estque proculdubio nobis amplectenda. Primo, quoniam verbum commune propter suam amplitudinem verificari optime potest in diuersis partibus temporis pro diuersis partibus substitutioni subiectiuis, vt ex se est manifestum: id autem faciendum esse quādo temporibus ipsis personis, ac circumstantiis cōcurrentibus congruit, docet aperte *cap. si pater, citatum*, his verbis; Cum in substitutionibus semper fit interpretatio faciēda, dummodo, sicut in casu proposito, earum verbis & personis conueniat. Secundo, quoniam idem *caput si pater.* substitutionē compendiosam verbis generalibus factam, de qua ibi est sermo, *interpretatur* de pupillari, quando filius ante pubertatem discedit, & *caput Raynutius, de testam.*
D substitutionem compēdiosam verbis generalibus; de qua in eo est sermo, interpretatur de fideicommissaria pro tempore pubertatis: ergo ex illis duobus capitibus simul sumptis colligitur aperte nostra sententia. Tertium, quoniam *l. Centurio. ff. de vulgar.* compendiosam substitutionem à milite factam interpretatur pro diuersis temporibus ætatis pupillaris & pubertatis de diuersis substitutionibus specie distinctis, nempe de pupillari, & militari, vt supra dictum est: quare absurdum non est, eandem substitutionem compendiosam vero communi factā interpretari pro diuersis temporibus de pupillari & fideicommissaria, prout temporibus ipsis congruit.

Quod si paganus verbis indirectis in hunc modū 28
impuberi substituat; *instituo filium meum hæredem, &*
E *quocunque tempore è vita discesserit, restituat hæreditatē Ioanni*: fatentur omnes, iuxta *l. cohæredi. §. cum filia ff. de vulgari*, esse solum fideicommissariam, tam pro tempore ætatis pupillaris, quam pubertatis, vt referunt ac sequuntur Couar. §. 9. *citato num.* 18. & Anto. Gom. *vbi supra num.* 5. Quin communis Doctorum sententia, quam iidem Doctores referunt & sequuntur, asseuerat non includere vulgarem. Idem supra dictum est, si eisdem verbis filio impuberi substitutio fit facta à milite.

SVMMARIVM.

1 *Quid differat fideicommissum particulare à legato profesſe sumpto.*

2 *Legati definitio.*

3 *Quid*

3 *Quid, si in testamento alicui relinquatur legatum, & A*
postea legator ipse rem legatam tradat legatario. 2.

LEGATVM ET FIDEICOMMISsum particulare, quid sit.

DISPVTAT. *193.*

EGimus hactenus de hæreditatibus, hæredibusque, tam primariis, quam secũdariis. Nunc dicendum est de legatis, & fideicommissis particularibus: quæ tum in testamentis, ranquam partes eorum integrantes minus præcipuæ, tum etiam in codicillis, vt disp. 124. dictum est, fieri possunt.

Iam hodie fideicommissum particulare solum in hoc à legato presse sumpto differt, quod quando verba testatoris dirigũtur ad legatarium, vt si dicat: B lego aut relinquo Petro hoc vel illud, dicitur legatum: quando vero testator dirigit ea verba ad hæredem, aut hæredes, vel etiam ad legatariũ, quibus rogat aut præcipit, vt hoc, vel illud dent Petro, aut cuiuis alteri dicitur particulare fideicommissum. In effectu autem legatum & fideicommissum particulare omnino æquantur, sublataq; est inter vtrumq; omnis differentia, vt habetur § *sed non vsque instit. de legatis, l. 1. ff. de legatis* 1. & aliis ipsibus. Quare quæ de legatis dicenda sunt, similiter de fideicommissis particularibus sunt intelligenda, quæ nomine legatorum deinceps comprehendemus.

2 *Legati definitio.*

Legatum interdum sumitur pro legandi actu: C interdum vero pro materia, & re qua legatur. Sumptum in priori significatione in hunc modum *inst. de leg. §. 1. & l. legatum, ff. de legatis* 2. definitur. *Est donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præstanda.* Intellige, mediate vel immediate, vt comprehendatur fideicommissum particulare, quod legatarius grauatur alicui alteri dare. Porro in hac definitione donatio sumitur late, pro omni gratuita datione, siue inter viuos siue per vltimam voluntatem. Per particulam, *ab hærede præstanda*, reiicitur gratuita hæredis institutio: hæres enim non accipit ab alio hærede, sed immediate à testatore. Per eandem particulam, iuncta illa alia præcedente, *à defuncto relicta*, distinguitur legatum à donatione inter viuos, quæ in vita donantis fit, firmaq; & rata eo ipso habetur: itemque à donatione causa mortis, quæ non ab hærede, sed viuente testatore præstatur, tametsi ante testatoris mortem non confirmetur. Possumus etiam sic definire legatum. *Est vltima voluntas, qua liberaliter defunctus rem particularem, hoc est, id quod rationem hæreditatis non habet* (vt fideicommissum vniuersale excludatur) *alicui ab hærede præstandum reliquit.* Dicitur liberaliter, quoniam si solum ad exonerandam conscientiam relinquatur, non est proprie legatum, sed est præceptum, vt soluatur debitum.

3 Quod si in testamento aut codicillo alicui relinquatur legatum, & postea testator ipse rem legatam tradat legatario, ait Anton. Gom. 1. *tom. variar. resol. c. 12. n. 4.* si testator simpliciter rem illam tradat, non exprimendo se ex causa præcedentis legati eam tradere, transire in donationem inter viuos, nec posse E deinceps reuocari: si vero exprimat, aut intelligatur eam tradere tanquam præcedens legatum, ait cum quibusdam aliis quos citat, transire quidem dominium in accipientem, sed retinere adhuc naturam legati, posseq; testatorem illud reuocare. Existimo tamen potius transire in donationem causa mortis, neq; retinere naturam legati, cum viuente testatore transierit dominium in accipientem, neque res illa sit iam præstanda ab hærede ex testamento aut ab intestato, quæ sane aliena sunt à natura legati, vt ex definitionibus traditis constat. Quod autem reuocari possit interim dum testator viuit, commune est donationibus causa mortis cum legatis.

SVMMARIVM.

1 *Dominium rei legatæ, & incrementum & fructus illius quando ad legatarium spectent.*
2 *Fructus, qui ex eiusmodi rebus à testatore ante ipsius mortem post testamentum conditum percepti sunt, cui cedant?*
3 *Quid, si fructus eiusmodi sint, vt rei legatæ accrescant, vnumque cum illa efficiant.*
4 *Legato grege quod legatum censeatur,*
5 *Legatum peculium viuente testatore accrescens, cuius sit incrementum.*
6 *Quid, si fundus legatus sit, & alluuione, vel alia ratione ei aliquod accrescat.*
7 *Quid, si quis rem legatam, aut partem illius alienauit.*
8 *Legato fundo aut area, si in eis testator plantet vineam aut aliud, vel domum ædificet, ea omnia cedunt legatario: sicut si quid in re legata destruat, legatario perit.*
9 *Legata domo si exuratur, aut aliter pereat, debetur legatario area, si paulatim destruatur à testatore, domus debetur, si post exustionem à testatore ædificetur, nihil debetur.*
10 *Quid, quando res testatoris certa & determinata in individuo legata est, eaque post mortem testatoris, nec dolo, nec leui culpa hæredis interueniente, perit.*
11 *Quid, si res eodem pacto legata pereat viuente adhuc testatore.*
12 *Quid, quando res propria testatoris determinata in individuo in diem certum legata est.*
13 *Quid, quando res legata non est propria testatoris, aut non est certa & determinata in individuo, sed in specie aut genere, vel est quota bonorum defuncti.*
14 *Cuius sit rem legatam indeterminatam in individuo soluere.*
15 *Quando legatũ transiuit in legatarium, quid legatario concedatur.*
16 *Legatarius propria auctoritate rem sibi legatam occupans aut partem, quam pœnam incurrat.*
17 *Quid, si testatoris facultate id efficiat.*

D *DOMINIVM REI LEGATÆ, INCREmentum, & fructus illius, quando ad legatarium pertineant: cur item pereat, & an legatarius possit propria autoritate eam vsurpare.*

DISPVTATIO *194.*

QVoniam, quando res ipsius testatoris certa & 1
determinata in singulari legata est pure, hoc est, non sub conditione pendente in futurum, neque vt tradatur in diem aliquem futurum dominium illius à morte testatoris censetur transisse in legatarium, eo ipso, quod per hæredem adita est hæreditas, vt disp. 3. & 181. ostensum est: inde efficitur, vt legatario debeatur cũ fructibus omnibus, quos tempore mortis testatoris in se habebat, & cum cæteris, qui ex illa postea percepti sunt. Ratio est, quoniam fructus dominium, rei, cuius sunt fructus, comitantur. Sententiam hanc, præter rationem redditam, suadent *l. à Titio, ff. de furtis, iuxta glos. vlt. ibi. & l. si tibi homo, § cum seruus, iuncta glos. ibi in verb. aditæ hæreditatis, ff. de leg. 1.* & affirmat *glos. l. quod seruus, ff. de leg. 2. glo. instit. de legatis, § si peculium*, Bart. & DD. quos refert ac sequitur Ant. Gom. 1. *tom. var. resol. c. 12. n. 5. & 22.* Contrarium tamẽ affirmant *glos. in l. Hærennius. 1. ff. de vsuris, glos. in l. vlt. C. de vsuris, & fructibus legatorum*, & communior Doctorum sententia, innuuntque *l. nihil, § vlt. ff. de legat. 1. l. quod seruus, ff. de legat. 2.* & alia iura, nisi velis exponere, vt exponunt priores

gloſſæ citatæ, nempe quod intelligantur, re ipſa, ſecu autem iuris fictione, ſecundum quam, quemadmodum dominium rei legatæ cenſetur tranſiſſe in legatarium à morte teſtatoris: ita fructus eiuſdem rei, qui dominium committantur, ab eodem mortis puncto iuris fictione ad eundem pertinere cenſeantur legatarium. Communiorẽ ſententiam definire etiam videtur *l.37. tit.9. par.6.* Idque affirmat Gregorius Lopez *ibid.* tametſi poſtea controuertat, num in eo Regno poſt *l.1. tit.2. lib.5 Ordinat.* quæ eſt *l.1. tit.2. lib.5. nouæ collect.* eiuſmodi fructus pertineant ad legatarium à morte teſtatoris, eo quod in eo Regno poſt eam legem neceſſe non ſit hæredem, ſiue is ex teſtamento ſit, ſiue ab inteſtato, adire hæreditatem, vel legata ſint valida vt de iure communi eſt neceſſe, eratque in Regno Caſtellæ tempore illius *lege 37. citatæ*, relinquitq; Gregor. id aliis definiendum. Qui communiorem opinionem voluerit amplecti, dicere nihilominus debet, quando hæres fuit in mora adeundi hæreditatẽ, fructus deberi à tempore talis moræ. Item quando teſtator ſeminauit agrum, quem legauit, fructus ſeminũ pertinere vna cum agro ad legatarium. Has, & quaſdam alias limitationes cum Alexandro, & aliis, adhibet Greg. Lopez communiori opinioni. Qui vero Bart. opinionem veram exiſtimauerit, quæ nobis rationi ac iuris principiis conſonantior videtur, excipere debet caſus, in quibus dictum in calce diſp. 181. eſt, dominium legati, nõ à puncto mortis teſtatoris, ſed à puncto adiræ hæreditatis tranſire in legatarium: cum enim fructus dominium comitentur, vtiq; qui medio tempore fuerunt percepti, non ad legatariũ, ſed ad hæreditatem, atque adeo ratione hæreditatis ad hæredem pertinebunt.

Ius Caſtel.

2 Fructus, qui ex eiuſmodi rebus à teſtatore miniſtris ve illius ante ipſius mortem poſt teſtamentum conditum fuerint percepti, hæreditati, atque adeo hæredi cedunt. Excipitur, quando contrarium de teſtatoris mente cõſtat, vt ſi rem legauit cum omnibus fructibus & emolumentis illius. Ita probat *l. Lucius 1. initio* Glo. *ibi in verb. commodis, ff. de leg. 2.* & affirmant Bart. & alij, quos Ant. Gom. *num.5. cit.* refert ac ſequitur.

3 Excipitur præterea, niſi fructus eiuſmodi ſint, vt rei legatæ accreſcant, vtrumque cum illa efficiant: tunc enim, etiamſi poſt teſtamentum conditum, & ante mortem teſtatoris oriantur, ſi tamẽ à re legata non ſeparẽtur, ſed vnum quid cum ea efficiant, pertinent ad legatarium: vt ſi grex alicui legatur, capita, quæ viuente teſtatore naſcuntur, & à grege non ſeparantur, pertinent ad legatarium, & non ad hæredem. Quin vniuerſim ſi legato aliquid viuente teſtatore accreſcat, etiamſi nõ ſit fructus legati, pertinet ad legatarium: ſicut è contrario, ſi aliquid decreſcat, perit legatario, neque tenetur hæres ſoluere illi æſtimationem: vt ſi grex legetur alicui, eumque augeat teſtator emendo noua pecora, aut alia ratione, incrementum pertinet ad legatarium: ſicut ſi vẽdat, doneť, aut occidat partem gregis, vel caſu fortuito pereat tanta pars, vt vnum, aut alterum tantum pecus maneat, nec gregis iam rationẽ retineat, totum detrimentum ſpectat ad legatarium, ſolumque illi eſt tradendum, quod per mortẽ teſtatoris, aut adita hæreditate ſuperfuerit. Ita habetur *§. ſi grex, inſtit. de legatis, l. grege, & l. ſi grege, ff. de legat. 1. l. æquè, ff. de vſuris.*

4 Quod ſi teſtator gregẽ ſuum leget, in quo aliquod, aut aliqua ſint pecora aliena, non cenſetur legaſſe pecora aliena permixta, ſed ſola ſua pecora. Ita cum aliis, quos refert, probat ſufficienter Anton. Gom. *1. tom. variarum reſol. cap.12. num.22.*

5 Similiter ſi peculium aliquod legetur, & illud viuente teſtatore accreſcat, aut decreſcat. incrementum, aut decrementum pertinet ad legatarium, *§. ſi peculium, inſtitut. de legat. l. peculium, in princ. ff. de leg.2. l. denique, §. vlt. ff. de peculio legato.* Eodem modo, ſi familia ſeruorum legetur, vel vniuerſa vel ſeruorum vrbanorum, aut ruſticorum, ſi quid illi accreſcat, aut decreſcat, commodum aut detrimentum cedit legatario, *l. peculium, in princ. citat.* Qui autem nomine ſeruorum ruſticorum, & vrbanorum ſint intelligendi, habetur *l. ſeruis vrbanis, ff. de legat. 3.* Et quod ſeruorum nomine: maſculi, & fœminæ intelligantur: nomine vero ancillarum, ſolæ fœminæ, habetur *l. ſeruis legatis ff. eodem tit.*

Item ſi fundus legatus ſit, & vel alluuione, vel alia 6
ratione ei aliquid accreſcat, vt quia teſtator partem proximam emit, illiq; eam adiecit, vel ex proximo ſuo prædio illũ auxit, ita quod rẽ, quam adiecit, non poſſedit tanquã prædium à præcedente diſtinctum, incrementum poſt teſtatoris mortem pertinet ad legatarium: ſicut & decrementum eiſdem modis teſtatore viuente factum, legatarij damno accideret. Idem eſt, ſi domui legatæ columnas marmoreas, aut partem aliam augeret: vel ſi ſtatuæ legatæ brachium adderet argenteum, vel quidvis aliud, quod ſtatuæ eſſet inſertum, aut aliquid ab ea detraheret, & ita de cæteris rebus legatis, *l. ſi ex toto, in princ. & l. quod in rerum §. ſi quis poſt, ff. de legat. 1. l. cum fundo, ff. de legat. 2. l. ſi ſtatuam ff. de auro & argento legato, § adibus, inſtit. de leg. l.37. tit.9. p.7. Couar. de pract. quæſt. c.2.* longam texit diſputationem, quando fundus aliquis à pluribus pro indiuiſo poſſidebatur, vtrum ſi tunc vnus leget fundum illum, aut partem pro indiuiſo, quæ ad ipſum ſpectabat, & poſtea vel toti fundo aliquid accreſcat, vel vnus pro indiuiſo poſſidentium emat ab alio partem illius, incrementum illud pertineat ad legatarium. Couar. legito.

Si tamen quis rem legatam, aut partem illius, a- 7
lienauerit, tunc ſi donatione mere liberali, hoc eſt, nulla vrgente neceſſitate, id efficeret, ademiſſe, ſeu reuocaſſe cenſetur legatum quoad id, quod ita alienatum eſt, niſi legatarius contrariam fuiſſe teſtatoris voluntatem ſufficienter probaret, *l. rem legatam, ff. de adimendis legatis.* Habetq; id verum, etiamſi donatio nulla ſit, vt conſtat *ex l. legatum ſub conditione, §, vlt. ff. de adimen. leg.* & affirmat *gloſ. §. ſi rem ſuam, inſtit. de leg.* Si vero rem legatam, aut partem illius titulo oneroſo alienauit, vt venditione aut permutatione: tunc, ſi nulla neceſſitate impellente id effecit, cenſetur reuocaſſe legatum, niſi legatarius contrarium probet. Ita colligitur *ex l. fideicommiſſa quocunque §. ſi rem, ff. de leg. 3. ex l. ſi rem legatam, ff. de adimen. legat.* & affirmant gloſ. *1. §. ſi rem ſuam, inſtit. de legatis, & glo. l. qui poſt, verb. dedit, C. de legatis.* Porro in iis euentibus, in quibus donationeve l contractu oneroſo ademptum cenſetur legatum, etiamſi teſtator rem, quam ita alienauit, poſtea emat, aut alia ratione dominium illius acquirat, non reuiuiſcit legatum. Ita habetur *l. cum ſeruus, ff. de adimendis leg. & l. qui res, §. arcam, ff. de ſolutionibus.* Quando autem teſtator neceſſitate compulſus rem legatam, aut partem illius vendidit, aut alia ratione alienauit. vt quia niſi venderet, res erat peritura, aut quia neceſſe tunc id erat ad prouidendum familiæ, vel alia ratione, non cenſetur reuocaſſe legatum, niſi id hæredes ſufficienter probent. Idemque eſt, ſi neceſſitate compulſus, ſiue ſecus, rem legatam pignori, aut hypothecæ ſubiecit. Ita habetur *l. fideicommiſſa, § ſi rem, ff. de leg. 3. l. ſi rem legatam, ff. de adimendis leg. §. ſi rem ſuam, inſtit. de leg. & l. qui poſt, C. de leg. atque iuxta hæc intelligenda eſt l. ſi ex toto, in princ. ff. de leg. 2.*

Iuxta hactenus dicta, ſi quis alicui leget fundum, 8
& poſtea in eo plantet vineam, oliuetum, aut aliquid aliud, cedunt plantæ legatario, *l.37. tit.9. part.6.* Eodem modo, ſi vineam aut oliuetum leget, & poſtea plantas deſtruat, plantæ pereunt legatario. Si quis item leget & aream, & poſtea in ea ædificet domum, ea domus, tanquam incrementum in area factum, pertinet ad legatarium, niſi de contraria voluntate teſtatoris conſtet *l. ſeruum filij, §. ſi areæ, ff. de leg. 1.*

*leg.*1. Si tamen area esset aliena, &, iuxta ea quæ in sequentibus dicenda sunt, legata esset, atq; à domino areæ esset domus in ea ædificata, non vero à testatore, tunc talis domus non pertineret ad legatarium, sed solum areæ prerium soluendum illi esset ab hæredibus testatoris. Si tamen postea destrueretur domus, in eo sensu deberetur legatario area, quod hæredes tenerentur eam emere, atq; illi dare, alioquin tenerentur dare pretium, iuxta ea, quæ in sequentibus dicenda sunt. Ita cum Bart. & aliis Ant. Gom. 1. *tom. variar. resol. c.* 12. *n.* 16. intelligit *l. si chorus, §. area legata, ff. de legatis* 3. quæ alioquin priori definitioni repugnaret. Consentit cum hac expositione *l. qui res, §. aream, ff. de solutionib.* vbi hoc ipsum definitur, quando alicui promissa est area aliena, & dominus illius domum in ea ædificauit.

9 Quando domus legata fuit, viuenteque testatore fuit exusta, aut quauis alia ratione destructa, area debetur legatario, *l. si grege, in fin. ff. de leg.* 1. Si tamen domus, quæ legata fuit, paulatim à testatore fuit refecta, etiamsi nihil prorsus materiei antiquæ domus remaneat, domus debetur legatario, quia per refectionis continuationem semper fuit eadem numero domus. Ita habetur *l. si ita, §. si domus, ff. de legat.* 1. consentit *l. qui res, §. aream, ff. de solutionib.* Vbi habetur, *quod si quis promisit aream alienam, & dominus eam eo animo dissoluat, vt iterum ex eisdem tabulis eam construat, tenetur, qui illam promisit, eam iterum construtam emere, & tradere illi, qui eam promisit: secus autem, si dominus alio consilio illam dissipasset, & postea mutato consilio, ex eisdem tabulis eandem construeret: quoniam eo ipso, quod animo eam iterum non construendi destructa fuit, extincta fuit obligatio, quæ iterum non consurgit. Quod si quis domum legauit, exustaque aut destructa fuit omnino, & postea testator aliam domum in eadem area construxit, censetur omnino extinctum primum legatum, ita vt neque domus de nouo extructa, neque area ab hæredibus testatoris debeatur legatario, nisi de contraria testatoris voluntate, aliunde constet.* Ita habetur §. *si domus, citato*, & consentit in his omnibus Anton. Gom. 1. *tomo variarum resol. cap.* 12. *num.* 41.

10 Cum hactenus dictis coniunctum est, dicamus, si res testatoris certa & determinata in individuo legata sit, eaq; post mortem testatoris (impleta iam conditione, si sub conditione relicta fuit) neque dolo, neque lata, neque leui culpa hæredis interueniente, pereat, tunc perire legatario: sed ad eum pertinere, quæ remanent ex tali re: vt, si sit bos, pertinere corium & carnes illius. Ratio est, quoniam ab eo puncto res illa cœpit esse legatarij: res autem domino perit: sed consequitur dominium eorum, quæ ex illa permanent, esto alterius rationis atq; speciei: sint ac fuerint, dum erant in re legata, iuxta *l. solum, §. meum est, ff. de rei vendic.* cuius hæc sunt verba: *Meum est, quod ex re mea superest, cuius vendicandi ius habeo: & l. si seruus furtiuus, §. bouc, ff. de conductione furtiua.* Dixi, *neque interueniente dolo, neq; lata, neq; leui culpa hæredis*: quoniã cum hæres adita hæreditate soluere teneatur legata ex onere sibi à testatore iniuncto, contractusq; aut quasi cõtractus ille cedat simul in commodum hæredis, qui hæreditatis commodum reportat, & legatarij, vtiq;, iuxta communem regulam, tenetur de culpa leui, non vero de leuissima, vt in materia de contractibus videbimus: atque hoc est, quod in re proposita definiunt *l. non amplius, §. 1. & l. cum res, §. itaque si Stichus, & §. culpa autem, iuncta* 1. *solut. Glossæ ibi verb. dilig. ff. de leg.* 1. & apertius *l. si seruus legatus, §. cum quod, eod. tit.* vbi additur, *quod si alicui legetur cum onere, vt id alteri restituat, ita quod nullum cõmodum reportet ex testamẽto, solũ tenetur de dolo, atq; adeo de lata culpa, quæ dolo æquiparatur: non vero de culpa*, leui scil.

11 Si vero res eodem pacto legata pereat viuẽte adhuc testatore, tunc licet similiter pereat legatario: si tamen partes illius maneant, sintq; eiusdem rationis cum ipsismet, dum erant in suo toto (cuiusmodi sunt area, & quæ remanent destructa domo, vt parietes, qui erecti manserunt, & lapides ac ligna partium, quæ corruerunt) debentur legatario tanquam res, quæ in ipso toto illi erant legatæ, vt ex se est manifestum, & confirmant iura, quibus supra ostendimus, aream deberi legatario, quando de contraria voluntate testatoris non constat. At vero, si, quod remanet ex re legata, non est eiusdem rationis, atq; erat in toto, vt cadauer animalis legati, & partes illius, propter distinctam formam substantialẽ, quæ, expulsa anima sensitiua, de nouo illis aduenit: tunc, quod ita remansit, non debetur legatario, neq; partes illius: Ratio est, quoniam totum legatum cum omnibus partibus illud integrantibus perit, antequã legatarius dominium illius consequeretur. Ita habetur expresse *l. mortuo bouc, in princ. ff. de legat.* 2. affirmantq; hæc omnia glossa ibi Bart. & alij Doctores, quos Anton. Gom. 1. *tomo variarum resolut. c.* 12. *num.* 16. *&* 41. refert ac sequitur.

12 Vt ad fructus rei legatæ redeamus, quando res propria testatoris determinata in individuo in diẽ certum legata est, tũc si dies in gratiam hæredis fuit appositus, fructus medij temporis pertinent ad hæredem; quia ea præsumitur fuisse voluntas testatoris: si vero fuit appositus in gratiam solius legatarij, quia puer erat, ne legatum consummaret, pertinẽt ad legatariũ, iuxta *l. si ita relictum, §. Pegasus, ff. de leg.* 2. *& l. in fideicommissi, §. cum Pollidius, ff. de vsuris* affirmantq; glos. *l. ex his verbis, ff. quando dies legati cedat, Syla. verb. legatum primum, num* 6. & Doctores communiter, consentiuntque similiter ea, quæ de fideicommissis disput. 187. & 188. dicta sunt. Obserua tamen, cum dominium eiusmodi legati, eo quod conditionale non sit, à tempore aditæ hæreditatis, aut mortis testatoris in vtroque euentu ad legatarium pertineat, eaque ratione in vtroque euentu ad hæredem legatarij transmittatur, vt disput. 181. concluserimus, esse tum est: sane si post testatoris mortem in vtrouis euentu pereat, peribit legatario: ea tamen, quæ ex illo remanserint, ad eundem legatarium pertinebunt, iuxta ea, quæ de aliis legatis rei in singulari determinatæ proxime dicta sunt.

13 Quando res legata non est propria testatoris, aut non est certa, & determinata in individuo, sed in specie aut genere, vel est quota bonorum defuncti, tunc solum debentur fructus illius legatario à tempore, quo hæres est in mora illa tradendi. Ratio est, quoniam, vt disp. 3. & 181. dictum est, tempore antecedente dominium talis legati non pertinebat ad legatarium, sed ad hæredem, aut hæredes, neq; vsq; ad illud tempus culpam commiserunt, vllamve iniuriam legatario fecerunt, legatum ei non tradẽdo, vt ratione iniuriæ ad restitutionem fructuum tenerentur: ergo fructus illius temporis non pertinent ad legatarium, sed ad hæredes, *l. si quis bonorum, ff. de leg.* 1. *Consentit l. vlt. C. de vsuris & fructibus legatorum*, & affirmant Bart. & alij, quos Anton. Gom. 1. *tomo var. resol. c.* 12. *num.* 22. refert ac sequitur. Quod si res propria testatoris, & determinata in singulari sub conditione legetur, non debentur fructus, nisi à puncto conditionis impletæ: quoniam ante illud punctum non transit dominium rei illius in legatarium, esto hæreditas fit adita. Caute dixi supra, vel est quota bonorum defuncti: quoniam si legatum fit quotæ hęreditatis, talis legatarius nihil differt ab hęrede, vt disp. 204. dicetur, vbi iterum sermo redibit de legato quotę bonorum defuncti.

14 Soluere rem legatã indeterminatã in individuo, pertinet ad hęredes pro rata portionum, in quibus fuerint instituti, nisi aliud ex verbis testatoris colligatur. Quo fit, vt si eorũ aliquis impotens ad soluendum reddatur, cæteri non teneãtur soluere portionem illius. Ita habetur *l. legatorum, ff. de legatis* 2. & affirmant Bartolus & Doctores communiter, quos refert

refert ac sequitur Anton. Gom. 1. *tomo variarum resol. cap. 12. cit. num. 17.*

15 Quando dominium legati, iuxta hactenus dicta, transiuit in legatarium, conceditur legatario, non solum actio personalis ad illud exigendum, & hypothecaria in bona omnia, quæ fuerunt testatoris, vt ex eis soluatur, ad quascunq; manus ea bona deuenerint, sed etiam rei vendicatio, *l. 1 C. communia, de legatis, iuncta glossa ibi in verbo personalem, institut. de legat. §. nostra autem, iuncta etiam glossa ibidem, verb. per in rem.* Quando vero dominium transit in legatarium, solum duæ priores conceduntur, vt ex duobus iuribus citatis, & aliis constat, affirmatq; communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Couarruuias *cap.* Raynutius, *de testam. §. 10. num. 2.* & Anton. Gomez. 1. *tomo variarum resol. cap. 12. num. 7.*

16 Si legatarius propria auctoritate occupet rem sibi legatam, aut partē illius, incidit in pœnam amittendi hæreditd, quod ita acceperit, esto nulla interueniat vis, *l. non est dubium, C. de leg.* Anton. Gom. 1. *tomo variarum resolut. cap. 12. num. 10.* arbitratur hoc habere locum, si occupetur post hæreditatem per hæredem aditam: si namque ante aditam vsurpetur, solum putat habere locum interdictum, Quorum legatorum: nempe vt cogatur illā reddere, vt postea eandem ab hærede petat, iuxta *l. 1. §. redigantur, ff. Quorum legatorū*: quæ fuit sententia Azonis, vt Glossa *in prima solutione ibidem* refert. Credo tamen legem, non est dubium, vim etiam habere, esto hæreditas non fit adita: eo quod vniuersim sine vlla restrictione loquatur, sicut etiam interdictum illud vniuersim sine restrictione, quod nondum adita esset hæreditas, loquebatur, tenebaturq; tunc, qui post hæreditatem aditam aliquid vsurpabat, illud restituere, vt ab hærede illud ipsum peteret: quare *l. non est dubium*, pœnam vltra illud interdictum vniuersim addidit, vt gloss. citata, iuxta aliorum sententiam, subiungit.

17 Dictum est, propria auctoritate: quoniam si ex testatoris facultate id efficiat, in nullam incidit pœnam, neque tenetur id hæredi restituere, vt ait Glos. *l. Titia cum testamento, §. Lucius, verb. non sic interpretandam, ff. de leg. 2.* & affirmant Bart. & communis sententia, quam Ant. Gom. 1. *tom. var. resol. c. 12. n. 10.* refert ac sequitur, *argu. text. in l. creditores, iuncta glos. ibi, C. de pignorib. & in l. si ex stipulatione, ff. de acqui. poss.* Habetq; id verum, etiam si ex tacita testatoris voluntate id efficiat. Vnde, quando testamenti executor facultatem habet ad bona defuncti occupanda, iuxta ea, quæ disputatione sequenti dicenda sunt, si legatum à testatore sibi relictum occupet, in nullam incidit pœnam: quoniam sicut testator concessisse illi censetur auctoritatem ad occupandum bona ipsius, vt quoad alia impleat testamentum, ita censetur concessisse, vt vsurpet rem sibi legatam. Ita Ant. Gom. ibid. cum Bald. & aliis, quos citat.

SVMMARIVM.

1 *Legare quis possit.*
2 *Quibus relinqui legata possint.*
3 *Fratres Minores non possunt in cōmuni hæredes instituī.*
4 *Spuriis quousque legetur.*
5 *Si legatarius tempore conditi testamenti incapax legati est, & tempore mortis testatoris capax illius redditur, validum est legatum.*
6 *Legata ante hæreditatem aditam de iure communi non debentur.*
7 *An legata pia debeantur ante aditam hæreditatem.*
8 *Legata à quibus petenda.*
9 *Vbi possint peti.*
10 *Vbi soluenda.*

A *LEGARE QVIS, ET CVI POSSIT, Quæ legata communitati facta censeantur, Quando legata debeantur, & à quo atq; vbi peti possint.*

DISPVTATIO 195.

LEgare solus is, & omnis potest, qui potest testari, *l. 2. ff. de legat. 1. l. 1. tit. 9. p. 6.* & affirmat communis Doctorum sententia. Etenim legata testamento, aut codicillo relinqui possunt: is autem omnis, & solus codicillum facere potest, qui potest testari, vt constat *ex l. diuus, §. codicillos, ff. de iure codicillorum, & ex l. 1. in princ. ff. de leg. 3.* Quis autem testari possit, aut non possit, dictum est à disp. 136. 1

Legata ijs omnibus, & solis possunt relinqui, qui 2
B hæredes instituī possunt, *§. legari, instit. de leg. l. 1. tit. 9. part. 6.* qui autem hæredes instituī possint, disp. 154. dictum est. Sicut autem ibi ostensum est, communitates, vt Ecclesias, conuentus, ciuitates, vicos, & collegia hæredes instituī posse, sic etiam legata eisdem possunt relinqui. Quin si aliquid in publicam vtilitatem ciuitatis, oppidi, &c. relictum sit, vt in cibos pauperum talis ciuitatis, ad erudiendos pueros, ad maritandas orphanas, pro monasterio, vel hospitali in eo construendo, aut pro alia causa publica, comperit tali communitati actio personalis, vel etiā realis, vt id in ipsius publicam vtilitatem executioni mandetur: in defectum tamen eorum, quibus cura executionem curandi peculiariter à testatore iuncta sit, aut eorum, in quorū peculiare commodum legatum relictum sit, verbi gratia, si legatum contineat, vt religiosis talis ordinis construatur in ciuitate monasterium: primum comperit ea actio religiosis illis, & in eorum defectum, aut simul etiam cum illis ciuitati, quatenus in vtrorumq; commodum, & bonum tale legatum est relictum. Ita colligitur aperte *ex l. si quid relictum, & l. ciuitatibus, in prin. ff. de leg. 1.* facit etiam *textus in l. si quis à filio, §. vlt. & in l. si hæres, 1. §. vlt. ff. eodem tit.* Idem probant multa alia iura, quæ Ant. Gom. 1. *tomo var. resol. c. 12. num. 6.* citat, & affirmant Bart. & communis Doctorum sententia, quam refert ac sequitur.

A regula proposita excipiuntur fratres Minores, 3
qui neque in communi possunt hæredes instituī, iuxta ipsorum regulam: eo quod neque in communi sint dominij rei alicuius capaces, vt habetur *Clem.*
D *exiui de paradiso, §. cupientes, de verb. signif.* Eorum tamen communitatibus possunt legata in eleemosynas relinqui, dummodo non sint in tanta quantitate, vt videatur factum in fraudem, quasi sub legati forma videatur hæreditas eis relinqui, vt in eadem Clem. & §. subiungitur. Domibus autem nostris professis, quæ dominij bonorum mobiliū capaces sunt, non solum legata, sed etiam hæreditas à Christi fidelibus in eleemosynam relinqui potest: bona tamen immobilia, quorum dominium eædem domus habere non possunt, vendi debent cum primum id fieri potuerit, vt ex pretio congrua sustentatio capiatur.

E Spuriis, qui hæredes esse non possunt, quamuis 4
aliquid, in alimenta competentia, possit à parentib. legari: id tamen non tam est legatum, quam alimenta ipsis ex bonis parentum debita, & æs alienum parentum. Vnde, si legatum competentia alimēta excedat, aut spurius aliunde habeat, vnde competēter sustentetur, in exteriori & in conscientiæ foro est inualidum quoad excessum. Ita Grammat. *decis. 143. n. 5.* Est igitur regula à nobis proposita, iuribusq; confirmata, regulariter intelligenda, vt Syluest. *verb. legatum secundo, §. secundo*, rectè adnotauit.

Si legatarius tempore conditi testamenti aut co- 5
dicilli incapax legati fit, & tempore mortis testatoris capax illius reddatur, validum est tale legatum, *l. seruus eius ff. de acquirend. hæred. iuncta l. si mihi & tibi, §. regula.*

regula, ff. de reg. 1. l. si cognatis. ff. de reb. dub. & l. 1. tit. 9. par. 6. & aliis iuribus, quæ *ibi. Gloss. vlt. Greg. Lop.* citat.

6 *Ius commune.* Legata de iure communi, nisi pia sint, adeo non debentur ante aditam hæreditatem, vt si testamẽto relicta sint, & hæredes in eo statuti eam non adeant, aut saltem aliquis eorum, nulla reddãtur, esto postea hæredes ab intestato eandem adeant, vt disputat. 181. dictum est. Excipiuntur tamẽ nonnulli euentus ibidem commemorati, in quibus debẽtur adita per hæredes ab intestato. Ratio autem cur ius statuerit, vt legata antè hæreditatem aditam non deberẽtur, fuit: quoniam hęreditas, dum est iacens, repræsentat defunctum, qui legata nõ debet, neq; interim est persona, à qua peti possint, & aduersus quam ea de re agi possit in iudicio: hæres autem, dum hæreditatẽ adit, quasi contrahere censetur cum creditoribus & legatariis defuncti se astringendo ad onera hæreditatis subeunda, *l. apud Iulianum, § si pupillus, ff. quibus ex causis in possessionem eatur*, & *§. hæres, instit. de oblig. quæ ex quasi contract.* Vt tamen ead. disput. dictũ est, in Regno Castel. *l. 1. tit. 2. lib. 5. Ordin. quæ est l. 1 tit. 4. lib. 5. nouæ collect.* statutum est, vt legata debeantur, esto neque hæredes ab intestato hæreditatem velint adire. Priustamen admonendi erunt hæredes, tam ex testamento, quam ab intestato, vt hæreditatẽ adeant: quod si in mora fuerint, dandus à iudice erit curator bonis defuncti, & tunc legatarij petent legata, creditoresq; alij debita sua, competetq; legatarijs, nõ solum personalis actio, sed & hypothecaria, atque rei vendicatio, non secus ac si hæredes adiissent hæreditatem, vt Anton. Gom. 1. *tomo variarum resolut. c. 12. num. 11.* sufficienter probat.

Ius Castel.

7 Anton. à Gama *decis. 248.* contra id, quod cum Couar. Bart. Panorm. & aliis disput. 181. diximus, affirmat, legata pia *non deberi ante* aditam hæreditatem. Ait namque hoc communius esse receptum, refertq; in causa, in qua duo coniuges se mutuo constituerant vsufructuarios, statuerantq;, vt post mortẽ vltimi cõfraternitas misericordiæ per quinquennium frueretur eis bonis, cum orta fuisset controuersia, an quinquennium illud computandum esset à morte vltimi coniugis, an potius ab hæreditate adita per hæredes talis vltimi coniugis, & non solum iudex primæ instantiæ pronunciasset computãdum esse à morte vltimi coniugis, sed etiam in secunda instantia Senatores causarum ciuilium, eandẽ sententiam confirmassent, ipsum tamen cum quibusdam aliis ex supremis Senatoribus, tametsi aliis eiusdem ordinis refragantibus, contrariam sententiam pronunciasse, nempe computandum esse ab hæreditate adita, & non à morte vltimi coniugis, eo quod communior sententia sit, neque legata pia deberi ante aditam hæreditatem. Hoc tamen non obstante, potius cum Bart. & aliis sentirem: non solum quoniam Carolus Molinæus & alij, quos Couar. refert, Bart. opinionem censent communius esse receptam, & in hoc Lusitaniæ Regno Bart. opinionibus, quãdo communiter nõ reprobantur, & neq; cõsuetudo, neq; textus expressus, neque Accursij Glossa sunt in contrarium, est standum in iudicando, sed etiam quoniam in legatis piis standum non est dispositionibus iuris ciuilis, sed solum naturali iuri, vt disputatione 134. & alias sæpe ostensum est: attento autem solo iure naturali nullus dixerit, legatum illud pium in eo euentu non deberi à morte vltimi testatoris, præsertim cum verba quibus relictum fuit, aperte significent eam fuisse voluntatem testatoris. Adde, quemadmodum quando legata fuit res propria testatoris determinata in singulari, dominium illius fictione iuris censetur transiisse in legatarium à morte testatoris, eaq; ratione disputatione præcedẽte dictũ est, fructus illius à morte testatoris pertinere ad legatarium: ita cum in re proposita vsusfructus certus in singulari bonorum omnium illorum defunctorum sit relictus, vtique adita hæreditate vsusfructus ipse, & non solum ius ad illum, censetur acquisitus confraternitati illi à morte testatoris vltimi, atque adeo fructus ex eis bonis à morte testatoris percepti, illorumve æstimatio, confraternitati illi debetur. Legata ab hæredibus peti debent, ab executoribus aũt, quando sunt constituti vniuersales distributores bonorum omnium *defuncti* in pauperes, aut in alia pia opera: aut quando quis suã animam constituit hæredem, præcipiens vt bona sua per executorem aliquem distribuantur in pia aliqua opera, esto simul statuat legata aliqua profana. Quando autem hæres aliquis esset constitutus, relictusq; simul esset aliquis alius, qui executor esset quorundam legatorũ, is petere teneretur ab hærede bona vnde legata impleret, & ad illum cogere: propria autem auctoritate non posset quicquam accipere, nisi peculiariter ad id facta esset potestas per testatorem. Habent vero hæc omnia locum, non solum quando à testatore constitutum executori est aliquod præmium, sed etiam quando sine præmio executor munus acceptauit. Dato etiam curatore per iudicẽ bonis defuncti, quando mora hæredum, aut legitima alia causa id postularet, peti possent legata, ministerio talis curatoris iudicisq; auctoritate soluenda. In his conuenire fere videtur Ant. Gom. 1. *tomo variar. resolut. cap 12. num. 12. argum text. in l. si à pluribus, ff. de leg. 1. in l. alio, ff. de alimen. & cib. leg.* atque aliorum iurium, quæ citat.

8 *Legata à quo petenda.*

Vltimo dicẽdum est, vbi legatum peti in iudicio possit, & vbi solui debeat. Quod ad primum attinet, vniuersim legatum peti potest, vbi hæreditas, aut maior hæreditatis pars existit, *l. vnica, C. vbi fideicommissum peti possit, l. si fideicommissum. in princ. ff. de iudic.* Item vbi hæres habet domicilium, *l. si fideicommissum, citata, §. penult.* Quando autem legatum fuit res determinata in singulari, tunc, siue actione reali, siue personali agatur, vltra illa duo loca, peti etiam potest vbi talis res existit, *l. quod legatur, ff. de iudiciis, & l. cum res, §. sed si res, ff. de legat. 1.* daturq; optio legatario, vbi ex his locis petere malit; consentiuntque Glossæ his duobus iuribus citatis. Anton. Gom. 1. *tomo variar. resolut. cap. 12. num. vlt.* & Doctores communiter. Non dubito, quando res, esto legata non sit determinata in individuo, præstanda tamen est ex testatoris voluntate in certo loco, vt si testator legauit tot mensuras tritici ex aceruo, quem habebat in certo loco, vel vini ex tali dolio, vel aliunde constat voluntatem testatoris esse, vt legatum soluatur in alio loco, peti etiam posse in loco vbi est soluendum, esto ibi nec sit maior pars hæreditatis, nec testator habeat domicilium: quin expresse id videtur doceri. *l. si fidei commissum. ff. de iudiciis, & consonat. l. sed &, §. si liberti eodem titulo.*

9 *Vbi possit, vbi petat.*

10 *Vbi soluenda.*

Quod ad secundum attinet, quando de testatoris voluntate constat, vbi legatum soluendũ sit, vt quia ex tali horreo, vel ex tali cella vinaria iussit tradi legatario tot mensuras tritici aut vini, ibi est soluendũ *l. quod legatur, §. præterea, ff. de iudiciis, & l. cum res, §. sed si id, ff. de leg. 1.* Idem est, si ex aliqua alia circumstãtia, aut expressiori testatoris voluntate constat, vbi soluendũ sit, *l. sed & si, §. si liberti, ff. de iudic. & l. cum res, §. sed si res ff. de leg. 1.* Quando autem aliter de testatoris voluntate nõ constat, si legetur res testatoris determinata in individuo, quamuis alibi à legatario petatur, ibi tamen soluenda est, vbi illa existit, neq; tenetur hæres illam asportare ac soluere in loco, vbi petitur, etiam si legatarius dicat, se soluturum expẽsas, vt *glo. 3. l. quod legatur, ff. de iudiciis* ait: quemadmodum si legatarius petat, vt soluatur in loco vbi illa existit, non potest hæres excipere, seu opponere, alibi esse maiorem partem hæreditatis, eaq; ratione alibi esse soluendam, *l. quod legatur, & l. sed & si, §. si ea res, ff. de iudic. & l. cum res §. sed si res, iuncta glo. ibi, ff. de leg. 1.* Quod si res ita legata culpa testatoris alibi trãslata sit (quę nomine doli interdũ in iure significatur,

cum

cum tamen latius, quam dolus presse sumptus, pateat) tunc soluere eam tenetur vbi petitur, aut æstimationem illius, vel certe sumptibus hæredis transferenda est, vbi soluenda erat, nisi vel ex mora notabile detrimentum sequatur legatario, vel ex magnitudine sumptuum & difficultate æquitas postularet, vt legatarius contentus esset æstimatione: quæ sane fieri in eo euentu deberet, non solum in mediocri, sed etiam in rigoroso pretio. Idem dicẽdum est. si legata fuit res aliena determinata in singulari, & culpa hæredis, qui, quo tempore debuit, non curauit eam emere, alio translata est. Si autem sine hæredis culpa in vrouis casu res alio est translata, non tenetur illam soluere, nisi vbi illa est: nisi forte legatarius velit, vt suis sumptibus transferatur in locum vbi erat soluenda. Hæc habentur *l. cum res, §. sed si alibi, iuncta glos. in verb. transtulit, & §. itaque si Stichus, ff. de leg. 1. l. quod legatur, in princ. & §. si autem, ff. de iudiciis l. si res, & l. nisi, ff. de rei vendicat. & l. si hæreditas, §. 1. iuncta glos. ibi in verb. plane*: vbi vide, si res restituenda sit mancipium, quis teneatur cibare illud vsque ad locum, in quo est restituendum. Quando autem res legata determinata non est in individuo, solui debet vbi petitur, *l. quod si res, §. præterea, ff. de iudiciis, & l. cum res, §. sed si id, ff. de legat. 1.* Circa hactenus dicta obserua, si hæres soluere alibi incipiat, quam iuxta hactenus dicta tenebatur, aut consentiat se alibi soluturum, tum nihil in contrarium posse deinceps excipere, sed vbi cœpit, aut vbi consensit, tenetur soluere, *l. si fideicommissum, §. vlt. & l. quamuis, ff. de iudicijs.*

A

B

C

D

SVMMARIVM.

1 *Quid, si testator rem hæredis leget.*
2 *Quid, si testator plures instituat hæredes, & rem vnius illorum leget.*
3 *Quod autem hæres soluere teneatur legatum factum de re ipsius hæredis, etiam quando testator credebat rem illam non hæredis, sed suam esse, in qua præsumptione fundetur.*
4 *Quid, quando testator legat rem, quæ neque ipsius, neque hæredis est.*
5 *Nomine propinquorum qui intelliguntur?*
6 *Legata libertate alicui, validum est legatum fauore libertatis.*
7 *Vtrum, quæ hactenus circa solutionem legati à testatore de re aliena relicti iuxta ius ciuile dicta sunt, consentiant cum iure canonico & lege Dei.*
8 *Deciditur dubium.*
9 *Quid, quando testator legat rem aliquam, in qua solum habet partem dominij, aut ius aliquod.*
10 *Testator legans alicui simpliciter rem hæredis, in qua testator partem dominij, aut directum dominium habet, censetur rem totam legare, secus si leget rem, in qua hæres seruitutem aliam habet.*
11 *Refertur Authoris sententia.*

LEGATVM DE RE HÆREDIS, aut alterius, aut in qua testator non habet plenum ius, vel quæ possideri non potest à legatario, quousque valeat.

DISPVTATIO 196.

1 SI testator leget rem hæredis, siue ignoret suam aut hæredis esse, siue non, validum est tale legatum, teneturque hæres eam rem legatario soluere: non tamen transit dominium in legatarium ante traditionem, vt disputatione 194. dictum est. Ita habetur *l. vnum ex familia, §. si rem, ff. de legat. 2. l. si quis inquilinos, §. 1. ff. de legat. 3. l. hæres, ff. qui & à quibus, §. non solum, instit. de legatis, & l. 10. tit. 9. part. 6.* & affirmat communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur *Anton. Gom. 1. tomo variarum resolutionum, cap. 12. num. 14. Couar. cap. filius noster, numero 3. de test. & Gregor. Lopez. ad l. citatam.* Couar. addit, idem esse, si testator leget rem restitutioni hæredi subiectam, modo vinculata non sit, prohibitave alienari: nam tunc solum tenetur tradere legatario æstimationem. Addit etiam, supra dicta intelligenda esse, modo hæres plusquam in legitima sibi debita sit institutus: ratione namque solius legitimæ nullum grauamen imponi ei potest, iuxta *l. quoniam in prioribus, Cod. de inofficioso testam. vt ex se est notissimum.*

2 Si autem testator plures instituat hæredes, & rem vnius illorum leget, is, cuius res illa erat, solum tenetur soluere partem illius pro rata portionis, in qua est institutus: reliqui vero hæredes tenentur contribuere æstimationem reliquarum partium, vt res integra legatario soluatur, vt habetur *l. si tibi homo, §. si fundus, ff. de legat. 1.* Id vero, quod ad reliquas partes attinet, quarum æstimationem soluere tenentur hæredes, quorum res illa non est, intelligendum est, modo testator sciuerit rem esse alienam, & legatarius eam scientiam probet, iuxta ea, quæ statim subiicienda sunt: alioquin illi nihil talis legati soluere tenentur. Vtrum autem tunc hæres, cuius res illa est propria, soluere teneatur integrum legatum, an vero solam eam partem, quam teneretur soluere, si alij contribuerent. Bart. & communior Doctorum sententia, §. *si fundus citato*, affirmat teneri soluere totum. Mihi multo magis cum Iasone & Anton. Gomez *loco citato* placet, teneri soluere partem: quoniam ignorantia illa testatoris non potest hunc hæredem facere deterioris conditionis, quam fuisset, si in testatore adfuisset scientia, quod res illa esset aliena.

3 Quod autem hæres soluere teneatur legatum factum de re ipsius hæredis, etiam quando testator credebat rem illam, non hæredis, sed suam esse, fundatur in præsumptione, qua ius præsumit, etiam si sciret hæredis esse, eam nihilominus legaturum: cum facile soleant testatores hæredes suos grauare, neque, vt tale legatum impleat, opus sit eos redimere rem legatam. Ita habetur *l. vnum ex familia, §. si rem, ff. de legatis 2.*

4 Quando testator legauit rem, quæ neque ipsius, neque hæredis erat, tunc, si testator sciebat alienam esse, tenetur hæres eam emere, & tradere legatario. Si autem dominus rei non velit eam vendere, aut non nisi maiori pretio, quam sit iustum, tenetur hæres soluere legatario æstimationem illius rei, prout boni & prudentes arbitrati fuerint eã valere. Quod si testator ignorauit alienam esse, inualidum censetur legatum, nisi legatarius sit persona coniuncta testatori, vt si sit vxor, aut propinquus: nam tunc validum est legatum, quia præsumitur, quod si testator sciuisset esse alienam, vel eam nihilominus legasset, vel tantundem ex aliis suis bonis. Porro ad legatarium spectat probare, testatorem sciuisse, rem esse alienam, non vero pertinet ad hæredem probare id testatorem ignorasse. Hæc habentur *l. cum rem alienam, iuncta glos. ibidem, Cod. de legatis, l. non dubium, §. vlt. & l. concubinam, §. vlt. ff. de legat. 3. §. non solum, instit. de legatis, & l. 10. titu. 9. part. 6. Anton. Gom. 1. tomo variarum resolut. cap. 12. num. 13. Couar. cap. filius noster, num. 1. & 4. de test. & Greg. Lopez ad l. 10. citatam.*

E

5 Nomine propinquorum, intelligit Ant. Gom. *loco citato* cum aliis, quos citat, coniunctos vsque ad decimum gradum. Melius tamen *glos. l. cum alienam, C. de*

C. de leg. ait id prudẽtis iudicis arbitrio esse relinquẽdum, spectatis aliis circumstantiis concurrentibus, vt coniiciat quando, si testator sciuisset rem esse alienam, verisimiliter, vel tantundem de aliis suis bonis eidem relinqueret, vel grauaret hæredẽ rem emere, aut æstimationem legatario tradere: consonantque *leg. prædia, & l. voluntas* C. *de fideicom.* Quare neque limitatio, quam Couar. *cap. filius noster iuncto num.* 4. cum aliis, quos citat adhibendam censet, quando legatum de re, quam testator suam esse putabat, propinquis relinquitur, mihi placet, si vniuersim illam intelligat. Ait namque, si testator rem, quam propinquis legauit, credebat titulo aliquo particulari suam esse, qui tamen titulus iam cessauerat testatore id ignorante, aut non attendente, legatum expirare, iuxta *l. Stichò ad finem ff. de auro & argento leg. iuncta Glossa ibi & glos. vlt. in l. domus* §. 1. *ff. de leg.* 1. quoniam, inquiunt, in eo euentu non censetur illa legare, nisi ex hypothesi, quod eo titulo sua perseueraret. Hæc, inquam, limitatio vniuersim intellecta sane non placet: quoniam testatorem scire, quo titulo particulari rem acquisierit, certe per accidens est, vt inde colligere possimus mentem testatoris fuisse in euẽtu, quod sua non esset, voluntatem ipsius esse, vt legatum sit nullum: neque hęc generalis regula ex eo textu colligitur, vbi ex circunstantiis, cum quibus id in eo euentu erat coniunctũ, id merito prudentum arbitrio definitum est, nulla statuta regula. Quin dico, cum hæc omnia, quæ hactenus dicta sunt, quando testator, ignorans rẽ suam non esse, illam legauit, ex sola iuris præsumptione definita sint, contrariumquevim habeat non solum in conscientiæ, sed etiam in exteriori foro, si in exteriori foro ex circunstantiis sit contrarium præsumẽdum, semper iudicis arbitrio esse relinquendum, vt si ex circunstantiis cõtrarium sine dubio præsumat, pro ea parte sententiam pronunciet: in dubio tamen, iuris præsumptionis in vtroque foro erit standum. Porro testatorem fuisse valde amicum legatarij, aut legatũ esse ad pias causas, coniecturæ sunt, vt credatur, esto testator ignoret rem, quam legabat, non esse suam, voluntatem tamen suam esse, vt tantundem de aliis suis bonis illi tradatur, vt præter Antonium Gom. cum aliis quos citat, affirmat Greg Lopez *ad l. 10. citatam.*

6 Quando libertas est legata alicui, esto testator crediderit eum, cũ illam legauit, esse suum mancipium, & postea comperiatur esse alterius, validum est legatum fauore libertatis, & tenetur hæres emere mancipium illud, & tradere illi libertatẽ. Ita hãbetur *leg. Paulus, ff. de fideicomm. libertat. & l. quidam ita* §. *vlt. ff. ad Trebell.* Arbitror tamen, quando præsumptio esset testatorem non concessurum illi libertatem, si sciuisset alienum esse, neque intendisse grauare hæredem, vt de aliis suis bonis illud redimeret, in conscientiæ, imo etiam in exteriori foro, non teneri illud redimere, non obstante fauore libertatis, quæ nulli alteri contra ipsius voluntatem inferre potest præiudicium in suis bonis. Quin in dubio, quænam fuerit testatoris voluntas, arbitror hæredem in conscientiæ foro non teneri illud redimere: quoniam in dubio melior est conditio hæredis possidentis bona defuncti, vt non teneatur emere tali mancipio libertatem.

7 Quæstio. Controuertunt Doctores, vtrum quæ hactenus circa solutionẽ legati à testatore de re aliena relicti iuxta ius ciuile dicta sunt, consentiant cũ iure canonico & lege Dei. Etenim Gregorius Nonus *cap. filius noster de testament.* quod ex *epistol. 4. libr. 7. indictione primæ* desumptum est, in hunc modum cuidam Episcopo scribit. *Filius noster F. conquestus est, quod quondam pater suus aliquæ Ecclesiæ vestræ supulturæ suæ gratia iuris alieni reliquit. Et quidem leges seculi hoc habent, vt hæres ad soluendum cogatur, si actor eius rem legaueris alienam: sed quia lege Dei, non autem lege huius seculi, viuimus, valde mihi videtur iniustum, vt res tibi legatæ, quæ cuiusdam Ecclesiæ esse perhibentur, à te retineãtur, qui alienas restituere debuisti.* Hæc ibi. Quibus reprobari videtur lex ciuilis, legisque diuinæ doceri videtur contraria.

8 Decisio. Prætermissa expositione *Glossæ cap. si Episcopus 12. q. 5. & aliis* quas *Couarru. ad idem cap. num. 5. & Gregor. Lopez. ad l. 10. tital. 9. pa. 6.* referunt, sane si epistola D. Gregor. legatur, sequens intelligetur esse sensus illius capitis. Cum, inter alia, legata gratia sepulturæ essent calix & mancipium quoddam cuiusdam alterius Ecclesiæ, quidamque Episcopus magnæ auctoritatis affirmaret, duas illas res esse illius alterius Ecclesiæ, quæ illas tanquam suas petebat, & Episcopus Ecclesiæ, cui gratia sepulturæ erant legatæ, nollet eas restituere Ecclesiæ illas petenti, obtendens hęredem teneri eas soluere, neque curaret testimonium alterius Episcopi, qui testificabatur esse Ecclesiæ illas petentis filiusque testatoris conquereretur apud B. Gregorium, Episcopum illum non velle illas reddere Ecclesiæ, cuius erant, & quæ illas petebat, patremque vix competẽtem sustentationem sibi reliquisse, vt ipse teneretur æstimationem illarum soluere, interdictumque ab eodem Gregorio esset prælatos gratia sepulturæ quicquam accipere; in primis beatus Gregorius improperat Episcopo illi, quod cum ex lege Dei, quam potissimum ante mentis oculos habere debebat, constaret ipsum teneri illas restituere Ecclesiæ cuius erant, sub obtentu illius alterius legis humanæ, quæ nihil in contrarium statuebat, neque valide statuere poterat, retineret res illas, præsertim Episcopo tantæ auctoritatis atteslante dominium earum ad alteram Ecclesiam pertinere. Quod ad legem vero humanam attinet, tacite in sequentibus in ea epistola ostendit, illa nihil impẽdiente, hæredem illum non teneri in eo euentu soluere æstimationem rerum ita legatarum. Primo, quoniam testator vix reliquerat competentẽ sustentationem tali filio: quare, inquit beatus Gregorius, neque legatum cuiusdam alterius rei proprię testatoris (de qua ibi fit mentio) accipere debuisti in tantum filiorum detrimentum, quibus competens sustentatio nõ remanebat, nedum exigere insuper æstimationem rerum alienarum intuitu sepulturæ ab eodem testatore legatarum. Secundo, quoniam, vt subiungit, ab ipsomet beato Gregorio statutum erat, vt pro facultate sepeliendi corpus in Ecclesia nihil omnino acciperetur. Ecce, non damnat beatus Gregor. dispositionem iuris ciuilis, sed vult in eo euentu non habere locum, perperamque obtentu illius Episcopum illum non impleuisse, quod lex diuina præcipiebat, ne scilicet proprio domino res sua denegaretur illam petenti. Ac sane in ea epistola sermo est de re aliena legata, quam testator optime sciebat alienam esse, in quo euentu nullus negare poterat, hæredem teneri soluere æstimationem, nisi adessẽt aliæ circunstantiæ, quas B. Gregorius tangit, quæque hæredem excusabant.

9 Quando testator legauit rem, in qua solum habebat partem dominij, aut ius aliquod, etiamsi illud esset ius pignoris, aut ex contractu locationis, solum censetur legasse, quod habebat in illa re, non vero etiam æstimationem eius, quod in ea re non habebat *l. sterili electione,* §. *penultim. & vltim. l. si domus* §. *vltim. ff. de leg.* 1. Vnde inferunt Bart. & alij, posse quempiam legare mancipium, vel aliquid aliud quod in hostium fit potestate, propter ius, quod ad eam rẽ vel in ea re habet, quod transferre censetur in legatarium. Vsque adeo traditam doctrinam veram existimant *Couar. cap. filius noster de testamen. numer.* 2. *Anton. Gomez. 1. tomo variarum resolutionum cap. duodecimo numero decimo quinto*, & communis Doctorum sententia quam referunt, vt si quis leget alicui rem, in qua solum habet ius quod morte re-

ſtatoris finitur, vt vſumfructum, ſolũ cenſeatur legare tale itis, eſto legatũ nullius: proinde ſit effectus, & eſto legatarius perſona ſit coniuncta. Ita probat text. *in l. vxor patri, C. de legat.* & affirmat gloſſa *ibidẽ l. quod in rerum, §. 1. ff. de legat. 1 & l. Sticho, ff. de vſufruct. legat.* Merito cum Alex. hoc limitat Couarr. niſi teſtator addiderit, velle vt omnia, quæ in ſuo teſtamento continentur, effectum conſequantur, aut niſi legatarium ita inſtitutum grauet aliquid aliud efficere: nam tunc præſumitur velle, vt hæres rem legatario emat, æſtimationem illius ei ſoluat. Idẽ non immerito cum Bart. & aliis cenſet Anton. Gom. *vbi ſupra*, & Syl. *verbo legatum, num. 2.* ſi teſtator dixiſſet, lego totam rem talem Petro.

Si teſtator rem hæredis, in qua teſtator partẽ dominij, aut directum dominium habebat, alicui ſimpliciter leget, cenſetur rem totam legare: ſecus autẽ ſi leget rem, in qua hæres ſeruitutem aliam habebat; nam cẽſetur illam legare eidem ſeruitute ſubiectã, *l. cum filius, §. dominus. ff. de leg. 2.* Bart. & ibi communis Doctorum ſententia, quam Couar. *cap. filius noſter de teſtam. n. 3* refert ac ſequitur. Cum Bartol. & Iaſone excipit in primo euentu Couarr. ſi teſtator diceret; lego Petro talem rẽ meã: dicendo namq; meam, id ſolum de ea re cenſetur velle legare, quod ſuum eſt, non vero quod pertinet ad ſuum hæredem. Conſentit Greg. Lopez *ad l. 10. tit. 9. par. 6.*

Quod ad vltimum eorum attinet, quæ in hac diſputat. propoſita ſunt, breuiter dicendum eſt. Quod à legatario poſſideri non poteſt, quia vel iure naturæ poſſideri ab eo eſt prohibitum, vel iure humano, ita vt nunquam facultas illud poſſidendi concedatur, ſi legetur, eſt eo ipſo nullum legatum, neq; hæres tenetur ſoluere illius æſtimationem, *l. apud Iulianum (alias idem Iulianus) §. vlt. ff. de legat. 1.* Si vero comparari poteſt facultas, licet difficile, vt ab eo poſſideatur, vt ſi illi legetur res Eccleſiæ, quæ licet prohibita ſit alienari, poteſt tamen alienari adhibitis certis ſolemnitatibus, aut ſi ei legetur res pupilli, aut aliquid ſimile, validum eſt legatum, vt *eodem §. citato* habetur & aliis iuribus, affirmantq; Couarr. & alij, quos refert *cap. filius noſter de teſtam. n. 5.* Quare tenetur tũc hæres curare, vt rem illam emat ac tradat legatario: quod ſi obtinere illam non potuerit, tenetur ſoluere illi æſtimationem. Si autem legetur res, quæ licet ab aliis poſſideri poſſit, à legatario tamen non poteſt, vel propter vitium corporis, vel propter conditionem ſtatus, vt quia eſt mãcipium, prohibitum eſt mancipia illud poſſidere, vel alia ſimili de cauſa, tunc ſi teſtator impedimentum nouit, & nihilominus legauit, debetur æſtimatio, niſi forte ſit res, quam fas ſit legatario ipſi vendere: nam tunc arbitror tradendam illi eſſe, vt eam vendat, & comparet æſtimationem: *leg. ſi filius familias, §. ſi quid alicui ff. de leg. 1. l. mortuo. §. 1. ff. de leg. 2. & l. fideicommiſſa, l. ſi ſeruus ff. de leg. 3.* Si vero teſtator ignorauit vitium, & conjecturæ non ſunt, quod eſto illud ſciuiſſet, nihilominus idem legatum eidem reliquiſſet; tunc præſumendum eſt, quod ſi vitium ſciuiſſet, non reliquiſſet illi tale legatum, ac proinde neq; legatum in eo euentu, neq; æſtimatio illi deberur, vt habetur *l. fideicommiſſ. §. ſi ſeruo alieno, ff. de legat. 3.* & affirmant gloſſæ iuribus citatis, atque conſentit Molin. *lib. 1. de primogen. c. 13. a num. 84.*

SVMMARIVM.

1 *De iure ciuili quando incertum eſt, cui è duobus aut tribus legatum ſit relictum, inualidum eſt.*
2 *Refertur probabilior Authoris ſententia.*
3 *Legatum pium validũ eſt, eſto ignoretur cui ſit relictũ, & cui Eccleſiæ aut loco ſit tradendum, ſi de pluribus dubitetur.*
4 *Legatum ſi conſtet cui ſit relictum ex errore in nomine aut agnomine, inualidum non eſt.*

INCERTITVDO LEGATARII, AVT *error in nomine illius, quando reddat nullum legatum.*

DISPVTATIO 127.

1 DE iure ciuili quando alicui aliquid legatur, incertum q; eſt quis ſit is legatarius, quia multi eodem nomine vocantur, & ſunt æque cõiuncti teſtatori amicitia, vel conſanguinitate, & denique nõ eſt vnde deprehendatur, cui illorum potius intenderit relinquere id legatũ, extinguitur, nullumve redditur tale legatum. Idem eſt, quando duob. teſtator ſẽ gauerat, reuocatq; legatum vnius illorum, neq; con-
B ſtat cui legatum adimat: cenſetur namq; legatum vtriq; ademptum: habentq; hæc verum, etiam in legato libertatis. Hæc omnia conſtant *ex l. ſi fuerit (alias habet, ſi ita fuerit) & ex l. ſi quis pluribus. ff. de reb. dub. & ex l. 3. §. ſi quis duobus, ff. de adimen. lega. ex l. duo ſunt Tutii ff. de teſtamen. tutel. & ex l. 9. tit. 9. par. 6.* allegatur etiã *l. ſi quis ſeruum. 9. ſi inter duos. ff. de leg. 2.* & conſentiunt Couar. *c. indicante de teſtam. nu. 1.* Gam. *deciſ. 378. nu. 3.* & Greg. Lopez *ad l. 9. citatam.* Quando autem coniecturæ ſunt, quis ex illis pluribus ſit, cui teſtator legatum relinquere intenderit, vt quia erat magis dilectus, & familiarior teſtatori, aut erat magis conjunctus conſanguinitate, aut affinitate, vel alij ſimiles, illi eſt tradendum, vt Gam. & Greg. Lopez cum
C aliis merito affirmant, conſonatq; *l. ſi fuerit citata.*

2 Licet autem id ita iure ciuili conſtitutũ ſit, videaturq; receptum, certe in conſcientiæ foro, imo & in exteriori, contrariũ arbitror eſſe iudicandũ videlicet legatũ eſſe validũ, diuidendumq; eſſe inter legarios, de quibus eſt dubium, cui teſtator intenderit illud relinquere aut ſi dixit ei, qui prius aſcenderit Capitolium, aut qui prius monumentũ conſtruxerit, relinquo centũ & duo ſimul Capitolium aſcenderũt, aut monumentũ conſtruxerunt (quę ſunt exempla, in quibus *l. ſi fuerit citata* propter eandẽ rationẽ contrariũ ſtatuit) diuidendũ eſſe inter vtrunq;. Dueor, quoniam leges ciuiles non ſtatuunt id in pœnã, ſed quia Iuriſconſulti quorum ſunt iura iſta, rei naturã id habere ſunt arbitrati, vt conſtat ex ipſiſmet iuribus citatis, præſertim *ex l. ſi fuerit ff. de reb. dub.* vbi Vlpianus, commemoratis euentibus, de quibus nobis eſt
D modo controuerſia, ait; & verius eſt in his omnibus etiam legata, & libertates impediri; quaſi tanquam probabilius, natura ipſa rei ſpectata, id aſſerat, & nõ quaſi poſitiuo iure inuertere, mutareq; velit, quod habet natura rei. Itemq; *ex l. duo ſunt, ff. de teſtam. tutel.* vbi Paulus Iuriſconſultus ait: *Is datus eſt, quem dare ſe teſtator ſenſit. Si id non apparet, nõ ius deficit, ſed probatio. Igitur neutri eſt.* Hæc ille: quibus verbis aperte ſignificauit ius alteri eorum vere cõpetere, ſed propter ſolum defectum probationis neutrũ admitti. At profecto, ſi ſolũ rei naturam ſpectemus, nudũve naturale ius conſulamus, nulli poteſt eſſe dubium, hæredem debere legatum illud, vt *l. duo ſunt*, aperte docet, nullumq; eſſe titulum, vnde hæres contra teſtatoris voluntatem poſſit illud ſibi vendicare quare, cum conſtet vni è duobus, aut trib. determinatis
E deberi, vtiq; inter illos pro quantitate dubij erit diuidendũ, ſicut in cæteris rebus, de quibus cõſtat deberi vni è duobus aut trib. determinatis, ignoratur vero quis eorum is ſit, faciendum eſſe affirmãt paſſim Dd. nos q; ſæpe in hoc opere definiuimus: quoniam in eo euentu iſta eſt præſumpta illorum trium voluntas, & vnuſquiſque eorum, vt ſe exponit periculo amittẽdi ea via reliquas partes, ſi res ad ſe pertinebat; ſic etiam, ſi ſua non erat, lucratur partem, quæ ad ſe non pertinebat. Adde quando conſtat rẽ deberi, & ignoratur cui, reſtitutionem eſſe faciendam ſaltẽ pauperibus pro anima illius, cuius ea res eſt. Iam vero in euentu illo, quando legatum relinquitur ei, qui prior Capitolium aſcenderit, aut qui

prior

prior monumentum construxerit, potius censendũ est voluntatem testatoris fuisse, quod quando duo simul id effecerint inter eos diuidatur, quam quod amittant omnino legatum, & cedat hæredi: præsertim cum comparatiuum illud, *prius*, potius exponẽdum tunc sit negatiue, id est, ante quem nullus ascẽderit, quam positiue, hoc est, qui ante omnes alios ascenderit; vnde vtrique debetur, inter eos æqualiter diuidendum, vt æquitas rationisque lumen satis præscribunt. Concinit cum hac nostra sententia, qua asserimus hęredem debere rę ipsa legatum, nec posse sibi illud retinere, *l. si quis seruũ*, §. *si inter duos*, *ff. de legat. 2.* vbi Paulus Iurisconsultus aperte innuit, quando ignoratur ad quem è duobus legatum pertineat, teneri illud soluere, sed ad ipsum spectare eligere, cui ex contendentibus ad se pertinere, illud soluat. Et quamuis in hoc secundo, iuxta hactenus dicta, erret, quoniam diuidendum est inter vtrumque, certe primum in se est verisimum, naturalique iuri consentaneum.

Quando legatum est pium, & est dubium, cui ex pluribus sit relictum, affirmant Panorm. *c. indicante, de testam. num. 4.* Couar. *ibid. nu. 2.* iunctis iis, quæ *cap. præcedente* dixerant, & Doctores communiter cum glossa *ibidem*, non reddi nullum, nihil impedientę dispositione iuris ciuilis paulo antea relata. Id quod confirmat *aut hęn. de eccles. iast. tit.* §. *si quis in nomine.* vbi habetur: *Si quis in Dei honorem hæreditatem, aut legatum reliquerit, neque expresserit cui loco sit applicandum, applicandum esse Ecclesiæ, in qua ille habebat domicilium, id est, suæ parochiæ. Item si quis Ecclesiam alicuius Sancti hæredem instituerit, aut ei legatum reliquerit, & in eo loco inueniantur multæ Ecclesiæ illius Sancti, neque expressit cui, applicetur pauperiori.* Merito tamen Panor. & Couar. *locis citatis* affirmant contrarium, quando coniecturę sunt cui earum voluit testator relinquere, vel quia vna erat intra parochiam testatoris, vel quia frequentius in illa solebat orare; aut habebat in ea suum sepulchrum; aut fine alio addito consuecit eam significare, cæteras vero cum addito, aut aliæ similes sunt coniecturę; tunc enim illi est tribuendum, etiamsi ditior sit, idemque nos supra diximus de legatis non piis, eaque ratione Panorm. *loco citato* ait, quando rustici relinquunt aliquid Ecclesiæ, non explicando cui, deberi parochiali testatoris. Quando vero omnino non constat, cui illarum testator intenderit legatum illud relinquere, multi affirmant, Episcopum id tribuere posse cui illarum Ecclesiarum voluerit, *argum. tex. in l. si quis seruum.* §. *si inter duos. ff. de lega. 2.* cuius definitionem paulo antea quoad hoc improbauimus. Barbat. cuius opinionem *loco citato* refert atq; approbat Couarr. *argum. tex. c. cum quis*, §. *cum ab eo, de sepul. lib. 6.* ait. diuidendũ esse inter eas Ecclesias; id quod nos supra circa legata non pia definiuimus.

4 Amplectenda tamen est opinio glossæ *supra citat.* tribuendum id esse Ecclesiæ pauperiori, quando vna est pauperior alia: id namq; aperte definit authenticum citatum. Quando autem Ecclesiæ illæ essent æque diuites, tunc placet opinio Bart. & Couarr. In eodem authentico subiungitur, si in ciuitate, in qua testator habebat domicilium, nõ inueniatur Ecclesia eius nominis, inueniatur vero in territorio, illi applicetur. Si vero neq; in territorio reperiatur, applicetur parochiæ testatoris. Si constat quem legatarium testator intenderet significare, etsi erret in nomine, cognomine, aut agnomine illius, validũ est legatum, §. *si quis instru. de legat. & l. 9. tit. 9. par. 6.*

SVMMARIVM.

1 *Legatum in genere generalissimo aut subalterno rei alicuius indeterminatæ est nullum.*

2 *Quid, si testator legauit rem in specie infima, aut rem alicuius amplioris ambitus, qui tamen solum contineat species vtiles legatario, vt est pecus, distinguendum est.*

3 *Regula tradita tribus modis limitatur, & num. 4. 5.*

6 *Quid, si testator legauit individuum indeterminatũ, quod terminos habet à natura, neque tamen tale individuum reliquit in suis bonis.*

7 *Quid, quando testator legauit rem indeterminatam in individuo, quæ terminum ac finem habet non à natura, sed arte & industria humana.*

8 *An si testator leget prædium rusticum seu fundum indeterminate, inualidum sit legatum.*

9 *Quid, si res legata indeterminate, arteq; & industria humana terminos habens, mobilis sit.*

10 *Vtrum idẽ sit in legatis piis, an potius pretiosior ac melior res iis, quæ à testatore sunt relictæ censeantur legata.*

11 *An, quando testator non reliquit in bonis suis rem mobilem habentem terminos arte & industria humana, quam indeterminatam in individuo legat, legatum sit inutile.*

12 *Quid, quando legantur res, quæ in numero, pondere, aut mensura consistunt, & quid, quando certus pecuniarum numerus.*

13 *Dicta tribus modis dilucidantur. num. 14. 15.*

16 *An, si quis habeat duas res eiusdem rationis, sed inæquales quoad valorem, & vnam earum indeterminatẽ leget vni, & aliam similiter indeterminatam leget alteri, quis eorum accipere debeat pretiosiorem.*

SI LEGATVR RES VNA EX INæqualibus quoad valorem, quando sit validum legatum, & ad quem spectet electio ex illis rebus.

DISPVTAT. *198.*

HIs de rebus tam multa ac varia condita sunt iura, adeoq; variant iurisperiti, vt difficilis sit huius quæstionis decisio. Quæ sequuntur maiorem videntur probabilitatem habere.

5 Anton. Gom. *t. 3. com. variar. resol. c. 22. n. 32.* post Panorm. *c. indicante. de test.* & alios ait. Quando legatum est in genere generalissimo, aut subalterno, rei alicuius indeterminatæ, vt si quis dicat, detur res, aut animal Petro, legatum esse nullum: quia conferendo festucam, aut muscam, esset impletum legatum, *argum. tex. in l. ita stipulatus, ff. de verb. oblig.* Quamuis autem raro eueniat eo pacto fieri legatum, posset; proinde sermo de hac re omitti; si tamẽ legaret pecus, non esset inutile legatum: cum tamen apud iurisperitos, pecus sit genus subalternũ, eo, quod plures species infimas sub se contineat; speciem autem infimam appellẽt genus infimum; individuum vero, species ab eis nuncupetur. Deinde in similibus euentibus, si constaret mentem testatoris aliud esse, vt si solum habeat armenta, & de animalibus, quæ possidet, intelligat, implẽdum est legatum iuxta testatoris mentem; non vero iuxta Mathematicũ solum, aut Dialecticum rigorem.

2 Quod si testator legauit rem in specie infima, sed indeterminatam, aut rem alicuius amplioris ambitus, qui tamen solum contineat species vtiles legatario, vt est pecus, distinguendum est. Quoniam si sit res, quę à natura ipsa certos terminos ac fines habet, vt est seruus, equus, bos, & quodcunq; aliud animal; tunc, si testator in bonis suis huiusmodi rem, aut res reliquit, optio pertinet ad legatarium; sed eligere nõ potest optimam ex illis, aut ferum à quo pẽdet administratio cæterorum bonorum, nisi testator expressim id concesserit; neque tamen tenetur eligere infimã, aut ex infimis, sed potest eligere mediocrẽ, quam voluerit; vt si testator habeat multos seruos aut boues, & legauit seruum vnum indeterminate,

aut bouem vnum, non poteſt eligere optimum, ſed ex mediocribus, quem voluerit. Ita habetur *l. legato generaliter, l. ſi ſeruus legatus. §. cum homo, ff. de leg. 1. heredes eius. §. ſi incerto, ff. familiæ erciſcun. §. ſi generaliter, inſtitut. de legatis, & l. ſi quis argentum, §. ſimilique modo, ff. de donationib.* & affirmant Gloſſæ iuribus citatis. Idem habetur *l. 23. tit. 9. part. 6.* vbi additur, quod ſi teſtator habebat vnum tantum ſeruum, & legauit ſeruum indeterminate, cenſetur legaſſe eum, quem habebat, vel alium æque bonum: quoniam legatum cenſetur eſſe de bonis teſtatoris, ſi talia bona habebat, *l. ſi domus in princ. ff. de leg. 1. l. 3. & ibi Bart. ff. de tritico, vino, vel oleo legato, & l. ſi quis argentum, § ſimilique modo, ff. de donat.* Per hoc autem, quod teſtator, habens vnum ſeruum, illum non expreſſit, cenſetur liberum hæredi relinquere, vt alium loco illius ſoluat: id quod etiam cedit quodammodo in fauorem ipſius mancipij: eo quod potius eligetur habere dominum hæredem vniuerſalem prioris heri, quam legatarium.

3 Tradita regula limitatur primo, niſi teſtator duas tantum res habeat ſpeciei illius, cuius indiuiduum indeterminatum legauit: nam quãdo è duabus tantum rebus electio eſt facienda, poteſt legatarius elicere meliorem, atque adeo optimam, *l. qui duos, ff. de legat. 1. Bal. & Greg. Lopez. ad l. 23. citatam.*

4 Secundo limitatur, ſi executio legati de re indeterminata committetur hæredi, vt ſi teſtator dixit, dabitur Petro mancipium vnum, aut equus vnus: nam tunc electio pertinet ad hæredem, & non ad legatarium, *l. ſi ita relictum, §. vlt. ff. de leg. 2. & l. qui concubinam. §. 1. ff. de leg. 3. Ant. Gom. 1. tom. var. reſol. c. 12. num. 32. Bart. & alii, quos Gregor. Lopez ad l. 23. citatam* refert ac ſequitur. Quando autem verba legati ad legatarium ipſum diriguntur, vt ſi teſtator dicat, lego, aut relinquo Petro vnum mancipium, aut bouem vnum, electio pertinet ad legatarium, *l. plane, §. ſi ita. ff. de leg. 1. & l. Lucio, ff. de leg. 2.*

5 Tertio limitatur, niſi teſtator rem determinatam in indiuiduo legauit, ſed dubium eſt, quænam illa ſit: nam tunc electio pertinet ad hæredem: quoniam id potius eſt declaratio, quam electio, *l. legato generaliter, §. 1. & l. ſi quis à filio. §. ſi quis plures, & gloſ. ibi. ff. de legat. 1. & Gregor. Lopez, vbi ſupra.*

6 Si vero teſtator legauit indiuiduum indeterminatum, quod terminos habet à natura, neq; tamen tale indiuiduum reliquit in ſuis bonis, tunc licet hæres nec teneatur emere, ac dare optimum, neque ſatisfaciat dando vtile, ſed teneatur dare mediocre, non ad legatarij, ſed ad hæredem pertinet electio, *l. ſi huiuſmodi. §. ſi cui homo, iuncta gloſ. ibi, & gloſ. in l. legato generaliter, ff. de leg. 1. & l. 23. tit. 9. part. 6. Ant. Gom. & Greg. Lop. cum Bart. vbi ſupra.* Excipitur, niſi teſtator electionem reliquerit legatario: nam tunc ipſe eligit, *l. Titia teſtamento, §. 1. ff. de auro, & argento legato.*

7 Quando teſtator legauit rem indeterminatam in indiuiduo, ſed quæ terminum, ac finem habet, non à natura, ſed arte, & induſtria humana, vt habent domus, ſcutella, veſtis, ſtatua, &c. tunc ſi immobilis ſit, ac prædium vrbanum, vt domus, & teſtator plures illius ſpeciei, ſeu rationis reliquit, hæres eligit, quam ex eis vult, ac tradit legatario. Quod ſi teſtator vnum tantum reliquit, ea eſt illi tradenda. Si vero nullam, legatum eſt inutile, neque hæres tenetur domum emere ac tradere legatario, aut valorem illius *l. ſi domus in prin. ff. de leg. 1. & l. 23. tit. 9. part. 6.* quæ exprimit quod ſi teſtator vnam ſolã domum relinquit, illa eſt tradenda. Hanc eandem regulam affirmant Bartol. & communis Doctorum ſententia, quam referunt & ſequuntur Antonius Gomezius *1. to. var. reſ. cap. 12. nu 32.* & Gregorius Lopez *ad legem citatam.* Qui cum quibuſdam aliis excipit, quando teſtator legauit domum quam legatarius eligeret: tunc enim validum eſt legatum, etiamſi teſtator nullam relinquat domũ. Idem erit ſi teſtator legauit domũ, & præcepit, vt illi emeretur, vt ex ſe eſt notiſſimum: quoniam tunc conſtat noluiſſe deludere legatarium.

8 Ant. Gom. *loco citato*, cum Bart. & multis aliis quos refert, cenſet, ſi teſtator legauit prædium ruſticum, ſeu fundum indeterminatè, tunc ſiue prædia ruſtica relinqueret, ſiue non, inualidum eſſe legatum: eo quod prædium ſiue fundus ad arbitrium cuiuſque conſtitui poſſit cuiuſuis exiguæ quantitatis. Placet tamen contraria ſententia, cum multis aliis quos refert, & quorum ſententiam ſequitur Greg. Lopez *ad l. 23. citatam.* Etenim legatum intelligitur de prædiis, quæ teſtator reliquit, quorum ſingula tempore teſtatoris habebant determinatam ac definitam quantitatẽ, quam mutare non poteſt hæres vt legatum reddat inutile, tametſi ex prædiis teſtatore relictis eligere poſſit in finem, & ſi teſtator nullum reliquit, inutile ſit legatum; vt de legato domus paulo antea dictum eſt.

9 Si res legata indeterminatè, arteque & induſtria humana terminos habens, mobilis ſit, vt ſcutella, veſtis, ſtatua, &c. tunc, ſi teſtator multas reliquit, illius generis, aut ſpeciei, ad hæredem pertinet electio ſatisfaciſque ſoluendo minimam, quando aliud non colligitur ex verbis teſtatoris: idemque eſt de cæteris rebus mobilibus legatis indeterminatè *l. ſi ita ſcriptum in fine l. legato generaliter §. vltimo. Papa Ian. annum* (alias, *idem Iulianus*) *§. Seio, quæ de fundo loquitur ff. de leg. 1. l. ſi ita relictum §. vlt. ff. de leg. 2. l. nummis ff. de leg. 3. & l. ſemper in obſcuro ff. de regulis iuris.*

10 Vtrum vero idem ſit in legatis piis, an potius pretioſior ac melior res ex iis, quæ à teſtatore ſunt relictæ, cenſeantur legata. Communior Bartol. Panor. & complurium aliorum Doctorum ſententia affirmat, cenſeri legatam pretioſiorem. A qua ſententia Couarruuias *capite iudicante de teſtamentis numero quinto* ait recedendum non eſſe in iudicando, eo quod communis ſit: tamerſi dicat, in ſe ſpectatam eſſe valde dubiam. Ducuntur autores huius ſententiæ *l. Titiam teſtamento §. Seia ff. de auro & argento legato*, cuius hæc ſunt verba. *Ab hæredibus meis veto, iubeoque fieri ſignum Dei ex libris centum in illa ſacra æde.* Quæ ſitum eſt, cum in eo templo non niſi aurea, aut argentea tantum ſint dona, hæredes Seiæ vtrum ex auro, an ex argento ſignum ponere compellendi ſint, an æreum. Reſpondi, ſecundum ea, quæ proponerentur, argenteum ponendum. Baldus tamen nouellus, Decius, & alij, quos Couarruuias & Gregorius Lopez *locis citatis* referunt, exiſtimant, etiam in legatis piis cenſeri legatam rem minimi pretij, quæ ſententia vera atque amplectenda videtur, non ſolum, quia exceptio non eſt admittenda, niſi ſufficienter probetur, ſed etiam quoniam contrarium probant. Primo, textus ille, cui contraria opinio nititur. Etenim non iubet ſolui aureum, ſed argenteum. De ærea autem definitio facienda non fuit: eo quod, cum in eo templo æreq non eſſent, conſtabat voluntatem teſtatoris non eſſe, vt ærea collocarentur: legata namque iuxta conſuetudinem loci intelligenda ſunt, *l. nummis, ff. de legat. 3.* Verum eſt tamen alios Codices habere, quæſitum eſt: cum in eo templo non niſi argentea aut ærea tantum ſint dona, &c. Iuxta quam lectionem videntur locuti autores contrariæ opinionis. Secundo, quoniam *ca. ex parte, de cenſib.* votum ſoluendi Diuo Iacobo & eius miniſtris vnam tritici mẽſuram, intelligitur de minima menſura, & non de maxima, ni ſi vniuerſalis conſuetudo contrarium interpretetur. Neq; ſatisfacit Couarruuię reſponſio, quod videlicet intelligatur ex benigna Romani Pontificis interpretatione, ne perſonę Eccleſiaſticę inhiare videantur lucris temporalibus tanquam exactores. Si namq; in foro conſcientię illi ſoluere tenebantur maiorẽ menſuram, non conſulebatur eorum conſcientiis, quarum bono potiſsimũ prouidere debebat Summus Pontifex. Tertio, quoniam in dubio melior eſt conditio poſſidentis, ſiue debitum pium ſit, ſiue non: quando autẽ legatum eſt de re in indiuiduo incer-

ta, h æ-

ta, hæres est dominus ac possessor bonorum omnium defuncti, eriam illius legati, quod soluere nō tenetur, nisi solum illum valorem, quem constat testatorem voluisse legare, non vero incrementū, quod non constat intendisse legare.

11 Quando autem testator nō reliquit in bonis suis rem mobilem habentem terminos arte & industria humana, quam indeterminatam in individuo legauit, volunt multi cum gloss. *l. quod in rerum. §. vlt. ff. de leg. 1.* legatum esse inutile, vt de domo & aliis prædiis dictum est. Paulus tamen Castrensis à Gregor. Lopez *ad l. 23. citatam* relatus, arbitratur rigidā admodum esse eam opinionem, contrariamque esse amplectendam. Id quod mihi profecto placet: quoniam in mancipiis, animalibus, & aliis rebus mobilibus similiter legatis, validum est legatum, etiamsi testator nihil tale reliquerit in bonis suis, vt supra dictum est, cur ergo non erit idem dicēdum in rebus mobilibus, quæ humana arte & industria certū terminum habent? Hoc ipsum confirmat *l. Titia testamento, § 1. ff. de auro & argen. leg.* vbi validum est legatum de eiusmodi rebus, teneturq; hæres eas emere
12 & tradere legatario.

Quando legantur res, quo in numero, pondere, aut mensura cōsistunt, vt tot amphoræ vini, tot tritici mensuræ, tot lanæ aut ceræ pondera, si testator eiusmodi res inter bona sua reliquit, de illis censetur legasse, vt constat *ex l. 3. in prin. ff. de tritico, vino, & oleo legato*. Optio tamen pertinet ad hæredem, poteritq; soluere ea, quæ fuerint minoris valoris, vt probant iura, quibus idem probanimus quando res legata habet terminos arte & industria humana. Excipitur, nisi testator optionem cō cesserit legatario, vt patet *l. 2. ff. de tritico, vino, & oleo leg.* Quando autē testator tales res non reliquit in bonis suis, tenetur hæres eas emere, & tradere legatario, vt *l. 3. in prin. ff. de tritico, vino, & oleo legato* liquet. Quando autem legasset certum pecuniarum numerum, neq; ex verbis legati constaret, de cuius valoris pecuniis intelligeret, coniiciendum id esset ex vsu loquendi testatoris, ex loci, in quo versatus est, consuetudine, ex legatarij dignitate, dilectione, & necessitudine, atq; ex antecedentibus & sequentibus in eodem testamento aut codicillo. Si enim in præcedente aut sequenti aliqua clausula, p pecunia certi valoris sumpta est, censendum est in eadem significatione eam sumpsisse. Hæc habentur expresse *l. si seruus plurium, §. vlt. ff. de legat. 1.* & affirmat ea Anton. Gomez. *capit. 12. citato, num. 29.* Quod si neque ex aliqua ex iis circumstantiis, neque ex aliquibus earum, quicquam, semoto dubio, colligi possit, solum tenetur legatarius soluere minimum talis pecuniæ valorem, vt ex hactenus dictis est manifestum, & affirmat Gloss. *§. vlt. citat.*

13 Tria circa hactenus dicta admonuerim. Primum est. Quando alicui competit electio rei legatæ, facta semel electione, etiamsi nondum possessionem rei legatæ acquisierit, non posse pœnitere, & relicta ea re accipere aliam *l. serui electione. in pr. n. ff. de legat. 1. l. apud Ausidium. ff. de optione vel electione legata. & l. 25. tit. 9. par. 6.* Excipitur, quando optio esset nulla: nam tunc de nouo posset eligere, vt si legatarius eligeret ante aditam hæreditatem, *l. optione legata. ff. de optione legata.* vel si cum optionem haberet ex seruis testatoris, eligeret seruum alienum, vel hominem liberum; vel si cum tot amphoræ vini, quas eligeret, essent ei legatæ, ipse eligeret acetum, arbitrans esse vinum, *l. 2. ff. eod. tit.* aut si, cum ex scyphis electionē haberet, non omnes illi essent ostensi, eaq; de causa aliquem elegisset, quem non fuisset electurus. *l. 4. ff. eod. tit.* Item si ex seruis multis electio ad ipsum spectaret, vnumque repudiaret, cum tamen nondum complesset electionem, posset illum eundem eligere: *l. hominem. ff. eod. tit.* Minori etiam 25. annis conceditur restitutio in integrum, si sine dolo rem de-

A teriorem elegit, *l. & si. ff. de minorib. & gl. l. apud Ausidium. ff. de optione legata.* Quando electio commissa non est legatario, sed cuidam tertio, vt eligat legatario, tunc quacunque ex causa ille intra annum nō elegerit, elapso anno, electio deuoluitur ad legatarium, *l. vlt. §. sed & si. C. commun. de leg. & l. 25. tit. 9. part. 6.*

Secundum est. Quando, iuxta hactenus dicta, si 14
testator reliquit in bonis suis rem indeterminate legatam, soluenda est de ipsismet bonis testatoris; tūc si res omnes illius generis, quas testator reliquit, pereant, legatum perire legatario: quoniam hæres solum de illis rebus tenebatur soluere. Ita Ant. Gom. & alij quos refert *1. tom. var. resol. 12 n. 32.*

B Tertium est. Si testator reliquit tres res vnius ge- 15
neris seu speciei, vt tres lances, vnam maiorem, aliā minorem, & aliam minimam, & dicat, relinquo minorem meam lancem Petro, deberi illi mediam. Ita habetur *l. qui lancem. ff. de auro & argen. legato.* Obserua tamen, si quis Hispano sermone diceret, relinquo minorem meam talem rem, intelligendum esse, de minima: quoniam Hispana phrasis id significat, & legata intelligenda sunt iuxta loquendi morē cuiusque loci.

Dubium est, si quis habeat duas res eiusdem ratio- 16
nis, sed inæquales quoad valorem, & vnam earum *Dubium.*
indeterminatam leget vni, & aliam similiter indeterminatam leget alteri, quis eorum accipere debeat
C pretiosiorem. Prætermissisq; aliis modis satisfaciendi huic difficultati, quos Anton. Gom. *c. 12. citato, nu. 18* tradit, placet cum eodē authore, Bart. & communi sententia dicamus, eum, qui primo loco constitutus est legatarius, debere eligere potiorem. Pri- *Decisio.*
mo, quia eo ipso videtur magis dilectus, ac præferendus, *arg. tex. l. quoties. ff. de vsufruct.* vbi habetur, quod si Titio & Mæuio alternis annis relictus sit vsusfructus alicuius rei, dici potest prius fuisse legatum Titio, & deinde Mæuio, ac proinde Titium debere frui primo anno. Secundo, quoniam, quando legatur alicui alterum è duobus, electio pertinet ad legatarium, vt supra dictum est *ex l. qui duos. ff. de legat. 1.* quare ad eum, qui primo legatarius est constitutus, pertinet electio. Tertio, quoniam id colligi- *Quæstio.*
tur *ex l. si ita legatū. in pr. ff. de leg. 1.* vbi habetur, quod
D si qui ita legauit, Seio decem seruos do, præter eos decem, quos Titio legaui, Titius eligit decem, & si qui remanserint, Seius solū accipit decem, aut pauciores, si pauciores remanserint, inutileq; esse legatum, si nulli remanserint.

SVMMARIVM.

1 *Legatum rei vnius multis communiter diuidendum est æqualiter inter illos. Si dum minuitur testator, & alium ab eis diuidat. vt si duobus filijs Petri, & filio Ioannis, hic accipiat dimidium.*

2 *Quod si res illa etiam postquam legatario primò petēti tradita est, fuerit vel in eius rei damnis pereat, antequam legatum ab alio legatario petatur, non tenetur æstimationem illi soluere.*

E 3 *Quid, quādo aliquid indeterminatum in individuo legatum est, vtq; remaneret, vnde integra alia legata soluerentur.*

4 *Legatum non potest pro parte acceptari, & repudiari pro parte.*

5 *Quid, si res aliqua vna cū alio, aut aliis sibi relicta fuit, aliiq; partes suas retinuerunt.*

6 *Quid, si legatarius moriatur antequam legatum acceptet aut repudiet, relinquatq; multos hæredes.*

7 *In hæreditate adeo nefas est hæredibus pro parte hæredes esse, & pro parte hæreditatem repudiare.*

8 *Legata re quæ habet adiunctū, vt ancilla, quæ habet liberos, si mentio fiat adiuncti, attendendū est, num ad limitandū, an ad augendū legatū sit ea mentio facta.*

QVANDO RES EADEM PLVribus legatur, singulis in solidum, quid & quousque illis debeatur: Item, quando res determinata alicui legatur, & ad alia legata non supersunt bona defuncti, an ille præferatur, & an legatum pro parte possit acceptari.

DISPVTATIO 199.

1 QVando res determinata in indiuiduo pluribus cõiunctim legatur, vt si testator dicat, lego tali rem Petro & Paulo, tunc diuidenda est æqualiter inter eos. Quod si coniũctim duobus legetur, & alteri disiunctim ab illis, vt si dicat, lego hanc rem duobus filiis Petri, & filio Ioannis, tunc filius Ioãnis obtinebit dimidium, & aliud dimidium diuidetur æqualiter inter filios Petri. Si vero omnino diuisum eadem res determinata in singulari duobus, aut pluribus legetur, videndum est num testator, legando vltimo illã rem, discedere voluerit à priori vel prioribus legatis. Et quidem, si id sufficienter conste, nihil debetur prioribus legatariis, etiãsi vltimus incapax fit illius legati. Quod si sufficienter cõstet, voluisse singulis legare in solidum rem illam, nunc vni danda erit res ipsa, alteri vero loco rei æstimatio illius: electio tamen, num rem, an æstimationem accipere debeat, erit illius, qui prius legatum petierit; litemq; fuerit contestatus. Hæc habentur *l. si pluribus, & l. plane, in princ. iunctis glossis ibi, ff. de legat. 1. & l. qui duos. §. vlt. ff. de leg. 2. & l. si res mihi. ff. de leg. 3.*

2 Admonent tamen *l. Titia rextores. §. vlt. & l. filiusfamilias. §. vlt. ff. de legat. 1* quod si res illa, etiam postquam legatario illam primo petenti tradita est, sine culpa hæredis pereat, antequam legatum ab alio legatario petatur, neque æstimationem teneri illi soluere. Ratio est, quoniam ipsamet res determinata in singulari est, quæ vnicuique illorum & legata est, & debetur; æstimatio vero non debetur, nisi quatenus nequit res illa dari integra vtrique prout legata est: possetque hæres redimere eandem rem à legatario, qui illam acceperat, etiamsi casu fortuito esset deteriorata, longeque minoris æstimationis effecta, & satisfaceret dando eam illi, quandoquidem ea ipsa determinata in singulari fuit illi legata: quare cum, quãdo res, quæ determinata in singulari legata: est, perit, legatario pereat; consequens est, vt hæres neque æstimationem in eo euentu soluere teneatur. Idem colligitur *ex l. is qui ex ff. pulsatu. ff. de actionib. & obligationibus.* Lege Anton. Gomez. *1. tomo variar. resol. c. 12. nu. 31.* Hæc quod attinet ad primum eorum, quæ proposita sunt.

3 Quod vero attinet ad secundum *leg. quærebatur, ff. ad legem Falcidiam*, disponi videtur, non solũ quando aliquid indeterminatum in indiuiduo legatum est, & si illud integre solueretur, neque remaneret, vnde integra alia legata soluerentur, neque hæredi quarta pars bonorum defuncti deducto tunc ære alieno, bona remanentia diuidenda esse in 4. partes æquales, quartamque Falcidiam pertinere ad hæredem, reliqua autem bona diuidenda esse inter legatarios pro rata, seu iuxta proportionem valoris, legati, quod vnicuique relictum est, ad valorem legatorum quæ aliis sunt relicta: sed etiam hoc ipsum esse faciendum, quando aliquid determinatum in indiuiduo alicui est relictum. Consentiunt *leg. si quis testamento §. vltim. ff. de leg. prima, leg. mortuo §. vltimo ff. de legat. secunda. & leg. si ita scriptum in princ. ff. de liber. & posthum.* affirmantque Doctores, quos Antonios Gomez. *primo tomo variatum resolutionum capit. 12. numero 34.* refert ac sequitur: tametsi pauci refragentur, quando aliquid determinatum in singulari fuit alicui legatum, asserentes in illo toto præferri debere aliis legatariis.

Ioa Castel.

4 Quod ad tertium attinet, vna & eadem re legata A non potest à legatario pro parte acceptari, & pro parte repudiari, sed vel integram prout sibi legata fuit, debet acceptare, vel integram repudiare *leg. legatarius in princip. ff. de leg. 1. leg. 4. 5. & 6. & leg. si cui res ff. de legat. secundo.* Vnde quia grex legatus vna res est in ratione gregis, tametsi per aggregationem, non potest legatarius acceptare partem gregis, quædamve illius capita, & alia repudiare, vt habetur *leg. sexta citata.* Quin si legatarius partem legati acceptet, neque expresse reliquum repudiet, ratione partis censetur totum acceptare *l. si cui res citata, & leg. si ex asse ff. de acquirend. hæreditat.* Diuersarum autem rerum legatarum, ita vt diuersa efficiant legata, potest legatarius vnam acceptare, & aliam aut alias repudiare *leg. quarta & quinta ff. de legat. 2.* Si tamen vna earum legaretur cum onere, verbi gratia, si esset mancipipium, vt illud manumitteret, non posset hæres rem alteram acceptare, & mancipium repudiare ad effectum, vt ex mancipio non solueret Falcidiã, sed nihilominus teneretur ex reliqua re legata, quam acceptaret, soluere Falcidiam vtriusque legati, vt habetur *l. 5. citata.*

5 Dictum est supra, legatarium integram rem legatam, prout sibi legata fuit, debere acceptare: quoniam si res aliqua, vna cum alio, aut aliis sibi relicta fuit, aliique partes suas repudient, quamuis hæ accrescant legatario, qui partem suam non rupudiat, poterit tamen acceptare partem, quæ sibi relicta fuit, & repudiare incrementum, quod ex aliorum repudiatione sibi accrescit. Ita habetur *leg. vnica §. vbi autem, & sequenti, C. de caduc. tollend.* & affirmat *Glos. l. 4. ff. de l. 2.*

6 Licet legatarius rem sibi legatam non possit pro parte acceptare & pro parte repudiare, vt dictum est, si tamen moriatur antequam legatum accepter aut repudiet, relinquatque multos hæredes, vnusquisque illorum poterit acceptare solum partem, quæ in eo legato ad se pertinet, esto alij hæredes partes suas repudient. Ita habetur expresse *l. legatarius in princ. ff. de legat. 1.* Ratio est, quoniam legatum, & actio ad illud obtinendum, diuiduntur inter hæredes legatarij, ideoq; vnusquisque potest acceptare, quod sibi debetur, nihil curando, vtrum alij repudiẽt partes suas, vel non. Vt tamen bene Anto. Gom. *1. tom. variar. resol. c. 12 num. 33.* notat vnusquisque acceptare nõ poterit partẽ patris, quæ loco defuncti sibi debetur, & aliam repudiare: quoniam in tota ea parte repræsentat legatarius defunctum, eaque de causa sicut legatarius ipse defunctus non poterat acceptare partem & repudiare aliam, ita neq; ipse id potest in parte, in qua illum præsentat.

7 Quamuis, quę dicta sunt, sic se habeant in legatis, nihilominus in hęreditate adeo nefas est hæredibus pro parte hæredes esse, & pro parte hæreditatem repudiare, vt si multi hæredes instituti sint & quidam eorum repudient hæreditatem, reliqui, quod ipsis ex tali repudiatione accrescit, nõ possint repudiare acceptando solum atque adeundo partes, in quibus ipsi hæredes instituti sunt, sed tenentur vel totã hęreditatem cum eo incremento acceptare, vel totam repudiare. Ita habetur *l. vnica §. his ita, & §. sequenti, Cod. de caducis tollend.* Ratio est, quoniam hæredes repræsentant integre personam defuncti subeuntque onera omnia illius, ac proinde non possunt partem hæreditatis acceptare, & partem repudiare, nisi ex creditorum beneplacito, vt Glossa *ibidem in verb. absurdum* recte ait. Præterea esto quis figillatim ac diuisim hæres institutus sit in diuersis hæreditatis partibus non potest quoad quasdam earum acceptare, & adire hęreditatem, & quoad alias repudiare, nisi testator miles esset, idque hæredi permitteret iuxta priuilegium suum, quo discedere potest pro parte testatus, & pro parte intestatus. Item si quis vna cum filio impubere quempiam hæredem instituat, filioque pupillariter eundem substituat, non

potest

poteſt ille inſtitutus acceptare hæreditatem talis teſtatoris, & repudiare pupillarem ſubſtitutionem, hæreditatemve, quę per mortem talis impuberis ad ipſum ſpectat, ſed vniuerſim, vel omnia debet acceptare, vel omnia repudiare, vtrumque expreſſe diſponitur, *l quidam elogio, Cod. de iure deliberand.* Lege Anton. Gom. *num.* 33. *citato*, & Doctores quos citat.

3 Illud etiam in hac diſputatione eſt addendum, ſi ſint multa, quorum quædam habeant aliquid adiunctum, & alia ex illis non, vt ex ancillis quædam habeant liberos, & quædã non, ex mancipiis quædã habeant peculium, & alia non, & ex annulis quidam habeant gemmas inſertas, alij non: tunc, ſi teſtator leget res illius generis, & addat adiunctum illud, videndum eſt, an illud addat ad limitandum, vt ſi dicat, lego ancillas meas, quæ habent liberos: vel potius ad augẽdum legatum, vt ſi dicat, lego ancillas meas cum liberis ſuis, mancipia cum peculiis, annulos cum gemmis in eis inſertis: in priori namque euentu ſolum ex illo genere cenſetur legare, quæ habent adiunctum illud: in poſteriori vero, tã ea, quæ habent adiunctum illud, ſimulque adiunctum ipſum, quam etiam quæ illo carent, vt ex ſe eſt notiſsimum, & habetur *l. ſi cui ſerui, in princ ff. de leg. 1. l. cum vinum, ff. de trit. vino & oleo legato, & l. ſi quis legauerit, ff. de auro & argento legato*, affirmantque Doctores, quos Anton. Gom. *1. tom. variar. reſolut. cap. 12. num.* 30. refert ac ſequitur.

SVMMARIVM.

1 *Res quæ nondum exiſtit, eſſe tamen ſperatur, legari poteſt.*
2 *Eiuſmodi legatum quam conditionem habeat.*
3 *An tacita eiuſmodi conditio impediat tranſmiſſionem legati?*
4 *Quid cenſendum, quando legatum cum onere aliquo alicui relinquitur.*
5 *Legatum datum a coniuge, qui mala fide contraxit, alteri, qui bona fide contraxit, & in ea perſeuerabat, validum eſt, neque ad fiſcum ſpectat.*
6 *An idem dicendum ſit de eo, quod talis mulier ab eodem marito donatione inter viuos, aut alio contractu accepit?*
7 *Refertur contraria ſententia.*
8 *Deciditur.*
9 *Reſpondetur ad leg. qui contra, cui contraria opinio nititur.*
10 *Refertur quoddam dubium aduerſus dicta.*
11 *Soluitur.*
12 *Quid, quando ab eo, qui bona fide contraxit, in ea perſeuerat, aliquid relictum aut datum eſt ei, qui mala fide contraxit.*
13 *Quid, quando vterque coniugum bona fide contraxit, & perſeuerat in matrimonio.*
14 *Vtrum, ſi maritus vxori legatum reliquit, & mortua priore vxore ducat ſecundam, eaq; ſuperſtite maritus è vita diſcedat, debeatur legatum ſecundæ vxori, an vero reddatur inualidum tanquam relictum priori tantum vxori, quæ ante teſtatorem è vita diſceſſit.*
15 *Vnde oriatur debitum.*
16 *Quid, quando debitum non oritur ex iuris diſpoſitione, ſed aliunde.*
17 *Quid, quando debitum oritur ex iuris diſpoſitione.*
18 *Legatum à defuncto relictum Epiſcopo, non computat Epiſcopus in quarta, quæ ei debetur, ab Eccleſia aut monaſterio, in quo ſepelitur.*
19 *Vtrum, ſi defunctus legatum reliquit ſuæ parochiæ, compenſandum ſit in quarta, quæ de relictis Eccleſiæ, aut monaſterio, ſepulturæ, tali parochiæ debetur.*
20 *Vtrum, ſi maritus aliquid leget vxori, cui arrhæ de bonis ipſius debentur, compenſandum id ſit in arrhis, quas maritus eiſdem debet.*
A 21 *Num legatum, quod maritus vxori relinquit, compenſari debeat in medietate bonorum lucratorum, quæ inter vtrumque diuidenda ſunt, quando contractu arrharum & dotis contraxerunt.*
22 *Legatum à debitore relictum ſub conditione, vt eo ſit contentus pro debito, non ſolum computatur in debito, ſed etiam eo ipſo, quod acceptatur, nihil amplius ei debetur, niſi ſtatus ex parte debitoris interueniſſet, nam tunc incrementum deberetur.*
23 *Legatum pro debito, quod debitum non excedit, ſi in commodum creditori cedat, validum eſt: ſecus ſi nulla vtilitas inde proueniat.*

DE LEGATO REI, QVÆ NONDVM
B *exiſtit, de legato cum onere, & de legato vxori, aut creditori relicto.*

DISPVTATIO 200.

RES quæ nondum exiſtit, eſſe tamen ſperatur, legari optime poteſt, vt partus ancillæ, vel alterius animalis, fructus prædij, & his ſimilia, *l. quod in rerum, in princip. ff. de legatis prim. Lectam, ff. de leg. tertia, l. prima, § vltim. ff. de conditionib. & demonſtrationib. l. legatum, §. vini, ff. de annuis legat. & §. ea quoque, inſt. de leg.* 1

Eiuſmodi tamen legatum habet tacitam atq; innatam conditionem, ſi talis res in rerum natura extiterit, vt ex ſe eſt manifeſtum, & habetur *l. 1. ff. de* 2
C *cond. & demonſt.* Quemadmodum autem quando conditio eſt expreſſa, impedit ne dum cõditio pendet, obligatio oriatur, vt patet *l. cedere diem, ff. de verb. ſign. f.* ita conditio tacita idem habet, vt *Gloſſ. l. item quia, verb. male petitur. ff. de pactis*, Bart. & Doctores communiter, quos Anton. Gom. *1. tom. var. reſol. c. 12. num.* 24. refert ac ſequitur, recte affirmat.

Tacita autem eiuſmodi conditio, non impedit 3
tranſmiſsionẽ legati, de qua diſput. 181. dictum eſt: quemadmodum eam impedit conditio expreſſa, vt ibidem dictum eſt. De hac re eſt textus expreſſus, *l. cum illud, §. vlt. ff. quando dies legati cedat, & l. conditiones extrinſecus ff. de cond. & demonſt.* & affirmant *gloſſæ ibidem, & Glo. l. item quia*, paulo ante citata, & communis Doctorum ſententia, quam ſequitur Anton.
D Gom *num.* 24. *citato*. Hæc quod ad primum eorum attinet, quæ propoſita ſunt.

Quod vero attinet ad ſecundũ, quando legatum 4
aliquod cũ onere aliquo alicui relinquitur, vt quod tale quid efficiat, aut ſoluat tantum hæredi, aut alicui alteri, non plus cenſetur ei legatum, quam ſit valor legati deducta ab eo æſtimatione oneris illius, idque vt vlterius oneretur, reſtituendo fideicommiſſum particulare ex tali legato illi iniunctum, vel ſoluendo ex eo legato gabellam, ſeu tributum, ſi lege alicuius loci, vt ex legatis ſoluatur, ſtatutum ſit, aut aliquid aliud efficiendo. Ita habetur *l. non amplius, in prin. & l. cuitatib. §. vlt. ff. de leg. 1. l. Imperator, in princ. ff. de leg. 2. faciunt, l. ſed ſi hoc, §. 1. ff. de condit. & demonſt. & l quantitas, ff. ad l. Fal.* & affirmant Gloſſæ *duob. iurib. primo loco citatis*, Bart. & communis Do-
E ctorum ſententia, quam Ant. Gom. *1. tom. var. reſ. c. 12. num.* 25. refert ac ſequitur. Imo qui honoratus nõ eſt per teſtatorem, ita vt hęres ab eo inſtitutus ſit, aut legatarius, vel commodum aliquod ei in teſtamento aut codicillo relinquat, non poteſt à tali teſtatore onerari, etiamſi maximo alio beneficio aut commodo ab eo ſit affectus, quod pecuniarum non ſit, ſeu bonorum externorum ipſius teſtatoris: vt qui manumiſſus eſt, grauari non poteſt. vt aliquid reddat alicui, *l. plane, 2. §. vltimo, ff. de legat. 1 neque is, cui debitum remittitur, l. ſi mulier, ff. de legat. 3.* & communis Doctorum ſententia, quam Anton. Gom. *c. 12. citato, num.* 53. refert ac ſequitur

Quod ad tertium attinet, diſtinguendum eſt. 5

Quoniam vel matrimonium inter eiusmodi coniuges validum fuit, vel non, veruntamẽ fuit in facie Ecclesiæ bona fide, saltem ex parte alterius eorum, contractum. In hoc posteriori euentu si maritus conscius impedimenti aliquid legauit vxori, quæ bona fide contraxit & perseuerauit in matrimonio, validum est legatum, illudque vxor sibi acquirit, neque potest fiscus id ab ea auferre. Ita Emmanuel à Costa *cap. si pater, part. 1. verb. vxor, num. 5. folio 32.* & communis Doctorum sententia, *argum. text. in l. vlt. ff. de legat. 1. l. præfectus, ff. de ritu nupt. l. 2. §. per contrarium, ff. de his quibus vt indig. & l. 50. tit. 14. part. quint.* Consentit Glossa *verb. fisco, l. qui contra, Cod. de incest. nuptiis.*

6 *Quæstio.* Vtrum autem idem dicendum sit de eo, quod talis mulier ab eodem marito donatione inter viuos aut alio contractu accepit. Glos. *l. qui contra, citata*, in prima responsione ex ijs, quas tradit, affirmat: quin idem affirmat de dote, aut quauis alia re, quam maritus, qui bona fide contraheret, acciperet ab vxore, quæ conscia impedimenti matrimonium contraxisset: amitteret namq; eam marito in pœnam delicti commissi, neque vendicare sibi fiscus eam posset. Eandem opinionem secutus fuit Azo, eamq; approbat Albericus, quin & sancita est in regno Castellæ *l. 50. tit. 54. part. 5.*

7 *Communis opinio.* Contrariam opinionem, nempe quod licet mulier, quæ inualide contraxit, accipere ex testamento à marito possit, neuter tamen donatione aut alio contractu inter viuos possit quicquam ab altero coniuge accipere, & si quid accipiat, fiscum posse illud repetere ac sibi vendicare, affirmat eadem Glos. *l. qui contra, citata in secunda responsione. Couar. in Epitome ad 4. decretalium, part. 2. cap. 7. §. 1. num. 8. in prima editione*, & communis sententia Doctorum, quam ipse & Emmanuel à Costa *loco citato* refert, idque confirmant *ex l. qui contra, Cod. de incest. nupt. & ex l. cum hic status, §. vlt. ff. de donationib. inter virum & vxorem.* Couarr. autem in prima editione vsque adeo, ilando in iure communi, sibi persuasit hanc opinionem, vt contrariam *l. 5.* Castellæ sanctionem à Cæsareo iure discrepare asseruerit. Gregor. autem Lopez *ad eandem legem 5. verb. tenendo*, recensens hanc controuersiam, ita secundam hanc opinionem refert, quasi discrimen constituat inter contractum dotis, & quemuis alium onerosum ex vna parte, & legatum ac donationem inter viuos ex alia, dicatque mulierem bona fide contrahentem posse accipere à marito, qui conscius impedimenti contraxit, tam ex testamento quam donatione, neutrum vero accipere posse ab altero contractu oneroso, sed fiscum exigere posse, quod eo pacto fuerit acceptum: cum tamen, vt Emmanuel à Costa *in calce num 5. citati* recte ait, id, quod nos paulo antea retulimus, sit Glossæ communiorq; Doctorum sententia.

Confirmatur.

8 *Decisio.* Emmanuel à Costa *loco citato n. 6.* sanctionem legis Castellæ, primamq; glossæ responsionem veram esse existimat de iure communi, nempe quando vnus coniugum bona fide contraxit, & perseuerauit in matrimonio, posse accipere ab altero, qui mala fide contraxit, non solum ex testamento, sed donatione inter viuos, & ex contractu oneroso, neq; fiscum posse illud repetere: atque in eandem sententiam propendet Couar. *in vltima editione*, rationibus Emmanuelis à Costa, quem citat, permotus, neq; id profecto quicquam de eximia eius eruditione apud doctos & prudentes minuit, quin potius index est candoris animi illius, sinceritatis ac rectitudinis: multoq; commendabiliorem illud efficit, atque egregiam existimationem, quam de illius probitate atque doctrina marito omnes habent, non modicum auget. Ducitur Emmanuel à Costa, quoniam non est textus iuris communis, qui refragetur, neq; reddi potest legitima ratio, cur à coniuge, qui bona fide contraxit, extrahi debeat & applicari fisco, quod coniux: qui mala fide contraxit, illi dedit; aut cur potius extrahendum ab eo sit, quod donatione inter viuos aut oneroso contractu accepit, & tradendum sit fisco, quam quod per vltimam voluntatem accepit: id quod Fulgosius etiam adnotauit: quando autem legitima differentię ratio tradi non potest, validum est argumentum de contractibus ad vltimas voluntates, & è contrario, *l. seruum filij §. eum qui chyrographum, ff. de leg. 1. & Inst. de L. Fusia caninia tollenda.*

9 *Ad confirmat.* Ad *l. qui contra, C. de incestu nuptiis*, cui contraria opinio nititur, dicendum est loqui, quando nuptiæ prohibitæ, & quę de iure ciuili erant nullę, scienter mat. à maioribus viginti quinque annis celebratę erant, aut, postquam ad eam ætatem peruenerunt, matrimonii continuo non diremerunt: tunc enim, quod vnus coniugum ab altero vel donatione, vel contractu acceperat, amittebat fisco. Secus autem si non affectato, sed iusto errore impedimenti contraxerant: tunc enim, qui bona fide eo pacto contrahebat, nihil omnino amittebat, vt legem illam intuenti est manifestum: quare lex illa à nobis pugnat. Interim etiam dum aliquis eorum minor erat viginti quinque annis, esto mala fide contraxisset, nihil tale amittebat, dummodo intra illam ætatem separationem ab eo coniugio efficeret. Similiter ad *l. cum hic status, §. vlt. ff. de donat. inter virum & vxorem.* dicendum est, locum habere, quando matrimonium cum mala fide erat contractum: tunc enim donatio inter viuos amittebatur fisco.

10 *Argumentum.* Hinc iam non leue oritur dubium aduersus hactenus dicta. Etenim quando contrahebatur matrimonium, de quo illis iuribus est sermo, donatio erat nulla, eamque occupabat fiscus: & tamen licet, quod maritus per vltimam voluntatem à muliere accipiebat, esse similiter nullum, occupareque id fiscus: quod tamen mulier per vltimam voluntatem à marito capiebat, validum erat, mulierque retinebat, neque repetere poterat fiscus, vt constat *ex l. vlt. ff. de legat. 1. l. 2. §. per contrarium, ff. de his quibus vt indig. & l. præfectus, ff. de ritu nuptiarum.* ergo falso affirmauimus, idem esse de acceptis per donationem aut contractum, & de acceptis ex testamento.

11 *Solutio.* Ad hoc argumentum dicendum est, nos supra fuisse locutos, quando is qui accepit, bona fide contraxit: dispositionem autem horum iurium esse, quando matrimonium absque bona fide: trinque contra præscriptum legum est contractum, neque in his iuribus sermo est de omni vniuersim matrimonio prohibito & nullo (quod magnopere animaduertendum est) sed solum de matrimonijs in bonum fœminarum prohibitis, atque iure ciuili nullis, quæ tamen hodie iure canonico valida sunt. Erat quippe tutori aut curatori, illiusque filio vsque adeo prohibitum contrahere cum minori sub illius tutela aut cura commissa, vt matrimonium esset nullum, vel nisi viuente patre puellæ præcessissent inter eos sponsalia, vel pater in testamento exoptaret matrimonium, vel post redditam à tutore aut curatore rationem administrationis, illa vigesimum quintum annum explesset, vt ex iuribus citatis constat, iuncta *l. si patris, Cod. de interdicto matrimonio.* Item administratori Reipublicæ prohibitum erat durante administratione ducere vxorẽ ex loco, in quo ille iurisdictionem habebat, vt ex iuribus citatis liquet, atque hęc omnia in fauorem fœminarum, ne deciperentur ac seducerentur, erat constituta. In his tantum euentibus merito statuerunt iura, de quibus in argumento propositio est sermo, vt quoniam id in fœminarum fauorem erat introductum, illæ nihil amitterent, quod per vltimam voluntatem ab eis viris acciperent: quoniam id solum accipiebant in tempus dissoluti iam matri-

matrimonij: vt vero tam ipsæ quam viri amitterét, A quod ab vxoribus per vltimam voluntatem acquirent, & ea omnia occuparet fiscus. Quare, quando matrimonium est nullum propter impedimentum iure canonico introductum, cum eiusmodi impedimentum in commune omnium bonum introductum sit, sane si quid veteris coniugum mala fide contrahens acceperit ab altero, id fisco amittitur, siue contractu aût donatione, siue per vltimam voluntatém id acceperit: quandoquidem ex iuris dispositione indignus est, qui id retineat. Intellige, quando restituendum non est hæredibus dantis, iuxta ea, quæ proxime subiungo.

12 Quando ab eo, qui bona fide contraxit, & in ea perseuerat, aliquid relictum aut datum est ei, qui mala fide contraxit, communior Bart. & aliorum sententia, quam Emmanuel à Costa *loco citato num.* 10. refert, est, inualidum esse, ad fiscumque pertinere, iuxta *l. vxori maritus, ff. de vsufructu legato.* Merito tamen Emmanuel à Costa cum aliis quos citat, & cui Couarruuias *in Epit. part. 2. cap. 7. §. 1. numero* 8. consentit; affirmat, inualidum quidem esse, quia præsumendum est testatorem non relicturum illi tale legatum, si de mala fide ex parte illius esset conscius, neque voluntatem ipsius esse, vt illud retineat: attamen non pertinere ad fiscum, sed ad hæredes talis testatoris: atque id sane est, quod *l. vxori maritus* intendit, vt Emmanuel à Costa *loco citato* recte ostendit. Si namque legatum illud fisco deberetur; validum quidem esset, neque hæredibus defuncti competeret actio ad illud repetendum: eo quod ad illos non pertineat agere partes fisci: ex suppositione autem, quod validum esset, & quod legatarius eo esset indignus, competeret fisco repetitio: contrarium autem horum duorum innuitur aperte *l. vxori maritus, citata*, cui autores contrariæ sententiæ innituntur.

13 Quando vterque coniugum bona fide contraxisset & perseueraſſet in matrimonio, vult Emmanuel à Costa *loco citato num.* 18. si quid ab vno eorum esset alteri legatum, esse similiter inualidum legatum, pertinereque ad hæredes testatoris, à quo esset relictum. Arbitror tamen tunc ex circumstantijs concurrentibus coniiciendum esse, quænam in eo euentu esset mens testatoris, potiusque est inclinandum velle, vt nihilominus alter coniux retineat legatum sibi relictum: quandoquidem nulla fuit culpa ex parte illius, & tam longa inter vtrumq; fuit D consuetudo ac societas, ex qua forte liberos legitimos ex matrimonio bona fide, in Ecclesiæ facie celebrato reliquerunt. Hæc quando matrimonium inualidum fuit.

14 *Quæstio.* Quando vero fuit validum, imprimis dubitant Doctores, vtrum si maritus vxori legatum reliquit, & mortua priori vxore ducat secundam eaque superstite maritus è vita discedat, debeatur legatum secundæ vxori: an vero, iuxta *l. vnicam §. pro secunda, Cod. de caducis tollendis*, reddatur caducum & inualidum tanquam relictum priori tantum vxori, quæ ante testatorem vita discesſit. Et quidem, si in testamento nomen proprium prioris vxoris expreſ- E fisset, puta Bertæ, constat ea defuncta ante testatorem, inualidum reddi, neque deberi secundæ vxori. Si vero expressum non fuit nomen proprium, sed sub nomine vxoris relictum fuit legatum, distinguendum est. Quoniam si testamentum fuit conditum ducta iam priori vxore, vtique censendum est, eam solam eo nomine voluisse significare, nisi coniecturæ sint, quæ contrarium persuadeant, ac proinde ea defuncta ante testatorem iudicandum est redditum esse caducum & inualidum, nec deberi secundæ vxori. Ita Doctores, quos referunt & sequuntur *Couar. cap. requisiſti de testam. num. 3. & Emmanuel à Costa cap. si pater, part. 1. verb. legauit, num. 9. fol. 86. argumento text. in l. si quid earum, §. vlt. in fi-* *ne, ff. de legat. 3.* cuius hæc sunt verba: *Quæ prioris vxoris causa parata sunt, ita posteriori debentur, si ei assignata sunt: quia non est ita de posteriori vxori cogitatum, cum pararentur, & argumento text. in l. boues, §. hoc sermone, ff. de verborum signif.* Si vero testamentum fuit conditum ante vllam ductam vxorem, legatum debetur cuicunque vxori post testatorem superstiti. Ita cum Alexandro & alijs Couar. & Emmanuel à Costa *locis citatis.*

Reliqua, quæ de legato ab vno coniuge alteri facto dicenda sunt, perspicuitatis causa, & quoniã res ipsa id ita fieri efflagitat, cum disputatione de legato à debitore creditori facto sunt coniungenda. Sciendum autem est, debitum interdum oriri ex voluntate, pacto, aut quasi contractu debitoris, vel ex facto aliquo, vt si damnum dedit: interdum vero ex legis B dispositione. Huius posterioris generis est debitum, quo pater tenetur tradere filiæ dotem, & quo in bonis ascendentium debentur descendentibus legitimæ portiones, aut è contra ascendentibus in bonis descendentium: huiusmodi namque omnia debita ex legis, iurisve dispositione oriuntur. 15

Hoc iacto fundaméto sit prima conclusio. Quando debitum non oritur ex iuris dispositione, sed aliunde, legatum à debitore factum creditori, non compensatur cum debito, sed creditor accipit illud integrum, & insuper exigit debitum: quando aliunde non constat testatorem in compensationem debiti illud reliquisse. Ita cum communi Doctorum sententia *Couar. cap. officij, de test. num. 2. Anton. Gom. 1. tomo variar. resol. cap. 12. num. 27. & Emmanuel à Costa cap. si pater, part. 1. verb. legauit, à numero 17. fol. 88.* C idque probant *textus in l. creditorem, & in l. Lucius, in princ. ff. de legat. 2. & in l. creditor, C. de legat.* idem probat *text. in l. venica, §. sciendum, C. de rei vxor. actio.* vbi habetur, legatum à marito vxori relictum non esse compensandum cum dote, sed vxorem habere illud præcipuum vltra dotem. Quia enim maritus vxori debet dotem ex contractu inter vtrumque celebrato, & non præcise ex legis dispositione, tale legatum compensandum non est ex dote, quando non constat testatorem id intendisse. Hac eadem ratione, si hæres grauatus erat restituere alicui fideicommissum aliquod, & eiusmodi hæres legatum fideicommissario relinquat, vel illũ cum aliis hæredem suum instituat, sane, quia fideicommissum illi debebat, non ex legis dispositione, sed ex voluntate D primi testatoris habet præcipuum legatum, neq; illud compensat in fideicommissum, institutusq; hæres cum aliis: solum compensat in fideicommisso, quod iuxta portionem hæreditatis, in qua est institutus, ad ipsum spectare, restituere talis fideicommissi, si non ipse, sed quidam tertius esset fideicommissarius, vt habetur expresse *l. Lucius citata.* A b hac conclusione cum Aretino, Iasone, & alijs, merito excipit Couar. *loco citato*, quando testator in conscientiæ foro debitor erat alicui quantitatis alicuius, quam in exteriori foro cogi non poterat soluere, eidemq; ad exonerandam conscientiam legatũ facit, præsumendum namque tunc est, velle eo legato debitum compensare.

Decisio. Secunda conclusio. Quando debitum oritur ex iuris dispositione, legatum tali creditori aut quasi creditori factum censetur factum in recompensationem debiti, nisi aliud de testatoris mente constet. Hanc affirmant Doctores communiter, quos Couar, Anton. Gom. & Emmanuel à Costa *locis citatis* referunt & sequuntur, eamq; probat *authent. præterea, Cod. vnde vir & vxor*, vbi quoniam mulieri quæ sine dote nupsit, si aliunde non habeat vnde commode sustentetur, conceditur ex iuris dispositione quarta pars bonorum mariti, iuxta ea, quæ disput. 164. conclusione 10. dicta sunt, statuitur, vt si maritus quippiam ei leget, id compẽsare debet in quartam illam. Probat etiam *l. si cum dotem, §. si pater, ff. solu-* 16 *1. Conclusio.* 17 *2. Conclusio.*

ff. soluto matrim. vbi quando à patre dos filiæ debetur, quoniam obligatio tradendi illi dotem, interim dum sub illius est potestate, ex legis dispositione proficiscitur, statuitur, vt si quid pater tali filiæ leget, computandum sit in dotem, quam illi tradere tenetur. Probant præterea *l. quoniam nouella, & l. omni modo, Cod. de inofficioso testam.* vbi data in dotem aut donationem propter nuptias, vel relicta à parente in legato, computant filius aut filia in legitimam portionē ipsis ex parentis bonis debitā. Probat quoque *l. etiam, §. si debita, ff. de bonis liber.* vbi si quid libertus patrono legat, computatur in portione ex iuris dispositione in bonis talis liberti patrono debita. Quia enim lex eiusmodi debitoribus onus sine ipsorum voluntate iniungebat, voluit, vt legatis compensare censerentur talia onera, quando non constaret contrariam fuisse eorum voluntatem. Vt autem Cou. *loco citato* cum Archarrano, Paulo Castrensi, & Aymone recte ait, locum id habet, non solum si legata relicta sint à primis debitoribus eiusmodi onerum, sed etiam si ab ipsorum hæredibus illis ipsis sint relicta, quibus loco defuncti talia onera adhuc debentur. Quod autem de legatis dictum est, similiter est intelligendum in donationibus causa mortis, *l. etiam, §. si debita, ff. de bonis libertorum.* Non vero in donationibus inter viuos: quoniam hæc non compensantur cum ijs, quæ ex legis præscripto debentur, nisi animo, vt compensentur, facta sint, *§. si debita, citato, & l. si vero §. cæterum, ff. eodem tit.* atque affirmat Couar. *loco citato, num. 9.*

18 *Obiectio.* Si quis aduersus secundam conclusionem obiiciat, *cap. de officioso testam.* vbi cum de iure communi Episcopo debeatur certa portio de relictis à testatoribus monasteriis aut parœcijs, in quibus sepeliuntur, vt infra, cum de sepultura eorum sermo fuerit, dicetur, quidamq; testator legatum reliquisset Episcopo, quod illam æquabat, & multa alia reliquisset monasterio aut parœciæ, in qua fuit sepultus, interrogatus Innocentius tertius, vtrum non obstante eo legato posset Episcopus exigere à monasterio, vel parœcia portionem, alioquin ipsi debitam ex relictis monasterio, aut parœciæ, respondit. Si absolute & sine expressione, quod id compensaret in portione ipsi debita, tale legatum fuit relictum Episcopo, posse vlterius exigere portionem illam. Vbi vides, legatum nō compensari cum portione ex iuris dispositione Episcopo debita. Ad hāc obiectionem *Panorm. ad idem cap. num. 4. Couar. num.* *Soluitur.* 3. & Doctores communiter respondent, non pugnare cum conclusione proposita: eo quod portio illa non sit debita Episcopo à testatore, qui tale legatum ei reliquit, sed ab Ecclesia, aut monasterio, tametsi occasione bonorum, quæ idem testator Ecclesiæ, aut monasterio reliquit: conclusio autem proposita intelligenda sit de legato, quod relinquitur à testatore, qui eidem legatario ex iuris dispositione aliquid debebat.

19 *Quæstio.* Cum de relictis Ecclesiæ aut monasterio sepulturæ quarta debeatur Ecclesiæ parochiali defuncti, vt infra, dum de sepultura sermo erit, dicetur, dubium est, vtrum si talis defunctus legatum reliquit suæ parochiæ, compensandum sit in quarta, quæ de relictis Ecclesiæ, aut monasterio, sepulturæ, tali parochiæ debetur. Card. Anchar. Barb. & alij cēsent compensandum non esse, sed parochiam vltra illud recipere integram portionem, eo quod ab Ecclesia sepulturæ, & non à testatore, ea portio debeatur. Atque hanc opinionem statuit *l. 5. tit. 13. part. 1.* Contraria sententia est *Panorm. cap. officij, de test. num.* 5. & communis Doctorum, quos *Couar. ad idem cap.* *Decisio.* *num. 6. & Greg. Lopez. ad l. citatam* referunt. Et quamuis Couar. priorem sententiam veriorem reputet, idemque asserat Gregor. Lopez, quando legatum non attingit ad integram portionem parochiæ debitam, communiorem tamen sententiam non dubito esse veram, nempe tale legatum compensandum esse, neque debere parochiæ, nisi incrementum vsq; ad integram portionem. Ducor, quoniam, vt constat *ex cap. 1. 2. & 4. de sepul.* testator ipse est, qui ratione sacramentorum & subsidij spiritualis, quod à propria parochia accepit, relinquere ei tenetur quartam partem eorum, quæ loco sepulturæ relinquere aut legare voluerit, neque Ecclesia sepulturæ tenetur eam illi soluere, nisi in defunctum testatoris, qui id non fecerit: atque hac ratione in Salmanticensi Episcopatu, vt Couar. refert, & aliis in locis constitutum est, vt hæres defuncti quartam reseruet Ecclesię parochiali, vtpote à defuncto, atque adeo ab hærede ipso, qui defuncti personam repræsentat, debitam, alioquin soluere illam cogatur de suis propriis bonis: quia ergo defunctus ipse ex iuris præscripto relinquere tenebatur portionem illam propriæ parochiæ: consequens est, vt iuxta secundam conclusionem propositam, legatum à testatore proprię parochiæ relictum compensari debeat in quarta, quam in testatoris defunctum sepulturæ locus soluere tenetur parochiæ defuncti. Atq; hoc est egregium Panorm. fundamentum, quod Couarr. non satis videtur attendisse.

Dubium est, vtrum si maritus aliquid leget vxori, cui arrhæ de bonis ipsius debentur, compensandum id sit in arrhis, quas maritus eisdem debet. Rodericus Xuares *ad l. 1. tit. de arrhis, lib. 3. fori*, asseruit esse compensandum, idq; confirmat *ex Bart. l. cum dotem, §. si pater, ff. soluto matrim.* vbi Bart. ait, quando in aliqua lege constitutum est, vt marirus dissoluto matrimonio tertiam partem dotis lucretur, si vxor tali marito aliquid leget, compensandum id esse in tertia dotis parte, quam lucrari debet. Couar. *ad cap. officij, de test. numero 4. cum Ioan. Lupo*, inprimis ait si maritus arrhas vxori iam tradiderat, legatum non esse in illis compensandum, eo quod tempore mortis maritus illas non debeat, sed sint iam vxoris effectæ. Deinde cum Montaluo & eodem Ioann. Lupo affirmat, esto eas nondum tradiderit, sed illas ex promissione adhuc ei debeat, legatum non esse in illis compensandum, sed vltra legatum obtinere debet arrhas integras. Ratio, quoniam illas non debet ex præscripto & iussu legis, sed ex sua libera promissione, quam lex approbat & permittit. Atque hæc sententia placet. Id vero, quod ex Bart. adducitur, nihil in contrarium probat, quippe cum maritus ex legis præscripto, & non ex libera vxoris promissione ac voluntate, in eo casu tertiam dotis partem lucretur.

20 *Quæstio.* *Decisio.*

21 *Quæstio.* Vtrum legatum, quod maritus vxori relinquit, compensari debeat in medietate bonorum lucratorum, quæ inter vtrumque diuidenda sunt, quando contractu arrharum & dotis contraxerunt. *Decisio.* Dicendum est cum Couar. *loco citato, num. 5. & Anton. Gom. 1. tom. var. resol. c. 12. n. 27.* compensandum non esse, sed vltra illud vxorem accipere debere medietatem lucrorum: id quod hodie in Regno Castellæ sancitum est, *l. 16. Tauri, quæ est 7. tit. 9. lib. 5. nouæ collect.* Ratio est, quoniam medietas illa non est debitum vxori à marito ex præscripto legis, sed est medietas propria vxoris ex bonis vtriq; quoad dominiū communibus comparata, intercedente societate inter vtrumq; de iure Regni Castellæ & consuetudine huius Lusitaniæ Regni, concurrenteque vtrinque, tum industria, tum etiam capitali.

22 Siue aliquid iuxta secundam, siue iuxta primam conclusionem debeatur, & debitor creditori sub conditione aliquid leget, vt pro debito sit eo legato contentus, creditorque legatum acceptet, non solum tenetur illud in debito compensare, sed neque potest incrementum debiti petere, si maius sit quam legatum: quoniam eo ipso renunciasse videtur vniuerso debito. Ita habetur *cap. officij, de testam.* quoad portionem Episcopo debitam. Ibidem excipitur, nisi

nisi comperiatur debitorem fraude vsum fuisse, vt creditorem ea via solutione modicæ alicuius rei, deciperet: nam tunc, cum fraus & dolus nulli debeant patrocinari, accipit creditor integrum suum debitum. Vt tamen Glos. *ibidem* ait, compensat creditor in eo euentu legatum, & accipit incrementum vsque ad integrum debitum.

23 Quando debitor id solum creditori legat, quod illi debebat, si inde commodum creditori cedat, validum est legatum: secus autem si nulla vtilitas inde illi proueniat. Quare si, quod naturaliter tantum, & non ciuili iure debebatur, legetur, validum esse legatum. Si ité testatori exceptio aliqua competebat, validum est legatum: quia ea censetur remissa. Præterea si debebatur res iure prætorio, validum est legatum, quia eo ipso oritur actio iure ciuili, quæ diuturnior est. Item si res debita erat in diem, sub conditione, aut sub modo, & pure legetur, validum esse legatum: quia mortuo testatore, statim debetur sine modo. Item si ex legato interrumpitur præscriptio, validum est propter eiusmodi effectum. Præterea, quia hæreditate adita dominium rei in singulari legatæ transit in legatarium, validum esse legatum, quando creditor dominus non erat rei, quæ illi debebatur. Hæc omnia constant *ex l. si creditori, & l. sin autem, ff. de leg. 1. Meuius, ff. debitor, l. debitor, ff. de leg. 2. l. legati, §. vlt. ff. de liberatione legata, & §. ex contrario, instit. de legat.* Lege Anton. Gom. 1. *tomo var. resol. c. 12. num. 26.* vbi nonnulla alia addit.

SVMMARIVM.

1 *Legatum rei pignori aut hypothecæ alteri subiectæ, si testator id sciebat, hæres tenetur de bonis testatoris eam onere illo liberare: si vero ignorabat, sumptibus legatarij est faciendum, nisi ex coniunctione cum legatario, aut ex coniecturis intelligatur aliam fuisse testatoris voluntatem, quæ, quando pro æquali aut maiori quantitate erat subiecta.*

2 *Quid, si eadem res in singulari determinata legetur vni & eidem pluries ab eodem testatore.*

3 *Quid, si à pluribus, in diuersis eorum testamentis eidem legetur.*

4 *Quid, quando bis, aut sæpius, eadem quantitas vel res in individuo indeterminata vni & eidem legata est in eodem testamento.*

Quid, quando eadem quantitas, aut res indeterminata in individuo relinquitur in diuersis testamentis aut codicillis, aut in codicillo & testamento.

6 *Excipitur ab hac regula, nisi propter aliquam causam, ad aliquem vsque finem prius in vno testamento aut codicillo testator legauit aliquam quantitatem, & postea in alio aliam.*

7 *Quid, si legatarius rem sibi legatam comparet titulo lucratiuo.*

8 *Quid, si titulo oneroso.*

9 *Quid, si res legata erat testatoris, legataq; erat in diem, aut sub conditione, & eam legatarius titulo oneroso comparauit ab hærede.*

10 *Quid, si res legata erat testatoris, legataque erat pure, legatarius ignorans sibi esse legatam, eam titulo oneroso acquisiuit ab hærede. Quid, si sciens sibi esse legatam, emit illam ab hærede.*

DE LEGATO REI PIGNORI AVT hypothecæ subiectæ. Item de legato eiusdem rei, aut eiusdem quantitatis pluries facto, & an, si legatarius emat, aut alio titulo comparet rem legatam, expiret legatum.

DISPVTATIO 201.

1 QVando testator legauit rem suam alteri in pignus datam, aut hypothecæ subiectam, idque testator sciebat, vniuersim tenetur hæres onus illud redimere de bonis testatoris, eamque liberam tradere legatario, nisi de contraria testatoris voluntate constet. Si vero id testator ignorabat, forte quia à procuratore suo, ipso inscio, pignori aut hypothecæ erat subiecta, & erat maioris pretij, quam onus, cui erat subiecta, legatarius ipse tenetur suis sumptibus eam à tali onere liberare, nisi vel ex coniunctione legatarij cum testatore, vel ex aliis circumstantijs præsumatur, quod esto sciret eam tali onere subiectam, nihilominus vel eandem illi legasset, vel aliam non minoris valoris. Ita habetur *l. si res obligata, ff. de leg. 1. l. licet, ff. de dote prælegata, l. prædia, C. de fideicommiss. §. sed & si res, instit. de leg. & l. 11. tit. 9 part. 6.* In euentu autem, in quo legatarius sumptibus suis tenetur eam ab onere liberare, si obligata erat pro alieno debito, hæres tenetur cedere legatario actionem aduersus principalem debitorem, vt legatario soluat, si quid loco illius solutum fuerit. Quando res pignori aut hypothecæ est subiecta, pro æquali aut maiori valore, quam ipse æstimetur, tunc *ex l. si res obligata*, colligi videtur, hæredem teneri vniuersim eam redimere, esto testator nesciret esse obligatam: quia alioquin, cum legatarius soluere non vellet æquale aut maius pretium, quam ipsa æstimetur, legatum esset nullum, idque definit *l. 11. citata*, & affirmant glos. *l. prædia*, & glos. § *sed etsi res citata*, & communior Doctorum sententia, tametsi alij contrarium verum esse arbitrentur. Cætera, quæ circa primam hanc propositæ dispositionis partem dici poterant, lege, si placet, apud Anton. Gom. 1. *tomo var. resol. c. 12. nu. 38.* & apud Greg. Lop. *ad l. 11. citatam.*

2 Quod ad secundam partem attinet, si eadem res in singulari determinata legetur vni & eidem pluries ab eodem testatore, semel tantum debetur, esto primo legata sit in testamento, & secundo in codicillo, *l. plane, 1. § 1. iuncta glos. ibi, & l. si tibi homo, §. 1. ff. de legat. 1. l. Meuius. §. duobus, & §. eum, ff. de legat. 2. & l. 45. tit. 9. part. 6.*

3 Si tamen eadem à pluribus (quorum alter non sit hæres alterius: nam tunc semel tantum deberetur, iuxta *l. si mihi Sempronius, ff. de legatis primo,*) in diuersis eorum testamentis eidem legetur, tunc si legatarius ab vno consequatur primo rem ipsam tuto, ita vt extrahi ab eo lite non possit, postea neque æstimationem poterit petere ab alio: si tamen prius consequatur ab vno æstimationem, petere poterit ab alio rem ipsam. Ita habetur *§. si res aliena, & §. si cui fundus, instit. de legat l. plane, 1. §. 1. iuncta glos. ibi l. non quocunque, & l. si seruus legatus, §. 1. iuncta etiam glos. ibi. ff. de legat. prime, & l. 44. tit. 9. part. 6.* Idem dispositum est, si quis duos instituat hæredes, & vnumquemque eorum grauet, vt insolidum rem aliquam determinatam in singulari tradat alicui legatario: si enim legatarius prius ab vno accipiat æstimationem, poterit ab alio petere rem legatam: si tamen prius ab vno accipiat rem legatam, petere non poterit ab alio æstimationem. Ita habetur *l. quid ergo, § 1. ff. de legat. 1.* Horum omnium redditur hæc ratio iuribus citatis. Quoniam in vnum & eundem hominem, comparatione eiusdem rei, duæ causæ lucratiuæ simul concurrere non possunt, ita vt postquam semel ex causa lucratiua, pura donatione, aut legato, etiam obtinuerit, iterum illi ab alio debeatur, secus autem quando illam obtinuit ex causa onerosa, vt ex emptione aut permutatione: quoniam tunc poterit eam iterum petere, aut æstimationem loco illius. In his tamen omnibus, quando constaret fuisse aliam mentem testatoris, non solum in conscientiæ, sed etiam in exteriori foro illi esset standum, posthabitis eiusmodi iuris ciuilis subtilitatibus ab ethnicis Iurisconsultis ad rei naturam in his omnibus iuxta moralem philosophiam definiendam excogitatis.

Quan-

4 Quando bis, aut sæpius, eadem quantitas vel res in individuo indeterminata vni & eidem legata est in eodem testamento, semel tantum debetur, nisi legatarius coniecturis, aut aliunde sufficienter probet contrariam fuisse testatoris voluntatem, *l. plane, 1. §. sed si non corpus, iuxta glos. ibi. & §. sed si pondus, ff. de legat. 1. l. 45. titu. 9. part. 6. & l. centum, ff. de adimendæ legat. iuncta glos. ibi*, vbi habetur, quod si in eodem codicillo primo relinquatur aliqua summa pure, & postea sub conditione, aut primo maior, & postea minor, vel è contrario, præsumitur reuocatum prius legatum per secundum, solique secundo esse standum. Idem probat *l. quibus, ff. de verborum obligation.* cuius hæc sunt verba. *Qui bis idem promittit, ipso iure amplius, quam semel, non tenetur.*

5 Quando vero eadem quantitas, aut res indeterminata in individuo relinquitur in diuersis testamentis aut codicillis, aut in codicillo & testamento, tunc censentur diuersa legata, & omnia debentur, nisi hæres sufficienter probet contrariam fuisse testatoris voluntatem. Idem maiori cum ratione est, quando relinquitur diuersa quantitas, siue maior in priori instrumento relinquatur, & minor in posteriori, siue è contrario. Idem etiam est, si in vno instrumento aliqua quantitas relinquatur pure, & in alio sub conditione: quia duæ quantitates debentur, vna pure, & alia sub conditione: aut si eadem quantitas relinquatur facta alia variatione in legato quoad qualitatem, tempus, &c. Hæc omnia constant *ex l. quinquaginta, ff. de probationibus, & ex l. 45. tit. 9. p. 9. & l. centum, ff. de adimen. legat. iuncta glos. ibid.*

6 Excipitur ab hac regula, nisi propter aliquam causam, ad aliquemve finem, prius in vno testamento aut codicillo testator legauit aliquam quantitatem, & postea in alio aliam, vt ad alimenta, aut ad aliquid aliud: nam tunc recessum censetur à priori dispositione, solumque debetur posterior quantitas, *l. libertis quoi, ff. de alimen. & cibar. legat. & l. 2. §. Mela, ff. de dote prælegata.* Excipitur præterea, nisi instrumenta, in quibus diuersa quantitas eidem legata est, facta fuerint simul, sed quia voluit testator diuersa instrumenta eiusdem vltimæ voluntatis, vt vnum secum haberet, & alterum relinqueret in aliquo loco, vel alia ratione: nam tunc solum debetur minor quantitas: eo quod hæres in possessione sit bonorum defuncti, sitque debitor legatorum, & in dubio sit melior conditio possidentis, *l.* D Sempronius, *ff. de legatis secundo.* Merito autem Ant. Gom. *t. tomo variarum resolutionum, cap. 12. num. 38. & 58.* cum Bart. & aliis hoc intelligit, nisi vnum instrumentum esset regestrum, & aliud transumptum: quoniam tunc regestro esset standum, etiamsi in illo contineretur maior quantitas. Idem Anton. Gomez cum aliis, quos citat, ibidem vult, etiam quando diuersa quantitas relinquitur in eodem testamento, aut vna & eadem pluries variata, quia semel pure, & iterum sub conditione, aut quouis alio modo quoad qualitatem vel tempus, &c. deberi vtrumque legatum. Cæterum, vt diximus, contrarium affirmat *Glos. iuncta textui, l. centum, ff.* E *de adimend. legat.* Vniuersim autem, quando circa aliquid horum omnium constat, aliam fuisse testatoris voluntatem, illi est standum, non solum in conscientiæ, sed in exteriori foro: quoniam eiusmodi Iurisconsultorum definitiones solum sunt ad explicandum, quænam præsumenda sit testatoris voluntas, quando de ea aliunde non constat.

7 Quod ad tertiam partem attinet, si legatarius rem sibi legatam comparet titulo lucratiuo, puta donatione ab hærede, vel ab aliquo tertio, cuius illa erat, & qui eam sibi legauit, tunc expirat illud aliud legatum, ita vt neque æstimationem illius possit petere, iuxta ea, quæ in secunda parte disputationis hu- A ius dicta sunt: eo quod in vnum & eundem hominem, comparatione eiusdem rei, duæ causæ lucratiuæ concurrere simul non possint, iuxta iura ibidem citata. Ita Anton. Gom. *1. tomo var. resol. cap. 12. in calce numeri 38.*

8 Si vero legatarius rem legatam comparauit titulo oneroso, nempe emptione, permutatione, aut alio, tunc si res legata non erat testatoris, eamque comparauit vel à vero domino, vel ab aliquo tertio, siue viuente adhuc testatore, siue illo defuncto, & siue sciens eam sibi ab eo fuisse legatam, siue ignorans, non expirat legatum, sed petere possit æstimationem illius, idque siue pure sibi esset relictum, siue sub conditione, *l. plane, 1. §. quod si rem, & l. si à substituto, in prin. ff. de legat. 1.* & affirmant Bart. & Doctores communiter, quos *loco citato numero 35. Anton. Gom.* refert ac sequitur. B

9 Si autem res legata erat testatoris, legataque erat in diem, aut sub conditione, & eam legatarius titulo oneroso comparauit ab hærede, tunc adueniente die, aut impleta conditione, petere poterit æstimationem, siue illam comparauerit sciens sibi esse legatam, siue id ignorans, & siue eam comparauerit viuente adhuc testatore, siue illo defuncto. Ita probat textus *in l. si à substituto, citata*, & affirmant Glos. ibi, & Doctores communiter, quos Anton. Gom. *num. citato* sequitur. Probant etiam *l. 4 ff. ad L. Falcid.* & alia iura.

10 Si autem res legata erat testatoris, legataque erat pure, & legatarius, ignorans sibi esse legatam, eam titulo oneroso acquisiuit ab hærede, petere potest ab eo æstimationem, *l. huiusmodi, §. si seruum, ff. de leg.* C 1. & Doctores ibi communiter. Si autem sciens sibi esse legatam, emit illam ab hærede aut testatore, siue viuente adhuc testatore, siue post illius mortem, expirat tale legatum: quia eo ipso legatarius censetur illi renunciasse, *argumen. text. in l. illud, ff. de acquir. hæred. & in l. Titius, in princ. ff. quibus mod. pig. vel hypoth.* affirmant Bart. & Doctores communiter, quos Ant. Gom. *num. citato* refert ac sequitur.

SVMMARIVM.

1 *Nomine bonorum quæ comprehendantur.*
2 *Quid, quando aliquis est institutus hæres in aliquibus determinatis bonis, nullusque cum eo est institutus.*
3 *Quid quando iura & actiones non necessario veniunt computanda inter bona mobilia & immobilia: quid, quando necessario.*
4 *Quod nomine mobilium & immobilium bonorum comprehendi debeant iura & actiones, plus videtur extendere Conar.*
5 *Legatum bonorum mobilium iura, & actiones, nominaque debitorum non comprehendit, sed pertinet ad hæredes, quando testator aliter de eis non disposuit: comprehendit tamen pecuniam.*
6 *Legatum eorum omnium, quæ certo loco continentur, non comprehendit iura & actiones, esto instrumenta ibi contineantur.*
7 *Obiectio.*
8. 9 *Respondetur obiectioni.*
10 *Refellitur ratio Costæ.*
11 *Refertur sententia authoris.*
12 *Respondetur ad obiectionem propositam.*
13 *Si quis it á leget, Petro relinquo, quæ in tali capsa aut loco continentur, id censetur legatum.*
14 *Quid, quando legatum id omne est, quod aliquo loco continetur. Quid, si testator legauerit id omne, quod tempore mortis suæ in aliquo loco repertum fuerit.*
15 *Legatum apothecæ pannorum, si apotheca erat testatoris, solam apothecam comprehendit, alioquin solos pannos, nisi aliud intelligatur ex consuetudine loquendi testatoris.*
16 *Legatum lanæ aut lini quæ comprehendat.*

Lega-

LEGATVM OMNIVM MOBILIVM, an nomina debitorum contineat: Legatum omnium, quæ continentur certo loco, an comprehendat pecuniam & nomina debitorum ibi reperta, nec non res, quæ postea inferuntur. Et legatum apothecæ pannorum, an pannos, vel domum vel vtrunque contineat. Et obiter de legato lanæ ac lini.

DISPVTATIO 202.

VT disputationis propositæ duæ priores partes melius intelligantur, sciendum est. Nomine quidem bonorum comprehendi non solum mobilia & immobilia bona, sed etiam iura & actiones, vt constat *leg. nam quid. §. vltim. & l. si legatus. ff. ad Treb.* atque aliis iuribus, quæ, præter alios, Arius Pinel. *in rub. de bonis mater. part. 1. à num. 2.* citat. attamen nomine bonorum mobilium atque immobilium, simpliciter ac proprie loquendo iura & actiones non comprehendi, sed constituere tertium bonorum genus ab eis distinctum, vt constat *ex l. à Diuo Pio. §. in venditione. ff. de re iudicata. & l. & quam Tuberonis. §. peculio. ff. de peculio.* Bona namq; mobilia sunt corpora, quę de loco ad locum transferri possunt aliqua sunt iura & actiones, etiam ad res mobiles: bona vero immobilia, proprie loquendo, sunt corpora res ve corporeæ, quæ certum situm & locum habent, neq; de illo ad alium tranferri possunt, qualia non sunt iura & actiones, quæ situm ac locum, quo ambiantur ac cõtineantur, non habent. Ita communis Doctorum sẽtentia, quam referunt & sequuntur. *Couar. c. relatũ 2. de testam. n. 1. & 2. var. resol. 2. n. 3. Emmanuel à Costa. c. si pater part. 1. verb. bona sua à n. 2. fol. 60. & Arius Pinel. in Rubr. de bon. mater. part. 1. n. 2.* 4. Quo fit, vt plus contineatur, si quis damnetur, pœna amissionis omniũ suorum bonorũ, quam si addatur, mobilium, & immobiliũ, & plus si dicatur quempiã subiicere hypothecæ omnia bona sua, quam si addatur, mobilia & immobilia, quoniam factaea additione, non comprehẽdũtur iura & actiones, quę in illis prioribus verbis vna cum mobilibus & immobilibus bonis comprehendebantur, vt *Arius Pinel. loco citato à numero. 25.* recte admonuit. Merito tamẽ idem autor, n. 28. subiungit, quando sententia ferretur ad executionem legis statuentis pœnam amissionis omnium vniuersim bonorum, vt quando aduersus hæreticos, aut eos, qui crimen læsæ maiestatis humanæ commiserunt pronunciaretur sententia amissionis omnium suorum bonorum, esto adderetur, mobilium & immobilium, intelligi etiam iura & actiones: quoniam iudicis potius menti, iuris que dispositioni, quam verborum rigori, est standum.

Quando aliquis esset institutus hæres in aliquibus determinatis bonis, nullusq; cum eo esset institutus, tunc per ius accrescendi censeretur institutus in omnibus vniuersim bonis testatoris, etiam in iuribus & actionibus, vt ex dictis disput. 155. est manifestum: atq; id est, quod colligitur *ex l. 1. §. si ex fundo. ff. de hered. instituend.* Vnde immerito ex illo textu colligũt aliqui in bonis mobilibus & immobilibus comprehendi iura & actiones. Quin potius si duo instituãtur hæredes, vnus bonorum mobiliũ, & alius immobilium, aut vnus in certis aliquibus bonis corporalibus, & alius in reliquis tam mobilibus quam immobilibus, adhuc iura & actiones, nominave debitorum diuidenda sunt inter vtrumq; eo modo, quo disp. 155. explicatum est, vt Emmanuel à Costa *loco citato n. 2. 5.* & sequentibus recte ostendit.

Panor. *c. nulli de reb. eccles. non alienand. n. 9. & 10.* re-

A cte ait quando iura & actiones non necessario veniunt computanda inter bona mobilia & immobilia, constituere tertium genus bonorum ab vtroq; distinctum, vt dictum est. Quando vero necessario veniunt computanda, quia loquens quis manifeste de toto patrimonio nomine mobilium & immobilium illud adæquate diuisit ac nõ cõprehẽdit, tunc iura & actiones ad res mobiles, computanda esse cum bonis mobilibus iura autem & actiones ad res immobiles numeranda esse cum rebus immobilibus, iuxta *gl. in auth. de reb. Eccl. non alien. §. 1. & Bart. l. potest populus. ff. de auctor. tut. quos Emmanuel à Costa loco citato n. 13.* sequitur, affirmant eam esse communem opinionem.

B Quod nomine mobilium & immobilium bonorum, comprehendi hodie sæpe debeant iura & actiones propter communem loquendi, vsum, plus videtur extendere Couar. *c. relatum. 2. de test. in calce n. primi* quam hactenus ex communi Doctorum sententia dictum sit: non tamen recederem à communi sententia quam Emmanuel à Costa & Arius Pinellus referunt atq; amplectuntur. 4

His ita constitutis, quod ad primam disputationis propositæ partem attinet, iam facile patet in legato bonorum omnium mobilium non comprehendi iura & actiones, etiam ad res mobiles, atq; adeo nec debitorum nomina: sed pertinere ad hæredes, nisi aliter de eis testator disposuerit. Ratio est, quoniam non sunt bona mobilia, sed sunt tertium bonorum C genus à mobilibus & immobilibus distinctum: id quod ex statim dicendis magis perspicuum fiet. Pecunia autem comprehenditur: quia revera bonum mobile est. Ita Emmanuel à Costa *loco cit. num. 11. & 12. & alii*, quos citat, neq; ea de re est dubitandum. 5

Quod attinet ad secundam partem, dicendum est. In legato eorum seu bonorum, quæ certo loco continentur, etiamsi dicatur omnium quæ ibi continentur, non comprehendi iura & actiones, etiamsi instrumenta talium iurium & actionum ibi contineantur. Ita *Emmanuel à Costa. c. si pater. par. 1. verb. bonus à nu. 6. fol. 62. Aries Pinel. in rub. de bonis mater. par. 1. à n. 10. Aluar. Valas. 1. tom. consul. 59. consul. nu. vlt.* & communi Doctorum sententia, quam referunt. Id habetur aperte *l. Caius in prin. ff. de leg. 2. l. vxorem. §. legauerat. vers. quæsitum est l. quæsitum est §. 1. l. prædia. §. pater filiæ, & l. si mihi in prin. & §. vlt. ff. de leg. 3. l. si fideicommissum. §. contractum. ff. de iudicijs*, illis verbis: *cum non loci sit. res alienum l. quæsitum est & pen. l. Papinianus. ff. de fundo instructo*, & aliis iuribus. 6

D Verum obiiciet aliquis. Chirographa, seu instrumenta, quibus actiones & iura continentur, reuera res mobiles sunt; vereq; certo loco continentur: ergo in legato rerum, seu bonorum omnium, quæ in domo aliqua, aut alio determinato loco continentur, comprehendentur eiusmodi instrumenta, si ibi sint. Tunc sic, legato Chirographo, aut instrumento, in quo debitum aut quod cunq; ius vel obligatio continetur, censetur legatum tale debitum, ius, aut obligatio, vt constat *ex l. seruum filii. § eum qui Chirographum. ff. de leg. 1. & ex l. qui chirographum. ff. de legat. 3. &* E ex aliis iuribus; ergo in legato rerum aut bonorum omnium, quæ certo loco continentur, comprehenduntur iura & actiones, quæ instrumentis ibi repertis continentur. 7 *Obiectio.*

Emmanuel à Costa *loco citato à nu. 7.* vt huic obiectioni satisfaciat, reiicit communem rationem, quæ reddi solet cur in legato bonorum, quæ certo loco continentur, non comprehendantur debita iura, & actiones, esto Chirographa & instrumenta eorum illo in loco contineantur nempe quia debita, iura, & actiones incorporalia sunt, ac proinde nullo loco continentur. Rationem hanc idcirco Emmanuel à Costa reiicit, quoniam inquit, iurisconsultus *in l. Caius citata*, non tam de actionibus & iuribus fuit lo- 8 *Opinio Costa.*

cutus, quæ nullo loco continentur, quam de nomi- A nibus creditorum, hoc est, scripturis & instrumentis eorum, quæ debitorum nomina ex eo dicuntur, quod fieri antiquitus consueuerint adhibitis nominibus sub quadam forma, quæ hodie non est in vsu vt habetur *Inst. de literarum obligationibus in prin.* at vero inquit, iurisconsultus ea in lege negat, quin potius affirmat, eiusmodi scripturas & instrumenta eo in loco contineri. Legitimam rationem cum Dyno Alberico, & Imola ait esse, quoniam quando legatur domus, & omnia quæ in ea continentur, solum censentur legata, quæ ibi sunt gratia perpetui vsus; non vero quæ casu ibi sunt, vel ad tempus, vt constat *ex l. si ita legatum, ff. de leg.* 3. quare, cũ debitorum nomina, seu eiusmodi Chirographa aut instrumenta, non sint eo in loco, vt perpetuo ibi sint, sed donec exactio fiat à debitoribus, consequens est, vt nõ B comprehendantur in legato earum rerum, quæ in eo loco continentur.

9 Hac eadem ratione neq; pecunia, quæ eo in loco continetur, nisi ibi fit perpetuo tanquam thesaurus, & non ad negotiationem, vel ad sumptus, censetur comprehensa in legato omnium, quæ in aliquo loco continentur, vt habetur expresse *l. si ita legatum, l. vxorem. §. legauerat vers. item quæsitum est l. quæsitum est. §. Meui l. si chorus §. 1. l. prædiis §. pater plia. & l. si mih. §. vlt. ff. de leg.* 3. atq; aliis iuribus, affirmantque *ibi.* Glossæ & Emmanuel à Costa *loco citato n.* 10. atq; alii Doctores.

10 Licet autem ratio hæc Emmanuelis à Costa non *Refellitur.* omnino sit contemnenda, mihi sane non probatur. Iuxta eam namq; Chirographa, seu scripturæ, quæ in eo loco continentur, vt perpetuo ibi seruarentur, C quia in illis continetur ius perpetuum ad annuos reditus, aut aliquod aliud ius, quod in perpetuum duraret; censerentur legata, & cum eis ius illud perpetuum, quod tamen neq; ipse Emmanuel à Costa concedet.

11 Dicendum igitur arbitror, rationem, quę à Doctoribus communiter redditur, esse optimam, si recte intelligatur. Chirographa namq; eiusmodi ve scripta instrumenta, duobus modis spectari possunt. Vno, quatenus papyrus atq; scripta quædam sunt, quo pacto certo quodam loco continentur, sed nullius pretij valoris ve sunt, aut certe perexigui: neq; illorum ita spectatorum ratio habetur in legatis. Altero quod iura & actiones, quæ ex illis probantur, exigique possunt, atque ratione eiusmodi iurium, seu D quod eiusmodi iura, quæ vere bona sunt multo pretio æstimabilia, non esse in loco; ac proinde neq; comprehendi legato eorum omnium, quæ in certo aliquo loco continentur.

12 Ad obiectionem propositam dicendum est, Chi- *Ad obiectionem.* rographa atq; instrumenta, quibus actiones & iura tanquam instrumentis vnde probantur continentur, esse quidem bona mobilia, & contineri loco, quatenus papyrus & scripturæ quædam sunt, sed ea ratione nullius esse momenti; atq; de eis ita spectatis l. C *itus*, & aliis innui esse in loco legati; non vero ratione actionum & iurium, quæ ex illis probantur; quare, si de eis hoc modo spectatis fit sermo (quo pacto Antecedens instituto inseruiret) neganda est pri- E ma Consequentia. Ad id vero, quod vlterius subsumitur, dicendum est, legato Chirographo in singulari, aut sub nomine Chirographi vel instrumenti, censeri legatum ius, quod illo continetur; quoniam non est aliud quod in eo euentu præsumi possit testatorem legare voluisse, eoq; pacto intelligi iura illa, quæ citantur. Si vero neq; instrumenta ipsa, nec iura & actiones in eis contenta, censeri legata nomine eorum, quæ in aliquo loco continentur, quando aliquid aliud in eo cõtinetur pro quo verũ ac validũ possit censeri tale legatum, vt Glossæ *l. Caius*, & aliis iuribus citatis recte distinguunt, atq; propositæ obiectioni tacite respondent.

Illud est obseruandum, si quis ita legasset, Petro relinquo quæ in tali capsa aut loco continentur: neque in eo aliud reperitur, quã Chirographa aut pecuniæ: id censeri legatum: quoniam tunc, ne nullum dicamus esse legatum, id credendum est testatorem voluisse legare, vt iuxta *l. si quando. ff. de lega.* 1. *l. quoties* 2. *ff. de rebus dubiis*, aiunt Emmanuel à Costa *vbi. supra n.* 7. & Aries Pinel. *in rub. de bonis mater. par.* 1. *n.* 12. Idemq; non solum in conscientiæ, sed in exteriori foro dicendum est, quando aliunde constat nomine eorum, quæ in aliquo loco continentur, testatorem Chirographa etiam, creditorumve nomina intellexisse, vt patet. *ex l. quæsitum est* §. *Meui ff. de leg.* 3. & ex aliis iuribus. Si item aliquis legasset, quæ in aliquo loco continentur, & addidisset, cum debitis & crediris, aut cum mensa vel calendario seu libro rationum ac debitorum, non est dubium censeri etiam legata debitorum nomina, iuxta *l. cum pater.* §. *mensæ. ff. de leg.* 2. & affirmat Glos. *l. Caius in prin. ff. eod. titu.* Bart. & alij quos Alu. Val. *consul.* 59. refert ac sequitur.

Quando legatum id omne est, quod aliquo loco 14 continetur, tunc si aliquid casu ibi illatũ sit, aut inde abfit, neq; auget, neq; minuit legatum *l. si ita legatum. ff. de lega.* 3. Quod si testator legauerit id omne, quod tempore mortis suæ in aliquo loco repertum fuerit, tunc si quid industria legatarij aut aliter contra præsumptam testatoris voluntatem illatum sit, non debetur sed pertinet ad hæredes *l. si ita legetur in prin. ff. de leg.* 2. *& l. pen. §. vlt. ff. de auro & argento legato.* Quod vero iussu, aut consensu expresso, vel tacito, aut præsumpto testatoris illatum fuerit, id totum debetur legatario. §. *vlt. citato.* Si quid contra testatoris voluntatem ablatum in legatarij præiudicium, manifestũ est, id etiam legatario deberi. Quando testator legat vestem suam alicui, vel equum suum, aut aliquid simile, id solum legare censetur, quod suum est tempore, quo testamentum condit, non vero, quod suum postea erit. Vnde si de nouo conficiat sibi vestem, aut emat equum, non censetur id comprehensum in eo legato *l. si ita legatum. ff. de auro & arg. legato.* His de rebus Ant. Gom. *primo tom. var. resc.* 12. *n.* 49. *& 50.* 15

Quod ad postremam disputationis partem attinet, Alu. Val. *consul.* 59. *citata*, distinguit. Quoniam vel testator dominus erat apothecæ, in qua panni continentur, vel non: In primo euentu ait, solam domum censeri legatam: quoniam verbum illud, pannorum, potius censetur adiectum ad demonstrandum apothecam (quemadmodum *l. qui tabernas iuncta glos. ibi. ff. de contrah. empt.* tabernæ argentariæ intelliguntur: *in* quibus venditur *argentum*) quam ad intendendum legare pannos apothecæ. In secundo vero euentu ait, censeri legatos pannos, sumpto continenti pro re contenta, idq; vt legatum aliquid operetur. quando enim commode fieri potest, interpretari debemus legatum, ita vt aliquid operetur *l. si quando. ff. de leg.* 1. *& l. quoties* 2. *ff. de reb. dubiis*: potiusque censendum est intendisse legare, quod suum est, quam quod est alienum, quando de vtrouis intelligi non absurde potest legatum, vt in re proposita euenit, refertq; Aluar. se abstinuisse in hac causa. Quãdo tamen ex circumstantiis, modoq; alioquin testatoris aliud intelligeretur, tam in conscientiæ quam in exteriori foro, testatoris voluntati esset standum.

In calce huius disputationis addendum est, in le- 16 gato lanæ contineri quæ separata est à corpore animal etiamsi corio ab animali separato adhæreat; quin & ratione lanæ corium eodem legato contineri. Item comprehendi lanam, etiamsi redacta sit iam in stamen, modo tela non sit iam confecta, & modo lana non sit iam tincta. In legato autem lini, comprehenditur etiam tela, & linum tinctum. Hæc habentur *l. si cui lana. ff. de l.* 3. & affirmãt Bartol. & alii quos

Ant.

Ant.Gom.*vbi supra n.*55.refert ac sequitur.Crediderim tamen, hæc fancita tunc fuisse iuxta loquendi morem ea tempestate latino idiomate: hodie vero in vnaquaq; regione consuetudini loquendi eius loci est standum,præsumptæq; testatoris voluntati: in dubio autem adhærendum est dispositioni legis. Si cui lana.

SVMMARIVM.

1 *Legatum vsusfructus rerum omnium testatoris, comprehendit vsumfructum etiam venalium.*
2 *Legatum rerum certi generis aut generum non comprehendit venalia eiusdem generis.*
3 *In legato rerum, quæ certo loco continentur, non comprehenduntur res venales quæ ibi fuerint repertæ.*
4 *Secunda & tertia conclusio quomodo intelligendæ sint.*
5 *Si quis dicat lego Petro frumentum aut lanam, quæ in tali loco habeo, neque ibi tempore legati habeat nisi venale frumentum aut lanam venalem, censetur hæc ipsa legasse.*
6 *Si testator dicat, lego Petro frumentum, quod quocunque modo in tali loco habeo, comprehendit etiam venale.*
7 *Quid, quando testator legauit existentia in certo loco.*
8 *Si quis dicat, lego Petro omnia quæ in tali loco habeo, præter lanam ibi repertam, quæ comprehendat.*
9 *Non solum si quis obliget subiiciat ve hypothecæ omnia sua bona, subiecta etiam censentur venalia, sed etiam si subiiciat omnia alicuius generis.*
10 *In hypotheca tacita, siue expressa, rerum certo loco contentarum non includuntur venales, neque cetera ad tempus solum ibi existentes, nisi aliud de mente contrahentium constet*

AN IN LEGATO VSVSFRVCTVS, aut rerum certi generis, vel quæ in aliquo loco continentur, venalia etiam comprehendantur.

DISPVTATIO 203.

DIsputatio hæc cum præcedente est coniuncta. Eam vero cum Couar. 2. *var. resol.* c. 5. nonn. illis conclusionibus expediemus.

1 *1. Conclus.* Prima est. Legatum vsusfructus rerum omnium testatoris, comprehendit vsumfructum etiam rerũ venalium. Ita colligitur *ex l. quoties. §. vlt. ff. de vsufructu*, & cum Bart. & aliis affirmat Couar. *c. 5. citato nu.* 1. Vtiuersalis. n. ea locutio, quicquid in substantia testatoris continetur, comprehendit: notum autem est, etiam res venales ad ipsius substantiam pertinere. Idem aduersus Decium censet esse Couar. cum Bart. esto legatum fit indefinitum rerum omnium, vt si testator dicat, lego vsumfructum bonorum meorum Petro. Ratio est, quoniam indefinita in re proposita æquipollet vniuersali, vt *n.* 3. *ante* §. 1. *siquidem*, subiungit.

2 *Conclus.* Secunda conclusio. Legatum rerum certi generis, aut generum, vt lanæ, frumenti vel seruorum testatoris, etiamsi adiectum sit vniuersale signum, & testator dicat, lego Petro omnes seruos meos aut omne frumentum, & omnem meam lanam: non comprehendit venalia eiusdem generis. Vt si testator habeat quatuor seruos sui obsequij & multos alios venales mercimonij gratia, solum illos quatuor comprehendit legatum illud. Coua. *n.* 1. *citato* cum Bart. Alex. & aliis; idq; probat *l. seruos. §. vl. ff. de leg.* 3. cuius hæc sunt verba. *Eum, qui venalitiariam vitam exercebat, puto suorum numero non facile contineri velle huiusmodi mancipia, nisi euidens voluntas fuerit, etiam de his sentientis.* Nam quos quis ideo comparauit, vt illico distraheret, mercis magis loco, quam suorum habu A isse credendum est. Esto autem testator seruum suum alteri in pignus dedisset, vel operas illius alteri locasset, non proinde desineret esse ipsius seruus, ac proinde in eo locato comprehenderetur, vt *eadem l.* habetur. Eadem conclusio probatur ex *l. pediculis. §. item cum quereretur. ff. de auro & argen. leg.* vbi cum testatrix cuidam in hunc modum legasset: *habeto ornamentum meum omne muliebre cum auro, & si quæ alia muliebria apparuerint*: illaq; mercaturam exerceret, haberetque venalia alia, quæ ad muliebre ornamentum pertinerent, respondit Paulus Iurisconsultus, non videri id legatum, quod negotiandi causa venale proponi soleret, nisi de eo quoq; sensisse, is, qui petit, probet.

Tertia concluſ. In legato rerum, quæ certo loco 3
continentur, non comprehenduntur res venales, *Conclusio.*
B quæ ibi fuerint repertæ. Ita cum Bar. & aliis Couar. *loco citato n.* 4 eamque conclusionem probat *l. Generali. §. vxori. ff. de vsufructu legato*, cuius hæc sunt verba. *Vxori maritus vsumfructum domum & omnium rerum, quæ in his domibus erant excepto argento, legauerat. item vsumfructum fundorum.* Quæsitum est, an lanæ cuiusq; coloris mercis causa paratæ, item purpuræ, quæ in domibus erant, vsusfructus ei deberetur Respondi, excepto argento & iis, quæ mercis causa cõparata sunt, cæterorum omnium vsumfructum habere legatariam. Et quod ad salinas attinet, subiungit *Deus legande, quæ venalia ibi essent, non sensisse testatorem.* Eandem conclusionem probant *l. pediculus. §. item cum quæreretur. ff. de auro arg. leg. l. ex facto proponebatur. §. rerum autem fructuarium. ff. de hæred. inst. & l. debitor. ff. de pignor.*

C Secunda nihilominus & tertia conclusio intelli- 4
gẽdæ sunt nisi expressa aut tacita testatoris voluntas suaserit comprehendere in eiusmodi legatis etiam venalia illius generis, aut quæ in eo loco reperirentur: id quod satis aperte docetur verbis *ex l. seruos. & ex l. pediculis, suprà relatis*, & affirmant Couar. *n.* 2. *citato*, & Doctores quos citat.

Vnde cum Accurſio & aliis, quos citat, infert. Pri- 5
mo, siquis dicat, lego Petro frumentum, aut lanam, quæ in tali loco habeo, neque ibi tempore legati habeat nisi venale frumẽtum, aut lanam venalem, hęc ipsa censeri legasse: quoniam ea creditur fuisse voluntas testatoris: ne legatum sit nullum, vt colligitur *ex l. si quando. ff. de leg.* 1. *& l. quoties* 2. *ff. de reb. dub.*

Secundo cum Bar. & plerisq; aliis infert, si testa- 6
D tor dicat, lego Petro frumentum, quod quocunq; modo in tali loco habeo, comprehendere etiam venale, verbum namque illud, quod quocunq; modo habeo, significat se loqui etiam de venali, *argum. glo. in simili, Clem 1. de sententia & re iudicata verb. quanis.*

Tertio, cum Decio & Panor. infert, quando testa- 7
tor legauit existentia in certo loco: illa autem erant fructus ex prædiis percepti, qui tanquam superflui erant vendendi, non tamen ibi erant negotiationis causa, ex testatoris mente comprehendi in eo legato: quoniam id præsumendum est eo legato inten disse.

Quarto cum eodem Decio & aliis infert, si quis ita 8
dicat, lego Petro omnia, quæ in tali loco habeo, præter venalem lanam ibi repertam; comprehendi cætera omnia venalia inibi existentia, præter lanam.
E Ratio est, quoniam exceptio non est nisi de comprehensis in regula: cum ergo testator lanam venalem exceperit à tali legato, coniectura manifesta est, nomine inibi existentium, comprehẽdere voluisse etiam venalia, iuxta *text. in l. quæsitum. §. denique. ff. de fundo instruc.* & alia iura quæ Couar. *vbi suprà num.* 6. citat.

Vt vero subiectionem bonorum hypothecæ cũ 9
legato conferamus 4. conclusio est. Non solum si- *4. Conclus.*
quis obliget, subiiciat ve hypothecæ omnia sua bona, subiecta etiam censentur venalia, sed etiam, si subiiciat omnia alicuius generis: puta omne frumentum, aut lanam, censentur subiecta venalia eiusdem

iusdam generis, dummodo restrictio non fiat ad bona fictitius loci. Habetque hoc verum, non solum si hypotheca expressa sit, sed etiam si sit tacita. Ita cum Bart. Alex. & aliis affirmat Coua. *c.5.citato n. 2. iuxta l. cum tabernam in prin. & §. vlt. ff. de pignorib.* Ratio huius discriminis inter legatum rerum certi generis, & hypothecam rerum similiter certi generis, est, quoniam in legato agitur de præiudicio maximo hæredum, in hypotheca vero solum intenditur vt creditor, quod sibi debetur, obtineat.

10 Quinta conclusio. In hypotheca, siue tacita siue expressa, rerum certo loco contentarum non includuntur venales, neque cæteræ ad tempus solum ibi existentes, nisi aliud de mente contrahentium constet. *l. debitor. ff. de pignorib. & l. certi iuris, iuncta glos. ibi.* C. *de locato. Couar. loco citato n. 2. & in calce n. 9.* & Doctores quos citat.

Garcia Cens. 1.

SVMMARIVM

1 *Legatum quotæ hæreditatis quam vim habeat.*
2 *Quid de legato quotæ bonorum censendum.*
3 *Quid, quando partus in Castella quempiam descendentium meliorauit in tertio, & quinto suorum bonorũ.*
4 *Quid, quando parens meliorauit in tertio, aut in quinto quempiam descendentium, vel in solo quinto aliquem extraneum.*
5 *Quid descendenti in tertio & quinto concedatur.*
6 *Eiusmodi melioratio in tertio & quinto est legatum.*
7 *Quid, quando quis melioratur in tertio aut in quinto bonorum defuncti.*
8 *Melioratus in tertio & in quinto repudiare potest hæreditatem, & accipere prælegatum.*
9 *Melioratus non secus tenetur soluere pro rata debita defuncti quæ post bonorum partitionem apparuerint, quam si in tertio & quinto esset hæres institutus.*
10 *Si quis melioret aliquem in tertio & quinto, aut tertio vel in quinto, atq; eligat rem aliquam, in qua id obtineri debeat, illaque non pertingat ad valorem talis quotæ, vtrum meliorato soluendum sit decrementum.*
11 *Si quis testator dicat, melioro meum filium in tertio & in quinto, idque obtineat in tali fundo aut talibus meis bonis, an debeatur decrementum.*
12 *Authoris sententia.*
13 *Quid, quando bona, quæ testator elegit, vt in eis tertium & quintum solueretur, excedant valorem talis tertij & quinti.*
14 *Vtrum, quando filius caret descendentibus, sed habet ascendentes, & prælegat vim eorum tertium suarum bonorum posse eligere rem certam, in quibus sit soluendum.*
15 *Neque in prælegato tertio facto ascendenti, neque in legato quinti facto extraneo locum habet lex 21. Tau.*
16 *Vtrum si quis descendentibus & ascendentibus careat, leget quotam aliquam suorum bonorũ alicui, sit ei in Castella soluenda de bonis testatoris, an optio sit penes hæredes soluere potius æstimationem iuxta dispositionem iuris communis.*
17 *In Lusitania tertium bonorum relinqui potest non solum tituli legati, sed etiam hæredis.*

DE LEGATO QVOTAE HAEREDITATIS, aut bonorum, & in quibus bonis sit soluendum.

DISPVTATIO 204.

1 DIscrimen est inter legatum quotę hæreditatis & quotæ bonorũ testatoris: quod illud vim habet institutionis hæredis vniuersalis vna cũ aliis hęredibus. Quare ad talẽ legatarium transeunt onera defũcti pro rata portionis sibi relictæ ac proinde actiuæ actiones, quæ defuncto cõpetebãt, & passiuę quæ aduersus illũ poterant exerceri: accipereq; debet quotam illam ex ipsismet bonis defuncti, perinde atque cæteri hæredes, neque illi satis fit, si sola æstimatio ei offeratur *l. si quis seruum. §. vlt. ff. de leg. 2. l. 1. in prin. & l. mulier. §. vlt. ff. ad l. Trebell.* & affirmant Moli. *lib. 1. de primogen. c. 10. n. 7.* Ant. Gom. *1. tom. var. resol. c. 12. n. 21. &* Doctores, quos citat. A

Legatum autem quotæ bonorum est propriissime legatum, & de iure communi in optionem hæredum est vel soluere solam æstimationem, vel tradere quotam illam ex ipsismet bonis defuncti, modo tamen sine detrimento diuidi possint: alioquin coguntur soluere æstimationem. Quod si circa valorem inter hæredes & legatarium non conueniat, iudex illos componet. Ita habetur *l. non amplius. §. vlt. ff. de leg. 1.* & affirmat communis Doctorum sententia quam Ant. Gom. *nu. 21. citato, & l. 10. Tauri n. 2. &* 3. refert ac sequitur. Quod autem dominium eiusmodi legati ante traditionem ad legatarium nõ pertineat, & à quo tempore fructus talis legati ad eum spectent, dictum est disp. 194. Ad eiusmodi etiam legatarium onera defuncti non transeunt, ac proinde neq; actiuæ neque passiuæ actiones, sed creditores ab hæredibus petere debent debita defuncti. Nomine namq; bonorum defuncti, intelliguntur ea, quæ supersunt deducto ære alieno *l. subsignarum. §. bona. ff. de verb. sign.* & de iis, quæ ita supersunt, censetur legata quota legatario: estq; illi soluenda: quod si postea alia debita appareant creditores petunt illa ab hæredibus, sed hæredes exigunt ab eiusmodi legatario, q; plus quam ei debebatur, ideo accepit, quia eiusmodi debita ignorabantur. Quemadmodum autem in hę reditate includitur æs alienum, ita etiam in quota hę reditatis quota ęris alieni defuncti includitur. Discrimen hoc inter quotam bonorum, & quotam hæreditatis, probant *l. cum autem, iuncto. §. vlt. legu antecedentu. ff. de leg 2. & l. 1. C. si cert. pet.* affirmantq; Molina *1. lib. de primog. c. 10. num. 8.* Ant. Gom. *n. 21. citato, & l. 20. Tauri n. 2. &* 3. & communis Doctorum sententia quam referunt. B C

In Regno Castellæ *l. 19. Tauri*, quæ est *3. tit. 6. lib. 5. noua collectionis*, sancitum est, vt parens, qui quempiã descendentiũ meliorauerit in tertio & quinto suorum bonorum, possit sibi deligere rem certam, vel partem certam suorum bonorum, in qua talis melioratus id obtineat, dummodo, quod ita elegerit, nõ excedat valorẽ talis tertij & quinti: non tamen permittitur parenti eo pacto melioranti, vt committat alteri electionem illam rei certæ, aut partis bonorũ, in qua melioratus tertium illud & quintum debeat accipere. 3 *Leg. Castell. 1a.* D

L. 20. *Taur. quæ est 4. tit. 6. citati*, constitutum est, vt quando parens meliorauerit in tertio, aut etiam in quinto, quempiam descendentium, vel in solo quinto aliquem extraneum, hæredes teneantur illud soluere, aut in re, aut parte hæreditatis, quam testator, iuxta legem præcedentem, ad id sibi delegerit, vel, si nihil delegit, in parte bonorum defuncti: neq; satis faciant, si æstimationem offerant. Excipitur, nisi testatoris bona eiusmodi sint, vt fine detrimento diuidi nequeant: nam tunc hæredibus conceditur, vt in pecunia possint soluere æstimationem. 4

L. item. 21. quæ est 5. tit. 6. cit. descendenti in tertio & quinto meliorato conceditur, vt repudiare possit hę reditatem ascendentis, qui eum meliorauit, & acceptare prædictam meliorationem, ita tamen, vt prius soluantur debita omnia defuncti, quæ tempore partitionis bonorũ apparuerint, detracta à tali tertio & quinto pro rata portione eorum debitorum, & vt, si quę alia posteà cõparuerint, teneatur de eo tertio & quinto pro rata ea soluere, non secus, ac si hæres esset institutus; idq; siue obtinuerit tertium & quintum in re certa à testatore designata, siue in parte bonorum defuncti. 5 E

Couar. *2. var. resol. c. 2. nu. 2.* cum aliis Doctoribus Hispanis quos citat, recte affirmat, eiusmodi meliora- 6

tionem

tionem in tertio & quinto legatum esse, seu prælatum, quando eo pacto melioratus simul est hæres cum aliis in reliquis bonis defuncti: quia enim, præter portionem, in qua hæres cum aliis instituitur, accipere id debet; merito prælegatum dicitur. Consentiunt Ant. Gom. *1. tom. var. resol. c. 12. n. 21.* & Molina *lib. 1. de primog. c. 10. à n. 13.* atq; præter ea, quæ hactenus dicta sunt, id confirmant verba illa *l. 21. Tauri*: non secus ac si hæres esset institutus: quibus aperte docetur meliorationem illam non esse hæredis institutionem, sed legatum, aut prælegatum.

7 Quando ergo melioratur quis in tertio, aut in quinto bonorum defuncti, quod soluendum id sit de bonis ipsis defuncti, & non in æstimatione ad arbitrium hæredum, imo & quod eligere possit testator rem, aut partem suorum bonorum, in qua melioratus id debeat obtinere, siue descendens sit testatoris, siue extraneus, vtique in Regno Castellæ dispositio est corrigens ius commune.

8 Quod melioratus in tertio & in quinto repudiare possit hæreditatem, & accipere ita prælegatum, consonum est iuri communi: *l. qui filiab. §. vlt. & l. eq. ff. leg. 1.* vbi statuitur, hæredem, cui aliquid prælegatum est, posse accipere integrum legatum, & repudiare hæreditatem. Idem disponitur *l. 2. tit. 9. part. 6.* & aliis iuribus, quæ Greg. Lopez *ibidem* citat.

9 Quod vero melioratus non secus teneatur soluere pro rata debita defuncti, quæ post bonorum partitionem apparuerint, quam si in tertio & quinto esset hæres institutus, affirmant Couar. *loco citato* & alij, quos tam ipse, quam Molina *lib. 1. de promog. c. 10. n. 13.* citant, correctionem esse eius iuris communis, iuxta quod diximus supra creditores exigere non posse debita à legatario in quota bonorũ, sed ab hæredibus, hæredes vero petere à tali legatario posse quod de eo debito in quota bonorum ipsi persoluta accepit.

Obseruã tamen, quatenus hac lege statuitur, vt ita melioratus soluere teneatur pro rata debita quæ comparuerint, non esse correctionem iuris communis, quin potius stando in solo iure communi eo pacto id esse faciendum, vt Greg. Lopez *l. 2. citata* recte adnotauit. Etenim cum de iure communi legitimæ descendentium aut ascendentium nullum imponi possit grauamen: & legitima sit quota bonorum defuncti, quæ deducto ære alieno, vel de iure communi, vel de iure particularium Regnorum statuta est: sane quamuis, quando legata seu meliorationes non pertingunt ad totam quantitatem, de qua libere poterat defunctus disponere, onus soluendi æs alienum solis hæredibus incumbat, aut iis, qui loco hæredum habentur, quando tamen legata aut meliorationes id omne complectuntur, de quo testator libere poterat disponere, vt est in Regno Castellæ inter descendentes tertium & quintum, & inter extraneos solum quintum, quando testator habet descendentes, & quando eis caret, & habet ascendentes, solum tertium: & in Lusitaniæ Regno est solum tertium, siue testator descendentes habeat, siue solum ascendẽtes: vtiq; si quæ debita post partitionem bonorum compareant, tenentur eiusmodi melio rati, seu legatarij, stando in solo iure communi, contribuere pro rata ad illorum solutionem: alioquin hæredes manerent grauati in portionibus legitimis ipsis debitis, quod ius Commune non patitur.

Atq; ab his non dissentit Cou. *n. 2. cit.* si attente legatur. Molina *loco cit.* aduersus Cou. & multos alios Hispanos Doctores contendit, non esse sensum *legis illius 21. Tauri*, quod melioratus in tertio & quinto eo modo teneatur pro rata soluere debita, quæ post partitionem apparuerint, quo tenentur hæredes, quasi in melioratos transeant actiones passiuæ, possintq; immediate conueniri à creditoribus, sicut cõueniri possũt hæredes, sitq; proinde lex illa correctio iuris communis: sed sensum illius esse, quod in effectu, ita teneantur pro rata soluere, ac si essent hæredes: non tamen creditoribus, quibus aduersus eiusmodi melioratos nulla competit actio, sed hæredibus ipsis, iuxta ea, quæ de iure communi dicta sunt. *Decisio* Atq; hæc sententia placet. Tum quia correctio iuris communis, quoad fieri possit, non est admittenda. Tum etiam; quoniam lex illa sic habet. *Sean obligados los tales maiorados alas pagar pro rata como si fuẽsen herederos en lo dicha maioria*: quæ verba optime patiuntur sensum illum. Tum denique propter multa alia, quæ apud eum auctorem legere licebit. Admonet tamen illa, tutius esse in eo Regno creditores actionẽ intentare aduersus hæredes, & melioratos simul, ne, si aduersus solos hæredes illam intentent, succumbant quoad portionem, quam meliorati soluere tenentur propter opinionum varietatem: præsertim cum ille alius intellectus illius legis communior apud Doctores Hispanos huc vsque fuerit.

10 Dubium circa prædicta est, si quis meliores aliquẽ in tertio & quinto, aut tertio, vel in quinto, atq; eligat rem aliquam, in qua id obtineri debeat, illaq; nõ pertingat ad valorem talis quotæ, vtrum meliorato soluendum sit decrementum. Et quidem quando quis in hunc modum disponeret: lego filio meo talem fundum, aut eum in tali fundo melioro, eumq; fundum in tertio & quinto meorum bonorum assumo: non deberetur illi decrementum: quoniam in solo eo fundo conferetur melioratus, non vero in tertio & quinto. Veruntamen tunc non teneretur contribuere ad debita defuncti, nisi quando legatum illud vna cum reliquis quæ idem testator relinqueret, impedimento essent, ne si debita omnia soluerentur, hæredes defraudarentur in suis legitimis portionibus, ita Molina *1. lib. de primog. c. 10. n. 14. & Couar. n. 2. citato*. *Dubium.* *Decisio.*

11 Quando vero testator diceret: melioro filium meum in tertio & in quinto, idq; obtineat in tali fundo, aut talibus meis bonis, ait Ant. Gom. *l. 17. Tauri. n. 14. iuncta l. 19. n. 3.* non deberi decrementum. *arg. tex. in l. si quis seruum. §. si quis ita legauerit. ff. de leg 2.* & aliorum iurium quæ citat. Contrarium tamen affirmant Cifuentes, quæ Ant. ipse Gom. citat. & Moli. *n. 14 cita 9*, qui hanc communem esse ait Doctorum opinionẽ: eamq; censeo amplectendam. Quoniam id non est restrictio legati ad eum solum fundum, sed est ostẽsio, & electio, in qua re soluit debeat, quæve bona complecti debeat. Præterea, quia eam probant *l. quidam testamento in prin. ff. de leg. 1.* & alia iura, quæ Ant. Gom. citat; & quibus sane non satisfacit. Qui namq; sub forma, de qua disputamus, meliorat, vtiq; post perfectam meliorationem in tertio & quinto, ad executionem actus, atque iuxta facultatem ad eligendum, in qua re melioratio solui debeat, assumit eum fundum, aut bona alia: Ant. autem Gom. ait, ea iura esse intelligenda, quando hoc eodem pacto fit legatum. Iura vero, quibus Ant. Gom. nititur, solum loquuntur, quando legatum fit de aliquibus certis bonis, ex quibus præcisè soluatur, quorum tunc ad eadem taxat bona censetur restrictum legatum, vt quãdo præcipit dari decem mensuras tritici, aut vini, ex iis, quæ in tali loco habet: si namq; eo in loco solum habeat quinq;, debentur tantum quinq; ibi repertæ, non vero aliæ quinq; quæ ibi desunt.

12 Iuxta hanc nostram sententiam dicendum est, esto ante testatoris mortem res illa pereat, in qua tertium & quintum ita legatum assumpsit, soluendum esse ex bonis remanentibus tertium & quintum, tam quam id, quod præcipue legatum fuit: contrarium autem iuxta suam sententiam affirmat ibidem Ant. Gom. Iuxta eandem nostram sententiam dicendũ est, esto testator titulo lucrativo alienet rem, quam elegit in solutionem tertij & quinti legati, non censeri reuocatum legatum: quoniam legatum nõ erat res illa ita electa, sed tertium ipsum & quintum bonorum

norum tempore mortis: quod tertium & quintum remanent. Contrarium voluit Ant. Gom. iuxta suam opinionem *l.19.Taur.n.vlt.in euentibus*, in quibus *disp.194.§.si tamen quis*, nos diximus per alienationem rei legatæ factam à testatore censeri reuocatum legatum.

13 Quando autem bona, quæ testator elegit, vt in eis tertium & quintum solueretur, excedunt valorem talis tertij & quinti, conueniunt omnes, detrahendũ ex illis esse incrementum, si commode partiri possint, alioquin soluendum esse legatum, vel ex aliis defuncti bonis, si quæ superfint, vel soluendam esse æstimationem iuxta dispositionem *l.20. Taur. relatæ.*

14 Dubium deinde est, vtrum quando filius, aut fi- *Dubium.* lia, caret descendentibus, sed habet ascendentes, & prælegat vni eorum tertium suorum bonorum, possit eligere rem certam, aut bona aliqua certa, in quibus sit soluendum. Ratio dubitandi est quoniam *leges Tauri* relatæ solum loquuntur, quando testator habet descendentes. Ant. Gom. *l.19. Taur. n.3.* cum Ciruelis affirmat, posse eligere: quoniã disposita circa descendẽtes, dispositæ similiter cẽsentur circa ascendentes, nisi cõtrariũ exprimatur. An v. si descendens idem legare velit cuidam extraneo, possit similiter eligere rẽ aut bona, ex quib. ei soluatur. Ant. Gõ. *ibid. n.4.* negat. Si tamen, quãdo testator habet descendẽtes, & legat quintũ cuidã extraneo, potest sibi eligere, in quo sit ei soluendum, vt *l.20. Taur.* innuere videtur, non video cur id negari debeat de tertio relicto extraneo, quando testator solum habet ascendẽtes. Saltem sicut *ex l.20.* constat, quintum soluendum esse extraneo de bonis testatoris, & non quoad æstimationem solum, esto testator filios habens id non exprimat: ita idem dicendum erit de tertio ab eo alicui extraneo legato, qui ascendentes habet.

15 Couar. *n.2.cit.* censet, neque in prælegato tertij facta ascendẽti, neque in legato quinti facta extraneo, locum habere *legem 21. Taur.* quatenus disponit, creditores posse immediate conuenire melioratum. Nos autem cum Molina paulo antea diximus, neq; in filio, cui prælegatum fuerit tertium, & quintum, id locum habere, neque eam fuisse legislatoris mentem in ea lege.

16 Dubium etiam est, vtrum si quis, descendentibus *Dubium.* & ascendentibus carens, leget quotam aliquam suorum bonorum alicui, sit ei in Regno Castellæ soluẽda de bonis testatoris, an optio sit penes hæredes soluere potius æstimationem iuxta dispositionem iuris communis. Ant. Gom. *1.tom.var.resol.12.n.21.* ait: ex paritate aut maioritate rationis, etiam in eo euentu sublatam in eo Regno esse optionem hæredibus soluendumq; esse legatum de bonis ipsis defuncti, eum legito.

17 Quod ad hoc Lusitaniæ Regnum attinet, Emmanuel à Costa. *§. & quid si tantum in prin. à n.46.* censet, tertium bonorum relinqui posse non solum titulo legati, sed etiam hæredis, rametsi Caldas *de nominat. emphy. q.11.n.17.* licet id non reprobet, affirmet censeri relictũ titulo legati. Siue ergo titulo institutionis siue legati quotæ hæreditatis relinquatur, siue dicatur, relinquo tertiam meam Petro, vtique de bonis ipsis defuncti est soluendum, & non quoad æstimationem tantum. imo credo, etiam cum dicitur, relinquo tertium meorum bonorum Petro, consuetudine esse receptum, vt de bonis ipsis defuncti soluatur. Vtrum vero testatore eligere possit, ac designare rẽ certam, in qua dicatur se sumere tertium suorum bonorum, audio consuetũdine esse receptum, præsertim quando ex tertio maioratus aut capellæ quas in hoc Regno vocant, instituuntur. Imo vero Gam. *decis.214.* refert iudicatum esse, vt etiam quando testator in tertium suorum bonorum elegit prædium longe maioris valoris, cui onus aliquod missarum alligauit, neque inuentum fuit aliquod eiusdem testatoris, in quod onus illud potuerit transferri, onus illud comitaretur prædium illud maioris valoris, vsque ad valorem tertij defuncti præcisè.

SVMMARIVM.

1 *Legatum quotuplex.*
2 *Legatum purum quid.*
3 *Legatum in diem quid.*
4 *Dies certus efficit legatum in diem.*
5 *Si testator hæredi dicat: In die, qua morieris, tradantur Petro centum: dies est incertus.*
6 *Quid, si dies hoc vltimo modo incertus appositus sit in solam gratiam legatarij, & non simul hæredis.*
7 *Quid, quando quippiam legatum est in diem certum.*
8 *Quando aliquid in diem certum est legatum, dominium talis rei non transit in legatarium, antequam is dies adueniat.*

QVOTVPLEX SIT LEGATVM, ET de legato puro, & in diem.

DISPVTATIO 205.

LEgatorum quædam sunt pura, quædam in diẽ, quædam sub conditione, quædam sub modo quędam sub demonstratione, & quædam sub causa: atq; de singulis est consequenter dicendum. 1

Legatum tunc dicitur purum, quando sit simpliciter, non adiecto die, aut tempore futuro, in quo sit soluendum, neque appositа conditione, modo, demonstratione, aut causa. Tametsi aliquando latius sumatur, vt distinguitur à legato sub conditione pendente in futurum, quæ vim & obligationem legati in incertum conditionis euentum suspendit, vt constat *ex l.hæres meus in princip ff.de condit.& demonstr.* vbi legatum in diem purum appellatur. Quando euidens non est legatum, non esse purũ, purũ est cẽsendum: eaque de causa aduersario tunc incumbit onus probandi non esse purum, vt cum aliis affirmat Anton. Gom. *1.tom.var.resol.c.12.num.57.* consonatque *l.1.ff.de condit.& demonstrationibus.* 2 *Legatum purum.*

Legatum in diem tunc dicitur, quando aliquid legatur soluendum in diem, aut tempus futurum post mortem testatoris, modo talis dies aut tempus certum sit: alioquin, si dies incertus sit, legatum est conditionale, vt habetur *l. dies incertus. ff. de condi. & demonst.* cuius hæc sunt verba. *Dies incertus conditionem in testamento facit*, Idem constat ex aliis iuribus mox citandis. 3 *Legatum in diem.*

Quando dies est certus, etiamsi longissime à morte testatoris distet, efficit legatum in diem, transmittitq; proinde illud legatarius ad ipsius hæredes, si post testatoris mortem, sed ante eum diem è vita discedat, iuxta ea quæ disp.181 dicta sunt. Ita habetur expresè *l.si dies appositа, & l.si post diem. ff. quando dies legati cedat*, & aliis iuribus citandis. Vt si testator dicat; tradatur Petro tantum, decem, viginti aut triginta annis post mortem meam, vel in alium certum diem: vtiq; si Petrus post testatorem moriatur, sed ante aduentum eius diei, transmittit eiusmodi legatum ad ipsius hæredes, vt constat ex *l. Sempronius in princ. ff. de vsufruc. leg. & ex l.31. tit. 9. par.6.* Ratio est, quoniam statim, atque adita fuit hæreditas, cessit dies legati illius, ipsique fuit debitum, vt statim dicemus, sed soluendum in die à testatore constituto. Idem est, si testator dicat. Iego Petro centum in diem, quo è vita discesserit: quia enim eo ipso, quod legatarius testatori superuiuat, certum omnino est futurum eum diem, licet incertum sit, quando sit futurus, legatum est in diem, ac proinde transmittit illud legatarius ad hæredes. Ita habetur *l.1.§.cum dies, & multo apertius l. hæres meus in prin. ff. de condit. & demonst.* 4

Quod

Quod si testator hæredi dicat; in die, qua moriaris, tradantur Petro centum, dies est incertus, legatumq; proinde est conditionale: quoniam dies mortis hæredis est incertus, quando erit, fierique potest, vt legatarius ante eum diem post testatorem moriatur, haberique proinde legatum illud eam implicitã cõditionem, si Petrus tibi superuixerit, in die mortis tuæ tradantur illi centum: quare si Petrus moriatur quidem post testatorem, sed ante hæredem, expirat eiusmodi legatum, neque illud transmittit, sed pertinet ad testatoris hæredem. Ita habetur expresse, *l. 1. §. dies autem, & l. hæres meus § hæres ff. de condit. & demonst.* Dies similiter incertus est, si testator dicat; lego Petro centum in die, quo Ioannes obtinuerit Episcopatum, vel filia mea nupserit, vel naues ex India venerint, & his similia: quia enim fieri poterit, vt hæc nunquam eueniant, aut vt legatarius prius, quã B eueniant, moriatur, vtique legata sunt conditionalia, ac proinde si legatarius ante aduentum eiusmodi dierum è vita post testatorem discedat, non transmittit legatum, sed pertinet ad hæredem, vt habetur *l. si dies apposita ff. quando dies legati cedat.* Idem dies incertus est, si testator dicat; lego Petro centum, cum ad pubertatem peruenerit, aut cum deuenerit ad vigesimumquintum annũ: quoniam fieri potest, vt ad eam ætatem non perueniat: quare si post testatorem, sed ante eam ætatem moriatur, non transmittit legatum. Ita habetur expresse *l. si dies apposita, & l. Si Titio. ff. quando dies leg. cedet. l. si cui legetur. § hoc autem. ff. de leg. 1. & l. 31. tit. 9. par. 6.* quare miror Sylvest. *verb. legatum* 1. contrarium affirmare.

Si tamen dies hoc vltimo modo incertus. appositus esset in solam gratiam legatarij & non simul hæredis, tunc sanè legatum statim cederet, legatariusque, si ante eum diem post testatorem è vita discederet, transmitteret illud ad ipsius hæredes, *argum. tex. in l. si ita relictum. § Pagasius. ff. de lega. 2. & l. in fideicommissi. § cum Pollidius. ff. de vsuris*, & argumento eorum quæ de fructibus fideicõmissi similiter relicti disp. 187. dicta sunt. Exemplum esset, si quis consobrinæ legaret centum, quæ idcirco iuberet illi tradi quando nuberet, ne antea ille dissiparet, & non in gratiam hæredis.

Quando quippiam legatum est in diem certum, statim adita hæreditate cedit dies legati, vt *ex l. vnica. § cum igitur. C. de caduc. toll. & ex aliis iuribus citatis* cõstat. Cedere autem intelligitur, non solum vt transmittatur, sed etiam vt fit eo ipso debitum: quoniam eo ipso contraxit hæres obligationem illud soluendi, sed in diem à testatore constitutum, vt aduersus *glo. vlt. § cum igitur citato*, affirmant Bart. & communis Doctorum sententia, quam Ant. Gom. *1. to. var. resol. c. 12. n. 17.* refert ac sequitur, & constat ex *l. 1. § cum dies. ff. de condit. & demonst. l. si post. diem, & l. si. dies apposita. ff. quando dies legati cedat.* Quare, si ante illum diem petatur, non tenetur quidem hæres illud soluere, veruntamen id non est, quia id nondum debet, sed quoniam habet exceptionem, quod nõdum aduenerit tempus à testatore ad solutionem præscriptum. Si tamen ante eum diem illud soluat, non potest illud repetere, quasi indebitum, quemadmodũ posset, si sub conditione esset relictum, soluisseque nondum impleta conditione. Integrum præterea est hæredi, etiam inuitis legatariis, soluere illis tale legatum ante aduentum diei à testatore præstituti: quoniam in gratiam hæredis præstitutum est. Id tamen locum non haberet, si dies esset incertus, aut aliter sub conditione legatum fuisset relictum. Hæc omnia constant ex *l. 1. § cum dies, iuncta glo. ibid. ff. de condit. & demonst. ex l. stipulatio ista. § inter incertam, iuncta glo. ibi. ff. de verb. oblig. & ex l. quod in diem. ff. de solutionibus.*

Quando tamen aliquid in diem certum legatum est, dominium talis rei, etiam si illa certa ac designata in singulari sit, ac propria testatoris, non transit in legatarium, antequam is dies adueniat, nisi hæres sua sponte antea illam soluat. Ita colligitur aperte ex *l. Sempronius in prin. ff. de vsufruct. leg.* & affirmant Bart. & communis Doctorum sententia, quam Ant. Gom. *n. 57. citato* refert ac sequitur, dictumque est disp. 194.

SVMMARIVM.

1 *Conditio dupliciter vsurpatur.*
2 *Conditio presse quid.*
3 *Conditio late quid.*
4 *Conditio de præsenti & de præterito.*
5 *Conditio impossibilis & possibilis.*
6 *Quæ cum conditionibus de iure impossibilibus computentur.*
7 *Standoin iure naturali, neque vltima voluntas, aut quæuis alia dispositio vim habet, nisi impleta conditione, sub qua est facta.*
8 *In vltimis voluntatibus conditio impossibilis siue de facto, ne de iure talis sit, non vitiat dispositionem, sed habetur pro non adiecta.*
9 *An conditio impossibilis de facto vitiet vltimam voluntatem.*
10 *Conditio possibilis ad alteram contradictionis partem determinata.*
11 *Conditio potestatiua quæ.*
12 *Casualis conditio, & mixta quæ.*
13 *Quando necesse sit conditiones casuales aut mixtas implere, vt hæredis institutio valida sit, & quando potestatiua.*
14 *Quid quando conditio est potestatiua, neque est præfixum tempus, intra quod debeat impleri, quid si legatum sub potestatiua conditione est factum.*
15 *Quid quando quis sub potestatiua conditione institutus est hæres, aut legatum ei est relictum.*
16 *Quid quando legatum aut hæreditas relicta sunt sub conditione, quæ in alterius commodum tendit.*
17 *Conditiones tacitæ, quæ.*

QVID ET QVOTVPLEX SIT CONditio, quando implenda, & quod legatum, aut hæredis institutio, proprie sub conditione dicatur.

DISPVTATIO 206.

VT ad legatum sub conditione accedamus, & similiter, iuxta ea, quæ in calce disp. 157. dicta sunt, de hæredis institutione sub cõditione dicamus explicandũ prius est, quid & quotuplex sit cõditio. Cõditio, quod ad legata, hæredũ institutiones, donationes, seu promissiones, contractus, & alias dispositiones attinet duobus modis sumitur. Vno presse pro sola cõditione de futuro cõtingenti, quæ proinde in vtrãuis partẽ euenire potest. Altero late, vt comprehendit non solũ hãc, & quãcunq; aliã de futuro, sed etiã conditiones omnes de præsenti, & de præterito siue sint contingẽtes, siue necessariæ, aut etiã impossibiles. Supra priori modo, definitur à Syluestro *ver. condit. in prin.* à Soto *in 4. dist. 29. q. 2. art. 1.* & ab aliis. *Et dispositionis* (id est, actus, quo quis legãdo, promittendo, cõtrahendo, &c. disponit) *suspensio ex incerto futuro euentu appositæ.* Vt si quis dicat, lego, aut dono tibi centum si Bertam duxeris vxorem, aut si naues tali anno ex India venerint: tale quippe legatum, aut donatio, suspenditur, vt vim non habeat, neque nascatur obligatio, nisi dependenter à conditione, euentuue illo incerto futuro. Quo fit, vt ex eiusmodi cõditionalibus dispositionibus, esto inter viuos sint, aut testatorũ morte confirmatæ, solũ in spe oriatur obli-

1 *Conditio dupliciter vsurpatur.*

2 *Conditio presse quid.*

obligatio ac debitum, interim dum conditio, euentusque incertus pendet, vt *Inst. de verb. oblig. §. ex conditionali*, habetur. Definitiones alias conditionis ita sumptæ afferunt *Ant. Gom. 1. to. var. resc. c. 12. n. 59. & Sylu. loco citato.* Atq; hæc est frequẽtior & magis propria conditionis acceptio, vt patet *l. institut. ff. de condit. & institutionib. & l. it aque. ff. certum petatur*, quibus in locis sola hæc affirmatur esse conditio, reliquæ vero conditiones esse negantur, consentit *l. 2. tit. 4. part. 6.*

3 *Conditio late quid.* Conditionem posteriori modo acceptam (quæ vsurpatio propria etiam est) sic possumus definire. *Est adiectio dispositioni dependentiæ, vt fit, obligareve incipiat, ex aliquo præsenti, præterito aut futuro.* Vt siquis dicat: lego, aut dono tibi decem, si Rex modo viuit, aut si naues ex India anno præterito venerunt. Cõditio exprimi solet per dictionem, si, aut per aliam æquiualentem, vt siquis dicat, vendo tibi hanc rem viginti aureis, nisi alius intra mensem plus dederit: eiusmodi namque contractus conditionalis est, pendens ex eo, quod alias intra mensem non offerat maius pretium. Dies præterea incertus conditionem efficit, vt disputatione præcedente explicatum est.

4 *Conditio de præsenti, & præterito* Conditio latè sumpta diuiditur primo, in conditionem de præterito, de præsenti, & de futuro. Conditiones de præsenti, aut præterito non suspendunt hæredis institutionem, legatum, aut quamuis aliam dispositionem, sed si ita se habent à parte rei, validæ statim sunt tales dispositiones, esto ignoretur, an conditiones ita se habeãt: quod si conditiones aliter se habent, statim dispositiones sunt inualidæ, esto similiter ignoretur, an conditiones aliter se habeant. Atque hac de causa conditiones de præsenti, aut de præterito, neque propriissime sunt conditiones, vt dictum est, neque propter illas; hæredis institutio, legatum, aut quæuis alia dispositio desinunt esse pura. Quare, quæ de legato puro, aut in diem disputatione præcedente dicta sunt, locum etiam habent in legato facto sub conditione de præsenti, aut de præterito, si conditio ita se habet à parte rei, alioquin legatum est nullum omnino. Hæc constat *ex l. cum in secundo ff. de iniusto rupto l. cum ad præsens, & duabus sequentibus. ff. si certum petatur*, quarum hæc sunt verba. *Cum ad præsens tempus conditio confertur, stipulatio non suspenditur. Et si conditio vera sit, stipulatio tenet, quãuis tenere contrahentes ignorent: veluti si Rex Partherum viuit, centum dare spondes: Eadem sunt & cum in præteritum conditio confertur. Itaque tunc potestatem conditionis obtinet, cum in futurum confertur.* Hęc ibi. Idem cõstat *ex l. conditi in præteritum ff. de verb. oblig. l. institutio talis. §. vlt. ff. de condit. & Inst. §. conditiones inst. de verb. oblig. & l. 2. tit. 4. part. 6.* affirmatque communis Doctorum sententia, quam præter alios, Ant. Gom. *1. tom. var. resc. c. 12. n. 64.* refert ac sequitur. Sola autem conditio de futuro, neque tamen omnis, sed quę indifferens est vt fit, aut non fit, suspendit institutionem; legatum, & quamcunque aliam dispositionem, cui apponitur, & habet propriissime ac presse rationem conditionis, vt ex iuribus citatis constat.

5 *Conditionis possibilis.* Rursus conditio latè sumpta diuiditur in impossibilem, & possibilem. Impossibilis autem quædam est talis, quia reipsa esse non potest, vt si digito cœlum tetigeris, si montem aureum dederis: quædam vero, quia licet reipsa existere possit, ius tamen illam non permittit: qua ratione de iure dicitur impossibilis, non tamen de facto. Eiusmodi sunt omnes, quæ cum iure aliquo, siue naturali, siue positiuo pugnant; vt si cum consanguineo contrahas, si patri egenti necessaria non tribuas, si vestibus aut armis contra iura humana vtaris, si aliquid quod indecorum, fœdumque est, efficias. Tales præterea sunt, si nihil boni conditio contineat, impedimentoque sit operi charitatis, aut virtutis; vt si dicatur, si captiuum non redimas, si eleemosynam non facias. Si tamen apponeretur quis conditionem, quæ bonum aliquod contineret, esto impedimento esset maiori bono, non censeretur impossibilis de iure; vt siquis diceret, lego centum Petro, si ducat Mariam vxorem, valida, seu à iure permissa censeretur talis conditio: quoniam licet ducere Mariam vxorem impedimento sit cœlibatui, bonum tamen in se est. Hæc omnia constant *ex l. conditiones quæ; & l. conditiones contra ff. de conditionibus & institution. ex l. 3. tit. 4. p. 6. & ex aliis iuribus.*

Cum conditionibus de iure impossibilibus computantur, quæ à iure remittuntur, neque vim habere permittuntur, vt est, siquis quempiam hæredem instituat, eiue aliquid leget, aut causa mortis donet, sub conditione, vt iuret se aliquid daturum, aut facturum: talis namque iuramenti conditio remittitur, nec vim habet: tametsi hæres, legatarius, aut donatarius id prius opere implere teneatur, ad quod sub iuramento præcipiebatur se astringere, quàm hæreditatem, legatum, aut donationem obtineat. Ita habetur *l. quæ sub condit. ff. de conditio. & institut. l. hæc scriptura in prin. ff. de condition. & demonst. & l. 6. ti. 4. p. 6.* Duo tamen casus excipiuntur, in quibus conditio astringendi se sub iuramento ad aliquid faciendum vim in vltimis voluntatibus habet. Primus est, si libertas alicui relinquatur sub conditione, si aliquis ad aliquid implendum iuramento se astringat. Secundus est; si communitati aliquid relinquatur sub conditione, vt sub iuramento se ad aliquid astringat. Præterea conditio, vt aliquis prius iuret quippiam presens, aut preteritum, validam vniuersim est in vltimis voluntatibus. Quæ omnia ex iuribus citatis, & aliis, quæ Gregor. Lopez. *ibidem* citat, sunt manifesta.

His circa conditionem impossibilem explicatis, duæ statuendæ sunt conclusiones, prima est. Stando in solo iure naturali, neque vltima voluntas, neque donatio, contractus, aut quæuis alia dispositio vim habet, nisi impleta conditione, sub qua est facta, siue illa de præsenti fit, aut de præterito, siue de futuro & siue fit impossibilis, siue possibilis de facto, aut de iure, quando animus disponentis fuit, non aliter velle, vt dispositio valeret, quam sub illa conditione. Ita Medina *de rebus restituend. qu. 23.* communiter receptus. Probatur, quoniam dispositio quæcunque, qua aliquis gratuito aut oneroso quippiam confert, aut ad aliquid se astringit, vt vim habeat, pendet stando in solo iure naturali, à libera voluntate ita disponentis: ergo si disponit sub conditione, quæcunque ea sit, neque vult vt aliter dispositio vim habeat quam dependenter ab existentia talis conditionis, maximè si id exprimat, vtique, stando in solo iure naturali, non aliter vim habebit dispositio, quam impleta conditione. Confirmatur ex natura ipsa cõditionis, quæ si sit de futuro contingenti, ex natura sua suspendit dispositionem, quoad vim, ita vt ex illa nulla fit obligatio, nisi in spe, vt dictum est: si vero sit de præsenti, aut de præterito, vel etiam de futuro determinato ad alteram contradictionis partem, licet non suspendat dispositionem, conditione tamen non ita habente, dispositio continuo est nulla, vt dictum etiam est, & adhuc magis explicabitur: ergo stando in solo iure naturali, spectatiue solis naturis rerum, nulla dispositio sub conditione facta vim habet, nisi conditio quæcunque ea sit, existat, quando is fuit animus ita disponentis. Hinc colliges regulam illam; conditio de facto, aut de iure impossibilis non vitiat dispositionem, habetur pro non adiecta; solum habere locum in iis dispositionibus, in quibus iure positiuo id sancitum est neque plus esse extendendum, quam positiuo iure constitutum reperiatur.

6

7 *1. Concl.*

Secunda conclusio. In vltimis voluntatibus, vtin hęredis institutione, fideicommisso, legato, & dona- 8 *2. Conclusio*

tione

tione causa mortis, conditio impossibilis siue de facto, siue de iure talis sit, non vitiat dispositionem, sed habetur pro non adiecta, *l.1.l.siquis ita l.siquis ita instituatur.l.quæ sub conditione l.conditiones quæ, & l. conditiones contra.ff.de condit.instit.l.cum in secundo, in fine.ff.de instituto rupto.l.si Maria.ff.de hæredib.instit.l.obtinuit.ff.de condit. & demonst.l.si post diem.ff.quando dies legati cedat.§.impossibilis, inst.de hæredib.inst. & l.3.titul.4.p.6.* Hoc autem statutum, est fauore vltimæ voluntatis, atque ad tollendas lites, & quoniam mortuo testatore, non remanet, quis explicare possit, quæ fuerit ipsius voluntas. Si tamen impleta fuit conditio de iure impossibilis, id non vitiat hæredis institutionem, legatum, aut aliam vltimam voluntatem sub ea factam, vt colligitur ex *l.reprehendenda.C.de instit. & substitut.* Quando tamen testator aliquid disposuit sub conditione impossibili, quam possibilem credebat, vitiatur dispositio *l.seruo manumisso.ff. de conditione indebiti.* & Doctores ibi. *Greg.Lopez.ad l.3. citatam, & Ant.Gom.1.tom.var.resol.c.12.n.65.*

9 Glos. §. *impossibilis inst.de hæredib. inst.* asseruit conditionem impossibilem de facto vitiare vltimam volũtatem, adhibuitque exemplum, vt siquis dicat, si montem aureum dederis, lego tibi hoc, vel illud. Eandem sententiam secuti sunt conditores partitarum, *l.4 tit.4.part.6.* adhibito eodem exemplo de monte aureo, qui arte conficiatur. Eandem sententiam sequuntur Bart. & alij, quos Molin. *2.de primog.c.12.n.37.* refert ac sequitur. Contrarium tamen procul dubio est dicendum cum Emmanuele à Costa, *de selecta condit. lib 1.n. 8 nu. 9.* & multis aliis, quos refert; id namque probat aperte, *l.si Mœuia.* ff. *de hæred.instit.* vbi habetur, si quis hæredem instituat sub conditione, si filia mea viuat, usque nunquam habuerit filiam, validam esse institutionem, eo quod impossibilis sit ea conditio eo ipso, quod nunquam filiam habuerit, habeaturque pro nõ apposita. Idem multo apertius probat, *l.siquis ita instituatur.ff. de condit.instit.* cuius hæc sunt verba. *Cum quis ita institutus sit, si monumentum post mortem testatoris in triduo proximo mortuis eius feciſſet, cum monumentum in triduo perfici non posſit, dicendum erit, conditionem euanescere, quasi impossibilem.* Eccè conditio de facto impossibilis, habetur pro non adiecta. In hoc tamen euentu recte Glossa ibidem ait, teneri nihilominus hæredem monumentum conficere, licet non intra illud tempus: quia vtrumque in conditione, ad quam astringebatur, continebatur, & quamuis confectio in tam paruo tempore fit impossibilis, non tamen confectio illa consentit, *l.hæc scriptura in princip.ff.de constit. & demonst. & l.si mihi & tibi.§.Proculus.ff.de leg.1.* Quando autem vltima esset voluntas sub conditione dandi aut faciendi id, quod alius facere, aut dare posset, tunc esto per accidens institutus id dare aut efficere non posset, valida esset conditio, ac proinde vitiaretur talis vltima voluntas. Hæc de conditione impossibili.

10 Possibilis conditio diuiditur, in necessariam, seu ad alteram contradictionis partem determinatam, & in contingentem, qualis est sola ea de futuro cõditio, quæ in neutram contradictionis partem est determinata. Prioris conditionis exempla sunt; vt si sol cras orietur, instituo te hæredem; si moriar, tantum Petro lego. Atque hæc conditio: esto de futuro sit, neque vltimam voluntatem, neque quamcunq; aliam dispositionem suspendit, vt de conditionibus de præsenti, & de præterito dictum est, quin potius impleta censetur, cum semper vera sit, *l.nam si, iuncta præcedente, & sequente.ff.de condict.indeb.l.si pusillus.§.qui sub conditione.ff.de nouation.* cuius hæc sunt verba. *Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino exitura est, pure videtur stipulari. l.in illa stipulatione si calendis.ff. de verb.obligat.§.conditiones instit.eodem ti. & l.8. ti.4.p.6.*

Conditio possibilis ad alteram sõ tradictionis partem determinata.

11 Conditio contingens, quæ sola suspendit dispositionem, si sub ea fiat, diuiditur in potestatiuam, casualem, & mixtam. Potestatiua, vt in calce disp.177. dicebamus, est cuius impletio à sola voluntate eius, cui imponitur pendet, vt si testator quempiam instituerit sub conditione, si hæres esse voluerit, si seruũ, qui ipsius est hæredis, manumittat, si decem det, aut adeat aliquem locum, quem facile, & sine periculo, quod fortuito euentu impediatur, adire potest, *l.sunus quoque.§.puto.ff.de hæredibus.instit.l.7.tit.4.part.6. & alij ibidem, quæ Greg.Lopez. ibidem, & Ant. Gom.1. to.var.resol.c.12.nu. 60.* citant. Neque placet conditionem potestatiuam metiendam ex eo esse, quod res quam dare, aut facere præcipitur, parua, aut facilis admodum in se sit, vt Ant.Gom. *ibidem,* & alij, quos Greg Lopez refert, asserere videntur, sed potius, vt Greg. Lopez recte ait, consentiuntque iura citata, penes facultatem, & potestatem eius, cui præcipitur. Si namque id facere, aut præstare potest sine dependentia, moraliter loquendo: quod aliunde impeditur, esto res magna sit conditio dicitur potestatiua comparatione illius: si vero eam præstare non potest, erit mixta. esto alioquin facilis in se comparatione alterius sit. *Casualis conditio est, quæ omnino non est in potestate eius, cui imponitur:* vt si naues ex India venerint, lego centum Petro, aut eum hæredẽ instituo. *Mixta autem est, quæ partim aliunde, partim vero à potestate eius, cui imponitur, pendet;* vt siquis dicat, instituo Petrum, si Bertam duxerit vxorem, aut si ex India venerit *l.8. & 9.tit.4.p.6. l.sunus quoque §.puto.ff. de hær.inst.l.si pater.C.de inst. & subst.l. vnica.§.sin autem.C. de cadu.tollend* & aliis iuribus. Vtrum autem filij siue sui, siue non sui, instituti possint sub aliqua harum conditionum, & vtrum circa legitimam vim habeat grauamen cuiuscunque harum trium conditionum, in calce disp.177. dictum est.

Condicio potestatiua.

Casualis conditio quæ.

Mixta quæ.

12 Conditiones casuales, aut mixtæ, satis est, si post mortem testatoris, vel in vita eiusdem, sed post testamentum factum impleantur, vt hæredis institutio, vel legatum sub eis factum valida sint, *l. 2. & l. hæc conditio 1.ff. de condit. & demonst.* Idem est si ignorante id testatore impletæ erant ante confectum testamentum; non autem si testatore id sciente, quoniam tunc censetur voluisse, vt iterum conditio impleretur, *l.si ita scriptum sit.§.si pater. ff. de leg. 2. l. hæc conditio.§.vlt. & l.sequen.ff.de condit. & demon. & Ant. Gom.1.to.var.resol.c.12.nu. 61. & 68.* Potestatiua vero conditio impleri debet post mortem testatoris, neque satis est, si in vita illius, etiam post confectum testamentum, impleatur, *l. 2. & l.si iam facta.§. vlt.ff.de condit. & demon.* Excipitur, si conditio non sit iterabilis, qualis est serui manumissio: nam eo ipso, quod semel viuente testatore est impleta, censetur impossibilis, vt iterum impleatur, atque adeo habetur pro non adiecta, *l.quæ sub conditione.§.quoties.ff. de condit. & demon.* Bart. & communis Doctorum sententia, quam Ant Gom. *loco citato* refert ac sequitur.

13 Quando conditio est potestatiua, neque est præfixum tempus, intra quod debeat impleri, satis est si hæres sub ea institutus illam, interim dum viuit adimpleat, *l.suus quoquem prin.ff. de hæred.inst.* affirmat que Greg. Lopez, *l.7.ti.4.p.6.* Si tamen legatum sub potestatiua conditione fit factum, tenetur legatarius quam primum post testatoris mortem commode potuerit, eam implere, alioquin expirat legatum, *l.hæc condit.2.ff.de condit. & demonst.* & Greg. Lopez *loco citato.* Qui cum Baldo ait quando conditio potestatiua consistit in dando, neque hæres, aut legatarius compos est sui, satis esse si per alium impleatur.

14

15 Quãdo aliquis sub potestatiua cõditione negatiua institutus est hæres aut legatũ ei est relictũ, vti capitoliũ nõ ascẽderis, si castitatẽ seruaueris, &c. quoniã regulariter eiusmodi cõditiones nõ possunt esse integre impletæ, nisi finita vita hæredis, aut legatarij, cõstitutũ sit vt hæres, aut legatarius, quod sibi eo pacto esset relictũ, cõtinuo post mortẽ testatoris obtineret prestita cautione, q; eo ipso, quod, cõditionem trãsgre-

Mutianæ cautio.

grederetur, restitueret hereditatem aut legatum, cũ omnibus fructibus à principio inde perceptis: quoniam Mutius hãc cautionem introduxit, cautio Mutiana appellata est. Ita habetur *l. Mutianæ, l. hæres meus, §. qui post Mutianam, & §. quamuis ff. de condit. & demon. l. cum filius, §. qui Mutianæ ff. de leg. 2 l. 7. tit. 4. p. 6.* & aliis iuribus. Si tamen libertas alicui esset concessa sub eiusmodi negatiua conditione, nec cautio præstari posset, statim ac conditionem primo transgredi posset, nec transgrederetur, libertatem consequeretur, idque fauore libertatis, iuxta *l libertas §. 1. ff. de manumiss. testamento.* Et idem cum Bart Greg. Lop. *l. 7. citata* dicit esse in quibuscunque aliis legatis piis in quibus cautio præstari non posset: quoniam legata pia habent priuilegia libertatis. Sicuti quis propter paupertatem præstare non posset cautionem de legato non pio, aut hæreditate sub eiusmodi conditione sibi relictis, satis esset iuratoria cautio, *argumento texti authen. relictum. C. de indicta viduitate tollenda*, vt cum Baldo Greg. Lopez ibidem ait. A

16 Quando legatum, aut hæreditas relicta sunt sub conditione, quæ in alterius commodum tendit, si per eum steterit, in cuius commodum tendit, habetur pro impleta, consequiturque legatarius legatum aut hæres hæreditatem. Vt si dictum sit, instituo te hæredem, aut lego tibi centum, si Bertam duxeris vxorem, per eamque steterit volente te illam ducere aut illa moriente, cum tu non tardaueris accipere illam vxorem, consequeris hæreditatem, aut legatum: secus autem si tu moriaris antequam aduenial tempus ducendi illam vxorem, quoniam tunc, cum ante impletam conditionem è vita discedas, amittis hæreditatem aut legatum sub ea conditione relictum. Aliud exemplum est, si legatum aut hæreditas tibi relinquatur, si Stichum redimas, illeq; moriatur antequam tu sis in mora, aut fugam arripiat, consequeris legatum aut hæreditatem: quoniã per Stichum stetit, aut alium, quo minus illum redimeres, & non per te. Hæc patent ex *l. iure ciuili ff. de conditionibus & demonst. l. si post diem. §. item si qua conditio ff. quando dies legat. cedat. l. 1. iuncta glosi ibi C. de inst. & substit. l. si ea. C. conditionibus inserit. l. 14. tit. 4. p.* & ex aliis iuribus. B C

17 Conditio tacita. Postremo, conditio diuiditur in expressam, & tacitam à iure subintellectam, vt quando partus ancillæ, aut fructus rei alicuius relinquuntur: intelligitur enim, si nascantur: quando hæres aut legatarius aliquis relinquitur, intelligitur, si voluerit, quando filius grauatur aliquid restituere, intelligitur, si sine liberis decesserit: & aliæ similes sũt cõditiones. tacita de quib. quæ in superioribus explicatæ sunt: de aliis propriis in locis dicetur. D

SVMMARIVM.

1 *Conditio numquam nubendi.*
2 *In Castella cum mater filio legatum relinquit sub conditione, si de licentia patris contraheret matrimonium, filiusque absque patris licentia contrahit, validum est legatum.*
3 *Conditio numquam nubendi à coniuge defuncto viduæ apposita vim habet.*
4 *Conditio ab vxore defuncta vitæ apposita vt ad secundas nuptias non transeat, valida est.*
5 *Conditio contrahendi cum aliqua.*
6 *Conditio, si religionem ingrediatur.*
7 *An, si alicui viduæ hæreditas relinquatur sub ea conditione, si castè vixerit, illaque transeat ad secundas nuptias, amittat legatum.*
8 *Si quis in hunc modum legatum relinquat. Si Titia nupserit, relinquo illi ducenta, si vero religionem fuerit ingressa, relinquo ei centum, vtrum Titia religionem ingredienti danda sint ducenta, quasi conditio, si nupserit, quatenus retrahere potest ab ingressu religionis, habenda sit pro non adiecta, an danda ei solum sint centum.* E
9 *Respondetur ad dubium propositum.*
10 *Confirmatur duobus argumentis, num. 11.*
12 *Refertur contraria sententia.*
13 *Si simpliciter sub conditione nuptiarum quidpiam alicui donetur vel legetur, illo religionem ingrediente, debetur totum monasterio.*
14 *Viro Christiano indignum est conditionem aliquam apponere animo retrahendi aliquem à statu religionis, potest tamen absque vlla turpitudine intuitu alicuius boni finis, excludere eum à participatione alicuius commodi temporalis, qui religionem ingreditur.*
15 *Vtra opinio videatur auctori probabilior.*
16 *Reiicienda est Medinæ opinio, asserentis, non obstante dispositione iuris positiui in contrarium, conditionem de non contrahendo, non habendam esse pro non apposita, quando constaret contrariam fuisse voluntatem testatoris.*
17 *Respondetur ad primum & secundum eorum, quibus authores contrariæ sententiæ ducebantur. & numer. 8.*

DE CONDITIONIBVS IN VLTIMIS dispositionibus, si non nupserit, si castè vixerit, si contraxerit matrimonium, aut si ingrediatur monasterium.

DISPVTATIO 207.

1 *Conditio nunquam nubendi.*

QVondam conditio nunquam nubendi legatis, aut institutionibus apposita, pro non adiecta in matrimonii fauorem habebatur vt Respublica augeretur, atque ad alia incommoda vitanda; idque siue viduæ, siue non viduæ esset apposita. Vnde talis hæres, aut legatarius, integram hæreditatem, aut legatum statim mortuo testatore accipiebat, & nihilominus contrahere poterat matrimonium *l. sed si hoc. §. vltim. cum duabus sequentib. ff. de conditionibus & demonstrat. & l. Titiæ. ff. eod. titu.* cuius hæc sunt verba. *Titiæ, si non nupserit, ducenta. si nupserit, centum leg. aut. Si nupserit mulier, ducenta petet.* Ratio autem est, quoniam conditio illa si non nupserit, habetur pro non apposita. Dictum est, conditio nunquam nubendi: quoniam si esset conditio non nubendi alicui, aut aliquibus particularibus, ita vt moraliter loquendo, spectatisque circunstantiis concurrentibus, liberum ei relinqueretur re ipsa nubere, & filios procreare, eiusmodi conditio valida erat. Intellige tamen, nisi per modum pœnæ auferretur legatum, aut hæreditas ab aliqua, si cum aliquo contraheret: nam tunc inualida esset eo conditio apposita in modum pœnæ, vt habetur *l. Titio centum. §. Titio centum. ff. de conditionibus & demonst.* Similiter si apponeretur conditio, vt aliqua ad certum tempus non nuberet. v. g. viduæ quousque filii prioris matrimonij ad annos pubertatis deuenissent, valida erat conditio. Tam hoc, quam, quod paulo ante dictum est, habetur *leg. sed si hoc. §. vlt. & duabus sequentibus citatis.* 1 *Conditio nunquam nubendi.*

2 In hoc tamen Regno referente Ant. à Gama. *dec. 314.* iudicatum est, cum mater legatum filio reliquisset sub conditione, si de licentia patris contraheret matrimonium, filiusque absque patris licentia contraxisset, validum nihilominus fuisse tale legatum: quoniam conditio, si arbitratu Titij nupseris, ha- 2

ris, habetur pro non appoſita, tanquam impeditiua matrimonij. *l. cùm tale. §. reſcriptum eſt* (alias, ſi arbitratu) *& l. filiæ in prin. ff. de conditionibus & demonſt. & l. ſtipula. §. 1. ff. de legat. 1.* illa vero conditio, ſi arbitratu patris matrimonium contraxeris, huic æquipollet.

3 Poſtea de iure authenticorum ſancitum eſt, vt conditio nunquam nubendi: ſiue à coniuge defuncto, ſiue ab aliquo extraneo, viduæ appoſita, vim haberet. Quo fit vt ſi hodie hæreditas, aut legatum ſub ea conditione alicui relicta ſint, ne tranſeat ad ſecundas nuptias, ſi ſecundo nubat, eo ipſo illa amittat, teneaturque ea reſtituere cum fructibus omnibus ex eis perceptis: quare mortuo teſtatore, non aliter tradenda illi ſunt, quam præſtita prius cautione Mutiana, ꝙ ſi ad ſecundas nuptias tranſierit, illa reſtituet cũ fructibus perceptis iuxta ea quæ diſputatione præcedente dicta ſunt. Ita habetur expreſſe in *authent. cui relictum. C. de indicta viduitate tollenda*, & in *auth. de nuptiis §. quæ vero*, & præter alios affirmat Mol. *2. l. de primo. c. 12 n. 21* In reliquis autem, quæ nunquam nupſerunt retinet adhuc ſuam vim ius antiquum, nempè vt conditio, ſi nunquam nubant, habeatur pro non appoſita, idꝙ ſiue virgines ſint, ſiue non: eo quod de iure authenticorum ſolum de viduis contrarium ſit ſancitum.

4 Quæ hactenus in hac diſp. dicta ſunt, eodem etiam modo intelligenda ſunt in maſculis quibus aliquid relictum ſit ſub conditione, vt matrimonium nunquam contrahant. Si namque conditio ſit vt ad ſecundas nuptias non tranſeant, valida eſt conditio, ſiue ab vxore, ſiue ab aliquo extraneo ſit eis appoſita vt ex *authenticis citatis* conſtat, & affirmant gloſ. ibi & Doctores communiter. Si vero conditio ſit, vt nunquam primo contrahant, habetur pro non adiecta, vt patet. *l. vlti. C. de indicta viduitate tollenda.*

5 *Conditio contrahendi cum aliqua.* Si hæreditas aut legatum relicta ſint ſub conditione, ſiquis cum aliqua contrahat, aut ſi cum nulla alia quam cum aliqua contrahat, aut ſi aliqua alicui nupſerit, valida eſt talis conditio: quia neꝙ proles, neꝙ matrimonium ſimpliciter inhibentur, licitumque eſt ſpe præmij ad contrahendum cum aliquo aut cum aliqua inuitiare *l. Titio centum. §. Titio centum ff. de condit. & demon.* Intelligendum tamen hoc eſt, modo cum illa licite atque honeſte contrahere poſſit, alioquin inualida eſſet conditio, quoniam perinde eſſet, ac ſi nuptiæ ei omnino prohiberentur: imò durior eſſet talis conditio: eo quod non ſolum prohiberetur contrahere cum cæteris aliis, ſed etiam illicite aut inhoneſte contrahere præciperetur, quod de iure eſt impleti impoſsibile, vt diſputat. præcedente dictum eſt. Ita habetur expreſſe. *l. cum ita. ff. de condit. & dem.* Quod ſi is, cum quo contrahere aſtrictus eſt, moriatur, aut contrahere non velit: ipſo, qui ſub ea conditione eſt aſtrictus, non exiſtente in mora, habetur conditio pro impleta, vt diſputatione præcedente dictum eſt.

6 *Cond. de religionẽ ingrediatur.* Si hæreditas aut legatum alicui relinquatur ſub conditione, ſi religionem ingrediatur valida eſt talis conditio quicquid Barto in contrarium dixerit. Ita *Cou. 1. to. var. reſol. c. 19. n. 10. Ant. Gom. 1. tom. var. reſol. c. 12. n. 78. Paulus Caſtr.* & alij quos citant, concinitque *c. 2. de condit. appoſit.* Ratio eſt, quoniam fas eſt ſpe, præmij allicere ad tantum bonum, multique erunt, qui ad id, & non ad aliud, velint adiuuare: per accidens ſꝙ eſt, quod religionis ingreſſus impediat contrahere matrimonium, neꝙ præſumendum eſt, iura, etiam hanc conditionem, in matrimonij fauorem voluiſſe annullare. Idem dicerẽ, ſi legatum relinqueretur ſub cõditione, ſi legatarius ſacerdos eſſe vellet.

7 *Conditio ſi caſte vixerit.* Dubium eſt, ſi alicui viduæ hæreditas aut legatum relinquatur ſub ea conditione, ſi caſte vixerit, illaque tranſeat ad ſecundas nuptias, an amittat legatum. Angelus & pleriꝙ alij, quos referunt Coua. *in Epit. p. 2. c. 3. §. 9. n. 12.* Ant. Gom. *ad leg 16. Tauri, n. 9.* & Syluester *verb. legatum. 1. q. 5.* in hunc modum diſtinguunt. Si ea conditio à marito, aut à conſanguineo mariti ſit appoſita, amittit legatum, quoniam præſumendum eſt eos nomine caſtæ vitæ, intelligere, non tranſire ad ſecundas nuptias. Si vero appoſita ſit à quocunꝙ alio, etiam ſi ille pater, aut alius conſanguineus ſit talis viduæ, non amittit legatum. quia ſimpliciter loquendo, quæ ad ſecundas aut tertias nuptias tranſit, caſte viuit, neque præſumendum eſt eiuſmodi teſtatores intendiſſe prohibere tranſitum ad ſecundas nuptias. Atꝙ hæc videtur communior ſententia doctorum, in quam inclinat Cou. *loco citato*, & quam ſequitur Anton. Gom. Bart. vero & alij cenſent, etiamſi conditio illa à marito ſit appoſita, non amittere legatum: quoniam reuera caſte viuit, quæ ad ſecundas nuptias tranſit. Mihi placet opinio Sylueſtri *loco citato*; nempe coniecturis, tam in conſcientiæ, quam in exteriori foro, eſſe iudicandum, quæ fuerit mens teſtatoris, illique eſſe ſtandum. Attendendamꝙ patriæ conſuetudinem, videlicet quid homines illis verbis in ſimili euentu ſignificare ſolean t: item qualitatem teſtatoris, nempe an maritus fuerit, qui ſobolem ex ea muliere reliquerit, cui proinde tam ratione ſui, quam ſobolis triſtis eſſe ſolet talis tranſitus, atꝙ aliis circumſtantiis. In dubio autem exiſtimo auferendum ab eo non eſſe legatum aut hæreditatem. Tum quia reuera caſte viuit, quæ tranſit ad ſecundas nuptias, in dubio autem à proprietate verborum non eſt recedendum. Tum etiam quoniam illa poſsidet: in dubio autem melior eſt conditio poſsidentis Atꝙ de ſeipſo teſtator ſi aliud voluit, conqueratur, qui mentem ſuam aliter non expreſſerit.

8 *Quæres.* Dubium deinde eſt, ſiquis in hunc modum legatum relinquat: ſi Titia nupſerit, relinquo illi ducenta ſi vero religionem fuerit ingreſſa relinquo ei cẽtum, vtrum Titiæ religionem ingredienti danda ſint ducenta, quaſi conditio: ſi nupſerit, quatenus retrahere poteſt ab ingreſſu religionis, habenda ſit pro non adiecta; an vero danda ei ſint ſolum centum.

9 *Bart & alij.* Bart. & poſt eum Pano. *c. in præſentia de probationibus à n. 42* Sylueſt: *verb. legatum. 1. q. 9. & ver. hæreditas. 4. q. vlt.* Medina *de rebus reſtituend. qu. 23.* &, vt videtur communior iuriſperitorum ſententia affirmant, danda ei eſſe ducenta.

10 *Ducuntur primo.* Ducuntur primo, ex *authentico de ſanctiſſimis Epiſcopis. §. ſed & hæc, & ex authentica niſi rogati. C. ad Trebel.* quibus in locis ſancitum eſt, ſi aliquid donatum aut legatum ſit ſub nuptiarum conditione, aut liberorum, & donatarius aut legatarius: abſꝙ nuptiis, ac liberis *religionem ingrediatur, conditiones illas habendas eſſe pro non appoſitis*, ac proinde bona ſub eis relicta, monaſterio aduenire: vnde aperte conſtat, conditionem nuptiarum habendam eſſe pro non appoſita per comparationem ad ingreſſum religionis.

11 *Secundò.* Secundò: quoniam ſi cui legentur ducenta, ſi non nupſerit, & centum ſi nupſerit, debentur ei ducenta, ſi nubat, vt ſupra ex *l. Titiæ. ff. de conditionib & demõſt.* relatum eſt; idꝙ quoniam in fauorem matrimonij conditio illa, ſi non nupſerit, habetur pro non appoſita, ergo longe maiori cum ratione, ſi alicui legentur ducenta ſi nupſerit, & centum ſi ingrediatur religionem, debebuntur ei ducenta, ſi religionem fuerit ingreſſa, quaſi in fauorem matrimonij ſpiritualis conditio illa, ſi nupſerit carnaliter, habenda ſit pro non appoſita.

12 *Contrarij ſententia.* Couar. autem *1. lib. var. reſ. c. 19. à num. 7. vſque ad 11.* cum multis aliis quos citat, non infirmis rationibus in contraria eſt ſententia. Nempe, ſi religionem ingrediatur, deberi illi ſolum centum, conditionẽque illam, ſi nupſerit, non habendam pro non appoſita.

13 *1. Concluſ.* Vt de hac re dicam quod ſentio, ſit prima concluſio. Si ſimpliciter ſub conditione nuptiarũ quipiam alicui, vel donetur, vel legetur, illo religionem ingrediente, debetur totum monaſterio. In hac

hac conueniunt omnes, eſtq; aperte ſancita duobus authenticis citatis; Etenim, quia de eo, qui ita donauit, aut legauit, præſumendum non eſt, quod ſi tunc ingreſſus religionis ipſi occurreret, intenderet ea conditione excludere talem ingreſſum, iuſtiſſime in fauorem religionum, atque ad tollendas difficultates, ſcrupulos ac lites, prædictis authenticis ſancitum eſt, vt quæcunq; quaſi habitualis eſſet tunc voluntas eo pacto donantis, aut legantis, conditio illa nuptiarum haberetur pro non appoſita, comparatione ingreſſus religionis. A

14 Secunda concluſio: Quamuis turpe, viroq; Chriſtiano, indignum ſit, cõditionem aliquam apponere animo rerrahendi atque auocandi aliquem à ſtatu religionis; nihilominus abſq; vlla turpitudine, intuitu alicuius boni finis, poteſt quis excludere eamaut eum à participatione alicuius commodi temporalis qui religionem ingrediatur. Prior pars nota eſt, eam que affirmant Pan & Cou. *locis citatis*. Poſterior vero facile probatur quoniam animaduertens quis filiã maiori diuitiarum copia indigere, vt pro ſui ſtatus conditione nubat, quam vt religionem ingrediatur ſane abſq; vlla turpitudine, quin prudenter, poterit ei plus relinquere in euentu, quo nubere, & minus in euentu, quoad Chriſti paupertatem ſectandam, contéptũq; mũdi, & perfectionẽ amplectendã, religioné ingredi velit. Hac eadẽ ratione licite, ac prudẽter ſolent homines, dum maioratus ad proprias familias, earumq; ſplendorem conſeruandum inſtituunt, excludere ab illorum participatione, non ſolum eos, qui religionem profitentur, ſed etiam eos, qui clerici fiunt, vt Coua. *loco citato*, Molina *t. 2. de primo. ca. 12. num. 54.* & alij quos referunt, recte affirmant, & oſtendunt. *2. Concluſ.* B

C

15 Tertia concluſio. Licet Bart. & communior opinio ſua probabilitate non careat mihi longe probabilior eſt Couar. Baldi, & aliorum: tum propter ea, quæ circa ſecundam concluſionem proxime dicta ſunt: tum etiam, quoniam, vt diſputatione præcedente dictum eſt, ſtando in ſolo iure naturali, voluntati, ac conditionibus teſtatoris, ac donatoris ſtandũ eſt: licet autem de iure poſitiuo conditio, perpetuo non contrahendi matrimonium, habeatur pro non appoſita; in re tamen, de qua modo agimus, nihil tale ſancitum reperimus. *3. Concluſ.*

16 Illud obſerua, reiiciendam eſſe Medinæ opinionem quæſtio. 23. citata, qui aſſerit, non obſtante diſpoſitione iuris poſitiui in contrarium, conditionem de non contrahendo, non habendam eſſe pro non appoſita, quando conſtaret, contrariam fuiſſe voluntatem teſtatoris. Etenim pro bono publico legislatores ſtatuere potuerunt, vt, quicquid in contrarium teſtator vellet, talis conditio haberetur pro non appoſita, idq; abſque vllo dubio ſtatuere intenderunt. D

17 Ad primum eorum, quibus autores contrariæ sẽtentiæ ducebantur, dicendum eſt authentica illa nõ loqui quando teſtator, aut donator expreſsè excluſit monaſterium, ſed ſolum quando ſimpliciter aliquid legauit, aut donauit ſub conditione nuptiarum aut liberorum: quoniam tunc præſumendum eſt eã fuiſſe voluntatem talis teſtatoris, aut donatoris, vt circa primam concluſionem explicatum eſt. *Ad primum in contrarium.*

18 Ad ſecundum, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia. Primo, quoniam licet eſſet æqualis aut maior ratio, vt id ita ſtatueretur, interim tamen dum conſtitutum non eſt, ſtandum eſt iuri naturali, E voluntasque teſtatoris ac donatoris ſeruanda eſt. Secundo, quoniam non eſt par ratio vt ſtatuatur. Etenim non poſſe quempiam deferre ſecum multa bona ad monaſterium, non auocat ab ingreſſu religionis: non habere tamen in coniugio tot bona, quot haberet ſi perſeueraret in cælibatu, auocat à contrahendo matrimonio. *Ad ſecundum.*

* *
*

SVMMARIVM.

1 *Modus quid.*

2 *Inter modum & conditionem preſſe ſumptam quod diſcrimen*

3 *Quomodo ſoleat explicari modus.*

4 *Modus conditionis vocabulo ſæpe exprimitur.*

5 *Quid, quando verbum, conditio, aut aliud æquiualens appoſitum eſt, vt diſpoſitio vim habere incipiat.*

6 *Eſto aliquid diſpoſitum ſit per verba modũ denotãtia, ſi tamẽ teſtator tacite vel expreſſe voluit, vt priusid impleretur quam legatarius aut hæres emolumẽtum illud perciperet, cenſenda eſt conditio, non modus.*

7 *Quid, quando modus diſpoſitioni eo pacto eſt appoſitus, vt qui contraueniret, amitteret eo ipſo quod ſub eo modo fuit ei relictum, aut cenſeretur numquam fuiſſe vocatus ad eam rem.*

8 *Modus ſi appoſitus ſit legato, aut alii diſpoſitioni antequam res tradatur, tenetur accipiens cauere de reſtituenda & fructibus ex ea perceptis ſi modum non ſeruet, nondum vero cauiſſe, non impedit tranſmiſſionem rei illius ad hæredes.*

9 *Modus ſi ſolum reſpiciat legatam voluntatem ita, vt obligationem idem adimplendi non inducat, neceſſaria non eſt cautio de illo adimplendo, & quando eſto obligationem inducat, cautio neceſſaria non ſit de fructibus reſtituendis.*

10 *Modus quando adhibitus eſt in vtilitatem tertii, ſi per illum ſteterit quo minus impleatur, habetur pro implero.*

11 *Modus impoſsibilis tam de facto quam de iure pro non appoſito habetur in vltima voluntate & in quacunque alia diſpoſitione.*

12 *Vt conſtet quando donatio legatum aut alia ſimilis diſpoſitio facta ſub modo licito ac poſsibili, modo non ſubſecuto valida ſit aut non, quo pacto ſe gerendum.*

13 *Non eſt eadem ratio, quod ſi huiuſmodi emptor lucretur fructus medii temporis legatarius quoque aut donatarius lucretur fructus medii temporis rei ſub modo, ſibi hoc vltimo pacto legatæ.*

14 *Quando donatio aut legatum ſub modo alligantur oneri modum implendi, ita quod modo non ſeruato inualida ſit donatio, aut legatum, id poſsit eſſe dupliciter, prout fuerit voluntas diſponentis.*

15 *Quando diſponens ſufficienter verbis aut ſcripto expreſsit, quænam hac in parte fuerit ipſius voluntas, illa ita expreſse eſt ſtandum.*

16 *Proponitur regula ad iudicandum, quando, modo non ſubſecuto, conſurgat obligatio reſtituendi, & quando non.*

17 *Quando primo ex quatuor modis quis donauit, non ſolum valida eſt donatio modo non ſubſecuto, ſed etiam nulla conſurgit obligatio modum ſeruandi.*

18 *Si quis leget alicui fundum ad alimenta, non ſolum vſus, aut fructus cenſenturilli legata, ſed etiam proprietas ipſa.*

19 *Si quis leget alicui centum vt nubat, non intendens obligationem inducere vt nubat, ſed ſolũ credens eã nubere velle, adiutoriumque illi ad nubendum præſtare intendens validum eſt legatum.*

20 *Legatum dotis aut in dotẽ eſt conditionale, ſeu ſub modo*

21 *Quando ſecũdo ex quatuor modis explicatis quis legauit aut aliter diſpoſuit, valida eſt diſpoſitio modo non ſubſecuto.*

22 *Quoties aliquid ſubeo modo legatum eſt eccleſiæ animo obligandi ad modum implendum, neque legans expreſſit ſe ita legare, vt ſi modus non ſeruetur legatio cenſeatur reuocata ac nulla ſit.*

23 *An quando aliquid legatum aut donatum est ecclesiæ sub modo 3. & 4. expressumque est, quod eo ipso, quod modus non seruetur, donatio, aut legatum censeantur reuocata, satis sit Prælatum contrauenire modo, vt ecclesia rem illam amittat.*

MODVS, QVID, ET DE VLTIMA dispositione sub modo facta.

DISPVTATIO 208.

1 Modus quid.

MOdus est velut lex quædam, seu grauamen aut moderamen, dispositioni in futurum appositum minime eam suspendens. Eo tamen non seruato, reuocari interdum potest dispositio, imo eo ipso manet interdum reuocata. Verbi. g. Modus est, si quis dicat, lego Petro domus meas ea lege, vt eas nō alienet: lego Petro fundum meum, vt mihi sepulchrum ædificet, vel vt alimenta præstet tali, vel vt quotannis tot sacra pro anima mea celebrari faciat: aut lego tali mulieri centum, vt nubat; eiusmodi namque dispositiones eo ipso, quod testator è vita discedit, vim habent antequam grauamina illa impleantur: grauamina autem illa sunt modi legatis illi impositi, qui à legatariis sunt implendi. Anton. Gom. *1. to. var. resol. c. 12. n. 60.* cum Bart. & aliis ait, si testator tacite vel expresse voluit, vt legatarius, cui aliquid sub modo est relictum, prius modum impleret, quā legatum acciperet, standum est testatoris voluntati.

2 Inter modum & conditionem presse sumptam, hoc est discrimen, vt notauit *glos. c. verum. de conditionib. appositis.* & notant Doctores communiter. Quod quamuis verum quæ sit in futurum, conditio tamen suspendit dispositionem, vt vim non habeat quousque conditio impleatur, atq; dependenter vt impleatur: modus autem dispositionem non suspendit, sed vim habet antequā modus impleatur. Atq; hinc in legatis (& suo etiam modo in hæreditate) oritur aliud discrimen, quod legatum sub conditione non transmittitur ad hæredes, si legatarius ante impletam conditionem è vita discedat, vt sæpe in superioribus ostensum est: legatum vero sub modo transmittitur quando modus per hæredem sicut per legatarium, impleri potest, teneturque hæres modum implere. *l. à testatore, iuncta glos. ibi. ff. de condition. & demonstrationib. glos. in verb. hæredi. iuncto text. ibi. l. si post diem. ff. quando dies legati cedat,* Bart. & communis Doctorum sententia, quam Ant. Gom. *1. to. var. resol. c. 12. nu. 61.* refert ac sequitur.

3 Modus per particulam, vt, & alias æquiualentes solet explicari. Est tamen animaduertendum: interdū nomine conditionis significari modum, consueuit namque dici, dono, aut lego tibi hoc ea conditione, vt illud non alienes, aut vt templum ædifices, quibus verbis, nomine conditionis, modum significamus. Atque in ea significatione sumitur conditio *c. verum de conditionib. appositis,* vt glo. ibi, & Doctores communiter adnotarunt.

4 Iuxta discrimen primum inter dispositionem sub conditione, & sub modo traditum, Molin. *libr. 2. de primog. c. 12. num. 4. & c. 15. an. 28.* cum Bart. & communi Doctorum sententia quam refert, recte ait, in dispositionibus, in quibus verbum conditio ponitur aut aliquid æquiualens, vt si dicatur, dummodo hoc faciat, aut illud attendendum esse, an id apponatur, vt fiat post dispositionem completam, & tunc non habere vim conditionis: sed modi: quoniam de ratione conditionis est suspendere dispositionem; modus vero illam non suspendit: quando autem aliquid fit, potius attendendum est ad mentem eius, qui facit, atq; ad id quod recipta fit, quam ad verba, quibus id explicatur. Vnde si aliquis in ciuem admittatur, dummodo, aut ea conditione, vt tributa, si cæteri, soluat, aliaq; ciuium onera subeat, certe illud non est conditio, sed modus, ac proinde licet, postquam eo pacto admissus est, non soluat, compelli quidem poterit vt soluat, quod est implere modum, sub quo in ciuem est admissus, non tamen ideo desinit esse ciuis, & multo minus dicendum est nunquam fuisse ciuem. Similiter, quando maioratus instituitur ea conditione, vt successores in illo nihil de bonis illis alienent, aut aliquid faciant, vel impleant, id quidem non est conditio, sed modus. Hæc colliguntur aperte ex *l. Mauia. ff. pe manumissis testamento; & l. Caius. ff. d. manumissionibus.*

5 Quando autem verbum, conditio, aut dummodo, vel aliud æquiualens, appositum est, vt dispositio vim habere incipiat, tunc potius habet rationē conditionis, quam modi: atque in dubio conditio est præsumendum, & non modus: *l. à testatore. ff. de conditionib. & demonst.* consonat *l. qui hæredi. §. vlt. iuncta glo. vlt. ff. eod. tit.* & affirmant Doctores, quos referunt, & sequuntur Molina *c. 12. n. 62.* Hinc patet, recte (vt Ant à Gam. *dec. 158.* refert) in hoc Lusitaniæ Regno iudicatum fuisse, conditionem interuenisse in sequenti dispositione, & non modum, atque adeo, primum instituum non transmisisse id, quod sibi fuerat relictum, ad hæredes suos, eo quod conditionem, sub qua fuerat relictum, non impleuisset. Testatrix quædam fundum magni valoris cuidam, ac successoribus illius, in perpetuum reliquit sub ea cōditione, vt esset superstes tempore mortis testatricis, & vt de suis bonis solueret quædam legata quæ testatrix relinquebat: quod si vel superstes non esset, vel soluere nollet ea legata, tunc vocabat ad successionem quēdam alium, exclusō illo priori & descendentibus illius. Accidit, vt, licet superstes fuerit, è vita tamen discesserit, neq; acceptata successione in eo fundo, neque solutis legatis: cum autem hæredes illius soluere vellent legata, contenderetq; iure transmissionis fundum ad se pertinere, & non ad substitutum, merito excluſi sunt, sententiaq; in fauorem substituti fuit pronunciata.

6 Bart. *in l. quibus diebus. §. Terminus. ff. de condition. & demonst. n. 6.* ex eodem fundamento ait, esto aliquid dispositum sit per verba modum alioquin denotantia, si tamen testator tacite, vel expresse voluit vt prius id impleretur, quam legatarius, aut hæres emolumentum illud perciperet, censendam esse conditionem & non modum. Id limitarem nisi testator expressisset, vt antequam possessio illi traderetur, grauamen impleret, nam tūc, cum verbum sub quo grauamen est impositum, modum potius, vt supponimus, significet, & testator expresserit impletionē solum esse necessariam ante adeptam possessionem non videtur ea dispositio iudicanda sub conditione nisi ad effectum, vt non prius assequatur possessionem, neq; fiat illi traditio, sed potius videtur censenda simpliciter sub modo: quare si legatarius ante modum impletum è vita discedat, transmittet legatum ad hæredes, qui modo impleto consequentur possessionem. Atq; hoc forte, quod Ant. Gom. *c. 12. cit. n. 6.* voluit, licet male pro ea sententia Bart. citet.

7 Quando autem modus dispositioni eo pacto esset appositus, vt qui contrauenirent, amitteret eo ipso, quod sub eo modo fuit ei relictum, aut censeretur nunquam fuisse vocatus ad eam rem; tunc, qui contrauenit, nequaquam rem ita sibi relictam transmitteret ad hæredes, sed deuolueretur ad eum, qui in eventu à disponente esset vocatus. Vtrum autem fructus, percepti à puncto, quo res ad eum deuenit, vsque ad instans quo contrauenit modo, pertineant ad ipsum, an ad vocatum in eo euentu loco ipsius. Dicendum est pertinere ad successorem, quando disponens statuit, vt in casu contrauentionis censeretur nunquam fuisse vocatus: quoniam tunc dispositio, ex mente eo pacto disponentis, censeretur conditio nalis, pendens ex obseruatione modi futuri, vt in ca-

su contrauentionis censeatur fuisse nulla à principio, atq; adeo, non fecisse illum fructus suos. Imo vero, esto disponens solum statueret, vt eo ipso, quod modo contraueniret, amitteret rem sub eo modo si bi relicta regulariter amitteret fructus antea perceptos. Ratio est, quoniam, vt mox dicemus, quando aliquid relinquitur sub modo, is, cui ea res relinqui tur, antequam eam accipiat, tenetur cauere, satisdareve, quod modum implebit, & quod si illum non impleat, restituet rem cum fructibus perceptis, instar Mutianæ cautionis, tametsi in maioratibus, dū succeſſores vocātur sub modo, vt nōnulla obseruēt, alioquin eo ipso maioratum amittant, & succedat alius, du rum Molinæ videat ur, transgredientes modum te neri restituere fructus anteà perceptos, dicatq; in praxi id nō esse receptum, nonnullasq; rationes reddat, cur restituere non teneatur eiusmodi fructus, tandemq; cogitandum id relinquat, quando casus in particulari occurrat. Ipsum quoad hæc omnia legito. *3. li. de primog. c. 12. num. 15.*

8 Quando aliquid sub modo legatur, aut per quam uis aliam vltimam voluntatem alicui relinquitur, priusquam legatarius id accipiat, tenetur cauere de modo implendo, & de re cum fructibus restituendis, nisi modum impleat. *l. quibus diebus. §. Termi lius. ff. de condit. & demon. glos. l. 1. verbo pro conditione. C. de iis quæ sub modo. gl. §. longe magis ver. sed si conditione, instit. de legatis* Bart. & commun s Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur Ant. Gom. *1. to. var. resol. c. 12. n. 60.* & Molina *lib. 2. de primog. c. 12. nu. 23.* Si tamen legatarius ante cautionem præstitam è vita discedat, non idcirco impeditur quo minus transmittat legatum: quoniam licet legatum sub modo tacitam habeat conditionem, si cauerit: conditio tamen illa non est, vt legatum validum ac perfectum sit, sed vt legatarius possessionem illius assequatur. Tametsi aliam rationem reddant Anton. Gom. *loco citato. numer. 61. & alii.*

9 Quando tamen modus solum respicit vtilitatem legatarij, ita quod arbitrio prudentis, spectatis circumstantiis concurrentibus, legans nullo modo voluit inducere obligationem legatario, sed solum præbere illi medium quo talem modum assequatur, tūc necessaria non est cautio, vt si quis dicat, lego Titio centum, vt possit nubere. Ita habetur *l. Titio centum. in principio, ff. de conditionibus & demonstrationib.* Si tamen legans, etiam in solam legatarij vtilitatem, inducere illi intenderet obligationem ad modum, vt ad emendum fundum vnde possit viuere, quia est parum industrius, facileque consumet pecuniam tunc exigenda esset cautio, tum vt fundum ex ea pecunia emeret, tum etiam, vt eum non alienaret, prout de testatoris voluntate esset præsumendum. Ita subiungitur *l. Titio centum citata*, & habetur, *l. si tibi legatum. ff. de legat. 3.* Cum tamen huiusmodi cautio solum sit in vtilitatem legatarij, vtique non est intelligenda, de restituendo legato, & de restituendis fructibus illius, si modum fuerit transgressus, sed cogendus est solum, vt quoad fieri possit modum iuxta testatoris voluntatem seruet.

10 Quando modus dispositioni est appositus in vtilitatem tertij, vt si donata aut legata sint centum alicui, vt ducat aliquam vxorem: tunc si per eum steterit, in cuius vtilitatem modus est appositus, aut si ille mortuus sit, hoc alio non existente in mora adimplendi modum, tunc modus habetur pro impleto, validaq; est dispositio sine impletione talis modi, vt disp. 206. de simili conditione dictum est. Præter iura ibi citata habetur hoc expresse. *l. 1. C. de ijs quæ sub modo.* Lege alia iura, quæ *gl. vlt. ibi* citat.

11 Modus impossibilis tam de facto, quam de iure, hoc est, turpis, habetur pro non appositio in vltima voluntate, vt de conditione impossibili atq; illic ita, disp. 206. dictum est. Ita Gregor. Lopez. *l. 3. tit. 4. pa. 6. verb. por tal condicion*, & Molina *lib. 2. de primoge nitis. c.*

A *12. nu. 41.* & cōmunis opinio quam refert. Imo, vt recte Molina cum Accursio, & comuni doctorum sententia quam citat, ait, cum modus dispositionem nō suspendat, sed eam præsupponat perfectam & validam, si modus impossibilis aut turpis donationi aut alteri contractui apponatur, illum nō vitiat, sed habetur pro nō adiecto: quod nō similiter est dicendū de cōditione impossibili aut turpi donationi aut alteri cōtractui adiecta, vt in materia de donationibus videbimus.

Vt autem constet quando donatio, legatum, aut 11
alia similis dispositio facta sub modo licito ac possibili, modo nō subsecuto valida sit, aut non, breuiter distinguendum est. Quoniam vel modus expressus aut donatione, vel legato intentus, solum se habuit tanquam causa motiua ad donādum aut legandum, ita videlicet, quod licet donans aut legans intentione
B illius donauerit, non tamen intendit inducere obligationem donatario aut legatario ad illum, sed solum intendit ad modum implendum eum alliceꝛe, illiue media cōferre, vt possit modū executioni mādare vel reuera modus nō se habuit solū vt causa motiua ad donandum, vel legandum, sed disponens intendit inducere obligationem ad eum implēdum. Id quod potest adhuc esse altero duorum modorum. Vno, ita vt licet voluerit legatarium aut donatarium teneri ad eum implendum, nō tamen alligauerit donationem illi oneri implendo, quasi nō impleretur, esset nulla: reuocataq; eo ipso censeretur. Altero vero, ita vt donationē oneri implendo alligauerit, nec voluerit aliter donare, aut donationē valere, quam si modus impleretur, ac proinde voluerit
C quidē donationē esse puram, attamē resoluendam sub cōditione, quod eo ipso, quod modus nō impleretur, cēseretur, atq; efficeretur nulla: eo modo quo iurisc ōsultus *l. 2. ff. de in diem adiectione* si in hunc modum venditio fiat: vendo tibi hanc rem centum aureis ea lege, vt, si intra mensem alius plus pretij mihi offerat, recedamus à venditione; explicat venditionem esse quidem puram, ac proinde fructus medij tē poris pertinere ad emptorem, illoq; medio tempore emptorem vsu capere, quia reuera res ita empta medio illo tempore fuit illius, neq; contractus fuit suspensus: attamē eo ipso, quod alius intra mensem plus pretij offerat, resolui ac reuocari.

Quo loco obserua, nō esse eandem rationē, quod 13
si eiusmodi emptor lucretur fructus medij temporis, legatarius quoq; aut donatarius lucretur fruc us
D medij temporis rei sub modo sibi hoc vltimo pacto legatæ: quod nescio an satis Molin. *2. lib. de primog. c. 12. nu. 19.* aduerterit. Etenim cum venditio contractus sit onerosus, resq; illa medio tempore, antequā venditio oblatione maioris pretij resolueretur, fuerit emptoris, ipsique proinde tunc perijsset, & non venditori, fructus vtiq; ad emptorem pertinere debent velit nolit venditor, præsertim cum eo tempore venditor pretio fit potitus; at verō quando dispositio est mere gratuita, vt sunt legatum, & donatio, iure optimo disponens potest velle, vt in euentu quo modus nō fuerit seruatus, censeatur dispositio quasi à principio fuerit omnino nulla, legatariusq; aut donatarius, rem restituere teneatur cum omnib. fructibus ex ea perceptis, nō obstante quod vsque ad illud instans veri fuerint illius domini: quare voluntati disponentis erit hac in parte standum.
E

Quia ergo hoc ex voluntate disponentis pendet, 14
colligo, quando donatio, aut legatum sub modo alligantur oneri modum implendi, ita quod modo non seruato inualida fit donatio, aut legatum, id posse esse dupliciter; prout fuerit voluntas disponentis. Primo ita, vt eo ipso, quod contraueniatur, modo donatio, aut legatum deinceps non valeant: & tunc fructus medij temporis pertinent ad legatarium, aut donatarium, solumque amittit rem ipsam donatam, aut legatam. Secundo ita, vt eo ipso, quod

con-

contraueniatur modo, donatio, aut legatum ita reuocentur, quasi à principio facta non fuerint: & tũc legatarius, aut donatarius restituere tenetur rem cum fructibus à principio perceptis, atque de vtroque cauere tenebatur antequam res ei traderetur.

15 Habemus igitur explicatos quatuor modos, quibus aliquid donari, legari, aut alio pacto relinqui potest sub modo, vt diiudicari possit, quando, modo non subsecuto, non consurgat obligatio, aut consurgat rem restituendi, & quousque. Et quoniam hi quatuor modi à disponentis voluntate pendẽt, sane quãdo disponens sufficienter verbis, aut scripto expressit, quẽnam hac in parte fuerit ipsius voluntas, illi ita expresse est standum. Quando autem eam non ita expressit; coniecturis, arbitrio prudentis, spectata rei natura & spectatis cæteris circumstantiis concurrẽtibus, est iudicanda, neq; potest melior, certiorve alia regula statui.

16 Vlpianus *l. 2. §. vlti. ff. de donationib.* tradit fere regulam à nobis propositam ad iudicandum, quando, modo non subsecuto, consurgat obligatio restituendi, & quando non. Si enim ait. *Titio decem donauit ea conditione, vt inde Stichum sibi emeret, quæro, cum homo, antequam emeretur, mortuus sit, an aliqua actione decem repetam. Respondeo. Facti magis, quam iuris quæstio est. Nam si Titio decem in hoc dedit, vt Stichum emeret, aliter non donaturus* (id est, nolens vt donatio valeret) *mortuo Sticho condictione repetam. Si vero alius quoque donaturus Titio decem, deinde quia interim Stichum emere pro posuerit, dixerim in hoc ei dare, vt Stichum emeret; causa magis donationis, quam conditio dandæ pecuniæ æstimari debebit, & mortuo Stichо pecunia apud Titium remaneoit.* Et *l. 2* subiungit idem Vlpianus: *Generaliter hoc in his donationibus definiendum est, multum interesse, causa donandi fuerit, an conditio. Si causa fuerit, cessare repetitionem: si conditio, repetitioni locum fore.* Hactenus Vlpian.

17 Quando primo ex quatuor modis explicatis quis donauit, aut legauit, non solum valida sunt donatio, aut legatum, modo non subsecuto, sed etiam nulla consurgit obligatio modum seruandi, ac proinde donatarius, aut legatarius cauere non tenentur de modo seruando iuxta iura, quæ hac de re supra citata sunt. Siquis igitur centum alicui leget, aut donet, vt fundum emat, solum intendens tribuere illi vnde id possit facere, non vero inducere obligationẽ vt faciat, accipiens pecuniam, potest licite non emere fundum, sed eam aliter impendere. Idem est si legauit, aut donauit vt Stichum emeret, iuxta Vlpiani
18 exemplum paulo ante explicatum.

Quo loco obiter est notandum, siquis alicui leget aut donet fundum ad alimenta: non solum vsum, aut fructus censeri illi legata, sed proprietatem etiã ipsam *l. 4. in principio. ff. de aliment. & cibariis leg. penultim. §. vlt. in fine. ff. eodem titul. Molina lib. 1. de primogen. c. 19. n. 9. Gama. decis 92. nu. 1.* & Doctores quos citant. Quin si quis donet, aut leget alicui fundum ad vsum censetur proprietatem cum vsu legasse: quoniam verbum illud, ad vsum, finem, ad quem, seu ob quẽ fundus legetur, aut donetur, significat. *l. donationes in concubinam. §. species ff. de donationib. glos. ibidem,*
19 *Molina vbi supra, num. 8* & alij communiter.

Siquis item leget alicui centum, vt nubat, non intendens obligationem inducere vt nubat, sed solũ credens eam nubere velle adiutoriumq; illi ad nubendum præstare intendens (quod regulariter est præsumendum, quando aliunde contrarium non constat) validum est legatum, etiamsi illa nunquam nubat, neq; peccat legatum accipiens animo nunquam nubendi. Quin esto testator præcipiat, vt pecunia illi non tradatur, nisi tempore nuptiarum ductus ne illam dissipet, aut in alia re illam consumat; si illa monasterium ingrediatur, tradenda est sine dubio monasterio, vt sancitum est in *authe. de sanctissimis Episcopis. §. sed & hæc, &c* in *authen, nisi rogati. C. ad Trebel.* & affirmat communis Doctorum sententia, etiã

A quando sub expressa conditione nuptiarum fuisset tale legatum, nedum in casu de quo modo disputamus. Quoniam, vt in calce disputationis conclusione prima dictum est, ius præsumit testatorem de ingressu religionis non cogitasse, quando conditionem nuptiarum apposuit, eamq; fuisse præsumptã illius voluntatem, si de ea re tunc interrogaretur. Deinde in casu, de quo nunc disputamus, si deueniente illa fœmina ad ætatem in qua nubere deberet, eligat potius perpetuum cœlibatum, & coniecturæ sint, quod serio eum statum amplectatur in eoque perseuerabit, tradenda est ei pecunia (præsertim si prælati authoritas accedat) vt ex ea in meliori illo statu viuat: quandoquidem id intento & voluntati testatoris non repugnat. Confirmari hoc potest ex c. verũ de conditionib. appositis, vbi (vt statim videbimus) Ecclesia interpretatur, quando de contraria restan-
B tis aut donantis voluntate non constat, animum conferentis Ecclesiæ aliquid sub modo non esse, vt ex eo, quod Ecclesia modum non seruet, amittat rem sibi collatam, idemque longe maiori cum ratione dicendum est in re, de qua disputamus: cum præsumẽdum non sit testatorem in eo euentu intendisse, vt pecunia illa non inseruiret ad tutò eligendum meliorem statum, cum pia causa id sit. Porro in hoc euentu, de quo disputamus, si mulier illa è vita discedat antequam matrimonium contrahat, transmitti legatum illud ad ipsius hæredes.

Multa sunt iura, quæ legatum dotis, aut in dotem 20
asseuerant esse conditionale, seu potius sub modo, hoc est, purum resoluendum sub conditione, iuxta ea quæ in tertio & quarto ex modis à nobis explicatis dicta sũt, ac proinde si mulier sine nuptiis è vita
C discedat, pertinere ad hæredem, neque mulierem illud transmittere ad suos hæredes, vel de eo posse disponere: eo quod hæredes illius implere non possunt modum, qui erat onus personale legatarij. De numero horum iurium est. *l. Titio centum §. Titio genero. vers. ante nuptias. ff. de conditionib. & demonst.* Id tamen omnes intelligunt, quando ex coniecturis, nõ est præsumendum aliam fuisse voluntatem testatoris, vt affirmant *glos. l. si ego in prin. ff. de in. dotium* iuxta Vlpiani distinctionem. *l. 1. & 3. ff. de donation.* a nobis paulo ante relatam. De hac re longam habes disputationem apud Couar. *de testa. c. 3. nu. 11.* & Emmanuelem à Costa *lib. 2. de conditionib. c. 22.* Neque Couar. in euentu, de quo paulo ante disputauimus, à nobis dissentit, vt patet. *num. 12 citato à vers. secundo apparet.* Exempla donationum propria, quæ circa
D hũc primum modum addi poterant, commodius dicentur quando de donatione sub modo suo loco fuerit sermo.

Quando secundo ex quatuor modis explicatis 21
quis legauit, aut aliter disposuit, valida est dispositio modo non subsecuto; attamen tenetur legatarius, aut quicumque alius cui sub modo facta est ea dispositio, modum implere, tum in exteriori, tum in conscientiæ foro, sub reatu culpæ vel venialis vel mortalis iuxta materiam subiectam ac præiudicium tertii. Tenetur in exteriori foro cauere de modo implendo si id ab eo exigatur. Exempla & iura quæ hæc probant, supra allata sunt. Inter exempla cõputari potest, quãdo quis *in ciuẽ* ea lege est admissus: vt tributa soluat, & alia ciuiũ onera subeat: Licet enim ea nõ subeũdo nõ desinat esse ciuis, peccat tamẽ, cogiq; ad ea subeunda potest & debet, & si pertinax fuerit, in pœnam priuilegio mulctari potest.

Ad hunc etiam secundum modum spectat, quo- 22
ties aliquid sub modo legatum aut datum est Ecclesiæ, vel in aliam piam causam, animo obligandi ad modum implendum, neque legans aut donans expresit, se ita donare, vt si modus non seruetur, donatio censeatur reuocata, ac nulla fit. Præsumitur namque donantem sub modo ad piam causam non intendisse, vt modo non seruato, donatio reuo-

caretur, quando id non expresit. Ita definitū est, ca. verum de conditionibus appositis. Quo loco cum Medina *de rebus rest. q. vlt.* 24. est obseruādum, legem illam fundari in præsumptione: quare quando intelligitur contrariam fuisse intentionem testatoris, aut donantis, esto eam non expresserit, illi standum est in foro conscientiæ, ac proinde eo ipso, quod modo cō trauenitur, nulla expectata sententia, reuocatur, nullaue efficitur donatio, aut legatum. Neque enim lex, quæ in præsumptionem fundatur, vim habet in foro conscientiæ, quando de contrario præsumptionis constat. Neque item liberalis donatio maiores vires habet, quam fuerit donantis intentio.

25 Quod ad tertium, & quartum modum ex supra explicatis attinet solum est quod examinemus, an quādo aliquid legatum, aut donatū est Ecclesiæ sub modo, expressumque est, quod eo ipso, quod modus nō seruetur donatio aut legatum censeantur reuocata, satis sit prælatum contrauenire modo, vt Ecclesia rē illam amittat. Vt si aliquid donatum sit sub modo, quod eo ipso, quod alienatum fuerit, censeatur reuocata donatio, satis sit prælatum illud alienare, sine cō sensu capituli. Ad quod respondendum est cum Panor. *c. verum citato*, & Doctoribus communiter, id nō satis esse. Ratio est, quoniam res illa iam erat acquisita Ecclesiæ: licet autem solus prælatus possit nocere Ecclesiæ in acquirendis, non tamen in acquisitis, vt glossa cōmuniter recepta. *c. vlt.* 16 *q.* 6 affirmat. Quādo tamē res esset talis, quā, iuxta religionis statuta, & priuilegia, solus prælatus posset alienare, aut interuenire authoritas, quæ iuxta eadē priuilegia ad id sufficeret, tunc non dubito donationem, aut legatum censeri reuocata. Quando etiam aliquid donatum, aut legatum esset sub conditione propriè sumpta, quæ proinde donationem aut legatum suspenderet, tunc satis esset prælatum transgredi conditionem, vt donatio, aut legatum inualida redderenter: eo quod talis res nondum monasterio, aut Ecclesiæ esset acquisita, solusque prælatus in acquirendis posit eis nocere.

Dubium. *Decisio.*

SVMMARIVM.

1 *Causa quid.*

2 *Quando aliquid gratuito ita collatum est ob causam existimatam, nec tamen subsistentem, quod reuera actualis, aut quasi habitualis animus conferentis est, secluſa ea causa non conferre, collatio in foro conscientiæ est nulla.*

3 *Aliud est conferentem in ea esse dispositione, quod si sciret causam, ob quam confert non subsistere, reuera non conferret aliud esse in ea dispositione, quod si sciret causam non subsistere, vellet collationem nullam esse.*

4 *Quando causæ, quæ ad gratuito disponendum impulerant veræ sunt, quamuis aliquid aliud disponentem latuerit, quod si sciret, non solum non ita disponeret, sed etiam vellet vt nulla esset talis dispositio, vtique valida est.*

5 *De iure ciuili, si testator erret in persona heredis, quem instituere intendebat, inualida est institutio.*

6 *Iure ciuili sancitum est, si quis credens aliquem esse suum filium eum heredem instituat, alioquin minime eum instituturus, inualidam esse institutionem.*

7 *Lex Castellæ vult, quando institutio in posteriori testamento est nulla, quia institutus in priori testamento mortuus credebatur, valere legata in vtroque testamento relicta.*

8 *Si absque dubio constet testatoris voluntatem fuisse, causa non subsistente, non velle vt legatum esset validum, iure ciuili inualidum censetur.*

CAVSA QVID, ET NVM GRATVIta ob causam per vltimam voluntatem, aut inter viuos dispositio, causa non subsistente, valida sit,

DISPVTATIO 209.

1 CAusa, quod ad rem præsentem attinet, *est id propter quod, tanquam præsens, aut præteritum, dispositio fit.* Vt si eleemosynam des propter patpertatem, aut vitæ sanctitatem, quam in alio arbitraris, ea paupertas, aut vitæ sanctitas est causa talis donationis seu eleemosynæ; si leges, aut dones propter obsequia tibi, aut patri exhibita, eiusmodi obsequia vera, aut à te credita, causa sunt talis legati aut donationis. Dictū est, causam esse id, propter quod tanquam præsens aut præteritum dispositio fit: quoniam si sit quippiam futurum ob quod tanquam ob finem intentum dispositio fiat, resultat modus, & non causa, vt de ea nunc loquimur. Dare namque vt quippiam fiat, est modum dispositioni imponere. Causa significari solet per verba, quia, quoniam ideo, &c. *Causa quid.*

In hac disputatione, vt ex titulo proposito constat sermo nobis est, de quacumque gratuita ob causam dispositione, siue fit per vltimam voluntatem, atque adeo hæredis institutio, legatum, aut donatio causa mortis, siue fit donatio inter viuos, etiamsi exhibitione non fit consummata, sed fit nuda promissio: quoniam quod ad forum conscientiæ attinet, de omnibus eadem est ratio. Primo autem dicemus quid in conscientiæ foro censendum sit: deinde vero quid in exteriori.

2 Sit ergo hæc conclusio. Quando aliquid gratuito ita collatum est ob causam existimatam, nec tamen subsistentem, quod reuera actualis, aut quasi habitualis animus conferentis est, secluſa ea causa non conferre, collatio in foro conscientiæ est nulla, siue conferens expresserit velle vt non existente ea causa collatio sit nulla, siue non. Hæc est Ioannis Medinæ *de rest. q.* 2. Nauar. *in manu. c.* 18. *n.* 6. Sylu. *verb. pactum q.* 4. & multorum aliorum. Et quamuis Cou. de sola donatione inter viuos loquatur, est tamen eadem ratio de vltima voluntate. Quo loco obserua, conclusionem nostram esse indubitatam, non solum in conscientiæ sed etiam in exteriori foro, siue dispositio sit inter viuos siue per vltimam voluntatem, quando collator expresit velle vt causa non subsistente, collatio sit nulla: est enim dispositio sub expressa conditione de præsenti, aut de præterito licita, conditione non existente; quæ proculdubio, etiam in exteriori foro, reddit dispositionem nullā, iuxta ea, quæ disp. 206. dicta sunt. Quando autē collator id non expressit, intelligitur tamen eum fuisse actualem aut quasi habitualem ipsius animum, probatur conclusio. Primo, quoniam talis dispositio virtute ex disponentis intentione est conditionalis, si causa subsistat; quandoquidem, vt supponimus, conferentis animus est non conferre, si causa non subsistat, & donatio, gratuitaue collatio, maiores vires non habeat, quam iuxta donātis animum, atque intentionem: ergo causa non subsistente, inualida in foro conscientiæ, est talis dispositio. Secundo, quoniam eiusmodi gratuitus collator donat ex errore, quo secluſo nō vult donare: ergo donat inuoluntarie, eo modo quo ignorātia causa est inuoluntaria, ac proinde talis collatio est nulla: quandoquidē, vt datio liberalis valida sit, esse debet voluntaria omnino, neq; sufficit esse voluntariā mixte: hac.n sola ratione solutio vsurę inualida est nec transfert dominium in vsurarium, vt suo loco videbimus. *Conclus.*

Hoc

3 Hoc loco duo obserua. Primum est, aliud esse cõferentem in ea esse dispositione, quod si sciret causam, ob quam confert, non subsistere, reuera non cõferret: aliud vero esse in ea dispositione, quod si sciret causam non subsistere, velle collationem nullam esse. Hoc secundum inualidam facit gratuitam collationem, atque de ciusmodi dispositione sermo nobis est in conclusione proposita. Primum vero non semper facit gratuitam dispositionem inualidam. Multi quippe sunt, qui, si scirent causam, à qua ad cõferendum mouentur, vel falsam esse, vel non esse tantam, quantam existimant, reuera non conferrẽt, quod conferunt, & tamen, postquam semel contulerunt; animum non habent vt inualida sit dispositio: atque in hoc euentu in vtroque foro est valida. In promissione autem, quoniam præsumendum non est, promittentis animum esse intendere se obligare ad implendum, quod promittit, non subsistente causa, à qua ad promittendum fuit permotus, vtique non subsistentia talis causæ regulariter inualidam reddit promissionem.

4 Secundum est, quando causæ, quæ ad gratuito disponendum impulerunt, veræ sunt, quamuis aliquid aliud disponentem latuerit, quod si sciret, nõ solum non ita disponeret, sed etiam vellet, vt nulla esset talis dispositio, vtique valida est. Quare siquis motus ex sola paupertate alicuius, illi aliquid donet, eleemosynamve faciat, esto ipsum latuerint circumstantiæ aliquæ, vt esse infidelem, aut perditum moribus, quas si sciret, non solum non donasset, sed etiam vellet, vt donatio à se facta nulla omnino esset, valida est dispositio; eo quod motus non fuerit ad donãdum ex oppositis eorum, quæ ipsum latebant, quæque à donando retraxissent, sed ex pauperate, quæ vere subsistebat. Cum enim donatio illa, comparatione eorum, quæ donantem impulerunt, causáve donationis fuerunt, simpliciter fuerit voluntaria dominiique translatiua, neque, vt dispositio aliqua valida sit, necesse sit disponentem omnia vniuersim penetrare, quæ ipsum à tali dispositione retrahere poterant; alioquin nullus ferè, qui gratuita dispositione aliquid acciperet, tutus ésset in conscientia, eo quod iustè timere posset, circumstantiam aliquam, vel circa ipsius mores, vel circa aliquid aliud, disponentem latuisse, quam si sciret, animum haberet non disponendi eo pacto; vtique affirmandum est validam esse talem dispositionem, videnturque consentire Medina *q. 24. citata. §. sequitur*, Scotus *in 4. dist. 15. q. 2. art. 3.* & cæteri Doctores. Rationem redditam in hunc etiam modum possumus explicare. Voluntas gratuito disponentis nititur iis, quibus ad eo pacto disponendum ducitur, illisque suppositis dispositio est volita atque adeo voluntaria, eaque de causa, si falsa sint, tantum ea dispositio habet de inuoluntario admixto, quantum voluntas eam dispositionem respueret, si contraria scientia adesset. Quo fit, vt si donans in ea tũc esset dispositione, quod si sciret, ea, quibus ducitur, falsa esse, vellet dispositionẽ nullam esse, dispositio sit nulla. Quando autem ignorantia est circumstantiarum, quarum contrariis voluntas non nititur ac ducitur ad eo pacto disponendum, tunc sicut cõtraria ad eam dispositionem non concurrerunt, neque illius fuerunt causa, ita neque ea ignoratio eiusmodi circumstantiis, quæ disponentem retraherent à dispositione, reddunt illam inuoluntariam, estque proinde valida. Hæc quod ad forum conscientiæ attinet.

5 Quod ad forum spectat exteriorem, de iure ciuili. *L. quoties in prin. ff. de hæred. inst. & l. 12. tit. 3. part. 6.* sancitum est, si testator erret in persona hæredis, quẽ instituere intendebat, vt si credens eum hominem, quem præsentem habebat, esse suum patronum aut fratrem, cum tamen esset homo longe diuersus, dicat, instituo meum hæredem hunc meum patronũ, aut hunc meũm fratrem, inualidam esse institutionem, & neque hæredem esse illũ præsentem, quem credebat suum patronum aut fratrem, neque item patronum ipsum aut fratrem, quem instituere intendebat, eo quod reipsa non fuerit scriptus in eo testamento hæres; sed hęreditatem pertinere ad hęredes ab intestato. Idemque de iure ciuili sancitum est, si legatum simili modo relinquatur. Licet autem in exteriori foro, atque apud iurisperitos hæc videantur recepta: credo tamen, non solum in conscientię, sed etiam in exteriori foro contrarium debere censeri, nempe hæreditatem aut legatum ei deberi, cui testator relinquere illis verbis id intendit quemq; eisdem verbis sufficienter exprimere ac significare suum hęredem arbitratus est. Ducor, non solum quia lumen rationis id perspicuè docet, standoque in solo iure naturæ nullus id negare audebit, sed etiam rationibus, quibus disp. 197. aliud simile ostendi, quas necesse non est hoc loco repetere.

6 Iam supra dictum est, quando testator ductus falsa causa quempiam hæredem instituit, aut legatum illi reliquit, si expressit in euentu, quod talis causa nõ ita haberet, velle vt institutio aut legatũ nulla essent, esse absque vlla controuersia nulla. Quando vero id non expressit, in primis, vt disp. 135. ex parte dictum est, ciuili iure sancitum est, siquis credẽs aliquem esse suum filium eum hæredem instituat, alioquin minimè eum instituturus (quod regulariter est præsumendum) inualidam esse institutionem, hæreditatemque proinde ad hæredes ab intestato pertinere. *l. si pater. C. de hæredib. instituend. & l. neque professio. C. de testament.* Idem est, si credens esse suum fratrem illum instituat, *arg. tex. in l. nec apud peregrinos, C. de hæredib. inst. & l. quoties in prin. ff. eod. tit.* Hoc ipsum Ant. Gom. *ad l. 24. Tauri. n. 1. vers. 10.* extendit si credens esse filium adoptiuum, vel legitimatum, aut quemcunque alium sibi coniunctum ac consanguineum, illũ instituat. Item eodem ciuili iure sancitum est, siquis prius hæredem aliquem instituit, & postea audiens mortuum esse, eo errore deceptus condat secũdum testamentum in quo alium hæredem instituat, post mortem testatoris constet eum, qui primo hæres institutus est, viuum fuisse, inualidam esse posteriorem institutionem; eo quod facta fuerit ob causam illam falsam veram existimatam, validamque priorem esse institutionem. Ita habetur *l. vlt. ff. de hæred. instituend.* vbi Bart. summarium sic habet. *Falsa causa vitiat institutionem.* Idem habetur *l. 21. tit. 1. part. 6.* In hoc tamen euentu, & vniuersim quando inualida est institutio, quia falsa erat causa ob quam fuit facta, valida sunt legata, vt ex *l. vlt. ff. de hæredib. instituend.* constat, & affirmat Ant. Gom. *loco citato.* Quando tamen inualidum est testamentum, quia parens eum filium præteriuit, qui post testamentum conditum est natus, vel quem pater mortuum credebat, quousque inualida sint legata tam de iure huius Lusitaniæ regni, quam de iure communi explicatum est *disp. 175. §. intelligendum præterea.*

7 Lex Castellæ citata vult, quando institutio in posteriori testamento est nulla, quia institutus in priori testamento mortuus credebatur, valere legata in vtroque testamento relicta: & idem affirmat Anto. Gom. *in calce, nu. 1. citati.* quoniam de legatis, inquit prioris testamenti non est dubitandum valere: lex autem *vltim. ff. de hæredibus instituendis* id supponens, solum statuit valere legata relicta in posteriori testamento. Arbitror tamen coniecturis prudentis arbitrio ex circumstantiis concurrentibus esse iudicandum, quæ, & quot legata vtriusque testamenti iuxta testatoris mentem, censenda sunt vim habere. Si nãque primus hæres institutus erat filius, eaque de causa credendum sit patrem pauca legata in primo testamento reliquisse, postea vero quia in secundo testamento extraneum instituebat, auxisse multum legata, certè filius cogendus non est implere legata secundi testamenti, nisi forte aliquid, vel aliqua, de quibus

Im Gast.

quibus coniectura verisimilis sit ex circumstantiis post primum testamento superuenientibus testatorem similiter ea relicturum. Si item testator multum variauit in legatis, & legata vtriusque testamenti tot sint, vt verisimile non sit testatoris voluntatem fuisse, vt vtraque implerentur, ea sola implenda sint, quæ credendum est testatorem voluisse, vt in eo euentu implerentur.

§ Quod ad legata attinet, si absque dubio constet testatoris voluntatem fuisse, causa non subsistente, nō velle vt legatū esset validum, iure ciuili inualidum censetur, etiam in foro exteriori, *l. cum talo. §. falsam. 1. ff. de conditionib. & demonst. l. 1. C. de falsa causa adiecta legato, & l. si cum te C. de pactis.* & affirmant Greg. Lopez *l. 19. Glos. vlt. & l. 20. tit. 9 p. 6. Ant. Gom. 1. tom. var. resol. c. 12. n. 66.* & Doctores quos citant In dubio tamen de iure ciuili præsumitur animum testatoris fuisse, vt legatum valeret etiamsi causa non subsisteret, atque ad hæredem spectat, probare contrarium: Vnde si quis dicat, lego Petro centum, quæ illi debeo, aut quia negotia mea gessit, legatum est validum compelleturque hæres illud soluere, esto neque testator centum Petro debeat, neque Petrus testatoris negotia gesserit, nisi vel testator expresserit sub conditione talis causæ legare, vel nisi hæres probet animum testatoris fuisse non velle legare causa non subsistente, aut certe legatarius ipse, re conscientiæ aut iuramento ipsius relicta, confiteretur eam fuisse testatoris voluntate m. Ita habetur expresse, *§. longe, instit. de legat. l. demonstratio falsa. §. quod autem, & l. cum talo. §. falsam. 1. ff. de condit. onib. & demonstrat. l. legati. §. vlt. ff. de liberatione legata. l. si fit. §. 1. ff. de leg. 1. l. Titia. §. Caius, ff. de legat. 2. l. in summa. §. id quoque ff. de condict. indebit. l. 2. & 3. & vl. C. de fals. caus. adiect. & l. 19. & 20. tit. 9 p. 6. Ant. Gom.* vbi supra ait, satis esse, vt legatam nullum pronuncietur, si hæres præsumptiue probet testatorem non fuisse legaturum, si sciret causā non subsistere, vt sit testator dixit, lego Petro centum quia est meus filius, aut consanguineus, & neq; filius, neque consanguineus sit, *arg. l. si pater & l. nec apud peregrinos, C. de hæredib. instit.* Consentit Bart. *l. demonstratio falsa in prin. n 7. ff. de condition. & demonstr.* Iura tamen citata in præsumptione fundantur, quod ea fuerit testatoris mens.

SVMMARIVM.

1 *Vtrum qui simulata paupertate, infirmitate, aut alia simili causa eleemosynas à populo accipiunt, quas alioquin illis non daret, teneantur eas restituere.*

2 *Decisio prioris quæstionis.*

3 *Quando animus dantium ita eleemosynam, sit, vt donatio non valeat, atque adeo quando accipientes restituere teneantur aut non, nulla stat uitur certa regula, sed in euentibus particularibus spectatis circumstantiis concurrentibus, iudicandum est.*

4.5 *Cui restitutio facienda sit.*

6 *Authoris sententia.*

7 *Decisio posterioris quæstionis.*

ACCEPTA IN ELEEMOSYNAM ob paupertatem, sanctitatem, aut aliam causam fictam, obnoxia ne sint restitutioni, & cui sit facienda. Idem de acceptis conferente ea principe ob mentitia seruitia, aut aliam causam confictam.

DISPVTATIO 210.

1 VTraque quæstio proposita ex iis, quę disputatione præcedente dicta sunt, dirimenda est: eaque A de causa vtraq; hoc loco à nobis examinatur. Quod ad priorem attinet, videlicet, vtrū qui simulata paupertate, sanctitate, infirmitate, aut alia simili causa eleemosynas à populo accipiunt, quas alioquin illis non daret, teneantur eas restituere, multum variant Doctores, de quorum numero sunt *Alrisiodorensis lib. 4. c. de restitutione. Alexan. Alensis. 4. p. q. 86. memb. 3. Adria. de rest. q. 15.* quæ incipit, *Consequenter quæro vtrum indistincte, &c. Medina de reb. rest. quæst. 24. Scot. in 4 d. 15 q. 2. art. 3. N. unar. in manu. c. 17 nu. 107. Caiet. in sum ma verb. rest. ad finem, Sot. 9. de iustitia, q. 7. art. 3. ad 4.* quibusdam seuerius, & aliis minus seuerè de hac re loquentibus.

Nostra autem decisio, iuxta dicta disputatione pre- 2
cedente, sit. Quando dantes eleemosynas ob causas Decisio prioris quæstionis.
B illas creditas, ita eas dant, quod, suppositā petentium fictione, actualis aut quasi habitualis animus est, eas nō donare, accipientes tenentur illas restituere alioquin restituere non tenentur, etiāsi dantes in ea quasi habituali dispositione, dum eas dederunt, essent, quod si fictionē scirent, nullo modo eas darēt. Porro plurimi sunt, qui licet non darent, si fictionem scirent; posito tamen, quod dederunt, attentaque parua quantitate, quam quisque dat, volunt validā esse donationem præsertim si accipiens diues non sit, ac saltem postquam eleemosyna est consumpta, isque qui accipit, non est soluendo, nolunt eum ad restitutionem teneri: maxime cum ipsi idem meritum habuerint apud Deum, ac si causa ob quam eleemosynam dederunt, mentita nō fuisset. Ab hac regula, vtā me
C est proposita ac explicata, neminem video dissentire satisque perspicua est ex dictis disputatione præcedente. Eleemosyna namque, de qua in priori parte est sermo, virtute est conditionalis, deficiente conditione ac proinde inualida est donatio. Præterea, non habet tantum voluntarij, quantum necessarium est, vt donatio valida sit. Ea vero eleemosyna, de qua sermo est in posteriori parte regulæ, sufficienter est voluntaria, vt sit valida: quandoquidem actualis, vel quasi habitualis donantis animus fuit, vt non obstante fictione valida esset donatio. Quando etiā à principio non fuit talis donatio, sed post eleemosynam consumptā, attenta paupertate eius, qui accipit, præsumendum non est dantem velle, vt qui accipit, restituere teneatur, quasi condonetur tunc eleemosyna ex præsumpta voluntate eius, qui dedit, validaq;
D efficitur ad effectum, vt accipiens restituere non teneatur.

Quando autem animus dantium in eleemosynā, 5
sit vt donatio non valeat, atque adeo quando accipientes restituere teneantur, aut non, nulla potest statui certa regula, sed in euentibus particularibus, expectatis circumstantiis concurrentibus, iudicandum est. Quo enim fictio causæ maior fuerit ac fœdior: quam dantes plus solent execrari, minoresque aliæ causæ veræ fuerint ex parte accipientium ad illam, accipiendum aut retinendum seu nō restituendum postquam fuerit accepta, eo pluriū vel etiam omniū, credendum est quasi habitualem animū esse. vt donatio sit nulla, atque vt accipiens restituere teneatur: quo vero fictio minor, minusq; fœda fuerit, & plures ac maiores aliæ causæ veræ fuerint ad eleemosyna
E petendum, aut retinendum postquam fuerit accepta, eo pauciores, aut etiam nullos, credendum est habere quasi habitualem animū vt restituere teneatur. Item attendēda est quantitas eleemosynæ, quam quisque dedit vtrum sit parua, an magna & inconsueta: si enim magna & inconsueta sit, plus credendum est animum dantis esse, vt accipiens restituere teneatur. Respiciendum quoq; est ad generositatem dantis quo enim benignior ac munificentior fuerit, eo minus credendum est velle, vt accipiens restituere teneatur. His & aliis circumstantiis expensis, iudicādum est, an accipiens totū, aut partem restituere teneatur. Et quidem si res dubia sit, non est melior cō-

ditio

ditio eius, qui fraude ac dolo eleemosynas extorsit, A
esto ipse possideat. Tum quia fraus & dolus nulli debeat patrocinari. Tum etiam quia non cepit bona fide possidere. Quo fit vt in dubio ad restitutionem aliquam pro dubij quantitate sit astringendus.

4 An vero eiusmodi restitutio facienda sit dati, quã-
Cui restitutio facienda. do constat quis is sit, an vero pauperibus aut in aliis piis operibus sit insumenda. Adria. Medin. Caie. Nauar. & denique communior sententia affirmat, non esse faciendam dani. Ducuntur, quoniam eleemosyna illa intuitu Dei facta est, isque, qui illam dedit, meritum & satisfactionem est consecutus: quare tanquam pecunia, quæ iam est Christi, neq; dominium illius transiuit in accipientem, restituenda est pauperibus, aut in aliis piis operibus est insumenda.

5 Sotus vero *loco citato*, & alij affirmant, faciendam
esse dani: eo quod dominium illius, neque in Chri- B
stum, neque in quenquam alium transierit, sed permanserit in dante: neq; enim dantis voluntas fuit cõ ferre illam Christo, sed ei amore Christi, cui illã dedit: cum ergo habuerit voluntatem virtute conditionatam dandi illi in particulari, & nulli alij, neq; conditio sub qua dedit, substiterit; consequens est, vt dominium ac ius rei ita dare permanserit apud dantem ac proinde vt in rigore, si ipsa velit sit facienda restitutio.

6 Hæc opinio in rigore mihi placet. Quia tamen re-
gulariter non cognoscentur, qui eleemosynas ita dederunt, præsertim si multi & in parua quantitate eas dederunt, difficileq; admodum, & cum modico cuiusque emolumento fieri illis potest restitutio, atque de singulis est præsumendum, quemadmodũ amore Christi id dederunt, ita voluntatem eorum esse, vt amore eiusdem Christi inter pauperes distribuatur, regulariter facienda erit pauperibus, aut in aliis piis operibus erit insumenda. Si tamen aliquis, quantitatem magnam dedisset conuenirique posset, interrogandus esset, quid de sua portione fieri vellet, suadendusque esset, vt pauperibus distribueretur autin aliis piis operibus insumeretur.

7 Quod ad secundam quæstionem proppositam at-
Decisio posteriorisquæstionis. tinet breuiter iuxta eadem principia similiter dicendum est. Quando princeps, dum ita confert, in ea actuali, aut quasi habituali dispositione est, quod vult collationem nullam esse. posito causam, ob quã confert, esse falsam, obtinentem teneri restituere, quæ ita accepit, nec non fructus inde perceptos, nisi prudentis arbitrio aliquid retinere debeat ob muneris D
administrationem, si, quod ita accepit officium aliquod sit. Si autem princeps dũ ita contulit, in ea qua si habituali dispositione erat, quod si sciret, causam falsam esse: non conferret quidem, attamen, ex quo semel confert, vult collationem validam esse, peccare quidem obtinentem eo pacto, non tamen teneri ad restitutionem. In dubio autem restituere tenetur, vel obtinere veniam à principe: eo quod non cœperit bona fide possidere, sed cum fraude & dolo. Porro obtinere munera, *tencas* quas vocant, & alia à principe ob causas ementitas, satis frequens est in hoc regno.

SVMMARIVM.

1 *Demonstratio quid.*

2 *Quando constat de re, de qua quis gratuito intendit disponere, & de persona, cui dispositio fit, esto disponere in demonstratione erret, valida regulariter est dispositio in foro exteriori.*

3,4 *Ponuntur duæ exceptiones.*

5 *Si quis leget alicui, vt testatoris sumptibus fiat ei ædificium instar alterius quod testator nominat, neque reperiatur ædificium quod testator nominauit, arbitrio boni viri, adire compellente hæredem, fieri debet ædificium, vt testatoris voluntas impleatur.*

6 *Quando demonstratio de voluntate testatoris constat, illi standum est.*

DEMONSTRATIO QVID, ET num falsa demonstratio gratuitam dispositionem vitiet.

DISPVTATIO 211.

DEmonstratio, quod ad rem præsentem attinet, *est* 1
appositio signi, accidẽtis ve alicuius ex parte eius, de quo disponitur aut cui, vel cum quo dispositio fit. Vt siquis di- *Demonstratio quid.*
car; dono, aut lego Petro centum, quæ habet in tali B
loco; lego Petro centum, quæ illi debeo: lego illi tale prædium, quod est tanti valoris, aut quãtitatis: signa, aut accidentia illa, quæ habeo in tali loco, quæ illi debeo, quod est tanti valoris, aut quantitatis, dicuntur demonstrationes rei de qua disponitur. Si quis item dicat, dono, aut lego Petro filio, aut consanguineo meo, aut qui habitat in tali loco, domo, vel habet prędium iuxta meum, aut qui mea negotia gessit: signa hæc omnia Petri nempe quod sit filius, consanguineus, &c. dicuntur demonstrationes eius, cui dispositio fit. Si item quis dicat: contraho tecum, quæ es diues, pulchra, nobilis, aut virgo: hæc omnia accidentia aut signa dicuntur demonstrationes, cum qua dispositio, seu contractus fit. Hinc constat, vnum & idẽ accidens: vt sunt illud, quæ illi debeo, qui negotia
C mea gessit, quæ es virgo, nobilis &c. posse indifferenter esse demonstrationem, aut causam eiusdem dispositionis, si vel per modum demonstrationis, vel per modum causæ significetur.

Quando constat de re, de qua quis gratuito intẽ- 2
dit disponere, & de persona, cui dispositio fit, esto disponens in demonstratione erret, valida regulariter est dispositio in foro exteriori. *leg. demonstratio falsa, in prin. l. quibus diebus. §. qui dotalem, & l. cum tale. §. huic proxima, iuncto. §. præcedente, instit. de leg.*

Excipitur in euentibus, in quibus disp. 209. dictũ 3
est falsam causam vitiare gratuitam dispositionem, nempe si constet voluntatem disponentis fuisse dispositionem esse nullam, si demonstratio falsa esset, & in quibus id ius præsumit, causaque per modum
D demonstrationis significatur, vt quia dixit, lego Petro filio meo, aut consanguineo meo cẽtum: si enim testator credebat filium esse, aut consanguineum, & talis non erat, nulla est dispositio iuris præsumptione. Vide iura, quibus disp. 209 hæc ostensa sunt, atque hoc ipsum affirmat Bart. *de tali falsa demonstratione l. demonstratio falsa. in prin. n. 7. 8. & 9. & §. vlt. nu. 14. ff. de conditionib. & demonstr.*

Excipitur præterea, quando res, quæ demonstra- 4
tur, non exstit, vt si testator dicat, dono, aut lego Petro pecuniam, quam habeo in tali loco: si enim nulla ibi reperiatur, inualida est dispositio. *l. 1 §. vlt. vers. sed & si dotem. ff. de dote præleg.* Si vero dicat, lego Petro centum, quæ habeo in loco ibique solum reperiantur quinquaginta, valet solum quoad quinquaginta, quæ ibi reperiuntur. *l. si seruus legatus. §. qui quin*
E *que. ff. de leg. 1.* Hac eadem ratione, siquis dicat, lego Petro decem, quæ mihi Ioannes debet: si Ioannes illa non debeat inualidum est legatum: eo quod quæ ita demonstrãtur, nullo modo sint, solumque testator legasse videtur ius, quod ad illa habebat, quodque in rerum natura non erat, neque hæres ad aliud tenetur, quam ad trãsferendam in legatarium actionem, si qua sibi ad debitum illud ratione defuncti competebat. Eadem etiam ratione, si quis leget Petro centum quæ testatori ipsi debebat, si nihil illi debebat, inualidum est legatum: quoniã solũ censetur legasse liberationẽ à tali debito, quę nulla esse potest

quando non erat debitum. Hęc constant *l. si sic. §. 1. ff. de l. 1. & l. lega. ff. de li. leg.* eaque affirmat Bart. *l. demonstratio. falsa in prin. n. 4. ff. de condit. & demonst.*

5 Si tamen quis leget alicui, vt testatoris sumptibus fiat ei ædificium instar alterius, quod testator nominat; neq; reperiatur ædificium, quod testator nominauit, quamuis inualidum ea ratione sit legatū, quia vbi exemplar deest, deficere etiā debet, quod instar illius fieri debet, arbitrio tamen boni viri, iudice cōpellēte hæredem, fieri debet ædificium, vt testatoris voluntas impleatur. *l. in testamento 1. ff. de cond. & dem.* & Ant. Gom. *1. tom. var. resol. 12. in calce, n. 61.*

6 Quod ad forum conscientię attinet, quādo est demonstratio, & de voluntate testatoris constat, illi stādum est: alioquin sequenda erit iuris ciuilis dispositio, quæ in præsumptione fundatur.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo reuocetur legatum.*

2 *Quando legatum aliquod deletum reperitur in testamento, seu cancellatum, censetur reuocatum. si per testatorem aut de mandato illius fuit deletum, secus autem si eo inscio sit delctum.*

3 *Tacite ex præsumpta testatoris voluntate censetur reuocatum legatum, si capitales grauesue aliæ inimicitiæ ortæ sint inter testatorem & legatarium, secus si leues.*

4 *Si legatarius testatore viuente grauem iniuriam illi irroget verbo aut facto, grauemve accusationem aut damnum attentet aduersus illum, censetur tacitè reuocatum legatum.*

5 *Reuocatio tacita non exigit probationem tantam, quantam exigit legati institutio.*

6 *Si legatarius testari, aut reuocare testamentum prohibeat testatori, amittit legatum fisco tanquam eo indignus.*

7 *Si legatarius post testatoris mortem carnaliter agnoscat vxorem illius viduam, tanquam indignus amittit legatum.*

8 *Quando aliquis constitutus est legatarius adhibita promissione, quod legatum aut partem illius restitueret filio legitimo testatoris, amittit illud etiam fisco.*

DE REVOCATIONE LEGATORVM.

DISPVTATIO 212.

1 LEgatum inprimis reuocatur expressa testatoris voluntate, etiamsi solo nutu exprimatur: vt enim legatum solo nutu factum validum est, vt disp. 127. ostensum est, ita etiam illius reuocatio. Potest vero expressa legati reuocatio fieri, vel testamento, vel codicillo. *l. & in Epistola. C. de fideicommissis. §. vnico insti. de ademptione legatorum. l. 39. tit. 9. par. 6. Ant. Gom. 1. to. var. resol. 17 n. 56.* & Doctores communiter. Et potest fieri tam purè, quam sub conditione *l. datum. C. de l.* Quæ vero solemnitas necessaria est, vt legatum fit validum, eadem requiritur vt expressa legati reuocatio valida sit. *§. ex eo instit. quib. mod. test. infirmetur. §. vnico inst. de adempt. leg. glos. recepta. l. fideicommissum. C. de fideicommissis.* Doctores quos Molina *lib. 1. de prim. c. 9. n. 56.* refert ac sequitur.

2 Quādo legatum aliquod deletum reperitur in testamento seu cancellatum, censetur reuocatum, si per testatorem, aut de mandato illius fuit deletum: secus autem si eo inscio sit deletum. *l. 1. §. sed & si, & §. sed consulto, & l proxime ff. de iis quæ in testamen. delentur.*

Quando res legata pereat, aut decrescat legatario, quando item alienatione rei legatæ facta per testatorem tacite censeatur testator reuocasse legatum, dictum est disp. 194. Quando item legata nulla reddantur, vel quod legatarius ante testatorem, vel ante impletam conditionem moriatur, aut quod hæreditas adita non fit, atque in aliis euentibus, dictum est disp. 181. 195. 196. 201. 205. 206. & aliis.

Tacite vero ex præsumpta testatoris voluntate censetur reuocatum legatum, si capitales grauesue aliæ inimicitiæ ortæ sint inter testatorem & legatarium; secus si leues. *l. 3. §. vltim. ff. de adimend. legat. & l. si inimicitia. ff. de iis quibus vt indig.* & affirmant Ant. Gom. vbi supra, & Doctores communiter. Si tamen testator & legatarius in amicitiam redierint, reconualescit legatum *l. 4. ff. de adimend. legat.* Ant. Gom. *vbi supra.* Molina *lib. 1. de primog. c. 9. n. 42.* Emmanuel a Costa. *§. & quid si tantum part. 3. n. 180.* Bart. & communis sententia quam referunt. Si vero non redierint in amicitiam, & testator, cum inimicitias, iniuriamque sibi illatam sciuerit, potueritque reuocare legatum, illud nō reuocauerit, vtrum tunc reuocatum maneat. Respōdendum est cum Molina *lib. 1. de primog. c. 9. n. 41.* Bar. & aliis quos citat, manere reuocatum, etiamsi testator post eas inimicitias codicillum confecerit, neque in eo legatum illud reuocauerit. neque etiam confirmauerit. Ita probat apertè *l. filio §. Seia. ff. de adim. leg.* Quia tamen lex hæc in præsumptione fundatur locū non habet in foro conscientiæ si constet contrariam fuisse testatoris voluntatem, imo neque in exteriori, si in eodem idem sufficienter constet.

3

4 Si item legatarius testatore viuente grauem iniuriam illi irroget verbo, aut facto, grauemve accusationem, aut damnum attentet aduersus illum, iuxta ea quæ de causis exhæredationis disp. 176. & 178. dicta sunt, censetur tacite reuocatum legatū, vt probant *l. filio §. Seia. ff. de adimend. leg. & l. si inimicitia. ff. de iis quibus vt indig.* Atque in his euētibus legatū pertinet, non ad fiscum, sed ad hæredes testatoris, vt habetur *§. Seia. & l. si inimicitia citatis.*

4

Illud vero cum Molina *lib. 1. de primog. c. 9. n. 57.* Co. *in Rubr. de test. p. 2. n. 2.* obseruandum est. Reuocationem tacitam legati non exigere probationem tantam, quantam exigit legati institutio; sed probari sufficienter duobus testibus omni exceptione maioribus.

5

Si legatarius testari, aut reuocare testamentum prohibeat testatori, amittit legatum fisco tanquam eo indignus, vt disp. 135. & disp. 176. causa exhæredationis 9. ostensum est. Quo loco legere licebit alia, quæ hac de re dicta sunt.

6

Si legatarius post testatoris mortem grauem iniuriam testatori faciat, vt carnaliter agnoscendo vxorē illius viduam, aut aliam similem iniuriam, tanquam indignus amittit legatum. Ita Molina *loco citato n. 44.* Ant. Gom. *1. to. var. resol. 12. n. 56.* & Doctores quos citant, probarique potest ex *l. 1. & l. si inimicitia in fine. ff. de iis quib. vt indig.* Cum autem id in pœnam statutum sit, non debetur ante latam sententiam, vt in calce di. 178. dictum est. Lege quæ tota ea disputatione dicta sunt.

7

Quando aliquis constitutus esset legatarius adhibita promissione quod legatum, aut partem illius, restitueret filio legitimo testatoris, amittit illud etiam fisco, vt *disp. 178. §. sextus est. & disp. 169. conc. 4. & 5.* ostensum est. Est quippe eadem ratio de hærede, & legatario eo pacto institutis.

8

SVMMARIVM.

1 *Quando hæredes de numero sunt descendentium aut ascendentium, tunc non obstantibus legatis à defuncto relictis, accipere possunt de bonis illius suas integras portiones legitimas, de quibus testator aliter disponere non potuit.*

2 *Quid quando non existunt hæredes de numero descen-*

descendentium aut ascendentium, sed alij, quibus legitima portio non est debita hæredes sunt instituti, vel per codicillum hæredes ab intestato præcipiuntur legata aliqua soluere.

3 *In Castella vt legata debeantur soluendaque sint, non necesse est hæredem instituí, aut instituturn hæreditatem adire.*

4 *Quid, quando multi instituti sunt hæredes, omnesque indistincte tenentur legata soluere.*

5 *Quid hæres computare teneatur in quartam Falcidiam.*

6 *Quatenus detrahatur quarta Falcidia ab hæredibus.*

7 *Falcidia non solum detrahitur à legatis, sed etiam à donatione causa mortis.*

8 *Ab aliis donationibus, quæ non nisi morte donantis, confirmantur, detrahitur etiam Falcidia, quatenus illa ex parte naturam sapiunt vltimæ voluntatis.*

9 *Falcidia non detrahitur in decem sequentibus euentibus. Vsque ad num. 18.*

19 *Quomodo sit deducenda Falcidia.*

20 *Vtrum quando hæres facli ignorantia soluit integrum legatum legatarius possit Falcidiam retinere in foro conscientiæ.*

21 *Deciditur quæstio.*

22 *Vtrum hæres detrahere possit Falcidiam interim dum non est qui contraueniat, atque erigat pœnam statutam.*

FALCIDIA QVID, ET QVANDO à legatis detrahi possit.

DISPVTATIO 213.

TRactatus hic de legatis disputatione de Falcidia quæ ex eis interdum detrahitur, est absoluendus. Quando hæres aut hæredes de numero sunt descendentium aut ascendentium tunc nõ obstãtibus legatis à defuncto relictis, accipere possunt de bonis illius suas integras portiones legitimas, de quibus testator aliter disponere nõ potuit: hæc autẽ, vt ex dictis disp. 158. & 159. constat, vt minimũ sunt tertiũ bonorum defuncti, & de iure Lusitaniæ & Castellæ regnorum longe plus. De relinquo vero soluenda sunt legata; integra quidem, si ad id sufficiat; sin minus pro rata, ita videlicet, vt iuxta proportionem legati ad legatum distribuatur inter legatarios, quod de bonis defuncti superfuerit detractis legitimis. Quo fit, vt in eo euentu, neque necessaria sit, neque locum habeat Falcidia, saltem de consuetudine Lusitaniæ & Castellæ regnorum, vt disp. 187. ostensum est.

2 Quando autem non existunt hæredes de numero descendentium aut ascendentium, sed alius vel alij, quibus legitima portio non est debita hæredes sunt instituti, vel per codicillum hæredes ab intestato præcipiuntur legata aliqua soluere, statuit ius, tum in defuncti bonum, vt voluntas ipsius impleretur, legataque irrita non remanerent, si hæres adire nollet hæreditatem; tum etiam ne nomen & institutio hæredis vana esset, atque ob alias causas; vt eiusmodi hæredes, non obstantibus legatis, retinere possent quartã bonorum defuncti partem, ita vt si hæreditas tota legatis esset exhausta, detrahere posset de legatis quartam partem: si vero hæredibus aliquid remaneret, sed non integra quarta pars; detrahere pro rata possent à legatis, quod deesset, vt ipsis quarta pars bonorum defuncti remaneret. Quod si quarta pars, aut aliquid amplius ipsis remaneret, teneretur soluere legata integra. Quod itaque eiusmodi hæredes detrahere possunt à legatis, vt integra quarta pars bonorũ defuncti ipsis remaneat, appellatur Falcidia: eo quod *l. Falcid.* à Falco quodam huius remedij inuentore, introductum hoc fit. Hæc patent *inst. de leg. Falcidia, & C. ac. ff. ad l. Falcid.*

A Quoniam in Regno Castellæ vt legata debeantur, soluendaque sint, neque necesse est hæredem instituí, neque institutum hæreditatem adire, vt habetur *l. 1. tit. 2. li. 5. ord. quæ est l. 1. tit. 4. lib. 5. nouæ collect.* volunt Ant Gom *1. tom. var. resol. c. 12. nu. 11.* hodie in eo regno non habere locum Falcidiam. Contrarium tamen merito affirmat Molina *lib. 1 de primog. c. 17 à n. 9.* cum Padilla, & Burgos de pace. Licet enim sequatur, eum qui adire noluerit hæreditatem, detrahere illam non posse à legatis, quæ valida nihilominus in eo regno manent; non tamen sequitur, hæredem institutum aut ab intestato non posse illam detrahere, quando ipsis nõ remanet quarta saltẽ pars bonorũ defuncti.

Quando multi instituti sunt hæredes, omnesque indistincte tenentur legata soluere, omnes simul obtinere possunt quartum cum minimum bonorũ defuncti; quod si aliquid desit, detrahere possunt à legatis supplementum quartæ; illa pars inter illos est diuidenda iuxta proportionẽ partis hæreditatis ad partem in qua quisque eorum institutus est. Quod si vnus eorum solus grauatus sit soluere legatum aut legata, tunc à parte hæreditatis sibi relicta, computatis simul legatis quæ soluere est grauatus, reseruare sibi potest quartam partem, detrahendo pro rata à legatis, quod necessarium fuerit ad complementum eiusmodi quartæ partis. Ita habetur *inst. de leg. Fal. §. & cũ.*

Licet hæredes computare teneantur in quartam Falcidiam id omne, quod ipsis titulo institutionis hæredum à defuncto relictum est, si tamen titulo legati aliquid eis reliquit, computare id non tenentur, sed accipere possunt complementum vsq; ad quartam, detrahendo illud pro rata à legatis tam sibi, quam aliis relictis, in quo Trebellianica differt à Falcidia: hæres quippe grauatus computare tenetur in quartam Trebellianicã id omne, quod ex testamento defuncti ipsi aduenit, siue legatũ sit siue quoduis aliud, etiam fructus, modo disp. 187 explicato. Discrimẽ hoc inter duas quartas habetur expresse *l. in quartã. ff. ad l. Falcid.* & tradunt illud. Glos. *Raynutius de test. Pæn. ibi. n. 16. Sylu. ver. legitima. §. 2.* & Doctores cõmuniter.

Quarta Falcidia detrahitur ab hæreditas spectata quantitate bonorum defuncti tempore mortis illius, ita quod si postea hæreditas, vel ex ancillarum, aut pecorum partu, vel ex industria seruorum, aut ex aliis fructibus crescat, tale incrementum pertinet vltra quartam ad hæredes. sicut & decremẽtum si casu aliquo accideret, pertinet etiam ad eosdem hæredes & non ad legatarios. Quo fit, vt sicut incrementum bonorũ hæreditatis post mortẽ testatoris in causanõ est, vt hæredes minus de legatis detrahere possint, ità neq; decremẽtũ in causa sit, vt plus possint detrahere. Ita habetur. *§. quãtitas inst. de l. Falcid.* Quãdo fructus legati cedãt legatario, aut legatũ, si pereat, legatario pereat, supra variis in locis explicatũ est, illiq; euentus excipiendi sunt à regula proxime tradita, vt Glos. ad eundem. §. adnotauit. Quo autem pacto Falcidia sit deducenda, paulo inferius explicabitur.

Falcidia nõ solũ detrahitur à legatis, sed etiã à donatione causa mortis *l. cũ pat. §. earũ. ff. de l. 2. l. 1. §. siquis ex mortis. ff. quorũ leg. l. si ex mortis causa, & l. siquis quadringentorũ C. ad l. Falci. atque l. 2. C. de donat. causa mortis*, affirmãtq; *An. Go. 2. to. var. res. c. 4. n. 17. illato. 3. Cou. in Rub. de test. p. 3. n. 20. Molin. lib. 1. de primog. c. 12. n. 9* & cõmunis sententia, quã referũt. Cou. tamen *loco citato* vult tũc solũ ex donatione causa mortis deduci posse Falcidiã, quãdo facta est testamẽto seu codicillo: secus autẽ si extra testamẽtũ & codicillũ fiat. Loca tamẽ citata apertè sonãt ab ea vniuersim detrahi posse Falcidiã, atq; de ea vniuersim Doctores sequũtur. Neque *l. donationes quas pater. §. pen. C. de donat. inter vir. & vxo.* cui Cou. nititur, sententiã eius probat, sed solũ donationẽ causa mortis sine insinuatione vltra summã quamuis sine insinuatione potest donare, inualidam esse quoad excessum, nisi confirmetur codicillo aut testamento: tunc enim, quia cẽsetur legatum morte

testa-

testatoris confirmatum, valet quoad excessum, absque vlla insinuatione.

8 Communis etiam Doctorum sententia, Bart. & aliorum, quos Molina *loco citato. nu.* 10. refert ac sequitur, affeuerat, ab aliis etiam donationibus, quæ non nisi morte donantis confirmantur, de quarum numero est donatio viri facta vxori, & è contra, vt suo loco videbimus, detrahi etiam Falcidiam, quatenus illa ex parte naturam sapiunt vltimæ voluntatis. Id probat sufficienter. *l. in donationib. C. ad l. Falcid.* & affirmat Glos. *in auth. ex testamento verb. datorũ, C. de collationib.*

9 *Falcidia non detrahitur. Primo.* In sequentib. euentibus detrahi nequit Falcidia à legatis; & eadem ratione neq; à donationib. quæ donantis morte confirmantur. Primus est, quando testator, non ignarus modi seu virium sui patrimonij expresse prohibuit Falcidiam detrahi. Ita habetur in *auth. sed cum testator. C. ad l. Falc. & in auth. de hær. & Falcidia. §. hinc nouis, vers. si vero expressim.* In dubio autem an testator ignouerit modum, seu vires sui patrimonij, præsumitur eas agnouisse, vt Glos. *ibid.* & Doctores communiter affirmant. Quanta autem esse debeat expressio prohibitionis dictum est disp. 186. dum hoc ipsum de Trebellianica disputauimus.

10 *Secundo.* Secundus quando legata sunt ad pias causas. *auth similiter. C. ad l. Falcid. & in auth. de Ecclesiasticis titulis. §. si autem hæres,* Couar. Ant. Gom. & Emmanuel à Costa *locis disp.* 187. *citatis* vbi idem de Trebellianica dictũ est. Hoc tamen limitant Panor. *c. in præsentia de probationib. num.* 37. & *c. cum causa de præb. num.* 2. Syl. *verb. legitima q.* 9. Emmanuel à Costa *c. si pater part.* 2. *verb. Trebellianica. nu.* 13. *cum Bart.* & communi Doctorum sententia, præterquam si hæredis institutio sit etiam ad pias causas, vt si sit Ecclesia aliqua, pauperes, aut monasterium: quoniam tunc eiusmodi hæredes detrahere possunt à legatis piis Falcidiam, *arg. tex. in l. sed & si milites in prin. ff. de excusationib. tutor.* Quando namque duo circa eandem rem æquali gaudent priuilegio, cessat priuilegium vtriusq; & statur iuri cõmuni. Quo autem pacto sit id intelligendum, explicat Panorm. cum Bart. *locis citatis.*

11 *Tertio.* Tertius, quando res aliqua ita legatur, vt in perpetuum alienari non possit. *auth. sed in ea re. C. ad l. Falcid. & in auth. vt iponsalitia largitas. §. vlt. & affirmant Molina lib. 1. de primog. c.* 17. *nu.* 18. Greg. Lopez *ad l.* 6. *tit.* 11. *p.* 6. & communis sententia.

12 *Quarto.* Quartus, quando seruis libertas, aut aliquid in eorum libertatem, legatur, *inst. de leg. Falcid. §. vlt. & l. Papinianus. §. quarta autem. ff. de inofficiot. testam.* Hic tamen euentus in secundo cõprehenditur.

13 *Quinto.* Quintus de iure Codicis erat in testamento militis, cuius legata absq; Falcidiæ detractione erant solnenda, vt ex *l. in testamento. C. ad l. Falcid.* constat. Id tamen *in auth. de hæred. & Falcid. §. vlt.* sublatum est, vt ibi notat Bart. affirmans esse communem opinionem. & post eum Syluest. *verb. legitima. q.* 9.

14 *Sexto.* Sextus, quando hæres inuentarium non confecit intra tempus & iuxta formam à iure præscriptam, tunc enim non solum prohibetur Falcidiam detrahere, sed etiam, esto vires hæreditatis excedant, iubetur soluere integra legata. Ita habetur in *auth. de hæred. & Falcid. §. sancimus & §. si vero non fecerit, in authen. sed cum testator. C. ad l. Falcid. & l. vlt. §. sin autem. C. de iure delib.* quib. in locis inuentarij forma iure communi præscribitur. Lege quæ in calce disp. 187. de hac re diximus, & Doct. quos citauimus.

15 *Septimo.* Septimus, si, eo stquam à iudice fuerit admonitus, intra annum testatoris voluntatem non mandauerit executioni: elapso namq; anno, non solum amittit ius detrahendi Falcidiam, sed spoliari etiam potest hæreditate tota & commodo illius, excepta legitima portione, si de numero eorum hæredum sit quibus portio in bonis illis omnino sit debita. Hæc omnia habentur in *auth., de hæred. & Falcid. §. his igitur. & duobus sequentibus.* Vbi etiam disponitur, qui & A quo ordine vocandi sint in hæreditatem defuncti loco illius, vt defuncti voluntatem impleant. Eadem inuuntur in auth. sed cum testator. *C. ad l. Falcid.* & habentur. *c. Raynaldus de test. ad finem.* eaq; affirmãt Glos *ibi in verb. legitimum,* & Sylueſt. *loco cit.* Obserua tamẽ legem hanc totam esse pœnalem, neq; habere locum nisi post latam sententiam, qua propter negligentiã hæres spolietur his omnibus.

Octauus, quando hæres, sciens quantitatem hæreditatis, à principio quibusdam ex legatariis soluit in integra legata: tunc enim non conceditur ei detrahere à reliquis Falcidiam, aut illam repetere ab eis, quib. soluit, esto iuris ignorantia eam soluisset: si tamen ignorantia facti illam soluisset, quia videlicet arbitrabatur, hæreditatem esse maiorem, vel quia post legata integra soluta, apparuerunt alia debita, ex quibus constare cœpit hæreditatem esse minorem, fas esset tunc repetere Falcidiam ab eis, quib legata integra soluit, eamque detrahere de legatis nondum solutis. Ita habetur in *authentico de hæredibus & Falcid. § non autem, & l. vnic. & in auth. sed cum testator. C. ad l. Falcid. Bartol. vers. §. non autem citato* merito ait, si quis alicui vel aliquibus in ipsorum gratiam peculiarem remisisset Falcidiam, id non impedire, quo minus possit eam detrahere à reliquis legatis. Quæ circa hunc octauum euentum addi poterant, paulo inferius subiicientur. 16 *Octauo.*

Nonus, quando hæres surripuit, aut negauit aliquid de bonis hæreditatis. Quamuis enim *l. vlt. § licentia C. de iure deliberandi.* solũ dupli pœna puniretur, *& l. hæreditatum § fin. ff. ad l Falcid.* prohiberetur detrahere de ea re Falcidiam, hodie tamen in *authen. de hæredib. & Falcid. § hinc nouæ, vers. sancimus, & vers. si vero non,* vt Glossæ & Bart. ibi exponunt, prohibentur de omnibus vniuersim legatis Falcidiam detrahere. 17 *Nono.*

Decimus; quando alicui legatur instrumentum seu scriptura de re, cuius legatarius iam erat dominus, vt ex *l. prædiorum. C. ad l. Falcidiam* constat. 18 *Decimo.*

Falcidia, vt habetur. §. *vl. inst. de lege Falc.* in hunc modum est deducenda. De bonis omnibus, quæ defunctus reliquit, primum extrahitur æs totum alienum, nempe debita omnia, idq; totum, quod in foro conscientiæ restituere tenetur; nihil enim horũ cum illius bonis est annumerandum. Deinde extrahitur expensa funeris, vt ex eodem §. constat, & ex aliis iuribus quæ inferius suo loco, dum de sepultura disputabitur, citabimus. In regno tamen Castellæ quando defunctus habet descendentes legitimos, funeris impensa extrahitur, non de tota hæreditate, sed de quinto defuncti vna cum cæteris legatis, quæ defunctus reliquit, vt habetur *l. 30 Tauri,* eaq; de re *loco citato* redibit sermo. Vlterius, vt colligitur ex *l. vlt. §. in compensatione. C. de iure deliberandi, & affirmat. l. 2. tit. 11. part.* 6. extrahitur quicquid hæredes in testamenti insinuatione, in conficiendo inuentario in sumpserunt, aut ratione hæreditaris quouis alio modo necessario expenderunt. Insuper extrahuntur seruorum manumissiones. Quibus omnib. extractis, si legata reliqua, tam de quibus fas est Falcidiam detrahere, quam de quibus id nefas est, excedant quantitatem hæreditatis, tunc ab omnibus simul sũptis detrahitur pro rata excessus, vt cum Alberico notat Sylueſt. *verb. legitima. q.* 10. & *consonat. §. vlt. inst. de leg. Falcid.* Postea vero detrahũtur legata omnia à quibus nefas est demere Falcidiam. Sumpto vero reliquo bonorũ defuncti, ab eo detrahitur quarta pars hæredibus ipsis, quę Falcidia nũcupatur: residuũ autẽ distribuitur pro rata inter legatarios iuxta proportionẽ legati ad legatũ. Ita cum Bar. Sylu. *loco citato.* 19

Circa ea, quæ in octauo euentu, in quo non licet detrahere Falcidiam, dicta sunt, dubitant Doctores, vtrum quando hæres facti ignorantia soluit integrum legatum, in quo casu dictum est posse repetere Falcidiam, vtrum, inquam, tunc legatarius possit 20 *Quæstio.*

in fo-

in foro conſcientiæ eam retinere. Et quidem Antonius à Butrio, quem Panorm. *c. quia plerique de immunit. Eccleſiæ. nu. 15.* refert. & quem Medina *de rebus reſt. q. 23.* ſequitur, aſſeuerat quando verisimile eſt teſtatoris voluntatem fuiſſe, vt legatarius integrum acciperet legatum, quia videlicet teſtator rudis erat, ni hilq; de Falcidia ſciebat, legatarium non teneri reſtituere Falcidiam ſibi facti ignorantia perſolutam: quoniam in conſcientiæ foro teſtatoris voluntati eſt ſtandum, non vero ciuilibus legibus, quæ in exteriori tantum foro vim habent. Quando autem, inquit, verisimile eſſet teſtatoris voluntatem fuiſſe, vt hæres Falcidiam detraheret, quod præſumendum eſt, quando teſtator ius, viresq; ſui patrimonij ſciebat: tunc ſiue iuris ſiue facti ignorantia integrum legatum hæres perſoluiſſet, teneri legatarium Falcidiam reſtituere. In eadem ſententia videtur fuiſſe Innocentius, quem Panorm. *loco citato* etiam refert. A B

21. Diuiſio.

Affirmandum nihilominus eſt cum Panorm. *loco citato num. 16. & 17.* Bar. Bald. *& pleriſque aliis*, iura in octauo illo euentu citata locum habere, nõ ſolum in exteriori ſed etiam in interiori foro, ac proinde in euentibus, in quibus ibi dictum eſt fas eſſe hæredi Falcidiam repetere, legatarium teneri illam reſtituere, eſto hæres eam non petat, ſi intelligat, ſe contra hæredis voluntatem illam retinere. Ducor, quoniã ciuiles leges poſſunt in bonam Reipublicæ adminiſtrationem Falcidiam ſtatuere contra defuncti voluntatem: cum ergo illãm ſtatuerint contra tacitam ac præſumptam defuncti voluntatem, vt ex *auth. de hæredibus. & Falcidia. §. hinc nobis in prin.* conſtat. iureq; canonico cõtra eandem tacitam ac præſumptam defuncti voluntatem approbetur, vt *c. Raynaldus de teſtamen.* in fine expreſſe habetur: cõſequens eſt, vt eiuſmodi leges vim in foro conſcientiæ habeant, etiam quando cõtrariam præſumitur fuiſſe defuncti voluntatem: alioquin iniquæ profecto eſſent eiuſmodi leges, lethaliaq; peccata fouerent, quod nõ ſolum de canonico, ſed neque de ciuili iure eſt præſumendum. Quemadmodum autem de iure ciuili cõtra tacitam teſtatoris voluntatem Falcidia eſt introducta: ita eodem iure excipi potuerunt euentus ſupra enumerati. Quo fit, vt in illis, præſertim quando per modum diſpoſitionis, & non in pœnam ſunt excepti, detrahi in foro conſcientiæ non poſsit Falcidia. C

Maius dubium eſt in ſexto, ſeptimo, & nono euentibus ſupra commemoratis, in quibus in pœnam prohibetur hæres detrahere Falcidiam, vtrum detrahere illam poſsit, interim dum non eſt, qui contraueniat, atque exigat pœnam illam ſtatutam, præſertim cum detractio illa non ſit in eo poſita, quod hæres aliquid ab alio accipiat, ſed in eo, quod ipſe aliquid ſibi reſeruet eorum, quæ poſsidet, & tenetur alteri ſoluere; regulariter autem nullus tenetur pœnam ſubire, antequam pœna exigatur atque feratur ſententia, præſertim quando ſubire pœnam eſt aliquid ſoluere. Propter hanc rationem non dubito, hæredem in illis euentibus poſſe detrahere Falcidiam, interim dum legatarius non contrauenit, ſententiaque non fertur. Confirmatur, quoniam in illis euentibus in pœnam præcipitur ſoluere interdum integra legata vltra vires hæreditaris: nullus autem affirmabit, hæredem teneri in foro cõſcientiæ ſoluere ante latam ſententiam aliquid vltra vires hæreditatis. Imo vero, ſi nulla præceſsit culpa, quia videlicet inuincibili ignorantia tranſgreſſus eſt legem, eſto in exteriori foro cogatur pœnam ſoluere, in cõſcientiæ foro nequaquã ſoluere illam tenetur eaq; de cauſa, ſi ſine ſcandalo poſsit tunc vitate pœnę ſolutionem, aut poſt eam ſolutam, accipere cõpetentem cõpenſationem, poterit licite id efficere. D E

SVMMARIVM.

1 *Aliud eſt ſepulchrum, aliud ius ſepulchri, aliud ius mortuum inferendi in ſepulchrum, remiſsiuè.*
2 *Sepulchrum quid.*
3 *De iure ciuili, antequam corpus mortuum in locum aliquem inferatur, talis locus rationem non habet ſepulchri lociue religioſi.*
4 *Ius ſepulchri quid.*
5 *Ius ſepulchri familiare quod.*
6 *Hæreditarium quod.*
7 *Ius ſepulchri ſiue familiare ſiue hæreditarium ſit, legari non poteſt.*
8 *Ius mortuum inferendi in ſepulchrum quid.*
9 *Quid, quando cœmeterium eſt commune omnibus de parochia, nullusque peculiariter habet ibi locum deputatum ad ſepulturam.*
10 *Vnuſquiſque dum viuit, poteſt ſibi eligere ſepulturam extra ſuam parochiam, & extra locum vbi ius ſepulturæ familiare.*
11 *Pater eligere poteſt filio impuberi ſepulturam.*
12 *Religioſi eligere ſibi nequeunt ſepulturam.*
13 *Quid ſi quis è vita ſepultura non electa diſcedat.*
14 *Vxor eligere poteſt ſepulturam.*
15 *Quid, quando quis non habet maiorum ſepulchrum, de miciliumque habet in vno tantum loco.*
16 *In ſocietate famuli monaſterij, qui non electa ſepultura ex hac vita decedunt, in monaſterio ſepeliri poſsunt, tanquam in propria parochia.*
17 *Peregrini & aduenæ, qui ſepultura non electa è vita migrant, ſepeliuntur in parochia, in qua moriuntur.*
18 *Illi qui ad modum ſcholaſticorum in loco aliquo, fixa ibi ad tempus domicilio, commorantur, eam habent pro Parochia in qua commorantur, ideo in ea ſepeliri debent.*
19 *Quid conſuetudo Eborenſis ciuitatis de multis ſub eodem tecto in eadem parochia habitantibus diuerſasque familias efficientibus, cenſeat.*
20 *Sepulturam vt eligant, aut electam vt non mutent religioſi & clerici, qui inducunt alios ad vouendum, aut quacumque alia ratione ſe aſtringendum, lethaliter peccant, eaque electio eſt nulla, eligenſque ſepeliri ibi non poteſt, neque eligere aliam, & ſepelientes quas pœnas incurrant.*
21 *Quibus ius ſepeliendi conueniat.*
22 *Si religioſi, qui priuilegium libere in ſuis monaſteriis ſepeliendi habent cum parocho alicuius loci paciſcantur quod eo priuilegio in toto aut in parte vtentur aſtricti ſunt ſeruare tale pactum.*
23 *Quam pœnam incurrat impediens ſepulturam defuncti aut exequias propter debita.*

DE LOCO, IN QVO DEFVNCTVS EST ſepeliendus, deq; ſepulturæ electione, & quod ob debita nefas ſit impedire defuncti ſepulturam.

DISPVTATIO 214.

EXplicatis hucuſque vltimis voluntatibus, dicendum eſt de ſepultura defuncti, inuentario bonorum & tutela, aut curatione minorum, quos reliquerit, quæ bonorum partitionem antecedere ſolent: deinde de partitione dicemus, ac poſtremo de teſtamentorum executione.

Præmittendum eſt cum Molina *lib. de primog. c. 24 à num. 35.* id, quod in calce diſputat. 188. ex parte diximus: Nempe, ſi preſſe ſit loquendum, aliud eſſe ſepulchrum, aliud ius ſepulchri, aliud ius mortuum inferendi in ſepulchrum. 1

Sepul-

Sepulchrum est quippiam religiosum, quod in nullius bonis, atque extra hominum est commercium, ac proinde neque acquiri, neque possideri à quoquam potest: *l. quanquam in prin. ff. de aqua pluuia. arcend.*, illis verbis. *Fuit enim dominus cum opus faceret, quasi construeta, rationemque sepulchri loco illo iam habente, dominium illius amittat.* Et apertius. *l. sepulchrum C. de religiosis, & sumptibus funer. & §. nullius autem, & §. religiosum inst. de rerum diuis.*

Deiure ciuili, antequam corpus mortuum in locum aliquem inferatur, talis locus rationem non habet sepulchri, locive religiosi, tametsi monumenti rationem possit habere, si monumentum in eo esset constitutum: quare dominus loci dominium ac possessionem illius non amittebat. Eo tamen ipso, quod corpus mortuum loci domino sciente nec repugnante, in eum locum animo vt perpetuo remaneret inferebatur, rationem sortiebatur sepulchri, fiebatque religiosus locus, atq; adeo dominium, & possessio illius amittebatur. Dictum est, loci domino sciente nec repugnante, quoniam si ignorasset inferri, vel repugnasset, neque locus religiosus efficiebatur, neq; amittebatur possessio aut dominium illius. Hæc omnia habentur *l. 2. & l. sepulchrum, iuncta Glo. ibi. C. de relig. & sumpt. funer. & §. religiosum inst. de rerum diuis.* Hodie tamen de iure canonico id non sufficit, vt locus rationem habeat sepulchri ac loci religiosi: sed necesse est Episcopi authoritate, aut priuilegio Summi Pontificis ad eum vsum esse deputatum, vt colligitur ex *c. ad hæc de religiosis domibus* & affirmant Glo. *c. in Ecclesiastico, verb. terram 13. q. 2. addi tio Glo. §. religiosum inst. de rerum diuis. Greg. Lopez. l. 1. tit. 13. par. 1. verb. Vender. Molina loco citato nu. 38.* & communis Doctorum sententia quam refert. Hinc, reiecta quorundam opinione, colligunt Greg. Lopez. & Molina, esto in loco aliquo sepultus sit quispiã, tñ ab Episcopo deputatus ad sepulturam non erat, vendi posse, licut possunt vendi loca, vt in illis Ecclesiæ fiant, vel cœmeteria.

Ius sepulchri est, quod quis habet vt in sepulchro, Capella, aut alio simili loco ipse & quos ipse voluerit, nullusque aliis sepeliantur. *l. familiaria iuncta l. sequenti. ff. de religiosis & sumptibus funer. l. ius sepulchri C. eod. tit.* Eiusmodi autem ius comparabat quis, si in suo proprio loco sepulchrum condebat. Multis vero aliis modis hodie comparatur, dum eiusmodi iura ab iis, qui ad id facultatem habent, concedũtur, siue religiosi sint, illudq; concedant in propriis Ecclesiis, Capellis, aut cœmeteriis, siue Episcopi authoritate, aut eorum, quibus id commissum est, cõcedantur in aliis locis. Interdum autem ius sepulchri cum sepulchro confunditur, eaq; ratione, qui ius sepulchri habet, dominus sepulchri, minus proprie appellatur, vt Molina *loco citato numer. 36.* adnotauit, eaque loquendi forma Hispano sermone familiaris est.

Ius sepulchri, quoddam familiare, quoddam hereditarium nuncupatur. Familiare dicitur, quod quis sibi familiæque suæ constituit. Interdum vero multi fratres, aut consanguinei, vel amici, ius sepulchri suis omnib. familiis in aliquo loco constituunt. Quando autem ius est familiare, non solum iis, qui tunc sunt de familia, hoc est, marito, vxori, & filij vtriusque sexus, ius sepulturæ habent in eo loco, atque familiæ per lineam masculinam, quæ inde in perpetuum multiplicabuntur, sed etiam hæredes cuiusq; illorum, etiamsi extranei sint & in quacunque portione licet minima, siue instituti, atq; familiæ hæredum, quæ in posterum multiplicabuntur. Hæc omnia habentur *l. familiaria, & l. sequenti. ff. de relig. & sumptib. funer. l. si sepulchrum. & l. ius sepulchri. C. eo. tit.* Non tamen eiusmodi ius se extendit ad affines aut cognatos, qui non sunt de familia, nisi hæredes ab iis, qui sunt de familia, instituantur, *l. ius familiarium C. eod. tit.*

Ius sepulchri hæreditarium est, quod quis sibi, hæredibusque suis constituit. Quare hoc ius non se extendit ad familiares, nisi hæredes sint; extendit tamẽ se ad extraneos, modo hæredes sint *l. familiaria, & l. seq. ff. de rel. & sumpt. funer. & l. ius familiare. C. eod. tit.*

Ius sepulchri, siue familiare siue hæreditarium sit, legari non potest *l. monumenta. C. de lega.* vbi nomine monumenti, sepulchrum, ius ve sepulchri intelligitur, iuxta *l. si sepulchrum C. de relig. & sumptibus funer.* & affirmat Molina *loco citato. nu. 37.* Ratio autem, cur legari non potest, est, quoniam solum se potest extendere ad familiares & hæredes, vt dictum est. In calce disp. 188. ostendimus, sepulchrorum iura non pertinere ad fidei commissarium, etiamsi vniuersæ sic hæreditatis, sed personæ rei um hæredes directo, & familiaribus, atque hæredibus illius. Itemque quando alicui ob delictum vniuersa bona confiscantur, ius sepulchrorum non confiscari, nec proinde pertinere ad fiscum.

Ius mortuum inferendi in sepulchrum est, quod quis acquirit, vt sibi sum, aut alios in sepulchro alie. no sepeliat, aut in sepulchro, quod remanet Eccle fiæ aut monasterii cum potestate concedendi ibi similе ius aut sepulturam aliis. Differt ergo eiusmodi ius à iure sepulchri, tanquam pars integri iuris à pleno iure, & tanquam ius vtendi particulariter aliquare à pleno iure illius rei. Ius mortuum inferendi in sepulchrum legari potest ab habente ius sepulchri *l. monumenta. C. de legatis*, & tradit Molin. *num. 37. citato.* Eadem etiam ratione concedi potest ab eo dum viuit Molina *loco citato* affirmat, etiam hæredem, aut successorem in iure sepulchri, concedere posse ius inferendi mortuum in idem sepulchrum, atq; id inuicem videtur *l. vel quæ pater, ff. de re. & sumpt. funer.* Id tamen verum existimo, quando, qui concedit, habet solus ius talis sepulchri, aut est caput omnium, qui illud habent, secus autem si multæ familiæ æque illud haberent, quoniam qui est de vna familia hæresse illius, non potest in præiudicium aliorum concedere ius inferendi mortuum in illud sepulchrũ.

Quando cœmeterium est commune omnibus de parœcia aut hospitali, nullusq; peculiariter habet ibi locum deputatum ad sepulturam, promiscue vnusquisque, de tali parœcia, aut hospitali sepeliri potest in qua sepultura illius loci voluerit. Esse tamen alicubi solent, qui singulis defuncti sepulturam eo in loco designent.

His positis dicendum est. Vnumquemq; dum viuit, posse sibi eligere sepulturam extra suam parœciam. & extra locum vbi ius sepulturæ familiare, vel hæreditarium habet, etiamsi locus, quem eligit, minus religiõsus sit, hoc est, in quo minus celebrentur sacrificia & diuina officia, quam in sua parœcia aut in loco, vbi ius sepulchri habebat, dummodo tamen religiosus sit, id est, destinatus ad sepulturam modo supra explicato, ibiq; sepultura illi ab eo concedatur, ad quem spectat illam concedere. Primum patet *ex c. 1. & per totam de sepulturis, & lib. 6. eod. tit.* Secundum vero, nempe quod eam eligere possit, etiamsi locus sit minus religiosus, habetur expresse *cum quis. §. vlt. de sepulturis. lib. 6.* tametsi, vt ibidẽ dicitur, iura quedã antiqua statuere videantur oppositũ.

Pater eligere potest filio impuberi sepultur am nisi consuetudo loci sit in contrarium. Idem videtur dicendum de matre, defuncto aut absente patre. Filius vero extra annos pubertatis eligere non possunt parẽtes sepulturam, quin potius filij ipsi absque parentis consensu eam possunt sibi eligere. Hæc omnia habentur *c. licet de sepulturis lib. 6. & c. vxor §. vlt. extra eod. tit.*

Religiosi, cum propriæ renunciauerint voluntati, eligere sibi nequeunt sepulturam, sed in propriis monasteriis, & in loco à superioribus, aut iuxta statuta designato, sunt sepeliendi, si intra monasteria moriantur, aut ad illa possint commode asportari.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12

Familiare quod.

Hæreditarium quod

Ius sepulchri quod

tari. Prælati tamen possunt eis eligere sepulturam. Quod si religiosi longè à monasteriis distent, neque adsit prælatus, qui de sepultura aliquid præscribat eligere sibi possunt sepulturam vbi voluerint. Hæc habentur *c. vlt. de sepult. lib. 6.*

13 Si quis è vita sepultura non electa discedat, in sepulchro suorum maiorum, si commode fieri possit, debet sepeliri: sin minus in sua parœcia. Quod si in duab. æque sunt ei ministrata sacramenta, diuinisq; interfuit officiis in illa est sepeliendus, quæ præuenerit. Si autem neutra præuenerit, parœciæ inuicem ea in parte component, aut prælati iudicio stabunt. Quod si ascendentes alij in vno iaceant sepulchro, & pater aliud sibi delegit, arbitror filium in sepulchro patris esse sepeliendum, esto pater superstes adhuc sit, vt de vxore comparatione sepulchri mariti videbimus statim, affirmantque Doctores communiter. Si tamen pater casu aliquo iaceat in sepulchro diuerso à suorum maiorum sepulchro, tunc filius in sepulchro aliorum maiorum sepeliendus est. In his omnibus consentiunt Panormit. *c. 1. de sepult. n. 5. & alij.*

14 Sicut vir eligere sibi potest sepulturam, ita vxor. *c. de vxore de sepult.* Si tamen eam non eligit, in viri sepultura est sepelienda, nisi ab eo per diuortium sit separata. Quod si nupsit multis, in sepultura vltimi viri est sepelienda, esto vir ignobilior ea fuerit, & esto longo tempore post virum è vita discedat, reuersaque sit in domum patris, *c. is qui, §. vlt. de sepult. lib. 6.* & Doctores communiter.

5 Quando quis non habet maiorum sepulchrum, domicilium que habet in vno tantum loco, esto in alio, vbi ad tempus residebat, è vita discedat, quia videlicet ibi præsidia habebat: aut alia de causa, si sepulturam alibi non elegit, sepeliendus est in parœcia vbi proprium habet domicilium; si commode asportari potest, & non vbi mortuus *cui qui, in princ. de sepult. lib. 6.*

16 In nostra societate, in Prædicatorum ordine, & in aliis, qui eodem gaudent priuilegio, famuli monasterij, qui non electa sepultura ex hac vita decedunt, in eodē monasterio sepeliri possunt tanquam in propria parœcia, vt ex priuilegiis nobis, & Prædicatorum ordini concessis constat.

17 Peregrini & aduenæ, qui sepultura non electa è vita migrant, sepeliuntur in parœcia in qua moriūtur: iuxta aliorum vero sententiam in templo maximo Panor. *c. de sepult.* Quo fit, vt hac in parte consuetudini loci standum.

18 Illi, qui ad modum scholasticorum, in loco aliquo, fixo ibi ad tempus domicilio, commorantur: eam habent pro parœcia, in qua cōmorantur: quare sicut in illa tenentur recipere sacramenta, ita in ea sepeliri debent, nisi aliam eligant sepulturam.

19 Consuetudo est in Eboren si ciuitate, quod quando multi sub eodem tecto in eadem parœcia habitant, ita vt diuersas familias efficiant, vel vt vnusquisque propriis sumptibus viuat, eo modo quo in eadem domo degere solēt multi scholastici. tunc siue naturales siue aduenæ sint (vt sunt scholastici, & qui ex regione, quæ est inter Durium & Minumi, in eadem ciuitate commorari affolent in eadem domo, atque alij, qui dum ibi rex commoratur, similiter degere solēt) parœcia eligit vnū eorum in suum parochianum, reliqui vero ad templum maximum spectant, vt illi decimas persoluant, atque hos *maiorales* in ea ciuitate vocant. Audio tamen parœcias obtinuisse sententiam aduersus templum maximū, vt sicut eorum decimis potitur, ita teneatur sacramenta illis administrare.

20 Propter seditiones & scandala, quæ inde solent oriri, vniuersis religiosis & clericis secularibus cuiuscunque status in virtute sanctæ obedientiæ & cōminationis interitus æterni, atque adeo sub culpa lethali præcipitur, vt nullus eorum quenquam in-

A ducat ad vouendum, aut iuramento se astringendum, aut quacunque alia ratione fide data promittendum, quod in eorum Ecclesiis eliget sepulturam, aut iam electam non mutabit: si vero aliter fuerit attentatum, electio est nulla, eoque pacto eligens nullatenus in Ecclesia electa potest sepeliri, neque aliam potest sibi eligere sepulturam, sed sepeliēdus est in Ecclesia, in qua de iure erat sepeliendus, si nullam elegisset. Quod si religiosi aut clerici, qui ad eam electionem illos induxerunt, in propriis Ecclesiis aut cœmeteriis præsumpserint eos sepelire, restituere præcipiuntur corpora, si petantur, & insuper omnia, quæ occasione sepulturę ad ipsos peruenerunt, idq; intra dies decem. Quod si intra id tempus illud non præstiterint, eo ipso Ecclesia aut cœ-
B meterium, vbi tale corpus fuerit sepultum, subiacet interdicto, quousque omnia integre restituant. Ita habetur *c. 1. de sepult. lib. 6.*

Ius sepeliendi, iuxta Panormit. *cap. certificari de sepult. nu.* 8. Innocen. & alios, quos citat de iure com- 21
C muni conuenit Ecclesiis populum habentibus, quales sunt parœcię. Quemadmodum enim earum est sacramenta ministrare, celebrare diuina officia, atque Dei verbum proponere populo, qui ad ipsas spectat, vt *Clementina dudum §. verum de sepult.* habetur: sic etiam ad eas dem spectat, sepelire corpora eiusdem populi, potiriique oblationibus, & commodo temporali inde proueniente, concinitque *cap. 1. 13. quæst. prima.* Cæteri vero, vt sunt religiosi, solum id habent ex priuilegio. Ius autem libere sepeliendi, primo concessum fuit Prædicatoribus ac Minoribus, deinde vero Augustinian. & Carmelitis, vt Panor. *loco citato* ait, postea vero extensum est ad alios. Concedere autem eiusmodi priuilegium vniuersim in tota Ecclesia, ad solum summum Pontificem spectat: loco autem citato probat Panorm. Episcopos ex causa, accedente que consensu Capituli, posse intra suas diœceses illud concedere.

Illud obserua, si religiosi, qui priuilegium libere 22
D in suis Ecclesiis aut monasteriis sepeliendi habent, cum parocho aut clero alicuius loci paciscantur, quod eo priuilegio in totō aut in parte non vtentur, astrictos esse seruare tale pactum: eo quod vi illius proprio priuilegio renunciauerint, Ita habetur *cap. 1. de pactis lib. 6.* Et *cap. vltimo eiusdem tituli*, statuitur, vt pacta quæcumque cum Episcopis, Capitulis, aut clero celebrata de consensu superioris & Capituli Monasterii, etiamsi non interuenerit authoritas generalis aut prouincialis, firma & valida sint: reuocaturque religiosorum priuilegium in contrarium ad tollenda scandala & alia mala, quæ ex eō priuilegio oriebantur.

Quod ad vltimum eorum, quæ proposita sunt, 23
E attinet *leg. vltim. C. de sepulchro violato. & duabus authenticis ibi subiunctis, & in authen. vt defunct. seu funera in princ. & §. sanctimus igitur, & §. si vero, & in authent. vt cum de appell. cogn. §. meminimus*, statuitur, vt nefas sit propter debita defuncti sepulturam, aut eius exequias impediri, sub pœna quinquaginta librarum auri, &, si delinquens soluendo non sit, vt luat corpore iudicis arbitrio, & insuper sub pœna, vt qui ita deliquerit, ipso iure amittat actionem, quam ad tale debitum habebat, & tertiam partem bonorum. Quin, vt in principio disputationis 216. subiiciemus, hæredes, consanguinei, & affines defuncti, nec non fideiussores, molestari prohibet, aut in iudicium vocari, aut quicquam ab eis exigere ratione debitorum defuncti, intra nouem dies à morte talis defuncti.

(:)

SVMMARIVM.

1 *De iure communi quæ debeatur portio Episcopis de relictis per vltimam voluntatem, monasteriis, Ecclesiis, & aliis piis locis ipsis subiectis, item de oblationibus & Funeralibus.*

2 *De iis quæ monasteriis, Ecclesiis, & aliis piis locis donãtur in vita, nihil debetur Episcopis.*

3 *Quantã portionem habebit Episcopus de donatis in vita aut per vltimam voluntatem.*

4 *Præter quartam Episcopis debitam de eodem iure communi, quando parochianus in aliena parochia sepelitur, parochiæ, cuius erat parochianus, debetur certa portio de omnibus quæ in vltima voluntate reliquit tali Ecclesiæ loco sepulturæ.*

5 *Eiusmodi portio à diuersis Summis Pontificibus constituta fuit diuersa.*

6 *Quid, quando aliquis sepelitur extra suam parochiam in monasterio non exempto.*

7 *Vtrũ consuetudo possit tollere omnino eiusmodi quartas, ita vt nihil Episcopo aut parochiæ maneat.*

8 *Quæ excipiãtur, ex quibus nec Episcopo, nec parochiali Ecclesiæ debeatur quarta.*

9 *An fratres Prædicatores, Minores, & cæteri, qui priuilegio mendicantium gaudent, teneantur soluere quartam Ecclesiæ parochiali etiam de eiusmodi legatis priuilegiatis.*

10 *In Archiepiscopatu Eborensi quando quis obit, qui beneficium habebat curatum, Archiepiscopus de bonis illius mobilibus accipit rem vnam, quam ex omnibus maluit.*

11 *Religiosi in eodem Archiepiscopatu de solis funeralibus oblationibus dici funeris soluere debent parochiæ quartam.*

DE QVARTA FVNERALIVM EPISCOPO, & parochiali Ecclesiæ debitis, & de lucrosa, quam vocant.

DISPVTATIO 215.

1 *Quarta aut portio Episcoporum.*

DE iure communi Episcopis de omnibus relictis per vltimam voluntatem Monasteriis, Ecclesiis, & aliis piis locis ipsis subiectis, itemque de oblationibus omnibus funeralibus, debetur certa portio, quæ diuersis temporibus fuit diuersa: aliquando tertia pars, aliquando quarta, & aliquando dimidium, vt constat *ca. de his, cap. antiquos, cap. decernimus 10. q. 1. & aliis iuribus.* Lege inter alios Panor. *c. requisisti, de testam. à num. 15.* Hinc effectum est, vt pro regionum varietate vsus obtinuerit, vt in aliquibus haberent tertiam, in aliquibus quartam, in aliquibus dimidium, & in aliquibus plus, vel minus vt patet *cap. officij, & cap. requisisti de testam.* standumque in his est consuetudini cuiusque regionis, vt habetur *cap. certificari de sepult.* In dubio autem quanta pars in aliqua regione debeatur, censendum est deberi quartam: quoniam in dubio mitior pars est eligenda: hæc autem est minor, quæ in iure reperitur expressa. Præterea, quia hæc pars est, de qua sermo est frequentior in iure, eaque de causa vsus obtinuit, vt appellaretur quarta Episcopo debita. De ea vero aliquid diximus *disp. 200. à §. siquis aduersus secundam conclusionem, &c.*

2 De iis autem, quæ monasteriis, Ecclesiis, & aliis piis locis donantur in vita, nihil debetur Episcopis, nisi in fraudem donata sint in vita, vt Episcopi portione sua priuentur, vt cum Glo. *c. de statu regul.* probat copiose ac sufficienter Panorm. *c. requisisti de testam. num. 17.*

3 *Ibidem nu. 11*, quærit Panor. quantam portionem habebit Episcopus de donatis in vita, aut per vltimam voluntatem Ecclesiæ cathedrali relictis. Optime vero respondet, vbi fuerit cõsuetudo aliqua ea in parte illi esse standum: cessante vero consuetudine, eodem modo, in eave portione distribuenda esse ea bona, in qua decimæ, & reliqua eiusdẽ Ecclesiæ bona inter ipsum & alios distribui solent: eo namq; ipso, quod per donationem, aut vltimam voluntatem fiunt bona illius Ecclesiæ, distribuenda perinde sunt atque cætera eiusdem Ecclesiæ bona: idem affirmat Couar. *ibi. n. 9.* Obserua tamen, si ad aliquid peculiare donata aut relicta essent: puta ad ornamẽta, aut aliud conficiendum, in his solum esse expendenda, iuxta testatoris aut donantis voluntatem.

B Præter quartam Episcopis debitam de eodem iure communi, quando parochianos in aliena parœcia, monasterio, aut alio pio loco sepelitur, parœciæ, cuius erat parochianus, debetur certa portio de omnibus quæ in vltima voluntate reliquerit tali monasterio, Ecclesiæ, vel pio alij loco sepulturæ, siue illud in modum legati, siue instituẽdo hæredem talem locũ relinquat, vlt. *Panor. c. 1. de sepult. n. 7.* probat sufficiẽter. Eadẽm præterea portio debetur Ecclesiæ parochiali de omnib. oblationib. & commodis funeris, vsq; adeo, vt si quis, morbo iam affectus religionem ingrediatur, in eaque ex eo morbo è vita discedat, Ecclesiæ parochiali sua portio debeatur de bonis, quæ ea via monasterio obuenerunt, vt habetur *cap. de his, de sepult.* secus autem si sanus esset ingressus, vt ibidem subiungitur. De donatis vero in loco sepulturæ nõ habet parœcia portionem nisi in fraudem parœciæ, vt sua portione priuaretur, essent donata. Ita colligitur ex c. de his citato, affirmant- C que *ibi Panorm. & c. 1. citato num. 7* Dicta toto hoc §. *constant ex c. 1. & per totum, de sepult. & lib. 6. eod. tit. atque Clement. dudum vers. verum de sepult.*

5 Eiusmodi portio à diuersis Summis Pontificibus cõstituta fuit diuersa, à quodam vt esset dimidium, ab alio vt esset pars tertia, & ab alio vt esset quarta, vt habetur *cap. certificari de sepult.* eaque de causa cõsuetudini cuiusque regionis hac in parte est stãdum vt ibidem subiungitur. Frequentius tamen solet esse quarta, adque idcirco quarta Ecclesiæ parochiali debita consueuit appellari. Glos. *Clement. dudum* D *vers. verum citato*, quam Panormit. sequitur *cap. de his nu. 9. de sepult.* affirmat, declaratum fuisse parochialem Ecclesiam interdicere posse hæredi aut fideicommissario defuncti, ne Ecclesiæ sepulturæ portionem ipsi debitæ solueret, sed sibi, alioquin ipse de suis bonis illam solueret. Rationem huius rei reddidimus *disp. 200. loco cit. ante.* retulimusque ex Couar. in diœcesi Salmaticensi statutum esse, vt si hæres, aut fideicommissarius quartam parœciæ debitam loco sepulturæ soluat, cogatur ipse nihilominus eam soluere parœciæ defuncti.

6 Iuxta hactenus dicta, quando aliquis sepelitur extra suam parœciam, in Ecclesia, aut monasterio non exempto, tunc Episcopus superior Ecclesiæ, in qua talis sepelitur, extrahit de funeralibus, & aliis Ecclesiæ illi relictis, suam quartam, & Ecclesia pa- E rochialis aliam. Dubium tamen est, quę illarũ prius sit extrahenda. Panor. *c. certificari de sepult. n. 1.* quem Couar. *c. vlt. de test. n. vlt. sequitur*, recte ait, primo loco extrahendam esse quartam Ecclesię parochialis, à qua rursus Episcopus, tali parochiali Ecclesiæ superior, extrahet suam quartam. Deinde vero à reliquo remanente Ecclesiæ sepulturæ, Episcopus illi superior, siue sit idem Episcopus siue diuersus, extrahet suam quartam.

7 Dubium est, vtrum consuetudo possit tollere omnino eiusmodi quartas, ita vt nihil Episcopo, aut parœciæ debeatur. Quidquid autem nonnulli asseruerint, dicendum est cum Panormit. *c. certificari de sepult. à num. 4.* quem sequuntur Syluest. *verb. excommunicatus num. 2. & alii*, cum iure expressum interdum

sit,

sit, vt soluatur dimidium, interdum vt soluatur pars tertia, & interdum quarta, ad præscribendum intra totam hanc latitudinem, satis esse consuetudinem decem annorum absque titulo: eo quod talis præscriptio non sit contra ius, sed præter ius, vt Gloss. *c. vlt. de sepult. libr. 6.* affirmat. Ad præscribendum autem extra illam latitudinem, ita vt solum infra quartam, aut nihil omnino sit soluendum, cum agatur de præscriptione contra Ecclesiam, necessaria est consuetudo quadraginta annorum, cum titulo, aut tanti temporis de cuius initio non sit memoria sine titulo: eo quod eiusmodi tempus titulo æquipolleat. Quod si non ageretur de præscriptione aduersus aliquem, sed de sola legis abolitione, satis esset consuetudo quadraginta annorum absque titulo: atque hæc est, quæ proprie appellatur consuetudo, ad quam necessarius non est titulus, vt vim legis tollat.

8 Obseruandum hoc loco est, nonnulla excipi *c. vlt. de test.* Ex quibus neque Episcopo, neque parochiali Ecclesiæ debetur quarta, nempe legata Ecclesiis aut piis locis, pro fabrica, ornamentis, cereis, luminaribus, anniuersario septimo, vigesimo, aut trigesimo die, & pro aliis ad cultum diuinum perpetuũ: modo non legentur in fraudem, vt Episcopus aut parœcia sua portione priuentur. Item *cap. in nostra de sepult.* excipiuntur equi, & arma legata in subsidium terræ sanctæ, de quibus non detrahitur quarta.

9 Obseruant Panorm. *ca. vltim. de sepult. nu. vlt.* Couar. *ibidem num. 7.* & doctores communiter, fratres Prædicatores, Minores, & cæteros, qui priuilegio mendicantium gaudent, teneri soluere quartã Ecclesiæ parochiali, etiam de eiusmodi legatis priuilegiatis: quia ita fuit expresse institutum in *Clement. dudum sepult. §. verum*, vbi simul statutum fuit, vt nihil aliud tenerentur soluere, quam quartam parœciæ Syluester. *verb. canonica in vltimis verbo* ait, Sixtum Pontificem maximum postea illis concessisse, vt solum tenerentur soluere quartam de iis, quæ funus concomitantur, hoc est, de oblationibus diei funeris, non vero de aliquo alio. Idem refert Couaruuias *loco citato numero 6.* vsu esse receptum ac seruari ex Cardinali §. *verum citato.* Panormit. præterea *num. 7. citato* cum Hostiensi affirmat, consuetudine esse receptum, etiam quando aliquis in aliena parœcia sepelitur, Ecclesiam sepulturæ, non teneri soluere quartam de oblationibus factis post diem sepulturæ, sed solum de iis, quæ in die sepulturæ fiunt. Quoniam, quæ dicta sunt, consuetudine sunt recepta, Concilium Tridentinum *sess. 25. de reformatione cap. 13.* solum fecit mentionem de quarta funeralium, dum statuit, vt in quibus locis ante annos quadraginta cathedrali aut parochiali Ecclesiæ solita erat persolui, esto postea ex quocunque priuilegio monasteriis, hospitalibus, aut quibuscunque aliis piis locis sit concessa, solueretur integro iure & in eadem portione, in qua solui consueuerat.

His iuxta commune ius paucis explicatis, dicendum est quid in Eborẽsi Archiepiscopatu sit tenendum. Idem credo esse in Olyssiponensi, & aliis huius Lusit. regni diœcesibus.

10 Quarta Episcopo debita omnino in eo expirauit. Est tamen consuetudo in hoc Archiepiscopatu, vt, quando obit aliquis, qui beneficium habebat curatum, Archiepiscopus de bonis illius mobilibus accipiat rem vnam, quam ex omnibus malueris, vel mancipium, vel mulam, vt aliam quam præelegerit. Idemque est, quando è vita discedit dignitas aliqua Ecclesiæ cathedralis, cuius beneficium habet annexam Ecclesiam aliquam curatam. Eandem consuetudinem ad plures beneficiarios extensam vigere audio in aliis diœcesibus huius regni. Couar. *c. cum officii de testam.* similis consuetudinis meminit aliquarum Ecclesiarum: multaque hac

A de re diximus supra disputat. 147. à §. antequam cætera, cum Nauarro *de spoliis clericorum*, vbi etiam diximus rem, quę ita accipitur, appellari in hoc regno Luctuosam. Couarruu. *loco citato* ait, aliquibus in Ecclesiis consuetudinem esse, vt non solum de bonis habentis beneficium accipiat Episcopus rem aliquam sed etiam de bonis laicorum defunctorũ. Imo refert, vsu aliquibus in locis esse receptum, vt parochus de bonis defuncti rem aliquam accipiat, standumque in quocunque loco erit consuetudini ibi receptæ. Illud tamen admonuerim, vbi consuetudo viget, vt vel Episcopus, vel parochus rem aliquam accipiat de bonis cuiuscunque defuncti siue is clericus, siue laicus fit, eam rem vim non habere spolii, modo disp. 147. cum Nauarro explicato, sed eleemosynæ, atque subsidij in competentem ministrorum Ecclesiæ sustentationem, perinde atq; decimę & primitiæ.

Quod ad parochialem quartam attinet, aduerte. Vsu esse receptum, vt religiosi de solis funeralibus oblationibus diei funeris soluant parœciæ defuncti quartã, & neque de legatis, neque de oblationibus aliorum dierum, neque de aliqua alia re eam soluant. Præterea consuetudine in hac Eborensi ciuitate est receptum, vt vna parœcia nihil soluat alteri de oblationibus diei funeris. Extra hanc autem ciuitatem audio aliquibus in locis Ecclesiam sepulturæ persoluere parœciæ, cuius defunctus erat parochianus, dimidium oblationum diei funeris & C exequiarum mensis, & anni, atque propter ea loca latam esse constitutionem huius Archiepiscopatus *tit. 14. c. 4. §. E quando*, quę hoc significat. In vnoquoque ergo loco stãdum est consuetudini ibi receptæ. Illud postremo est animaduertendum, quando aliquis duo habet domicilia (id est, loca fixa ad habitandum) in duabus parœciis, si eque in vtroque habitet, atque in vtraque parœcia recipiat sacramenta, aut interfit diuinis, tunc si in tertio aliquo loco sepeliatur, quartam diuidendam esse inter vtramq; parœciam. Ita habetur *c. cum quis de sepulturis lib. 6.* Lege Panor. *c. 1. n. 3. & c. in nostra, n. 10. de sepult.*

B

D

E

SVMMARIVM.

1 *Intra nouem dies à morte defuncti nemini fas est ratione illius inquietare hæredes, vxorem, aut propinquos.*

2 *Hæres quondam adeundo teneritatem tenebatur satisfacere omnibus creditoribus defuncti, etiam vltra vires hæreditatis.*

3 *Quando aliquis est hæres ab inteſtato in totam hæreditatem, certusque est hæreditatem plenissime sufficere debitis defuncti, inuentario non indiget, poteritque sine eo hæreditatem adire.*

4 *Commoda quædam quæ consequitur inuẽtarium conficiens, vsque ad num. 7.*

8 *Quid si hæres sciebat vires hæreditatis non sufficere ad soluendum creditoribus & legatariis, & nihil eo minus soluit legata, aut sciebat, non sufficere omnibus creditoribus, & propterea sciebat eos, qui prius accesserunt postponendos esse aliis creditoribus, tenebiturne tunc posterioribus creditoribus.*

9 *Ponuntur adhuc quædam commoda, quæ consequitur inuentarium conficiens, vsque ad n. 12.*

13 *Hæres contradicere non potest factum eius, in cuius bonis succedit.*

14 *Vtrum si pater vendidit prædium aduentitium filij, & filius postea confecto inuentario in ea solum portione hæreditatis hæres illi extitit, quæ erat legitima ipsi debita, possit talis filius integre contrauenire facto patris, prædiumq; suum integre vendicare, an vero in tãta quota prædij possit exceptione repelli, in quãta hæreditatis quota ipse hæres extitit.*

15 *Respondetur ad argumentum propositum.*

16 *Confirmatur duobus argumentis, num.* 17.
18 *Lex quoniam in prioribus intelligenda est de onere legatorum & aliorum grauaminum, non de onere creditorum.*
19 *Quid, si pater alienauit prædium filij titulo lucrativo.*
20 *Quid, si filius non sit institutus à quota hæreditatis, sed in quota bonorum, seu in legitima tanquam in quota bonorum.*
21 *Discrimen inter hæredem institutum in quota hæreditatis, qui confecit inuentarium, & eum, qui inuentarium non confecit.*
22 *Octauum commodum conficientis inuentarium.*
23 *Communis sententia improbatur.*
24 *Probatur & confirmatur authoris sententia vsque ad num.* 28.
29 *Respondetur ad primum & secundum argumentum communis opinionis, & num.* 30.
31 *Filius institutus in quota bonorum, seu in legitima tanquam in quota bonorum, si prædium sium à defuncto alienatum integre vendicare vellet, non minus tenetur pati diminutionem in sua quota bonorum, seu in legitima, quam si in eadem tanquam hæreditatis quota fuisset institutus emptorque ageret similiter de euictione.*
32 *An filius repulsus à vendicanda parte rei venditæ à patre, eique concedatur reliquum vendicare, petere possit à iudice vt emptorem compellat ei vendere iusto pretio partem, quam vendicare non potest.*
33 *Quid, quando quis non postulato tempore ad deliberandum hæreditatem adit, neque inuentarium conficit intra tempus, & iuxta formam lege præscriptam.*
34 *Quid, quando hæres tempus postulat ad deliberandum.*
35 *Quid, si tempus postulauerit, & obtinuerit ad deliberandum, neque intra illud expresse eam repudiarit.*
36 *Iuramentum in litem quid.*

DE COMMODIS HAEREDITATEM adeuntis non petito tempore ad deliberandum, inuentariumque conficientis, & de incommodis illud non conficientis, aut tempus ad deliberandum efflagitantis.

DISPVTATIO 216.

HAc, & tribus disputationibus sequentibus, dicendum est de inuentario. Vt autem in calce disputat. 214. dicebamus, intra nouem dies à morte defuncti nemini fas est ratione illius inquietare hæredes, vxorem, aut quemcunque propinquum, affinem, vel fideiussorem defuncti, quicquam ab illis exigendo, aut admonitionem aliquam illis offerendo, vel in iudicium quoquo modo illos vocando: quod si aliquod eiusmodi efficiant, totum eo ipso irritum est & inane: nouem namque illi dies ad luctum eis conceduntur. Ita habetur in *authen. vt cum de appell. cognos. §. hæc autem. ver. sanctimus itaque,* & in *authen. sed neque Cod. de sepulchro violato.* Excipe, nisi periculum aliquod circa defuncti bona immineret malitia hæredum, aut alicuius ex commemoratis in illis authent. tunc enim, probato prius coram iudice tali periculo, fas est illos inquietare: attamen solum, quantum sit satis, vt periculo subueniatur. Intra illos ergo nouem dies, neque tenentur conficere inuentarium bonorum, neque minoribus à defuncto relictis cõstituere tutores, aut curatores neque bonorũ partitioni intendere, aut aliquid aliud efficere. Nescio ergo vnde Sylvest. *verb. inuentarium & dictionarium iuris eodem vers.* asseruerint, hæredes teneri conficere inuentarium intra tres dies à morte defuncti, nullo citato iure, quod id statuat. Puto vtrobique esse mendum, & loco triginta scriptum fuisse tres.

3 Quamuis ordo postulare videbatur, vt à forma A inuentarij ordiremur, commodius tamen id in disputat. 218. reseruabimus. Atque vt, quę dicenda sunt melius intelligantur, obseruandum est, quondam, non solum de iure digestorum, sed etiam Codicis, hæredem adeundo hæreditatem teneri satisfacere omnibus creditoribus defuncti, etiã vltra vires hæreditatis, atque adeo de bonis propriis, quando bona defuncti non sufficerent *l. si te bonis C. de iure deliberand. l. quæ dotis ff. soluto matri.* & vtrobique Glossæ, & *leg. quia poterat ff. ad Treb.* Ratio erat, quoniam hæres repræsentat defuncti personam, quin & vna persona cum illo censetur, *authent. de iureiurando à moriente præstito in principio*, cuius hæc sunt verba: *cum vtique nostris videtur legibus vnam quodammodo esse personam hæredis, & eius qui in eum transmittit hæreditatem.* Lege alia iura, quæ Glos. *ibidem* citat. Ea- B iraque ratione de iure antiquo eo ipso, quod hæreditatem adibat, ex quasi contractu censebatur seipsum obligare ad debita omnia defuncti: poteratque pro eis incarcerari, cogique etiam de suis propriis bonis ea soluere, non secus atque defunctus ipse, si superstes esset, incarcerari poterat: & quia tantum onus hæreditatem adeundo subibat, concedebatur ei tempus ad deliberandum, an sibi esset expediens illam adire: poteratque exigere, vt instrumenta omnia defuncti, & bona quæ reliquerat, sibi ostenderentur. De eodem tamen antiquo iure non tenebatur legatarijs vltra vires hæreditatis, *leg. 1. §. si qui quadraginta ff. ad Trebellianic. leg. vniuersa, Cod. de legatis. Glos. leg. si te bonis. Cod. de iure deliberand.* & *Glos. leg quæ dotis, ff. soluto matrim.* Ratio est, C tum quia testator legare non potest vltra vires patrimonij *arg. textus leg. si vniuersa. Cod. de legatis* & eadem ratione neque vltra patrimonij vires donare causa mortis, *arg. leg. 1 §. 1. iuncta Glos. in verb. legatis ff. si quid in fraudem patroni.* Tum etiam quoniam creditores certant de damno proprio, si debita ipsi non soluantur: legatarij vero de lucro solo. Atque hanc rationem reddit *leg. 1. §. si is qui quadraginta, ff. ad Trebell.* & *fauet l. vltim. §. penult. C. de codicillis.* Lege inter alios Gregor. Lopez *l. 10. tit. 6. p. tit. 6. verb. Las mandas,* & Aluarum Valas. *consult. 52. num. 1. to. 1.* Postea, vt referetur, *l. vltim. in princ. C. de iure deliberandi*, concessum fuit, vt si post hæreditatem aditam repentinum aliquod, & inopinatum debitum oriretur defuncti, ad illud non teneretur hæres vltra vires hæreditatis. Præterea, vt milites vniuersim solum tenerentur creditoribus defuncti iuxta vires D hæreditatis: eo quod arma magis, quam iura, scire milites sacratissimus legislator existimauit

Nouissime *eadem l. vlt. C. de iure deliberandi*, quæ 3
sequuntur hac de re sancita sunt. Quando aliquis hæres est, siue ab intestato, siue ex testamento, & siue in totam, siue in partem hereditatis, certusque est hæreditatem plenissime sufficere, tum debitis defuncti, tum etiam legatis soluendis, inuentario non indiget, poteritque sine eo hæreditatem adire eiue se immiscere, attamen tunc tenetur in solidum creditoribus, adeo, vt si casu aliquo præter spem eueniat, vt de bonis defuncti debita aliqua solui nequeant, teneatur de suis bonis absoluere. Similiter si- E quis, cum hæreditatem non adierit eiue se non immiscuerit, in tres menses, à die, qua nouit se esse institutum hæredem, illam repudiet, etiamsi inuentarium non confecerit, nullũ onus ob illam subibit, carebitque omni lucro illius. Ita habetur *l. vlt. cit. §. cum igitur, & §. similique modo.*

Si hæres prorogationem temporis ad deliberandum, neq; à iudice, neq; à Principe (iuxta ea quæ 4 *Commoda*
infra dicenda sunt) petiuit, inuentariumque confi- *quæ consequitur inuentarium conficiens.*
ciendo (iuxta formam disput. 218. tradendam hæreditatem adiuit. eiue se immiscuit, sequentia commoda consequitur.

Primum neque creditoribus defuncti, neque le- 5 *Primum.*
gatarijs tenetur vltra vires hæreditatis.

Secun-

Secundum. Secundum, potest detrahere à legatis Falcidiam, si sibi non supersit quarta pars bonorum defuncti.

7 Tertium. Tertium, si satisfaciat creditoribus primo venientibus aut etiam legata soluat legatariis primo venientibus, nec supersint bona defuncti ex quibus aliis creditoribus posterius venientibus satisfiat ad nihil ipse illis tenetur, neque illi possunt ipsum, aut eos inquietare, qui bona hæreditatis ab eo emerunt, vt ex eo prætio legatariis, aut creditoribus soluat. Eiusmodi tamen creditoribus posterius venientibus conceditur actio aduersus legatarios, vt ab eis repetant, si, quod ipsis erat soluendum, illi acceperunt, eodemque modo conceditur eis actio aduersus illos alios creditores, si ipsi vel ob anteriorem hypothecam, vel aliqua alia ratione, iuxta ea, quæ in B progressu huius operis dicenda sunt, illis erant præponendi. Hæc omnia habentur *l. vltim. citata*, §. *& si præfatam, & tribus sequentibus.*

8 Dubium. Dubium est, quid si hæres sciebat vires hæreditatis non sufficere ad soluendum creditoribus & legatariis, & nihilominus soluit legata, aut sciebat, non sufficere omnibus creditoribus, & propterea sciebat eos, qui prius accesserunt postponendos esse aliis creditoribus, tenebitur ne tunc posterioribus creditoribus? Glossa *in verbo sufficiant*, Bartolus & communior Doctorum sententia, quam Aluarus Valascus *consult. 52. numero 38.* & Gregorius Lopez *l. 7. titul. 6. part. 6. in verb. Que las deudas*, referunt, affirmat teneri. Atque in hoc euentu ea opinio mihi omnino placet: quoniam, *l. vltim. C. de iure delib.* noluit fauere dolo, præbereque ansam quicquam siniſtrum efficiendi. Quando autem hæres bona fide ignoranterque soluisset, nemini dubium esse potest, hæredem ad nihil teneri creditoribus: quoniam saltem in eo euentu intelligenda est dispositio *legis vltimæ, C. de iure delib.* quæ illum tam copiose ab omni onere eximit. Quando vero res hæredi esset dubia, esse potest controuersia, multisque Alu. Valas. *num. citato* contendit, in puncto iuris probabilissimũ esse non teneri: ait tamẽ, in praxi quando suspicio est, esse alios creditores, nullum hæredem soluere primo venientibus, nisi præstita cautione, quod restituent eis, iuxta *l. dolo. ff. ad l. Falcid.* quæ sic habet. *Dolo carere non videtur, si iam mota quæ cõtrouersia hæreditatis, legata sine cautione det.* Obserua tamen, si inuentarium, iuxta formam tradendam, conficiat hæres, cum ex testamento de legatis omnibus constet, citandique sint ad inuentarium conficiendum, non solum legatarij, sed etiam creditores omnes, saltem per proclamationes publicas, quando suspicio est, esse creditores aliquos incognitos, raro hæredem futurum in dubio, an bona hæreditatis sufficiant omnibus, & an superuenturi sint creditores aliqui, qui aliis sint præponendi: Obserua deinde, cum creditoribus superuenientibus ius suum integrum reseruetur aduersus legatarios, & creditores, qui solutionem acceperint, cautionem, quam hæres ante solutionem exigat, non multum creditoribus superuenientibus inseruire, nisi vt in euentu, quod legatarij, & creditores illi solutionem bona fide consumpsissent, neque ex ea effecti essent locupletiores, tenentur integram illam reddere creditoribus, qui superuenirent.

9 Quartum. Quartum commodum, si hæres inuentarium conficiat, commemorat. Alua. Valas. *consult. 52. nu. 39.* cum Porcellino Bart. & aliis, quos citat, quod esto legatariis, aut creditoribus debeatur certa quantitas, & non res determinata in individuo quæ sit in rebus hæreditariis, si desit pecunia in hæreditate, nec reperiatur emptor, qui res hæreditarias ea lege emerevelit, vt hæres ille de euictione non teneatur, potest cogere legatarios, & creditores, vt in solutũ accipiant res ipsas hereditatis. Atque hic casus excipitur regula illa *l. 2. §. si certum petatur*, aliud pro alio, inuito creditore, solui non potest. Doctrinam hanc colligunt hi doctores ex *leg. vltim. §. si vero hæredes C. de iure deliberand.* Attamen si textus ille recte expendatur, nihil tale inde colligitur. Ex tota autem illa lege, quæ hæredem conficientem inuentarium omnino indemnem seruare vult, ne vltra vires hæreditatis ad quicquam teneatur, ea doctrina colligitur in vno dumtaxat euentu, nempe quando hæres aliter non seruaretur indemnis. Quare quando in hæreditate superessent alia bona, ex quibus satisfieri posset emptori, si res ab eo euinceretur, non posset cogere creditores, vt aliud pro alio acciperent. Quando item nihil omnino superesset, attamen, vel creditores omnes & legatarij, vel aliqui eorum, onus in se susciperent satisfaciendi emptori, si res euinceretur, aut emptor ipse contentus esset, vt ad creditores & legatarios recurreret loco hæredis pro euictione, quatenus ipsi refundere tenentur, quod in eo euentu euinceretur, eo quod plus accepissent, quam de bonis defuncti accipere debebant, cogere non posset creditores, vt aliud pro alio acciperent.

10 Quia tum. Quintum commodum est, quod quondam, si aliquid hæreditatis casu post mortem testatoris peribat, id sane hæredi peribat, & non creditoribus, imo neque legatariis, vt habetur *leg. in ratione 2. in princ. ff. ad legem Falci. &* §. *quantitas instit. de leg. Falc.* hodie vero, si conficiat inuẽtarium, atque sine ipsius culpa pereat, neque creditoribus, neque legatariis tenetur, nisi iuxta vires bonorum hæreditatis remanentium, eo quod iuxta *l. vlt. C. de iure deliber.* indemnis omnino remanere debeat. Cõsentiunt Bar. & alij, quos Alu. Valas. *consult. 52.* refert ac sequitur, licet non ita perspicue rem hanc explicent.

11 Sextum. Sextum commodum est, quod si inuentarium conficiat, deducit impensam funeris, & quæ insumpsit in insinuatione testamenti, & in confectione inuentarij, atque in aliis rebus necessariis hæreditati: idque tum vt de reliquo solum hæreditatis satisfaciat creditoribus, & soluat legata: tum etiam, vt, si deductis eiusmodi expensis & persoluto ære alieno, de reliquo non remaneat sibi quarta pars solutis legatis, detrahere ab illis possit Falcidiam. Ita habetur *l. vlt. §. in computatione. Cod. de iure deliberand.* Quondam autem, ad deducendam Falcidiam solum permittebatur ei deducere impensam funeris & pretia mancipiorum manumissorum, vt habetur *l. 1. §. vlt. ff. ad l. Falcid. & §. cum autem ratio instituit. de lege Falcid.* Item quondam hæres vniuersim tenebatur ad debita, etiam de propriis bonis atque hodie similiter tenetur ad legata omnia nulla detracta Falcidia, si inuentarium non conficiat, vt dicemus. Quod de expensis commemoratis dictum est, extendunt quidam, quos Aluar. Valas. *consult. cit. num. 43.* refert ac sequitur, ad expensas ab hærede factas in infirmitate testatoris. Quod si de bonis defuncti factæ sint, nemini potest esse dubium: si vero de bonis hæredis, nec factæ sint animo donandi, deducendæ etiam hodie sunt, si inuentarium confecit, perinde atque alia debita, vt mox subiungemus. Quando autem expensæ aliquæ ex hactenus commemoratis extraordinariæ essent, probandæ sunt, vt habetur §. *in computatione citato*, idque testibus, aut instrumẽntis, vel, vt ibidem Glossa subiungit, interdum proprio iuramento.

12 Septimum. Septimum cõmodum est, quod si inuentarium confecit, non extinguuntur, nec confunduntur actiones, quas ipse habebat aduersus eum, in cuius bonis succedit, quin potius perinde soluenda sunt ei debita de bonis defuncti, atque aliis creditoribus non tamen habet prærogatiuam, vt præponatur aliis creditoribus. Deducto vero toto ære alieno, si de reliquo, solutis legatis, non remaneat ipsi quarta pars, detrahere potest à legatis Falcidiam. Hæc habentur *l. vlt. §. si vero ipse C. de iure delib.*

13 Vt commodum octaui intelligas, obserua. Hæredem contradicere non posse factum eius in cuius bonis succedit, esto in præiudicium talis hæredis factum illud cedat: vt si vendidit rem hæredis, non potest hæres illam exigere, sed repellitur doli exceptione. Intelligendum tamen est, non posse contradicere in totum, si in tota hæreditate succedat, at vero si quota hæreditatis succedat, vt in dimidio, aut in tertia, vel quarta parte, quoniam in sola ea portione repræsentat defunctum, & in reliquis censetur extraneus, solum prohibetur contrauenire facto illi in dimidio, tertia, aut quarta parte rei illius, prout fuerit quota hæreditatis, in qua succedit; reliquum vero exigere poterit, aut vendicare. Ita habetur expresse *l. cum à matre, C. de rei vendic.* & aliis iuribus, quæ gloss. ibi citat, iuxta regulam *ex qua persona ff. de reg. iuris*, quæ sic habet, *Ex qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet.*

14 Hinc eiusmodi oritur dubium. Cum venditio, qua pater vendit bonum aduentitium filij non solum prohibita illi sit, sed sit etiam ipso iure nulla, possitque filius eam ab emptore vendicare, siue is sciens, siue ignorans eam emerit, vt habetur *l. 1. Cod. de bonis matern.* & aliis iuribus: quæritur, vtrum si pater vendidit prædium aduentitium filij, & filius postea confecto inuentario in ea solum portione hæreditatis hæres illi extitit, quæ erat legitima ipsi debita, possit talis filius integre contrauenire facto patris, prædiumque suum integre vendicare: an vero in tanta quota prædij possit exceptione repelli in quanta hæreditatis quota ipse hæres extitit, iuxta *l. cum à matre citatam.* Similiter si in quota, suam legitimam portionem excedente, hæres extitit, num solius incrementi supra suam legitimam portionem sit habenda ratio, vt iudicetur in quanta prædij portione possit exceptione repelli, an vero totius quotæ, in qua extitit hæres. Et quid quando hæreditati successit non confecto inuentario.

Quæstio.

15 Communis Doctorum sententia est, quando quis confecto inuentario hæres parenti extitit, habendam esse rationem etiam portionis legitimæ, vt vniuersim iuxta portionem quotæ integræ hæreditatis, in qua hæres extitit, repelli in eadem proportione exceptione possit ab æquali quota fundi venditi. Ita *glo. vlt. l. cum à matre. C. de rei vendic.* & Doctores communiter, quos referunt & sequuntur Cou. *c. 1. de testamen. num. 13.* Molina *4. libr. de primog. cap. 1. à numero 23.* & Aluar. Valas. *consult. 69.* In eadem sententia videtur fuisse, qui leges partitarum Castellæ Condiderunt: fauet enim quam maxime, huic sententiæ *l. 24. titul. 13. p. 5.* tametsi, quemadmodum lex illa in quibusdam aliis reducenda est ad terminos iuris communis, vt ab eo, & à communi Doctorum sententia non dissentiat, ita & in hoc (si quæ dicemus vera sunt iuxta ius commune) intelligi etiam debeat.

Communis sententia.

16 Potissimum hi Doctores ducuntur, quoniam si filius prædium euincat ab emptore, talis emptor manet creditor comparatione patris, bonorumque paternorum, quæ illi tenentur de euictione: creditor autem præfertur legitimæ filij: quoniam filius non maiorem legitimam in bonis patris habet, quã fit portio, quæ ipsum contingit, deducto prius ex eisdem bonis toto alieno ære: quare si filius prædium euincat, tenetur ipse emptori de euictione tanquam hæres patris: is autem, qui de euictione rei alicuius tenetur, repellitur ab eadem vendicanda, vt habetur *leg. vendicantem, ff. de euictionibus.* Vnde glossa colligit hanc regulam. *Quem de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio.*

Argument. primum.

17 Ducũtur præterea duobus iuribus supra citatis, & aliis similibus, quæ absolute statuunt, si filius in tota hæreditate sit hæres, remoueri vniuersim à vendicando tali prædio: si vero in quota, remoueri à quota prædij in eadem proportione, non excipiendo ab ea quota, in qua est hæres, legitimam portionem, quæ talem filium contingit.

Secundum.

Quod si his Doctoribus obiicias *l. quoniam in prioribus, Cod. de inoffic. testament.* vbi prohibetur onus, vel grauamen apponi legitimæ statuiturque esse ipso iure nullum: si apponatur. Respondent, id intelligendũ esse, de onere legatorũ, & aliorũ grauaminũ, nõ vero de onere creditorum, quale est illud. 18

Excipit Aluar. Valas. *consult. 69. num. 8.* cum Iacobino de S. Gregorio, à communi opinione, si pater alienauit prædium filij titulo lucratiuo, nempe donatione: nam tunc vendicare illud integrum potest salua sua portione legitima. 19

Molina quoque *c. 1. cit. nu. 27.* excipit, si filius non fit institutus à quota hæreditatis, sed in quota bonorum, seu in legitima, tanquam in quota bonorum, aut sit institutus in re certa, vna cum cohærede vniuersali aliorum bonorum: quoniam tunc, cum institutio illa vim habeat legati, & non institutionis hæredis, neque ad eo pacto institutum transeant actiones actiuæ, & passiuæ defuncti, vt disputat. 204. late explicatum est, vẽdicare poterit ab emptore integrum suum prædium, neque ipse emptori tenetur de euictione, sed hæredes vniuersales illi tenentur. 20

Merito autem constituunt Doctores discrimen inter eum hæredem *institutum in quota* hæreditatis, qui confecit inuentarium, & eum, qui inuentarium non confecit; quod si quota prædij alienati à parente, cui succedunt, maioris valoris sit, quam quota hæreditatis, vt si tota hæreditas æstimetur nonaginta aureis, & prædium trecentis, & vnusquisq; eorum institutus sit in tertio hæreditatis, vtique post *l. vlt. C. de iure delib.* is, qui inuentarium confecit, non repelletur exceptione à tertia parte prædij, quæ æstimatur centum aureis, sed solum à portione æstimationis triginta aureorum, quæ est portio prædij æqualis valoris cum tertio hæreditatis, in quo fuit institutus: is vero, qui inuentariũ non confecit, repelletur ab integra tertia parte prædij. Ratio autem est, quoniam *l. vlt. C. de iure delib.* statuit vt is, qui inuentarium confecit, seruaretur omnino indemnis & neque creditoribus defuncti, neque legatariis teneretur, nisi iuxta iures (hoc est valorem) hæreditatis: si autem exceptione repelleretur ab integra tertia parte, pateretur detrimentum in suis propriis bonis. Atque istud est octauum commodum, quod consequitur is, qui inuentarium confecit, nempe quod quando quota rei à parente venditæ est maioris valoris, q̃ quota hereditatis non repellitur exceptione ab æquali quota quoad proportionem rei, quæ alienata est à parente, sed ab æquali quantitate eiusdem rei, quoad valorem. Ita post glos. *l. cum à matre Cod. de rei vendit.* communis ac vera sententia, quam inter alios referunt, & sequuntur Molina *libro 4. de primog. cap. 1. numer. 24.* & Pinellus *leg. 1. Cod. de bonis mater. part. 3. in calce numero 79.* Cum autem quando quota rei venditæ est longe minoris valoris, quam quota hæreditatis, vt si prædium æstimetur nonaginta aureis, & hæreditatis tribus mille, hæres, qui inuentarium non confecit, solum repellatur exceptione à tertia parte prædij, esto tertia pars hereditatis sit valoris mille aureorum, quia non habetur ratio valoris, sed æqualis quotę quoad proportionem, vt perspicue patet *leg. cum à matre, Cod. de rei vendit.* & affirmat communis sententia, quam Pinellus *numero 79. citato, vers. eadem conclusio*, refert ac sequitur: sane in simili euentu neque hæres, qui inuentarium confeciſſet, repelleretur, nisi à tertia parte prædij vendicanda, quia non debet esse deterioris conditionis, quam is, qui inuentarium non confecit, & quia ex natura rei, iurisque dispositione, ad nihil aliud tenetur, eo quod sicut non repræsentat defunctum nisi in tertia hæreditatis parte, ita neque tenetur ad onera defuncti, nisi quoad tertiam partem, & quoad reliquas censetur extra-

Octauum commodum conficienti inuẽtarium.

extraneus, vt supradictum est: quare priuilegium *l. vlt. C. de iure delib.* quod conseruetur indemnis, nec teneatur vltra vires hæreditatis, ac proinde quod si quota illa excedat quoad valorem portionem hæreditatis, non teneatur, nisi iuxta valorem quotæ, non debet operari, vt quando minor est quoad valorem, ad plus teneatur, quam si non confecisset inuentarium: quoniam in solum ipsius commodum, non vero in vllum eiusdem detrimentum eiusmodi priuilegium est illi concessum. Vnde miror Aluarum Valasc. *consult. 52. in calce nu. 45.* contrarium aduersus Pinellum *vbi sup. n. 80. vers. aliud etiam memoratu* affirmare.

43 Quamuis vt dictum est, communis Doctorum sententia sit, quando filius (cui pater prædium aduentitium vendidit) inuentarium confecit, habendam etiam esse rationem portionis legitimæ, vt vniuersim iuxta proportionem quotæ integræ hæreditatis, in qua hæres extitit, repelli exceptione possit à vendicanda æquali quota fundi: mihi tamen contraria sententia omnino viderur vera, & ample ctenda, cum *glo. l. vlt. §. in computatione C. de iure delib. Bart. l. 2 C. si quid in fraud. patro. & l. filius familias. cum pater. ff. de legat. Angelo Cumano, & Pinello l. 1. C. de bonis mater. p. 3. num. 80.* nempe si filius in sola sua legitima portione patri succedat, posse integrum prædium vendicare: si vero succedat plus quam in legitima, idque cum aliis descendentibus eiusdem defuncti, quibus similiter portio legitima debeatur, detracti omnibus legitimis, iuxta proportionem incrementi sui ad incrementa aliorum, posse repelli exceptione ab æquali quota prædii, nisi portio prædii excedat in valore incrementum, in quo ipse succedit: nam tunc solum repelletur à portione æquali in valore cum eo incremento, iuxta ea quæ paulo ante dicta sunt. Quod si succedat cum hærede aut hæredibus extraneis solum repelletur à quota prædii iuxta proportionem incrementi ipsius vltra suam legitimam portionem, ad portiones integras hæreditaris, quas alii consequuntur: eo quod nihil earum sit illis aliis debitum, sicut ipsi debetur tua legitima portio.

Communis sententia improbatur.

44 Eam mihi persuadeo, non solum quoniam, vt Aluarus Valasc. *consult. 69. num. 7.* faretur contraria est valde rigorosa, & quæ filiis magnum affert incommodum, sed etiam. Primo, quoniam *l. cum à matre C. de rei vendic.* lata fuit à Diocletiano & Maximiano Augustis, *& regula, ex qua persona ff. de reg. iur.* multo antea fuerat condita: hæc autem, & alia iura, quibus Doctores contrariæ sententiæ nituntur longo tempore postea à Iustiniano *l. quoniam in prioribus. C. de inoffic. testa.* coarctata atq; abrogata sunt quatenus id cederet in grauamen legitimarum filiorum: quare, quod ad legitimã filiorum attinet, nullam hodie vim habent, neque vllus est, qui cum probabilitatis specie negare possit in grauamen legitimæ filij esse quod succedere non possit in portione quæ, deducto toto ære alieno, ipsi ex præscripto legis in bonis patris debetur, quin repelli exceptione possit à vendicatione æqualis quotæ prædii, quod iniusta, ac nulla venditione pater ei vendidit. Neque est legitima responsio Aluar. Valasc. *num. 7. citato*, quod filio debetur legitima sine onere legatorum & aliorum grauaminum, non vero sine onere creditorum. Quoniam iuxta hanc nostram sententiam, filius non vult suam legitimam sine onere creditorum. Quin potius vult, vt si quid bona defuncti debent emptori prædij. vel propter euictionem, vel quacunque alia ratione, id totum prius de bonis patris extrahatur, ipseque cum cæteris hæredibus de eisdem bonis id soluat, & de reliquo legitima portio, quæ ipsi debetur, si tribuatur, atque relinquatur liber, vt integrum suum prædium sibi vendicet: quis autem dubitet, grauamen legitimæ esse, hoc ei non permitti, sed cogi, vt si eam portionem habere velit, repelliatur ab æquali prædii quota vendicanda? Præsertim cum Iustinianus *l. cum in prioribus*, inter grauamina computet conditionem quamcunque, dilationem, moram, modum, & quicquid minuit ius, aut actionem ad talem legitimã, omniaque perinde ipso iure tollat, ac si non essent apposita. Sic enim ait. *Vt si conditionibus, aut aliquæ dispositione, moram, vel modum vel aliud grauamen introducente, eorum iura, qui ad memoratam actionem vocantur minuta esse videantur, ipsa conditio, vel dispositio, moram, vel quodlibet onus introducens tollatur & ita res procedat, quasi nihil eorum additum esset.*

Possumus confirmare hanc rationem, quoniam Doctores, quos impugnauimus, propter *l. Iustin. vlt. C. de iure delib.* merito limitant. *l. cum à matre*, & alia iura, quibus nituntur, vt quando quota prædii excederet in valore quotam hæreditatis, hæres, qui inuentarium confecit, non repellatur à vendicanda integra quota, sed solum vendicanda portione æquali in valore cum quota hæreditatis, idque ne contra *leg. vltim. Cod. de iure deliber.* grauetur vltra vires hæreditatis: cur ergo propter *l. quoniam in prioribus.* eiusdem Iustiniani, non limitant eadem iura, vt non intelligantur quoad portionem legitimam, ne similiter hæres sustineat in ea grauamen cum longe apertius *l. quoniam in prioribus* abrogauerit easdem leges, quatenus inde sequeretur hæredem teneri ea ratione creditor bus vltra vires hæreditatis.

Secundo eandẽ sententiam mihi persuadeo, quoniam hæredi conficiẽti inuentarium perinde saluæ manent actiones, quas habebat aduersus eum, cui succedit: atq; cæteris creditoribus eiusdem defuncti, vt habetur. *l. vlt. §. si vero. C. de iure delib.* & supra dictũ est, non obstante, quod ipse sit hæres, atq; adeo debitor cæteris creditorib. defuncti de eisdẽ defuncti bonis iuxta eorundem bonorum vires: dummodo tamen eodem modo, quo cæteri creditores, ipse admittatur, iuxta actiones, quas aduersus defunctum habuerit: multo ergo magis, si inuentariũ cõfecit integræ illi manebunt actiones aduersus quẽcunq; tertium, non obstante quod inde tertio actio resultet aduersus defunctũ, atq; adeo aduersus ipsũmet hæredem iuxta vires bonorũ defuncti; sed si pater, cui succedit, superstes esset, posset talis filius vẽdicare ab emptore integrum suum prædium, vt est notissimum, & Doctores contrariæ sententiæ admittunt: ergo esto defunctus sit, poterit illud vendicare salua emptori manẽte actione de euictione aduersus bona defuncti, atq; adeo aduersus hæredem iuxta vires hæreditatis defuncti, esto inde sequatur minui suam portionem legitimam: neque ratio vlla postulat vt post *l. quoniam in prioribus*, quæ prohibuit grauamen imponi legitimæ, eaq; in parte coarctauit, & abrogauit antiquiores leges iuxta portionem legitimę repellatur à vẽdicatione æqualis quotę prędij, sed solũ si vltra legitimã hęres extiterit in incremẽto aliquo, repellatur iuxta easdẽ antiquiores leges à quota prędij æquali in proportione tali incremento dummodo quoad valorem non excedat incrementum illud; alioquin iuxta priuilegiũ. *l. vlt. C. de iure deli.* solum excludetur à portione prędij æqualis valoris cum eo incremento, vt dictum est.

Confirmat hanc rationem, quod actio aduersus emptorẽ ortũ habuit ab actione, quam filius hæres habebat aduersus patrẽ circa prędiũ suum aduentitiũ, atq; ab actu iniusto patris, quo illud alienauit, lege prohibẽte ac annullante talẽ alienationẽ: ergo si confecto inuentario actiones filii aduersus patrẽ defunctum integræ manẽt, multo magis integra manebit hęc aduersus emptorẽ ex iniquo patris actu.

Nec vero probandum est, quod Aluar. Valasc. *consul. 69. n. 7.* ait, nempe contrariam sentẽtiam seruandam esse in hoc Lusitaniæ Regno, quia magis cõmunis, iuxta ordinationes *li. 4. tit. 5.* Etenim in eo titulo non præcipitur, vt stetur cõmunioribus opinioni-

nionibus,sed vt quando non fuerit lex in contrarium,stetur Glossis Accursii,nisi fuerit communis opinio in contrarium,& vt,si glossa Accursii defuerit, stetur opinionibus Bartoli, nisi fuerit similiter communis opinio in contrarium : at neque in his duobus euentibus præcipitur, vt stetur communibus opinionibus,sed solum relinquitur liberum,vt non iudicetur iuxta gl. Accursij, aut iuxta opinionem Barto. In re autem,de qua nunc agimus, certe pro nostra opinione videtur esse textus. *l. quoniam in prioribus*,quæ eam statuit,& derogat contrariis antiquioribus legibus:Præterea non solum Bartolus eam affirmat,sed etiam glossa Accursii. *l. vlt. §. in computatione. C. de iure delib.* multique existimant non refragari illam Glossam. *l. cum à matre. C. de rei vend.*

29 *Ad primum argumentũ.*

Ad primum argumentum communis opinionis concedendum est,si filius prædiũ euincat, emptorẽ manere creditorem patris,bonorumq; patris. Concedendum item est, creditorem præferri legitimæ filij,atq; adeo si filius confecto inuentario prædium euincat,teneri de euictione emptori, tanquam hæredem patris: attamen teneri solum quoad bona,quæ fuerunt patris,atq; iuxta vires duntaxat eorum, vt dictum est. Quando autem subsumitur:eũ, qui tenetur de euictione alicuius rei, repelli ab eadem vendicanda, dicendum est, verum id esse, si subeat vnã & eandem personam, quatenus de euictione tenetur, & quatenus vult illam vendicare: in quo solo euentu loquitur *lex vendicantem. ff. de euict.* vt patet textum illum intuenti;eo demque modo intelligenda est regula illa, quam glos. ex eo textu colligit. Falsum autem esse,si iubeat diuersas personas, vt in re proposita subit:hæres quippe tenetur de euictione, præcise,quatenus repræsentat personam defuncti,& quoad sola bona defuncti, si inuentarium confecit,vt explicatum est, ac proinde quoad sola bona defuncti tenetur pati diminutionem, eorum, etiam cum imminutione suæ propriæ legitimæ,quantum satis sit, vt ex sua parte emptori de euictione satisfaciat:at vero vendicat suum prædium, non quatenus hæres est, personamque defuncti subit,sed quatenus priuata persona est, cui actio ad recuperationem sui prædij competit,tum aduersus defunctum,tum etiam aduersus emptorem. Ex his patet immerito Molinam *4. libr. de primog. c. 1 n. 26.* asseruisse, legi *vendicantem* in eo argumento adductæ non posse adhiberi congruum responsum, quo argumento illi satisfiat.

30 *Ad secundũ.*

Ad secundum argumentum ex dictis manifesta est responsio. Ostensum quippe est, iura illa per *leg. quoniam in prioribus*,fuisse à Iustiniano reuocata quoad legitimas portiones tam descendentium, quam ascendentium. Quare,quę dicta sunt, æque vim habent,si descendens defunctus, in cuius bonis ascendens succedit, rem aliquam ascendentis eo inuito alienauerat.

31

Circa limitationem,quam Molina communi opinioni adhibuit,obserua. Filium institutũ in quota bonorum,seu in legitima tanquam in quota bonorum,si prædium suum à defuncto alienatum integre vendicare vellet, vt integre vendicare posse Molina concedit,non minus teneri pati diminutionem in sua quota bonorum , seu in sua legitima, quam si in eadem tanquam in hæredibus quota fuisset institutus,emptorque ageret similiter de euictione,vt disputat. 204. late ostendimus:quod sane nostram aduersus Molinam confirmat sententiam. Verum tamen est,quod,vt ibidem dicebamus,emptori daretur immediate actio de euictione aduersus solos hæredes vniuersales:eis tamen rursus cõpeteret actio aduersus ita institutum in legitima tãquam in quota bonorum,si illam rem ab eis accepisset,vt pro quantitate portionis bonorum,quam accepit,contribueret, quod emptori pro euictione esset debitum:eo quod ab ea portione, sicut à cæteris,deducendum sit tale æs alienum defuncti. Lege quæ ibidem copiose dicta sunt.

Dubium est,in euentu,in quo,iuxta hactenus dicta,filius repellitur à vendicanda parte rei venditæ à patre , eique conceditur reliquum vendicare, an talis filius petere possit à Iudice, vt emptorem compeliat ei vendere iusto pretio partem, quam vendicare non potest. Pinellus *l. 1. C. de bonis mater. pa. 3. in calce numer. 80.* affirmat id iudicem præcipere debere,non solum si maior pars maneat apud filium, sed etiam si dimidia,aut etiam minor pars tantum apud eum maneat: idque quia res facile redit ad pristinum statum,& argumento iurium,quæ citat. Aluarus autem Valascus *consil. 69. numer. 17.* negat,quando res esset diuidua: secus autem, quando esset indiuidua,propter iura & fundamenta , quæ adducit. Copiosius sic dicerem. Si res esset diuidua neutrum cogendum esse vendere alteri, sed rem ei se diuidendam: quia vterque ad id habetius, & propter iura,quæ Aluarus Valas. citat. Si autem sit indiuidua,vt domus, mancipium, emphyteusis, &c. & filius dimidium,aut plus habeat: filius est præferendus propter dominium rei , quod nondum amisit, & propter alia,quibus Pinellus nititur. Si vero solum habeat minorem partem,credo cogendum esse eam vendere emptori:propter maiorem portionem,quam in ea re habet. Alnar. Valas. aït,se vidisse à grauissimis Senatoribus iudicatum, vt emphyteusis in filio potius quam in emptore , incapitaretur. Arbitror tamen in eo euentu, filium saltem æqualem partem potuisse ab emptore vendicare, eaque de causa merito id fuisse iudicatum.

32 *Quæstio.* *Decisio.*

Occasione copiosius explicandi quid. *l. vlt. C. de iure delib.* disponat,quando quis, non petito tempore ad deliberandum,confectoque inuentario,hæreditatem adit,diximus quæ hactenus explicata sunt. Nunc vero quid eadem lex in duobus aliis euentibus statuat,prosequamur.

33 *Inuentarium non conficiens.*

Quando quis non postulato tempore ad deliberandum,hæreditatem adit,neque inuentarium cõficit intra tempus, & iuxta formam lege præscriptam. statuit *eadem lex vlt.* vt integre persoluat creditoribus, & legatariis defuncti, etiam vltra vires hæreditatis,neque detrahat à legatis Falcidiam , atque adeo,vt nullo ex priuilegiis conficientis inuentariũ perfruatur. Ita habetur *l. vlt. §. vlt. sin vero postquam. C. de iur. deliber. iuncto auth. de hæred. & Falcid. §. si vero confecerit.* Et quamuis *l. vlt. §. vlt. C. de iure deliberandi* exciperentur milites,vt esto inuentariũ non conficerent,aut tempus ad deliberandum postularent,non tenerentur creditoribus & legatariis vltra vires hæreditatis, postea tamen *in authent. de hæredibus. & Falcid. ad finem. §. quia vero duplex.* id abrogatum fuit ; quare hodie etiam milites, & quicunque alij tenerẽtur vltra vires hæreditatis, si inuentarium non conficiant.

34 *Tempus ad deliberandũ.*

Quando autem hæres tempus postulat ad deliberandum,in primis statuitur, vt à principe concedi non possit,nisi vnus annus,à iudicibus vero, tantum nouem menses,& vtrumuis semel tantum , & vt,si amplius fuerit conceſſum , sit nulla talis concessio. Ita habetur,*l. vlt. §. & hæc quidẽ. C. de iure deliberandi.* Quare si hodie sine expressa huius legis derogatione fuerit Principe maius tempus cõcessum, erit irritum. & inane.

35

Deinde sancitur, vt si tempus postulauerit & obtinuerit ad deliberandum, nec; intra illud expresse eam repudiauerit , censeatur illam adiisse. Præterea , siue hoc modo, siue expresse illam intra id tempus adierit,statuitur,vt si confecerit inuentarium, teneatur creditoribus etiam vltra vires hæreditatis,soluere debita:possit tamen à legatis detrahere Falcidiam,si ipsi,deducto toto ære alieno, de reliquo non remaneat quarta pars solutis integre lega-

legatis. Eademque ratione si deducto toto ære alieno nihil omnino remaneat, nihil tenebitur soluere legatariis. Quod si inuentarium non confecerit, teneatur soluere debita, & legata integra, neque detrahere possit à legatis Falcidiam. Si autem intra tempus ad deliberandum ei datum hæreditatem repudiauerit, neque inuentarium antea confecerit, tenetur restituere res hæreditarias (intellige, si eas occupauerat) vel creditoribus (si non fit, qui hæres esse velit) vel hæredibus, staturque iuramento eorum, qui eas recipere debent, quoad earum quantitatem, vt si iurent plures fuisse, aut tantæ, vel tantæ quantitatis, eas in eo numero, & quantitate tenea tur restituere, facta per iudicem taxatione circa earum valorem. Porro stari ita iuramento eorum, qui illas debent recipere, appellant iura, & Doctores, dari iuramentum in litem. Hæc omnia habentur. *leg. vltim. §. sin autem hoc. Cod. de iure deliber. iuncto authentic. de hæredib. & Falcid. §. hinc nobis, & §. sin vero non fecerit.* Circa iuramentum autem in litem in prædicto euentu lege inter alios Couarru. *cap. 1. de test. num. 17.*

A

B

SVMMARIVM.

1 *An successores vniuersales, qui hæredes non sunt, teneantur creditoribus, & qui sint.*
2 *De Ecclesia si hæres instituatur, neque inuentarium cõficiat, num in foro exteriori vltra vires teneatur hæreditatis.*
3 *Refertur contraria sententia.*
4 *Limitatur.*
5 6 *Authoris sententia.*
7 *Hæres non conficiens inuentarium non tenetur vltra vires hæreditatis creditoribus nec legatariis.*
8 *Probatur.*
9 *Confirmatur.*
10 *Refertur contraria quorundam sententia, n.* 11.
12 *Hæredes inuentarium non conficientes aut tempus ad deliberandum efflagitantes, etiam in foro conscientiæ, tenentur creditoribus vltra vires hæreditatis, nulla omnino expectata sententia.*
13 *Hæres inuentarium non conficiens non tenetur ante latam sententiam legatariis vltra vires hæreditatis.*
14 *An si in pœnam iniunctum sic hæredi, vt inuentarium non conficiat teneatur legatariis vltra vires hæreditatis.*
15 *Respondetur ad argumenta contrariæ opinionis.*
16 *Confirmatur.*

VTRVM HAERES INVENTARIVM non conficiens, aut tempus ad deliberandum postulans, teneatur in foro conscientiæ vltra vires hæreditatis, & quid de Ecclesia, & quibusdam aliis in foro exteriori.

DISPVTATIO 217.

1 *Successores vniuersales qui hæredes non sunt, qui.*

IN complementum disputationis præcedentis ab vltimo eorum, quæ proposita sunt, est incipiendum. Docent vero Doctores communiter, quos Greg. Lopez. *l. 5. tit. 6. p. 6. gl. 1. Couar. c. 1. de test. num. 14. & Alu. Val. consult. 52. num. 46.* referunt, & sequuntur, eos successores vniuersales, qui hæredes non sunt esto inuentarium non conficiant, nequaquam teneri creditoribus, aut interdum aliquibus legatariis, vltra vires hæreditatis. Eiusmodi sunt, executores hæreditarij, qui vicẽ tenent hæredum, vt si quis in hæredem animam suam relinquat, præscribens testamento in quæ opera pia velit sua bona insumi, nonnullaque legata, siue pia, siue non pia relinquens, instituendo simul vniuersalem suæ vltimæ voluntatis executorem, seu testamentarium aut testamentarios. Tales etiam sunt vsufructuarius vniuersalis bonorum relictus à defuncto: pater, qui iure peculii occupat bona filij familias: monasterium occupans bona ingredientis religionem propter ingressum: fiscus occupans bona eius, cui propter delictum confiscantur: aut occupans bona vacantia discedentis ab intestato sine coniuge & consanguineo vsque ad decimum gradum, quia in eo euentu non succedit titulo hæredis; atq; ille, cui, libertatum conseruandarum causa, addicuntur bona defuncti: si enim defunctus libertates aliquas vel testamento, vel codicillo aliquibus reliquit, neque sit hæres ex testamento, aut ab intestato, qui hæreditatem velit adire, ne libertates illæ pereant, constitutum est, vt si quis, præstita sufficiente cautione, petat bona defuncti, vt de illis creditoribus satisfaciat, expleatque voluntatem defuncti, eaque ratione libertates vim habeant, illi addicantur, vt habetur *inst. de eo, cui liber. cauf.* & aliis iuribus. Ratio autem, cur hi omnes, esto inuentarium non conficiant, vltra vires hæreditatis non teneantur, est. Quoniam non sunt hæredes: dispositio autem præcedente disputatione explicata, est iuris positiui, supra id, quod stando in solo iure naturali ratio ipsa rei postulabat: quare, cum de solis hæredibus sit lata, extendenda ad eos nõ est, qui hæredes non sunt.

C

D

E

De Ecclesia, aut alia causa pia, si hæres instituatur, neque inuentarium conficiat, dubitant Doctores, num in foro exteriori vltra vires teneatur hæreditatis *Bart. l. 1. C. de sacr. eccles. Baldus, & multi alii*, quos *Alu. Val. consul. 52. n. 47. & Couar. c. 1. de test. nu. 14.* referunt, negant teneri. Potissimum eorum fundamentum est, quoniam in Ecclesia locum non habet præsumptio, quod occultauerit aliquid de bonis defuncti: lex autem statuens, vt hæres inuentarium non conficiens teneatur vltra vires hæreditatis, fundatur in præsumptione, quod aliquid occultauerit: aut certe ratio motiua condendi eam legem fuit, ne bona occultarentur, quæ ratio cessat in Ecclesia: quare per epicheiam præsumendum est, legislatorem illam non comprehensurum, si occurrisset, estq; in se satis æqua hæc opinio, à qua ait Aluar. Valasc. recedendum non est in hoc Lusitaniæ Regno in iudicando, iuxta ordina. *li. 2. tit. 5.* eo quod opinio Bart. sit.

2 *Quæstio.*

Contrariam sententiam affirmant glossa *c. 1. de test.* & multi alii, quos Doctores citati referunt. Eam meo iudicio efficaciter confirmat *auth. de hæredib. & Falcid.* Cum enim *l. vlt. §. vlt. C. de iure delib.* excepti essent soli milites, vt, esto inuentarium non conficerent, vltra vires hæreditatis non tenerentur, in eo *auth § quia vero duplex*, his verbis id reuocatum est. *Hæc omnia obtinere similiter, & non in scriptis testamentis, & in omni vltima voluntate sancimus: & in omni persona, siue priuata, siue militari, siue sacerdotali, siue imperiali, siue alterius cuiuslibet; communem namque omnibus hominibus hanc legem ponimus.* Ecce, neque Sacerdotalem personam (vbi Episcopi etiam comprehẽduntur) neq; imperialem, ac proinde neq; fiscum titulo hæredis succedentem, excepit, esto suspicio fraudis in eis personis non esset, adiecitq; siue alterius cuiuslibet, vt omnem vniuersim personam, aut personas comprehenderet. Et paulo antea. *§. pupillus autem*, comprehendit etiam minores omnes esto pupilli sint dicens, remanere eis duplex subsidium, nempe restitutionis in integrum, & actionis contrà negligẽtes curatores, qui eis de damno subsecuto tenentur, eo quod non confecerint inuẽtarium. Ex prædictis vero pupillos comprehẽdi: quoniam ij, qui negotium ipsorum agerẽt, poterant aliquid surripere, & occultare. Et eodẽ modo poterunt id efficere, qui ecclesiæ, aut causæ piæ negotium egerint: quare ecclesia etiam comprehendetur, habebitque subsi-

3 *Decisio.*

subsidium restitutionis in integrũ. Eandem sententiam confirmat quod ante *legem vlt. C. de iure delib.* omnes vniuersim hæredes eo ipso, quod hæreditatem adibant tenebantur ad omnia debita defuncti, etiam vltra vires hæreditatis, idque ex quasi cõtractu, quem iuris dispositione conficere censebantur, quo se ad id astringebant, vt disput. præced. dictum est, consentitque communis Doctorum sententia: cum ergo *l. vlt. Cod. de iure delib.* solum excepti sint, qui inuentarium conficerent, & tempus ad deliberandum non exigerent, solisque militibus concessum sit priuilegium, vt, esto inuentarium nõ conficerent, vltra vires hereditatis non tenerentur, id vero in *auth. de hared. & Falc.* reuocatum sit: consequens est, vt ecclesia hæres existens, neque inuentarium conficiens, in antiquo iure remaneat ac proinde, vt ex quasi contractu teneatur creditoribus defuncti etiam vltra vires hæreditatis. Quia ergo hæc adeo perspicua sunt in iure concedendum non est, vllam in hoc Lusitaniæ Regno esse obligationem ferendi sententiam iuxta opinionem Bart. vt Aluar. Valas. voluit. Præsertim cum, quod ad creditores attinet, nostra sit communis doctorum sententia, vt patet, si auctoribus, qui pro nostra sententia citantur, adiungas doctores, quos Cou. pro limitatione, de qua mox est sermo, citat.

Couar. *nu. 14. citato.* nostram sententiam amplectitur. Censet tamen, cum multis aliis quos citat limitandam esse, vt locum habeat comparatione creditorum defuncti duntaxat: secus autem comparatione legatariorum. Quoniam de antiquo iure hæres solis creditoribus tenebatur vltra vires hæreditatis: *lex* autem *vlt. C. de iure delib. & auth. de hæredib. & Falcid.* addiderunt, quod si hæres inuentarium non conficeret, teneretur etiam legatariis vltra vires hæreditatis, idque ex præsumptione, quod surripuerit aut occultauerit de bonis hæreditariis: quare, cum præsumptio hæc locum non habeat in Ecclesia, neque dispositio harum legum locum in ea habere debet quoad legatarios. Gregor. Lopez *ad l. 10. tit. 6. par. 6.* valde dubius est, an limitatio hæc admittenda sit, multaque in contrarium obiicit.

Dicendum vero arbitror, duo illa iura non fundari in sola præsumptione, sed simul etiam in pœnam negligentiæ conficiendi inuentarium transgrediendiq; dispositionẽ illã, cuius obseruatio valde est necessaria ad fraudes vitandas, id statuisse. At que hoc non obscure indicant verba illa *l. vlt. §. sin vero postquam. C. de iure deliberandi*: nec legis nostræ beneficio perfruantur, quam contemnendam esse censuerunt. Et multo apertius verba illa *authent. de hæred. & Falcid. §. si vero non fecerit*: Dabit, inquit, *pœnam exactio sua malignitatis, cur transcenderit leges, ex quibus cauta omnia agens, nihil poterat damnificari, &c.* Vnde *idem auth. §. pupillus, & §. quia vero duplex*, verbis illis supra relatis de omni vniuersim persona loquitur, etiamsi clericus, Episcopus, aut Imperator sit comparatione, non solum creditorum defuncti, sed etiam legatariorum, vt authenticum illud intuenti erit perspicuũ: cum tũ in Imperatore, Episcopo & aliis clericis, locũ nõ habeat præsũptio, quod de rebus hæreditariis aliquid surripuerint aut occultauerint. Confirmat Greg. Lopez *vbi supra*, iura illa non fundari in præsumptione. Primo, *ex auth. ipso de hæred. & Falcid. §. sancimus.* illis verbis. *Per ea quæ forte surripiunt aut malignantur*: cum enim dicat, forte vult idem esse, esto nec surripiant nec malignentur. Vnde illa solum est vna ex causis motiuis & impulsiuis ad condendam legem. Deinde ex §. *si vero non fecerit* illis verbis. *licet puræ substantiæ morientis transcendat mensuram legatorum datio*: statimque subiungitur, *id in pœnam statui ob legem non seruatam.*

4 Iuxta hæc ergo dicendum arbitror, quod cum comparatione legatariorum hæc in pœnam quoq; statuta sint sane neque in Ecclesia, neque in quocunque alio hærede locum habent ante latam sententiam. Præterea cum, vbi nulla est culpa, locum non habeat pœna, etiam in exteriori foro, si in eo constet nullam fuisse culpam, vtique quando vel in Ecclesia, quoad communitatem & ministros ad id deputatos, vel in quocunque alio hærede nulla interuenisset culpa, quoniam ex probabili ignorantia legis vel inaduertentia omissa esset confectio inuentarii, aut solemnitas in eo requisita, neque in foro exteriori teneretur legatariis vltra vires hæreditatis: secus autem si in Ecclesia hærede instituta, quoad communitatem vel ipsius ministros, culpa interuenisset, vel in quocunq; alio hærede: aut si rationabilis causa in aliquo ministrorum esset suspicandi de eo, quod aliquid occultasset aut surripuisset.

B Quod attinet ad primum eorum, quæ in titulo huius disputationis propositæ sunt, communior Doctorum sententia est, hæredem non conficientem inuentarium, neq; legatariis, neque creditoribus teneri vltra vires hæreditatis. Eodemque modo hæredem postulantem tempus ad deliberandum, inuentariumq; conficientem, non teneri creditoribus in eodem conscientiæ foro vltra vires hæreditatis. Ita *Pan. c. 1. de solutionibus. n. 4. Ant. Gom. ad l. 3. Tauri n. 121. Bart. Hostiensis & plerique alii.* quos *Ant. Gom. vbi supra, Cou. 1. 1. de test. n. 16. & Greg. Lopez ad l. 10. tit. 6. p. 6.* referunt.

7 *Quæstio.* *Communis opinio.*

C Hanc sententiam probant, quoniam iura, quæ statuunt vt eiusmodi hæredes teneantur vltra vires hæreditatis, fundantur in præsumptione, quod surripuerint aut occultauerint de rebus hæreditariis, id quod satis innuit *authenticum de hæred. & Falc. §. hinc nobis. vers. sancimus* illis verbis; *Per ea quæ forte surripiunt*: eamque præsumptionem voluerunt esse iuris & de iure, aduersus quam non admitteretur probatio, sed sola confessio creditoris aut legatarij, cui intererat nihil esse ablatum: in foro autem conscientiæ, quando de veritate constat, locum non habet præsumptio. Vnde consequenter hi auctores volunt, creditorem, aut legatarium, qui sibi persuadet, hæredem soluere aliquid vltra vires hæreditatis, lethaliter peccare id exigendo, & adiudicatum accipiendo, tenerique ad restitutionem illius, omniumque damnorum ea de causa hæredi illatorum, D hæredemque posse facere occultam de his omnibus compensationem.

8 *Argumenti*

Confirmant suam sententiam ex *c. quanquam de vsur. li. 6.* vbi aperte innuitur, hæredes solum iuxta vires hæreditatis teneri soluere male parta à defuncto per vsuras.

9 *Confirmatio.*

Paul. Castrensis & alij, quos Cou. & Greg. Lopez. *ibidem* citant, in contraria omnino sunt sententia. quoniam, inquiunt, lex illa nõ in sola præsumptione fundatur, sed ad euitanda ea incõmoda, quæ facile poterant inde oriri, iuste fuit ita lata: lex autem *iusta obligat in foro conscientiæ.*

10

Cou. *n. 16. citato* cum Aretino, quod ad legatarios attinet, omnino amplectitur communem opinionem. Quod ad creditores vero spectat, ab ea dissentit, asseritque cum Paulo Castrensi & aliis, hæredem in foro conscientiæ illis teneri vltra vires hæreditatis. Cum Cou. consentit Alu. Val. *consul. 52. n. 33.* Greg. vero Lopez quamuis multum propendeat in opinionem Pauli Castrensis, etiam quoad legatarios, tandem anceps est, an omnino Cou. & aliis sit adhærendum.

11

Quid hac de re sentiam, sequentes conclusiones explicabunt. Prima est. Hæredes inuentarium non conficientes, aut tempus ad deliberandum efflagitantes, etiam in foro conscientiæ, tenentur creditoribus vltra vires hæreditatis, nulla omnino expectata sententia. In hac conclusione dissentimus à communiori opinione Doctorum cum Couar. Aluaro Valas. Gregor. Lopez, & Doctoribus, quos citant.

12 *Concluſ.*

tant Probatur, quoniam, vt disputatione præcedenti dictum est, consentiunt & Doctores omnes, ante *l. vlt. C. de iure delib.* hæredes hoc ipso, quod hæreditatem adibant, siue conficerent inuentarium, siue non, tenebantur ex quasi contractu creditoribus omnibus, etiam vltra vires hæreditatis, idque in foro conscientiæ, nulla expectata sententia: quoniã dispositio illa nec in præsumptione vlla fundabatur, nec in pœnam id statuebat, sed in bonum publicum, atque ad vitandas lites, & fraudes volebat, vt qui hæreditatem adiret, tacite eo ipso ad id se astringeret, onusq; illud subiret, æqualiter se exponendo commodo aut periculo hæreditatis, eaq; de causa concedebatur illi tempus ad deliberandum: sed *l. vlt. C. de iure delib.* solum ab eo onere exemit eos, qui & inuentarium conficerent & tempus non peterent ad deliberandum; reliquos vero apertissime sub onere legum antiquiorum reliquit, neque est ius aliquod, quod postea eos exemerit: ergo, qui inuentarium non conficiunt, aut tempus petunt ad deliberandum, tenentur hodie creditoribus in foro conscientiæ vltra vires hæreditatis. Solum est, quod probemus *l. vlt. C. de iure delib.* eos solos exemisse, reliquos vero sub antiquo onere reliquisse. Id quod profecto perspicue patet, tum ex tota lege, tum præcipue ex ijs, quæ sequuntur. In primis ex §. *cum igitur hæreditas*, vbi dicitur, eum, qui certam habet spem copiosissimam esse hæreditatem ad omnia onera soluenda, posse statim illa adire sine tempore ad deliberandum, & sine inuentario: veruntamen integre manere suppositum creditoribus, vt illucusque ante illam legem fuerat. Deinde ex §. *sin vero postquam*. vbi, commemoratis, §§. præcedentibus commodis, quæ ea lex eis concedebat, qui inuentarium conficerent, de eis, qui hæreditatem adirent, nec inuentarium conficerent, ibi dicitur. *Debitis hæreditariis in solidum tenentur, quam contemnendam esse censuerint.* Vbi vides, manifeste excipi à beneficio, & priuilegio illius legis, & relinqui in antiqua dispositione. Idem quoque perspicue patet ex §. *sin autem*, quo in loco postulantes tempus ad deliberãdum, & inuentarium conficientes, sequentibus verbis docet excipi à priuilegio huius legis, & manere in dispositione iuris antiqui. *Cum enim*, inquit, *gemini tramites inuenti sint, vnus quidem ex antiquioribus, qui deliberationem dedit, alter autem nouus à nostro numine repertus, per quem adeuntes sine damno conseruantur: electionem ei damus, vel nostram constitutionem eligere, & beneficium eius sentire, vel si eam aspernandam existimauerit, & ad deliberationis auxilium conuolauerit eius effectum habere, & si non intra datum tempus renuntiauerit hereditatem, omnibus in solidum debitis hereditariis teneatur, & non secundum modum patrimonii, sed etiamsi exiguus sit census, tamen quasi heredem eum in totum obligari, & sibi imputet, qui pro nouo beneficio vetus elegerit grauamen.* Hæc ibi. Ex quibus luce clarius constat, hunc excipi à beneficio huius legis, & relinqui in mera dispositione antiqui iuris.

13 Secunda conclusio. Hæres inuentarium non cõficiens, non tenetur ante latam sententiam legatariis vltra vires hæreditatis. Lata autem sententia illis in foro conscientiæ vltra vires hæreditatis tenetur: modo tamen in culpa fuerit inuentarium non conficiendo. Prima pars, in qua à communiori sententia & à Couar. non dissentimus, probatur: quoniam: vt disputatione præcedente dictum est, hæredes ante *l. vlt. C. de iure deliberandi*, non tenebantur legatariis vltra vires hæreditatis, eo quod legatum ex liberalitate testatoris, & non ex vllo debito emanet, eaque de causa, sicut testator ad legatum non tenebatur, ita neque hæredes, qui defuncti personam repræsentant ad illud soluendum tenebantur, nisi iuxta vires hæreditatis: *authenticum autem de hared. & Falcid. in pœnam ad fraudes vitandas* statuit, vt si hæres inuentarium non conficeret, teneretur legatariis vltra vires hæreditatis, vt supra ostensum est: quare, cum pœna ante latam sententiam non debeatur, consequens est, vt prima pars nostræ conclusionis vera sit.

14 In secunda vero parte Couar. & aliis, qui cum illo consentiunt, dissidemus notissimaq; est ea pars, posito quod in pœnam iniunctum sit hæredi, vt si inuentarium non conficiat, teneatur legatariis vltra vires hæreditatis: id quod nos supra satis perspicue ostendimus. Couarruuias autem arbitratus cũ communi sententia solum ex præsumptione, quod de bonis hæreditatis esset occultatum aut ablatum, id fuisse statutum, in eam iuit sententiam, vt, etiam post condemnationem, hæres in foro conscientiæ non teneretur legatariis vltra vires hæreditatis, legatariosque, si quid ita acciperent conscii, id tribui vltra vires hæreditatis, teneri in eodem conscientiæ foro illud restituere.

15 *Ad argu. communis opinionis.* Ad argumenta contrariæ opinionis, quatenus cum his duabus conclusionibus pugnant, ita respondendum est. Negandum est iura illa fundari in præsumptione, vt satis ostensum est. Neque id probant verba illa quæ referuntur; quoniam solum exprimunt vnum è causis motiuis cur lex illa pœnalis in bonum commune merito statuta fit, vt satis est explicatum.

16 *Ad confirmat.* Ad confirmationem dicendum est, idcirco eo capite inuti hæredes teneri solum restituere iuxta vires hæreditatis, quoniam supponitur confectum fuisse inuentarium, vt regulariter fieri consueuit, iureque est statutum, vt fiat.

SVMMARIVM.

1 *Inuentarium quando incipiendum.*
2 *Quid si hæres inuentarium non incepit intra triginta dies à tempore scientiæ, aut hæreditatis aditæ, sed tamen illud absoluit intra tempus datum ad illud absoluendum, censebiturne inuentarium confecisse, vt potiri possit commodis inuentarium conficientis.*
3 *Inuentarium quando absoluendum.*
4 *Vtrum iudex abbreuiare aut prorogare possit tempus hoc datum à lege.*
5 *Intra tempus datum à iure ad inuentarium conficiendum nec creditores, nec legatarii exigere quidquam possunt ab hæredibus, vel illos in iudicium vocare.*
6 *De iure Lusitaniæ, quando defuncto patre manent filii aut nepotes minores, qui hæredes sint, iudex intra mensem à morte talis patris tenetur conficere inuentarium. Quid si mater moriatur superstite patre.*
7 *Inuentario adesse debet notarius aut tabellio.*
8 *Citari debent creditores & legatarii.*
9 *An necesse sit inuentarium fieri coram iudice.*
10 *Quid, quando hæredes certi sunt hæreditatem debita omnia defuncti & legata longo interuallo excedere, quid, quando dubii.*
11 *Inuentarij aliud requisitum.*
12 *Requisitum aliud.*
13 *Quid, si hæredes aliquid de hæreditate surripiant aut celent.*
14 *Quid, quando, de iure Lusitaniæ, minores aliqui sunt hæredes, inuentarium de mandato iudicis conficitur.*
15 *Quid, si sint aliqui cohæredes cum minoribus.*
16 *Quid si viduæ, quibus liberi remanserunt ex marito defuncto, dum inuentarium conficiunt, celent aliqua contra iusiurandum quod eis adhibetur.*
17 *Quid, quando aliqua bona hæreditatis postea reperiuntur, quæ scripta non fuerunt in inuentario.*
18 *Si quid in inuentario per errorem fuit scriptum tanquã res hæreditatis, cum tamen ad hæreditatem non pertine-*

pertineret, vtrum iudicandum sit pertinere ad hæreditatem, neque in contrarium audiatur hæres, qui illud per errorem scripsit.

19 *Vtrum necesse sit scribi in inuentario æstimationem rerum hæreditariarum.*

20 *Postremum inuentarii requisitum.*

21 *Quid, quando multi sunt hæredes.*

22 *Possunt creditores & legatarii inuentarium modo explicato confectum, si arbitrentur maiorem esse hæreditatem, id probare.*

DE FORMA INVENTARII.

DISPVTATIO 218.

1 *Inuentarium quando incipiendum.*

IN inuentario conficiendo sequens forma seruari debet. Inprimis hæres, si is ex testamento sit siue ab intestato, tenetur intra triginta dies incipere inuentarium, vt habetur *l. vlt. §. sin autem dubius. C. de iure delib.* Dubium tamen est, vnde hi dies incipere debeant supputari. Quidam dixerunt à puncto delatæ hæreditatis, hoc est à morte eius in cuius bonis succeditur. Salycetus, Fulgosius & alij dixerunt, supputandos esse à puncto scientiæ quod delata ipsi esset hæreditas. Atque huius sententiæ est *glossa in authent. sed cum testator, in ver. statutum. C. ad l. Falc.* Eandem innuit *glossa in auth. de hæred. & Falc. §. sanctimus ver. tempora.* Quin hoc mihi videtur apertissime esse statutum *l. vlt. C. de iure deliber.* neque expectandam esse hæreditatis aditionem, vt dies illi computari incipiant, vt Bar. & alij, quos referemus, affirmant. Primo, quoniam in *§. sin autem dubius* sic scriptum legimus. *Vt intra triginta dies post apertas tabulas, vel postquam nota fuerit ei apertura tabularum, vel delata sibi ab intestato hæreditatem cognouerit, numerandis, exordium capiat inuentarium.* Ecce, à scientia aperturæ testamenti in quo hæres est scriptus, aut à scientia delatæ sibi ab intestato hæreditatis dixit connumerandos. Et idem habetur *l. 5. tit. 6. p. 6.* cuius hæc sunt verba. *Y deuen comentar à hazer este inuentario à treynta dias dende que supieren que son herederos del finado.* Secundo, quoniam idem innuitur *§. sin vero postquam*, dicitur ni, si postquã adirent, inuentarium facere distulerint, & datum iam à nobis tempus ad inuentarii confectionem effluxerit, vbi effluxum trium mensium, aut anni, supputandum innuitur, non ab additione, sed à principio eadem lege dato, nempe à puncto scientiæ hereditatem eis esse delatam. Tertio, quoniam *§. sin autem hoc*, sic habetur. *Sin autem hoc aliquis fecerit* (id est tempus ad deliberandum petierit) *& inuentarium conscripserit: necesse est enim omni modo* (id est, siue hæreditatem postea adeat, siue non) *deliberantem inuentarium cum omni fubtilitate facere &c.* Et infra dicitur. *quod si post deliberationem accusauerit* (hæreditatem scilicet) *inuentario minime conscripto, tunc res hæreditarias creditoribus, aut iis, qui ad hæreditatem vocantur legibus, reddere compellatur, quantitate earum sacramento accipientium manifestanda.* Ecce inuentarium conficere debet hæres, esto tempus ad deliberandum perat. posteaque hæreditatem recuset; alioquin si illud facere omiserit, iuratur aduersus eum in litem. Glossa tamen *l. vlt. §. sin autem dubius ver. delatam. & glos. ver. consummationem. C. de iure delib.* dicunt, dum dicitur, à tempore scientiæ, supplendum esse. & aditæ hæreditatis. & in eadem sententia sunt Bar. & communis Doctorum sententia quam referunt, & sequuntur *Greger. Lopez. ad l. 5. tit. 6. p. 6 & Alu. Valas. consult. 52. num. 5.* Censet tamen Bart. limitandam esse, nisi hæres malitiose differat adire hereditatem: nam tunc computandi erunt à die scientiæ. Atque Aluar. Valas. vidisse iudicatum iuxta eam sententiam. Conueniunt vero Doctores tam huius, quam præcedentis sententiæ, si adiit legitimum impedimentum conficiendi inuentarium, vt quia hæres erat absens, vel in vincula coniectus, aut morbo laborabat, aut aliud simile, triginta dies non incipere supputari, nisi à tempore quo cessat impedimentum. Ego potius eligerem priorem sententiam (etiam in hoc Lusitaniæ Regno) quia video esse apertam in iure: hæc vero alia non defenditur, nisi peregrinis, & violentis expositionibus, quibus noua conditio supletur. Et quoniam nullum illius video solidum fundamentum. Dicere namque hæredem institutum, aut ab intestato, non esse simpliciter hæredem ante aditam hæreditatem, vt subscribere debeat inuentario, sicut *l. vlt. C. de iure deli.* subscribere præcipitur, nihil sane cogit. Tum quia autores contrariæ opinionis fatentur, si malitia hæreditatem non adeat, supputari dies illos à puncto scientiæ: & tamen neque tunc hæres est. Tum vel maxime, quoniam lex, vt inuentarium validum sit, conficique omnino debeat, contenta est, vt illo imperfecto modo sit hæres, punitque illum, si tempus ad deliberandum petiuit, & recusat hereditatem, nec inuentarium intra tempus à lege præscriptum confecit, vt *leg. vltim. Cod. de iure delib.* apertissime constat.

2 *Dubium.*

Dubium est, quid si hæres inuentarium non incepit intra triginta dies à tempore scientiæ, aut hereditatis aditæ, sed tamen illud absoluit intra tempus datum ad illud absoluendum, censebiturne inuentarium confecisse, vt potiri possit commodis inuentarium conficientis? Ioan. Andre. & quidam alii negant, quoniam non est seruata forma ad illud conficiendum. *l. vlt C. de iure delib.* data Bart. Cin. & alii, quos *Greg. Lopez. ad l. 5. tit. 6. p. 6. & Alu. Valasc. consult 52. num. 8.* referunt, ac sequuntur affirmant validum esse, & hanc affirmant Aluar. Valas. esse communem sententiam. Eam vero confirmant. Tum quia illa censetur omissio leuis solemnitatis, quæ actum non vitiat, iuxta *l. primam. §. vlt. ff. de ventre inspiciendo.* Tum etiam, quoniam potius est attendendum ad effectum, & ad mentem legis, quam ad eius verba. *Decisio.*

3 *Inuentarii quando absoluendum*

Secundum, in conficiendo inuentario obseruãdum, est, vt intra sexaginta alios dies perficiatur. Si tamen res defuncti, vel maxima earum pars distant à loco, in quo sunt hæredes, confici debet intra annum à morte testatoris supputandum, possuntque tunc instituì procuratores ab hæredibus, qui illud conficiant vice ipsorum. Ita habetur *l. vlt. §. sin autem dubius, & §. sin autem à loco. C. de iure delib.* Lex tamen Castellæ *5 tit. 6. p. 6.* quando res distant, concedit annum vltra tres menses, seu vltra nonaginta dies, qui conceduntur, quando res non distant, & ita videtur consuetudine in eo Regno receptum, vt constat ex practica Gabriel. Monterroso *tract. 7. fol. 172. in princ. practicæ de los inuentarios.*

4

Vtrum autem iudex abbreuiare, aut prorogare possit tempus hoc datum à lege. Aluar. Valas. *loco citato, num. 9.* ait, quamuis Iudex faciliter habeat à iure abbreuiandi terminos lege præscriptos ad iudicandum, vt habetur *l. 2. ff. de re iudicata*: contrarium tamen ex Odofre. & Baldo in re proposita esse magis receptum, quoniam huiusmodi actus non est expediendus per iudicem, sed per partem, cui terminus eiusmodi à lege conceditur, ac præscribitur. Vnde ait, in hoc Lusitano Regno solere recurri, non ad iudicem, sed ad Regem, vt dispensetur in temporis prorogatione ad conficiendum inuentarium ex aliquibus iustis causis, etiamsi minores interueniant, subiungitque se vidisse non semel fuisse à Rege dispensatum.

5

Intra tempus datum à iure ad inuentarium conficiendum, neque creditores, nec̃ legatarii exigere quicquam possunt ab hæredibus vel illos in iudicium vocare, aut quicquam vsurpare, vel molestiã vllam inferre. Id tamen tempus non computatur hære-

hæredibus, vt præscribere possint aduersus creditores. Hæc omnia habentur *l. vlt. §. donec tamen. C. de iure delib. & l. 7. tit. 6 p. 6.* Notant autem ibi glossa & Gregor. Lopez *l. 7. tit. 22. p. 6.* atque Doctores communiter iuxta varia iura, quæ citant, vnuerlim quãdo quis à iure est impeditus ne agat & exigat, tẽpus illud non computari ad præscribendum aduersus ipsum. Additio ad Glossam citatam præterea notat cum Bartolo, licet hæredes conueniri non possint à creditoribus defuncti intra tempus ad inuentarij confectionem datum hæredes tamen intra idẽ tempus conuenire posse debitores defuncti.

Circa hæc tamen duo præcedentia requisita in inuentarij confectione obserua. De iure huius Lusitaniæ Regni, quando defuncto patre manent filij aut nepotes minores qui hæredes sint iudicem intra mensem à morte talis patris teneri conficere inuentarium. Si vero mater moriatur superstite patre aut auo paterno, iudex tenetur præcipere illis, vt intra mensem à morte talis matris illud conficiant, adhibito eis iuramento, quod legitime illud efficient. Similiter siquis alius è vita discedat, per cuius mortem hæredes minores aliqui existant, tenetur similiter à die, à quo id sciuit, præcipere vt intra mẽsem fiat similiter inuentarium. Esto autem iudex nihil præcipiat, eo ipso, quod aliquis parentum è vita discedit relictis descendentibus minoribus, qui hæredes sint ipsius, tenetur parens superstes, aut auus, si vterq; parens defunctus sit, conficere inuentarium intra duos menses à morte talis parentis, idq; coram Tabellione iudicis orphanorum, acceptoque iuramento à iudice orphanorũ, q; legitime illud efficier. Quod si quicquam horum prætermittat, ipso facto incidit in pœnam, vt nunquam hæres esse possit in bonis talium minorum, & si pater sit, aut auus paternus, amittat vsumfructum in bonis talium minorum. Quamuis, quod de vsufructu aui ibi dispositum est, per ofcitantiam conditorum legum illarũ sit scriptum, eo quod in hoc Regno, auus non habeat vsumfructum in bonis nepotum, vt inferius vtrumque copiosius dicetur. Item mater aut auus eo ipso amittit tutelam & curam talium minorum. Ita habetur *primo libr. Ordination. titul. 67. §. 3. 4. & 6.* Obserua tamen, quod quia lex ista pœnalis est, locum non habet in foro conscientiæ ante latã sententiam, esto in ea dicatur ipso facto: lata tamen sententia retrotrahetur ad tempus commissi delicti ad effectum amissionis vlusfructus, & successionis in bonis talium minorum.

Ius Lusit.

7 *Inuentario adesse debet Notarius aut Tabellio*

Tertium, in confectione inuentarii requisitum, est, vt adsit Notarius seu Tabellio. Ita habetur, *l. vlt. §. sin autem dubius. C. de iure deliber.* Quamuis autem ibi de Tabellionibus in plurali mentio fiat, glossa tamen ibi & glos. *in Auth. de hæredib. & Falcid. §. sancimus. verb. Tabellariis*, dicunt, apponi plurale pro singulari & *l. 5. tit. 6. p. 6.* de Tabellione in singulari loquitur. Veruntamen in casu, vt subiungit glos. illa prior, necessarius est alius Tabellio, qui interfit subscriptioni, nempe quando hæres subscribere, nescit: aut non potest, vt dicetur. Debet tamen interesse vnus atque idem Tabellio à principio vsque ad finem inuentarij, vt bene ait glossa in *Authentico de hæredibus & Falcid. §. sancimus, verb. inuentarium.* Aluar. Valas. *Consul. 52. n. 24.* innuere videtur, iuxta praxim huius Lusitani Regni, hoc vltimum non esse necessarium: ait namque iuxta eam sufficere, vt solus hæres per se conficiat inuentarium, atque illud subscribat, & postea tradat Tabellioni adhibito iuramento, eoque pacto satisfacere obligationi inuentarij: iuuarique beneficio & vtilitatibus illius.

8 *Citari debent creditores & legatarii.*

Quartum est, vt citentur creditores omnes & legatarii. Quamuis autem non sit textus expressus, qui id probet de creditoribus: in *Authentico tamen de hæred. & Falcid. §. sancimus*, id expresse statuitur de legatariis: atque argumento à minori ad maius id colligunt ex *eodem textu glossa ibidem. verb. fidicommissarios, glos. l. vlt. §. sin autem dubius. ver. cæterorum. C. de iure deliber. & glos. in authentica sed cum testator, verb. legatariorum. C. ad l. Falcid.* & Doctores communiter. Si namque legatarij, cum de commodo tantum ipsorum agatur, citandi sunt, multo magis citandi erunt creditores, de quorum detrimento vitando agitur.

Quia ad inuentarij confectionem citatio legatariorum & creditorum requiritur, voluerunt aliqui quos Alu. Val. *Consul. 52. n 258.* refert, necessarium esse, vt inuentarium fieret coram iudice. Communis tamen opinio, quam ille sequitur, contrarium affirmat. Potest namq; citatio fieri de mandato iudicis, quin inuentario conficiendo ipse assistat. Præterea *authenticum de hæred. & Falcid. §. sancimus*, non iubet legatarios citari, sed vocari: quod fieri potest per Tabellionem ad petitionem hæredum, vt Paulus Castrensis ait, Aluar. Val. *ibidem* ait, iuxta praxim huius Regni non requiri præsentiam iudicis, sed dumtaxat iudicem præstare iuramentum hæredi super inuentario conficiendo. Obserua tamen, quãdo defunctus filios minores viginti annis reliquerit, de iure huius Regni iudici orphanorum incumbere intra mensem à die obitus conficere inuentarium: iuxta ea, quæ supra dicta sunt.

9

Quando hæredes certi sunt hæreditatem debita omnia defuncti & legata longo interuallo excedere iam disp. 216. ex *l. vlt. C. de iur. delib.* dictum est, neque inuentarium esse necessarium, nedum obseruationem solemnitatum illius. Quando vero res potest esse dubia, expedit seruentur, vt hæredes tuti sint, ne de suo soluere teneantur ac cogantur, quod debitis & legatis satisfaciendis defuerit. Et quod ad citationem legatariorum, & creditorum in hoc euentu attinet, si certum est, quinam illi omnes sint, neque absentes sint à ciuitate, in qua sunt hæredes, & heri debet inuentarium, ait glossa *in auth. de hæred. & Falcid. § sancimus, per-si vero absunt.* tunc singuli in particulari sunt citandi, vt per se, vel per procuratores suos interfint, aut certe citandi sunt: qui partes ipsorum agunt, vt tutores, aut curatores, vel maritus, significato illis loco, & tempore, in quo fieri debet inuentarium neque sufficit citatio generalis, vt affirmat communis sententia, quam Aluar. Valas. *vbi supra n. 21.* refert. Quod si aliqui eiusmodi legatariorum, aut creditorum, qui certi sunt, absint, tunc loco illorum adhibendi sunt tres testes fide digni in eadem ciuitate, aut oppido, & bonæ opinionis, & qui bona habeant sufficientia, vt satisfacere possint, si finistrum aliquid fieri permiserint. Hæc habentur *§. sancimus citato, & l. 5 tit. 6. p. 6.* quæ addit, similiter adhibendos esse tres illos testes, quando aliqui, qui præsentes sunt, & citati fuerint, nõ interfuerint: idemq; affirmat Azo. Addit ẽt testes cognoscere debere hæredes. Hoc tamẽ licet dicat. *l. vlt. C. de iure del.* nõ tamen intelligit, nisi quando hæres nescit, aut non potest subscribere, & subscribit alius Tabellio pro eo coram tribus testibus. Vtrum autem, si aliqui de creditoribus, & legatariis præsentibus citentur, & alii non, validum sit inuentarium comparatione eorum, qui præsentes sunt. Angelus negauit. Probabilius tamen cum Bald. & Bar. est contrarium, quod amplecti videtur Alu. Val. *n. 21. citato.* Quando dubium esse potest, an bona defuncti sufficiant oneribus satisfaciendis, certumque est, aut verisimile, defunctum reliquisse debita & creditores, ignoraturque quinam ij sint, citandi sunt per publicas proclamationes, quæ voce præconis fiũ per plateas & loca ad id consueta. Ita cum Bar. & Bal. Maranta *de ordine iudiciorum p. 6. v. de citatione nu. 98*, & Doctores communiter. Calp. Monteros. *tract. 7. citat. in practica de los inuentarios*, ait, interdum fieri inuentarium sine iudicis autoritate ministerio Tabellionis, interdum vero iudicis autoritate, præuiisque

10

tribus publicis præconiis, habereq; hoc modo longe maiores vires, latèq; tradit formam, qua hoc pacto inuentarium in Regno Castellæ fiat. Alua. Val. vbi supra n. 22. ait. *Hodie praxis huius Regni omnes istas scrupulositates reliquit: quia non requirit citationem, non solum legatariorum, sed neque creditorum, & hoc forsan, quia liberum manet illis reclamare inuentarium tanquam diminutum, vel alias, & ideo excusatur hodie illorum citatio in confectione.* Hæc ille. Et loquitur, etiam de citatione particulari, quando constat quis sit legatarius, aut creditor. Fortasse tamen quando hæreditas debitis multis manifeste esset implicata, siue creditores essent certi, siue incerti, inuentariumque hæres conficeret, non seruata forma tradita in iure, & à nobis quoad citationem explicata, cogeretur in hoc Regno satisfacere debitis, & legatis vltra vires hæreditatis: præsertim quando perspicuum non esset, nihil fuisse occultatum, nullamque interuenisse fraudem. Cæterum hoc peritioribus in praxi iudicandum relinquo.

Lusitan. praxis.

11 *Inuentarii aliud requisitum.*

Quintum requisitum est, vt hæres in capite inuentarij propria manu signum Crucis scribat. Ita habetur *l. vlt. §. sin autem dubius. Cod. de iur. deliber. & leg. 5. tit. 6. p. 6.* quæ addit, vt Tabellio sic incipiat scribere *En el nombre de Dios Padre, Hijo, y Spiritu Sancto.* Et quamuis quidam asseruerint, omissionem huiusmodi solemnitatis reddere nullum inuentarium, eo quod ad formam lege præscriptam pertineant: communior tamen opinio Bartol. & aliorum, quos Greg. Lopez *ad l. citatam*, & Aluar. Val. *consul. 52. nu. 26.* referunt ac sequuntur, contrarium merito affirmant: quoniam est admodum leuis illa omissio, & de re, quæ nullum omnino præiudicium afferre potest: quando autem solemnitas est talis, etiamsi formæ seruandæ inseratur, omissio illius non censetur vitiare actum. Et saltem consuetudine iam hodie in hoc Regno, & in Regno Castellæ introductum est, vt eiusmodi omissio non vitiet inuentarium. Vnde Caspar. Monterroso, dum tradit formam conficiendi instrumentum inuentarii, eius solemnitatis non meminit.

12 *Requisitum aliud.*

Sextum est, vt in eo scribantur res omnes mobiles, & immobiles. Ita habetur *l. vlt. §. sin autem dubius. C. de iure delib. & l. 5. tit. 6 par. 6.* Inter ea autem scribenda sunt nomina debitorum, & instrumenta defuncti: quoniam de numero sunt rerum, ac bonorum illius. Ita Greg. Lopez *ad l. 5. citatam*, & Alu. Valas *consult. 52. n. 1.* Vtrum autem in eo necessario scribenda etiam sint deposita apud defunctum, & ei commodata. Multi affirmant, quos *ibidem* Alu. Valas. refert. Contrarium vero videtur de rigore verum: eo quod non sint de numero rerum hæreditariarum. Consulit tamen Alu. Val. vt scribantur, sed cum declaratione, quod deposita, aut commodata sint, & ita affirmat consueuisse fieri. Quando autem defunctus reliquit filios minores vigintiquinque annis, *l. 1. ord. huius Lusitaniæ regni. tit. 67. §. 3.* præcipitur iudici orphanorum, vt in inuentario scribi faciat omnia hactenus enumerata eo modo, quo scribenda esse dictum est, & etiam vt in eodem inuentario scribantur debita omnia defuncti. Fructus & accessiones hæreditati post mortem defuncti scribi etiam debent in inuentario, vt cum aliis, quos citat, subiungit Aluar. Valas. & ita ait consuetudine esse receptum.

13 Quod si hæredes aliquid de hæreditate surripiant aut celent, puniuntur pœna dupli, quod quantitati hæreditatis accrescat. Ita habetur *d. vlt. §. licentia. C. de iure delib.* Hæc autem pœna, si textus ille recte expendatur, non tam in bonum aliorum hæredum, qui in ea culpa non fuerint, est statuta, quam in bonum creditorum & legatariorum, vt plura sint bona hæreditatis, vnde integre debita & legata melius solui possint. Quare ex eiusmodi occultatione bonorum hæreditatis non redditur nullum inuentarium, quasi non fuisset confectum: tunc enim locum non haberet ea pœna quando quidem, ea secluſa, tenerétur hæredes satisfacere debita & legata, etiam vltra vires hæreditaris: quod memoriæ est commendandum.

De iure huius Lusitaniæ regni. *li. 1 ord. tit. 67. §. 8.* statuitur, quando minores aliqui sunt hæredes, inuentarium que de mandato iudicis conficitur in euentibus supra explicatis si à matre aut patre superstite, aut ab aliquo alio, qui inuentarium facere præcipiatur, aliquid fuerit subnegatum neque inuentario scriptum, amittat illud totum, vt integrũ sit solum talium minorum, & insuper soluat eisdem minoribus duplum æstimationis eius, quod ita fuerit subnegatum. Ita quirem illam subnegauit, nihil iuris ad rem ita subnegatam habuerit, & præterea vt puniatur pœna periurii. 14 *Lus Lusit.*

Gama *dec. 148.* arbitratur, si sint aliqui cohæredes cum minoribus, eiusmodi pœnam applicandam simul esse cohæredibus qui non deliquerunt, non obstante dispositione illa ordinationis huius regni. Ducitur, quoniam pœna illa de iure communi. *§. luentia citato*, imposita etiam erat, applicandaque erat omnibus hæredibus. Ordinatio verò eo pacto est locuta, quia frequentius accidit, vt in illo euentu applicetur solis minorib. & quoniam collocata fuit in titulo, vbi de minoribus & iudice orphanorum agebatur. Contrarium tamen iudico esse verum cum collega alio, à cuius opinione ipse ait se discedere. Tum quia ordinatio manifeste id sonat, violentaq; est expositio, atq; rationes, quas reddit, minus efficaces sunt. Tum præcipue, quoniam de iure communi solum statuebatur, vt accresceret hæreditati, vt plus esset vnde debita & legata defuncti soluerentur, atq; adeo incommodum solum legatariorum & creditorum sancita videtur, supponiturq; culpam ab hæredibus omnibus, siue vnus esset, siue plures, commissam esse: neq; satisfactis integre creditoribus & legatariis, hæredes, qui culpã commiserant, excludebantur ab eo, quod hæreditati ea ratione accreuisset: in ordinatione autem huius regni, qui culpã commisit omnino excluditur à participio, tum rei quam occultauit, tum pœnæ dupli, quam cogitur soluere. Illud affirmare, ea omnia bona accresc ere hæreditati ad effectum, vt ex tota hæreditate satisfiat integre creditoribus & legatariis iuxta dispositionem iuris communis. Si tamen ex hæreditate, detractis illis omnibus, integre satisfieri potest creditoribus, & insuper legatariis, obtinentibus descendentibus defuncti suas integras legitimas portiones, tunc pœna dupli applicanda est solis minoribus, atq; id etiã rei occultatæ, quod occultanti obuenire debebat, vt ordinationes huius regni perspicue statuunt: à reliquo autem excludédi non sunt cohæredes maiores: qui in culpa non fuerunt: quandoquidem id omne similiter fuissent consecuturi, si res illa scripta fuisset in inuentario.

15

Ex hactenus dictis patet, quid dicendum sit ad casum quotidianum in hoc Lusitaniæ regno in cõfessionibus, de quo sæpe interrogant confessarij. Vidua, quibus liberi remanserunt ex marito defuncto, præsertim si diuites non sint, dum inuentarium conficiunt, celare solent aliqua cõtra iusiurandũ, q; eis adhibetur: interrogant vero confessarii, quid in eo euentu sit faciendum. Dico, quamuis lethaliter peccent, tum peccato periurij, tum etiam iniustitiæ, si res sint notabilis quantitatis, neque eas reseruent vt cum filiis licite illas insumant, ita vt inde nullum filiis detrimentum in suis bonis eueniat: nihilominus inuentarium esse validum, neq; ad pœnas teneri ante latam sententiam. Quod si, sine detrimento suæ famæ, & sine periculo, ne periurij, aliisq; pœnis afficiantur, res illas manifestare possent, vt inuentario scriberentur, ad id essent cogẽdę præ-

16

sertim si se iuramẽto astrinxerunt, quod siquid post ea ipsis occurreret, quod in inuentario scriptum non esset, id manifestarent. Quia tamen hoc sine magno suo periculo & detrimento ordinarie præstare non possunt: curare debent confessarii, vt nullum inde detrimentum sequatur minoribus, sed id resartiant, vel cũ minoribus ipsis id insumendo, ita vt tandundem de sumptibus necessario ex bonis eorundem minorum faciendis cõpensent, vel alia via prouideatur, vt nullum omnino detrimentum inde minoribus proueniat. Quo loco obserua, ordinationes huius Regni *l.1.tit.67.§.3.* disponere, quod si res inuentario scriptæ mobiles sint, quæ in sustentationem minorum insumantur, aut quas minores illis vtendo (vt si vestes, aut similes res sint) atterãt, matrem, aut quemnis alium ipsorum tutorem, vel curatorem, non teneri illas restituere, nisi quales fuerint repertæ tempore, quo, sui iam iuris illis esse cœpit, bona sua eis sint restituenda.

17 Quando aliqua bona hæreditatis postea reperiuntur, quæ scripta non fuerunt in inuentario, præsumitur dolo non fuisse scripta, ac proinde punitur hæres, qui illa non scripsit, pœnis supra explicatis, nisi sufficienter probet ex ignorantia, aut iusto errore eas non scripsisse. Si tamẽ protestatus fuit, quod si quæ aliæ res postea apparerent, illas manifestaret, atque scribi faceret, quamuis aliqui reclament, Aluar. Valas. *consul.52.n.16.* cum multis aliis affirmat tunc non præsumi dubium, pœnamque euadere, & Gama *decis.148.* refert ita in hoc Regno fuisse iudicatum in quodam particulari euentu. Excipitur, nisi de dolo constet, aut vehementer præsumatur, vt si diu postquam sciuit res esse hæreditarias, illas nõ manifestauit neque scribi fecit.

18 *Dubium.* Si aliquid in inuentario per errorem fuit scriptũ tanquam res hæreditatis, cum tamen ad hæreditatem non pertineret, vtrum iudicandum sit pertinere ad hæreditatem, neque in contrarium audiatur hæres, qui illud per errorem scripsit. Dicendum est, si est res alicuius tertij, audiri illum, & si id sufficienter probet, illi reddi. Si vero sit hæredis, voluerunt *Decisio.* aliqui non audiri, sed præsumptione iuris & de iure censeri esse hæreditatis, eaque de causa non admitti probationem in contrarium, argumento textus in *l.vltim.§.sin autem.C.arbitrium tutelæ*, vbi habetur, quod si tutor, aut curator aliquid suum scripsit tanquam esset minoris in inuentario publice facto, non auditur postea, sed præsumptione iuris & de iure censetur esse minoris. Merito tamen Aluar. Valas. *loco citato nu.12* contrarium affirmat: quoniam lex illa exorbitans est, neque ex similitudine extendenda est ad alium casum; eaque de causa solum id habet locum in tutore, & curatore, qui publice inuentarium ita de bonis minoris confecit.

19 *Dubium.* Vtrum autem necesse sit scribi in inuentario æstimationem rerum hæreditariarum. Quidam affirmarunt. Contrarium tamen cum aliis, quos citat, merito asserit Aluar. Valas. *cons.52.nu.23.* quoniam non est textus qui id asserat: nam *l.vltim.§ sin autem dubius. C. de iure deliber.* statuit quidem debere scribi quantitatem rerum hæreditariarum, quando multæ numero sunt, vel in pondere, numero, aut mensura consistunt, non vero æstimationem. Atque ita ait Aluar. Valas. seruari in praxi. Obserua tamẽ quando hæredes sunt minores orphani, *ordin. huius Regni.lib.1.tit.67.§.3.* præcipere, vt statim fiat partitio bonorum, & vt in inuentario rerum quæ orphanos minores contingunt, non solum scribatur numerus rerum, sed etiam æstimatio earum.

20 *Postremum requisitum.* Postremum requisitum est, vt hæres in calce inuentarii subscribat, asserendo res omnes hæreditatis esse scriptas, nullo dolo, seu malignitate fuisse vsum, aut vsurum in futurum. Quod si subscribere nesciat, aut nõ possit, adhiberi debet alius Tabellio, qui loco illius subscribat. Ita habetur *l.vlt.§. sin autem dubius. C. de iure delib.* Quando autem res sunt in loco distanti, eaque de causa inuentarium fit per procuratorem hæredis, satis est, si procurator ille subscribat vt multi, quos Greg. Lopez. *ad l.5 tit.6. p.6. & Aluar. Valas. consul.52.* referunt ac sequuntur, affirmant, satis consone ad *l.vlt.§. sin autem à locis C. de iure deliber.* Greg. Lopez. *loco cit.* ait, se credere non esse in vsu in Regno Castel. eiusmodi subscriptionem sub ea forma, & ita vt adhibeatur alius Tabellio, si hæres subscribere nequeat. Neque Caspar Mõterroso *in practica conficiendi instrumentum* inuẽtarii huius solemnitatis meminit. Idem loco etiam citato affirmant Aluar. Valas. esse in hoc Lusitaniæ Regno, sed satis esse, inquit, si hæres suo signo proprio, modo in hoc regno consueto, se subscribat. Et *li.1.ord.tit.67.§.6.* quando hæredes sunt minores orphani, solum præcipitur, vt is, qui conficit inuentarium, se subscribat. Denique omnes tam circa hanc quam circa cæteras solemnitates ad inuentarium requisitas conueniunt, standum esse consuetudini cuiusque loci: quoniam hæc omnia statuto, aut consuetudine aboleri possunt Lege Doctores, quos Aluar Valas. *loco citat.n.32.* ad hoc citat.

21 Quando multi sunt hæredes, omnes in simul tenentur conficere inuentariũ: nisi ad vitandam molestiam, & expensas, vni eorum id committant, *argumento l.siquis.ff.de edend.* Ita Aluar. Valas. *consul.52. n.34.* & alii quos citat.

22 Esto inuẽtarium modo hactenus explicato fuerit confectum, possunt creditores & legatarij, si arbitrentur maiorem esse hæreditatem, id probare, tum aliis viis; si quæ innotuerint, tum etiam iuramento hæredum, tum denique tormento mancipiis familiæ adhibito, vt id detegant, si indicia sint maiorem esse hæreditatem. Ita habetur *l.vltim.§ licentia, C. de iure delib. & in auth. de hæredibus & Falcid.§. si vero absunt.*

SVMMARIVM.

1 *Testator remittere non potest hæredi inuentarii confectionem comparatione creditorum: secus comparatione legatariorum, & fideicommissariorum vniuersalium.*

2 *Vtrum hæres comparatione fideicommissarij vniuersalis teneatur conficere inuentarium, & si id non efficiat incidat in pœnas l.vlt. statutas.*

3 *In pœnis locum non habet, quod in pœnam vltra vires hæreditatis, fideicommissum vniuersale restituat.*

4 *An, si hæres inuentarium non conficiat, concedatur fideicommissario vniuersali iurari in litem aduersus eum.*

5 *Vtrum, si hæres grauatus inuentarium non conficiat, detrahere in pœnam non possit Trebellianicam, sicut detrahere à legatis non potest Falcidiam.*

6 *Quæ de hærede comparatione fideicommissarij dicta sunt, intelligenda similiter sunt de successore primo in maioratu ex testamento instituto comparatione sequentis, neque inuentarium conficiente.*

7 *Quando hæres grauatus inuentarium non confecit, succedit que fideicommissarius, antequam creditoribus & legatariis sit satisfactum, tenetur inuentarium conficere.*

8 *An vsufructuarius non legatis conficere teneatur inuentarium rerum, quarum habet vsumfructum.*

9 *Vtrum testator remittere possit vsufructuario, quem ex testamento reliquit, inuentarij confectionem.*

10 *Deciditur quæstio proposita.*

11 *An pater vsufructuarius in bonis aduentitijs filij conficere teneatur eorum inuentarium, vt filio post patris mortem restituantur.*

12 *Vtrum prælatus facere teneatur inuentarium de bonis suæ Ecclesiæ.*

VTRVM TESTATOR MITTERE possit hæredi inuentarii confectionem. Qui item alii conficere teneantur inuentarium. Et num eis possit remitti.

DISPVTATIO 219.

TEstator remittere non potest hæredi inuentarii confectionem comparatione creditorum. Quod si remittat, est nulla remissio, & tenetur nihilominus illis hæres vltra vires hæreditatis, si inuentarium non conficiat. Ita communis opinio, quam referunt & sequuntur *Couar. c. 1. de test. n. 17. Iul. Clar.* B *3. lib. sent. §. test. quæst. 66. & Alu. Valas. cons. 52. n. 33.* Ratio autem est, quoniam testator nullum præiudicium afferre potest suis creditoribus, neque dispositione sua potest reddere deteriorem eorum causam. Comparatione vero legatariorum, quin & fideicommissariorum vniuersalium, remittere potest confectionem inuentarij, ita vt, esto post talem remissionem illud non conficiat, non teneatur soluere legata vltra vires hæreditatis, & possit ab eis detrahere Falcidiam, & quartam Trebellianicam à fideicommisso vniuersali. Ita, quicquid aliqui in cõtrarium dixerint, communis opinio, quam referunt & sequuntur Couar. & Iul. Clarus *locis cit.* & Mol. *lib. 1. de primog. c. 28. nu. 14.* Quoniam cum testator omnibus his liberaliter sua bona relinquat, nullam iniuriam illis facit, eximendo ab eo onere hæredẽ, neque est ius quod id impediat.

2 Vtrum autem hæres comparatione fideicommissarij vniuersalis teneatur conficere inuentarium. & si id nõ efficiat, incidat in pœnas *l. vlt. C. de iure deliber. & in auth. de hæred. & Falcid.* statutas. In primis respondetur, id teneri conficere. vt Molina *lib. 1. de primog. c. 28. n. 1. &* 7. cum communi Doctorum sententia affirmat. Id tamen *l. vlt. C. de iure delib. & auth. de hæredibus & Falcid.* non præcipiunt: quoniam, vt dicemus, solum loquuntur comparatione creditorũ & legatariorum ac fideicommissariorum particularium. Neque item id probant Glossæ, quas citat: quoniam similiter non loquuntur de fideicommissarijs vniuersalibus, vt eas legenti est manifestum. Veruntamen id persuadet legitima ratio: quoniam cum rationem de hæreditate reddere teneatur eiusmodi fideicommissario, tempore, quo per se vel per suos hæredes eam restituerit, vtique ad petitionem illius cogi potest, & debet, vt quando illam occupat inuentarium conficiat, vel postea, si id eo tẽpore non confecit. Id præterea confirmant multa, quæ Pinel. *l. 1. p. 2. nu. 22. &* 23. *C. de bonis mat.* pulchre adducit.

3 Quod ad pœnas attinet, cum deducto ære alieno & persolutis legatis, restituere præcipiatur vel totam hæreditatem, vel quotam illius; reseruata sibi quarta trebellianica, nisi aliò quin quarta pars ipsi remaneat: vtique locum non habet, quod in pœnam, vltra vires hæreditatis, fideicommissum vniuersale restituat. Ac sane si verba & intentum. *l. vlt. C. de iure delib. & auth. de hæredibus & Falcid.* expendantur, comperietur, solum esse sermonem de hærede comparatione creditorum, legatariorum, & fideicommissariorum particularium, qui de numero legatariorum sunt: non vero comparatione fideicommissariorum vniuersalium.

4 Quidam, quos Molina *loco cit. num.* 5. refert voluerunt, si hæres inuentarium non conficiat, concedi fideicommissario vniuersali iurari in litem aduersus eum, ducti *l. vlt. §. sin autem hoc, vers. quod si post C. de iure delib.* Attamen lex illa solum id cõcedit creditoribus, & hæredibus, qui loco illius hæreditati A succedunt: idque solum quando hæres inuentarij non confecit, petieratque prorogationem temporis ad deliberandum, & hæreditatem repudiauit: pœna autem extendi nequit vltra casus à iure expressos. Ita Molina *n. 5. cita.* cum Cumano & alijs: tametsi non ita exactam rationem reddant. Quod si quis argumentetur. Tutor, qui sine iusta causa inuentarium non confecit, censetur dolo id non cõfeciſſe iuraturque aduersus eum in litem, vt habetur *l. tutor. in prin. ff. de admini. tutor*: ergo idem erit in hærede comparatione fideicommissarij. Neganda erit consequentia cum Molina *citato, num. 9.* & plerisque alijs, quos refert: quoniam id in pœnam tutori statutum est in fauorem minorum; neque pœna illa extendenda est ad casum à iure non expressum. Præsertim cum, vt Mol. *ibidem* subiungit, longe diuersa sit ratio in tutore & in hærede comparatione fideicommissarij. Est tamen animaduertendum, quod, si postulante fideicommissario, iudex, vel hæredi, vel alteri fideicommissario anteriori, ad quem fideicommissum deueniſſet præcepiſſet conficere inuentarium, isq; non paruiſſet, tunc ob eiusmodi contumaciam fideicommissario concederetur iurare in litem, idemque esset in quocunque alio euentu, in quo iudex cuiuis alteri præciperet inuentarium facere, isq; non paruiſſet. Ita Molina *ibidem n. 20.* iuxta illa verba *l. 1. ff. de in litem iurando*: cum vero dolus aut contumacia non restituentis, vel non exhibentis punitur, quanti in litem iurauerat C alter, & c.

Vtrum autẽ, si hæres grauatus inuentarium non conficiat, detrahere in pœnam non possit trebellianicam, sicut detrahere à legatis non potest Falcidiã. *Couar. de test. cap. Raynutius. §. 11. num. 1. & Moli. libr. de primog. cap. 17. n. vlt.* cum plerisque alijs censent, detrahere eam non posse: quoniam, quæ de Falcidia in iure sancita sunt, eo ipso constituta censentur de trebellianica, & è contrario, vt dum de fideicommissis habitus est sermo, dictum est, Contrarium affirmat Ant. Gom. *1. tom. var. res. cap. 5. numer. 12.* cum Bart. & multis alijs, nempe detrahere nihilominus posse trebellianicam. Quoniam quod hæres non conficiens inuentarium detrahere non possit Falcidiam, statutum fuit in pœnam, vt supradictum est. neque iura, quæ id statuunt, loquuntur de fideicommissarijs vniuersalibus, sed de particularibus, vt dictum est, qui legatarii reipsa sunt. pœnæ autem extendendæ non sunt vltra casus iure expressos. Et quoniam non erat eadem ratio, vt idem statueretur de fideicommissarijs vniuersalibus, propter ea, quæ hactenus dicta sunt. Ex his duabus sententijs hæc posterior videtur probabilior. Tum quia benignior. tum etiam, quoniam regula, cui authores contrariæ sententiæ nituntur, intelligenda est, quoad dispositiones, quæ pœnæ non sunt: in pœnalibus autem dispositionibus illa alia regula semper præualere debet, quod extendenda pœna non sit vltra casus iure expressos. Atque in hoc Lusitaniæ regno posteriori sententiæ stabitur in iudicando, eo quod Bart. sit, neque Glossa vlla Accursii sit, quæ contrarium doceat.

Quæ de hærede comparatione fideicommissarij E dicta sunt, vtrum inuentarium conficere teneatur, & vtrum si illud non conficiat, incurrat pœnas iure statutas contra hæredem comparatione legatariorum & creditorum inuentarium non conficientem, & an testator remittere illi possit inuentarij confectionem, intelligenda similiter sunt de succeſſore primo in maioratu ex testamento instituto comparatione sequentis, neque inuentarium conficiente: quoniam est par ratio, vt latè cum aliis tradit Molina. *c. 28. citato.*

Quando hæres grauatus inuentarium non confecit, succedit que fideicommissarius, antequam creditoribus & legatarijs sit satisfactum, tenetur inuentarium

5 *Quæstio.*

Dubium.

Decisio.

6

7 *Successor primus in maiorata.*

tarium conficere; alioquin satisfacere tenetur vltra vires hæreditatis creditoribus & legatariis. Ratio est, quoniam licet hæres non sit, loco tamen hæredis habetur, eaque de causa, quod hæres præstare tenebatur, nec præstitit, tenetur ipse sub eisdē pœnis efficere. Ita cum Bart: & plerisque aliis, quos citat Molina *lib. 1. de primog. c. 28. nu. 6.*

8 De vsufructuario non legali (qualis est omnis alius à patre, qui vsumfructum habet bonorum aduentitiorum filijfamilias) diximus disputat. 7. quas cautiones præstare teneatur. Dubium est, vtrum conficere teneatur inuentarium rerum, quarum habet vsumfructum. Cum *tex. l. 1. §. recte ff. vsufructuar. quemad. caueat*, dicat, recte facient dominus & vsufructuarius, si in scriptis redigant res fruendas. Glos. *ibidem* ait, consilium esse, vt fiat. Pinel. *l. 1. p. 2, num. 22.* C. *de bonis mater.* reiiciendam censet eiusmodi Glossam, multisque contendit vsufructuarium teneri conficere inuentarium ex eo capite, quod teneatur reddere rationem proprietario, & quod ex inuentario nullum detrimentum ipsi aut proprietario sequatur. Existimo dicendum esse, in hoc sensu non teneri, quod si illud non conficiat, præsertim proprietario non postulante, in nullam incidit pœnam, neque aduersus eum in litem potest iurari: & forte non aliud voluit Glossa illa, atque hoc solum est, quod textus ille innuit. In eo vero sensu teneri, quod, cum rationem reddere teneatur rerum, quas fruendas accipit, si id proprietarius postulet, omnino conficere illud teneatur, præsumptioque sit de dolo, si renuat. Quod si iudicis accedat præceptum, neque opere id impleat, in litem iurare posset proprietarius aduersus illum iuxta ea, quæ *ex l. 2. ff. de in litem iurando* supra dicta sunt in aliisque pœnas inciderit, si iudex eas illi statuerit. Atque hoc est, quod probat *Pinel. vbi supra, Molin. lib. 1. de primog. c. 28. n. 8. & 9.* & DD. communiter.

Dubium. *Decisio.*

9 Dubium est, vtrum testator remittere possit vsufructuario, quem ex testamento relinquit, inuentarij confectionem. Iaf. Alex. & communis sententia negat, quam referunt & sequuntur *Pinel. l. 1. part. 2. num. 70.* C. *de bon. mater. & Iulius Clarus. 3. libro sent. §. testamentum quæstio 66.* Id vero probant, quoniam vt *dispu. 7. ex l. 1.* C. *de vsufructu. & l. penult.* C. *vt in poss. leg.* ostensum est, remittere non potest cautionem de restituendis rebus quibus fruitur, & alias de quibus disput. 7. dictum est: ergo neque remittere potest confectionem inuentarii de eisdem rebus, quod cautionem antecedere debet, necessariumque est, vt quod cautione pollicetur, opere exequatur. Molina tamen *lib. 1. de primog. c. 28. nu. 15.* & pauci alii, quos Pinel. *loco citato* refert, censent posse à testatore remitti vsufructuario inuentarii confectionem. Quoniam, inquiunt, lex illa, quæ statuit remitti eidem non posse cautionem, exorbitans est, vt Pinellus etiam confitetur: quare cum de inuentario nihil dicat, extendendā non est ad inuentarium. Præsertim cum inuentarii confectio remitti possit hæredi comparatione legatariorum, & fideicommissariorum, & tutori, vt supra visum est: neque minus his occasio delinquendi ex tali remissione præbeatur, quam vsufructuario; quæ est causa, quam aduersarii reddunt, cur vsufructuario remitti non possit. Veruntamen Molina *loco citato* addit, esto testator hæredi, tutori: aut vsufructuario inuentarii confectionem remittat ad petitionem nihilominus eorum, quibus rationem reddere debent, & quorum ira interest, cogi posse facere descriptionem eiusmodi rerum, idque iudicem præcipere posse & debere: si autem iussus renuat, iurari posse aduersum eum in litem, vt supra dictum est: aitque *ibidem, & c. 15. nu. 33.* diuersum quid esse inuentarium ab eiusmodi descriptione.

Quæstio.

10 Ego sub aliorum iudicio dicerem, solum hæredem comparatione creditorum & legatariorum teneri conficere inuentarium sub forma & cum solemnitatibus quæ *l. vlt.* C. *de iure delib. & in auth. de hæredib. & Falcid.* traduntur: non vero comparatione aliorum. Item quibusdam præcipi in iure vt inuentarium conficiant, nullo id efflagitante, & sub certo modo & forma aut tempore, vt hæredibus & tutoribus. Atque horum comparatione dicerem, habere locum eam quæstionem, num remitti eis possit obligatio illa, quæ à iure ipsis est iniuncta. Et, quod ad hæredem attinet, respondimus testatorem comparatione creditorum non posse eam remittere: secus vero comparatione legatariorum. Quod vero attinet ad tutorem, à iure est expressum, quando à testatore remitti possit. Huiusmodi autem remissiones licet prosint, vt interim dum illi, quibus rationem reddere tenentur, & quorum interest, id nō postulant, immunes à pœna sint, inuentarium non conficiendo, & insuper, vt dum id efflagitant, non teneantur illud efficere in ea forma & cum eo rigore, quo alioquin iuris dispositione illud efficere tenebantur: nihilominus immunes eos non reddunt, vt, efflagitantibus iis, quorum interest, descriptionem facere nō teneatur eorum bonorum, quorum reddere debent rationem, & vtralem eam faciant, quæ fidem in iudicio efficiat securosq; eos reddat, quorum interest: imo vero, si id tunc conficere renuat, suspectos seipsos de dolo reddent: accedenteque iudicis mandato, si non pareant, puniri possunt & debēt, iuxta ea quæ hactenus dicta sunt. Vtrum autem eiusmodi descriptio inuentarium appellanda sit, quæstio est de vocabulo, negandumq; non est, sæpe inuentarium nuncupari. Quoad reliquos vero, quibus in iure iniunctum non est, vt inuentarium efficiant, de quorum numero est vsufructuarius, locum non habet quæstio, vtrum remitti eis à testatore possit inuētarii confectio quoniam remissio supponit onus iniunctum. Atque de his omnibus vniuersim dico, in nullam incidere pœnam, si, interim dum id illi, quorum interest, nō efflagitant, descriptionem non conficiant: quando vero id illi efflagitant, idē dicēdum est, quod proxime de ijs est dictum, quibus inuentarii cōfectio, ad quam alioquin tenebantur, facta est remissio. Atque hoc forte est, quod Molina *locis citatis* voluit, licet non plene seipsum explicauerit, & quod Doctorum sententias, alioquin dissidentes, magna ex parte in concordiam reducit, & denique quod omnino cum praxi consentit, iuraque conciliat.

Decisio.

11 Hinc melius dissoluetur illa quæstio, an pater vsufructuarius in bonis aduentitiis filii, conficere teneatur eorum inuētarium, vt filio post patris mortem, aut cum in hoc Lusitaniæ & in Castellæ regnis factus fuerit sui iuris, restituantur. Communis Doctorum sententia negat, quam Pinel. *l. 1. p. 2. num. 21.* C. *de bonis mater.* refert, eamque colligunt Doctores ex *leg. cum oportet, §. non autem*, illis verbis, *neque rationem eis super administratione inferre.* Cod. *de iur. delib.* Si enim filius rationem administrationis eorū bonorum exigere non potest à patre, vtique neque pater inuentarium eorum tenetur conficere. Pinellus tamen *ibidem n. 23. & in authentic. nisi triennale. num. 6.* cum quibusdam aliis quos citat, affirmat, conficere teneri inuentarium: quoniam id nullum præiudicium affert patri, & quoniam licet filius de iure communi, interim dum pater viuit, non possit exigere à patre rationē administrationis, ea tamen bona reddenda sunt post mortem patri, quod vt fiat, necesse est redacta fiant in inuentarium. Nostra autem sententia est, in iure iniunctum non esse patri vt inuentarium conficiat, eo pacto quo hæredi & tutori id est iniunctum: nihilominus quando, vel ex partitione bonorum illius, cui talis filius succedit, vel aliunde non constat quæ bona aduentitia talis filij acceperit pater ad fruendum, in foro conscientiæ teneri patrem facere talem eorum descriptio-

Quæstio.

Decisio.

scriptionem, vt post mortem suam cõstet, quænam ea fuerint, vt filio tradantur. Et in foro exteriori ad id posse & debere compelli, filio id postulante, aut iudice ex suo officio id illi præcipiente. Atque hoc solum est, quod Pinellus *loco citato* voluisse videtur, in eumque modum illud intelligit, eiusque sententiam approbat Molina *lib.1.de primog.cap.15.n.33.* De iure tamen huius Lusitaniæ Regni *lib.1.ord.tit.67.§.6.* quando vxor ex hac vita discedit, remanentque filii minores pater intra duos menses à morte vxoris conficere tenetur inuentarium coram Tabellione iudicis orphanorum, accepto prius à iudice orphanorum iuramento: alioquin amittit vsumfructum eorum bonorum, inciditque in alias pœnas, vt disputatione præcedente dictum est. De inuentario tutoris paulo post dicetur.

12 Vtrum prælatus facere teneatur inuentarium de bonis suę Ecclesiæ. Multi, quos Couar. *c.1. de test. nu.9.* refert, affirmant: quoniam, inquiunt, æquiparatur tutori, qui inuentarium conficere tenetur de bonis pupilli. Panor. & alii, in quorum sententiam Couar. videtur propendere, negant: quoniam id nullibi in iure est cautum. Obserua tamen, in meliorem conseruationem rerum Ecclesiasticarum. *l.6.titu.2.lib.1.nouæ collect. in Regno Castellæ.* Prælatis & Abbatibus præcipi, vt coram Capitulo illud efficiant, cum primum in Episcopatum, aut Abbatiam præficiuntur, præscribiturque quarum rerum illud debeant efficere.

SVMMARIVM.

1 *Dum aliquis sub patria est potestate, nec tutor, nec curatur locum habet comparatione illius.*

2 *De iure communi supremus ascendens per lineam masculinam, qui fuerit superstes, habet sub sua potestate omnes suos descendentes, estque vsufructuarius in omnibus eorum bonis aduentitijs, illaque administrat.*

3 *De iure Lusitaniæ & Castellæ eo ipso quod aliquis vxorem ducit desinit esse sub patria potestate.*

4 *Tutor cui detur.*

5 *Cui detur curator.*

6 *In matrimonio filius maior quatuordecim annis potest sine curatoris aut patris consensu agere & respondere tam per se, quam per procuratorem, quem constituere valet: quid, si impubes sit & septimum annum excedat.*

7 *Curator ad certam causam aut rem dari potest.*

8 *Curator præcipue datur rebus minoris.*

9 *Curator datur furioso maiori viginti quinque annis.*

10 *Tutores testamentarij qui.*

11 *A quo dentur.*

12 *Filijs naturalibus potest pater ex testamento relinquere tutorem.*

13 *Filio emancipato tutor dari potest à patre.*

14 *Quid, si filius careat patre, eumque mater plusquam in legitima ipsi debita hæredem instituat, atque eidem tutorem relinquat.*

15 *Legitimus tutor quis.*

16 *De iure communi, quando impubes aliquis est emancipatus, supremus in linea masculina superstes est illius tutor.*

17 *Quid quando impuberi à patre tutor non est datus, aut tutor datus mortuus est ante patrem, vel post patrem, sed impubere nondum ad pubertatem deueniente.*

18 *Post matrem locum habet auus, & excludit ceteros tutores legitimos.*

19 *An deficientibus ascendentibus, collaterales, propinqui masculi, qui proximiores pupillo sunt in gradu, omnes sint tutores illius.*

20 *An patronus sit tutor legitimus comparatione pupilli liberti.*

21 *Diutius tutor quis dicatur.*

22 *Ad quem spectet dare pupillo tutorem.*

23 *Quid si mater, quæ succedere debet pupillo, intra annũ à morte patris tutorem illi non petat, pupilluſque ante pubertatem è vita discedat.*

24 *Quomodo detur curator.*

25 *Quid si is, cui tradendus est curator coniugatus sit, vxor illius, si ad id sit idonea, cæteris est præferenda.*

DE TVTORE ET CVRATORE, ET quotuplex vterque sit.

DISPVTATIO 220.

1 INterim dum aliquis sub patria est potestate defuncta sit mater, aut aliunde bona habeat aduentitia, neque tutor neque curator locum habet comparatione illius, vt patet *inst. de tutelis in prin. & l. vlt. in prin. C. de curat. furios.*: vbi habetur, etiamsi furiosus castrense habeat peculium, si tamen sub patria sit potestate, curatore non indigere, sed patrem administrare tunc etiam peculium illius Castrense.

2 De iure communi supremus ascendens per lineam masculinam, qui fuerit superstes, habet sub sua potestate omnes suos descendentes, nempe filios, nepotes, pronepotes, &c. estque vsufructuarius in omnibus eorum bonis aduentitiis, illaq; administrat. Proinde autem defuncto, si superstes sit auus per lineam masculinam, posteri illius per lineam etiam masculinam reincidunt in ipsius potestatem. Hoc etiam defuncto, pater superstes habet sub sua potestate omnes suos filios, estque similiter vsufructuarius atque administrator bonorum aduentitio rum talium filiorum.

3 De iure vero Lusitaniæ & Castellæ Regnorum: eo ipso, quod aliquis vxorem ducit, desinit esse sub patria potestate, eaque de causa soli filij comparatione patris dicuntur esse sub patria potestate, solusq; pater est vsufructuarius & administrator bonorum aduentitiorum eiusmodi filiorum, vt hęc omnia, cum de patria potestate fuerit sermo, ostendentur. Quamuis autem ordin. Lusitaniæ *lib.1.tit.67.§.6.& 31.* aperte dicant filios & nepotes per lineam masculinam esse sub potestate aui & auum esse vsufructuarium in ipsorum bonis. id tamẽ per inaduertentiam eorum, qui ordinationes tempore Regis Emmanuelis condiderunt, censetur scriptum, dum non attenderunt, dispositionem illam iuris communis locum non habere post legem illam aliam Lusitanam, qua coniugati exempti sunt à patria potestate, auoque viuente proprios filios sub sua habent potestate: quare dispositio illa nunquam fuit vsu recepta in hoc Regno, audioque in noua legum recognitione, quæ iussu Philippi Catholici Regis paratur, correctam eam esse. Hinc cõstat in hoc Regno, & in Regno Castellæ, statim mortuo patre qui filios minores reliquit, locum habere tutorem aut curatorem, esto auus paternus superstes sit. Quin & patre superstite locum habet tutor, si filius impubes sit emancipatus, vt habetur *inst. de fiduciaria tutel. §.1.* & aliis iuribus, quæ Glos. ibi citat.

4 Præter alia, hoc inter tutorem & curatorem est discrimẽ. Quod tutor datur tantum impuberi, hoc est masculo vsque ad quartumdecimum annum expletum, & fœminæ vsque ad duodecimum similiter expletum, vt habetur *inst. quibus mod. tutel. fin. atur, in princip. & §. nostra autem Maiestas.* Et datur ei, qui neque sub patria potestate sit, neque sit mancipium, vt patet *inst. de tutel. in princ. & §. est autem tutela, iuxta Glossa ibi in verbo libero, & leg.1. titul.6.p.1.6.* interim enim, dum quis est mancipium, plus iuris habet dominus in eo & in omnibus, quæ ad il-

ad illum ſpectant, quam pater habebat in ſuum filium familias. Si tamen controuerſia de libertate illius oriatur, atque impubes ſit, dari ei tutor poteſt: quia quoad hoc pro libero tũc habetur: lata autem ſententia, quod mancipium ſit, reputatur ac ſi nunquam tutor eſſet ei datus. Ita habetur *l. ſi qui ff. de tutorib. & curatoribus datis ab his, & l.* 1. C. *qui dare tutores poſſunt.* Lex tamen Caſtellæ citata valde videtur, in hoc euentu ſolum poſſe dari pupillo curatorem: veruntamen illud aliud ſonant iura citata. Præterea tutor datur impuberi, etiam inuito *l. nec non ff. de tutoribus, & curatorib.* Et datur principaliter perſonæ, quia tenetur curare educationem, atque inſtitutionem illius, tametſi neceſſe non ſit, vt in eadem domo habitet cum eo: ſecundario tamen datur etiam bonis illius, non comparatione vnius tantum rei aut negotij, ſed vniuerſim comparatione omnium. Hæc habentur *inſtit. de tutelis, §. eſt autem, iuncta Gloſ. ibi in verb. data, & §. tutores, item certæ inſtit. qui teſt. tutor dari poſſunt, & §. datus inſtit. de executionibus tuto. l. cum plures, §. cum tutor, ff. de adminiſt. tutor. l. certarum, duabus ſequentibus ff. de teſtamen. tutel. & l.* 1. *titu.* 16. *par.* 6. Si tamen detur tutor rerum omnium impuberis exiſtentium in aliqua prouincia: vt rerum exiſtentium in Africa, aut in Syria, valida eſt tutoris inſtitutio, vt ſubiungitur, *l. ſi tamen tutor, ff. de teſta. tutel.* & affirmat Gloſſ. *§. certæ, inſtit. qui teſt. tutor dari poſſit.* Hinc eſt quod tutores, quaſi tuitores atque defenſores impuberum dicantur, vt habetur *inſt. de tutel. §. tutores.*

5 *Curator cui datur.*

Curator vero datur minoribus cum iam puberes ſunt, hoc eſt, cum maſculi decimumquartũ annum compleuerunt, & fœminæ duodecimum: & datur illis vſque ad viceſimumquintum expletum, vt habetur *inſt. de curatoribus, in princip. & l.* 13 *tit.* 16. *part.* 6. Non tamen datur inuito, *§. item inuiti inſt. de cur. & l.* 3. *Caſtellæ citata*, vbi Gregor. Lopez cum Panorm. ait, *quod ſi curatorem ſuſcipiant, coguntur eſſe ſub illo vſque ad viceſimum quintum annum expletũ. Quando vero curatorem non habent, valent acta per illos, ſed ſi læſi ſint, reſtituuntur in integrum*, vt diſputat. 224. dicetur: atque hoc pacto intelligitur *l.* 1. *§. vlt. ff. de minoribus*, vt exponit Gloſſ. *§. item inuiti inſtitur. de curatoribus.* Quod ſi minor litem intentet, aut ab alio lis aduerſus eum intẽtetur, cogitur curatorem ad eam litem ſumere, vt habetur *§. item inuiti, & l.* 13. *citatis*, neque enim minor viginti quinque annis idoneus cenſetur, vt in eo fundari & ſubſiſtere poſſit iudicium ſine tutoris aut curatoris vel patris conſenſu *l.* 1. *&* 2. C. *qui legitim. perſ. ſtandi in iudicio habeant, iuncta l. vlt. in princ. verſ. neceſſitate per officium, & Gloſ. ibi.* C. *de bonis quæ liberis.*

6 Excipitur in cauſis ſpiritualibus, vt in matrimonio, beneficio, & aliis, nec non in cauſis de rebus annexis ſpiritualibus: in his enim maior quatuordecim annis, & fœmina duodecimum annum excedens, ſiue filiusfamilias ſit, ſiue non, poteſt ſine curatoris aut patris conſenſu agere & reſpondere tam per ſe, quam per curatorem quem conſtituere valet. Si vero impubes ſit, & ſeptimum annum excedat, licet per ſe ſolum neque agere neque reſpondere poſſit, poteſt tamen cum tutore aut cum curatore, quem ad eas cauſas dare ei poteſt Epiſcopus aut eius vicarius (& eadem ratione legatus, aut nuncius) poteſt etiam eas exercere per procuratorem, quem ipſe cum authoritate Epiſcopi aut Vicarij (vel legati, aut nuncij) poteſt conſtituere. Iudex etiam à ſede Apoſtolica delegatur, & ſubdelegatus ab hoc, poteſt ad cauſas duntaxat ita delegatas tradere illi curatorem, aut authoritatem ei conferre ad procuratorem eligendum. Hæc omnia habentur *c. vlt. de iudiciis lib.* 6.

7 Curator ad certam cauſam aut rem dari poteſt, vt habetur *§. item inuiti citato*, in quo à tutore differt. Obſerua tamen de iure huius Luſitaniæ Regni *lib.* 1. *ord. tit.* 67. §. 17. iudici orphanorum præcipi, vt intra menſem, à die quo minor orphanus remãſit, teneatur illi tradere tutorem aut curatorem, ẽtſi non petatur: videturque ſtatui, vt etiam inuitis, curator tradatur, vt ex ipſomet § patet, & ex antecedentibus & ſequentibus in eo titulo.

8 Curator præcipue datur rebus minoris, *l. in copulandu, C. de nuptiis*: minus autẽ præcipue perſonæ, vt ait Gloſſ. *§. certe inſt. qui teſt. tut. dari poſſunt*, eaque de cauſa curator irrita nõ poteſt reddere vota perſonalia minoris, ſicut tutor poteſt.

9 Curator præterea datur maiori viginti quinque annis, etiam inuito, ſi furioſus ſit, aut mente captus, vel prodigus, interim dum eiuſmodi affectus perſeuerant, *§. furioſi inſt. de curator. l.* 13. *titu.* 16. *part.* 6. *& lib.* 1. *ord. huius Regni titu.* 67. *à §.* 37. ſurdis itẽ & mutis, atque iis, qui perpetuo morbo laborant, quia rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt. *inſtit. loco citato*, præcipiuntur dari curatores. Quando item tutor pupilli legitime eſt impeditus, ita vt ad tempus curam habere non poſſit illius, datur pupillo curator ad tempus loco tutoris, vt habetur *§. interdum, & duobus ſequentibus inſt. de curatoribus & l.* 13. *citata.* Poteſt in eiſdem euentibus dari eis tutor, qui ſimiliter expiret ceſſante impedimento in alio. Et Gregor. Lopez *l.* 12. *citat.* cum aliis quos citat, ait conſultius eſſe ſi ita fiat. Cæteris maioribus viginti quinque annis nullus in Regno Caſtellæ, præter ſolũ Regem, poteſt concedere eis curatorem, vt habetur *l.* 14. *tit.* 5. *lib.* 2. *noua collect.*

10 *Tutores teſtamentarij.*

Tutorum, quidam dicuntur teſtamentarij, alij legitimi, & alij datiui. Teſtamentarij ſunt, qui ex teſtamento ab iis, qui ad id priuilegium à iure habẽt, relinquuntur, aut etiam ex codicillo, vt vtrumque habetur *l.* 3. *ff. de teſtam. tutel. iuncta Gloſſa ibi.* Atque hi, ſi conditiones ad id requiſitas habeant, cæteris omnibus præferuntur, etiam matri pupilli, vt habetur *in auth. matri & auiæ. C. quando mulier tutelæ officio, & in authen. de hæredibus ab inteſtato. §. ex his & inſtit. de legitima agnatorum tutela in princ.* Item non tenentur dare fideiuſſorem, vt cæteri tutores tenentur, *inſtit. de ſatisdatione tutor. §.* 1. *lib.* 1. *Ordin. Luſit. titu.* 67. §. 20. & aliis iuribus.

11 *A quo dari tur.*

De iure communi ſupremo aſcendentium per lineam maſculinam, vt proauo, aut auo, cõcedebatur relinquere deſcendẽtibus, quos in ſua poteſtate habebat, tutorem ex teſtamento, dummodo talis deſcendens recaſurus non eſſet in poteſtatem patris, aut aui ſuperſtitis: nam tunc locum non habebat tutor. Ita habetur *inſtit. de tutelis, § permiſſum eſt. & ſequentibus. & l.* 1. *ff. de teſtament. tutel.* De iure vero Luſitaniæ & Caſtellæ Regnorũ, quia ſolus pater in poteſtate ſua habet filios ſuos, ex aſcendentibus ſolus pater relinquere poteſt ex teſtamento tutorem filiis, ſi impuberes atque in ipſius ſint poteſtate, *inſt. de tutelis, §. permiſſum eſt, leg.* 1. *ff. de teſtament. tutel. & l.* 3. *titulo* 16. *par.* 6. & aliis iuribus. Poteſtque poſthumis etiam filiis tutorem ex teſtamento relinquere, *§. cum autem inſt. de tutel. l.* 1. *ff. de teſtam. tutel. & l.* 3. *citata.* Qui filiis & filiabus ſuis tutorem dedit, cenſetur etiam poſthumo & poſthumæ tutorem dediſſe: eo quod nomine filiorum poſthumi etiam comprehendantur. Qui liberis tutores de iure communi dabat, nepotibus etiam & pronepotibus tradidiſſe cenſebatur. Secus autem ſi filiis: nam filiorum nomine, nepotes non comprehenduntur. Qui vero poſthumis tutorem dabat, non ſolum filiis, ſed etiã cæteris inferioribus poſthumis dediſſe non dubitabatur, *§. ſiquis inſtit. qui teſtam. tut. dar. poſ.* Vbi notat Gloſſa, nomen filij etiam filias comprehendere, vt habetur *l. ſi ita ſcriptum in princ. ff. de le.* 2. *leg. ſiquis ita, ff. de teſtament. tutel.* concinunt etiam *l. qui duos, & leg. ſeruis legatis, ff. de leg.* 3. Filio etiam exhæredato poteſt pater dare tutorem ex teſtamento, *l. pater, ff. de teſtam. tutel. & l. de creationibus, Cod. de Epiſcop.*

scop.audi. Esto autem tutor filio à patre in minus solemni testamento detur, confirmandus est à iudice, neque satisdare tenetur *l. qui à patre ff. de confirmando tutore*, & affirmant Doctores communiter, quos sequitur Anton. Gom. *2. tom. variar. resol. c. 14. num. 16.*

12 Filijs etiam naturalibus, esto in ipsorum non sint potestate, potest pater ex testamento relinquere tutorem, si licite aliquid eis ex testamento relinquat, aut inter viuos, vel causa mortis licitè aliquid eis donauit. Talis tamen tutor confirmari à iudice debet sine satisdatione & inquisitione, an locuples sit. Ita habetur *l. vlt. C. de confirmando tutore, & l. 8. tit. 16. part. 6.* consentiunt *ord. Lusita. lib. 1. tit. 67. §. 21.* Quod si nihil illi relinquat, aut dederit, non potest ei dare tutorem *l. naturali in princ. ff. de confirm. tuto.*

13 Filio emancipato tutor dari potest à patre: est tamen confirmandus à iudice, sed sine satisdatione & inquisitione an locuples sit *l. 1. ff. de confi. tut. & §. vlt. inst. de tutel.* Idem est, si à patre filio in testamento inualido tutor relinquatur, vt habetur *leg. qui à patre, iuncta leg. 1. ff. de confirm. tutor*: quoniam approbatio & iudicium patris sufficit sequendumque est, *instit. de satisdatione tuto. §. 1. & l. de creationibus C. de Episcop. audien.*

14 Si filius careat patre, eumque mater pluspuam in legitima ipsi debita hæredem instituat, atque eidem tutorem relinquat, tenetur iudex eum approbare sine vlla satisdatione & inquisitione quoad id, in quo mater hæredem eum reliquit: atque in hoc euentu intelligenda sunt *l. mater C. de testam. tutel. & l. 6. titul. 16. part. 6.* quæ id disponunt. Quoad alia vero bona si filius ea habuerit, tenetur Iudex inquisitionem aliquam facere, an ille dines sit & idoneus, sed leuem, longeq; minorem, quam si filium hæredem non instituisset. Quod si solum in legitima illum instituat, vel legatum illi relinquat, atque tutorem eidem det, Iudex, antequam illum approbet, tenetur facere diligentem inquisitionem, an idoneus sit, compertoque idoneum esse, debet illum approbare, idque sine satisdatione, vt constat ex *l. 1. & 2. ff. de confir. tutor.* Quod si minus idoneum illum reperiat, eum non approbat, sed locum habet tutor legitimus, aut datiuus, de quibus postea erit sermo. Quia ergo, quando filius solum instituitur in legitima, non valet tutor à matre eidem datus, nisi post diligentem inquisitionem à iudice approbetur *l. peto §. mater ff. de l. 2.* ait matrem in eo euentu dare non potuisse tutorem, quem scilicet iudex approbare teneretur. Ibi namque fermo erat, quando mater filium hæredem instituit dato tutore, quem grauauit, vt si filius intra pupillarem ætatem discederet, re restitueret hæreditatem cuidam tertio: quod intelligendum est, quoad incrementum vitra legitimam, in quo non omnino filium hæredem instituebat. Hæc Gregor. Lopez *l. 6. citata* cum Bart. & aliis, quos citat.

Si quis extraneus pupillum aliquem hæredem instituat, qui alia bona non habeat, eidemque tutorem relinquat, tenetur iudex eum approbare sine vlla satisdatione & inquisitione, *leg. si patronus. ff. de confir. tuto. & l. 8. titulo 16. part. 6.* Hæc de testamentaria tutela.

15 Legitimus tutor est, qui lege est præscriptus, vt tutor existat: vnde à lege nomen accepit. Quemadmodum autem quando datur testamentarius tutor, legitimus locum non habet: ita neque datiuus habet locum, quando existit legitimus.

Legitimus tutor.

16 De iure communi quando impubes aliquis erat emancipatus, supremus in linea masculina superstes erat illius tutor, vt patet *inst. de legitima parentum tutela §. 1. & inst. de fiduciaria tutel. §. 1.* In Regno tamen Lusitano & Castellæ, sicut filii solum sunt in

17 potestate patris: ita ad solum patrem spectat eos emancipare, isque solum est eorum tutor.

* Quando impuberi à patre tutor non est datus, aut tutor datus mortuus est ante patrem, vel post patrem, sed impubere nondum ad pubertatem deueniente, locum habere incipiunt tutores legitimi, vt habetur *l. in testamento ff. de legitimis tutoribus.* Inter eos vero, cæteris omnibus præfertur mater: si tamen tutrix esse velit, (ad id namque non cogitur.) Prærerea coram iudice renuntiare prius debet secundis nuptiis, promittendo se non transfiturum ad alias nuptias, quin prius munus tutoris relinquat, & rationem præteritæ administrationis reddat. (Ante eam autem constitutionem iurabat se ad eas non transfituram: sed abrogatum est *auth. vt sine prohibitione matres §. quia vero multa.*) Insuper renunciare debet, tũ omni alij priuilegio, vt habetur in *auth. citato §. propterea igitur. & in ordinationibus Lusitanis loco citando*, tum etiam priuilegio Senatusconsulto Velleiano mulieribus concesso (de quo alio loco dicetur) idque prius quam tutelam suscipiat. Ita habetur in *authent. de hæredibus ab intestato §. ex his, & in authent. matri & auiæ, Cod. quando muli. tut. off. leg. 4. & 9. titul. 16. par. 6. & lib. 1. ordin. Lusitanarum. titul. 67. §. 21.* Quod si mulier ad secundas transeat nuptias, statim remouenda est à tutela. Ita habetur in *authen. sacramentum. C. quando mulier tut. off. & in authen. vt sine prohibitione §. propterea igitur, & l. 5. tit. 16. p. 6. & in ord. Lusitan. §. 22. citato.* Et bona mariti secundi hypothecata manent minori vna cum bonis matris, vt sancitum est *l. 1. C. quando mulier tutel. off. & in authen. de nuptiis § si autẽ tutela.* Quod si mulier post secundas nuptias in viduitatem reincidat, non admittetur ad tutelam eorundem filiorum, vt *ordinationibus Lusitanis lib. 1. tit. 67. §. 23* est sancitum. Speculator tamen à Greg. Lopez. *l. 5. ita ta, verb. sacar los mocos*, ait, si res sit integra, eo quod tutor filiis non sit datus, remouendam non esse à tutela si tamen alteri tutori, vel legitimo, vel datiuo tutela esset data, nõ esse iterum admittendam, cui sententiæ non repugnant, quin potius suffragantur Lusitaniæ ordinationes *loco citato.* An vero, si mulier non transeat ad secundas nuptias: attamen luxurioſe viuat, repellenda sit à tutela. Glossa *in authen. sacramentum citata* affirmat, aiq; Gregorius Lopez *leg. 5. citat. 1, verb. casando*, esse communiter approbatam, estque id hodie sancitum *lib. 1 ord. Lusitan. tit. 67. §. 22.* Hæc omnia, quæ de matre comparatione filiorum legitimorum dicta sunt, locum similiter habent comparatione filiorum naturalium, vt habetur *auth. ad hæc, & l. vltim. C. quando muli. titul. off.* Comparatione vero filiorum spuriorum, pater & mater tutores legitimi non sunt: possunt tamen esse datiui, si iudex tutores talium filiorum eos constituat.

Post matrem locum habet auia, & excludit 18 cæteros tutores legitimos, vt constat ex *authentic. de hæredibus ab intest. §. ex his*, illis verbis, *Nisi mater, aut auia fuerit: his enim solis secundum hæreditatis ordinem, & tutelam subire permittimus.* Vbi vides matrem pupilli præferri auiæ. Idem constat ex *authentic. matri & auiæ. C. quando mul. aut. off. ex l. 4. & 9. titu. 16. part. 6. & ex lib. 1. ordin. Lusitan. titu. 67. 22.* Et quæ de matre dicta sunt circa renuntiationem priuilegiorum, transitum ad secundas nuptias, aut si inhoneste viuat, similiter locum habent in auia, vt iuribus citatis constat. Quo loco obserua, de iure communi, si paternus auus superstes sit, ipsum habere nepotem in sua potestate ac proinde non habere tunc locum tutorem, nisi filius sit ab auo emancipatus: quo dato, auus ipse est tutor illius, vt supra dictum est. De iure vero Regni Castellæ, & consuetudine Lusitaniæ, mater auo paterno præfertur in tutela, vt dictum est, sed matre defuncta, iuxta ea quæ proxime dicenda sunt, cum omnes quatuor aui æque succedant in hæreditate nepoti, fintque in eodem gradu illi coniuncti, & sublata iam hodie sit differentia inter agnatos & cognatos, vt dicetur, omnes tutores

Iura Castel. & Lusit.

sunt

sunt comparatione illius: præponentur tamen masculi tanquam magis idonei, nisi eorum aliquis sit impeditus, & fortasse paternus auus præponetur materno, tametsi hoc mihi certum non sit, sed forte, qui pupillo fuerit magis idoneus, præferetur alteri, aut vterq; simul erit tutor, vt de collateralibus mox subijcio. A

79 Deficientibus ascendentibus, collaterales propinqui masculi, qui proximiores pupillo fuerint in gradu, siue agnati sint, hoc est, propinqui per lineam masculinam, siue cognati, id est, propinqui per lineam fœmineam, & siue sint vnus, siue multi (modo tamen idonei ad id sint, neque legitimam habeant excusationem) omnes sunt tutores illius. Quando tamen propter multitudinem expediens nō est, vt omnes bona pupilli administrent, conuenire coram iudice debent, vt vnus ex eis eligatur, vel plures, qui ea omnium loco administrent, & tutores sint: periculo tamen tutelæ omnes maneāt subiecti, bonaque omnium tacite manent hypothecata pupillo pro ea administratione. Ita habetur in *authentico de hæredibus ab intest. §. ex his autem, authentica, sicut, Cod. de legit. tutel. leg. si plures, ff. de legitimus tutoribus & l. 9. & 11. titulo 16. par. 6.* Vbi Gregorius Lopez ait, si tutores conueniant, quis aut qui administrare debeant illos esse eligendos, quod si expediens sit, vt vnus administret quædam bona, & alius alia, id etiam faciendum esse, si vero discordent, ad iudicem pertinere electionem. In cæteris consentiunt *Ordin. Lusitaniæ lib. 1. titulo 67. §. 22.* sed iudici iniungunt, vt ex propinquis proximiorib. in gradu cum pupillo, qui in eo loco fuerint, vbi pupillus habet sua bona, vnum eligat, quem ad id idoneiorem iudicauerit, atque eum cogat tutorem illius esse, & vt nunquam eum eligat, qui sufficientia bona non habeat ad satisfaciendum pupillo, dum extiterit alius, qui ad id sufficientia bona habeat. Item §. 26. subiūgitur, priuandum esse successione in bonis talis pupilli eum cōsanguineum propinquiorem in gradu, qui tutelam recusauerit: modo tamen pupillus ante pubertatem è vita discedat: secus autem si pubes factus moriatur. B C

80 Patronus etiam est tutor legitimus comparatione pupilli liberti: quoniam, vt disput. 160. ostensum est, illi succedit ab intestato. Excipitur, nisi patronus sit fœmina, aut minor viginti quinque annis, aut habet impedimentum aliud, quo minus tutor esse possit. Ita habetur *inst. de legitima patronorum tutela & ff. de legitimus tutoribus, l. 1. & sequentibus & l. 10. tit. 16. part. 6.* Intellige tamen patronum non præferri in tutela matri, aut auiæ, & multo minus auo materno, aut etiam paterno de iure Regni Castellæ, & cōsuetudine huius Lusitaniæ Regni, si liberi sint, vt ex parte asseritur & inuitur, *l. 10. citata.* Hi enim omnes, quēadmodum in successione, ita & tutela præferuntur cæteris legitimis tutoribus, non vero testamentariis. Si vero pater superstes esset, aut etiam auus, de iure communi, cūm puer sub ipsorum esset potestate, locum non haberet tutela. Hæc de legitimis tutoribus. D

81 Quando nullus est tutor testamentarius, vel non aduenit tempus, in quo incipere potest esse tutor, vt si ex certo die sit datus, aut sub conditione quę ad huc pendet, vel habet impedimentum: neque item est tutor legitimus, aut habet impedimentum, vel iustam excusationem (de quibus postea) vel omnino non vult, & esto mater aut auia superstites sint, nolunt tamen suscipere tutelam: tunc ad iudicem spectat eligere tutorem idoneum pupillo, eumque ad id, si opus fuerit, cogere: atque eiusmodi tutor, ita à iudice electus, appellatur in iure tutor datiuus, vt constat *institut. de Attiliano tutore per totum titulum, leg. 1. & sequentibus, ff. de tutor. & curat. datis ab his leg. 12. titul. 16. part. 6. & libro 1. Lusitan. Ordinat. tit. 67. §. 33.* E

Datiuus tutor.

Porro ad iudicem domicilij patris pupilli spectat tradere ei tutorem, esto pupillus absens sit. Itemque ad iudicem loci vnde pater trahit originem, aut filius natus est, si ibi pater tunc domicilium habebat: & quando loca hæc sunt diuersa, ad diuersasque pertinent iurisdictiones, tunc tutor, qui rite ab aliquo horum iudicum datus fuerit, præualet: quia est verus tutor, & interim dum aliquis vere est tutor, locum non habeat alius tutor, vt recte cum aliis notant Gregorius Lopez *leg. 12. cit. verb. de iure ono.* Hæc omnia patent ex *leg. vnica, iuncta glos. ibi. Cod. vbi petantur tutores, & leg. filios, & leg. origine. Cod. municipibus libro 10. ex leg. 1. ff. ad municipales,* vbi additur eum, qui ex incerto patre natus, à matre sortiri municipium, atque adeo locum originis matris esse spectandum, atque ex *l. 12. cit.* Vtrum autem iudex loci, in quo pupillus habet maiorem partem suarum facultatum, possit etiam illi tradere tutorem *l. vnica C. vbi petantur tutores,* affirmare videtur, idem affirmat *l. 12. Castella citata,* & concinit *l. pupillo ff. de tutori. & curatori. datis ab his,* quæ ait, si pupillus facultates habeat Romæ, & Prouincia: iudicem Romanum posse ei dare tutorem facultatum, quæ Romæ sunt, & iudicem prouinciæ posse ei dare alium facultatum, quæ sunt in prouincia. Bartol. tamen & alij, quos Gregorius Lopez *l. 12. citata verb. la maior parte de sus bienes* refert, negant, nisi ibi etiam habeat domicilium, atque in hac sententia videtur esse Anton. Gom. *2. tom. var. resolut. c. 14. num. 17* Sed Paulus Castrensis ait, eo ipso, quod quis in aliquo loco habet maiorem partem suorum honorū, censeri ibi etiam habere domicilium: potest autem quis habere domicilium simul in distinctis locis, vt patet *l. assumptio, §. penultim. ff. ad municip.* Fortasse Lusitana lex *lib. 1. Ordinat. titulo 67. §. 28.* nō repugnat. Etenim quamuis statuat, vt si pupillus in alio loco habeat aliqua bona, iudex domicilij pupilli, aut vnde habuit originem, qui illi tutorem tradidit, iudicem illius alterius loci ex parte Regis admoneat, vt curatorem det ibi illis bonis, iuxta Barto li opinionem, non tamen loquitur quando ibi haberet maiorem partem suorum bonorum, vt patet ex illo verbo *Algunos bens.* 82

Si mater, aut quicunque alius, qui succedere debet pupillo, intra annum à morte patris tutorem illi non petat, pupillusque ante pubertatem è vita discedat, amittit omnem hæreditatem, quam ab intestato aut ex substitutione per mortem talis pupilli obtinere debebat. Ita habetur *l. fœtant, Cod. de legitimis hæredibus, l. matris, l. cum à matribus. & l. matres C. qui petant tutores, l. 1. & 2. ff. eod. tit. l. 2. §. si mater, ff. ad Tertul. & l. 12. tit. 16. part. 6.* Curatorem tamen petere non tenentur puberi, sed solum pupillo, quando tutor est impeditus *l. 1. & 2. ff. qui petant tutores, iuncta l. curator, & l. in omnem ff. de tutoribus & curat. datis ab his, & l. matris, C. qui petāt tutores.* Leges tamen hæ penales sunt eaque de causa non obligant, nisi post latam sententiam. Quando propinqui tutorem non petunt pupillo, vicini & amici & quiuis alius de populo potest illi petere tutorem *l. 1. ff. qui petant tutores, & l. 12. tit. 16. p. 6.* Imo & iudex nullo petente debet ex officio suo tutorem illi dare. 83

Curator non datur ex testamento, sicut datur tutor. Ratio videtur esse, quia curator, vt supra dictum est, non datur inuito. Si tamen curator detur testamento ab iis, qui tutorem possunt dare, iudex debet illum confirmare. Hæc omnia habentur *inst. de curatoribus, §. 1. & leg. 16. part. 6. vbi Gregorius Lopez* disputat, an quando à patre relictus est curator filio, ita confirmandus sit à iudice, vt filius teneatur illum suscipere, etiam inuitus. Et quamuis Baldus neget, alij affirmant, quos refert & sequitur Greg. Lopez ibi, fauetque lex illa. Atque hi Doctores intelligunt, curatorem datiuum non debere dari puberi inuito, secus autem de testamentario. De iure vero 84

Curator quis.

vero Lusitano, puberi, vsque ad vigesimumquintum annum expletum dari debet curator, etiamsi ille repugnet & inuitus sit. Eaque omnia, quæ de tutore testamentario, legitimo, & datiuo dicta sunt, similiter habent locum in curatore. neq; curator testamentarius satisdare tenetur. Ita dispositum est *lib. Ordinationum titulo 67. §. 1. 17. 20. 21. 22. & sequentibus, & §. 86.*

Mente captis, prodigis, & aliis, de quibus supra dictum est, non solum si puberes sint, qui vigesimumquintum annum non excedant, sed etiamsi illum superẽt, etiam inuitis, traditur curator, vt supra dictum est: neque locum habet curator datiuus, si ad sit idoneus legitimus. Quod si talis, cui tradendus sit curator, coniugatus sit, vxor illius, si ad id sit idonea, cæteris est præferenda. Alioquin pater præfertur cæteris omnibus: & post patrem, auus; post hos, filius, si vigesimumquintum annum expleuit: alioquin frater, qui non solum prædictę ætatis sit, sed etiam seorsum in propria domo viuat: alioquin propinquus masculus proximior in gradu: atque in propinquorum defectum, locum habet curator datiuus. Ita habetur *lib. 1. Ord. tit. 67. à §. 37.* vbi alia, quæ ad hoc spectant, disponuntur. Consonant *§. furiosi, iuncta gl. ibi inst. de curatoribus, & l. de creationibus C. de Episcopal. audi.* vbi dicitur, si pater furioso curatorẽ reliquerit, illum esse præferẽdum cæteris. Id tamen non impedit, quod si talis filius in Lusitania, aut Castella per matrimonium erat emancipatus, vxor ad id idonea non sit cæteris præferenda. In eadem lege additur, post curatorem testamentarium locum habere legitimum, hoc est, consanguineum proximiorem in gradu, & deficiente legitimo, adhibendum esse curatorem datiuum. Quæ omnia disponentur, etiam *l. vltima §. sed cum antiquitas, C. de curatore furiosi.*

SVMMARIVM.

1 *An seruus possit esse tutor aut curator.*
2 *Mulier tutor esse non potest.*
3 *Mutus tutor esse non potest, neque etiam surdus.*
4 *Qui compos sui non est, aut minor vigintiquinque annis tutores esse non possunt.*
5 *Prodigus nec tutor, nec curator esse potest.*
6 *Vtrum mater, quæ minor fuerit vigintiquinque annis tutor esse possit filiorum.*
7 *Infamis tutor aut curator esse non potest.*
8 *Religiosus tutor aut curator esse non potest.*
9 *An Episcopus tutor aut curator esse possit.*
10 *Clerici in sacris ordinibus constituti tutores & curatores esse non possunt testamentaria aut datiua tutela, legitima vero possunt.*
11 *Qui minori debet aut etiam furioso, tutor vel curator illius esse non potest.*
12 *Quod si, postquam aliquis tutor aut curator, debitor aut creditor efficiatur minoris, tunc debet ei adiungi alius tutor aut curator, & ita perseuerabit tutor aut curator cum hoc alio adiuncto.*
13 *Quid si is curator aut tutor esse debet, se excusset, affirmando se debitorem aut creditorem talis minoris.*
14 *Regi obligatus tutor esse non potest, neque etiam curator.*
15 *An miles arma gestans tutor esse possit.*
16 *Qui postquam pater tutorem illum dedit, graues inimicitias cum patre exercuit, nec reconciliati inter se fuerunt, in tutorem non est admittendus.*
17 *Maritus curator esse non potest proprię vxoris minoris.*
18 *Qui morbo perpetuo laborat, nec tutor, nec curator esse potest.*

A

QVI TVTORES ET CVRATORES esse non possint.

DISPVTATIO 221.

SEruus esse non potest tutor neque curator, etiamsi ex testamento tutor relinquatur, nisi forte sub conditione relinqueretur, si ad libertatem deueniret: tunc enim impleta conditione tutor esse posset: institutus qui testamento tuto. dari possint, §. *seruus autem, & lib. 1. ordin. Lusit. titu. 67. §. 20.* Quod si quis proprium seruum tutorem testamento relinqueret, eo ipso censeretur libertatẽ illi donare. Nisi per errorem, credens illum non esse suum mancipium, tutorem eum relinqueret: tunc enim neque B libertatem consequeretur, neque tutor esse posset: tametsi nunquam error in eo euentu sit præsumendus, nisi de eo aperte constet. Hæc dicta ex parte à nobis sunt disp. 154. & habentur *§. sed & seruus instit. qui test. tut. dar. possunt. l. quaro §. Lucius. ff. de test. tut. l. 1. in princ. C. de necessar. seru. haered. instit. & l. 7. titul. 16. part. 6.* Si tamen seruus ita à domino in tutorem datus minor sit viginti quinque annis, cõsequitur quidem libertatem hæreditate adita, sed non incipit esse tutor, nisi cum fuerit vigintiquinq; annorum, vt habetur *l. Lucius, & l. 7. citatus.* 1

Mulier tutor esse non potest. *l. tutelæ, & l. vlt. ff. de tutel. Iuxta nostro, ff. de testamentar tutel. lib. 1. C. quando mul. tuto. offi. & l. 4. tit. 16. part. 6.* Excipiuntur mater C & auia, vt disp. præced. dictum est. 2

Mutus tutor esse non potest, neque etiam surdus, *l. 1. §. vlt. & l. vlt. ff. de tutel. l. vlt. §. vlt. ff. de legit. tutor. l. 4. tit. 16. par. 6.* Intelligendum tñ est, de surdo qui omnino non audit: secus de eo qui difficile audit, vt notant Gloss. *leg. 1. citata*, & Gregor. Lopez *vbi supra.* Idem est de cæco qui omnino visu est priuatus, *l. luminibus C. qui dare tutores possunt l. 1. C. qui morbo se excus. lib. 10. & l. 14. titul. 16. part. 6.* Atque omnia hoc §. dicta cõfirmantur *l. vnica, C. qui morb. se excus.* Quod si aliquod ex his impedimentis superueniat, remouet tutorem ab officio, vt habetur *l. post susceptam ff. de excusationibus tutorum*, vbi etiam commemoratur cæcitas superueniens: quæ maiori cum ratione, si à principio adfuisset, impediret susceptionem tutelæ. Intelligendum tamẽ est de omnimoda vtriusque oculi cæcitate, vt Glos. ibi ait. 3 D

Qui compos sui non est, aut minor vigintiquinque annis, etiamsi ex testamento tutores dati sint, tutores esse non possunt. Quando tamen furiosus ad mentem sanam redierit, aut minor ad perfectam ætatem deuenerit, si testamento tutores dati sunt, incipere debent exercere munus ipsis iniunctum. *§. furiosus inst. qui testa. tutor. dar. poss. l. furiosus. ff. de tutel. l. si hæreditas. §. si furiosus, & l. quaro, §. Lucius. ff. de testa. tutel.* 4

Quod de furioso dictum est, dicendum similiter est de prodigo: cum enim ei curator dandus sit, vt disputatione precedente dictum est, vtique interim dum prodigus fuerit, neque vt tutor, neque vt cura E tor administrare poterit res aliorum: furioso namque in factis suis æquiparatur. *l. hi qui & diuus Pius, ff. de tutoribus & curatoribus.* Vnde *l. 4. titu. 16. part. 6. & lib. 1. Lusitanor. tit. 67. §. 20.* expresse sancitum est, vt nec tutor nec curator esse possit. Idem dic de cæteris, de quibus disputatione præcedente dictum est, dandum illi esse curatorem post vigesimumquintum annum expletum. 5

Vtrum vero mater, quæ minor fuerit vigintiquinque annis tutrix esse possit filiorum. Non video textum, qui id definiat. Gregor. Lopez *l. 4. citata verb. madre.* remittit ad dicta Bart. Suspicor tamen tam in hoc quam in Castellæ Regnis consuetudinem esse, vt ad tutelam admittantur; & Montorroso *in practica fol. 169. pag. 1.* affirmat admitti, etiamsi 6 Dubium.

iamsi miniores sint viginti annis. Vtrum vero curatrix esse possit mariti insani aut prodigi, lex Lusitana, *lib. 1. t. 1. 67. §. 38.* solum disponit, tradendam vxori esse curam, si honeste viuat, & ad id sufficienti iudicio polleat.

7 Item qui infamis est, tutor aut curator esse non potest, vt habetur *lib. 1. Lusit. ord. tit. 67. §. 20.* Lex autem, 4. *Castellæ citata* ait, eum, qui malis moribus est affectus, tutorem aut curatorem esse non posse, id quod forte accuratius explicat *l. suspectum, ff. de suspecto tutore*, quæ sic habet. *Suspectum tutorem eum putamus, qui morib. talis est, vt suspectus sit* (intellige, ad id muneris.) Vnde subiungitur. *Si tutor fidelis sit, quamuis sit pauper, ea de causa non esse removendum à tutela.* Lex autem *tutor. §. si autem ipse, ff. eod. tit.* statuit eum, qui in vna tutela male se gessit, suspectum esse vt B administret aliam, ac proinde ab ea repellendum, aut non admittendum.

8 Religiosus tutor aut curator esse non potest, *authen. de sanctiss. Episcop. §. Deo autem amabiles, auth. presbyteros, 3. C. de Episcopis, & cleri. l. 14. tit. 16. part. 6. & lib. 1. Lusit. ord. tit. 67. §. 20.* consentiunt, *ca. monachi. 2. 16. quæst. 1. & c. vnicum de Syndico.* Nec est audienda *glos. cap. vlt. 86. dist.* quę cum primo cõsentiat, postea subiungit, per illud caput corrigi authentica citata, quasi monachus, aut Episcopus suscipere possit, si non testamentariam, aut datiuam, certe legitimam tutelam eo modo, quo de clericis statim dicemus.

9 Episcopus etiam tutor aut curator esse non potest, nisi miserabilium personarum, quarum bona perirent, nisi ipse succurreret, *authenticus, & l. 14. citatis, iuncto c. vlt. 86. d.* C

10 Clerici in sacris ordinibus constituti tutores & curatores esse non possunt testamentaria aut datiua tutela: legitima vero, quando proximiores sunt in gradu pupillo esse possunt, sed non tenentur. Ita habetur *auth. de sanctiss. Episcop. §. Deo autem amabiles, authen. presbyteros 3. C. de Episcopis, & cler. & l. 14. tit. 16. p. 6. Cap.* autẽ *vlt. 88. d. loquitur* de testamẽtaria aut datiua tutela. Intra quatuor autem mẽses à morte parentis pupilli accedere debent ad iudicem, & significare velle eam tutelam suscipere, vt habetur *auth. & l. 14. cit.* Fas etiam est clericis tutores aut curatores esse miserabilium personarum in euentu, in quo dictum est id licere Episcopis, vt habetur D *c. vlt. 86. d. & c. 1. 88. dist.*

11 Qui minori debet, aut etiam furioso, mente capto aut prodigo, tutor vel curator illius esse non potest. Idem est de eo, cui minor aliquid debet. Ita habetur in *auth. minores. C. qui dare tutores poss.* & copiosius in *auth. vbi qui obligatus se habere, in princ. & §. 1. & sequentib. & l. 14. titul. 16. part. 6.* Vtrum autem hæc iura locum habeant quando debitum est paruæ quantitatis. Gloss. ibi affirmant locum non habere, idem censent Bartol. & alij quos Gregor. Lopez. *l. 14. citata* refert ac sequitur, *argumento text. in l. si quis in pignore §. sed & si quis ff. de pig. action. l. non tantum in princ. ff. de execut. tuto.* & aliorum iurium. Quæ autem quantitas parua censenda sit, iudicis arbitrio, spectatis circumstantiis concurrentibus, est E iudicandum. Baldus censet hoc limitandum, nisi debitum esset controuersum, liue esset intentata: nam tunc, esto quantitas esset parua, admittendus non esset ad tutelam. Quamuis autem debitum magnæ sit quantitatis, mater, & auia, à tutela & cura filiorum & nepotum non repelluntur, vt expresse habetur in *authen. ad hæc, C. quando mulier tut.* & affirmant *glo. cit.* Idem erit de patre, & de auis tam paterno, quam materno, vt Gregorius Lopez *loco citato* ait Doctores communiter affirmare, quod si filius tutoris, aut curatoris debitor aut creditor esset comparatione minoris, & pater vsumfructum haberet in bonis talis filij, non admitteretur ad tutelam aut curam: secus autem si vsufructuarius non esset, vt cum Angelo, Gregor. Lopez. *loco citato* re-

cte affirmat. Vtrum autem prædicta locum habeant, etiam in testamentario tutore, an solum in legitimo & datiuo. Speculator, & plerique alij asserunt locum non habere in testamẽtario tutore eo quod fides illius & diligentia à testatore probata sit, ideoque à satisdatione excusatur, vt habetur *inst. de satisdatione tuto. §. 1.* & aliis iuribus dispu. præcedente citatis, atque hoc ipsum sancitũ est in Regno Castellæ *leg. 14. citata.* Id tamen Barto. & alij, quos ibidem Greg. Lopez. refert ac sequitur, limitandum censet, vt solum procedat, quando testator sciens eum, quem testamento tutorem aut curatorem reliquit, creditorem aut debitorem esse comparatione talis minoris, illum reliquit: secus autem quando id ignorabat. Quamuis vero multi voluerint eiusmodi scientiam patris constare debere ex verbis sui testamenti, Greg. tamẽ Lopez. cum alijs, quos refert, merito arbitratur, satis esse, si aliunde sufficienter id constet: crederem tamen, quando non sufficienter constaret, præsumendum esse patrem id ignorasse. Glossæ vero Accursij in vtroque authentico censent, etiam testamentarium tutorem & curatorem esse repellendum, si debitor aut creditor sit minoris. Quoniam, inquiunt, dispositio horum authenticorum facta est post iura, quibus innituntur Doctores contrariæ opinionis, iuraque illa solum disponunt, vt in testamentario tutore non requiratur satisdatio, nihil vero de re proposita disponunt. Et quoniam auth. sed hæc citata, solum excipit matrõ & auiam, vt dictum est. Forte in hoc Lusitaniæ Regno stabitur huic opinioni glossarũ, quæ authenticis est consona & communiter non reprobatur.

12 Quod si postquam aliquis tutor est aut curator, debitor aut creditor efficiatur minoris, quia videlicet succedit in hæreditate debitoris aut creditoris minoris, vel aliqua alia ratione, tunc debet ei adiungi alius tutor aut curator, & ita perseuerabit tutor aut curator cum hoc alio adiuncto. Ita habetur in *authentica citata.* Si tamen efficeretur debitor minoris, quia male aliquid administrasset, aut quia de suo aliquid soluisset loco minoris, tunc non daretur ei coadiutor: vt Glos. *authentica minoris verbo creditor* affirmat.

13 Quod si is, qui tutor aut curator esse debet, se excuset, affirmando se debitorem aut creditorem esse talis minoris, non continuo fides ei adhibetur vt à munere suscipiendo excusetur, sed tenetur id probare, aut iuramento id coram iudice affirmare, quando probatio alia pro, aut contra, non occurrit. Si vero à principio taceat, munusque suscipiat, amittit in pœnam debitum, quo minor illi tenebatur. Si autem ipse minori erat astrictus, non admittitur solutio alia, quam reddẽdo minori illud idem quod ei debebat. Item interim dum tutelam aut curam habet, non potest recipere cessionem, quæ in ipsum fiat, debiti alicuius, quo minor aliqui teneatur, alioquin, & ipse amittit cessionem & ei, qui cessit, non relinquitur ius ad recuperandum suum debitum. Hęc omnia habentur *duobus authentus citatis*: cum vero pœnæ sint, locum in foro conscientiæ ante latam sententiam non habent.

14 Qui Regi est obligatus, quod prædia, vel alios illius reditus conductos habeat, ita vt bona ipsius Regi tacite sint obligata, esse non potest tutor, aut curator *leg. vel cum fisco, ff. de confirmando tut. leg. vltima Codice qui dare tutor. poss. & leg. 14. titulo 16. part. 6.* Neque repugnat, *lex coloni. Codice de excusationibus tutor.* quæ ait, conductores prædii ad fiscum pertinentis non excusari à tutela: quoniam intelligitur, quando non remaneret obligatus fisco: alioquin contradiceret *leg. vel cum fisco citatæ.* Lege glossas iuribus citatis, & Gregorium Lopez, vbi supra.

15 Miles qui arma gestat, atque in militia est occupatus, tutor esse non potest, etiamsi velit, *institut. de excusa-*

excusationibus tuto. §. item in milite, leg. militiæ, C. *qui dare tuto. possunt. & l. 14. citata.* Additur *l. militiæ citata*, si tutelam administret, non teneri actione tutelæ, sed solum negotiorum gestorum.

16 Qui, postquam pater tutorem illum dedit, graues inimicitias cum patre exercuit, nec reconciliati inter se fuerunt, in tutorem non est admittendus, *l. in confirmando ff. de confir. tutor. Ordinationes Lusitaniæ lib. 1. titu. 67. §. 20.* addunt, neque eum, qui minori est inimicus.

17 Item maritus curator esse non potest propriæ vxoris minoris §. *iidem rescripserunt, iuncta Glos. ibi. instit. de excus. tuto. l. maritus*, C. *qui dare tutor. poss. l. 3. tit. 17. p. 6.* & aliis iuribus. Hęc tamen hodie locũ non habent in hoc & Castellæ Regno. Tum quia vxores per matrimonium manent emancipatæ, atque sui iuris, vt curatore non indigeant. Tum etiam, quoniam quando in vtroque Regno contrahunt, contractu arrhatum & dotis, maritus habet administrationem omnium vniuersim bonorum vtriusque coniugis, & quando in hoc Regno contrahunt cõtractu medietatis, omnia vniuersim bona efficiuntur communia, & solus maritus est administrator.

18 Qui morbo perpetuo laborat, ita vt recte administrare non possit bona minoris, aut quocunque alio simili perpetuo impedimento est impeditus, nec tutor nec curator esse potest, §. *itẽ propter aduersam, inst. de excus. tuto. l. vnica*, C. *qui morbo se excus. & apertius, l. 14. tit. 16. p. 6. & lib. 1. Ord. Lusitanarum titu. 67. §. 20.* Disputatione sequenti adiicientur alii, qui de iure huius Regni tutores & curatores esse non possunt.

SVMMARIVM.

1 *Qui habet quinque filios excusatur à suscipienda tutela aut cura minoris.*

2 *Qui res administrat regis, tabellarij, & ministri iustitiæ à tutela & cura minorum excusantur.*

3 *Qui Reipublicæ causa absunt, à cura & tutela excusantur.*

4 *Quondam tutor aut curator propter litem, quam cum minore habebat, non poterat excusari à tutela, vel cura, nisi ea esset de bonis omnibus minoris, aut de maiori illorum parte.*

5 *Si quis habeat tres tabulas quæ onerosæ sint, & non idcirco leues, quia faciles, vel quia aliqua earum intra semestre finitur, excusatur à quarta, nisi illas affectasset.*

6 *Propter paupertatem excusatur quis à tutela & cura alterius.*

7 *Qui ita in morbo laborat, vt commode sua bona curare nõ possit, à tutela & cura excusatur interim dum morbo laborat.*

8 *Qui nec scribere, nec legere scit, excusatur à tutela & cura.*

9 *Quid, quando capitales inimicitiæ fuerunt inter tutorem aut curatorem & patrem minoris.*

10 *Qui excedit 70. annum potest se excusare à tutela & cura aliorum: qui vero ad 25. annum non peruenit, ad eam non potest admitti.*

11 *De iure Castellæ nobilis in curia regis degens excusare se potest à tutela & cura.*

12 *In Lusitania nobilis ex genere excusatur à tutela & cura.*

13 *Excusari possunt à tutela & cura qui docent Grammaticam, Rethoricam, Dialecticam.*

14 *De iure Lusitano Doctores in iure ciuili, aut canonico vel medicinæ, modo creati sint in vniuersitate aliqua habito examine, nullatenus admittuntur ad curam & tutelam.*

15 *Quid, quando aliquis in eodem regno priuilegio excusatur à tutela.*

16 *In Castella reuocantur omnes exemptiones concessæ & concedendæ iis, quos in regno Pecheros vocant, vt tutores aut curatores non sint, cum quibuscunque clausulis fuissent concessæ, aut de nouo concederentur.*

17 *Quid si datus in tutorem aut curatorem, siue testamentarius, siue legitimus aut datiuus sit, excusationem, quam opponat, habet.*

QVI A MVNERE TVTORIS ET CVratoris excusentur.

DISPVTATIO 222.

QVi habet quinque filios, esto aliquis eorum emancipatus sit, excusatur à suscipienda tutela aut cura minoris. Filij tamen debent esse omnes legitimi, & non sufficit si sint naturales, aut adoptiui. Qui tamen adoptiuus est, computatur in numero filiorum patris naturalis, vt ipsum excuset. Debent etiam omnes esse iam nati & superstites, nisi aliquis in acie pugnando cum hostibus interfectus sit: nam hic per gloriam viuere reputatur vt patrem excuset, *instit. de excus. tuto in princ. l. 2. de vacatione munerum l. 2. §. remittitur iuncta l. bello amissi, ff. eodem titu. 17. part. 6. & lib. 1. ord. Lusit. anarum titul. 67. §. 31.* Ordinationes eædem sufficere dicunt, si miles in expeditione moriatur: de iure tamen communi & Regni Castellæ necesse est, vt pugnando cum hostibus moriatur vt patet *l. bello amissi, & instit. locis citatis.* de iure communi auus, qui inter filios, & nepotes seu neptes filiorum masculorum iam defunctorum, haberet quinque liberos (omnibus nepotibus & neptibus cuiusque filij defuncti computatis pro vno tantum libero) excusatur à tutela. Ita habetur *inst. de excus. tuto. § item nepotes & l. 2. § remittuntur, ff. eodem titu.* Idem velle videntur *Lusit. Ord. §. 31. citato.* rem hanc aliquantulum extendẽdo: id tamen per inaduertentiam videtur statutum, quasi de iure Lusitano nepotes per mortem patris, imo & matris, reincidarent in potestatem aui, etiam materni, eo pacto quo alia in eod. titul. diximus supra per incuriam esse dicta, quæ vsu recepta non sunt. 1

Qui res administrat regis, esto ad fiscum ipsius, pertineant (in his computant Lusitanæ ordinationes: *vedeores ad fazenda, tisoureiros contadores, almoxarifes, rendeiros, escriuaens dos diros officios*) item Tabellarij Regis, & ministri iustitiæ (in his eædem ordinationes computant *desembargadores, ouidores, procuradores dos feiros, ou da iustiça del Rei*, & ministros omnes deputatos, vt ante hos & ante paulo commemoratos inseruiant, videlicet, *procuradores, escriuaens, porteiros, carcereiros*, computant etiam *meirões, e vereadores*, cuiuscunque ciuitatis, aut oppidi) hi omnes à tutela, & cura minorum excusantur *inst. de excus. tuto. §. item diuus, & §. qui potestatem, l. athleta in princ. l. non tantum. §. sane, & l. administrantes in princ. ff. eod. tit. l. 2. tit. 17. part. 6. & lib. 1. Lusit. Ord. tit. 67. §. 13.* Iudices tamen (& *vereadores* in hoc Regno) licet excusentur à tutela de nouo suscipienda, non tamen à tam antea suscepta, §. *& qui potestatem, §. sane l. administrantes, l. 2 & §. 32. citatis.* Qui tamen mitteretur vtvsque ad principis beneplacitum iudex esset in diuerso loco ab eo, in quo habet tutelam aut curam censetur in perpetuum mitti, eo quod certum tempus illi non præscribatur, eaque de causa excusaretur omnino à tutela iam suscepta, *l. iurisperitos in pri. ff. de excus. tuto. & lib. 1. Lusit. ord. tit 67 §. 32.* 2

Qui Reipublicæ causa absunt, in hoc sensu à tutela & cura excusantur, quod interim constituitur alius, qui curam gerat. Quando tamen redierint, tenentur iterum tutelam aut curam statim suscipere. Per 3

re. Per annum tamen excusantur, ne aliàm de nouo suscipiant, nisi ipsi propria sponte voluerint, §. *item qui Respublica, instit. de excus. tut. l. non solum, ff. eod. tit. & l. 2. tit. 17. p. 6.*

4 Quondam, vt habetur *instit. de excusat. tutor.* §. *item propter litem, & ff. eodem tit. l. propter litem, & l. 2. tit. 17. p. 6.* tutor aut curator propter litem, quam cum minore haberet, non poterat excusari à tutela, vel cura, nisi ea esset de omnibus bonis minoris, aut de maiori illorum parte: hodie tamen quid de iure authenticorum sit dicendum, disputatione præcedente est explicatum.

5 Si quis habeat tres tutelas, quæ onerosæ sint, & non idcirco leues, quia faciles, vel quia aliqua earum intra semestre finitur, excusatur à quarta, nisi illas affectasset: nam tunc à quarta, non excusaretur. Finita autem aliqua trium, non excusatur à noua suscipienda. Porro numerus tutelarum non attenditur penes numerum pupillorum, quorum est tutor: si enim multi pupilli indiuisum habeant patrimonium, eo quod sint fratres, vel alia de causa, vnica illorum omnium cēsetur esse tutela. Hæc habentur *instit. de excusat. tutorum*, §. *item tria, iuncta glos. ibi. l. tria onera, l. non tantum, in princ. l. si is qui*, §. *vlt. ff. eadem tit. & l. 2. tit. 17. par. 6.*

6 Item propter paupertatem excusatur quis à tutela & cura alterius, si tota sua industria ac tempore indigeat ad seipsum competenter sustentandum. §. *sed & propter paupertatem, instit. de excusat. tutorum, & l. 2. tit. 17. par. 6.* Quin de iure Lusitano propter paupertatem excluditur quis à tutela, *lib. 1. ord. tit. 67. §. 20.*

7 Qui ita morbo laborat, vt commode sua bona curare non possit, à tutela & cura excusatur interim dum morbo laborat. Ita habetur *lib. 1. Lusit. ord. tit. 67. §. 34. l. 2. tit. 17. par. 6. §. item propter aduersam, instit. de excus. tutor.* & alibi suribus. Quando autem morbus excludat omnino, dictum est in calce disputationis præcedentis.

8 Qui neque scribere neque legere scit, excusatur à tutela, & cura, nisi adeo solers sit, vt nihilominus rationem illius sufficienter reddere possit, *l. 2. cit. l. athletæ*, §. *vlt. ff. de excus. tutor. & §. similiter eum, instit. eodem tit. iuncta glos. ibi.*

9 Quando capitales inimicitiæ fuerunt inter tutorem aut curatorem, & parrem minoris, vt quia alter alteri pœnam sanguinis accusatione intentauit, aut deiectionis ab statu, vel notabilis infamiæ, vel vitæ illius insidiatus est, distinguendum est. Quoniam vel ante mortem patris minoris redierunt in amicitiam, & tunc neque locum habet exclusio à tutela vel cura, neque admittitur ex eo capite excusatio: vel non redierunt, & tunc, aut post patris testamentum conditum, in quo tutor relictus est, fuerunt tales inimicitiæ, & excluditur tutor à tutela, vt disputatione præcedente dictum est, neque ad datiuam aut legitimam est admittendus, quando, spectatis circumstantiis concurrentibus, timendum est, ne odio parentis damnum aliquod minori inferat. Quando vero, vel tutela præsumitur testamento relicta in odium tutoris, vt debito & negotiis tutor implicetur: vel propter malum, quod pater minoris intentauit aduersus tutorem aut curatorem, indignus effectus est, vt hic curam filiorum illius suscipiat, quia vel capitales inimicitias cum hoc exercuit, vel hunc in seruitutem redigere est conatus, conceditur huic, vt, si velit, à tutela & cura se excuset: non tamen est ab ea excludendus. Atque hoc modo in concordiam reducenda sunt varia iura, de quorum numero sunt, *instit. de excusat. tutor.* §. *item propter inimicitias*, §. *inimicitiæ, & §. item is, l. athletæ*, §. *dat remissionem, ff. eodem titulo, l. 2. titulo 17. par. 6. & §. 20. titulo 67. lib. 1. Lusitan. ordin.*

10 Qui excedit septuagesimum annum, potest se excusare à tutelâ & cura aliorum. Qui vero ad vigesimum quintum annum non peruenit, ad eam non potest admitti, vt disput. præcedente dictum etiam est. Additur in Lusitanis ordinationib. hoc locum habere etiamsi is veniam ætatis à rege esset adeptus, bonaque sua propria administraret. Hæc habentur §. *item maior, instit. de excus. tutor. l. 2. iuncta l. 1. tit. 17. p. 6. & lib. 1. Lusit. ord. tit. 67. §. 33.*

11 De iure Regni Castellæ nobilis in curia regis degens, aut in alio determinato loco de mandato Regis, aut in publicam vtilitatem, excusare se potest à tutela & cura, *l. 3. tit. 17. part. 6.* *Ius Castel. & Lusit.*

12 In Lusitano Regno nobilis ex genere, aut caualeiro, excusantur similiter *lib. 1. ord. tit. 67. §. 35.* Hæ autem dispositiones, quicquid Gregor. Lopez *ad l. 3. citatam* dicat, diuersæ sunt à dispositione de milite, de quâ disputatione præcedente dictum est.

13 Excusari possunt à tutela & cura, qui docent Grammaticam, Rethoricam, Dialecticam, Philosophiam, & Medicinam, vel hanc postremam artem exercent. Hæc tamē intelliguntur, modo exerceantur in propria patria, aut in aliquo loco de mandato Regis. Hinc vult Greg. Lopez, si id exerceant in publica vniuersitate, conferi ibi docere de mandato Regis: quoniam regia authoritate constituitur vniuersitas. Hæc habentur § *item Romæ, iuncta Glos. ibi, instit. de excusat. tut. l. si duas*, §. *Grammatici, l. sed & reprobari*, §. *amplius ff. eodem tit. & l. 3. tit. 17. part. 6.* Qui tamen in quauis disciplina eminentes sunt, vbicunque doceant, excusantur à tutela & cura, vt habetur *dicto §. amplius.*

14 De iure Lusitano sancitum est, Doctores in iure ciuili aut canonico, vel medicina, modo creati sint in vniuersitate aliqua adhibito examine, non solum excusari à tutela & cura, sed etiam ad eam nullatenus esse admittendos. Ita habetur *lib. 1. tit. 67. §. 35.* Vbi additur, vniuersim, qui repellitur à tutela diū cura, non propterea excludendum esse à successione in bonis talis minoris: quandoquidem sine sua culpa tutores aut curatores esse prohibentur. *Ius Lusitanum.*

Qui tutor alicuius fuit, excusatur à cura illius suscipienda, cum ad pubertatem peruenerit, adeo vt si testamento tutor, & postea curator eiusdem minoris eodem testamento datus sit, cogi ad curam non possit, §. *qui tutelam, instit. de excus. tutor. & l. 3. tit. 17. par. 6.*

15 *Lib. 1. Lusit. nar. ordin. titu. 67. §. 31.* habetur, eum, qui priuilegio excusatur à tutela, nisi aliud exprimatur, intelligendum esse de sola datiua aut testamentaria tutela, secus de legitima.

16 In Regno vero Castellæ *l. 21. tit. 14. lib. 6. noua collect.* reuocantur omnes exemptiones concessæ & concedendæ ijs, quos in eo Regno *Pecheros* vocant, vt tutores aut curatores non sint, cum quibuscunque clausulis fuissent concessæ, aut de nouo concederentur. *Ius Cast.*

17 Datus in tutorem aut curatorem, siue testamentarius, siue legitimus aut datiuus sit, si excusationē, quam opponat, habet, debet illam proponere coram iudice *intra quinquaginta dies à puncto, quo* datum se esse in tutorem aut curatorem cognouit, dummodo *vltra centum milliaria non* distet à loco in quo tutor & curator datus est. Quod si vltra centum milliaria distet, *tunc pro quibuscumque viginti milliaribus*, quibus plus distat, additur, vltra quinquaginta dies, vnus dies, & insuper addūtur triginta dies alij: ita vt si distet centum viginti milliaribus, habeat ad proponendam excusationem octogintavnum dies, si vero distet centum quadraginta milliaribus, habeat octoginta duos dies, & ita consequenter: causa tamen tota intra quatuor menses à die, quo se datum in tutorem nouit, debet terminari: si vero iudex, examinatis excusationibus, iniquam sententiam tulerit, licitum est ab ea sententia appellare. Hæc omnia habentur §. *qui excusare.*

cusare, iuncta glos. ibi, inst. de excus. tutorum, l. scire, per totam legem, l. quinquaginta, C. eodem tit. & l. 4. tit. 17. par. 6. Quando tamen tutor aliquis datus esset à certo die, aut sub conditione, dies supputari debent à die impletæ conditionis, *l. penult.* §. *procedit, citato.* Si datus in tutorem, aut curatorem plures excusationes habeat, esto in probatione alicuius, aut aliquarum deficiat, satis est, si vel vnam probet: ea tamen proposita esse debet intra tempus à iure datum ad proponendum, siue simul cum aliis eam proponat, siue postea, §. *qui autem, iuncta glos. ibi, inst. de excus. tutor.* Qui falsis excusationibus à tutela vel cura fuerit liberatus, cogi potest munus suscipere, §. *vlt. inst. de excus. tutorum.*

SVMMARIVM.

1 *Tutores & curatores satisdant rem minoris saluã fore.*
2 *Quando tutores & curatores testamento dati sunt, nec satisdant, nec in eis necessaria est iudicis inquisitio.*
3 *Aut, quando de iure communi, tutores dati sunt præuia inquisitione facta à iudice, quod idonei omnino sint, satisdent.*
4 *Legitimi tutores & curatores præstare tenentur fideiussorem, etiam mater & auia.*
5 *Quando, de iure Lusitano, mater, auia, & aui minoris satisdare teneantur.*
6 *De iure communi, quando furioso aut mente capto datur curator, remittitur satisdatio, si sufficientia habeat bona, vnde satisfiat.*
7 *Si is, cui satisdationem exigere incumbit, illam non recipiat, aut recipiat minus idoneam, conceditur minori actionem aduersus illum, quantum ipsius intererat idoneam fuisse receptam.*
8 *Bona tutoris & curatoris, si ad aliquem deuenerint, potest illa minor extrahere, vt sibi satisfiat.*
9 *Iuramentum tutoris & curatoris quod.*
10 *Tutores & curatores quando inuentarium conficere teneantur.*
11 *Vtrum inuentarium fieri debeat coram iudice.*
12 *Vtrum tutori aut curatori remitti per testatorem possit confectio inuentarij.*
13 *An tutores & curatores aliquid efficere possint ante inuentarium confectum.*
14 *Inuentarius non debet decretum iudicis subsequi, quo quid tutor aut curator decernatur, sed vel debet præcedere, vel esse simul.*
15 *Quæ in inuentario scribenda sint, tradetur l. tutores.*

DE SATISDATIONE ET IVRAMENTO tutorum & curatorum, & de inuentario.

DISPVTATIO *223.*

1 TVtores & curatores satisdant rem minoris saluam fore, hoc est, integre esse restituendam, nullumque detrimentum bonis minoris culpa aut negligentia tutoris, aut curatoris, vel in illis administrandis, vel in acquirendis ac defendendis obuenturum, alioquin fideiussorem in defectum tutoris, aut curatoris integre minori satisfacturum. Ita habetur *inst. de satisdatione tutor. in princ. iuncta glos. ibi vero, satisdant.*

2 Excipitur, quando tutores aut curatores testamento dati sunt: nam neque satisdant, neque in eis necessaria est iudicis inquisitio vt habetur *inst. de satisdat. tutor.* §. 1. atque aliis iuribus, & nos late exposuimus disput. 220. dum de testamentario tutore diximus. Vbi etiam diximus, quando mater post patris mortem filio tutorem testamento relinquit, quousque necessaria sit, aut non sit, iudicis inquisitio ante approbationem, eiusmodi tutorem non satisdare. A

3 De iure etiam communi excipitur, quando tutores dati non sunt præuia inquisitione facta à iudice, quod idonei omnino sint: nam hi etiam non satisdant. Ita habetur §. *item ex inquisitione, inst. de satisdatione tutor.* Quamuis autem *glossæ iuris communis in authentico, vt hi qui oblig. se.* §. *vltimo, verb. eget, & l. 1. Cod. de tutor.* qui non satisdant, contrariæ inter se sint, an indistincte hodie datiui tutores & curatores, siue cum inquisitione, siue sine illa dati sint, satisdent: Gregorius tamen Lop. *l. 9. tit. 6. part. 6. verb. fradores*, ait, in Regno Castellæ consuetudine esse receptum, vt omnes satisdent: quoniam in inquisitione seruari non solet ea solemnitas, quæ de iure communi, iuxta §. *sed hoc iure, inst. de Attil. tutor.* B quondam seruabatur. De iure Lusitano statim dicetur.

4 Legitimi tutores & curatores præstare tenentur fideiussorem, etiam mater & auia minoris, *l. legitimos, in princ. ff. de legitimis tutor. & l. 9. tit. 16. par. 6.* Excipitur patronus comparatione liberti, qui non satisdat, nisi sit persona vulgaris, vel inhonesta, vt habetur *l. legitimos, citata*, & affirmat *glossa* §. *item ex inquisitione, verb. idonei, inst. de satisdat. tutor.* Non solum autem legitimi tutores & curatores, sed etiam datiui, si dati non sint præuia inquisitione, satisdant, vt habetur *l. 1. & sequentibus, C. de tutore, qui non satisdat, & inst. de satisdat. tutor. in princ. & duobus* §§. *sequentibus.* Imo & consuetudine Regni Castellæ, vniuersim datiui satisdant, vt dictum est. Tutores vero & curatores, qui satisdare tenentur, si antequam satisdent, aliquid alienent, vel contractum faciant, C aut sententia in causa minoris contra eos detur, omnia ipso iure sunt nulla. Ita habetur *l. 3. & vlt. C. de tutore, qui non satisdat.*

5 De iure tamen Lusitano mater, auia, & aui minoris, tunc solum satisdare tenentur, quando non habent sufficientia bona immobilia, vnde satisfacere possint, si quid detrimenti bonis minoris sua culpa, aut negligentia obueniret. Ita habetur *lib. 1. ordin. tit. 67.* §. 22. Alij etiam legitimi tunc solum tenentur præstare fideiussorem, quando non habent competentia bona immobilia, vnde persolui sufficienter possit minoribus, si quod detrimentum culpa aut negligentia illorum minori acciderit. Quin esto propinquus minoris competentia bona non habeat vnde satisfaciat, si tamen quæsiuit fideiussorem, & non inuenit, admittitur ad tutelã aut curam, dummodo coram iudice, sub iureiurando affirmet, se quæsiuisse fideiussorem, nec inuenisse: & dummodo de illo opinio habeatur, quod fideliter & diligenter bona minoris administrabit. Interim tamen dum alius propinquus minoris inuenitur, qui competentia bona habeat, vnde satisfaciat, admittendus non est sine satisdatione ille alius, esto proximior sit in gradu minori. Hæc omnia habentur *tit. citato*, §. 24. De tutoribus & curatoribus datiuis nihil hac in parte eo titulo dicitur: credo tamen, quando competentia bona immobilia habent, vnde satisfaciant, non cogi, vt fideiussorem præstent. E

6 De iure etiam cõmuni quando furioso aut mente capto datur curator, remittitur satisdatio, si sufficientia habeat bona vnde satisfaciat, vt habetur *l. de creatione,* § *sit autem, C. de Epis. aud.* vbi glossa ait, speciale esse in furioso & mente capto. Idem sancitur *l. vlt. & siquidem curator, C. de curatore furiosi.*

7 Illud etiam est obseruandum, in euentibus omnibus, in quibus explicatum est, satisdationem esse præstandam, si is, cui eam exigere incumbit, illam non recipiat, aut recipiat minus idoneam, concedi minori, mente capto, aut prodigo, actionem aduersus illum, quantum ipsis intererat, idoneam fuisse receptam. Ita habetur *inst. de satisdat. tut.* §. 5. *sciendum autem.*

Lusitanum.

Vni-

8 Vniuersim bona tutoris & curatoris tacitè sunt hypothecata minori à puncto tutelæ aut curæ susceptę, ita vt ad quemcunque deuenerint, possit illa minor extrahere, vt sibi satisfiat. Ita habetur *l. pro officio, C. de administr. tut. l. de creationibus, C. de Episcop. audientia, l. vlt. §. & inuentario, C. de curat. furios. auth. de hæredib. ab intest. §. sin autem plurimi, & l. vlt. tit. 16. part. 6.* Gregor. Lopez in calce illius legis vult, bona quoque fideiussoris, & hæredum tutoris aut curatoris, esse etiam tacitè hypothecata minori: id tamen non probant iura citata, neque lex illa Castellæ. Quoniam verba illa, *y todos sus bienes*, referri possunt ad solum tutorem aut curatorem, & non ad fideiussores aut hæredes tutoris. Atque hic videtur esse legitimus sensus illius legis. Saltem si hæres tutoris inuentarium bonorum defuncti confecit, bona hæredis propria libera omnino manebunt ob tutelam à defuncto susceptam, alioquin onus subiret ex hæreditate adita cum inuentario, contra *l. vlt. C. de iure deliber.*

9 *Iuramenta tutoris, & curatoris.* Præterea tutores & curatores iurare tenentur, se munera tutoris aut curatoris recte executuros, atque defensuros bona & personam minoris, confecturosque inuētarium, & reddituros suo tempore rationem ei, ad quem de iure pertinebit. Ita habetur *in authen. vt hi qui oblig. se haber. §. vlt. l. in creatione, C. de Episcop. aud. l. vlt. §. & si quidem parens, & in aut. ibi subiuncta, C. de curatore furiosi*, vbi dicitur, vniuersim habere verum in omni curatore (intellige & tutore) siue sit minoris, siue maioris, sed mente capti, prodigi, &c. fit, & *l. 9. tit. 16. part. 6. In ordinationibus vero Lusitanis lib. 1. tit. 67. §. 24.* tutori quidem & curatori legitimo, de numero collateralium, præcipitur adhibere iuramētum prædictum: nihil tamen tale §. 22. iniungitur matri & auiæ, cæterisque ascendentibus: attamen stabitur consuetudini, quam ignoro. Fortasse sicut de datiuis tutoribus & curatoribus nihil tale dicitur, & nihilominus seruabitur ius commune: ita mater & auia, quin & testamentarij tutores & curatores, iuxta ius commune, iurare cogentur, esto nihil tale in ordinationibus dicatur. Modus autem, quo instrumenta tutelæ & curæ in Regno Castellæ fieri debeant, præscribitur *l. 94. & 95. tit. 18. part. 3.* & latius traditur à Gaspare Monterroso *in practica tract. 7. fol. 170.*

10 *Inuentarij confecti tenentur.* Tutores & curatores mox atque tutelam vel curam suscipiunt minoris, aut mente capti, vel prodigi, conficere debēt inuentarium bonorum, *l. tutores, 2. C. de administ. tut. l. 15. tit. 16. part. 6.* & aliis iuribus. Id autem quod dicitur, mox, intelligendum est, nisi necessaria & iusta causa impedierit, vt habetur *l. tutor. qui repertorium, ff. de administr. tut.* & affirmant Glos. *l. tutores, citata*, & Doctores communiter: quare intelligendum est, cum primum commode moraliter loquendo potuerint: fieri autem debet coram publico Tabellione, vt habetur *l. tutores, citata*, vbi glossa affirmat, satis esse si sit vnus, & id disponit *l. 15. Castellæ, citata*: debent tamen adhiberi testes.

11 Vtrum autem fieri debeat coram iudice, gl. *l. tutores, citata, verb. publicarum*, affirmat: quoniam, vt habetur *l. chirographis, in princ. ff. de administr. tut.* ex inuentario conueniri possunt debitores, si aliæ scripturæ periissent: id autem verum non esset, nisi factum esset in præsentia iudicis, & de verbo ad verbum transcriptæ essent scripturæ in inuentario, vt patet in *authen. vt sponsal. largitas, §. hoc insuper, iuncta glos. 1. ibi*, & affirmat glos. *l. chirographis, citata*. Bart. vero *l. tutores, citata*, quem refert & sequitur Greg. Lopez *l. 15. tit. 16. p. 6. verb. con otorgamiento del Iuez*, ait, quod ad tutorem, aut curatorem attinet, satis esse si inuentarium fiat extra iudicium coram Tabellione, vt vero fidem faciat contra debitores minoris, necesse est, vt in præsentia iudicis fiat. Credo tamen neque in hoc, neque in Castellæ Regno esse in *In Castella & Lusitania.*

A vsu; vt fiat in præsentia iudicis, sed, antequām inuentarium fiat, comparet coram iudice is, qui tutor, aut curator futurus est, & præstat cautionem in euentibus, de quibus supra dictum est, & simul iudex suscipit ab eo iuramentum circa ea omnia, quæ supra commemorata sunt, de quorum numero est, quod inuentarium conficiet, idque fideliter: & tunc decernit illi iudex, atque iniungit tutelam, aut curam, authoritatem & potestatem ad illam exercendam ei tribuens: postea vero cum Tabellione coram testibus tutor ipse, aut curator conficit inuentarium. Atque hoc est, quod *l. 15. citata* vult, cum iubet, vt fiat inuentarium, *con otorgamiento del Iuez dellugar*, & quod aperte sonant *l. 94. 95. & 99. tit. 18. part. 3.* dum præscribunt formam instrumentorum tutelæ, quam Gaspar Monterrosa *loco citato* tradit.

B In hoc autem Lusitaniæ Regno dispuratione 218. cum Aluaro Valasco dictum est, vsum non habere, vt inuentarium coram iudice fiat: tametsi iuramentum, quod debite fiat, coram iudice præstetur: *& lib. 1. Ordinat. tit. 67. §. 17.* solum præcipitur, vt inuentarium tutoris, ac curatoris fiat coram Tabellione Iudicis orphanorum. Eiusmodi autem inuentarium transcribendum regulariter est ex eo, quod fieri debet de bonis defuncti, cui minor succedit de quo supra, dum de inuentario hæredis disputauimus, dictum est quo pacto de iure huius Regni fieri debeat, & quæ in eo sint scribenda. *Lib.* autem *1. Ordinat. tit. 67. in calce §. 3.* præcipitur, vt in eo scribantur quidem instrumenta singula, quæ ea de re sint, & à quo ministro publico, & quo tempore facta sint; at vero non transcribantur.

C Vtrum autem tutori, aut curatori remitti per testatorem possit confectio inuentarij. Respondendum est, posse remitti, vt expresse habetur *l. vlt. §. illo, Cod. arbitrium tutel.* Aït tamen Couar. *2. p. var. resol. cap. 14. num. 4.* cum Bart. & communi Doctorum sententia, quam citat, posse nihilominus iudicem illi iniungere, vt inuentarium conficiat, si id expedire iudicauerit ad rectam bonorum administrationem, iuxta *l. vtilitatem, ff. de confirmando tutore.* Imo vero cum Ilerdensi Episcopo non affirmiar inualidam esse talem remissionem, confectionis inuentarij quoad portiones legitimas in bonis parentum minoribus debitas, vt esset, si testator nihil vltra portiones legitimas illis reliquit. 12

D Tutores & curatores nihil efficere possunt antè inuentarium confectum. Excipitur, nisi id, quod egerint, dilationem non patiatur, atque ad eo necessitas cogat id efficere ante inuentarium perfectum. Vtrumque habetur *l. tutor qui repertorium, in princ. ff. de administratione tutor.* Excipitur præterea, nisi testator confectionem inuentarij illi remiserit, vt habetur *l. vlt. C. arbit. tutel.* Vbi vides testatorem remittere posse tutori, aut curatori confectionem inuentarij. Quod, si sine iusta causa, exceptis ij his euentibus, res administrent antequam inuentarium conficiant, præsumitur dolo eos inuentarium non confecisse, & tenentur minori quantum sua intererat inuentarium esse confectum, atque aduersus eos iuratur in litem ab eo, qui rationem administrationis ab illis exigit, siue sit alius tutor, aut curator, siue minor iam omnino sui iuris effectus, siue quicunque alius, qui in eis bonis succedit, aut rationem exigere debet. Ita habetur *l. tutor qui repertorium, in principio, iuncta glos. ibi. ff. de administratione tut.* Præterea tanquam suspecti remouentur à tutela, aut cura, & efficiuntur infames, atque in vincula coniiciuntur, nisi sint in aliqua dignitate constituti: eo quod hæc pœna soli humiliores afficiuntur. Hæc omnia habentur *l. vltima, §. vltimo. Cod. arbitr. tutel. l. 3. §. tutores, ff. de suspecto tut. & l. 15. titu. 16. & l. 1. tit. 18. part. 6.* 13

Ex prædictis duobus §§. præcedentibus liquet, falsam esse opinionem Bart. *l. legitimos, in princ. ff.* 14

de legit. tut. afferentis inuentarium subsequi non debere decretum iudicis, quo quis tutor, aut curator decernatur, eique auctoritas ad munus exercendum tribuatur: sed vel debere præcedere, vel esse simul. Si namque ante inuentarium efficere potest, quæ dilationem non patiuntur, si item remouetur à tutela & cura tanquam suspectus, aliisque pœnis afficitur, si munus administret, manifestum est ante inuentarium præcedere decretum iudicis, quo quis tutor aut curator constituitur. Consentit *l. tutores, 2. C. de administr. tut.* quæ sic habet: *Tutores, vel curatores mox, cum fuerint ordinati, inuentarium solemniter facere curabunt.* Ordinationem eorum, quæ sane iudicis decreto fit, præcedere dixit confectionem inuentarij, atque ita ait Gregor. Lopez *l. 15. tit. 19. par. 6. glos. 1.* seruari in praxi. Bartolum vero fefellit, quod non attenderit, aliud esse prohiberi tutori & curatori, ne exequatur munus ante confectum inuentarium, nisi iusta causa excusset, aut testator remiserit confectionem inuentarij, quod fit *l. vlt. §. vlt. Cod. de arbitraria tutel.* aliud vero habere munus & auctoritatem ex iudicis decreto, quod eadem lege non prohibetur ante inuentarij confectionem, vt Bartolus non recte existimat.

14 Quæ autem in inuentario scribenda sint, traditur *l. tutores, 2. C. de administr. tutor. & l. 15. tit. 16. par. 9.* Vt vero summatim, copiosiusque id dicam, ea scribenda sunt, siue de iure communi, siue de iure Lusitano, quæ disp. 219. explicata sunt, scribi debere in inuentario defuncti, quando hæredes sunt aliqui minores. Quod si tutor, aut curator, etiam mente capti, aut prodigi, quicquam in inuentario conscripserit tanquam illius, cuius tutor, aut curator est, tunc præsumptio est iuris & de iure ad eundem pertinere, neq; admittitur probatio in contrarium: secus autem si extra inuentarium id dixisset, confessusve fuisset, *l. vlt. in princ. & §. sin aut. C. de arbit. tutel.* Quod si post scriptum inuentarium aliquid adueniat minori, aut mente capto, vel per vltimam voluntatem, vel quocunque alio titulo, inuentario est addendum. *l. vlt. §. tali itaque, C. de curator. furios., scripto die* in quo additur, vt ait *glos. l. tutor qui repertorium, in principio, verb. reperiorum, ff. de administr. tutor.* Fieri autem debet inuentarium ab eodem tabellione. sed non vno die, vt de inuentario defuncti supra dictum est. Additio vero post inuentarium perfectum, de qua *l. vlt. citata*, fieri potest per alium tabellionem.

A

B

C

D

E

SVMMARIVM.

1 *Munus tutorum aut curatorum ad quos se extendat.*

2 *Ad tutorem & curatorem spectat cura personæ minoris.*

3 *Quando testator disposuit vbi velit educari minorem, iudex aliud statuere potest & debet, si id magis minori expedire iudicauerit.*

4 *Quid, si mater superstes sit, neque ad secundas nuptias transiuit.*

5 *De iure Lusitano mater tenetur gratis educare infantem quoad lac, quousque infans sit trium annorum, reliqua vero non solum in illo triennio, sed etiam postea, quousque minor dignus sit mercede aliqua pro suis obsequiis insumenda sunt de bonis minoris, nisi minor bonis careat, & quid tunc.*

6 *An, quando mater transit ad secundas nuptias, extrahendus sit minor de illius & vitrici educatione.*

7 *Quid, quando nec mater, nec aui minoris sunt superstites.*

8 *Quid, quando minores eiusmodi sunt, vt attenta qualitate parentum & sua viuere debeant ex obsequiis præstitis aliis, vel ex opificio.*

9 *Quid, quando minores tales non sint, vt ex opificio aut obsequiis aliis præstitis viuere debeant.*

10 *Ita moderate alimenta à iudice sunt decernenda, vt non omnes reditus patrimonij minoris in eis insumantur, sed semper aliquid superfit, quo patrimonium augeatur.*

11 *Esto iudex alimenta non taxet, sed tutor aut curator suo proprio iudicio ea minori tribuat, perfoluendum tamen ipsi est, quod in alimentis debite expendisse constiterit, aut vero prudens fuerit arbitratus.*

12 *Quænam ad alimenta spectent.*

13 *Tutor & curator qualiter minorum bona administrare debeat.*

14 *Tutor & curator quæ bona minoris sine iudicis decreto vendere & alienare possit.*

15 *Res minoris emere non potest tutor aut curator, nec persona illi subiecta, emptio ipso est nulla, & quæ pœna sit statuta.*

16 *Virum, de iure communi, tutor & curator possit bona minoris palã emere per seipsum propria authoritate.*

17 *Pecunia in bonis minoris reperta, & quæ venditione fructuum & aliarum rerum mobilium, quas seruare non expedit, comparata fuerit, aut ex venditione rerum immobilium superfuerit, in vtilitatem minoris conuerti debet; emendo ex illa prædia vtilia minori.*

18 *De iure communi, quando prædia congrua, quæ emercatur, non inueniebantur, præcipiebatur tutores tradere pecunias minorum ad vsuras.*

19 *Quid, quando prædia non occurrunt, quæ emantur.*

20 *Quæ bona minoris sine iudicis decreto alienari non possint.*

21 *Priusquam venditio perficiatur triginta diebus in publica subhastatione vendenda proponenda sunt.*

22 *Causæ legitimæ, ob quas decerni potest, vt eiusmodi res minorum vendantur.*

23 *Quando bona minoris ex decreto iudicis alienanda sunt, à quibus incipiendum.*

24 *Quid, si minor, cum veniam ætatis obtinuit, alienet bona immobilia & mobilia.*

25 *Venia ætatis quid, & cui concedenda.*

26 *Quare Iudicis decreto indigeat minor.*

27 *Iudicis decretum ad omnem alienationem late sumptam rei immobilis necessarium est, etiam ad hypothecam.*

28 *Quando testator iussit testamento, vt bonum immobile minoris hæredis sine iudicis decreto posset alienari, valida est alienatio sine tali decreto.*

29 *Pater iudex, loci originis, loci domicilij minoris, an loci vbi res alienãda est sita, interponere debeat suã auctoritatẽ & decretũ, vt alienatio boni minoris valida sit.*

30 *Pupillus, dum infans est, nihil efficere potest, quo vel ipse alteri obligetur, vel sibi alterum obliget.*

31 *Pupillus pubertati proximus cum tutoris autoritate potest obligari, & sine ea sibi alterum obligare.*

32 *Minor sine autoritate tutoris aut curatoris, quo sensu, quando contractus est mutuus, obliget alterum sibi, & ipse obligatus non maneat.*

33 *Pupillus pubertati proximus, licet ex suo contractu sine autoritate tutoris celebrato, aut ex minori culpa, quã dolus, obligatus non maneat, manet tamen obligatus naturaliter.*

34 *Pupillus nihil potest alienare sine authoritate tutoris.*

35 *Quid, si debitor soluat pupillo sine tutoris & iudicis authoritate.*

36 *Solutio facta à pupillo sine tutoris authoritate inualida est, nec id, quod ita soluit, fit accipientis.*

37 *Quid de puberibus iam factis, dũ minores viginti quinque annis sunt, censendum.*

38 *Minor pubes, si quæ egerit in iudicio sine curatore inualida sunt in suũ incommodũ, valida vero in commodũ.*

39 *Tutoris aut curatoris authoritas siue in pactis, siue in iudicio præstari debet statim in ipso negotio simul cum minori, & non ex interuallo longi temporis antea, alioquin acta nullam vim habebunt.*

40 *Quid, si minor pubertati proximus, aut pubes curatore habens,*

habens, contrahens aut paciscens sine tutoris aut curatoris authoritate, obligatus manet naturaliter.

41 Respondetur ad allegata vsque ad num. 43.

44 Tutoris ac curatoris præmium in Lusitania & Castella.

DE ADMINISTRATIONE TVTORVM & curatorum, atque de emolumento, seu præmio ipsis proposito.

DISPVTAT. 224.

1 HIs opere impletis, quæ disputatione præcedente explicata sunt, consequens est, vt tutor aut curator munus suum exequatur. Eiusmodi autem munus se extendit ad personas minorum, ad illorum bona, & ad eorundem causas.

2 Quod ad personas attinet, licet cura personæ plus ad tutorem, quam ad curatorem spectet, ad vtrumque tamen pertinet, vt disputatione 220. dictum est. Consentit *l. consilio in principio, ff. de curat. furios.* atque quoad educationem & alimenta habetur expresse *l. ius alimentorum, ff. vbi pupillus educari debeat.* *Cura personæ minoris.*

3 Quando testator disposuit, vbi vellet educari minorem, quamuis ratio sit habenda eiusmodi dispositionis: iudex tamen aliud statuere potest & debet, si id magis minori expedire iudicauerit. Ita habetur expresse *l. 1. in princ. ff. vbi pupil. educ. deb. & l. Quintus Mutius, ff. de ann. leg.* vbi redditur ratio, quia hoc ad auctoritatem solum testatoris pertinet: in dispositionibus autem ad solam auctoritatem pertinentibus, iudex statuere potest contrarium, si prospexerit id magis expedire.

4 Si mater superstes sit, neque ad secundas nuptias transiuit, regulariter nullibi commodius iudicandum est educari posse minorem, quam apud matrem, vt habetur *l. 1. C. vbi pupil. edu. debeat*: quare illi tradi debet, vt habetur *lib. 1. Ordin. Lusitanarum tit. 67. & l. 19. tit. 16. p. 6.* nisi circumstantiæ sint, quæ aliud suadeant, vt si illa prauos habeat mores, aut alisunde periculum spirituale, aut corporale minoris ex educatione matris timeatur.

5 In *Ord. Lusitanis, §. 9. citato*, consone ad *l. nec filium, C. de patria potest. & glos. vlt. cap. cum haberet, de eo, qui duxit in matrim.* statuitur matrem gratis teneri educare infantem, quoad lac duntaxat, quousq; infans sit trium annorum, reliqua vero, non solum in illo triennio, sed etiam postea, quousque minor dignus sit mercede aliqua pro suis obsequiis, insumenda esse de bonis minoris: nisi minor bonis careat: nam tunc mater tenetur illum educare gratis, de suis bonis. Quando vero mater eius est conditionis, vt lac ipsa præbere non soleat filiis, aut legitimum ad id habet impedimentum, quod cum nutrice illo triennio expenditur, persoluitur de bonis minoris, vt ibidem subiungitur.

6 Quando mater transit ad secundas nuptias, extrahendus est minor de illius & vitrici educatione, vt habetur iuribus citatis: quoniam suspecti eo ipso sunt valde comparatione minoris. Excipitur, nisi spectatis circumstantiis concurrentibus, nullibi iudicetur posse educari melius, cessetq; suspicio: hæc enim semper arbitrio iudicis committenda sunt, vt cum Bald. & Alb. Greg. Lopez *l. 19. tit. glos. penult.* recte ait.

7 Quando, neque mater, neq; aui minoris sunt superstites, ad iudicem eligere spectat, vbi, & apud quem educari debeat, spectatis qualitatibus omnium, quoad propinquitatem cum minore, affectum ad illum, mores, & reliqua omnia. Attendi etiam peculiariter debet, he ex eo, quod minori quis ab intestato succedat, periculum minori immineat, suspicio ve talis periculi sit: tunc enim alius merito huic præferri debet, cui minor ad educationem traA datur. Hæc omnia habentur *l. 1. & 2. C. vbi pupil. edu. deb. l. 1. & pen. ff. eodem tit. & l. 19. tit. 16. p. 6.* Lege autem *pen. ff. vbi pupill. edu. debeat*, peculiariter admonetur, vitandam esse educationem apud eos, vbi pudicitiæ minorum, siue mares sint, siue fœminæ, insidiabitur: quod esset, ait glos. si ad impudicam vitam eos inducerent.

Quando minores eiusmodi sunt, vt attenta qua- 8
litate parentum & sua, viuere debeant ex obsequiis
præstitis aliis, vel ex opificio, *lib. 1. Ordinat. Lusitanarum tit. 67. à §. 11. vsque ad 16. iuncta l. 1. tit. 19. p. 1. legum extrauag.* præscribitur iudicibus orphanorum, vt ad
seruiendum, vel ad officia addiscendum aliis eos
tradant, cum primum ad id idonei aliquo modo
fuerint, vel apud matrem, aut alium consanguineũ,
à quo educabantur, eos simili modo relinquant, vt
B ibi hæc ipsa competenti mercede præstent, atque ita
alienis sumptibus, suaque opera, & labore, quoad
fieri possit, viuant, aut etiam aliquid insuper lucrentur, nisi forte ad tempus aliquid etiam de bonis minoris contribuere oporterit, vt illos in mechanicã
arte instruant, atque sustentent.

Quando vero minores tales non sunt, vt ex opi- 9
ficio, aut obsequiis aliis præstitis, viuere debeant, ad
iudicem spectat, attenta quantitate patrimonij, &
qualitate eorum, cæterisq; circumstantiis concurrentibus, taxare illis portionem aliquam ad alimenta quotannis, *l. quod plerunque, in princ. C. de alimentis pupillo præst. l. 3. ff. vbi pupill. educari debeat, l. 20. tit. 16. p. 6. & lib. 1. Lusitan. Ordinat. tit. 67. §. 15. iuncta l. 2. §. 8. tit. 19. p. 1. l. extrauag.* Quamuis autem pater in testaméto
C eam illis taxasset: si tamen excessiua esset, attenta
quantitate patrimonij, & aliis circumstantiis, maxime si de nouo aliquæ superuenissent, ad iudicẽ spectat eam moderari: quin, si tutor, aut curator, iudice
non adito, irrationabiliter illam ita expenderet, cogeretur de suo soluere, quod merito fuisset detrahendum: Imo vero, esto iudex esset, qui maiorem
quantitatem, quam par esset, pro alimentis decreuisset, si tamen tutor aut curator illum, vel quando
eam decernebat, vel postea non admonuit, immodicam esse, cogetur de suo soluere excessum: quoniam, si illum admonuisset, vel eam non decreuisset postquam esset decreta. Hæc habentur *l. 2. & 3. §. vlt. ff. vbi pupill. edu. debeat.*

Admonetur vero *l. 3. ff. eodem tit.* Ita moderate a- 10
limenta à iudice esse decernenda, vt non omnes reditus patrimonij minoris in eis insumãtur, sed sẽper aliquid superfit, quo patrimonium augeatur.
D Lex *Castellæ 20. tit. 16. p. 6.* idem statuit, sed quasi exponens legem tertiam citatam, merito addit, si commode ita fieri possit: alioquin reditus omnes expendi possunt. Vtrum autem, si reditus annui non
sufficiant, fas sit pro alimentis minoris patrimonii
minuere. Albericus à Greg. Lopez *l. 20. citata* relatus ait, doctos quosdam viros censuisse, nequaquam
id esse faciendum, sed potius tutorem, aut curatorem, debere permittere minorem mendicare. Merito tamen ipse, & Gregor. Lopez affirmant, quando arbitrio prudentis, attentis circumstantiis con-
currentibus, iudicatur ita minori expedire, fas esse
E minuere patrimonium in similibus, aut aliis sumptibus: id namque expresse statuitur *l. 3. in princ. ff. de contraria vtili act. tute.*

Esto iudex alimenta non taxet, sed tutor, aut cu- 11
rator, suo proprio iudicio ea minori tribuat, vel
quia videt non expedire, vt patrimonij quantitas
intelligatur, aut alia iusta ratione, imo esto per incuriam accedendi ad iudicem id efficiat, persoluendum nihilominus ipsi est, quod in alimentis debite
expendisse constiterit, aut vir prudens fuerit arbitratus. Ita habetur *l. vlt. C. de alimen. pupill. præst. l. 2. ff. vbi pupill. edu. deb. & l. 20. tit. 16. p. 6.*

Porro ad alimenta spectant, non solum victus & 12
vestitus proprius, totiusq; familiæ ipsius (si talis sit

minor, qui familiam habere debeat) reliquiq; sumptus familiæ moderati pro qualitate minoris, & quantitate patrimonij modo supra explicato, sed etiam mercedes præceptorum, vt legere, & scribere discat, eaque omnia, quæ cum ipsius persona congruant: item necessaria ad honestas recreationes, & ad moderatas eleemosynas, donationes, & liberalitates, quæ talem minorem deceant: semper tamen ad eam summam peruenire non debent, quam ipse, si omnino sui iuris esset maior iam vigintiquinque annis effectus, licite posset efficere. Tutor etiam ipse, nomine pupilli, mittere ea munera aliis poterit, quæ, vt mittantur, iudicauerit pupillo expedire: qualia sunt consueta & quæ ex honestate dimitti non possunt. Secus de inconsuetis, quæ salua honestate dimitti possunt: quoniam hæc tutor sua auctoritate præstare non potest. Hæc habentur *l.3. §.cum tutor, iuncta glos. ibi. & iuncta l.4. sequenti, §. vltimo, ff. de administratione tut.* l. Attilius (aliàs Aquilius) *ff. de donat. l.2.3.4. ff. vbi pupill. educa. debeat, & l. 16. tit. 16. par. 6.*

13 Quod ad minorum bona attinet. tenetur tutor, aut curator, illa administrare ea cura & diligentia, quam paterfamilias bona fide suis propriis rebus præstare debet, *l.4 tutoribus, in principio ff. de administratione tutorum.* Vnde reficere debet ædes, & cætera, quæ ad sui conseruationem refectione indigent. Quod si frumentum idcirco pluuia periret, quod horrea refici non curasset, teneretur soluere damnum, argumento *l.2. C. de cond. ex iniustis hæredis*, & ita de aliis rebus, quæ sua negligentia perirent. Tenentur etiam facere colere prædia, aut ea locare, prout expedire iudicauerit, & tenetur greges nutrire. Quo pacto in hoc Lusitaniæ Regno, & quando locanda sint, aut culturæ reseruanda, habetur *l.1. Ordin. tit. 67. §.19.*

Cura circa bona minoris.

14 Ea mobilia, quæ commode seruari non possunt, vt vestes arrhas, iumenta minori non necessaria, triticum, vinum, & oleum, atque his similia, potest sine iudicis decreto vendere, permutare, atque alienare, *Lex quæ, & l. vltima, §. vltimo, Cod. de administratione tutorum, l. vltima, Cod. quando decreto opus non est*, atque aliis iuribus. Vendere autem tenetur eiusmodi res congruo tempore, neque tamdiu expectare, quousque pereant: alioquin suo damno pereunt, *l. tutor qui repertorium, § si tutor. ff. de administratione tutorum.* Iuxta Bartolum vero & Salicetum, consentaneè ad *l. vlt. §. vlt. Cod. de administ. tut.* quos Gregorius Lopez *l. 16. tit. 16. par. 6. glos. vlt.* refert ac sequitur, non tenetur mittere triticum, & res alias, in alium locum, vbi plus valeant, vt ibi vendantur, sed satis est eas vendere vbi existunt: neque teneretur expectare tempus, in quo nimio pretio vendantur: præsertim cum, si ob multam moram corrumpantur, & pereant, tutoris aut curatoris periculo pereant: sed satis est, si pretio ordinario in loco vbi sunt vendantur. At tamen Gregorius Lopez, vtile esse, vt dies, in quos res venduntur, scribatur: alioquin pretio, quo plus valuerunt eo mense, aut anno, in quo venduntur, illi supputabuntur, si non constet, quo die illius mensis, aut quo mense illius anni vendita sint.

15 Res minores, siue tales sint, quę sine iudicis decreto vendi possint, siue non (de quibus statim dicetur) emere non potest tutor, aut curator, neque persona illi subiecta, qualis est filius, aut vxor: alioquin emptio est ipso iure nulla, & punitur solutione quadrupli, *l. non licet, & l. si in emptione, §. vltimo, ff. de contrahend. empt. & l.23. tit.11. lib.5. nouæ collectio. legum Castellæ, in nta l.4. tit.5. par.5. libro autem 1. Ordin. Lusitaniæ tit.* 67. §.55. idem disponitur, & insuper præcipitur, vt nunquam eiusmodi bona obtinere possint ex alio, in cuius dominium deuenerint, nisi titulo successionis: & hæc omnia sub pœna, vt tantundem nouies soluatur. Idem sub eadem pœna, A & aliis grauioribus, prohibetur iudicibus orphanorum, & Tabellionibus eorundem iudicum, nec non *ao contador dos residuos eodem titu.* § 12. & 13. Puto autem plus iusto scrupulosam esse controuersiam, de qua Gama *decis. 217.* an, qui aliquando fuit tutor, aut curator minoris, possit ab eo, iam ætatis viginti quinque annorum effecto, emere aliquid. De qua re contrariæ latæ sunt sententiæ in hoc Lusitaniæ Regno, modo pro vna parte, modo pro alia. Dico enim cum Gama *ibidem*, solum prohiberi emere bona minoris, quæ, dum ipsi tutores, aut curatores erant, venduntur, aut hæc ipsa vllo tempore postea alio titulo, quam successionis, obtinere, propter præsumptionem, quod inique consenserint in alienatione, atque ad occasionem inique aliquid agendi omnino auferendum: at vero neque B mentem legislatorum fuisse, neque verba ordinationis significare, vt quando ipsi tutores, aut curatores esse desierint, non possint emere bona eorum, quorum curam gesserunt, non solum si illi fuerint iam effecti vigintiquinq; annorum, sed etiamsi minores adhuc sint, aliique curam illorum gerant, esset enim lex omnino irrationabilis, quæ id statueret. Hi autem tutores, quibus idcirco administratio tutelæ decreta à iudice non est, quoniam idonei reperti non sunt, emere possunt bona minoris, perinde atque alij extranei *l. tutores quibus, ff. de autoritate tutor.* Tutor, qui administrat, emere potest bona minoris autoritate iudicis. Item quando multi sunt tutores, aut curatores, eiusdem minoris, vnus potest emere cum autoritate alterius, *l. 4. & 5. in principio, & §. pen. & vlt. ff. de autoritate tut. & l. 4. tit. C 5. part. 5.* Eam vero derogatam non esse per *l.23. tit. 11. lib. 5. nouæ collect.* affirmat ibidem Gregorius Lopez. In hoc autem Lusitaniæ Regno neutrum habet locum: quoniam, vt supra dictum est, semper iudex eligere debet ex consanguineis minoris vnum tantum tutorem, aut curatorem. Et quoniam *lib. 1. Ordinat. tit. 67. §. 55.* expresse statuitur, vt tutor, ac curator neque ex facultate iudicis emere possint bona minoris.

16 *Dubium.* De iure communi controuersum est, vtrum esto tutor, & curator emere nó possit bona minoris per interpositam personam seu occulte, quod præsumitur esse mala fide: possit tamen palam emere per seipsum propria autoritate. *Lex cum ipse, C. de contrah. empt.* affirmare videtur, atque inter alias expositiones *glosse ibi, & glos. l. si in emptione, §. vlt ff. eodem titu. D vna est*, licite ac valide id efficere posse: quam sententiam amplectuntur Bart. *l. pupillus, §. vltimo, ff. de autoritate tutorum.* Salycetus & alij, quos sequitur Gregorius Lopez *l. 4. citata.* Alia expositio earun- *Decisio.* dem Glossarum est *l. cum ipse*, solum intelligendam esse, quando sunt plures tutores, & vnus autoritate alterius emit palam, non vero per interpositam personam: nam tunc in eo euentu inualida est venditio, vt expresse habetur *l. pupillus, §. penult. & vlt. ff. de autoritate tutorum, & l. non existimo, ff. de administr. tutorum.* Atque in hanc sententiam propendeo: quoniam regula iuris est, tutorem non posse esse auctorem, vt ipse à minore emat, vt habetur *l. 1. 5. & alis, ff. de autoritate tutorum.* Quicquid autem fit de E iure communi, de iure tamen Regni Castellæ *l. 23. tit. 11. lib. 5. nouæ collect.* & de iure Lusitano §. 55. *citato* inualida est talis venditio, vt expresse his iuribus disponitur. *Im Castella & Lusit.*

17 *Im Lusitania.* Pecunia in bonis minoris reperta, & quæ venditione fructuum, & aliarum rerum mobilium, quas seruare non expedit, comparata fuerit, aut ex venditione rerum mobilium superfuerit, in vtilitatem minoris conuerti debet. emendo ex illa prædia vtilia minori, *l. tutores, 2. C. de administratione tutor. l. ita autem, & l. tutor qui repertorium, §. si post, ff. eodem titulo.* In hoc autem Lusitaniæ Regno, iudici orphanorum præcipitur, vt id tutores & curato-

res exe-

res executioni mandare curent. Præscribunt etiam quæ prædia potius, quam alia emi debeant.

18 De iure communi quando prædia congrua, quæ emerentur, non inueniebantur, præcipiebantur tutores tradere pecunias minorum ad vsuras, *leg. tutores citata*, & multis aliis iuribus. Et quamuis postea *in authentico, vt hi. qui oblig. fe. §. quoniam autem.* permissum fuerit, pecuniam minoris deponere & asseruare, quando prædia, quæ emerentur, non inueniebantur, & minor reditus sufficiētes habebat vnde, sine patrimonij consumptione, sustentaretur; quando tamen reditus sufficientes non habebat, tantum pecunię tutor ac curator tradere ad vsuram cogebatur, vt ex vsuris suppleretur, vnde congrue sustentari posset. Quāuis hæc, inquam, de iure communi statuta fuerint, quia tamen vsuræ iure naturali & diuino, vt suo loco ostendemus, illicitæ sunt, nefas profecto est, etiam ad pupilli sustentationem, pecunias illius tradere ad vsuram. cum onere restituendi, quod ita acquisitum esset. Quare merito Lusitana lex *lib. 1. Ordinat. tit. 67. §. 19.* id fieri prohibuit sub pœna, vt qui ad vsuram eam pecuniam traderet, vsurariorum pœnas subiret, & nihilominus capitale minoris saluum atque integrum remaneret.

19 Quando ergo prædia non occurrerint, quæ emantur, tenetur tutor aut curator, pecuniam minoris tradere in honestum ac securum lucrum, vt Bartolus, Panormitanus, & Doctores alij, quos Couarr. *3. variarum resol. cap. 2. num. 1.* refert ac sequitur, affirmant; alioquin tenebitur minori ad interesse quantum æstimabitur, quod ea via minor lucrari licite poterat. Ait vero Couarruuias, in prouinciis, vbi frequenter est emptio annuorum reddituum, saltem cum pacto de retrouendendo, vt frequentissima est in Regno Castellæ, non excusari tutorem, si ad eiusmodi lucrum occurrens pecuniam non tradat: ius namque ad eiusmodi annuum lucrum cum rebus immobilibus computatur, prædiisque æquiparatur. In locis autem, in quibus id non est frequens, vt in Lusitania, affirmant Doctores citati, tradendā esse mercatori, aut alteri simili ad licitam, & tutam negociationem, de qua fit mentio, & approbatur *capite per vestras, de donation. inter virum & vxorem.* Atque ita fieri consueuit olim in hoc Lusitaniæ Regno, lateque præscribitur modus, quo tradenda erat, *lib. 1. Ordin. tit. 69. à §. 49.* Postea vero *par. 1. legum extrauagan. tit. 19. l. 2.* deponi eam præscribitur, vna cum gemmis & rebus aliis aureis & argenteis minoris in arca publica ad id deputata, nec inde extrahi, nisi vt suo tempore reddatur, vel vt inde prædia, aut annui reditus minori emantur, vel congrua sustentatio illi tradatur, debitaue illius soluantur: atque hoc ipsum hodie seruatur, consentaneè ad *authenticum, vt hi qui obliga. fe. §. quoniam autem.* Fortasse ob difficultates & pericula pecuniæ, quę experiebantur, quando ad negociationem tradebatur, hoc ita constitutum fuit.

Lus Lusit.

20 *Minoris quæ bona sint in diem decreto alienari non possint.*

Res immobiles minoris, & quæ cum immobilibus computantur, vt ius ad annuos reditus, alienari non possunt sine decreto iudicis, quo oblata ac probata coram illo legitima causa, vt id fiat, decernit vt vendantur, aut alio modo alienentur: contractusque; & alienatio aliter facta, sunt ipso iure nulla, neque iudex delegare potest, vt causa per alium cognoscatur, decretumque per alium fiat: *leg. 2. ff. de officio eius, cui est mandata, &c. leg. prima & sequentibus*, præsertim *leg. magis puto, §. non passim, & sequentibus, ff. de rebus eorum, qui sub tutel. leg. ob æs alienum, Cod. de prædiis minor. leg. 3 §. Seuerus, ff. de suspecto tutor. leg. 60. tit. 18. part. 3.* vbi docetur forma, qua scriptura alienationis fieri debeat, *l. 4. tit. 5. par. 5. & l. 18. tit. 16. par. 6.* & aliis iuribus, quæ Gregorius Lopez *ibidem.* & Anton. Gomez. *2. tomo variarum resol. c. 14. n. 13.* citant. Idem est de rebus mobilib. pretiosis, vt de gemmis, vasis aureis & argenteis, gregibus, mancipiis, & aliis similibus, vt habetur *l. lex quæ, C. de administ. tut.*

Quamuis de iure communi, vt Gregor. Lopez. *l. 60. citata* refert, controuersum esset, an vltra prædictas solemnitates, eiusmodi res vendi deberent in publica subhastatione; lex tamen illa 60. statuit, vt prius quam venditio perficiatur, triginta diebus in publica subhastatione vēdenda proponātur. Quod potissimum intelligit Greg. Lopez. de rebus immobilibus; tutumque esse addit, si idem in mobilibus pretiosis seruetur. 21 *Lus Castel.*

Causæ legitimæ, ob quas decerni potest, vt eiusmodi res minorum vendantur, sunt. In primis, si vrgeat æs alienum, quod aliunde commodè solui non posset, *l. ob æs alienum, C. de prædiis minor. l. in prin. l. magis puto. §. non passim. ff. de rebus eorum qui, &c. l. 18 tit. 16. part. 6.* & aliis iuribus. Deinde, si minor alij non posset aliunde, aut redimi, vel ab alio discrimine eripi, *argum. l. sancimus. 1. C. de sacrosanct. Eccle. glo. l. ob æs alienum citata.* Barto *l. magis puto*, & alij. idem vult glo. citata esse ob redemptionem, aut famem valde cōiunctorum minori. Idem merito affirmant *l 60. & l. 4.* Castellæ citatæ, quoties id plus expediret minori comperietur, quam contrarium. Vt si vnum prædium vendatur, vt ematur aliud vtilius vel permutetur cum vtiliori, supererogata aliqua pecunia, atque ob similes causas, quæ iudicis prudentis arbitrio sufficientes censeantur. Ad dotandam etiam sororem pauperem ex eodem patre natam, possunt et iam vendi res minoris, *l. lex qua § 1. C. de administr. tut. l. cum plures. §. cum tutor. ff. eodem tit. & l. 18. tit. 16. par. 6.* Secus autem si sit ex eadem matre, sed ex alio patre, vt expressè habetur *§. cum pater citato.* Licet enim optimè faciat frater; qui vterinam sororem pauperem dotauerit; ad id tamen non tenetur: quoniam dotare filiam, potius ad patrem, quam ad matrem spectat, eaque de causa libgralitas illa minori, cum ad legitimam ætatem peruenerit, est relinquenda, nefasque est tutori, aut curatori illam efficere, vt *§. citato* expresse habetur. Et quamuis frater teneatur alimenta præberi ei sorori vterinæ, quæ aliunde sustentari non potest; possitque proinde, ac debeat tutor aut curator, ea illi de bonis minoris præstare, vt habetur *l. qui filium. ff. vbi pupillus educari debeat.* nō tamen potest eidem dotem dare de bonis minoris: quoniam minor ipse non tenetur eidem dotem dare, sed optime faciet, si, cum ad legitimam ætatem deuenerit, eam illi det, ac proinde tutor & curator, tenentur eam liberalitatem ei relinquere. Nec̄ valet hæc consequentia; tenetur quis alimenta præstare alicui puellæ, si aliunde ea non habeat, ergo tenetur illam dotare quantum fatis sit, vt perpetuo se alat: quoniam longe plus est, dotem dare, quam per partes alimenta illi præbere. Hæc tamen consequentia valet; tenetur quis alimenta puellæ præstare, ergo potest eam dotare, ita vt ex dote perpetuo ali possit. Hinc intelliges, patrem non solum filiā naturali, sed etiam spuriæ ex sacrilegio genitę teneri quidem alimenta præbere, & posse eam dotare, non tamen ad hoc secundum teneri: & eodē modo fratrem vterinum teneri alere sororem, posseq̄ illam dotare, si administrationem suorum bonorum habeat; nō tamen teneri hoc secundum efficere: atque hæc est communior Doctorum sententia, quam Gregorius Lopez *l. 18. citata* refert apud quem longiorem disputationem legere hac de re licebit. 22

Quando bona minoris ex decreto iudicis alienanda sunt, à mobilibus erit incipiendum, eaque prius distrahenda erunt, quæ minus vtilia minori sunt. Ex rebus mobilibus, quoad fieri poterit, ea mancipia, quæ longo tempore fuerunt in domo defuncti, cui minor succedit, alienanda non sunt. Ex immobilibus, similiter domus, in qua pater mortuus est, minorque fuit nutritus, tunc distrahenda 24

est, quando omnino aliud fieri non possit. Vtrumq; habetur *l. lex quæ. C. de administrat. tutor. & l. 19. tit. 10. part. 6.*

24 Etiamsi minor aliquis veniam ætatis obtineat, inualida est tamen alienatio ab eo facta bonorũ suorum immobilium sine iudicis decreto, etiamsi rem immobilem subiiciat solum hypothecæ, vt habetur *l. penul. C. de iis, qui veniam ætatis impetra.* Secus autem de alienatione eorum bonorum mobilium, quæ, nisi veniam ætatis obtinuisset, iudicis decreto indigebant, vt glossa *ibidem* affirmat: quoniam lex illa solum loquitur de alienatione bonorum immobilium.

25 *Venia ætatis quid, & cui concedenda.*

Quo loco obserua, de iure communi, *l. 2. C. de iis, qui veniam ætatis impetra.* sancitum esse, à Principe concedi posse veniam ætatis minoribus, hoc est, vt ad administrationẽ suorum bonorum perinde reputentur, ac si viginti quinq; essent annorum: at vero statutum esse, vt non concedatur masculis, nisi postquam vigesimum annum expleuerint, & fœminis postquam impleuerint decimumoctauum, & nisi moribus, eoque iudicio præditi iudicentur, vt idonei ad ea administranda censeantur, & tam ætas, quam reliqua coram iudice idoneis testibus comprobentur, comparante masculo per seipsum coram iudice, & fœmina per suum procuratorẽ. Qui autem veniam ætatis hoc modo à Principe consequitur, ita maior reputatur, vt valida sint, quæ postea gesserit, neque illi beneficium restitutionis in integrum deinceps concedatur, vt habetur *l. 1. C. de iis, qui veniam ætatis impetrar.* Si tamen ante veniam ætatis obtentam in aliquo fuissent læsi, quadriennium, quod post vigesimumquintum annum incepisset illis currere, vt beneficium restitutionis in integrum petere possent, incipit eis currere à die, qua veniam ætatis impetrarunt. Si tamen bonum immobile post veniam obtentam vsq; ad vigesimumquintum annum expletum sine iudicis decreto alienarunt, tunc inualida est talis alienatio, non secus ac si veniam ætatis non obtinuissent vt ex *l. penult. eiusdem tituli* relatum est. In his omnibus conueniunt *Lusitania Ordin. lib. 1. tit. 67. §. 64. & 65.* Additur tamen, idem esse de minore, qui cum facultate iudicis orphanorum contraxit matrimonium, & decimumoctauum annum expleuit. Tam enim huic, quam ei, qui veniam ætatis modo supra explicato obtinuit, tradere debet iudex orphanorum ad sua bona, perinde ac si vigesimum quintum annum expleuissent, validaq; sunt, quæ deinceps gesserunt, eo modo, quo explicatum est. Statuitur vero §. 64. *citato*, vt litteræ veniæ ætatis ab alio non concedantur, quam; *pellos desembargadores do paço*, & vt, si ab alio sint concessæ, ipso iure sint nullæ. De eisdem literis videtur esse sermo *lib. 1. tit. 3. §. vlt.* vbi idem statuitur, sed appellantur *cartas de emancipazaõ*, sumpta mancipatione pro venia ætatis, vt multi volunt: emancipatio namque à quocunque iudice concedi potest, vt dum de patria potestate sermo fuerit, dicetur: venia autem ætatis à solo Principe conceditur. Illud addẽdum est, de iure communi, *l. vlt. C. de iis, qui veniam ætatis impetrar* statui, præsertim in substitutionibus, tam directis quam fideicommissariis, & vniuersim in quacunque alia dispositione aut constitutione, si dicatur, vt aliquid detur alicui, aut fiat aliquid quando aliquis fuerit legitimæ ætatis, intelligendum id esse, de ætate viginti quinque annorum, neque satis esse si is veniam ætatis obtineat.

Ius Lusit.

26 Decreto iudicis indiget minor, non solum vt alienet rem immobilem de suo patrimonio, sed etiam vt illam remittat, renunciet, & desinat acquirere, quando iam ipso iure est sibi acquisitum dominium, vt habet ius ad illam: vnde remissio legari, aut fideicommissi de re immobili sine decreto iudicis est nulla, *l. magis puto. §. fundum. ff. de reb. eorum, & l. si ad resoluendam. C. de prædiis minor.* & affirmant A Anton. Gomez. 2. *tomo variar. resol. cap. 14. n. 14.* Gregor. Lopez *l. 18. tit. 16. par. 6.* & communis Doctorum sententia, quam referunt: in fauorem quippe minorum, etiam renunciare, aut non acquirere rem immobilem, eis sine iudicis decreto permissum nõ est. Quando autem actio, aut debitum esset alternatiue de immobili, aut certa pecunia, prout debitor magis vellet; tunc si minor in alterum id cedat, sine iudicis decreto ab euentu, quid soluere voluit debitor, pendet, verum talis cessio valida sit, an non, vt cum Bart. & alijs affirmat Gregorius Lopez *loco citato.* Si tamen remitteret debitori sine iudicis decreto, credo valida esset remissio: quoniam in potestate debitoris est eligere, soluere potius rem mobilem, vt remissionem validam efficiat.

B Iudicis decretum ad omnem alienationem late sumptam rei immobilis (prout eam explicabimus dum de alienatione rerum Ecclesiasticarum sermo fuerit) necessarium est, etiam ad hypothecam, *l. penult. C. de iis, qui veniam ætat. impetr. & l. si pupillorum. §. si pupillus. ff. de reb. eorum*, & affirmant Gregor. Lopez *l. 4. tit. 5. part. 5. verbo enagenar las cosas.* Ant. Gom. *nu. 14. citato*, & alij Doctores communiter. Item ad emphyteusim, & constitutionem vsufructus in proprio prædio, aut alienandum vsumfructum minoris constitutum in alieno prædio, & ita de quauis alia seruitute reali, *l. sed si pecunia. §. si ius, & sequentibus, ff. de rebus eorum, & l. vlt. C. de rebus alien. non alienand.* Simili modo ad transactionem circa rem immobilem, *l. non solum, C. de prædiis minor. l. cum ii. §. transactiones, ff. de transact.* & affirmat communis Doctorũ C sententia, quam Anton. Gomez, *n. 14. citato*, refert ac sequitur. Si tamen transactio fieret, ita vt res immobilis apud minorem maneret, ipse vero pecuniam solueret, valida esset transactio sine iudicis decreto. Qua ratione autem fieri non potest transactio circa rem immobilem sine iudicis decreto, eadem neque compromissum; quia est veluti transactio. Vtrumq; affirmant Bart. & alij, quos Ant. Gom. *ibidem nn. 15.* refert ac sequitur.

Quando parẽ aut testator iussit testamento, aut codicillo, vt bonum immobile minoris hæredis sine iudicis decreto posset alienari, valida est alienatio sine tali decreto. Ita habetur expresse *l. 1. in princ. & l. magis puto. ff. de rebus eorum, & tutelam, C. de administrat. tut. l. 1. C. quando decreto opus non est.* Habetque D hoc verum, etiamsi testamento minus solemni tradita sit ea facultas: quia sicut tutor datus à patre in testamento minus solemni confirmandus est, excusaturque à satisdatione, vt habetur *l. qui à patre, ff. de confirmando tutore*, eo quod paternum testimonium sufficiat: ita hac in parte sufficiat paterna voluntas, & testimonium, esto minus solemni testamento sint expressa; atque de hac etiam voluntate ita expressa intelligenda est *l. vlt. C. de rebus alien. non alienan.* consentiunt Bart. & alij Doctores, quos Ant. Gom. *2. tomo var. resol. c. 14. n. 16.* refert ac sequitur.

Dubium est, in euentibus, in quibus explicatum est, vt alienatio boni minoris valida sit, necessarium E esse iudicis decretum, quis iudex interponere debeat suam auctoritatem & decretum, vtrum iudex loci originis, an loci domicilij minoris (iuxta ea, quæ disputatio. 220. explicata sunt) an potius iudex loci vbi res alienanda est sita. Dicendum est, si tutor, aut curator datus à iudice loci domicilij aut originis, vniuersalis sit, quia de omnibus bonis minoris datus est, iuxta ea, quæ disputatione citata explicata sunt, indifferenter pertinere interponere decretum ad iudicem loci originis aut domicilij, & ad iudicem loci, in quo res est sita, & quicunque interponat, sufficit. Quod sufficiat decretum iudicis loci originis, aut domicilij, habetur expresse *leg. magis puto. §. illud queri. ff. de rebus eorum.* Quod vero spectet etiam ad iudicem loci in quo res est sita, est textus expressus *in l. si prædium, C. de præd. minor.* Consentit communis

27

29 *Dubium.*

Decisio.

Doctorum sententia, quam Antonius Gomez. 2. tomo variarum resolutionum cap. 14. num. 17. refert ac sequitur.

30 *Minorum causa.* Vt ad minorum causas accedamus. Pupillus, dū infans est id est, minor septem annis, vt habetur *l. si infanti, in princip. Cod. de iure deliber.* nihil efficere potest, quo vel ipse alteri obligetur, vel sibi alterū obliger: sed quicquid validum in ea ætate fieri debet in contractibus aut litibus minoris, siue illum defendendo, siue pro illo agendo, à solo tutore fieri debet: quia in ea ætate mente capto æquiparatur, eo quod non censeatur vsum rationis habere. Idem de eo, qui infantiæ est proximus, hoc est, qui non peruenit ad decimum annum cum dimidio, si masculus sit, aut ad nonum cum dimidio, si sit fœmina, (quando namque infra pubertatem eam ætatem excedunt, dicuntur pubertati proximi) est dicendum, nisi quod benigna iuris interpretatione, qui infantiæ proximi sunt, & longe maiori cum ratione, si ad pubertatem accedant, sine tutoris interuentu obligare in suum commodum actu suo alios possunt. Ita habetur §. *pupillus iuncta glossi. ibi, instit. de inutilibus stipulation.* & aliis iuribus, quæ mox citabimus.

31 Pupillus pubertati proximus, quemlibet ex prædictis actibus cum autoritate tutoris potest valide efficere, quo alteri obligetur, non vero sine tutoris autoritate: vt autem sibi alterum obliget, validus est actus pupilli sine tutoris autoritate: atque hac de causa claudicat sæpe contractus inter pupillum & maiorem, vt Iurisperiti dicunt: quia sine tutoris autoritate potest pupillus suam conditionem meliorem efficere, non vero deteriorem. Ita habetur *instit. de autor. tutor. in princ. & §. pupillus, instit. de inutil. stipul. & §. nunc admonendi, vsque ad finem tituli. instit. quibus alienare licet, vel non, l. contra iuris, in princip. ff. de pactis, l. in negotiis, & l. pupillus, ff. de regulis iuris, l. 1. C. de autoritate præstanda, l. neque tutoris, C. de contrahend. stipula. l. 4. tit. 11. par. 5. & l. 17. tit. 16. par. 6.* atq; affirmant Gregor. Lopez vtrobique, & Ant. Gom. *2. tomo var. resol. 6. 14. num. 1.* & Doctores communiter. Hæc eadem intelligenda similiter sunt de eo prodigo, cui bonorum administratio est interdicta, traditusque est ei curator, vt habetur *l. 5. tit. 11. p. 5.* & aliis iuribus, quæ Greg. Lopez ibi citat.

32 In contractibus, ex quibus obligatio mutua oriri solet, vt in emptionibus venditionibus, locationibus, conductionibus, &c. si à pupillo celebrentur sine tutoris autoritate, in hoc sensu alter pupillo manet obligatus, cum tamen pupillus obligatus ei vicissim non sit, quod pupillo integrum est non velle stare contractui, alter autem, si pupillus stare etiam velit, recedere non potest à contractu: atque hoc est quod habetur *inst. de autor. tutor. §. vnde in iis causis,* & aliis iuribus. Quare, si contractus neutra ex parte sit adimpletus; non tenetur alter adimplere contractum, nisi pupillus adimplere etiam velit, sed repellitur pupillus doli mali exceptione, vt patet *l. id quod §. vlt. ff. de rescind. vend.* quin & exigere alter potest ac debet, vt accedat autoritas tutoris, & decretum iudicis, quod, quando ex parte minoris eo contractu alienatur, iudicis decreto ad validitatē indiget, antequam ex sua parte contractum adimpleat. Quando vero contractus ex parte eius, qui cum pupillo contraxit, est adimpletus, si res, quam pupillo tradidit, integra sit, cogere poterit, vt sibi illa restituatur, ac rescindatur contractus, vel tutoris autoritas accedat, aut simul etiam iudicis decretum, vt contractus vtrinque ratus ac firmus sit, idque, siue iam pupillus ex sua parte contractum impleuerit, siue non. Si autem res, quam pupillo tradidit, integra nō permanet, velitque pupillus recedere à contractu, repetere eq; quod dedit, aut æstimationem illius, si res pupillo data consumpta sit, tunc datur imprimis ciuilis actio aduersus pupillum, vt reddat, quātum ex re illi vicissim collata locuples factus est, vt si domus loctaa ei fuit, quātum ex vsu illius fuit locuples effectus, & ita de cæteris rebus. Si quid etiam ex ea re dolo pupilli perit, datur etiam ciuilis actio aduersus eum, vt illud soluat, vtrunque habetur *l. 1. §. an in pupillum, ff. depositi, l. vnica, §. vlt. C. de rei vxor. actionibus, l. si furiosus, ff. de actionibus & obligationib. l. 3. §. pupillus, iuncta gloss. ibi. ff. de negot. gest. l. 3. in princip. iuncta gloss. ibi, ff. commodati, l. 5. in princip. ff. de autor. tutor. & l. pupillum, ff. de regulis iur.* Quando vero pupillus vel infans est, vel infantiæ proximus, de dolo non tenetur, quia dolus in eo non præsumitur: idemq; est de furioso & quocunque alio mente capto; sed solum tenentur quantum ex re alterius facti sunt locupletiores. Ita habetur argumento à contrario sensu, *l. pupillum, ff. de reg. iuris,* & apertius *l. quod infans, ff. de rei vendicatione, l. furiosus, & l. pupillus, ff. de actionibus & obligationib.* Atque hac eadem ratione hi omnes non solum ciuiliter, sed etiam naturaliter non censentur ex suo actu aut cōtractu obligari, solumque tenentur quatenus ex re alterius facti fuerint locupletiores, vt ex iuribus citatis colligitur, & affirmant gloss. in signis *l. pupillus. ff. de regulis iur.* & Doctores communiter.

Quamuis autem ex contractu sine tutoris autoritate celebrato, aut ex minori culpa, quam sit dolus, nō detur aduersus pupillum pubertati proximum ciuilis actio, atque adeo ciuiliter non maneat obligatus vt dictum est, manet tamen obligatus naturaliter, vt habetur *l. cum illud, §. hæres, ff. quando dies legati cedat, l. si eius pupilli, in princip. ff. ad Trebellia. l. 1. §. vlt. ff. de nouat.* & aliis iuribus. Excipiunt gloss. illa insignis *l. pupillus, ff. de regulis iur.* & quædam alię, quando pupillus cōtraxit cum tutore sine autoritate alterius tutoris: nam tunc neque naturaliter illi tenetur, iuxta *l. 5. in princ. ff. de autor. tutor.* nisi pupillus inde factus esset locupletior, quia tunc non solum naturaliter, sed etiam ciuiliter eidem teneretur quantum factus esset locupletior, vt eadem l. 5. subiungitur; eademq; ratione si dolo eam rem destruxisset, aut alienasset. Quia ergo, quādo quis tenetur solum naturaliter, si fideiussorem dedit, tenetur fideiussor ciuiliter; inde euenit, quod si pupillus sine tutoris autoritate contraxit ac fideiussorem dedit, cōceditur ciuilis actio aduersus fideiussorem, licet nō aduersus pupillum. Ita habetur *l. Marcellus, ff. de fideiuss. & l. vlt. §. si vero, ff. de iureiur.* Præterea, quia quando quis tenetur solum naturaliter, licet aduersus eum non detur ciuilis actio, admittitur tamē, vt alius debitum sibi naturaliter compenset cum ciuili & naturali, quod is eidē debet; hinc prouenit, quod quādo pupillus iuxta hactenus dicta, aliquid debet solū naturaliter, quia videlicet neque ex re alterius factus locupletior, neq; per dolum eam destruxit aut alienauit, sed culpa ad dolum non pertingente, quāuis aduersum eum non concedatur actio, si tamen pupillus, quod sibi debetur, petat, repellatur exceptione, quod debitor compensare velit debitum ciuile cum naturali, quod pupillus ei debet. Ita habetur *l. 3. §. pupillus ff. de negot. gest. & l. etiam quod, ff. de compens.* Glossa tamen §. *pupillus citato,* ait, pupillo per beneficium restitutionis in integrum concedi, non solum impedire compensationem eiusmodi, sed etiam, si facta iam sit, aut ipse soluit, quod solum naturaliter eo pacto debebat, repetitionem eius, quod ita solutum aut compensatum erat, vt habetur *l. interdum, iuncta gloss. ibi. ff. de condictione indebiti. leg. illud, in princip. ff. de minoribus, & leg. indebito. Cod. si aduersus solut.*

Ex hactenus dictis intelliges, quæ disponuntur *instit. quibus alien. vel non.* Inprimis namque §. *nunc admonendi,* disponitur, pupillum nihil posse alienare sine autoritate tutoris: quod gloss. recte intelligit, etiam quo ad possessionem. Inde vero colligitur, si pupillus sine tutoris auctoritate inuito de

33

pecu-

pecuniam, quoniam contractus est nullus; non A transferre dominium, eaque de causa, si pecunia existat, posse vendicari de potestate cuiusque, apud quem fuerit reperta: si vero non reperiatur, dari actionem aduersus mutuatarium, vt illam reddat.

35 Paragrapho *At ex contrario*, dispeniitur, si debitor soluat pupillo sine tutoris & iudicis autoritate, non liberari à debito, sed teneri iterum soluere, nisi pecunia, aut res, quam soluit, salua sit, aut ex illa tantùdem factus sit locupletior. quantum enim ex illa saluum manet, aut pupillus factus est locupletior, tantum non tenetur iterum soluere, etiam si sine iudicis & tutoris autoritate soluerit. Si namque pupillus, aut tutor loco illius, solutionè repetat, doli mali exceptione repellitur. Quod si soluit cum tutoris & B iudicis autoritate, aut solus iudicis, vt multi volunt (de quorum numero est *gloss. §. citato*) etiam si pupillus male expenderit, aut furto ab eo fuerit ablatum, manet debitor omnino securus, neque pupillo conceditur aduersus eum restitutio in integrum. Si verò soluat cum sola tutoris & sine iudicis autoritate, & rem solutam pupillus male consumpsit, aut furto fuit ab eo ablata, liberatur quidem à debito, sed conceditur pupillo restitutio in integrum aduersus debitorem. Excipe, quando solutio est redituum agrorum, vel annuæ pensionis (quæ, vt aliqui volũt, neque sit plurium quam duorum annorum simul, neque excedat valorem centum solidorum) nam tunc cum sola tutoris autoritate omnino liberatur, neque pupillo restitutio in integrum aduersus eum C conceditur, vt habetur *leg. sanctimus, 1. & leg. constitutionem. Cod. de administrat. tutor.* Prædicta omnia habentur §. *At ex contrario citato, & leg. 1. Cod. si aduersus solutionem*, atque summatim traduntur *à gloss. vltim. vtrobique.*

36 Paragrapho *vlt. Instit. eod. tit.* subiungitur, solutionem factam à pupillo sine tutoris autoritate inualidam esse, neque id, quod ita soluit, fieri accipientis; quod intellige, etiamsi, quod ita soluit, debitum sit, non solum naturaliter, sed etiam ciuiliter. Ratio est, quia non habet ius ad soluendum sine tutoris autoritate; eaque de causa vendicari potest si non sit consumptum. Merito ibi obseruat gloss. si res de numero sit earum, quæ sine iudicis decreto alienari nõ possunt, inualidam esse solutionem, nec dominium transferre, nisi simul facta sit interpositio iudicis de- D creto.

Hæc sunt, quæ de pupillorũ contractibus, pactis, & causis valde implexè, & sparsim traduntur in iure & glossis eius. Ea pro nostra tenuitate qua diligentia potuimus collegimus, atq; explanauimus. Remanet verò circa illa scrupulus, ex cuius dissolutione vtilè fortasse doctrinam trademus ad praxin confessionum. Commodius verò id fiet, si prius de eisdem factis iam pubertibus dixerimus.

37 *Minores pubertate.* Ea omnia, quæ hactenus de pupillis pubertati proximis dicta sunt, similiter habent locum, atque intelligenda sunt de eisdem puberib. iam factis, dum minores viginti quinque annis sunt, si tamen cura- E torem habeant. Quod si curatore careant, alienationes & pacta ab eis facta circa eas res ipsorum, quæ iudicis decreto non indigent vt alienentur, valida sunt. Quæ verò facta fuerint circa res, quæ decreto indigent, valida similiter sunt, si iudicis decretum interuenit: secus autem si interpositum non fuit. Semper tamen minor in integrum restituitur, si sit læsus, siue cum autoritate curatoris id fecerit, siue non, aut quia illam non præstitit, aut quia curatorẽ non habebat. Hæc omnia habentur, *l. si curatorem. C. de in integrum restitutione, l. 1. C. de autorit. præst. l. neque tutor. C. de contrahen. stipula. l. obligari. ff. de actio. & obligat. l. 4. tit. 11. par. 5. glos. l. pupillus, ff. de regulis iuris*, & aliæ aliis iuribus citatis, & communis Doctorum sententia, quam inter alios refert & sequitur Ant. Gom. *2. tomo variar. resol. cap. 14. num. 1.*

In iudicio autem, non secus atque in pupillis, in- 38
ualida vniuersim sunt, quæ sine curatoris autoritate egerint, si in ipsorum cedant incommodum: secus verò si in suum commodum eueniant: atque hac de causa, neque ad lites earum rerum, quas sine decreto iudicis possunt alienare, admitti solent sine curatore, saltem ad eam litem, vt disputatione 220. dictũ est. Vbi etiam explicatum est, quid dicendum sit in causis spiritualibus, aut de rebus annexis spiritualibus. Vnde quæ ibi dicta sunt. Esto autem curatoris interueniat autoritas, si minor iudicis sententia sit læsus, conceditur ei restitutio in integrum. Ita habetur *l. cum & minores, C. si aduersus rem iudicatam, iuncta l. non eo minus, Cod. de procuratoribus, c. constitutus, iuncta gloss. penultim. ibi, de in integrum restitutione, l. acta, §. vlt. & l. contra pupillum, ff. de re iud. l. 1. & 2. C. qui legitimam personam, & c. & l. clarum, C. de autorit. præstanda*, & affirmat glo. ff. *l. pupillus, ff. de regulis iuris.* Excipitur tamen *l. vlt. C. qui legit. person.* quando minor agit de sola possessione recuperanda, & non de proprietate: nam tunc valet iudicium factum sine autoritate tutoris aut curatoris: cæterum minor restituitur, si sit læsus.

Porro tuoris aut curatoris autoritas, siue in pa- 39
ctis, siue in iudicio, præstari debet statim in ipso negotio simul cum minori, & non ex interuallo longi temporis antea; alioquin acta nullam vim habebũt, *§. penult. iuncta gloss. ibi Inst. de autor. tutor. l. obligari. §. de tutor, iuncta etiam gloss. ibi, ff. eod. tit, l. si id quod, ff. de rescind. vend. & l. si quis mihi, §. iussum, iuncta gloss. ibi, ff. de acquir. hæredit.* Debet etiam præstare autoritatem per seipsum & non per nuncium, aut per epistolam; alioquin acta similiter nulla erunt, *l. obligari, §. tutor, & §. penult. Instit. de autoritate tutorum citatis, & leg. 17. tit. 16. part. 6.*

Scrupulus, qui circa hactenus dicta remanet, ta- 40 *Dubium graue.*
lis est: Si minor pubertati proximus, aut pubes curatorem habens, contrahens aut paciscens sine tutoris aut curatoris autoritate, obligatus manet naturaliter, vt supra ex iure ciuili ostensum est; consequens est, vt in foro conscientiæ sub lethali culpa (si materia ad eam sufficiens sit) teneatur pactum ex sua parte adimplere; eo quod naturalis obligatio vim habeat in foro conscientiæ. Inde verò vlterius sequitur, iniquas esse ciuiles leges, quæ auxilium dant, vt minores id non impleant, vtpote, quæ peccata & iniustitias foueant. Sequitur præterea, falsum esse minorem, dum mutuo dat, aut soluit, quod non solum naturaliter, sed etiam ciuiliter debebat, non transferre dominium, ac proinde corruunt, quæ ex Inst. *quibus alien. licet aut non*, supra relata sunt.

Ad hæc omnia ita respondendum est. Inprimis, 41 *Decisio.*
quod ad hoc vltimum attinet, dicendum est: Cũ ciuili iure introductum sit, vt non solis pactis, sed accidente simul traditione, trãsfertur dominium, intelligendum id esse de traditione eo dem iure ciuili ad id habili: talis autem non est, quam minor curatorem habens, sine autoritate tutoris aut curatoris facit, vtpote quæ ad eum effectum iuribus ciuitatis nulla sit effecta. Atque hinc fit, vt non solum quando debitum est solũ naturale, sed etiam quando simul est ciuile, solutio & traditio minoris sine tutoris aut curatoris autoritate dominium non transferat.

Quod ad reliqua attinet, dicẽdum est: Ita mino- 42
rem obligari naturaliter, vt iuris ciuilis dispositione (canonico etiam iure approbata) fas illi sit debitum naturale elidere, ac nullum reddere, vtendo aduersus illud priuilegio restitutionis in integrum, merito ob suam ætatem sibi in Reipublicæ cõmune bonum concesso: sicut etiam idem ius ciuile impediuit, ne ex contractu minoris cum suo tutore aut curatore debitum naturale oriretur, vt supra dictum est. Quia ergo ius ciuile, vt supra ostensum est, non solũ statuit, vt minor, antequam solueret, quod naturali-

turaliter tantum deberet, se tueri posset beneficio restitutionis, cassumq; proinde redderet tale debitum, ita vt in effectu non teneretur illud soluere, etiam si is; cui debetur, velle in eo compensare aliud suum debitum ciuile & naturale, sed etiam postquã soluisset, posse illud repetere vtendo eodem beneficio restitutionis in integrum; inde prouenit, quod ciuiles leges, quæ ea ratione debitum ciuile ex pactis minorum sine autoritate tutorum aut curatorũ impediunt, actionemq; proinde aduersus illum negant, neq; iniustitias, neq; peccata foueant, sed bono communi consulant.

43 Ex dictis infero, saltem quando contractus cum pupillo pubertati proximo, aut cum pubere curatorem habente onerosus est, vt sunt ludus, emptio, B venditio, locatio, &c. nullaq; in tali contractu in se spectato fuit inæqualitas, dolus, aut iniustitia, adultum ad nullam restitutionem teneri minori in foro conscientiæ, non solum quando alienatio ex parte minoris per ludum, aut alium cõtractum facta fuit cum tacita aut præsumpta tutoris aut curatoris voluntate, quia videlicet pecuniam illi concedit ad similes sumptus, sed etiam quãdo sine autoritate tutoris aut curatoris fuit facta. Hoc tamen secundum intelligo, interim dum minor, aut tutor, vel curator loco illius, id non repetit vtendo beneficio restitutionis in integrum. Ratio est, quoniam licet minor tali contractu, traditione, aut solutione, dominium non transtulerit, vt dictum est; id tamen debitũ est naturaliter accipienti de iniustitia, interim dum tale C debitum beneficio restitutionis in integrum nõ elidatur, ac extinguitur: quia sicut minor obligauit sibi de iustitia illum, qui secum lusit, aut alium contractum celebrauit, ita vt possit illum cogere stare contractui, neq; minor teneatur illi restituere, quod ab eo est lucratus, aut ex alio contractu, in se iusto, acquisiuit; sic vicissim minor manet eidem de iustitia obligatus naturaliter, quamuis non ciuiliter: vt autem quis non teneatur restituere alteri, quod cõscio illo obtinet, satis est, quod de iustitia sibi sit debitũ, neque ab illo repetatur, vtẽdo ad id priuilegio, quo gaudet. Quis enim dicat, si minor curatorem habẽs pallium, aut prædium iusto pretio, autoritate propria ab aliquo emit, factaque sit vtrinque traditio, teneri hunc pretium iuste acceptum idcirco restituere, quod traditio habilis non fuerit ad transferẽ- D dum dominium; cum tamen minor non teneatur restituere prædium aut pallium; quin potius cogere possit aduersarium inuitum stare contractui? Neq; enim solum dominium est, quod deobligat à restitutione, sed etiam ius accipiendi ac retinendi, quod quis obtinet. Doctrina hæc à molestia non modica liberat confessarios, non iniungendi restituendi onus in foro conscientiæ eis, qui cum pupillis, aut puberibus curatorem habentibus luserunt, aut alium iustum contractum celebrarunt, interim dum in foro exteriori minor à contractu non discedit. Sicut etiam minori, si quid ea via obtinuit, aut lucratus est, neq; in conscientia, neq; in exteriori foro incum E bit restituendi onus, vt iura ciuilia præscribunt, non secus, quam si vterq; maior esset, & omnino sui iuris. Hæc sane, quæ à nobis hactenus dicta sunt, non videntur, quantum sat est, expendisse *Con. 6. quamuis pactum, par. 2. §. 4. num. 10. & Ant. Gom. ad l. 3. Tauri, num. 124.*

44 *Tutoris ac curatoris præmiũ in Lusitania.* In hoc Lusitaniæ Regno tutori ac curatori, siue testamẽtarius sit, siue legitimus, aut datiuus, in præmium administrationis cõceditur vigesima pars redituum bonorum omnium minorum, itemque lucri, si quod pecunia illius comparatum sit (quod hodie, vt supra dictum est, locum non habet) non tamen accipere quicquam potest de stipendio, quod obsequiis suis minor aliis in seruiendo acquirit. Si tamen vigesima pars redituum bonorum minoris summam quinquaginta millium aureorũ nummorum A quos *reas* vocant, excesserit, pertinet excessus ad minorem ipsum. Quod si tutor aut curator testamentarius sit, testatorq; aliquid eis reliquit, in ipsorum optione est, vel id accipere, vel vigesimam redituum partẽ. In Regno Castellæ, ait Gaspar Mon- *Præmium* tetros *in sua practica, tract. 7. fol. 169. pag. 2.* statutã esse *in Castella.* in præmium tutoribus & cnratorib. decimam partem redituum bonorum minoris.

SVMMARIVM.

1 *Quando finiatur tutela, vsque ad num. 5.*
6 *Suspectus tutor & curator quis.*
7 *Quando propter inimicitias repellendus sit quis à tutela & cura tam suscipienda quam suscepta, remissiue.*
8 *Ad iudicis arbitrium spectat iudicare, vtrum in aliquo euentu ex aliquibus circumstantiis sufficiat inimicitia cum fratre, & quis repellatur à tutela & cura.*
8 *Tutor aut curator, qui coram iudice negauit minorem habere bona, vnde alimenta ei præstare possit, si comperiatur mendacium dixisse, remouetur tãquam suspectus.*
9 *Tutor aut curator, qui inuentarium non confecit, quãdo ea de causa suspectus sit habendus, remouerique proinde possit à tutela & cura remissiue.*
10 *Tutor aut curator, qui non defendit pupillum in iudicio aut bona illius, etiam quando ita necesse est, actionem pro eo ciuilem aut criminalem intentando, suspectus habetur, remouerique potest à cura.*
11 *Tutores & curatores, etiamsi testamentarij sint, remouendi sunt à tutela aut cura, si suspecti sint.*
12 *De crimine suspecti tutoris aut curatoris, quis possit accusare.*
13 *Eo ipso, quod tutor aut curator de suspecto est accusatus, lisque contestata, tradi à iudice debet minori curator, qui, interim dum lis pendet, curam minoris ac bonorum illius habeat, priorq; tutor aut curator ab administratione est suspendendus.*
14 *Quid, si tutor aut curator remoueatur à tutela aut cura, quod aliquid dolo commiserit aduersus minorem.*

QVANDO TVTELA AVT CVra finiatur, & qui tanquam suspecti ab illa sint remouendi.

DISPVTAT. 225.

TVtela inprimis finitur, statim ac pupillus aut pupilla, ad annos pubertatis peruenit, *instit. quib. modis tutel. finiatur, in princip. l. 12. & l. 21. tit. 16. part. 6.* 1
Quin tutor statim, ac pupillus ad paupertatem peruenit, tenetur illum admonere, vt curatorem petat, *l. ita autem, § si tutor ff. de administr. tut.* Si vero tutor quicquam administret postquã pupillus ad pubertatem peruenit, fideiussor non tenetur ad ea, quæ ita tunc administrauerit, *leg. Lucius Titius. §. Paulus. ff. de administrat. tutor.* Bart. quem refert ac sequitur Gregor. Lopez *l. 12. citata.*

Deinde finitur tutela, si impubes arrogetur, deportetur, vel in seruitutem redigatur, *instit. quibus mod. tut. fin. § item finitur, & l. 21. tit. 16. par. 6.* 2

Item morte, vel pupilli, vel tutoris, & capitis diminutione tutoris, per quam libertatem aut ciuitatem amittat, hoc est, maxima vel media, amittitur tutela. Similiter etiam maxima, media, aut minima capitis diminutione pupilli, id est, per arrogationẽ illius, tutela finitur, *inst. quib. mod. tutel. finiat. § simili modo, & § sed & capitis, & l. 21. citata.* 3

Præterea, si tutela sub conditione, aut ad certum tempus data sit, vt in testamentaria fieri aliquando consueuit, adueniente conditione, aut finito tempore, finitur tutela, *instit. eodem titul. § sed & si, & § præterea, & leg. 21. citata.* De iure Lusitano quando 4 *Iur. Lusitan.*

tutor

tutor aut curator est datiuus, solum durat administratio biennio à die, qua administrare cœperint, nisi tutor ipse, aut curator vlterius progredi voluerit: tunc enim, si recte illucusque administrauit, neque causa aduenerit, cur remoueri debeat, relinqui illi potest administratio. Ita habetur *lib. 1. ordin. tit. 67. §. 29. 30. & 36.* Idem disponitur de quocunque curatore dato mente capto, aut prodigo, modo non sit vxor, aut ascendens comparatione mente capti aut prodigi, vt habetur §. 46. A

5 Finitur etiam tutela aut cura, si tutores aut curatores legitima causa se excusent, tutelamque, aut curam relinquant, iuxta ea, quę disputatione 222. dicta sunt, aut si tanquam suspecti malique administratores à tutela aut cura remoueantur, *§. vlt. Instit. quibus modis tutela finiatur, & l. vlt. tit. 16. par. 6.* Quacunque autem ex causa tutela aut cura finiatur, rationem integram administrationis reddere tenentur, restituereque bona omnia minoris, vel ipsi, sui iuris omnino effecto, vel successori illius, vel ei, qui in tutela aut cura succedit, suntque bona omnia tutoris aut curatoris tacitę hypothecata pro restituendis integre bonis minoris.

6 *Suspectus tutor & curator.* Suspectus tutor aut curator inprimis is est qui talibus minoribus est affectus, vt præsumendum merito sit, eum infideliter bona minoris administraturum, aut minorem ipsum prauis moribus infecturum ac peruersurum. Quod si quis in aliqua alia tutela aut cura talem se præbuit, aut modo statim explicando, alimęta minori negauit, suspectus est habendus ad nouam tutelam aut curam suscipiendā. Porro, qui ante tutelam aut curam susceptam suspectus agnoscitur, ad illam non est admittendus: admissus vero, ab ea est repellendus, etiamsi fideiussores idoneos offerat: quoniam satisdatio prauum illius animum non mutat. Sola autem paupertas neminem suspectum tutorem, aut curatorem efficit. Hæc omnia habentur *Instit. de suspectis tutoribus, §. suspectus, & §. penultimo & vltim. l. suspectum, leg. suspectus, & l. quia satisdatio. ff. eodem tit. leg. si creditores. ff. de priuilegio creditor. & l. 1. titulo 18. part. 6.* Qui vero ob segnitiem, rusticitatem, inertiam, aut simplicitatem, à tutela aut cura merito remouetur, aut ad eā tanquam ineptus non admittitur, non appellatur suspectus, sed ineptus ad tale munus, neque infamiam ex remotione ab eo incurrit. *leg. 3. §. vlti. ff. de suspect. tut.* B C D

7 Quando propter inimicitias repellendus sit quis à tutela aut cura, tam suscipienda, quam suscepta, expliratum est disput. 221. & 222. Adde *l. 3. §. si tutor. ff. de suspect. tutor.* vbi subiungitur, *generaliter si qua alia iusta causa prætorem mouerit, cur non debeat in tutela versari, reiicere eum debebit.* Vbi vides, iudicis arbitrio relinqui iudicare, vtrum quæuis alia causa iusta sit, vt ad tutelam aut curam quis non admittatur, vel admissus remoueatur.

Quare licet §. citatus de inimicitia cum patre minoris loquatur, ad iudicis arbitrium spectat iudicare, vtrum in aliquo euentu ex aliquibus circumstantiis sufficiat inimicitia cum fratre: atq; hoc est quod vult *lex 1. titul. 18. part. 6.* vt Gregorius Lopez *ibidem* exponit. E

8 Tutor aut curator, qui coram iudice negauit minorem habere bona vnde alimenta ei prestare possit, si comperiatur mendacium dixisse, remouetur tanquam suspectus; quin & puniri debet. Remouetur etiam tanquam suspectus, si quæsitus à iudice, vt alimenta minori decernantur, copiam sui non facit. Hæc habentur *§. si quis tutor, & §. si quis, Instit. de suspect. tutor. l. 3. §. tutor. ff. eodem titu. & leg. 1. tit. 18. parte sexta.*

9 Tutor aut curator, qui inuentarium non confecit, quando ea de causa suspectus sit habendus, remouerique proinde possit à tutela aut cura, disput. 223. dictum est.

10 Tutor aut curator, qui non defendit pupillum in iudicio, aut bona illius, etiam, quando ita necesse est actionem pro eo ciuilem aut criminalem intentando, suspectus habetur, remouerique potest à cura, *leg. vlt. in prin. C. de administ. tut. & l. 1. tit. 18. par. 6.*

11 Tutores & curatores, etiamsi testamentarij sint, remouendi sunt à tutela aut cura, si suspecti sint, *§. & quidem omnes, Instit. de suspect. tutor. l. 1. §. ostensum. & leg. 3. §. non tantum, ff. eodem titul.* quæ meminit etiam curatoris furiosi ac prodigi. Idem disponit *l. 2. titul. 18. part. 6.* Si autem patronus tutor aut curator sit liberti sui, suspectusque habeatur, accusari & remoueri potest, sed non incidit ea de causa in infamiam, & idcirco in sententia exprimi non debet causa cur remoueatur; consilium etiam est, vt curator pupillo simul cum illo tradatur, *Instit. §. citato, & leg. 1. §. ostensum, iuncta leg. si tutor. ff. de suspectis tutoribus.*

12 De crimine suspecti tutoris aut curatoris, potest quiuis de populo accusare, nō solum masculus, sed etiam fœmina, modo, si necessitudine aliqua minori coniuncta nō sit, iudex sentiat, eam ex pietate moueri, non vero appetitu accedendi ad hominum cœtus, *l. 1. §. consequens, ff. de suspectis tutorib. leg. pietatis, C. eodem tit. §. consequens, Instit. eodem tit. & l. 2. titu. 18. par. 6.* Excipitur libertus, qui ad accusationem sui patroni non admittitur, *l. 3. §. liberti. ff. de suspect. tutorib.* Pupillus quidem accusare non potest de suspecto suum tutorem; pubes vero admittitur ad accusationem sui curatoris, modo de consilio suorum cognatorum id efficiat, *l. pietatis. C. de suspect. tutor. §. impuberes, Instit. eodem tit. & l. 2. tit. 18. par. 6.* Iudex etiam ex officio suo quacunque ratione cognoscat tutorem aut curatorem non bene suum munus administrare, suspectumve esse, potest ac debet illum remouere, nullo id petente, *l. 3. §. præterea, ff. de suspect. tutor. & l. 3. tit. 18. par. 6.*

13 Eo ipso, quod tutor aut curator de suspecto est accusatus, lisque est contestata, tradi à iudice debet minori curator, qui, interim dum lis pendet, curam minoris ac bonorum illius habeat; priorque tutor aut curator ab administratione est suspendendus, *§. si quis autem, Inst. de suspect. tutor. l. eum quem, Cod. eodem titulo, & leg. 3. titu. 18. parte sexta.* Neque valida est solutio facta tutori aut curatori, postquam lis de suspecto aduersus eum fuerit contestata, *l. quod si forte, §. 1. ff. de solut.*

14 Si tutor aut curator remoueatur à tutela aut cura, quod aliquid dolo commiserit aduersus minorem, eo ipso efficitur infamis: secus autē si propter solam culpam leuem, aut leuissimam, imo etiamsi ob latam culpā fuerit remotus, nō efficitur infamis, *§. suspectus autem remotus, Instit. de suspect. tutor. l. 3. §. vltim. & leg. sequenti. ff. eodem titul. l. vlt. C. eodem titu. & l. 4. tit. 18. par. 6.* Si causæ in accusatione apponantur, ex illis censetur remotus, nisi aliud sententia dicat, *l. autem, in prin. ff. de suspect. tutor. & Gregor. Lop. l. 4. citat.* Hactenus dicta similiter habere locum in tutoribus & curatoribus, præter alia iura habetur *l. in postulandis. C. de suspect. tutor. & l. 4. citata.*

SVMMARIVM.

1 *Quæ quæstiones disputandæ sint.*

DE QVA BONORVM PARTITIONE futurus sit sermo, & quæ ante illam explicanda sint.

DISPVTAT. 226.

1 COnsequenter, iuxta ea, quæ initio disputationis 214. dicta sunt, de bonorum defuncti partitione est agendum. Quoniam vero, quando matrimonium

nium morte alterius coniugis dissoluitur, prima bonorum partitio fit inter coniugē superstitem & hæredes defuncti, de hac primo loco erat differendū. Quia tamen, vt melius explicetur, multa necesse est prius dicere de contractu societatis bonorum inter eos, commodius de illa disputabimus, dum de contractu societatis sermo fuerit. Nunc de partitione bonorum cuiusque defuncti inter ipsius hæredes, siue illi ex testamento, siue ab intestato hęredes sint, dicamus. Potissimum vero sermo erit de partitione inter descendentes defuncti, quoniam hæc maiorē difficultatem continet, eaq; explanata, cæteræ facile intelligentur. Explicabitur autem, quæ vnusquisque eorum ad collationem cum aliis adducere teneatur, aut nō teneatur. Vt vero hoc melius præstemus, necesse est prius dicamus de patria potestate, & de variis bonorum generibus.

SVMMARIVM.

1 *De iure ciuili Romanorū introducta est patria potestas, quo ad effectus illius disputatione sequenti explicādos.*
2 *De iure communi, supremus ascendentium masculus, qui superstes est, quos in sua potestate habeat.*
3 *Ex eo, quod aliquis ascendentium patriam egrediatur potestatem per emancipationem, descendentes huius per lineam masculinam, qui tempore talis emācipationis erant nati, aut solum concepti, non manebant sub huius potestate supremi ascendentis superstitis: illi verò, qui post eam emancipationem concipiebantur, manebant sub huius potestate, extra potestatem supremi ascendentis.*
4 *Mortuo supremo ascendentium, qui descenderunt similiter per lineam masculinā ex proximo ascendēte superstite, reincidebant in ipsius potestatem, essęq; proinde incipiebant filiifamilias comparatione illius.*
5 *Filij, de iure Lusitano & Castellæ, solū sunt in potestate patris, non aliorum ascendentium, nec per mortē patris relabuntur in aui paterni potestatem.*
6 *Illegitimus sub patria potestate non est.*
7 *Quid, si legitimatus sit per subsequens matrimonium.*
8 *De iure antiquo, quādo filius naturalis per oblationem curiæ legitimabatur, transibat in potestatem patris.*
9 *In potestatem alterius transit etiam quis interdum per adoptionem, qua ab eo in liberum recipitur, à quo per carnalem propagationem non descendit.*
10 *Vt valida sit arrogatio à quo fieri debeat.*
11 *Infans nullo modo arrogari potest: impubes vero potest, & à quo.*
12 *Vt arrogatio impuberis valida sit, quid facto opus est.*
13 *Qui arrogatur, eo ipso in potestatem arrogatoris trāsit, cum effectibus omnibus patriæ potestatis.*
14 *An arrogator extrahere possit arrogatum à sua potestate eam emancipando, arrogationemq; dissoluendo.*
15 *Quod si sciens & prudēs Princeps arrogarorem filios, aut ipsem filiorum habere, arrogationem alicuius cōcedat, ita quanta debetur, dummodo ea de causa nō plus obtineat, quam filij legitimi.*
16 *Adoptio presse quę.*
17 *In adoptione presse sumpta quorū consensus requiratur.*
18 *Quid, quando is, qui hoc pacto adoptat, extraneus est.*
19 *Quid, quando is, qui adoptat, auus aut proauus est in prædictis euentibus.*
20 *Quid, quando auus post mortem patris naturalis emācipasset filium quem adoptauit, paterq; naturalis ita de bonis suis disposuisset, vt ad alios bona deuenirent.*
21 *Nepos ita adoptatus, licet non emancipetur, solum succedit patri adoptiuo ab intestato in Castella: ex testamento vero pater adoptatiuus nihil tenetur illi relinquere, si velit.*
Qui adoptari & arrogari possint.
22 *Adoptare quis potest.*
23 *Adoptare quis potest.*
24 *Qui generare non possunt, si à natura tales sint, nec adoptare, nec arrogare possunt: secus de iis, qui ex accidēti generare non possunt.*
25 *Libertum alienum nec arrogare, nec adoptare quis potest, secus suum proprium libertum.*
26 *An tutor aut curator arrogare possit eum, cuius tutelā aut curam administrauit.*

DE PATRIA POTESTATE, ET simul de arrogatione & adoptione.

DISPVTAT. 227.

DE iure ciuili Romanorum introducta est patria potestas quoad effectus illius disputatione sequenti explicandos, vt habetur *inst. de patria potest. §. ius autem.* Qui vero sub patria est potestate, filiusfamilias appellatur; comparatione eius parentis, sub cuius potestate est, Interdum etiā à iure dicitur esse in sacris paternis, *l. si vitia mater, C. de bonis mater. & aliis iuribus.* Lege inter alios Pinel. *in Rubr. par. 2. nu. 4. C. de bonis matern.* 1

De iure communi supremus ascendentium masculus, qui superstes est, habet in sua potestate descendentes suos omnes per lineam masculinam, siue masculi siue fœminæ illi sint, & siue sint coniugati, siue soluti, modo tamen legitimi sint, omnesq; proinde sunt filiifam. comparatione illius; esto vigesimūquintū ætatis annum excedant: quoniā diuersum quid est, esse quempiam minorē, & esse filiumfamilias. Hæc habētur *inst. de patria potest. in prin. & § qui igitur, iuncta gl. ibi, si pater datur, & l. sic euenit, ff. ad l. Iul. de adult. § per missum est, & duobus seqq. inst. de tutela, § si vero, iuncta gl. ibi, inst. de adoption. § sed & si pater, & § illud autem, inst. quib. mod. ius patriæ potest. sol. at. l. 1. & seqq. tit. 17. par. 4.* Filiæ igitur & neptes ex filio, & pronep- 2
In quę & quorū comparatione cō muni iure resideat,
tes ex nepote filio filiæ, sunt de iure cōmuni in potestate supremi ascendentis superstitis: quia omnes per lineam masculinam descendunt. Comparatione vero matris, aut auiæ vel proauiæ, siue auiæ aut proauiæ sint ex parte matris siue patris, nullus dicitur esse filiusfam. aut in ipsarum potestate, esto nullus alius ascendens superstes sit, idemq; est comparatione aui, aut proaui materni: quoniam comparatione eorum nepotes & pronepotes descendunt per lineam fœmininam. Ita habetur *inst. de patria pot. §. qui igitur, l. 2. tit. 17. par. 4. vbi de conuers. infidelium,* & aliis iuribus.

Ex eo vero, quod aliquis descendentium patriā egrediebatur potestatē per emancipationem, aut alia ratione descendentes huius per lineam masculinam, qui tempore talis emancipationis erāt nati, aut solum concepti, non manebant sub huius potestate supremi ascendentis superstitis: illi vero, qui post eā emancipationem concipiebantur, manebant sub huius potestate, extra potestatē supremi ascēdentis. Ita habetur *§. illud autem, inst. quib. modis ius patriæ potest. sol.* consentit *l. liberum, ff. de adoptionib.* quę ait, *integrum esse supremo ascendentium superstiti emancipare filium, & relinquere sub sua potestate nepotem & pronepotem, aut emancipare nepotem & pronepotem, & relinquere in sua potestate filium.* Consentit præterea *l. si me tibi, ff. de capt. & postlim. reuers.* 3

Mortuo supremo ascendentiū, qui descenderunt similiter per lineam masculinam ex proximo ascendente superstite, reincidebant in ipsius potestatem, essęq; proinde incipiebant filiifamil. comparatione illius. Vt mortuo proauo, & superstite auo, filij & nepotes talis aui incipiebant esse sub potestate ipsius; & mortuo auo & proauo, pater incipiebat habere proprios filios sub sua potestate. Ita habetur. 4

De iure vero Lusitano & Castellæ, quoniam per matrimonium tam vxor, quam maritus, patriam egrediuntur potestatem, suiq; iuris efficiuntur, disp. 5
Ius Castell. & Lusit.

219. dicetur, filij solum sunt in potestate patris, non vero aliorum ascendentium (nisi illis in adoptione tradantur, vt postea dicetur) neque per mortem patris relabuntur in aui paterni potestatem, etiam in Lusitania, quicquid per errorem Ordinationes dixerint, vt supra disputat 220. dictum est. Quo fit, vt pleraque ex iis, quæ dicta sunt, locum in his regnis non habeant.

6 *Illegitimus in Hispania potest fieri sui.* Dictum est supra, *modo tamen legitimi sint*: quoniã illegitimus, etiamsi naturalis sit, nõ est sub patris potestate de iure horum regnorum, neque de iure cõmuni sub potestate supremi ascendentis per lineam masculinam. Ita habetur *instit. de patr. potest. in princ. & l. 2. tit. 17. part. 4.*

7 Excipitur, nisi legitimatus sit per subsequens matrimonium: nam tunc in patris (& de iure communi, supremi ascendentis superstitis) transit potestatem, *instit. de nupt. & alibi verb.* Neque ad id iam hodie necessarium est, quod fuerit genitus ex concubina vnica domi retenta, aut quod instrumenta dotalia fuerint confecta iuxta dispositionem illius iuris & aliorum ciuilium, vt disputatione 172. ostensum est.

8 *Legitimati sub patria sunt potestate.* De iure antiquo excipiebatur etiam, quãdo filius naturalis per oblationem curiæ legitimabatur, §. *aliquando instit. de nuptiis.* Hodie vero legitimati per rescriptum Principis, etiam si spurij sint, modo tamen in legitimationem tandem consentiant, in parentis transeunt potestatem: vt habetur in authent. *quibus mod. natur. effic. ut* § *generaliter* & cum Couar. *2. part. epit. c. 8* §. *8. num. 5. & alij*, diximus disput. 173. quibus adde Pinel. *l. 1. p. t. n 59. C. de ber. matr.* & plerosq; alios, quos citat: secus autem cum eisdem autoribus addidimus rem habere in dispensatis.

9 *Arrogatio quid.* In potestatem alterius transit etiam quis interdum per adoptionem, qua ab eo in liberum recipitur, à quo per carnalem propagationem non descendit. Quod vt intelligatur, obseruandum est. Adoptionem esse duplicem. Quædam est, qua is, qui filius familias non est, vel quia ascendentes per lineam masculinam non habet, vel quia per emancipationem, aut alia ratione egressus est eorum potestatẽ, ab aliquo adoptatur. Atque eiusmodi adoptatio peculiari nomine arrogatio nuncupatur. Ita habetur §. 1. *instit. de adoptionib. l. 1. & l. 3. ff. eodem tit. l. 7. tit. 7. & l. 1. tit. 16 par 4.*

10 Vt autem valida sit, fieri debet à supremo Principe, aut ex ipsius delegatione per peculiare rescriptum, *l. 2. l. arrogationes, & l. in adoptionem. C. de adoptionib.* §. *imperatoria autoritate, iuncta gl. ibi. instit. eod. tit. leg. 4. ff. eodem tit. l. 7. tit. 8. & l. 1. tit. 16. par. 4.* Debet etiam fieri Principe, aut eo, cui per rescriptum rem delegat, interrogante arrogatorem, vtrum velit recipere in filium, nepotem aut pronepotem arrogandum, & similiter interrogante arrogandum, an id fieri patiatur, & vtroque annuente: atq; hinc eiusmodi adoptio arrogationis nomẽ accepit, eo quod fieri debeat rogando vtrumque an ita fieri velit, *l. ff. de adopt. l. 7. tit. 7. & l. 1. tit. 16. part. 4* alioquin arrogatio est inualida.

11 Quia ergo necesse est vt arrogandus expresse consentiat, vt arrogatio valida sit, hinc est, quod infans nullo modo arrogari potest; tametsi adoptari possit specie alia adoptionis, *l. in adoptionib. iuncta glo. ibi, ff. de adoptionib. & l. 4. tit. 16. par. 4.* consentiuntq; alia iura supra citata. Qui vero impubes est septimumq; annum excedit, arrogari potest, sed præterquam, quod fieri debeat à solo Principe, aut ex delegatione illius per rescriptum fieri etiam debet præcedente causæ cognitione per iudicem, inquirendum namque est, num filios habeat. Qui namque filios habet, aut spem illos habendi quia sexagenarius non est; neque ob morbum aut alia ratione impeditus ad eos habendum, potius generationi filiorum, quam arrogationi aliorum, vacare debet, præsertim cum inde patrimonij minuetur legitimis filiis, minusq; obtinebit arrogandus ex bonis illius, *l. si paterfamilias, §. in arrogationib. & l. nec ei. §. præterea. ff. de adoptionib. & l. 4. tit. 16. par. 4.* vbi Gregor. Lopez omnino, propter iura citata, arbitratur eum, qui liberos habet, aut spem illorum, arrogare non posse, & videtur intelligere, etiam puberem: iura tamen citata, si recte expendantur, solum statuere videntur, vt inter alias circumstantias id attendatur, vt circumstãtiis omnibus expensis iudicetur, num minori arrogatio expediat, regulariterque, qui liberos habuerit, aut spem illorum, abrogandis alienis erit repellendus. Is tamen, qui liberos habet, adoptare potest filium alienum, vt colligitur aperte *ex l. qui in adoptionem, vers. sed filiæ meæ. & ex l. si quis nepotem. ff. de adopt. & loco citato* Gregor. Lopez affirmat. Item inquirere debet iudex, num arrogatorem moueat pia affectio ad arrogandum, aut suspicio sit sinistræ alicuius intentionis: & nũ coniunctus sit arrogando: inde enim pia affectio & commodum arrogandi præsumitur: præterea quibus moribus sit præditus, & qualis famæ sit, quas item facultates habeat, & quales pupillos, vt inde etiam iudicetur, num arrogatio pupillo expediat. Denitq; cæteræ concurrentes circumstantiæ expendendæ sunt in causæ cognitione: quin & *l. 2. C. de adoption b.* exigi simul videtur, testimonium coram iudice propinquorum impuberis, qui iudicent arrogationem illi vtilem esse. Hæc omnia habentur *l. nec ei ff. de adopt. §. cum impubes, instit. eod. tit. & l. 4. tit. 16. p. 4.*

12 Præterea, vt arrogatio valida sit, arrogator tenetur coram tabellione fideiussores dare, si impubes ante puberratem è vita discesserit, se omnia bona illius restituturum eis, ad quos aduenirent, si ille arrogatus non fuisset. Ita habetur *inst. de adoptionibus, §. sit autem impubes, versi. & cum quibusdam, l. nec ei, in fine, & quatuor seqq. ff. eod. tit. l. 2. C. eod. tit. & l. 4. tit. 16. par. 4.* Eo tamẽ ipso, quod impubes ad puberratem venit, cessat obligatio fideiussorum, vt glos. iuribus citatis affirmant, atque ex ipsis iuribus aperte colligitur. Quo autem pacto fieri debeat instrumentum arrogationis, habetur *l 92. tit. 18. par. 3.* & latius apud Gaspar. Monter *in pract. tract. 7. fol. 194.*

13 Qui arrogatur, eo ipso in potestatem arrogatoris transit, cum effectibus omnibus patriæ potestatis. Quin, si ipse liberos in sua potestate habeat, aut ei postea nascantur, in potestatem arrogatoris eo ipso transeunt, tanquam arrogatoris nepotes: quod locum habet etiam in liberis ab arrogato arrogatis, §. *illud præterea, inst. de adoptionibus, l. 1. §. vltim. & leg. si paterfamilias, in princ. ff. eodem tit. & l. 7. tit. 16. parte quarta.* Licitum etiam est arrogare aut adoptare in locum nepotis aut pronepotis aliquem, etiamsi is, qui adoptat, filium non habeat, potestque quis filium alienum adoptare in locum nepotis, & nepotẽ in locum filij; §. *licet autem, & §. & tam filium, instit. de adoption.*

14 Arrogator extrahere non potest arrogatum à sua potestate eum emancipãdo, arrogationemque dissoluendo, nisi ex iusta causa, legitimeque coram iudice probata. Quales sunt duæ tantum. Vna, si arrogatus talem iniuriam arrogatori faciat, quæ ad reuocandam donationem sufficiens sit, iuxta ea, quæ suo loco dicemus. Altera est, si quis arrogatum sub ea conditione hæredem instituat, si arrogator eum emancipauerit, ex suaue potestate extraxerit. Ita habetur *instit. de adopt. § cum autem impubes, vers. item non aliter, iuncta gl. ibi, & l. 7. tit. 16. part. 4.* Atq; in hoc euentu nihil illi relinquere tenetur arrogator, sed solum tenetur ei tradere omnia bona illius, quæ à principio & progressu temporis accepit, deducto vsufructu, quem arrogator ratione patriæ potestatis ex eis bonis sibi acquisiuit. Ita habetur *instituat. loco cit. ato. & gloss. ibi*, secundum primum intellectum, quem vere textus ibi facit, & multo apertius

l. vlt.

l.vlt.ff.si quid,in fraudem patron. Sanciuitque *l.7.titu. 16.part.4.* atque amplectuntur Bart.& alij,quos Gregor.Lopez *ibidem* refert ac sequitur. Quod si arrogator,dum viueret,sine iusta causa cum emancipauit,vel in morte sine iusta etiam causa exhæredauit aut præteriit,vltra bona,quæ in toto progressu ẽporis ex arrogato accepit, tenetur de omnibus suis bonis quartam partem illi relinquere: si vero eam non reliquerit,hæredes ipsius eam soluere. Ita habetur §.*cum autem impubes,vers.sed & si decedens,instit. de adopt.l.vlt.ff.si quid in fraudem patron.& l.8.tit.16.p. 4.* Quin si arrogatus post arrogationem è vita discedat; nondum quarta ei soluta, transmittit illam ad hæredes,*l.si arrogator,ff.de adoptionib. & l.1.§.si impuberi,ff.de collat.bonorum.* Arrogator vero non potest impuberi arrogato substituere, nisi in sola quarta; quam illi vt minimum relinquere tenetur; neq; potest illi in ea imponere grauamen fideicommissi post ætatem pupillarem; secus autem in alijs bonis, si quæ vltra quartam illi relinqueret, *leg.si arrogator citata.* Quando autem arrogator sine legitima causa filium emancipasset, atque ab intestato discessisset, credo filius arrogatus nihil aliud haberet in bonis illius,quam quartam,idque siue arrogatus impubes esset,siue pubes,iuxta ea,quæ mox dicam: idque de impubere confirmat aperte,*l.1.§.si impuberi,ff.de collat. bonorum.*

Quando arrogator alios filios naturales, ac legitimos habebat, iam supra dictum est, cõcedendum non esse à Principe, vt quenquam arroget: imo neque,si spem habeat filiorum. Quod si sciens & prudens Princeps illum filios vel spem filiorum habere (alioquin subrepticia esset censenda cõcessio) arrogationem alicuius concedat,arg.glos.*inst.de adopt. vers.vlt.tit.* cui consentiunt communiter Doctores, quos Greg.Lopez *l.7.citata* sequitur, ita quarta deberi,dummodo ea de causa non plus obtineat, quã filij legitimi; alioquin solum succedet cum filijs legitimis,ac si de numero eorum esset, consonant *l.2. hæreditas,& §.prætu refert,ff.de jure & leg.hæred. & inst. de leg.agno.succ.§.per adoptionem.* Liberi autem arrogati excludunt ascendentes arrogatoris,*l.2.§.l.veri, ff.ad Tertull.* Quod de quarta dictum est, similiter est intelligendum,si arrogatus pubes sit. Ab intestato vero quicunque filius arrogatus succedit in omnibus bonis arrogantis tanquam hæres suus, vt patet *inst.t.de hæred.quæ ab intest.deferan.§.intestatorem.vers. nec interest.* Quod si arrogans alios filios legitimos, aut arrogatos habeat, arrogatus succedit æqualiter cum illis,vt ex *l.2.& ex §.per adoptionem citatis* patet. Excipitur in Regno Castellæ *iux.l.2.lib.4.fori,* in hoc & in præcedenti euentu, quando arrogatori nascuntur filij legitimi post arrogationem factam: nam tunc arrogator solum potest ei relinquere de quinto suorum bonorum,quod voluerit;non vero potest præiudicare legitimis filiorum legitimorum eas minuendo,vt tribuat arrogato.Ita Greg.Lop.*l. 7.citata.* Excipitur præterea, nisi ab arrogatore ante mortem fuisset emancipatus:tunc enim non succedit arrogatori ab intestato, sed habetur tanquã extraneus comparatione illius,vt habetur *inst.de exhæred.lib.§.adoptiui & inst.de hæred.quæ ab intest.defer. §.at ii,& §.minus.* Quod si pater naturalis superstes adhuc sit,quando ab arrogatore emancipatur, tunc succedit patri naturali cum aliis liberis non secus,ac si nunquam fuisset arrogatus, §.*at ii citato.* Veruntamen tunc si emancipatus fuit aut exhæredatus ab arrogatore sine iusta causa,ad collationem cum fratribus naturalibus tenetur adducere quartam, quæ de bonis arrogatoris per mortẽ illius ipsi debetur, vt habetur,*l.1.§.si impuberi ff.de collat.bonorum.* Si vero naturalis pater moriatur perseuerante arrogatione,filius arrogatus nõ succedit ei cum aliis fratribus,sed solum arrogatori,in cuius potestate est. Idẽ etiam est,si postquam pater naturalis mortuus est,e-

Ius Castellæ.

A mancipetur ab arrogatore: nam tunc si cum iusta causa emancipetur,nulli succedit: si veto sine causa iusta emancipetur aut exhæredetur, solum obtinet quartam in bonis arrogatoris.Hæc habentur *inst.de hæred.quæ ab intest.defer.§.at ii,& §.eadem hæc, vers.eos vero.*& confirmantur *l.penult.§.vlt.C.de adoptionibus.* Illud tamen est obseruandum, quamuis, qui arrogati perseuerant, aut post mortem patris naturalis ab arrogatore emancipantur, non succedant patri naturali discedenti ab intestato tanquã liberi; succedere tamen ei, quasi cognatos quare licet, si parẽs ille naturalis hęredes suos habeat,siue legitimos siue emancipatos,aut filios naturales emancipatos, nullíq; alteri arrogatos,hunc omnino excludant ab

B hæreditate,si tamen hic inter cæteros agnatos proximior sit in gradu, vt quia est filius, aut nepos aui naturalis,qui filios non habeat, succedit tali parenti ab intestato tanquam agnatus proximior in gradu. Ita habetur *inst.de hæred.quæ ab intest.defer.§.admonẽdi.* Parens tamen non tenetur quicquã ex testamẽto illi relinquere,sed licite potest illum præterire.Illud postremo est obseruandum, filium arrogatum aut adoptatum, etiam ab auo aut proauo materno; aut etiam interdum paterno,iuxta ea, quæ mox dicẽda sunt,non amittere iura materna comparatione matris naturalis,sed perinde succedere illi ex testamẽto & ab intestato, & dicere posse nullum testamentum illius,si ab ea exhæredetur aut prętereatur,ac si

C à nullo altero esset arrogatus aut adoptatus, vt patet *ex l.pen.§.neque enim C.de adop.*illis verbis: *Quis enim materna iura posset abolere* (adoptione scilicet) *cum videatur & ex antiquo naturæ patrem quidem habere adoptiuum,matrem autem eam,quam natura cognouit?* Ratio autem est,quæ eisdem verbis tangitur, quia videlicet fœminæ neque arrogare, neque adoptare permittitur,vt postea dicemus.Quod si vir quemquam arroget aut adoptet, vxor illius non manet agnata illi,sed tanquam nouerca,vt habetur *leg.qui in adoptionem,ff.de adoptionibus.* quia ergo arrogatus, aut adoptatus eodem modo comparatione matris naturalis manet:egreditur vero interdum potestatem

D patris naturalis, & transit in potestatem arrogatoris,& interdum in potestatem adoptantis, vt dicetur:inde euenit, quod quamuis ius succedendi patri naturali, interdum per arrogationem aut adoptionem varietur, ius tamen succedendi matri naturali inuariatum manet.

16 Alia est adoptionis species, quæ nomen cõmune retinet,appellaturque adoptio presse. Ea vero est, quando filiusfamilias ab alio in liberum recipitur,à quo immediate non est carnaliter genitus. Satis aũt est si fiat coram iudice loci.Ita habetur §.1.*inst.de adopt.l.1.& 2.tit.16.part.4.* Differt ergo, præter ea,inter arrogationem, & hanc adoptionem, quod hæc est filijfam.illa vero eius, qui extra patriam erat potestatem,vt supra dictum est. *Adoptio presse.*

17 In adoptione presse sumpta requiritur & consensus patrisfam.& etiam filij adoptandi sed satis est, si fit tacitus filij adoptandi; quia videlicet non cõtradixit,*l.in adoptionib ff.de adoptionib.l.vlt. C.eod. tit. &* E *l.vlt.tit.16.part.4.* Merito excipitur, nisi filius taceret metu,vel nimia reuerentia,vt cum Baldo,Panor.& aliis affirmat Greg.Lop.*l.1.cit* Quin si filiusfam.infans sit, satis est præsumptus consensus illius, consentiente expresse patrefamilias,*l.etiam infantem.ff. de adoptionib.*

18 Quando is qui hoc pacto adoptat, extraneus est, hoc est, non de numero ascendentium adoptandi, tunc adoptatus non transit in potestatem adoptantis,sed manet in potestate patris naturalis, qui illum in adoptionẽ dedit neq; adoptans quicquam comparat in bonis adoptati Integrum est etiam adoptanti dissoluere quocunque voluerit tempore adoptionem,eaq; dissoluta,neque ex testamẽto, neq; ab intestato illi succedit filius adoptiuus. Quod si

adoptans è vita discedat, adeptione non dissoluta, tunc nihil ex testamẽto tenetur relinquere filio adoptiuo: si vero discedat ab intestato, succedit illi (nõ vero aliis cognatis illius) filius adoptiuus in omnibus illius bonis, si nullum alium liberũ habeat, nec naturalem, nec adoptiuum, alioquin succedit illi æqualiter cum aliis liberis. Quia ergo filius ita adoptatus in potestate manet patris naturalis, ita illi succedit, ac si ab extraneo non esset adoptatus. Quod si pater naturalis eum exhæredet aut prætereat, dicere potest, testamentum eius nullum, non secus ac si adoptatus non esset, siue pater naturalis, durãte adoptione, siue iam dissoluta, è vita discedat. Hæc omnia habentur *§. sed hodie. instit. de adoptionib.* §. *sed hæc omnia. instit. de hæredit. quæ ab intestat. deferun. l. penult. in princ. & §. quia igitur, & §. sed ne ac reliquis sequentib. C. de adopt. iunct. l. si parens, C. de suis & legit. hared. & l. 8. & 9. tit. 16. part. 4.* In Regno tamen Castellæ ait Greg. Lopez *l. 8. citata gloss. vlt.* si pater adoptiuus filios habet naturales, adoptiuum non succedere cũ illis ab intestato, sed patrem adoptiuum posse solũ illi relinquere ex suo quinto, quod voluerit in suo testamento, iuxta *l. 5. tit. 6. & l. 9. tit. 5 lib. 3. fori, & l. 1. tit. 22. lib. 4. fori*: non tamen habeo ad manum librũ, vbi tenorem illarum legum expendere possim.

Ius Castel.

19 *Adoptatus ab ascendente.*

Quando autem is, qui adoptat, auus aut proauus est maternus adoptati, vel etiam paternus, si nepos aut pronepos extra illorum erat potestatẽ, solumque erat in potestate patris, quia conceptus quando pater erat iam extra potestatem aui aut proaui, iuxta ea quę supra dicta sunt; id quod semper habet locum de iure Lusitano & Castellæ, eo quod per matrimonium pater egrediatur potestatem suorum ascendentium. Quando, inquam, is, qui adoptat, auus aut proauus est in prædictis euentibus, tunc adoptatus transit omnino in illorum potestatem, egreditur que potestatem patris, solumque patri adoptiuo succedit tam ex testamento, quam ab intestato: nõ vero patri naturali, nisi tanquam agnatus ab intestato, eo modo quo de filio arrogato dictum est: neque dicere potest nullum testamentum patris naturalis, esto in eo prætereatur aut exhæredetur; sed solum poterit dicere nullum testamentum patris adoptiui, hoc est, aui aut proaui, qui illũ adoptauit. Quod si talis pater adoptiuus alios liberos habeat naturales aut adoptiuos, vna cum illis succedit æqualiter: integrum tamen semper est patri adoptiuo eiusmodi filium emancipare, atque eo ipso egreditur potestatem illius, neque plus iuris habet ad bona illius, quam si nunquam ab eo fuisset adoptatus. Si tamen pater naturalis superstes tunc sit, reincidit in illius potestatem, perindeq; illi succedit, ac si nunquam traditus ab eo fuisset in adoptionem. Hæc omnia habentur *l. pen. §. si vero pater. C. de adoptionibus, iuncta l. pen. ff. eod. tit. & l. si vbi parens. C. de suis & legit. hæredibus §. sed hodie, vers. si vero pater. instit. de adoptio. §. sed ea omnia, instit. de hæred. quæ ab intest. deferun. & l. 8. & vlt. tit. 16. par. 4.*

20 Quando autem auus aut proauus post mortem patris naturalis emancipasset filium quem adoptauit, pater que naturalis ita de bonis suis disposuisset, vt ad alios deuenirent, *glos. l. pen. citata, § si vero pater, verb. reuerti, C. de adoptionib.* varias opiniones refert, ad quid auus tunc teneretur. Et quidem quando talis nepos aut pronepos auo aut proauo loco patris defuncti non succederet necessario, probabilius videtur, talem emancipatum manere excluſum ab vtraque hæreditate, iusque eo in euentu non prouidisse, præsumens ascendentem ita coniunctũ nunquam id effecturũ, nisi in euentu, in quo talis emancipatus adeo esset ingratus, vt dignus omnino esset, qui exhæredaretur.

21 Greg Lopez *l. 8. tit. 16. par. 4 gl. vlt.* iuxta eam legẽ vult, neporem ita adoptatum, etiamsi non emancipetur, solum succedere patri adoptiuo ab intestato in Regno Castellæ: ex testamento vero patrem adoptiuum nihil teneri illi relinquere, si velit. Præterea *l. vlt. eiusdem tituli* vult, iuxta iura fori supra citata, quãdo essent alij descendentes legitimi proximiores in gradu, qui illum excluderent, solum de quinto suorum honorum auum aut proauum adoptantem posse illi relinquere quod voluerit; non tamen posse minuere legitimas eorum. Quin ait, etiam de iure communi succurri, non solum descendentibus, sed etiam ascendentibus legitimis, remedio querelæ inofficiosæ donationis, quãdo ex adoptione aut ex arrogatione alicuius sequebatur imminutio legitimarum descendentium aut ascendentium, citatque pro hac sententia Angelum & quosdam alios. Hoc tamen non credo esse verum: quoniã sunt aperta iura ciuilia, quæ illis præiudicare posse, non non solum in arrogatione, sed etiam in adoptione, statuunt, vt sunt, *l. si te parens. C. de suis & legit. hæred. & l. 2. §. liberi. ff. ad Tertullia.* Qui aliquem arrogauit, aut ita adoptauit, vt in ipsius transiret potestatem, tradere potest alteri in adoptionem eum, quem sic arrogauit aut adoptauit, §. *n plurimis, instit. de adoptionibus.*

Adoptari & arrogari possunt, non solum masculi sed etiam fœminæ, §. 1. *instit. de adopt. l. 2. §. imperis, & l. nam & fœmine, ff. eodem titu.* Adoptare vero aut arrogare non possunt fœminæ, nisi ex priuilegio & rescripto Principis ad solatium liberorum in bello amissorum, aut in vtilitate & commodo publico, *l. mulierem, C. de adopt. § fœmina. instit. eodem tit. & l. 2. tit. 16. part. 4.* Quia nuis autem fœmina alienum filium aut filiam arroget, non transeunt in ipsarum potestatem vt notat gloss. *l. mulierem, & §. fœmine citatis.* Cum enim proprios filios legitimos nõ habeant in sua potestate, vt § *fœmina citato* dicitur, multo minus habebunt alios arrogatos aut adoptatos.

Vt quis adoptare aut arrogare alium possit, esse debet sui iuris, & insuper excedere debet arrogandum aut adoptandum decem & octo annis, §. *minorem, instit. de adopt. & l. 2. tit. 16. par. 4.* Si vero quis plures adoptet, satis est, si vnumquemque eorum decẽ & octo annis excedit, vt *glo. ibid.* ait. 23 *Adoptare quis potest.*

Qui generare non possunt, si à natura tales sint; neque adoptare, neque arrogare possunt. Qui vero ex accidenti generare non possunt, quia morbo, aut alia ratione genitalia aut vtrumque testiculum amiserunt (qui spadones dicuntur) aut maleficio impediti sunt, arrogare & adoptare possunt, §. *sed & aliud, instit. de adopt. l. 1. vers. illud vtriusque, ff. eodem tit. l. 2. & 3. tit. 16. par. 4.* Vnde quia initiati ordinibus sacris, nõ à natura generare impediti sunt, sed ex superueniente castitatis voto, adoptare possunt, vt bene cum Panormitano affirmat Syl. *verb. adopt. nume. 5.* quicquid cum aliis Gregor. Lopez *l. 2. tit.* in contrarium dicat. 24

Libertum alienum neque arrogare, neque adoptare quis potest: secus autem suum proprium libertum, *l. paterfamilias, §. vltim. in fin. iuncta gloss. ibi,* & iuribus quæ eadem gloss. citat, *ff. de adopt. & l. 4. titu. 16. part. 5.* Longe autem maiori cum ratione adoptare nemo potest seruum alienum. Quod si suũ proprium adoptet, eo ipso liber efficitur, §. *vlt. instit. de adopt.* 25

Tutor aut curator arrogare non potest eum, cuius tutelam aut curam administrauit, nisi postquam ille fuerit viginti quinque annorum, aut nisi ex priuilegio Principis, *l. nec ei, in princip. iuncta l. nonnunquam, ff. de adopt. & l. 6. tit. 6. part. 4.* Excipitur, nisi tutor aut curator iam reddidisset rationem integram suæ administrationis, atq; à tutela & cura cessasset, vt cum Bartol. affirmat Greg. Lopez *l. 6 citata*, consentit; *l. nec ei citata*, dum eiusce prohibitionis hanc rationem dedic, ne forte eum arroget, ne rationes reddat. 26

SVMMA-

SVMMARIVM.

1 *Referuntur quatuor effectus patriæ potestatis, vsque ad num.4.*

5 *Quidam alij casus excipiuntur, in quibus contendere possint ad inuicem in iudicio. vsque ad nu.7.*

8 *Filius legitimus nullũ ex suis ascendentibus extra quorum potestatem sit, potest in ius vocare, nisi petita & obtenta prius facultate a iudice.*

9 *An de iure canonico filius agere possit indifferenter contra patrem.*

10 *Filiusfamilias, etiamsi 25. annum excedat, neque intentare aduersus alium potest actionem sine consensu eius, in cuius potestate est, neque alius aduersus illum, nisi consciо & vocato eo, sub cuius potestate est.*

11 *Hoc non est intelligendum, quãdo lis est de bonis castrensibus aut quasi castrensibus.*

12 *Vtrum intelligendum etiam id sit in aliis actionibus tã ciuilibus quam criminalibus, quæ & filiofamilias, & aduersus filiumfamilias quondam de iure Digestorum etiam sine autoritate & consensu patris competebant.*

13 *A regula tradita tria excipiuntur. num. 14. 15.*

16 *Quintus effectus patriæ potestatis.*

17 *Quæ de filijs legitimis & naturalibus comparatione ascendentium dicta sunt habent etiam locum comparatione patris & ascendentium per lineam paternã tam in ecclesiastico quam seculari foro.*

18 *Quid, si vel ascendens, a quo alimenta petuntur, neget eum, qui petit, suum esse descendentem, vel e contra.*

19 *Constante matrimonio nec interueniente diuortio filij à patre & matre de communibus bonis sunt alimentandi: quid si factum sit diuortium.*

20 *Post matrem & patrem qui proximiores fuerint in gradu descendentibus, tenentur eis alimenta præstare, & è contrario descendentes ascendentibus.*

21 *Nomine alimentorum quæ intelligantur.*

22 *Liberti tenentur filios patroni, imo & matrem & patrem patroni alere, si nec ascendentes nec descendentes habeant, à quibus alantur.*

23 *Vtrum frater fratri aut sorori inopi, & quæ aliunde ali non potest, teneatur præbere alimenta.*

24 *Pater alimenta tenetur præstare filio adoptiuo, nõ secus ac filius eius naturalis, cæteraq; onera patris naturalis in eum transeunt.*

25 *Sextus effectus patriæ potestatis.*

26 *Hic effectus in quos conueniat.*

27 *Seniores seculares, qui propinqui aliquorum non sunt, possunt interdum moderate punire filios & alios similes pro excessibus suis, quãdo ipsorum propinqui præsentes non sunt, qui id præstent.*

28 *Septimus effectus patriæ potestatis.*

DE EFFECTIBVS PATRIAE potestatis.

DISPVTATIO *228.*

EXplicauimus disputatione præcedente, qui, & quorum comparatione dicantur esse sub patria potestate. Nunc de effectibus patriæ potestatis est dicendum. Eos commemorat Gloss. §. *ius autem, Instit. de patria potest.* Præcipui sunt qui sequuntur.

1 *Primus effectus patriæ potestatis.*

Primus, quondam quicquid filius acquirebat, præter castrensia bona aut quasi castrensia, pleno iure acquirebat patri in cuius potestate erat, siue is naturalis parens, siue adoptiuus esset. Hodie vero profectitia bona similiter pertinent ad patrẽ, de aduentitiis autem solum obtinet administrationem & v-

A sumfructum, dominium vero pertinet ad filium, de qua re dicemus copiosè, si prius, quæ bona aduentitia dicantur, inferius exposuerimus.

2 *Secundus.*

Secundus, pater necessitate & egestate illum cogente, quam aliter euadere non possit, potest vendere filium, qui in ipsius est potestate, id quod late exposuimus disput. 33. explicando tertium titulum, quo quis licite in seruitutem redigitur. Hoc tamen extendendum non censeo ad patrem, qui per arrogationem aut adoptionem filium habet in potestate. Præterea reiiciendum quod lex Castellæ 8. *tit.* 17. *p.* 4. & Greg. Lopez cum ea *ibidem* addit. Nempe, licitum esse patri, qui castrum sibi à rege commissum habet, interficere & comedere filium, ne ob ipsius famem castrum ab hostibus capiatur, & ne ipse pereat. Id namque intrinsece malum est, cum naturali B iure & quinto præcepto decalogi pugnans, atq; adeo illicitum & iniustum: neque mala sunt vnquam facienda, vt damna præsertim temporalia, vitẽtur, aut vt eueniant bona.

Lex Castell. improbatur.

3 *Tertius.*

Tertius, si filiusfam. sine consensu patris, in cuius potestate est, alicui seruit, aut ab aliquo detinetur, poterit pater eum ad se reducere, interdicto de liberis exhibendis aut educendis. Eodem etiam modo iudicis autoritate potest ad se reuocare filiumfamilias fugitiuum, qui sibi obedire non vult. Excipitur, nisi à matre detineatur, quando plus expedit apud illam esse, vt si tit tẽpore quo lactatur, aut ob patris nequitiam, vel sæuitiam, *l.* 1. & *seqq. ff.* & *C. de liber. exhibend.* & *l* 10. *tit.* 12. *par.* 4. Hæc vero non similiter locum habent comparatione parentis, in cuius C potestate non est filius: præsertim si extra illius tutelam ac curam sit. De iure communi, quando filia, quæ sub patris perseuerabat potestate, coniugata erat, non poterat illam petere à coniuge, nisi vt moderate illam propria potestate ob excessus in patrẽ commissos puniret: quin potius maritus eã à patre sibi exhiberi, vt secum cohabitaret, poterat efflagitare, idemq; hodie potest: *l.* 3. *vlt.* & *l.* 2. *ff. de liber. exhibit.* & *l. vlt. C. eod. tit.* Dixi, *de iure communi*: quoniã de iure Lusitano & Castellæ per matrimonium patriam egreditur potestatem.

4 *Quartus.*

Quartus, neq; filiusfam. potest contendere in iudicio cum eo, in cuius potestate est, nisi de castrensi aut quasi castrensi peculio. neque similiter is, in cuius potestate est, potest cum filiofamil. contendere, D nisi de eodem peculio, *l. si nulla, ff. de iudicis, l. actiones, ff. de actionib. l. si quis vxori sed & filius, ff. de furtis, l. si dubitetur, §. vlt. an fin. ff. de fideiuss. iuncta l. cum oportet, in princip. vers. eodem seruando. Cod. de bonis quæ liber.* vbi, quod de peculio castrensi sancitum est, ad quasi castrense docetur extendi, *l.* 11. *taul.* 17. *par.* 4. & *l.* 2. *tit.* 2. *part.* 3.

5 Quidam alij casus excipiuntur, in quibus cõtendere possunt ad inuicem in iudicio. Vt si agatur de filij statu, vtrum sub patria sit potestate, aut non: *l.* 1. *C. de patria potest. l.* 2. *tit.* 2. *par* 3. & *gloss. l. si nulla citata.* Item si filius alimenta, quibus indiget, petat à patre, aut pater similiter à filio de castrensi aut quasi castrensi peculio, *l. si quis à liberis, in prin. ff. de liber. agnosc. l.* 2. *citata*, & *Gloss. citata.* Item in euentibus, in quibus disput. sequenti dicemus, filium cogere posse patrẽ vt eum de patria educat potestate, contendere potest filiusfamilias cum patre, *l.* 2. *citata gloss.* Item, si pater dilapidet bona aduentitia filij, esto dolo id non efficiat, contendere potest filius in iudicio, vt ab administratione eorum remoueatur, & vel sibi, si maior sit, tradatur, vel instituatur curator aliquis eorũ bonorum, qui illa tuto administret, *l. imperator. ff. ad Trebellian. Bart. & alii ibi, l. vlt. §. antiores, C. sententiam passis. & l.* 2. & *gloss. citatis.* Atq; in hoc euentu amittit pater vsumfructum in eiusmodi bonis aduentitiis filij, solumque, si indigeat, tradenda sunt illi alimẽta ex fructibus, vt satis innuit *l. imperator, & l.* 2. *citata.* & Greg. Lopez cum Paulo Castr. ibi affirmat.

6 Vtrum autem, quando pater ſine iuſta cauſa alienat bonum immobile aduentitium filij, poſſit filius contendere cum patre in iudicio, & id impedire. Bart. *l. imperator*, negat: quoniam filio ſatis eſt conſultum in hoc euentu, eo quod poſt mortem patris poſſit illud vendicare de manu emptoris, aut alterius, ad cuius poteſtatem deuenerit, iuxta *l. 1. C. de bon. mat.* & alia iura, & cum, ob reuerentiam paternam, à ratiocinijs & cautionibus filio præſtãdis pater excuſetur, *l. vlt. §. ſin autem non habeat, C. de bonis quæ liberis*. Merito tamen Greg. Lopez *l. 2. citat.* cum Paulo Caſtrenſi excipit, ſi pater bona immobilia filijfamilias alienet poſſe retineri, à quo difficile poſtea vendicabuntur, vel ei, quilla deteriorabit; aut de patris dolo conſtet.

7 Præterea poteſt filiusfam. contendere cum eo, in cuius poteſtate eſt, ſi talis filius agat nomine alieno, & non proprio, vt ſi agat tãquam tutor, curator, aut procurator alterius. Ita Gloſſa recepta *l. In nulla, ff. de iudicijs, argum. l. quæſitum eſt, ff. de in ius vocan.* Id tamen intelligendum eſt, ſi agat *in commodum* illius, cuius nomine agit: ſecus vero ſi quis ei ceſſiſſet actionem aduerſus patremfamilias, ageretque iam in ſuum proprium commodum: nam tunc non conceditur ei actio, vt habetur *l. actiones, ff. de actionibus*, & cum Gloſ. *ſi pater, v. rb. filius tuus, ff. de iure dotiũ*, Paulo Caſtrenſi, & aliis, affirmat Gregor. Lopez *l. 2. tit. 2. par 3. gloſſ. 1.*

8 Filius ſiue legitimus, ſiue illegitimus ſit, nullum ex ſuis aſcendentibus, extra quorum poteſtatem ſit, ſiue maſculis, ſiue fœminis, poteſt in ius vocare, niſi petita & obtenta prius facultate à iudice. In quibus autem euentibus concedi debeat, & in quibus non, ad quintum tractatum ſpectat explanatio. Hæc habentur *l. 4. & ſeqq. ff. de in ius vocand. l. vlt. C. eod. tit. l. 3. tit. 2. par. 3. & l. 11. tit. 17. par. 4.*

9 De iure canonico ait Gloſſ. *cap. quæritur, 2. quæſt. 7. & gloſ. in verb. regulariter, cap. vlt. de iudiciis lib. 6.* filium agere poſſe indifferenter contra patrem. Melius tamen Panorm. *in cap. non eſt, de ſponſal. lib. nu. 1. & 2.* iuxta caput illud, *& l. vlt. de iudiciis lib. 6.* ait, id ſolum eſſe verum, quando agitur de ſpiritualibus, aut de annexis ſpiritualibus, vt de reddenda vxore marito, quæ à mariti patre iniuſte detineatur, aut de reditib. Eccleſiaſticis filio à patre reſtituendis, aut de eruendo patre à peccato: in quibus tantum euentibus intelligẽdum eſt cap. quæritur citatum, quod eſt diui Auguſt. in aliis autem euentibus non eſt diſcrimen inter ius Pontificium & Cæſareum.

10 Filiusfamilias, etiamſi vigeſimum quintum annum excedat neque intentare aduerſus alium poteſt actionem ſine conſenſu eius, in cuius poteſtate eſt; neque alius aduerſus illum, niſi conſcio & vocato eo ſub cuius poteſtate eſt. Qui tamen, ſi filiusfamilias ad aliquid tenetur, à iudice cogitur, vel illum defendere, vel ſuum præſtare conſenſum, vt aduerſus filium agatur. Ita habetur *l. vlt. in prin. iuncta gloſſ. ibi, verb. imponenda, C. de bonis quæ liber. & cap. vlt. §. vlt. iuncta gloſſ. ibi verb. regulariter, de iudi. lib. 6. l. 7. tit. 2. par. 3. & l. 11. tit. 17. par 4.*

11 Hoc vero non eſt intelligendum, quando lis eſt de bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus filij: quoniam ſicut circa eiuſmodi bona eſſe poteſt lis inter patrem & filium, multo magis eſſe poteſt ſine conſenſu patris inter filium & quemcunque alium; eo quod horum bonorum cõparatione filius quaſi paterfamilias reputetur, *leg. prima, §. vltim. iuncta lege 2. & gloſſ. ibi, ff. ad Maced.* Neque item intelligendum eſt, quando lis eſt de bonis profectitiis, circa quæ ad ſolum patrem pertinet lis, ac defenſio, vtpote cuius ſunt ea bona pleno iure, *l. cum oportet, C. de bonis quæ liber.* Neque item quando lis eſt de iis bonis aduentitiis, quorum *comparatione* pater habet vſumfructum: quoniam eorum adminiſtratio, lis, atq; defenſio ad ſolum patrẽ ſimiliter pertinet; tametſi filij etiam requiritur cõſenſus, ſi infantiam excedat, *l. vlt. §. vbi autem, C. de bonis quæ liber.* Eſt ergo id intelligendum, quando vſusfructus eorum bonorum pertinet ad filium, aut pater vſumfructum ei reliquit: tũc enim adminiſtratio pertinet ad filium, ſed lites neque intentare, neq; defendere poteſt ſine autoritate & conſenſu patris. Ita Gloſſ. cit. & Doctores cõmuniter. Obſerua, quamuis alienationes factæ à filiofamil. de bonis aduentitiis, quorum vſusfructus & adminiſtratio pertinet ad patrem, validæ non ſint, niſi fuerint factæ de conſenſu patris, vt diſputatione 261. oſtendemus, nihilominus filiusfamil. teneri de cõtractibus factis poſt pubertatem, etiamſi ſine patris conſenſu ſint factæ, vt ibidem dicetur.

Vtrum vero intelligendum etiam id ſit in aliis actionibus tam ciuilibus, quam criminalibus quæ & filiofamilias, & aduerſus filiumfamilias quondam de iure digeſtorum, eriam ſine autoritate & cõſenſu patris competebant, iuxta *leg. filiusfamil. ff. de actionib. l. noxiali, & duabus ſeq. ff. de noxalibus actionib. & §. vlt. inſtitut. eod. titul.* ita vt correctum id ſit. *l. vltim. C. de bonis quæ lib.* Gloſ. ibi id controuertit, atque ſecurius hoc eſſe; atque hanc ſententiam amplectitur Grego. Lopez *l. 7. citat.* conſonantque lex illa, & *l. 11. tit. 17. §. 4.* quæ vniuerſim loquuntur. Credo tamen, ſi pater ad monitus accedere non vellet, vt authoritatem, & cõſenſum præberet, filiumque, ſi vellet, defenderent, valida eſſent, quæ ſine tali autoritate & conſenſu fierent. Obſerua tamẽ, de iure digeſtorum ſolum quaſdam actiones concedi filiofamilias aduerſus alios, non vero omnes. vt conſtat ex *l. ſi longius. §. vlt. iuncta Gloſ. vlt. ibi. ff. de iudiciis.* 12

A regula tradita excipitur. Primo, ſi is ſit de re ſpirituali, vt de matrimonio, beneficio aut alia ſimili, vel ſit de re annexa ſpirituali, vt de fructib. beneficij, tunc enim, ſi filius pubes iam eſt, conſenſus patris nõ requiritur, vt expreſſe habetur *c. vlt. §. vlt. de iudiciis. lib. 6.* ſi tamen filius impubes eſſet, nec patris accederet conſenſus aut defenſio, dandus illi eſſet curator ad litem modo diſp. 220. explicato, aut autoritate iudicis modo etiam ibi explicato, procuratorem loco ſui deberet conſtituere. 13

Excipitur ſecundo, ſi filius nomine & commodo alieno agat: ſicut enim in hoc euentu agere poteſt cũ eo, in cuius poteſtate eſt, vt ſupra eſt explicatum, multo magis ſine patris autoritate & conſenſu agere poteſt cum quocunque alio *Gloſ. c. vlt. §. vlt. de iudiciis, lib. 6. & Gloſ. l. vlti C. de bonis quæ lib.* Concinit *c. quigeneraliter. §. 1. de probat. lib. 6.* vbi definitur, filium familias ſine patris conſenſu conſtitui poſſe procuratorem, non ſolum ad negotia, ſed etiam ad iudicia: vt tamen ad iudicia conſtituatur, neceſſe eſt, vigeſimum quintum annum excedat, vt *§. vlt. ibid.* ſubiungitur. 14

Tertio excipitur, ſi filius familias longe diſtat ab eo, in cuius poteſtate eſt, vt quia ſtudiorum, aut alia de cauſa, diſtat à patre, vel pater in locum diſceſſit longinquum: tunc enim fas eſt; & filio agere aduerſus extraneum & extraneum aduerſus talem filium ſine patris autoritate & conſenſu. *l. ſi longius. § 1. ff. de iudic. l. 7. ti. 2. part. 3. & l. vlt. tit. 17 part. 4.* Si tamen filius vigeſimum quintum annum non excedit, dandus eſt ei curator ad litem. Ita habetur *l. 7. & l. vlt. citatis*, & affirmant *Gloſ. vlt. cit. argumento l. datum. C. de autoritate præſtanda.* 15

Quintus effectus patriæ poteſtatis traditur ab aliquibus, filium teneri alere parrem, ſi aliunde commode ali non poſſit: ſicut è contrario, pater alere tenetur filium, quando filius de ſuo, aut aliunde commode ali non poteſt. Gloſſa tamen. *§. ius autem. inſt. de patria poteſtate*, recte ait, hunc non eſſe effectum patriæ poteſtatis, quoniam vniuerſim parentes alere tenentur illo pacto liberos, ſiue ſub illorum ſint poteſtate, ſiue non, & ſiue legitimi ſint, ſiue naturales; & liberi viciſſim alere ſimili modo tenentur parentes 16 *Quintus effectus.*

rentes, vt habetur *l. si quis à liberis, & sequentib. ff. de liberis agnoscendis, l. vlt. & ipsum autem. Cod. de bonis quæ lib. l. 1. & sequentib. ff. de liber. agnoscendis, l. vltima, §. ipsum autem, Cod. de bonis quæ lib. l. 1. & sequentib. Cod. de alien. liber. l. & sequentib. tit. 19. par. 4. authentic. quibus modis natur. effic. sui, §. si quis igitur habens, authent. ex complexu, Cod. de incestis nuptiis, authent. licet, Cod. de natur. lib. & l. filia tua, Cod. de patria potestate.* vbi idem de filia statuitur comparatione parentum. Habet autem id verum, etiamsi filia coniugata sit. Tum quia matrimonij contractus impedire nequit mutuum hoc debitum inter parentes & liberos. Tum etiam, quoniam eiusmodi onus, mutuumque priuilegium, æque conuenit viro comparatione suorum ascendentium, & vxori comparatione eorum, quæ vxori ascendentes sunt. Quare etiam inuito marito & occulte, quando, si palam faceret, iurgium inter ipsos esset, posse eiusmodi debitum exoluere. Si tamen multi essent descendentes in eodem gradu, qui ad alimenta præstanda tenerentur, eaque præstare possent, filia refragante coniuge solum posset soluere partem, quæ ipsam contingit, nō vero quas alij soluere tenentur, esto sua nequitia soluere eas nolint.

17 Quæ de filiis legitimis & naturalibus comparatione ascendentium dicta sunt circa alimenta necessaria præstanda, licet de iure Cæsareo locum nō habeant in spuriis comparatione patris & ascendentium per lineàm paternam, vt ex authenticis citatis constat, solumq; habeant locum comparatione matris, & ascendentium per lineam maternam, vt habetur *l. si quis à liberis §. idem in liberis ff. de lib. agnosc. & l. 5. tit. 19. par. 4.* hodie tamen post *cap. cum haberet, de eo qui duxit in matr. quam poll. per adult.* locum habet etiam comparatione patris & ascendentium per lineam paternam, non solum in Ecclesiastico, sed etiam in seculari foro, estque sancitum de iure Lusitano & Castellæ, vt disput. 168. ostensum est: vbi copiosè explicata sunt, quæ de eiusmodi alimentis præstandis, siue legitimi, siue illegitimi sint, quibus præstari debent, dici poterant.

18 Pauca tamen hoc loco adiiciam. Primum est. Si vel ascendens, à quo alimenta petuntur, neget eum, qui petet, suum esse descendentem, vel è contrario, descendens neget petentē suum esse ascendentem, tunc iudicem summarie cognoscere debere, an vnus ex altero descēdat, vt, comperto ea via summaria descendere, alimenta soluere discernat: postea vero latius examinatur causa, neque decretum illud: vt alimenta soluantur, causæ exactius examinandæ vllum præiudicium affert. Antequam autem, saltem ita summarie rem examinando, agnoscatur, vnum ex altero descendere, non est præcipiendum vt alimenta soluantur, nisi is, qui ea petit, in possessione sit illa recipiendi. Hæc omnia habentur *l. si quis à liberis, § si vel parens, ff. de lib. agnosc. & l. vlt. tit. 19. p. 4.* quæ tradit summariam cognitionem fieri per inquisitionem ea de re factam à iudice ex suo officio.

19 Secundum. Constante matrimonio, nec interueniēte diuortio, filios à patrē & matre de communibus bonis esse alimentandos: semper tamen dos & bona paraphernalia vxoris salua debent manere, si contractu arrharum & dotis contraxerūt. Si vero diuortium sit factū, aut matrimonium per mortem viri sit dissolutum, mater solū vsq; ad ætatem trium annorum tenetur lacte filium alere, modo disput. 168. explicato, reliquæ vero expensæ, tam eius temporis, quā sequentis, fiunt à patre, vel de bonis, quæ filius ex patre, aut aliunde habuerit. Quando vero filius nulla bona habuerit, vel facto diuortio pater adeo pauper fuerit, vt non possit eum alere, tenetur mater de suis propriis bonis illum alere. Quo fit, vt ante omnes pater teneatur filios alere, post eum mater, in defectu vero matris ascendentes proximiores in gradu. Ita, consentaneè ad iura Cæsarea, quæ disput. 168. citauimus, habetur *lib. 1. Lusit. ord. tit. 67. §. 9. & lib. 4. tit. 68.* Mirandum vero est, in hoc Lusitaniæ Regno (vbi, si vxores contrahant contractu arrharum & dotis, lucra sunt illis communia cum viris, si vero contractu medietatis, omnia vniuersim bona sunt illis cum viris communia) vsq; adeo exempras fuisse ab alimētis filiis præstandis, vt nullos omninō sumptus ea in re facere teneantur, nisi quando vir omninō non potest, & filij aliunde non habent vnde alantur. Idem vero statutū esse de iure communi, *l. si quis à liberis, §. si mater, ff. de liber. agnos.* non adeo erat mirandum: quoniam neque fructus dotis & reliqua lucra erant vxori cum viro communia, sed integra pertinebant ad solum virum. *Titulo* autem 68. *citato* additur, si vel tutrices filiorum sint, vel curatrices, aliquidque de suo cum filiis impendant, esto nihil protestentur, posse illud exigere à filiis si filij habent bona vnde soluant: secus autem si nec bona filiorum administrent, nec repetitionē protestentur: quia tunc censentur donare, nisi filij diuites essent, ipsæ vero pauperes, & quod insumerent, esset notabilis quantitatis, quam propter conditionem & vires patrimonij filiorum expenderēt: quoniam tunc possent illud repetere, esto protestatio nulla præcessisset.

Tertium est. Post patrem & matrem, qui proximiores fuerint in gradu descendentibus, quemadmodum ipsi soli eis succedunt, ita ipsos solos teneri eis alimenta præstare, & è contrario, descendentes ascendentibus propter eandem rationem. Quando tamen proximiores impotentes essent ad illa præstanda, tenerētur, qui post eos proximiores sunt, ea præstare. Hoc tamē de iure communi hanc patitur limitationem, quod nepotibus, si legitimi sint, soli ascendentes per lineam paternam tenēntur alimenta præstare, non vero ascendentes per lineam maternam, nisi in defectu ascendentium per lineam paternam, vt vtrumque habetur *l. pen. ff. de liber. agnos.* Ratio est, quoniā nepotes de eodem iure communi sunt in potestate auorum & proauorum paternorum, ad eosque pertinet vsusfructus & administratio bonorum talium nepotum, non vero sunt in potestate auorum maternorum. Eademq; ratione nepotes per lineam maternam non tenētur præstare alimenta auis aut proauis maternis, nisi in defectu aliorum nepotum, qui ex ipsis per lineam masculinam descendant. Vtrum vero idem dicendum sit de iure Lusitano & Castellæ, propendeo in partem quæ negat. Ducor, quoniam de iure horum Regnorum cessat ratio, propter quam de iure communi id merito fuit statutum, nempe, quia nepotes erant in potestate auorum per lineam paternam, etiam superstite patre: cum autem filij per matrimonium egrediantur patriam potestatem de iure horum Regnorum, & per consequens nepotes & pronepotes nunquam sint in potestate auorum & proauorum, auiq; materni, tam masculi quam fœminæ, æque & simul succedant nepotibus de iure horum Regnorum cū auis paternis: recta ratio consequenter postulat, vt æque teneantur eos alere, & æque etiam ipsi ali debeant à nepotibus, siue tales nepotes per lineam masculinam, siue per fœmininā descendant. Atque hoc plane sonat aperte *l. 4. tit. 19. p. 4.* tametsi Gregor. Lop. *ibidem* limitandam eam censeat iuxta *l. pen. ff. de liber. agnos.* forte non attendens, hodie in his Regnis cessare rationem, propter quam lex illa ita lata fuit. *Ius Lusit. & Cast.*

20

Quartum est. Nomine alimentorum non intelligi debita, si quæ vel descendens, vel ascendens contrahat: neque enim, qui alimenta præbere tenetur, soluere eiusmodi debita cogitur, *l. si quis à liberis, §. parens, ff. de liberis agnos. l. 2. tit. 19. par. 4. l. 1. & l. filiusfamilias, Cod. ne filius pro patre.* Eadem ratione, si filiusfamilias delictum committit, & pœna aliqua

21

condemnetur, non tenetur pater eam ſoluere: neque de legitima, quæ filio in bonis patris debetur, neque de alimentis, quæ pater tenetur ei præſtare. Ita cum Speculatore, Panor. *c. 2. de delicto puerorum. num. 3. Gregor. Lop. l. 11. tit. 4.* De peculio tamen filij, aut ſi quid ex delicto filij in rem patris eſſet verſum, teneretur pater debitum, aut pœnas filij ſoluere, vt ijdem Doctores recte admonent.

22 Quintum eſt. Quæ de aſcendentibus & deſcendentibus quoad alimenta præſtanda dicta ſunt, ſimiliter habere locum in libertis comparatione patronorum, ſi egeant, & è contra, in patronis comparatione libertorum. Tenentur vero liberti, etiam filios patroni, imo & matrem & patrem patroni alere, ſi neque aſcendentes neque deſcendentes habeant, à quibus alantur, *l. ſi quis à liberis, §. ſolent iudices, & l. vlt. ff. de liber. agnoſ.* Patronus non aliter tenetur alere libertum egentem, niſi ſi conſeruare velit, ius patroni, quod habet erga illum: eo namq; ipſo, quod admonitus vt alat, quando ratio id poſtulat, id præſtare non vult, amittit omnino ius patroni, quod in illum habebat. Libertus autem ſi admonitus patronum non alat, iterum tanquam ingratus redigitur in ſeruitutem patroni, poteſtque ab eo vendi, vt etiam de pretio Dominus alatur. Vtrumque habetur *l. alimenta. ff. de liber. agnoſ.*

23 Vtrum frater fratri, aut ſorori inopi, & quæ alias alii non poteſt, teneatur præbere alimẽta. Glo. *l. ſi quis à liberis, verb. auſte*, & Bart. affirmat teneri, etiamſi frater, aut ſoror ſit ſolum naturalis, eamq; ſententiam amplectitur Greg. Lop. *l. 4. tit. 19. part. 4.* & tanquam opinio gloſſæ & Bart vim habebit in hoc Luſitaniæ Regno in foro contentioſo. Reſtamen hæc mihi non eſt certa.

24 Illud poſtremo circa hunc quintum effectum eſt addendum. Quamuis, vt dictum eſt, comparatione patris naturalis effectus non ſit patriæ poteſtatis eſſe tamen comparatione eius patris, in cuius poteſtatem quis per arrogationem aut adoptionem venit: is namque alimenta tenetur præſtari filio adoptiuo, non ſecus ac ſi filius eius eſſet naturalis, cæteraque onera patris naturalis in eum tranſeunt. Quando quis ab extraneo eſt adoptatus, cum Fabro, Angelo, & aliis, vult Greg. Lop. *l. 9. tit. 16. p. 4.* in duobus euentibus patrem adoptiuum teneri illum alere interim dũ adoptio durat. Primus, ſi adoptatus apud illum operetur. Secundus, ſi pater naturalis egeat, nec poſſit eum commode ſuſtentare.

25 Sextum effectum patriæ poteſtatis: quidam commemorant patrem poſſe filiumfamilias punire moderate pro quantitate delicti, arq; intra limites paternæ correctionis: ſecus autem pœna atroci, ſi delictum tanta pœna eſſet dignum: hanc namque infligere non poteſt pater, ſed ſolus iudex, vt habetur *l. vnica. §. vlt. C. de emend. atione propinquorum. l. 3. & 4. C. de patria poteſt.* & aliis iuribus. Quæ autem pœna atrox dicenda ſit, vt ad eam ius patris familias, neque in filios, neque in ſeruos ſeſe extendat, explicabitur tractatu 3. ſequenti.

Sextus effectus.

26 Hic tamen effectus, licet patribus etiam per arrogationem & adoptionem conueniat comparatione liberorum, qui ſunt ſub eorum poteſtate (niſi ordinibus ſacris ſint initiati, vt ſtatim dicemus) etiam conuenit in reliquos qui de ſua familia ſunt, ſiue liberi ſint, ſiue ſerui: conuenit etiam matribus familias, imo & ſenioribus aliis propinquis comparatione minorum vt fratribus, prout recta ratio dicere atque expedire attentis circumſtantiis ætatis vtriuſq; & omnibus aliis concurrentibus præſcripſerit, aut nouerint voluntatem eſſe patris aut matris familias domus, vt pater *l. vnica, Cod. de emendatione propinq.* conſentitque *cap. cum voluntate, §. vlt. de ſent. excommunic.* Neque arbitror commodiorem regulam poſſe tradi ad iudicandum, quãdo liceat vnum propinquum ſeniorem punire alium pro ſuis exceſ-

A ſibus ad illius correctionem, quã quæ à nobis proxime eſt tradita. Hi autem omnes, & quicunque ex munere ſuo punire poſſunt aliquos, vt præceptores, pædagogi, & cæteri gubernationi domus, aut miniſterio alicui præfecti, in quo conſuetum eſt punire ſibi eo modo ſubditos, eſto quos puniunt, in minoribus ordinibus ſint conſtituti, non incurrunt excommunicationem, vt habetur *cap. 1. cap. ex tenore, cap. cum voluntate, §. vlt. de ſent. ex. communicationis.* Secus autem eſt ſi initiati eſſent ſacris ordinibus: nam propter indecentiam, quæ eſt, vt huiuſmodi à laico puniatur, tam pater familias, quam quicunque alius miniſter laicus excommunicationem incurreret, ſi quemquam horum puniret, vt cum gloſ. *capit. cum voluntate*, affirmat Panorm. ibi, colligens id ex eo textu argumento à contrario ſenſu. Inde vero vlterius infert, ſacros ordines eximere à patria poteſtate ad effectum, vt filius puniri non poſſit à patre correctione paterna. Eandem ſententiam affirmant Felin. Hoſtienſis, Anton. de Butrio, & Zabarella *ibi*, Angel. *verb. excommun. 5. ca. 1. §. 10.* & alij, in eandemq; propendet Sotus *5. de iuſt. quæſt. 2. art. 2.* tametſi dubius. Quo fit, vt mirandum ſit, Nauarrum *in Man. cap. 27. num. 82.* citato ſolo Panorm. pro ſententia, quæ ait, patrem punire non poſſe filiumfamilias in ordinibus ſacris conſtitutum, aſſerere contrariam eſſe communem *in dicto cap. cum in voluntate*, quam ipſe cum Sylueſtro ſequitur. Tractatu autem ſequenti, dum de percuſſione Eccleſiaſtici ſermo fuerit, oſtendemus, Panormitani & aliorum ſententiam veram eſſe.

B

Illud obiter hoc loco dicam, nullum videri pec- 27
C catum, ſi ſeniores ſeculares, qui propinqui aliquorum non ſunt, interdum moderate puniant pueros, & alios ſimiles pro exceſsibus ſuis, quando ipſorum propinqui illi ve, quorum curæ ſubduntur, præſentes non ſunt, qui id præſtent, atque ratio tunc præſcribat, vt id per eos fiat: præſertim ſi veriſimiliter credant, eos, ad quos punitio alioquin ſpectat, ratũ id habituros. Concinit *cap. cum voluntate, citat.* quod non damnat ſacerdotes ſeniores, qui deuotionis zelo pueros vel adoleſcentes in minoribus ordinibus conſtitutos, qui diuinum turbant officium, puniũt. Adde, quod cum parui iuuenum exceſſus ad poteſtatem publicam non deferantur, neque audiretur, quin potius irrideretur, qui ad iudicium tales exceſſus deferret, forte qui eis exceſsibus eſſet offenſus, poſſet de eiuſmodi pueris & iuuenibus ſumere moD deratam & competentem vindictam, quando intelligeret eos, ad quos cura illorum ſpectat, id non eſſe executioni mandaturos, aut non eſſe faciles ad illos aditus, vt de eiuſmodi exceſsibus certiores fierent: exiſtimoq; poſſe hoc efficere, eſto intelligerent non futurum illis gratum, vt ita punirentur: eſſent namque irrationabiliter inuiti. Hæc autẽ non ſunt multum extendenda, neque eis eſſet vtendum, quando inde rixæ & ſcandala timerentur.

Septimum effectum patriæ poteſtatis cenſet Pi- 28
E nel. *in Rub. C. de bonis mater. part. 2. a num. 36.* connumerandum, quod, qui ſub patria eſt poteſtate, ſit ſuus hęres, comparatione eius, in cuius poteſtate eſt. Quamuis autem ius ſuitatis a patria poteſtate deſcendat: diſput. tamen 179. oſtendimus, neq; omnibus, qui ſub patria poteſtate ſunt, conuenire, neque omnes, qui patriam egrediuntur poteſtatem illud amittere. Ibidem autem, & diſp. 180. diximus, quæ de ſuo effectu potuerant hoc loco dici.

Septimus effectus.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur duo modi, quibus filiifamilias à patria poteſtate liberantur. num. 2.*

3 *De proſcriptis ſeu bannitis quid cenſendum.*

4 *In quocunque ſupradictorum euentuum ſiue filius ſit, ſiue*

siue pater, qui ita seruus pœnæ efficitur, filium patriam egreditur potestatem.

5 *Proponuntur alij modi, quibus filiifamilias à patria potestate liberantur. vsque ad num. 11.*

12 *Pater qui filium emancipat, quasi in præmium beneficij emancipationis retinet sibi vsumfructum partis dimidiæ bonorum aduentitiorum filij, nisi illam filio dimittat.*

13 *Pater regulariter cogi non potest, vt emancipet filium, neque filius vt se permittat emancipari.*

14 *In quibus euentibus cogi possit pater emancipare filium.*

15 *Post emancipationem liberæ patris voluntate factam, si filius ingratus sit patri verbo vel opere iniuria eum afficiendo, reuocari potest emancipatio, redigique iterum potest filius in patriam potestatem.*

16 *Postremus modus, quo filiifamilias à patria potestate liberantur.*

QVOT MODIS A PATRIA potestate quis liberetur.

DISPVTATIO 229.

1 DIcendum nunc est de modis, quibus filiifamilias à patria potestate liberantur Primus de iure communi est, quando mortuo eo, in cuius potestate erat, non manet infra illum alius ascendens, per lineam masculinam comparatione talis filiifamilias, in cuius potestatem recidat. Ita habetur *instit. quibus modis ius patriæ potest. solu. at. §. hi vero qui in potestate, & l. 1. tit. 18. part. 4.* Dixi, *de iure communi*: quoniam cum de iure Lusitano & Castellæ, vt sæpe hactenus dictum est, filius in solius patris potestate sit, non vero auorum, neque per mortem patris in illorum recidat potestatem, sane per solam mortem patris liberatur à patria potestate. Idemq; est de iure communi & horum regnorum, si moriatur pater, à quo arrogatus, aut ita adoptatus erat, vt in eorum transiret potestatem, iuxta ea, quæ disp. 227. dicta sunt: per mortem quippe illius patriam egredietur potestatem, neque in cuiusquam alterius potestatem reindicet.

Primus modus.

Ius Lusit. & Cast.

2 Secundus, per mortem ciuilem eius, in cuius potestate erat eo pacto quo de naturali morte, tam de iure communi, quam horum regnorum in præcedente modo explicatum est, nempe si ad metalla condemnetur, aut insulam deportetur in perpetuum, modo antiquitus consueto cum amissione omnium suorum bonorum. Licet autem olim eo ipso, quod quis deportabatur, censebantur adempta ei omnia bona: hodie tamen, nisi in sententia exprimatur, esto in perpetuum in insulam relegetur, non censentur ei adempta, vt Greg. Lop. *l. 2. citanda* cum Baldo, iuxta *authent. bona damnatorum* C. *de bonis damnatorum*, ait & constat de iure Lusitano & Castellæ, esto ad mortem damnetur quis, ex ijs, quæ diximus disp. 9. Idem est si filius ad horum aliquid damnetur: egredietur namq; eo ipso, patriam potestatem. Quando autem vel pater vel filius aliquo horum duorum modorum est damnatus, si indulgentia Principis restituatur, eo ipso filius in potestatem patris regreditur. Per hoc autem, quod vel filius, vel pater relegetur, etiamsi in insulam relegatus sit, modo tamen non cum amissione omnium suorum bonorum, non censetur mori ciuiliter, ac proinde filius non egreditur patriam potestatem. Hæc omnia habentur *instit. quibus modis ius patr. potest. solu. §. cum autem, & tribus sequentibus, & l. 2. & 3. tit. 18. part. 4.*

Secundus.

3 De proscriptis, seu bannitis, qui Hispanice *encartados* dicuntur, ait Glos. *instit. loco citato, verb. retinent*, si habitatio in propria patria sit illis interdicta cum amissione omnium suorum bonorum, connumerandos esse cum deportatis, censerique mortuos ciuiliter; ac proinde filium in eo euentu egredi patriam potestatem. Si vero non tanto rigore nec tanta pœna sint banniti, seu proscripti, computari cum relegatis, nec filium egredi patriam potestate. Hæc Glossæ sententia sancita est hodie in Regno Castellæ *l. 4. tit. 18. part. 4.* Tametsi additio in margine ad Glossam citatam. Ang. ibi, & Greg. Lop. *ad l. 4. citatam* asserant, de iure communi frequentiore Doctorum sententiã esse, bannitos computari vniuersim cum relegatis, & nunquam cum deportatis.

Vt diximus disp. 9. præter damnatum ad metalla, serui pœnæ efficiuntur, qui bestiis subiiciuntur, qui ad mortem naturalẽ damnantur, item libertus, qui ob ingratitudinem in patronũ commissum iterum in seruitutem redigitur, & qui maior viginti quinq; annis, vt pretio potiatur, patitur se vendi. At vero in quocunque horum euentuum, siue filius sit, qui parer, qui ita seruus pœnæ efficitur, filius patriã egreditur potestatem, vt habetur *instit. quibus modis ius patriæ potest. sol. §. pœnæ seruus.*

4

Tertius modus est per hæresin patris. A puncto namque in quo pater in hæresin incidit, esto crimen occultum sit, sententiaque nondum sit lata, filius liberatur à patria potestate, vt habetur *c. 2. §. vlt. de hæret. lib. 6.* Vnde, si bona patris ob tale crimen confiscentur, vsusfructus, quem pater in bonis aduentitijs filij habebat, pertinet ad filium, & non ad fiscum, vt cum Iacobo Simancas *disp. 9. citata*, dictum est. Idem Iacobus Simancas ait, si filiusfamilias in crimen hæreseos incidat & damnetur, ègredi patriam potestatem: quoniam per eam condemnationem maximam aut mediam capitis diminutionem incurrit. Nos disp. citata diximus, non improbabile esse, illam egredi à puncto criminis commissi: quoniam per quod delictum patris filius egreditur patriam potestatem, per idem, si à filio committantur, eandem egreditur, *argumento text. in §. cum autem is, verb. pari ratione, instit. quibus modis ius patriæ potest. sol.* Adiecimus tamen, patrem ante suam propriam mortem naturalem non amittere vsumfructum, quem ante condemnationem aut delictum filij in bonis illius aduentitiis habebat, contra atque Iacobus Simancas existimabat: definere tamẽ comparare vsumfructum in bonis, quæ talis filius, postquam ita patriam fuerit egressus potestatem, acquisierit. Lege ibi fundamentum, cui ad hoc asserendum fuimus innixi.

Tertius.

Quartus est, si pater sciens contrahat incestas nuptias, hoc est, cum consanguinea vel affine in gradu prohibito & absque dispensatione (lex Castellæ citanda addit, vel cum religioso) eo enim ipso liberi prioris matrimonij (& de iure communi descendentes ex eis) egrediuntur patriam potestatem, vt habetur in *authent. incestus, Cod. de incestis nuptiis, §. 1. & l. 6. tit. 18. part. 4.* Vt pœna hæc incurratur, ait Couar. *in Epit. part. 1. cap. 6. §. 8. num. 20.* necesse esse, tales incestas nuptias consummatas esse per copulam carnalem.

6 *Quartus.*

Quintus, si pater ab hostibus capiatur, eorumque seruus efficiatur, in hoc sensu patria potestas suspenditur, quod si pater à captiuitate non liberetur, sed captiuus moriatur, filius censetur sui iuris, atq; vsufructuarius suorum bonorũ à die, quo pater in seruitutem est redactus: si vero à captiuitate liberetur, gaudet talis pater priuilegio postliminij atque adeo filius censetur fuisse semper sub patria potestate. Idem est, si filius in captiuitatem redigatur: eo enim ipso patria potestas suspenditur: ita vt si à captiuitate liberetur, censeatur nunquam fuisse egressus à patria potestate: si vero in captiuitate è vita discedat, censeatur egressus patriam potestatem à puncto captiuitatis. Ita habetur *instit. quibus modis ius patr. potest. soluatur, §. si ab hostibus*, & aliis iuribus quæ glos. ibi citat. Arbitror tamen patriam potestatem

7 *Quintus.*

non

non suspendi per hoc, quod filius aut pater ab hostibus capiatur, quando bellum ex parte hostium est iniustum: quandoquidem tunc ille non est mancipium eo quod hostes non comparent dominium illius iuxta ea, quæ *disp.* 37. & 118. dicta sunt.

8 *Sextus.* Sextus, si quis in Episcopum eligatur: eo enim ipso patriam egreditur potestatem, *authent. sed Episcopalis dignitas*, C. *de Episc. & cler. in authentico constituit quæ de dignitate, §. vlt. c. per venerabilem, in princ. qui filij sint legit. c. si seruus*, 54. *d.* & *l.* 14. *tit.* 18. *part.* 4. satisque est sola electio in Episcopum, vt quis patriam potestatem egrediatur, esto nondum Episcopatum administret, vt ex iuribus citatis constat. Idem, cum *glos. in extrauag. de præbend. inter communes, verb. sublimitatem* (quam tamen hactenus non inuenio) & cum aliis, quos citat, ait Couar. esse in Cardinali, *cap. quia nos, num.* 5. *de test.* Ex eo autem, quod Cardinales à consilio sint Summo Pontifici, videntur potiri eo priuilegio: secuti vt statim dicemus eo priuilegio gaudent patritij, hoc est, qui à consilio sunt Imperatori aut Regi. Per sacros autem ordines, etiamsi presbyteratus sint, non egreditur filius patriam potestatem, vt constat *ex authent. presbyteros*, 1. *Cod. de Episc. & cler.* vbi filiisfamilias conceditur, vt bona, quæ post clericatum acquisierint: quasi Castrensia sint, & vtrestari de eis possint, etiam si sub parentum sint potestate. Quid clarius dici poterat? Idem innuitur *cap. per venerabilem, in princ. qui filij sint legit.* Constat præterea, quoniam non datur ius, quod illos eximat, imo eo ipso, quod Episcopali dignitati conceditur, vt à patria potestate eximat, manifestum est, inferiores gradus Ecclesiæ ab ea non eximere. Hoc ipsum aduersus quasdam glossas affirmant Panorm. cum alibi, tum *cap. indecorum, num. vlt. de ætat. & qualit. & ord. præf.* Couar. *cap. quia nos, de test. num.* 5. & *alij.*

9 *Septimus.* Septimus, si vel pater religionem profiteatur, vel filius, egreditur talis filius patriam potestatem, vt *disp.* 140. dictum est.

10 Octauus, per sequentes dignitates. Per patriciam, qua quis in Consiliarium, & quasi Regis aut Imperatoris patrem eligitur. Et per consularem. Atque vt, qui has dignitates obtinent, patriam egrediantur potestatem, satis est sola electio ad illas, vt de Episcopali dignitate dictum est. Ita habetur *authent. const. quæ de dignit. in princ. authent. sed Episcopalis dignitas. Cod. de Episc. & cler. & l. vlt. Cod. de decurionib. lib.* 10. Per dignitatem vero præfecti, prætoris, & alias (quæ vna cum duabus præcedentibus commemorantur vsque ad duodecim. *l. vlt. Cod. de decurionib. lib.* 10. *iunctis authenticis citatis, & l.* 7. *& sequentib. tit.* 18. *part.* 4.) non egrediebantur patriam potestatem, qui illas obtinent per solam electionem, nisi accederet administratio: per omnes tamen, & etiam per Episcopalem, non solum personæ, sed etiam bona egrediebantur patriam potestatem, ita vt vsusfructus non pertineret ad patrem, vt habetur *l. vlt. citata*, nobiscunque consentit Gregor. Lopez *l.* 15. *tit.* 18. *par.* 4. *verb. retener para si*, citatque pro eadem sententia Glossam consone ad text. ibi, in *authent. de const. quæ de dignit. verb. donans*, & Ioan. de Platea. Quare probanda non est opinio Anton. Gom. *ad l.* 48. *Tauri in calce num.* 6. qui contrarium affirmat. Per omnes etiam egrediebantur solum quoad ea, quæ ipsis erant onerosa, patribus vero cedebant in emolumentum: non vero quoad ea, quæ in emolumentum filiorum cedebant, vt erat esse hæredes suos comparatione parentum, & alia eiusmodi, vt colligitur *ex authent. const. quæ de dignit. §. illud nuoque*, & cum Baldo, consone ad quasdam glossas, notat Gregor. Lopez *l.* 7. *citata*, & consentiunt Bart. & alij quos Couar. *cap. quia nos, de test. nu.* 5. refert ac sequitur. Quæ autem dignitates respondeant in Hispaniis duodecim dignitatibus, quæ *l. vlt. Cod. de decurionibus, lib.* 10. commemorantur, ex-

A plicantur *l.* 7. *citata, & septem sequentibus.* Hoc loco obserua, tempore institutionum Iustiniani, solam patritiam potestatem liberasse à patria potestate, non vero consularem, & reliquas, vt habetur §. *filiusfamilias, institut. quibus modis ius patriæ potest. sol.* Postea vero iuribus citatis extensum id fuit ad Episcopatum, & vndecim illas alias dignitates.

11 Nonus, per emancipationem, qua; tam patre quam filio comparentibus coram iudice ordinario, filius emancipatur à patre, hoc est, ab eius potestate de communi consensu tam patris, quam filij eximitur. Ad emancipandum autem filium infantem, id est, qui ad septennium non peruenit, aut filium maiorem septennio absentem, principis rescriptum est necessarium, quod pater iudici ordinario debet

B ostendere. Præterea, quando postea filius aduenerit, ratam coram iudice ordinario habere debet emancipationem. Quod si filius emancipatus ad pubertatem non peruenit, pater eo ipso, quod eum emancipat, consequitur eius tutelam, vt etiam diximus disputatione 220. Hæc omnia habentur §. *præterea, Institut. quibus modis ius patriæ potest. sol. l. non modo l. penult. & l. vlt. C. de emancip. liber. & l.* 15. *&* 16. *tit.* 18. *par.* 4. Forma autem, qua fieri debet instrumentum emancipationis in Regno Castellæ, habetur *l.* 93. *tit.* 18. Et apud Monterroso *in practica tract.* 7. *fol.* 196.

12 Pater autem, qui filium emancipat, quasi in præ-

C mium beneficij emancipationis retinet sibi vsumfructum patris dimidiæ bonorum adinuentitiorum talis filij, nisi illam filio dimittat, *l. cum oportet, §. cum autem*, C. *de bonis quæ lib. §. hoc autem, Institut. per quas person. nobis acqui. & l.* 15. *tit.* 18. *part.* 3. Intelligitur vero de bonis, quæ ad filium tempore emancipationis pertinebant: secus autem de ijs, quæ post emancipationem acquirit; nam vsusfructus totus horum bonorum ad solum filium spectat, vt cum Alexan. affirmat Anton. Gom. *ad l.* 48. *Taurinum.* 6 recte ait, Si post emancipationem filius matrimonium contrahat in Regno Castellæ, patrem continuo amittere partem illam, quam ob emancipationem fas illi erat retinere: id quod satis innuit *l.* 48. *Tauri.* In hoc tamen Lusitaniæ Regno eo ipso, quod filium pater emancipat, vniuersim amittit totum vsumfructum,

D quem in bonis talis filij habebat, vt patet *lib.* 4. *ordin. tit.* 78. §. 2.

13 Pater regulariter cogi non potest, vt emancipet filium, etiamsi adoptiuus sit, neque filius vt se permittat emancipari, sed liber vtriusque consensus apud iudicem est necessarius, vt supra dictum est, *l. nec aurus. Cod. de emancip. lib.* §. *vlt. Inst. quibus modis ius patr. potest. sol. auth. quibus modis natur. effic. sui*, §. *generaliter. & l.* 17. *tit.* 18. *part.* 4.

14 In sequentibus tamen euentibus, quos colligit *glos. vlt.* §. *vlt. Institut. quibus modis ius patr. potest. sol. & tradit l.* 18. *tit.* 18. *part.* 4. cogi potest pater emancipare filium, tametsi neque in his ipsis potest filius inuitus emancipari à patre, vt cum variis Glosis Bart. & aliis affirmat *ibidem* Gregor. Lopez. Primus est, si filium inhumaniter & crudeliter tractet, etiamsi id

E sit notabiliter excedendo pœnam, quâ filius pro suis excessibus est dignus, *l. vlt. ff. si à patre quis manumissus fuerit.* Secundus, si filias ad peccata carnalia pertrahat, *l. si lenones, iuncta glos. ibi. Cod. de Episcop. aud. & l. vlt. Cod. de spectacu. lib.* 11. Tertius, si alicui relictum esset legatum sub conditione aut modo, vt filium emanciparet: tunc eo ipso, quod legatum aut hæreditatem eo pacto relictam acceptaret, teneretur filium emancipare, *l. si cui legatum, ff. de conditionibus & demonstrat.* Quartus, si quis adoptet suum priuilegium, & priuignus pubes factus intelligat eam adoptionem sibi non expedire, tunc causa cognita per iudicem, compertoque minori non expedire, cogitur illum emancipare nonnunquam, &

l. sequen-

l.sequenti,ff.de adopt. Idem est de quocunque alio minore viginti quinque annis, qui arrogetur vel adoptetur: potest enim petere restitutionem in integrũ, si id minime expedire compererit, reponeturque in pristinum statum, *l.3.§.si minor, ff. de minor.* Quod si filius legatum acceptet sibi sub cõditione relictum, vt se emancipari permittat, illudque acceptet, cogi potest, vt patiatur id fieri. Ex quibus causis etiam filius potest exhæredari, potest etiam inuitus emancipari. Vtrumque affirmat additio ad glos. §. *vlt. instit. quibus modis ius patriæ potest. fol.*

15 Potest emancipationem libera patris voluntate factam, si filius ingratus sit patre, verbo vel opere iniuria eum afficiendo, reuocari potest emancipatio, redigique iterum potest filius in patriam potestatem: sicut & quæuis alia donatio reuocari potest per similem ingratitudinem. Ita habetur *l.vlt.tit.18. p.4.* Contra vero ait Greg. Lopez *ibidem*, cum aliis quos citat, si non fuit emancipatus patris voluntate: tunc enim per ingratitudinem non reuocatur emancipatio.

16 Postremo liberatur filius aut filia à patria potestate de iure Lusitano & Castellæ, consequiturque integrum vsumfructum suorum omnium bonorum aduentitiorum ad onera matrimonij sustinenda, eo ipso, quod matrimonium contrahit, etiam si inuitis, insciisque parentibus id contrahat. Ita habetur *lib.1.Lusitanarum ord.tit.67.§.4.& lib.4.tit. 78.§.2.& l.47.& 48.Tauri, quæ sunt 8.& 9.tit.1.lib. 5.nouæ collectionis.* Ait tamen *ibidem* Anton. Gom. in eo regno non liberari per solum contractum matrimonij, etiamsi copula sit consummatum, nisi coniuges, iuxta morem illius regni, velati etiam sint, atque id sane perspicue duæ leges citatæ significant.

SVMMARIVM.

1 *Bonorum castrensium definitio.*
2 *Quæ sint bona castrensia.*
3 *Qui inter milites computentur.*
4.5 *Proponuntur adhuc quædam bona castrensia.*
6 *Quid, si mater filiofamilias donet aut relinquat aliquid, dicens, velle vt illi sit in castrense peculium.*
7 *Inter castrensia bona computantur, quæ in seruitio & palatio regis acquiruntur.*
8 *Peculium castrense ita ad filiumfamilias pertinet, quoad proprietatem, vsumfructum, plenissimam administrationem, ac liberam dispositionem tam ex testamento, quam quouis alio modo, ac si paterfamilias esset.*
9 *Si bonis castrensibus aliquid ematur, castrense bonum efficitur.*

CASTRENSIA BONA QVÆ sint.

DISPVTATIO 230.

EXplicatis ijs, quæ ad patriam attinent potestatem, dicendum est quatuor peculiorum, seu bonorum generibus comparatione filiorum, iuxta ea, quæ in calce disp.226. proposita sunt. Nempe de bonis castensibus, quasi castrensibus, profectitiis, & aduentitiis. Et primo de castrensibus.

1 *Bonorum castrensium definitio.* Cum à legumlatorum, Principisve arbitrio pendeat, quam late castrensia bona se extendant, aut non extendant, ægre possumus ea definire, nisi dicamus. Esse, quæ militiæ, castrorumve causa, is secundum legum dispositionem seu interpretationem acquirit, cuius ea bona sunt.

2 In primis ergo castrensia bona sunt militum stipendia, & vniuersim quæcunque bona bello acquirunt, *l.castrense, ff.castrensi peculio, l.1. eod.tit. lib.12.l.6. & 7.tit.17.part.4.& l.2.tit.2.part.3.*

A Inter milites autem computãtur ministri omnes exercitus etiamsi scriniarij, hoc est, tabelliones, exercitus sint, & quicunq; alij, modo tamen exercitum comitentur. Ita habetur *l.vlt. C.de castrensi pecul. lib. 12.* Hi namque & munus in exercitu ipso habent, &, quando opus est, etiam pugnant. Computantur præterea, qui nauibus, aut triremibus ad pugnam destinatis præsunt, aut remiges, vel nautæ in eis sunt, vel aliud munus exercent: & quod ea via acquirunt, siue stipendium sit, siue præda ex hostibus, siue præmium, ad castrense peculium pertinet, *l.vnica, §. item nauarchos, ff. de bonorum possess. ex test. milit.* Cum militibus etiam computantur, qui castri, aut alterius loci curã habent, & milites, in eiusdem loci custodiam constituti, esto nullum immineat bellum, sed omnia in pace sint, atque quod ea via in stipendium, aut alia ratione acquiritur, ad castrense peculium spectat, & hoc est, quod affirmat *l.6.tit.17. part.4* & quod Gregor. Lopez *ibid.glos.1.* notandum esse obseruat.

Deinde bona mobilia, quæ à patre aut matre, vel à quocunque alio donantur eunti in bellum, vel ad militiam ipsam, vt sunt arma, equi, & alia eiusmodi, vel ad paranda necessaria, vel ad sumptus in militia faciendos, castrensia bona sunt, *l. mulier, l.miles præcipua, & l.castrense, ff de castrens. pecul. l.1. C.eod.tit. lib. 12.& l.4.Cod.famil. ercis.* Secus si bonum immobile donetur à parente filio eunti in bellum: nam hoc non pertinet ad castrense peculium, vt habetur *l. 1.Cod. de castrensi pecul. lib.12.& l.4. Cod.famil. ercis.* Secus etiam si quid pater aut mater donet filio postquam è bello reuersus est: nam neque hoc pertinet ad castrense peculium, *l.pater militi, ff. de castrens. pecul.* De iure etiam Lusitano, si quid mater aut pater dederit filio iam coniugato proficiscenti in bellum ad sumptus in eo faciendos, non pertinet ad castrense peculium, quin potius quicquid talis filius eo pacto acceperit, tenetur postea adducere illud ad collationem cum cæteris fratribus. Excipitur, nisi quando proficiscebatur, nondum erat caualeiro: nam tunc, quod accipit, atque militando insumit, non tenetur adducere ad collationem (vel etiam vt se pararet ad bellum, etiamsi ex superueniente casu fortuito ad bellum non accesserit, vt Gama *decisione* 140. recte adnotauit. De eodem iure, si pater aut mater aliquid dederint filio non coniugato proficiscenti in bellum ad sumptus in tali militia faciendos, non tenetur adducere ad collationem, quod ita insumpserit: si quid tamen inde illi superfuerit, tale incrementum non spectat ad peculium castrense, vt pertinet de iure communi, sed tenetur id adducere ad collationem, quasi tempore mortis parentum fuerit repertum, aut si illud vendidit, aut aliter alienauit, tenetur adducere ad collationem quantum tempore, quo illud reduxit, æstimabitur: idemque est de eo, quod filio coniugato, qui nondum erat Caualeiro, superfluit. Hæc omnia habentur *libro 4. ordinat. titu. 77.§.5.& 7.*

Ius Lusit.

Item bona castrensia sunt, quæ occasione militiæ quis acquirit, siue hæreditas id sit, siue legatum, aut res donata bonaque immobilia contineat. Vt si quis ratione communicationis, quam cum aliquo habuit in bello, aut notitiæ quam de illo habuit, aut facti illustris ibi ab eo gesti, aliquid illi relinquat, aut donet, est donum castrense, *l.si forte, l.castrense, & l.Diuus Adrianus, ff. de castren. peculio, l.1.& l.4. Cod.eodem titulo, lib.12.* Atque in hoc postremo iure adducitur, si consanguineus conuersetur cum consanguineo in bello, eiq; hæreditatem relinquat, eiusmodi hæreditatem computari in bonis castrensibus: eo quod præsumatur eam conuersationem adiumentum fuisse, vt illum hæredem institueret. Quod si quid militi relinquatur aut donetur, non intuitu aut ratione militiæ, quia simi-

liter

liter donaretur aut relinqueretur, esto miles non fuisset, tunc non pertinet ad peculium castrense, *l. si militi, l. si forte, & l. castrer. ff. de castren. pecul. Bart. in tract. de duobus fratrib.* ait, si quid militi donetur ab eo, qui notus ei non erat in militia, & dubitetur, num intuitu militiæ sit donatum, distinguendum est. Si enim, quod donatum est, militiæ inseruit, tanquam instrumentum ad eam aptum, vt sunt equus, arma offensiua aut defensiua, tunc censendum est intuitu militiæ fuisse donatum, ac proinde ad peculium pertinet castrense: si vero ad id non ita inseruit, vt sunt pecunia, & alia huiusmodi, præsumendum est non fuisse donatum intuitu militiæ, atque adeo ad castrense peculium non spectare.

6 Bart. *in tract. de duobus fratribus, num.* 9. quem Sylueſt. *verb. peculiū, 1. quæſt. 5. & 7.* & alij sequuntur, ait. Si mater, aut aliquis alius filio familias donet aut relinquat aliquid dicens, velle, vt illi fit in castrēſe peculium, si id, spectatis circumstantiis concurrentibus, natura rei non patiatur, non esse quidem peculium castrense, vt habetur expresse *l. si forte, ff. de castrensi peculio*: attamen ita esse donum aduentitium, vt vsusfructus pertineat ad filium & nō ad patrem: quoniam tacite videtur donatum sub conditione, vt vsusfructus non pertineat ad patrem, de qua re diximus disp. 8.

7 Inter castrensia (aut forte quasi castrensia) bona computantur, quæ in seruitio & palatio Regis acquiruntur, vt patet *l. vnica, Cod. de castrens. palatino pecul. lib. 12. & l. 6. tit. 17. part. 4.* vbi inter alias significationes vocabuli castrum, vna commemoratur Regis palatium, eaque de causa, quæ ibi acquiruntur, inter castrensia, aut quasi castrensia computantur, & *l. vnica citata* de eiusmodi bonis ait, vt castrense peculium habere præcipimus. Hinc Ant. Gom. *ad l. 29. Tauri, n.* 10. ait, quod filiis datur parētibus, vt in Regis seruitio insumatur, computari in castrensi peculio, non secus atque quæ eisdem ad sumptus in bello donantur. Consentiunt ord. Lusitanæ *lib. 4. tit. 77. §. 6. & 7.* quæ ea de causa statuunt, filium non teneri afferre ad partitionem cum fratribus, quæ cum eo parentes insumpserunt in palatio Regis, Reginæ Principis, vel alterius filiorum Regis. *Ius Lusit.* Id tamen limitant, modo tamen filius, dum id à patre illi est donatum, & dum illud in palatio insumpsit, coniugatus non esset: alioquin tenetur adducere id ad partitionem. Præterea modo illud totum insumpserit, dum fuit in palatio, seu seruitio regis: si enim aliquid inconsumptū inde reduxerit, tenetur illud conferre, quale repertum fuerit tempore collationis: aut, si id vendidit, vel alienauit, tenetur adducere ad partitionem & æstimationem, quam id habebat tempore, quo illud reduxit. Vbi vides Ordinationes eodem modo loqui de ijs, quæ à parentibus filio dantur ad sumptus in bello, & in palatio regis.

8 Licet filiusfamilias ex eo quod miles sit, patriam non egrediatur potestatem, vt habetur *§. filiusfamiliæs, instit. quibus modis ius pat. potest. vol. & l. 2 & 3. C. de castrensi pecul. lib. 11.* nihilominus peculium castrense ita ad illum pertinet quoad proprietatem, vsumfructum, plenissimam administrationem, ac liberam dispositionem, tam ex testamento, quam quouis alio modo, ac si paterfamilias esset, nihilque proinde in eo dependet à patre, *l. miles præcipua, §. actionem, & l. sequenti, l. ex nota, & l. pater qui dat, ff de castrens. pecul. l. 2. & 3. C. eod. tit. & l. 6. tit. 17. p. 4.* atque aliis iuribus, quæ disputatione 228. in 4. effectu patriæ potestatis citauimus. Intellige tamen, dummodo talis filiusfamilias pubes sit: alioquin neque de peculio castrensi testari potest, vt habetur *l. vlt. Cod. de testamento militis*: & eadem ratione neque donare, aut alio modo alienare: tum propter ea, quibus lex eadem ducitur, vt ei deneget testamenti confectionem: tum etiam, quoniam difficilius conceditur alienatio inter viuos, quam testamenti confectio. Imo vero, neq; de consensu patris potest quicquam alienare, vt habetur *§. pupillus, in fine, instit. de inutil. stipul.* cum tamen, si tutorem haberet, de illius consensu & autoritate posset alienare, cuius rei disput. 261. rationem reddamus.

Si de bonis castrensibus aliquid ematur, castrense bonum efficitur, *l. 1. Cod. de pecul. castr. lib. 12.* Idem etiam dicit esse Bart. de aliis peculiis, nempe, si quid ex pecunia eorum ematur, pertinere ad peculium, vnde erat illa pecunia. Addo, si quid filiusfamilias ludendo, aut negotiando cum peculio castrensi lucretur, ad castrense peculium pertinere: id namque includit libera de illo administratio, & sicut damnū peculio cederet, ita & commodum cedere ei debet. Confirmatur ex *l. pater militi, §. si seruus ff. de castrensi pecul.* vbi habetur. *Si seruus castrense peculium filij spectat, aliquidque acquirat, cedere illud castrensi peculio.* Idem de quasi castrensi peculio dicendum est, nempe si filius, cuius est, ludendo aut negotiando bonis quasi castrensibus peculij quippiam lucretur, cedere quasi castrensi peculio. Consentit Nauarr. *cap. statuimus, num.* 68.

SVMMARIVM.

1 *Quæ bona quasi castrensia sint. vsque ad num.* 4.
5 *Quondam fas erat filiofamilias præterire vel exhæredare patrem quoad castra, & quasi castrense peculium, nec proinde testamentum dici poterat nullum, aut querelæ inofficiosi subiacebat.*
6 *Clerici testamentū, ex eo, quod prætereat aut exhæredet ascendentem aut descendentem, quem instituere tenebatur, non potest dici nullum, nec subiacere querelæ inofficiosi.*
7 *Refertur contraria quorundam sententia.*
8 *Refelluntur fundamenta contrariæ opinionis.*

QVÆ BONA QVASI CASTRENSIA sint, & vtrum exhæredatio aut præteritio in eis, & in castrensibus locis valida sit.

DISPVTATIO 231.

BOna quasi castrensia ea sunt, quæ cum castrensia non sint, priuilegium castrensium eatenus saltem habent, quod iure pleno, etiam quoad vsumfructum & administrationem, ad filium familias spectant, *l. cum oportet, in pr. nc. C. de bon. quæ lib. cap. presbyteros, 1. C. de Ep. & cler. & l. vlt. C. de inoff. testam.* Intellige, modo pubes sit, vt de castrensibus bonis disputatione præcedente dictum est. Cum autem, quod bona aliqua eiusmodi priuilegium habeant, ex principum voluntate, legumve dispositione pendeat, explicandum est, quibus rebus sit concessum.

Quasi castrensia bona inprimis sunt, quæ acquiruntur ex officio publico, vt aduocati *l. aduocati, Cod. de aduoc. diuer.* iudicum, tabellionis, iudicis, medici, professoris alicuius ex septem artibus liberalibus, & longe maiori cum ratione scientiæ alicuius superioris, vt Theologiæ, Iuris Pontificij, Cæsarei, aut Medicinæ, aut ex quauis alia administratione publica, propter quam publicum stipendium sit statutum: vt si ad vtilitatem publicam statutum esset stipendium ei, qui æquitare, aut arma exercere doceret iuuentutem, aut alicui alteri simili muneri. Ita colligitur ex *l. vlt. C. de inofficios. testam.* & habetur expresius *l. 2. tit. 2. part. 3.* Lege Nauarr. *in Manu. capit. 17. num. 142.* & Sylueſt. *verb. peculium, quæstione prima.* Quo loco recte Sylaester obseruat, quamuis lapicidis, carpentarius, & similibus artificibus,

ficibus, stipẽdium publicum esset constitutum, non propterea, quod eo pacto lucrarentur, ad peculium quasi castrense spectaret: eo quod non satis sit publicum statutum esse stipendium, vt quasi castrense sit, sed sit etiam necessarium, vt officium peculiari modo bonum atque vtilitatem publicam concernat, instar officij medici, aduocati, tabellionis, magistrorum artium liberalium, quorum mentio fit, *l. vltim. citata.* Idem quæstio. 10. merito etiam obseruat, licet iam hodie medicis, tabellionibus, & aduocatis publica stipendia non sint constituta, nihilominus, à priuatis pro executione suorum munerum accipiunt, spectare ad quasi castrense peculium. Atque in vtroque consentit Baldus, quem Gregorius Lopez. *l. 2. titulo 2. part. 3. verb. en las escuelas*, refert ac sequitur. Bartol. in *tractatu de duobus fratribus num. 9. & leg. similiter, ff. de castrensi peculio*, affirmat, quod donatur eiusmodi hominibus intuitu munerum, quæ exercent, spectare etiam ad quasi castrense peculium. Eiusmodi libri, qui aduocato, concionatori, aut medico à parentibus, siue à quouis alio donãtur, & equus, qui ad inuisendos, infirmos medico donatur. Idem est, si pecunia ad hæc comparanda donetur, eaque ex tali pecunia comparentur. In Lusitaniæ ordinationibus *lib. 4. titulo 78. §. 1.* habetur, quicquid filius acquirit per quemcunque actũ de literatura, hoc est, qui à literis emanat, qualis est medici, aduocati, iudicis, professoris alicuius facultatis, & cæt. pertinere ad quasi castrense peculium. Propinæ ergo, quas vocant, quę graduatis dãtur in vniuersitatibus, ad quasi castrense peculium spectant.

3 Deinde quod à Rege vel Regina vel Principe donatur, spectat ad peculium quasi castrense, *l. cum multa, C. de bonis quæ lib. & lib. 4. Lusitan. Ordin. titulo 78. §. 8. iuncto titulo 77. §. 8.* Lege, quæ de hac re copiosius diximus disputatione 8. in quinto euentu, in quo pater non habet vsumfructum in bonis filiifamilias.

4 Idem quasi castrensia bona sunt, non solum quæ filiusfamilias acquirit ex clericali officio, quod præstantius est, in maioremque vtilitatem publicam cedit, quam medici, aduocati, iudicis, & aliorum similium secularium munerum, aut quæ acquirit ex beneficio Ecclesiastico: sed etiam bona alia, quæ comparatione laicorum essent aduẽtitia, sunt quasi castrensia comparatione clerici; dummodo vel post clericatum illa acquirat, vbi in patrimonium ad sacros ordines suscipiendos ab alio, quam à parentibus sint ei donata, vt habetur *authentica presbyteros, C. de Episcop. & cleric. & disputatione 138.* ostensum est, vbi diximus, iam hodie ex consuetudine non extẽdi ad clericos in minoribus ordinibus aut in prima tõsura constitutos, nisi vel beneficium habeant Ecclesiasticum, vel de numero eorum sint, qui iuxta dispositionẽm Concilij Tridentini priuilegio gaudeant fori: Lege quæ ibi copiosè dicta sunt. Paulo antea dixi, *vel ab alio, quam à parentibus, in patrimonium ad sacros ordines suscipiendos sint donata*: quoniam licet eorum etiam, quę ad idem patrimonium ei à parentibus donantur, dominium, vsumfructum, & administrationem plenam habeat, eatenus tamen inter profectitia bona computanda sunt, quod adducere ea tenetur ad partitionem aliis fratribus, vt infra erit manifestum. Hæc de primo eorum, quæ in titulo disputationis proposita sunt.

5 Quod vero attinet ad secundum, quondam fas erat filio familias præterire aut exhæredare patrem quoad castrense aut quasi castrense peculium, neque proinde testamentum dici poterat nullum, aut querelæ inofficiosi subiacebat, vt habetur *l. vltim. C. de inoffi. testamen. & idem innuitur l. 6. in fine. titulo 17. part. 4.* vbi Gregorius Lopez. vult, libere potuisse disponere de toto suo peculio castrensi aut quasi castrensi, nihil patri relinquendo: tametsi, quod ad eam Castellæ legem attinet, firmus non sit, sed posse exponi dicat, de dispositione, præterquam in vltima voluntate. De patre autem familias sui omnino iuris non idem erat, etiam quoad bona castrensia, aut quasi castrensia: quoniam eo ipso peculia confundebantur, vt de quasi castrensi peculio patrisfamilias aperte dicitur *l. vltim. C. de inoffic. test.* ac proinde si quem præteriisset aut exhæredasset, testamentum dici poterat nullum, aut querelæ inofficiosi subiacebat, etiamsi talis paterfamilias solum haberet bona castrensia, vt habetur *l. Papinianus, §. Papinianus, ff. de inoffi. testamen.* Excipiebatur tamen, nisi talis paterfamilias iure militari esset testatus iuxta ea quę disputatione 129. dicta sunt, nempe in expeditione, atque in ea esset mortuus, vel intra annũ B post quam expeditio finita esset: tunc enim esto ascendentem aut descendentem præteriisset, aut exhæredasset, testamentum ipsius, nec nullum erat, nec querelæ subiacebat, vt habetur *leg. Papinianus, §. Papinian. & l. si instituta §. de inofficioso, ff. de inoffic. testamento*, & affirmant Glossæ vtrobique: Couarruu. vero *cap. quia nos de testament. numer. 7.* & alij affirmãt, ascendentem, vel descendentem præteritum, aut merito exhæredatum, potuisse nihilominus petere legitimam portionem sibi in bonis illius debitam.

Quidam, quos Couarru. ibidem refert, censent, 6 idem quoad hæc omnia esse hodie post iura au- C thenticorum dicendum. In eadem sententia est Panorm. *cap. quia nobis citato nu. 4.* vbi affirmat, clerici testamentum ex eo, quod prætereat aut exhæredet ascendentem aut descendentem, quem instituere tenebatur, neque posse dici nullum, neque subiacere querelæ inofficiosi, tametsi eo pacto præteritus aut exhæredatus petere possit legitimam sibi in eis bonis debitam. Ducitur, tum quia in eo capite dicitur clericum posse libere testari de bonis aliunde, quam ex ecclesia acquisitis: libere autem posse testari, est sine periculo, quod propter præteritionem aut exhæredationem testamentum sit nullum, aut querelæ subiiciatur, posse illud conficere. Tum etiam, quod cum secularis miles hoc priuilegium habeat, maiori cum ratione debet illud habere clericus, qui miles est Dei. D

Fundamentum primũ.

Secundum.

In contraria sententia sunt *glossa. lex. vltim. C. de inoffi. testamen. verb. testamenta, & glos. leg. Papinianus, §. Papinianus, eodem titulo in auth. ex causa C. de liber. præter. ac alibi*, & communis Doctorum sententia, quam Couarru. *cap. quia nos, de testam. num. 6.* & Gregorius Lopez *l. 6. titul. 17. part. 4.* referunt. Nempe, post iura authenticorum testamentum filiifamilias, aut militis, posse dici nullum, aut subiacere querelæ inofficiosi, eo modo, quo disputa. 172. explicatum est, si ascendentem vel descendentem prætereat aut immerito exhæredet, idque esto in eo de castrensi aut quasi castrensi peculio testetur. Atque hæc sententia omnino placet: quę probatur ex *authentico, vt cum de appell. cogno. §. aliud quoq; capitulum*, vbi ita habetur. *Sancimus non licere penitus* (id est absque vlla exE ceptione) *præterire vel exhæredare, &c.* Item ex *eodem authentico, §. sine igitur. vers. sancimus*, vbi statuitur, si filij de iis bonis, in quibus habẽt testandi facultatem parentes prætereant, aut exhæredent, testamentum esse nullum, subiacereque querelæ: cum autem, vt Bartol. ait, solum habeant facultatem testandi de castrensi, aut quasi castrensi peculio quando filiifamilias sunt, consequens est, vt testamentum de his bonis illa de causa nullum sit, aut querelę subiaceat, vt in eo authentico disponitur. Probatur etiam ex *authentica presbyteros, 1. C. de Episcop. & cleric.* vbi statuitur, bona, quæ acquirunt post clericatum, quasi castrensia esse, & esto in potestate parentum sint, posse de iis testari, modo si liberos habent, aut eis deficientibus, parentes legitimam ferant portio-

7 *Exhæredatio aut præteritio eodẽ modo non licet in castrensi aut quasi castrensi peculio, quo in aliis.*

nem. Idem confirmat *l. Tauri* 6. vbi statuitur, vt ascendentes succedant descendentibus, si careant descendentibus, in omnibus bonis cuiuscunque qualitatis sint, id est, siue sint aduentitij, siue castrensis, aut quasi castrensis peculij.

8 *Ad secundum Panor. fundamentum.* *Ad primum*

Secundum ergo fundamentum, cui Panormitanus nitebatur vt assereret, testamentum clerici hodie, propter præteritionem aut exhæredationem in eo factam, non posse dici nullum, neque querelæ subiacere, euersum est. Primum vero nullius profecto est momenti, quicquid Conar. *loco citato* ex Baldo referat. Etenim in eo capite, clericum libere posse testari de bonis aliunde, quam ex Ecclesia acquisitis, idem significat, quod non habere ad id prohibitionem, vt habet ad testãdum de bonis ex Ecclesia, hoc est, ex beneficio Ecclesiastico acquisitis, iuxta ea, quę dum de clericorum testamentis supra agebamus, late explicata sunt.

SVMMARIVM.

1 *Aduentitia bona presse quæ sint.*

2 *Dominium aduentitiorum filij ad quem spectet: administratio & vsusfructus eorum ad quem pertineat.*

3 *Quando matrimonium celebrarunt contractu arrharum & dotis, si filiusfamilias, in cuius bonis aduentitiis pater erat vsufructuarius, è vita discedat, integer vsusfructus eorum omnium bonorum pertinet ad patrem toto tempore quo pater post mortem vxoris superuixerit.*

4 *In regno Castellæ quando filius coniugatus mortuus est relicta sobole antequam more illius regni veletur, soboles succedat in bonis ipsius, sed vsusfructus, quem pater in eisdem bonis habebat, apud ipsum perseuerabit toto tempore quo vixerit.*

5 *Ab effectu explicato duo excipiuntur, n. 6.*

7 *Referuntur quædam supradicta, n. 8.*

ADVENTITIA BONA QVÆ sint, & quousque vsusfructus & administratio eorum ad patrem familias pertineat.

DISPVTATIO 232.

1 ADuentitia bona presse, & vt à cæteris peculiis distinguuntur, ea sunt quæ nec castrensia nec quasi castrensia, nec profecta ab eo parente sunt, cuius comparatione bona aduentitia filij dicuntur, nec proxime ac principaliter intuitu talis parentis ab aliquo sunt ei collata. Quo fit, vt quęcunque bona filius sua industria, labore, aut fortuna acquirit, vel aliunde, quam à patre, vel intuitu patris, ei conferuntur, vel hæreditario iure ad eum perueniunt, aduentitia bona ipsius, spectati comparatione talis patris, dicantur. modo tamen castrensia aut quasi castrensia bona non sint. Vnde quod à matre aut auis maternis ad eum peruenit, aduentitium bonum ipsi dicitur, si comparatione patris spectetur. Idem est, si ab auis paternis in hoc Lusitaniæ Regno aliquid de tertio suorum bonorum sit ei relictum, vel in Regno Castellæ de tertio & quinto. Simili modo, si idem filius spectetur comparatione matris, quæ illi adueniunt aliunde, quam à matre, aut proxime & principaliter intuitu matris, iuxta ea quæ disputatione sequenti explicanda sunt, dicuntur bona aduentitia eiusdem comparatione matris: dummodo castrensia aut quasi castrensia bona non sint. Ita colligitur aperte *ex leg. cum oportet, & l. quæcunque* C. *de bonis quæ lib. ex* §. *igitur. versic. quod autem institut. per quas perso. nob. acq. & ex l* 5. *tit.* 17. *p.* 4. Consentiunt Lusita. Ordin. *lib.* 4. *tit.* 78. §. 2. & affirmant Doctores communiter, dilucidiusque reddetur ex disputationibus sequentibus.

A Dominium bonorum aduentitiorum filij ad ipsum filium spectat, administratio vero & vsusfructus eorum pertinet ad patrem familias, qui de iure communi erat supremus ascendentium per lineam masculinam superstes: de iure vero Lusitano & Castellæ est solus pater, vt disputatione 220. & aliis sequẽtibus dictum est. Neq; de Lusitano iure, quicquid per inaduertentiam ordinationes *lib.* 1. *tit.* 67. statuant, per patris mortem reincidit filius in aui paterni potestatem, neque pertinet ad illum administratio & vsusfructus eorum bonorum, sed ad filium, vt disputationibus citatis dictum est. Quod dominium horum bonorum iam nunc ad filium spectet, administratio vero, & vsusfructus ad patremfamilias, pater ex *l. cum oportet, & authenticus in ea inserti, ex leg. cum non solum*, Cod. *de bonis quæ liber.* B *ex* §. *igitur. vers. quid autem, institut. per quas person. nobis acquiren. ex leg.* 5. *titulo* 17. *part.* 4. atque ex aliis iuribus, & consentiunt Doctores omnes. Excipiuntur tamen casus disputatione octaua à nobis explicati, in quibus vsusfructus bonorum aduentitiorum filijfamilias non ad patrem, sed ad filium ipsum spectat, eos illo in loco vide. Mortuo autem patre, etiamsi mater superstes sit, aut alij ascendentes, vsusfructus eiusce bonorum pertinet ad filium, & non ad matrem, aut ad quemquam alium ascendentiũ: quoniam, quod vsusfructus ad patremfamilias spectet, effectus est patriæ potestatis, ac proinde sese extendit etiam ad patrem per arrogationem, aut C adoptionem, quando adoptatus in adoptantis trãsit potestatem, vt supra, cum de patria potestate sermo est habitus, explanatum est, nõ vero ad aliquem alium.

Circa eiusmodi autem vsumfructum, quem paterfamilias habet in bonis filij aduentitiis referenda sunt, quæ variis in locis de eo sunt dicta; breuiterque addenda sunt, si quæ supersunt.

3 Quando filius, dum sub patria erat potestate è vita discedit, vsusfructus, quem pater in bonis ipsius habebat, perseuerat apud patrem toto tempore, quo superuixerit, non obstante quod morte filij deuerit patria potestas, & quod dominium eorum bonorum, aut patris, ad aliquem alium pertineat, vt de vsufructu, quem habebat pater in bonis, quæ D filiusfamilias clericus ante ordines sacrõs acquisierat, diximus disputatione 138. Hinc consequitur, quando aliqui matrimonium celebrarunt contractu arrharum & dotis, si filiusfamilias, in cuius bonis aduentitiis pater erat vsufructuarius, è vita discedat, quamuis dimidium eorum bonorum quoad proprietatem iure hæreditario deueniat ad matrem, & dimidium ad patrem, integrum tamen vsumfructum eorum omnium bonorum pertinere ad patrem toto tempore, quo pater post mortem vxoris superuixerit. Interim vero, dum constat matrimonium, si ex illo bona superlucrata accrescant, cum morte vxoris inter virum & hæredes vxoris de iure Regni Castellæ, & de consuetudine Lusitaniæ, sint diuidẽda, quodam modo in vtrumque spectat. Quando vero matrimonium celebratum fuit *Ius Lusitan.* E contractu medietatis, cessat hic effectus: quoniam eo ipso, quod filius moritur ante matrem & patrẽ, bona talis filij, in quæ parentes succedunt: fiunt cõmunia vtriusque coniugis, vsusfructusque cum proprietate omnino consolidatur, atq; per mortem alterius eorum æqualiter sunt diuidenda inter coniugem superstitem, & hæredes defuncti. Quod autem interim dum pater viuit vsusfructus, quem habebat in bonis filiifamilias defuncti, secum perseueret, quousque ipse moriatur, esto dominium eorum bonorum, aut patris eorum, ad alium pertineat habetur expresse *leg. vlt.* § *fin vero defuncta*, C. *ad Tertullia. l. vlt. in fin.* C. *cõmunia de succes. l.* 3. *& 4.* C. *de bon. quæ lib. in auth. de hæredib. ab intest.* §. 1. *iunct. glo. ibi*, & aliis iurib. affirmãtib. aliæ glossæ, Bart. & cõmuni-

nis

nis Doctorum ſententia, quam refert ac ſequitur Ant. Gom. ad *l. 6. Tauri num. 8. & 12. & ad l. 48. Tauri num. 5.*

4 Hunc eundem effectum merito Anton. Gom. *n.* 11. 12. citatis in Regno Caſtellæ extendit ad auum paternum, quando filius coniugatus mortuus eſt relicta ſobole, antequam more illius Regni velaretur: cum enim per matrimonium in eo regno filius non egrediatur patriam poteſtatem niſi poſtquam eſt velatus, atque adeo neque pater amittat vſumfructum in bonis aduentitiis illius, vt in calce diſputationis 229. dictum eſt, vtique, ſi talis filius moriatur, ſoboles ſuccedet quidem in bonis ipſius: atta men vſusfructus, quem pater in eiſdem bonis habebat, apud ipſum perſeuerabit toto tempore, quo vixerit. Quamuis autem nepotes ſub ipſius maneant poteſtate, eo quod pater dum viueret nunquam eam ſit egreſſus, & ſi contigerit eos matrimonium contrahere ac velari, eiuſdem poteſtatem egrediantur, ac proinde auus amittat vſumfructum in iis bonis ipſorum aduentitiis, quæ aliunde, quam ex ſuo patre, eis aduenerunt, in bonis tamen aduentitiis patris perſeuerabit vſusfructus apud auum interim dum fuerit ſuperſtes: quoniã eiuſmodi vſumfructũ habebat auus, non ſolum titulo, quod nepotes ſub ipſius eſſent poteſtate, ſed etiam quod fuerint filij ſui, qui mortuus eſt in eius perſeuerans poteſtate: vt autem apud patrem perſeueret, ſatis eſt vnus ex his duobus titulis.

Ius Caſtel.

5 Ab effectu tamen explicato iure optimo excipit Antonius Gomez *l. 6. citata num. 13. 14. & 15.* in Regno Caſtellæ, quando filius familias, iuxta iura eiuſdem Regni, poſt pubertatis annos diſponit de tertio ſuorum bonorum pro anima ſua, aut relinquendo illud, vel partem illius, matri, aut cuicunque extraneo. Vt enim ſufficienter probat, vſusfructus bonorum, quando filius de illis in teſtamento diſponit, non pertinet ad patrem poſt mortem talis filij: quoniam ea videtur mens legislatoris, qui diſpoſitionem de eo tertio conceſſit, & id ſonant iura Regni Caſtellæ, vt Antonius Gomezius docte expendit.

6 Ab eodem effectu excipitur, ſi pater vſumfructum habeat in bonis maioratus filio familias per lineam maternam, aut in his Regnis ab auis paternis, aut aliunde aduentitiis, idemque eſt in quibuſcunque aliis bonis aduentitiis obnoxiis vt alteri reſtituantur: mortuo namque filio, qui erat in poteſtate patris, aut aduenięte tempore reſtitutionis, non ſolum proprietas, ſed etiam vſusfructus tranſit in ſucceſſorem, ac proinde extinguitur in patre, vt Antonius Gomez *ad leg. 48. Tauri, in calce num. 4.* recte affirmat. Ratio autem eſt, quoniam id pendet ex inſtituentis voluntate, neque pater vſumfructum eorum bonorum habet, niſi dum ad filium ſpectare debebant. Porro vſumfructum eiuſmodi bonorum aduentitiorum filiifamilias pertinere ad patrem, interim dum filius viuit, neque per matrimonium, aut emancipationem, vel dignitatem Epiſcopi, aut aliam ex commemoratis diſputatione 229. non egreditur patriam poteſtatem, probat optime Antonius Gomezius ad *legem 48. Tauri, numero 3. & 4.*

7 Diſputatione 9. diximus, per ſolum egreſſum filij à patria poteſtate, amittere quidem patrem vſumfructum bonorum, quæ deinceps talis filius acquiſiuit: non tamen eorum, quæ iam antea filius acquiſierat, & quorũ vſumfructũ habebat pater ante talem egreſſum: nam hic vſque ad mortem patris in eo perſeuerat, exceptis caſibus à iure expreſsis. Videlicet de iure communi, quando pater filium emancipat: tunc enim ſolum retinet dimidium vſusfructus eorum bonorum, & alterum dimidium pertinet ad filium. De iure tamen Luſitano amittit pater totum vſumfructum, vt diſputatione 9. citata & diſputat. 229. dictum eſt. Item quando filius egreditur patriam poteſtatem propter aliquam dignitatem ex iis, quæ diſputatione 229. commemoratæ ſunt, amittit pater eo ipſo totum vſumfructum, vt diſputationibus citatis dictum eſt. Præterea enim etiam de iure Luſitano & Caſtellæ amittit eo ipſo, quod filius matrimonium contrahit, vt eiſdem diſputationibus dictum eſt. In reliquis vero euentibus cum patre perſeuerat vſque ad mortem ſuam, vt patet, quoniam per mortem filij extinguitur quidem patria poteſtas, vſusfructus tamen perſeuerat apud patrem vſque ad ipſius mortem, vt paulo ante oſtenſum eſt, & affirmat communis Doctorum ſententia. Ex hoc eodem fundamento diſputatione nona citata diximus cum pleriſque aliis, per profeſsionem patris non redire vſumfructum ad filium, ſed commoditatem illius pertinere ad monaſterium interim dum pater viuit. Ex eodem fundamento diſputatione 140. diximus cum multis aliis, per filij profeſsionem patrem non amittere vſumfructum, quem ante habebat in bonis talis filij. Et diſputatione nona diximus, per hæreſim filij, atque damnationem & confiſcationem bonorum propter illam, patrem non amittere vſumfructum, quem antea habebat in bonis talis filij, ſed à morte patris eiuſmodi vſumfructum pertinere ad fiſcum, & conſolidari cum proprietate. Eadem diſputatione nona, late explicauimus quouſque pater propter delictum proprium, & capitis diminutionem amittat vſumfructum, quam in bonis filij habebat, & quando pertineat ad fiſcum, & quando ad filium reuertatur. Simul etiam ibi de aliis vſibusfructibus explicamus, quouſque propter delictum, capitiſque diminutionem vſufructuarij amittantur, & quando ad fiſcum pertineant, quando vero cum proprietate conſolidentur, & quid dicendum, quando bona ſunt maioratus, aut grauata vt alicui alteri reſtituantur.

8 Patrem non teneri ad eam ſatisdationem circa bona filij, in quæ habet vſumfructum, ad quam, iuxta ea quæ diſputatione 7. dicta ſunt, alij vſufructuarij tenentur, explicatum eſt diſputatione 8. itemque ad quos ſumptus vltra alios vſufructuarios teneatur. Quatenus autem conficere teneatur aut non teneatur inuentarium de rebus quibus fruitur, vt filio poſtea ratio reddatur, diſputatione 219. explicatum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Quæ profectitia bona dicantur?*

2 *Huiuſmodi bona regulariter cuius ſint.*

3 *Quæ à parentibus proficiſcantur, ſi caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia efficiantur, profectitia bona non ſunt, neq; ad partitionem ſunt adducenda.*

4 *Quod intuitu parentis principaliter ac proxime donatur, profectitium bonum eſt, ad eumq; quoad dominium, & fructus pertinet, quid ſi remotè & minus principaliter intuitu patris donetur.*

5 *De iure Luſitaniæ, ſi ab aliquo quidpiam in coniugium alicuius datum aut promiſſum ſit, cenſetur bonum aduentitium deſcendentis in cuius cõiugium donatur, & non profectitium, nec tenetur is deſcendens accipere id in ſuam legitimam portionem, aut adducere illud ad partitionẽ, cum aliis fratribus niſi à donatione fuerit expreſſũ velle, vt ad partitionem id adducat.*

6 *Quid, quãdo ad petitionem parentum Rex in aliquem filiorum transfert bona aliqua, quæ illi à Rege habebant de iure.*

7 *De iure communi, quando aliquid à Rege donatur alicui filiofamilias, pertinet integre ad filium tanquam bonum illius quaſi caſtrenſe.*

QVÆ BONA PROFECTITIA *sint.*

DISPVTATIO 233.

1 EA bona profectitia dicuntur, quæ neque sunt castrensia, neque quasi castrensia, & de bonis eius parentis aduenerunt, comparatione cuius profectitia dicuntur, aut certe proxime, & principaliter eius intuitu donata sunt. Ita colligitur ex §. *igitur, versiculo sancitū est, instituta, per quas personas nob. acquir. ex l. cum oportet, in princip. iunct. Gloss. ibi in verbo ex illius substantia. C. de bonis quæ lib. ex l. 5. tit. 17. p. 4. & ex lib. 4. Lexita. Ordinat. tit. 77. §. 22. & tit. 78. in principio.*

2 Huiusmodi autem bona regulariter, tam quoad dominium, quam quoad vsumfructum esse solent parentis à quo profecta sunt, vt ex iuribus citatis constat. Dixi regulariter: quoniam quod filio à parentibus datur in patrimonium, vt sacros suscipiat ordines, quod item filiæ datur in dotem, aut filio donatur ad nuptias, licet à parentibus proficiscatur, & eatenus cum profectitiis bonis sit connumerandum, quod postea ad partitionem cum reliquis fratribus sit afferendum: dominium tamen pertinet ad filium, aut filiam, fructusque inde percepti vsque ad mortem parentis, qui ea bona dedit, ad filium aut filiam spectant, neque ad partitionem sunt adducendi. Si quid etiam ita valide à parente filio donetur, vt ad partitionem adducere illud non teneatur, & neq; castrense aut quasi castrēse bonum talis filij efficiatur, tūc erit aduentitium. Vtrum autem aliquid tale sit, ex sequentibus patebit, illudque in bonis profectitiis ex priuilegio est excipiendum.

3 In explanatione bonorum profectitiorum idcirco dictum est, quæ neque sunt castrensia neque quasi castrensia: quoniam quæ à parentibus proficiscuntur, si, iuxta dicta disputatione 230. & 231. castrensia vel quasi castrensia efficiantur, profectitia bona non sunt, neque ad partitionem sunt adducenda. Eiusmodi sunt mobilia, quæ donantur filio eunti in bellum, aut in seruitium & palatium Regis, vt ea ibi insumat) quousque autem hæc de iure Lusitano castrensia efficiantur, disputatione 230. dictum est) & sunt libri, qui aduocato donantur, aut cuicunque alij literato, qui absoluto studiis, quæ didicit, exercet, aut in procinctu est, vt ea exerceat, & alia eiusmodi, vt ex disput. 231. patet.

4 Additum in eadem explicatione est: aut proxime & principaliter eius intuitu donata sunt: quoniam quod intuitu parentis principaliter ac proxime donatur, profectitium bonum est, ad eumque parentem quoad dominium, & fructus pertinet, vt colligitur ex §. *igitur. versi. sancitum est*, illis verbis, *quod ex patris occasione profectum est: Instit. per quas pers. nob. acquir. & ex l. 5. tit. 17. p. 4.* & affirmant glos. citata. & Bart. *l. cum oportet, in princ. C. de bon. quæ liber.* Sylueſt *verb. pecul. 1. q. 1. & q. 15.* & alij, consonantque *l. adito §. vlt. ff. de acquir. hæred. l. sed si plures, § in arrogato, in fine, ff. de vulg. & pupil. l. profectitia. in princ. ff. de dot.* & alia iura. Quod tamē remote & minus principaliter intuitu patris donatum est propter filij obsequia, aut ob gratiam, quam sibi filius apud donatorem conciliauit, ita vt liberalitas in filium dirigatur, non profectitium, sed aduentitium bonum est censendum, esto ad donandum patris intuitus fuerit cooperatus. Ita Bartol. *l. cum oportet citata num. 4.* Sylueſt *quæst. 1. & 15 citatis*, & alii, consentitque *l. Si cum auo eo, §. vlt. ff. pro socio.* In dubio autem, an aliquid donatum relictumve filio sit intuitu ipsius, an patris, coniecturis est id expendendum. De qua re lege Bartolum *in tract. de duobus fratribus numer. 7.*

A & 8. Si autem, expensis coniecturis omnibus res sit dubia, ortumque dubium fuit postquam filius bona fide cœpit rem tanquam suam possidere: tunc, quoniam *in dubio melior conditio* possidentis, ad solum filium spectat. Si vero vel cum dubio possidere cœpit, vel nondum pater, & filius tanquam rem propriam alicuius ipsorum cœpit eam possidere: tunc pro dubij quantitate inter ipsos est diuidenda iuxta ea quæ in hoc opere sæpe dicta sunt, & in progressu illius dicentur.

Obseruandum tamen est, de iure huius Lusitaniæ Regni, si à Rege, vel à quocunque alio (qui ascēdens eius non sit, in cuius coniugium donatur) quippiam in coniugium alicuius datum, aut promissum sit, esto patri, aut auo donetur in coniugium filij, aut filiæ, vel nepotis aut neptis, aut alterius descendentis, & esto donetur aperte intuitu talis patris aut aui, atque ad ipsorum petitionem, nihilominus censeri bonum aduentitium descendētis, in cuius coniugium donatur (quin & quasi castrense, si à Rege, Regina, aut Principe donetur) & non profectitium, neque eiusmodi descendentem teneri accipere id in suam legitimam portionem, aut adducere illud ad partitionem cum aliis fratribus, nisi à donatore, quando id donauit aut promisit, fuerit expressum velle, vt ad partitionem id adducat. Ita sancitum est. *4. lib. Ordinat. titu. l. 77. §. 86. & 9.* 5

Ibidem §. 10. sequenti sancitur, quando ad petitionem parentum aut auorum, vel de illorum consensu, Rex in aliquem filiorum aut nepotum transfert bona aliqua, quæ illi à Rege habebant de iure, aut ipsorum vitam, vel reneam, vt vocant, quam ad vitam habebant, vel vsque ad Regis beneplacitum, tales filios, aut nepotes non teneri computare ea in suam legitimā, aut adducere ea, vel æstimationem eorum, ad partitionem cum aliis descendentibus, sed habere ea sibi præcipua. 6

Antonius Gom. ad *l. 48. Tauri num. 4.* cum Aretino contendit, de iure etiam communi, quando aliquid à Rege, vel Regina donatur alicui filiofamilis, siue ad coniugium, siue quacunque alia ratione, esto patris intuitu donetur, pertinere integre ad filium tanquam ad bonum illius, quasi castrense: lege apud illum iura & rationes, quibus nititur. 7

SVMMARIVM.

1 *Totum illud lucrum, nihil impediente quod simul à filij industria emanet, profectitium est, ac proinde ad solum patrem pertinet, adducendumque à filio est ad partitionem, si quid illius retineat.*

2 *Refertur communis quorundam sententia.*

3 *Explicatur authoris sententia, vsque ad n. 6.*

7 *Quādo filius, qui cum patre commoratur, atque ab eo sustentatur, plus suo labore & artificio lucratur, quam sit id quod pater cum eo insumit, si nihil sit protestatus, sed permiserit patrem totum lucrum accipere, censetur ex gratitudine & amore filiali id condonasse, ac proinde nec potest postea id repetere à patre aut ab eius hæredibus.*

8 *Refertur quorundam sententia.*

9 *Si filius, dum cum patre commoratur, & ab eo sustentatur, pecuniam aut rem aliam infructiferam patris suo nomine, atque in suum damnum & commodum, & non patris administret, vt si clam id à patre accepit, aut ei mutuo dedit, tunc lucrum totum & damnum ad filium pertinet, teneturque solum restituere patri quod ab eo ita accepit: quid, si damnum illi aliquod ex priuatione iniusta vsus talium rerum subsecutum sit, aut in fraudem aliorum filiorum pater ea bona filio mutuo dedit.*

PRO-

PROFECTITIVM NE, AN ADuentitium bonum sit, quod filius sua industria bonis parentis lucratur, & quidde acquisitis opificio in parentis domo, dum ab eo alitur.

DISPVTATIO 234.

1 DVo proposita dubia coniuncta sunt cum duabus præcedentibus disputationibus: vtrumque vero permixtim expediemus. Quod ad primum attinet gloss. *l. cum oportet, verb. ex eius substantia*, C. *de bon. quæ lib.* Azo Speculator, Sylvest. *verb. periculum* 1. *quæst.* 12. & alij quos Sylvest. & Doctores citandi referunt, asseuerant totum illud lucrum, nil impediente quod simul à filij industria emanet, profectitium esse, ac proinde ad solum patrem pertinere, adducendumque à filio esse ad partitionem si quid illius retineat. Hæc sententia videtur definita in Regno Castellæ *l. 5. titulo 17. part. 4.* sic enim habet. *La primera manera de genancia es aquello que los hijos ganan con los biene de los padres: y tal ganancia como esta llaman en latin* profectitium peculium. *Ca quanto quier que ganan desta manera, oper razon de los padres, todo es de los padres qui los tinienen en su poder.* Porro verba illa, *oper razon de sus padres* non sunt restrictio, & interpretatio verborum præcedentium, vt perperam conatur eo loco illa inducere Gregor. Lopez, vt à sententia mox referenda lex illa non dissentiat: opposita namque sunt ad includenda donata proxime & principaliter intuitu patris modo disputatione præcedente explicato. Præterea verba illa disiunctiue cum præcedentibus apponuntur in ea lege ad tradendum distinctum caput, vnde bona profectitia etiam sunt. Idemque, quod *l. 5. citata*, disponitur *l. 3. tit. 15. part. 6.* vbi non apponitur secundum membrum, lege quinta adhibitum. De iure Lusitano mox dicemus.

Cloſſa & multorum opinio. *Caſtella*

2 Bar. vero *in tractatu de duobus fratribus in princip. & l. 1 §. nec caſtrenſe num. 5. ff. de colla. & l. cum oportet citata, Nauar. in Manual. cap. 17. num. 144. 148. & 161.* Ant. Gom. *ad l. 29. Tauri num. 14.* & communior Doctorum sententia, quam ipse & Gregor Lopez *l. 5. cit.* referunt, censent bona, quæ filius sua industria, & bonis patris acquirit, esse quidem profectitia quatenus bonis patris acquiruntur, at vero esse aduentitia & propria filij quoad proprietatem, quatenus à sua industria emanant. Vnde Anton. Gomez. in hunc modum distinguit. *Aut lucrum quod filius bonis patris acquirit, emanat solum à pecunia & bonis patris, aut solum ab industria filii, quia videlicet eiusmodi bona ex se non erant fructifera, nec pater eis erat negotiaturus, neque iubet filium illis negotiari sed filius suo periculo clam aut sciente & permittente patre eis negotiatur, vel emanat partim à patre, & bonis patris, & partim ab industria filii.* In primo euentu ait, totum lucrum esse patris. In secundo dicit totum esse filij. In tertio autem, partim esse profectitium, & partim aduentitium, pertinereque proinde ad patrem in ea portione, quæ bonis patris est tribuēda, ad filium vero in ea, quæ tribuenda est ipsius industriæ. Pensata namque quantitate & qualitate bonorum patris, & quantitate, ac qualitate laboris, atque industrię filij, cæteri sque omnibus circūstantiis concurrentibus, arbitrio prudentis est censendum, quanta portio lucri tribuenda sit bonis patris, & quanta industrię filij eo modo quo in contractu societas fit, quando vnus apponit capitale, & alius industriam. In dubio autem, an alicui plus lucri sit tribuendum, medietas censenda est aduentitia & propria filij, & altera medietas profectitia, & patris propria. Atque hoc est, quod cæteri Doctores citati volunt. Ducuntur hi Doctores.

Bartol. & communior ſententia.

A Quoniam de iure communi, vt cōstat ex dictis duabus disputationibus præcedentibus, quod prouenit ex industria filij, aduētitium est, & quod ex bonis patris, est profectitium. Nauarrus & Antonius Gomez. *locis citatis.* & plerique alij ex auctoribus huius opinionis addunt, quando filius ita sua industria administrat pecuniam, aut alia bona patris, vt commoda omnia & damna sint patris (id, quod regulariter fieri solet) posse eiusmodi filium post mortem patris exigere stipendium laboris, & industriæ appositæ, quantum tribuendum fuisset extraneo, qui eadem bona similiter administrasset: habereque eiusmodi stipendium præcipuum vltra suos fratres, qui non ita laborassent, neque administrassent bona patris. Hoc censet Nauarrus limitādum, modo is filius tacite, vel expresse protestatus esset, se eo animo bona illa administrare, vt competens accipiat stipendium: alioquin censeretur amore, & gratitudine filiali id fecisse, atque adeo gratis, *argumento leg. Nesenius, ff. de negot. gest.* neque in exteriori foro quicquam ei adiudicaretur: imo neque in cōscientiæ foro posset quicquam accipere, si ex liberalitate & gratitudine patri debita id fecisset.

B

C

Vt, quod hac de re sentio, proferam. in primis obseruo. Quæstionem hanc definitam esse de iure Lusitano *libro 4. Ordinat. titulo 77. §. 22.* vbi sancitum est. Si filius, qui cum altero, aut vtroque parente commoratur, & de bonis eorum sustentatur, quippiam sua industria, & labore bonis parentum lucretur id totum pertinere ad parentes, & post mortem illorum addendum esse ad patrimonium cum alijs fratrib. idque siue talis filius, qui est id ita lucratus, solutus sit, siue coniugatus: idemque habetur *titulo 78. in principio.* Quo loco obserua, Ordinationem statuere totum, quod eo modo est acquisitum, pertinere ad parentem, aut parentes, & non partem, quæ præcise respondet bonis parentum, totumque esse similiter afferendum ad partitionem. Quare miror Gam. *decis. 110. num 37.* circa litem in hoc regno motam obiter retulisse Bartol. & aliorum sententiam, quasi illa vim in hoc regno haberet, nulla mētione facta de Ordinatione proxime relata, neque vllo ad eam adhibito responso, aut interpretatione, ita vt suspicio sit, memoria tunc illi excidisse.

3 *Deciſio.* *Ius Luſitan.*

D Cum autem Ordinatio illa duo ad id necessaria dicat: vnum, vt bonis parētum id lucretur, alterum, vt de bonis parentum sustentetur: ex ea Ordinatione argumento à contrario sensu colligo, si talis filius non sustentaretur de bonis parentum, posse petere de lucro, quod ipsius labori & industriæ responderet, si quasi contracta cum parentibus societate bona illa de eorum cōsensu administrasset: si autem ita ea administrasset, vt commoda omnia, & damna parentibus cederent, posset quasi actione negotiorum gestorum petere competens stipendium sui laboris & industriæ, nisi ex gratitudine, & filiali amore gratis bona illa administrasset. Quod si pecuniam, vel sibi à parentibus commodatam, vel clam de eorum bonis acceptam, administrasset: tūc damnum omne, & lucrum ad ipsum solum spectaret, neque teneretur restituere parētibus nisi pecuniam ipsam, & damnum, si quod priuando eos vsu suæ pecuniæ, illis intulisset: tametsi peccasset clam eam accipiendo, atque inuitis parentibus illa vtendo. Si vero parentes in fraudem aliorum filiorum mutuo eam illi dedissent, vt ditiorem illum cæteris efficerent, eaque de causa lucro aliquo ex vsu illius pecuniæ seipsos priuassent, credo fratres agere possent aduersus illum, vt adduceret ad partitionem, quantum sua eorum intererat, mutuo pecuniam illam non esse traditam: aut cogere, vt pater in tertio suorum bonorum in Lusitania, aut in tertio & quinto in Castella, interesse illud acciperet, perinde ac alias donationes alicui filiorum collatas.

4

E

In eadem ordinatione ſtatuitur, ſi eiuſmodi filius, qui cum altero aut vtroque parentum commoratur, & alitur de bonis eorum labore ſuo proprio, aut quacunque alia ratione quippiam lucretur, ita quod id non lucretur bonis parentum, comparare illud ſibi quoad proprietatem, nec teneri id adducere ad partitionem cum aliis fratribus.

6 Hinc colligo, ſi filius alicuius opificis labore proprio quicquam lucretur in domo patris, ac ex tali lucro aliquid inſcio patre ad ludum, aut ad aliquid aliud retineat, non teneri id reſtituere, aut adducere poſtea ad partitionem cum aliis fratribus, præſertim ſi tantum parenti, cuius bonis ſuſtentatur, relinquat, quantum inſumit in eo alendo. Hoc vero addo, quoniam qñ filius propria habet bona vnde poſsit ſuſtentari, non tenetur parens de ſuis propriis bonis eum ſuſtentare: ſed poteſt præbere ei alimenta de bonis ipſius filij. Quamuis autem pater, ſi plus inſumat in filij ſuſtentatione, quam ſit ea pars lucri, quam filius ei relinquit, poſsit iuſtitiæ rigore exigere à filio de eo, quod ſubtrahit, incrementum, vſque ad integram ſuſtentationem, & filius peccet inſcio & inuito patre, non relinquẽdo illi integram ſuſtentationem. quin & pater de iuſtitiæ rigore velle poſsit vt poſt ſuam mortem reſtituat, adducatque ad partitionem cum aliis fratribus, quod de integra ſuſtentatione ſubtrahit: poteſt tamen id ei remittere, raroque inuenietur pater, qui ad eam reſtitutionem aſtringere velit filium. Atque hac de cauſa regulariter in confeſsionibus iniungendum non erit tali filio, vt poſt mortem patris reſtituat.

7 Illud admonuerim, quando filius, qui cum patre commoratur, atque ab eo ſuſtentatur, plus ſuo labore & artificio lucratur, quam ſit id, quod pater cum eo inſumit, ſi nihil ſit proteſtatus, ſed permiſerit patrem, aut matrem totum lucrum accipere cenſeri in gratitudine & amore filiali id condonaſſe, ac proinde neque poſſe poſtea id repetere à patre aut matre, neque exigere ab eorum hæredibus: atque ita credo in more eſſe poſitum in hoc & in aliis Regnis.

8 Quod ad ius Caſtellæ, & commune attinet, certe Caſtellæ ius cum Luſitano cenſentire videtur, vt ſupra relatum, oſtenſumque eſt. Quamuis autem Gregorius Lopez *ibidem*, & alij ita legem Caſtellæ velint exponere, vt cum Bartoli opinione conſentiat: eam tamen, & ius commune ita intelligit Gregorius Lopez cum aliis quos refert, vt quando filius nomine, atque in commodum, & damnum patris negotiatur, totum lucrum profectitium ſit, ad ſolumque patrem pertineat, neque filius exigere poſsit ſtipendium ſui laboris & induſtriæ: quare cum regulariter filij, qui cum parentibus commorantur, & de eorum bonis ſuſtentantur, hoc pacto adminiſtrent bona parentum, illiſque negotientur, ſane nobiſcum conueniunt. Quod autem in praxi locum non habeat, eriam ſtando in ſolo iure communi, eiuſmodi filium poſſe exigere poſtea ſtipendium laboris ſui & induſtriæ, vt Antonius Gomez. Nauarr. & alij volebant, probatur. Primo, quia quando illud exigere vellet, pater, aut hæredes illius inde ſubtrahere poſſent integram illius ſuſtentationem toto eo tempore victus, veſtitus, habitationis, ac cæterarum rerum, quando quidem, interim dum filius habet, vnde ſuſtentetur, non tenetur pater tradere illa alimenta de ſuis bonis: & quando filius, ita ſe gerere vult erga patrem, vt ſtipendium adminiſtrationis bonorum ab eo exigat, æquum etiam eſt, vt pater ſuſtentare eum non velit, niſi de ſtipendio, quod illi pro ea adminiſtratione debet; atque hanc præſumendum eſt, fuiſſe voluntatem quaſi habitualem patris interim dum vixit, quando ſtipendium peteretur à fratribus poſt illius mortem. Secundo, quia quando filius non eſſet proteſtatus

Ius Caſtellæ & commune

A ſe non adminiſtrare ea bona gratis: cenſeretur id feciſſe ex gratitudine, & amore filiali, atque adeo gratis, exigereque non poſſe ſtipendium. Quod ſi viuente patre id proteſtaretur, pater eum repelleret ab adminiſtratione, raroque inuenietur filius, qui id patri audeat proteſtari. Tertio quoniam quando præſens eſt is, cuius negotium geritur, exiſtimareque poteſt gratis id ſibi præſtari, admittenda non eſt negotiorum geſtorum actio, niſi is coram eo, cuius negotia gerit, proteſtetur ſe id gratis non facere: fortaſſe namque is alius contentus non erit, vt negotia ſua ita gerãtur, & in re propoſita, vel pater familias, potius per ſe ipſum negotium geret. quã ſtipendium ea de cauſa ſoluat, vel vtetur ad id alio filio, aut conſanguineo. Adde filium negotia patris gerẽdo dexteritatem comparare in rebus adminiſtrandis, beneficiumque proinde patris eſſe, quod adminiſtrationem illi concedat, ne otioſus ſit, & vt talem dexteritatem comparet. ea enim ratione facilius vxorem maiori cum dote inueniet, meliuſq; poſtea ſciet ſua propria bona in domo & familia propria adminiſtrare, quando fuerit ſui iuris: vnde æquum non eſt, vt inſuper ſtipendium tanquam mercenarius aliquis à patre ea de cauſa poſtulet. His accedit, filium, vt Syluest. *qu. ſt. 12. ſtatu.* 1 bene obſeruat, dum ſub patria eſt poteſtate, præſertim ſi ſub eodem tecto cum patre commoretur, atque ab eo ſuſtentetur, obedientiam illi debere, tum ad alia, tum vt adminiſtret bona patris, quando fuerit ei iunctum quemadmodum autem non poteſt filius ſtipendium petere à patre pro aliis obſequiis ex ipſius obedientia ei impenſis, ita neque pro hoc. Accedit præterea, legem hanc omnibus vniuerſim filiis poſitam, vt quicquid bonis patris lucrarentur, interim dum cum eo commorantur & ab eo ſuſtentantur, id totum profectitium ſit & conferendum, & lites ac iurgia inter illos tollere, qualemque omnibus eſſe vtenim induſtria, & labor vnius, cui pater adminiſtrationem committit alius prodeſſe poteſt, ita labor, & induſtria cuiuſque aliorum, eundem demandari poterat, potuiſſet prodeſſe huic, aut reipſa proderit, ſi poſtquam hic domũ patris ſit egreſſus, aut aliqua de cauſa impeditus, alius bona patris in omnium commodum adminiſtret.

Illud obſeruandum eſt, ſi filius, dum cum patre commoratur, & ab eo ſuſtentatur, pecuniam, aut rem aliam infructiferam patris, vt triticum, vinum, &c. ſuo nomine, atque in ſuum damnum & commodum, & non patris, adminiſtret, vt ſi eam id accepit à patre, aut pater id mutuo ei dederit: tunc lucrum totum, ſicut & damnum, ad filium pertinere, non ſolum ſtando in iure communi, ſed etiam iure Luſitano & Caſtellæ tenerique ſolum reſtituere patri, quod ab eo ita accepit, & ſi quod damnum illi ex priuatione iniuſta vſus talium rerum ſubſecutum ſit: aut ſi in fraudem aliorum filiorum pater ea bona filio mutuo dedit, teneri fratribus reſtituere quantum ſua illorum intererat talia bona non eſſe mutuo ei data, aut patrem teneri accipere æſtimationem intereſſe illius in portione, de qua libere poterat diſponere, vt ſupra de iis, quæ filius, qui de patris bonis non aleretur ſimili modo lucraretur, hæc omnia dicta ſunt. Ratio autem eſt, quoniam in hoc caſu filius non adminiſtrat eiuſmodi bona, vt bona patris, neq; vllo modo periculo patris, ſed ſuo ſolum periculo: quemadmodum autem periculum ad ipſum ſolum ſpectat, ita debet ſpectare commodũ. Ordinatio vero Luſitana loquitur, quãdo filius, qui cum patre commoratur, & bonis illius ſuſtentatur, adminiſtrat bona patris, ex præſcripto & voluntate patris, ac proinde vt bona patris, ita vt ſi aliquod damnum contingat, cedat patri, vt fieri ordinarie ſolet.

Vtrum autem pater, tam de iure communi quam Luſitano, facere poſsit remuneratoriam donatio-

neni

nem filio, qui sua industria & labore administrãdo bona patris multa illi est lucratus, aut qui in domo patris suo opificio multa illi acquisiuit, ita vt eiusmodi filius præcipuam habeat talem donationem, neq; eam ad partitionem adducere teneatur cum aliis fratribus, dicetur inferius disputatione 244. cum examinabimus, quas donationes parentum teneatur filius adducere ad partitionem.

SVMMARIVM.

1 *Quid primum ex defuncti patrimonio ac bonis deducendum sit.*

2 *An vestes lugubres familiæ de tertio bonorum defuncti deducendæ sint.*

3 *Impensa tota creditoribus explicata ære alieno est præferenda.*

4 *Quid, si defunctus sciret ante mortem bona ipsius non sufficere ad eiusmodi totam funeris impensam explicatam & ad satisfaciendum creditoribus.*

5 *Legata pro anima defuncti detrahenda sunt de tertio, de quo libere potest disponere quando ascendentes aut etiam descendentes in Lusitania habet.*

6 *In eodem regno impensa funeris vnius coniugis quando alter superstes manet extrahitur de bonis communibus vtriusque coniugis, quando matrimonium contractu medietatis bonorum celebratum est contractu arrharum & dotis.*

7 *Funeris impensa ordinaria in Castella vna cum cæteris legatis deducuntur de solo quinto, non de toto aceruo bonorũ defuncti licet testator contrarium præcipiat.*

8 *Quando conficiatur inuentarium.*

9 *Quando vno coniugum superstite alter è vita discessit, familia ali in Lusitaniæ regno consueuit de communib. bonis, quousq; partitiones finiuntur, & coniux superstes suam accipit partem, de qua viuat, atque sustentet, quos ad se sustentare spectat.*

10 *Quando, de iure eiusdem regni matrimonium contractu medietatis fuit celebratum, si vir præmoriatur, vxor manet in possessione bonorum omnium vtriq; communium, tanquam familiæ caput, atq; ab ea hæredes mariti accipere debent partitionem bonorum.*

11 *Si bona aliqua eiusmodi obligata ei sint autoritate eius ad quem dominium eorum spectat, possessionem eorum retinet.*

12 *De iure communi & Castellæ, si vxor superuiuat, hæredes viri manent tanquam familiæ caput, vt ab ipsis vxor acciperè debeat dotem, & cætera quæ ad eam spectant & interim dum non soluuntur, manet in domo, in qua erat cum viro, vna cum omnibus intra ipsam repertis.*

13 *Excipitur hic capitale vxoris, quæ arrharum & dotis contractu matrimonium celebrauit.*

14 *Quando nec descendentes, nec ascendentes defuncti sunt nulla est difficultas circa modum, quo bona inter hæredes diuidenda sunt, siue testatus, siue intestatus, de functus decesserit.*

DE IMPENSA FVNERIS, DE VTILITATE ÆRIS ALIENI, ALIMENTIS FAMILIÆ, ATQVE PARTITIONIBVS ALIIS, QVÆ NON SVNT BONORUM DEFUNCTI INTER IPSIVS DESCENDENTES.

DISPVTATIO 235.

VT ad bonorum partitionem accedamus, defuncto aliquo, aperiri debet ipsius testamentum, si id condidit, vt ex eo intelligatur, vbi sepeliendus sit, & quid in ipsius funere, & exequiis, vltra id, quod proxime subiũgam, fieri velit, & num aliquos sui testamenti exequutores relinquat.

Vniuersim autem, siue defunctus solutus sit, siue coniugatus, qui alterum coniugem superstitem relinquat, & siue testatus, siue intestatus è vita discedat, primum, quod ex toto suo patrimonio ac bonis deducendum est, impensa est funeris. Nomine autẽ huius impensæ intelligo, quod pro ipsius qualitate & diuitijs, pro numero filiorũ, pro quantitate debitorum, quæ relinquit, & pro alijs omnibus circumstantijs concurrentibus, recta ratio præscripserit faciendum, consuetumque fuerit expendi, in lugubribus familiæ vestibus cereis, fossione, ac aptatione sepulchri, in asportatione corporis ex loco valde distanti (si tamen recta ratio postularet, vt inde asportaretur) officijs sacrificijs, oblationibus atque his similibus fieri assuetis vsq; ad corpus complete humatum. Quod si vesperi sepeliatur comprehendi etiam sacrum & oblationes sequẽtis diei, cæteros q; sumptus ad id fieri consuetos. Porro de iure communi hęc tota funeris impensa cum ære alieno defuncti computatur, atq; adeo de bonis, quę defunctus reliquit, vna cum ære alieno est ante omnia detrahenda, & reliquum diuidendum est in legitimas descendentium, aut ascendentium, & in id, de quo libere testari potuit defunctus neque in hoc Lusitaniæ Regno sumere tenetur defunctus eã impensam in tertio suorum bonorum. Hæc colligitur aperte ex *l. 1 §. vl ff. ad l. Falcid. ex l. vlt. §. in computatione*, C. *de iure delib. ex l. si quis sepulchrum §. penult. & vlt. & l. at si quis ff. de religios. & sumpt. funer. ex l. 12. tit. 13. part. 1.* & ex alijs iuribus quæ Gregor. Lopez ibi, Anton. Gom. *ad l. 30. Taur.* & Couar. *a. Raynaldus de test. §. 3. n. 2.* citant, concorsque est communis Doctorum sententia. *Funeris impensa.*

Consentit in his Gama. *decis. 308. n. 1. 2. & 5.* tamen si vestes lugubres familiæ de tertio bonorum defuncti dicat deducendas. Cui non consentio si termo sit de vestibus diei funeris moderatis attenta qualitate defuncti, vt iura citata satis consentiunt, & Doctores communiter affirmant. Id quod confirmari potest, quoniam eiusmodi vestes nõ solum ad defuncti, sed etiam ad hæredum, ac filiorum honorem spectant. Finge autem defunctum nihil de eiusmodi vestibus disposuisse in suo testamento, certe eiusmodi moderatæ vestes inter legata defuncti connumerari non debent, & ideo non est quod in tertio defuncti computentur, sed vel omittendæ erunt, quod nullus dicet vel de bonis communibus defuncti sunt ante omnia extrahẽdæ, vt Doctores communiter affirmant, iuraq; citata sonant. vel filij & hæredes in gratitudinem & obsequium patris, atque in proprium ipsorum honorem de portionibus, quæ ipsos contingunt, facere eas debent, quod rigidũ ipsis esset, minusque cum iuribus citatis & communi Doctorum sententia consentiens.

Imo vero illud addendum est, eiusmodi impensam totam explicatam creditoribus, ærique alieno esse præferendam, vt constat ex *l. penult. ff. de religios. & sumptib. funer.* etiamsi creditores expressas habeant hypothecas, vt Greg. Lopez. & Anton. Gom. *locu citatis*, alijque Doctores, quos referunt, affirmant. Nefas item omnino est creditoribus, propter defuncti debita, sepulturam corporis illius aut exequias impedire, inciduntq; in pœnas grauissimas si id attentent, vt in calce disput. 214. ostẽtum est. Prohibitum etiam illis est, intra nouem dies à morte defuncti, molestare hęredes aut consanguineos ob debita defuncti, illaq; ab illis iniudicio exigere, vt ibidem, & in principio disput. 216. dictum est.

In foro tamen conscientiæ, si defunctus ante mortem sciret bona ipsius non sufficere ad eiusmodi tõtam funeris impensam explicatam, & ad satisfaciendum creditoribus, arbitror præcipere teneretur, vt de impensa corpori & animæ ipsius, alioquin

quin debita, quantùm fieri posſit, detraheretur, vt A debita ſoluantur, & quantum creditores velle arbitrabitur: ita tamen, vt corpus ſine luminaribus aliquibus & comitatu crucis & facerdotum non deferatur ad cumulum: aliterque exiſtimo abſolui illum non poſſe: ad idemque tenerentur hæredes, aut executores teſtamenti, eſto defunctus id non præcepiſſet: neque enim æquitas patitur, vt vltra ſumptus, qui habita ratione perſonæ, & circumſtantiarum concurrentium omnino excuſari non poſſūt, & quos Chriſtiana caritas exigit vt creditores, etiam cum ipſorum iactura, patiantur, maiores alij fiant in ſepultura debitoris, quando bona ipſius debitis ſoluendis non ſufficiunt, inuitique ſunt creditores. Neque vllum dedecus defuncto eſt, quin potius honor, cum aliorum ædificatione coniunctus, vt de ſumptibus corpori & animæ ipſius alioquin debitis, B id omne, quod aliquo modo excuſari poſsit, minuat, vt debita ſoluat, & creditoribus ſatisfaciat.

5 Ex dictis de funeris impenſa intelliges id, quod dici conſueuit, nempe legata pro anima defuncti detrahenda eſſe de tertio, de quo libere poteſt diſponere, quando aſcendentes aut etiam deſcendentes in hoc Luſitaniæ Regno habet, intelligendum, eſſe, tum de legatis, quæ teſtator fieri iuſsit poſt corpus complete humatum, tum etiam de ijs, quæ in funere fieri præcepit vltra ea, quæ explicata ſunt.

6 In hoc eodem Regno, conſentaneè ad ius commune & ad æquitatem, vſu & conſuetudine receptum eſt, vt impenſa funeris vnius coniugis quando alter ſuperſtes manet, extrahatur de bonis communibus vtriuſque coniugis, quando matrimonium cõtractu medietatis bonorum celebratum eſt, & de lucris communibus, quando celebratum eſt contractu arrharum & dotis. Societatis enim prioris contractus, communioque illa bonorum, ita vt inde educantur expenſæ vtrique coniugum neceſſariæ, intelligitur etiam quoad expẽſas funeris, quouſque corpus integre tumuletur. In poſteriori vero contractu, ſocietas, & communio in lucris idem etiam poſtulant, quando bona ſunt ſuperlucrata, ſolumque, quod ſuperfuerit ex ijs, facta funeris expenſa eius, qui prior obierit, diuidendum eſt inter ſuperſtitem, & hæredes defuncti. Quando autẽ non ſunt bona ſuperlucrata, dos cenſetur data pro alimentis vxoris & expenſis cũ ea faciendis, quouſque D corpus tumuletur, ſi ipſa prior moriatur. Si vero vir præmoriatur, vxor accipit integram dotem, & reliqua quæ ad ipſam ſpectant, totumque bonorum decrementum ad virum, hæredeſque illius ſpectat.

7 *Ius Caſtel.* In Regno autem Caſtellæ *leg. 30. Tauri*, quæ eſt 13. *tit. 6. lib. 5. noux collect.* ſancitum eſt, vt funeris impenſa ordinaria, vna cum cæteris legatis, deducantur de ſolo quinto, non vero de toto aceruo bonorum defuncti, etiamſi teſtator contrarium præcipiat. Cum autem quintum bonorum defuncti ſolum in eo Regno habeat locum, quando defunctus deſcendentes relinquit, dubium eſt, vtrum quando aſcendentes ſuccedunt, eiuſmodi impenſa deducenda ſit vna cum cæteris legatis de tertio bonorũ, an de omnibus defuncti bonis, iuxta diſpoſitionem E iuris communis. Couarruuias *capitulo Raynaldus sinat. §. tertio, numero ſecundo* cenſet, extrahendam eſſe de tertio. Placet tamen opinio Anton. Gomez. *leg. triceſima citata*, extrahendam eſſe de omnibus bonis defuncti. Ratio eſt, tum quia lege illa ſolum ſit exceptio à iure communi, quando defunctus de ſolo quinto poteſt libere diſponere, atque adeo quando relinquit deſcendentes: quare in reliquis ſtandum eſt iure communi. Tum etiam, quoniam legitimæ deſcendentium magis fauorabiles ſunt, quam aſcendentium, eo quod parentes debeant filijs theſaurizare, non vero è contrario filii parentibus; eaque de cauſa, ne deſcendentium legitimæ minuerentur, id in eo Regno ſtatutum ſit. Iuxta eam autem legem, quando vnus coniugatorum è vita diſcedit altero ſuperſtite, eiuſmodi impenſa ordinaria funeris non extrahitur de communibus lucris vtriuſque coniugis, præſertim ſi deſcendentes habeant, ſed de ſolo quinto bonorum, quæ ad defunctum ſpectant. Et de ſola portione bonorum, quæ defunctum contingit, quando liberos non reliquit. Conſuetudinem vero, quoad hoc ſecundũ, cum ab eo Regno diſtem, ignoro.

Sepulto defuncto, tranſactiſque nouem diebus conceſsis hæredibus & conſanguineis ad luctum, aut etiam intra illos, ſi ipſis ita placuerit, confici incipit inuentarium, ſi neceſſe ſit, aut placuerit illud conficere: atque minoribus conſtituuntur tutores, aut curatores, ſi pater ſit, qui eſt defunctus. 8

Quando autem, vno coniugum ſuperſtite, alter è vita diſceſsit, familia (niſi ſuperſtes coniux in mora ſit tradendi partitionem) ali in hoc Luſitaniæ Regno conſueuit de communibus bonis, quouſque partitiones finiuntur, & coniux ſuperſtes ſuam accipit partem, de qua viuat atque ſuſtentet, quos ad ſe ſuſtentare ſpectat. Tametſi de communibus familiis ſtatim, vel temporis progreſſu, etiam antequam partitio incipiat aut finiatur, ſoleat diſponi, prout expedire iudicatur, vt ſumptus minuantur. 9 *Ius Luſit.*

De iure eiuſdem Regni, quando matrimonium contractu medietatis fuit celebratum, ſi vir præmoriatur, vxor manet in poſſeſsione bonorum omnium vtrique communium, tanquam familiæ caput, atque ab ea hæredes mariti accipere debent partitionem bonorum, ſicut ſi vxor præmoriatur, maritus manet in poſſeſsione eorundem bonorum tanquam familiæ caput, ab eoque hæredes vxoris accipere debent partitionem. Eorum autem bonorum, quæ præcipua ad eorum alterum ſpectãt, quia videlicet vinculata ſunt, aut alia ratione, non manet in poſſeſsione ſuperſtes, ſi ad alterum ſpectent. Excipitur, niſi alia melioramenta in aliquo eorum bonorum ſint communia vtrique, aut partem pretij alicuius eorum obtinere debeat coniux ſuperſtes: nam retinet poſſeſsionem illius. 10

Præterea, ſi bona aliqua eiuſmodi obligata ei ſint, autoritate eius, ad quem dominium eorum ſpectat, poſſeſsionem etiam eorum retinet. Hæc omnia habentur *libro quarto Ordin. titul. 7. §. 1. & 2.* 11

De iure communi (in quo ſolum inuenitur contractus arrharum & dotis) atque in Regno Caſtellæ, ſi vxor ſuperuiuat, hæredes viri manent tanquã familiæ caput, vt ab ipſis vxor accipere debeat dotem, & cætera quæ ad eam ſpectant: interim tamen dum non ſoluuntur, manet in domo, in qua erat cum viro, vna cum omnibus intra ipſam repertis. Idem eſt in hoc Regno, veruntamen manet in poſſeſsione bonorum communium, qualia ſunt omnia ſuperlucrata, vt habetur *titul. 7. citato*, §. 4. Aliquando vero in contractu matrimonij in pactum in hoc Regno deducitur, vt ſi vir præmoriatur, vxor maneat in poſſeſsione bonorum tanquam caput familiæ, & vt ab ea hæredes viri accipiant partitionem: atque in eo euentu ſeruandum eſt, quod in pactum fuerit deductum. Cæterum de his omnibus, & quonam pacto diuiſio bonorum fieri debeat inter coniugem ſuperſtitem, & hæredes defuncti, dicetur copioſe, cum de contractu ſocietatis ſermo fuerit. 12 *Ius commune & Caſtel.*

Si capitale vxoris, quæ arrharum & dotis contractu matrimonium celebrauit, excipias (nam hoc ante omnia alia viri debita eſt regulariter extrahendum, vt ſuo loco dicetur) illud vniuerſim in omni partitione bonorum eſt dicendum. Ante omnia extrahendum eſſe totum æs alienum, in eo cõprehendendo ſtipendia ſeruorum vſque ad mortem teſta- 13

toris

toris: id enim ad communia bona diuidenda non spectat. Præterea extrahenda sunt impensa ordinaria funeris, eo modo, quo explicatum est. Insuper extrahi debent: quæ in confinuatione testamenti, in inuentario conficiendo, & in hæreditate, seu bonis conseruandis fuerunt necessaria insumi, & his similia, vt *l. vlt. §. in computatione. C. de iure deliberandi* habetur, nec non quæ in familiæ sumptibus vsque ad partitionem, quo pacto explicatum est, fuerit insumptum: & tunc ad partitionem est accedendum.

14 Quando autem nec descendentes nec ascendentes defuncti sunt, nulla est difficultas circa modum, quo bona inter hæredes diuidenda sunt, siue testatus, siue intestatus defunctus discesserit. Modica etiam est, quando solum sunt ascendentes, quoniam de solo tertio disponere potuit defunctus, tam in hoc, quam in Castellæ Regno, indeq; detrahenda sunt legata omnia tam pia, quam non pia defuncti: reliquum vero inter proximiores ascendentes in gradu est diuidendum. neque quæ in vita à defuncto sunt rite donata, adducenda sunt ad partitionem, etiamsi alicui, ascendentium donata sint. Denique si quæ difficultas circa eiusmodi partitionem explicanda foret, intelligitur ex iis, quæ de partitione bonorum defuncti circa descendentes dicenda sunt. Quare non est quod de hac re plura hoc loco addamus.

SVMMARIVM.

1 *Quid, si defunctus descendentes legitimos relinquat.*
2 *Si defunctus testatus discesserit, reliquus bonorum acernus diuidendus in Lusitania in tres partes.*
3 *Quod de tertio in hoc Lusitaniæ regno dictum est similiter intelligendum de quinto in regno Castellæ, de quo solo parens, quando liberos relinquit, potest disponere ad quemcunque voluer. t.*
4 *Tertium & quintum quomodo extrahenda in regno Castellæ.*
5 *An tertium in Lusitania, & tertium & quintum in Castella intelligenda sint de bonis tantum quæ reperta fuerint defuncto tempore mortis.*
6 *Respondetur ad dubium propositum.*
7 *Infertur.*
8 *Quid, si in regno Castellæ duo illi parentes singulis filiabus tria millia aureorum in dotem dedissent, temporeque mortis ipsorum solum illis superessent tria aureorum millia.*
9 *Ad inducendum an inofficiosum sit aliis, simul cum bonis omnibus, quæ defunctus tempore mortis habeat, computanda sunt omnia vniuersim quæ adducenda essent ad collationem, si nullus omnino descendentium, cui legitima in bonis ascendentis debetur, abstinere vellet à partitione boni defuncti.*
10 *Quid, si priori illi filiæ solum essent dati in dotem quatuor mille quingenti aurei, temporeque mortis patris remanerent tres mille quingenti & pater de tertio suo modo explicato disposuisset.*
11 *Quid, si eo tempore, quo dedit priori filiæ quinque mille aureos in dotem, & posteriori quatuor, habebat duodecim mille aureos, postea vero adeo imminuta sint bona ipsius, vt tempore mortis solum reliquerit mille aureos aut minus.*

DE PARTITIONE BONORVM inter descendentes, & qualiter tertium defuncti in Lusitania, & tertium & quintum in Castella, sint accipienda.

DISPVTATIO 236.

1 SI defunctus descendentes legitimos relinquat, sumenda sunt bona omnia quæ ad ipsum spectant, facta prius diuisione cum coniuge superstite, si eum superstitem relinquat) atque inde detrahenda in primis sunt ea omnia, quæ disputatione præcedente explicatum est, extrahi debere.

2 Deinde vero si is defunctus testatus discesserit, reliquus bonorum acernus diuidendus in hoc Regno in tres partes. Atque ex vna earum, de qua libere testator potuit disponere, extrahenda soluendaque sunt legata omnia defuncti, tam pia, quam non pia, Siquid vero superfuerit, atque in eo vel descendentium aliquem, vel quempiam extraneum hæredem instituit (quamuis comparatione descendentis, cui legitima etiam debetur, rationem prælegati habeat, vt disputat. 204. dictum est) illi est tribuendum, si autem de illo non disposuit, cedit reliquis duabus bonorum partibus, vt vna cum eis inter descendentes diuidatur. Quod si legata omnia tertium illud excedant, inualida sunt quoad incrementum, vtpote inofficiosi, descendentium legitimas contingentia, ac minuentia. Quare à singulis legatis pro rata incrementum illud est minuendum: nisi defunctus statuerit, vt quædam illorum, post alia integre impleta mandarentur executioni: nam tunc, si nihil de tertio superfuerit illis aliis impletis, inualida sunt posteriora legata: si vero superfuerit diuidendū pro rata erit inter ea, nisi illorum quædam statuerit præferri alijs. semper namque, quod de tertio bonorum superfuerit, insumendum prius est in legatis, quæ testator præferri voluit. Quando autem defunctus intestatus discessit, de toto aceruo bonorum facienda sunt omnia, quæ æquitas postulat, vt & pro defuncti anima atque in honorem illius fiant: reliquum vero inter hæredes est æqualiter diuidendum. *Ius Lusit.*

3 Quod de tertio in hoc Lusitaniæ Regno dictum est, est similiter intelligendum de quinto in Regno Castellæ; de quo solo parens, quando liberos relinquit, poterit disponere in eo Regno ad quæcunque voluerit, vt disput. 158. dictum est. Præter quintum potest etiam parēs disponere de tertio in eo Regno, sed inter solos descendentes, esto nepotes aut pronepotes sint & esto illis portio legitima debita non sit, si eorum patres, aut aui adhuc viuant, vt eadem disputatione dictum est: vbi subiecimus, quæ grauamina & vincula possint tertio & quinto imponere: Disput. etiam 204. multa de hoc tertio & quinto dicta sunt, nec non de tertio in hoc Lusitaniæ Regno, tam circa descendentes, quam circa ascendentes, & extraneos, & de tertio in Regno Castellę comparatione ascendentium: quæ omnia non paruo onere hoc loco nos leuant. *Ius Castel.*

4 Illud obserua, quamuis quoad legitimas descēdentium in Regno Castellæ parū referat, siue quintum extrahatur de bonis defuncti ante tertium, siue post tertium: multum tamen referre quoad quantitatē ipsam quinti, vt de illo disponere possit testator, pro anima sua, aut ad quæcunq; alia voluerit, vel, si quendam filiorum melioret in tertio, & alium in quinto. Etenim, si bona defuncti in quindecim partes, diuidas, defunctusque habeat quindecim millia aureorum, siue prius extrahas quintum, hoc est, tria millia aureorum & postea ex duodecim remanētibus extrahas tertium, ideſt quatuor millia aureorum, siue prius extrahas tertium, hoc est, quinque millia aureorum, & postea, ex decē millibus remanētibus, extrahas quintum, id est, duo millia aureorum, semper extrahis septē in tertium & quintum, & remanent octo in portiones legitimas omnino debitas descendentibus Veruntamē, si ante tertium extrahatur quintum continet tria millia aureorum, & tertium quatuor: si vero post tertium extrahatur quintum continet duo millia, & tertium quinque millia. Porro extrahendum esse quintum ante tertium, quamuis satis ex se erat perspicuum: *Tertium & quintum quomodo extrahenda.*

ea

eo quod siue in tertio vellet meliorare descendentes, siue non, semper integrum quintum ei concederetur, vt disponere de eo posset pro anima sua, aut ad quæcunque vellet. sancitum tamen est in Regno Castellæ *l. ducentesima decimaquarta stylt*, vt quintum priori loco extrahatur, idque refertur in *calce tit. 6. lib. 5. nouæ collect.*

5 Quæstio. Dubium tamen est, an tertium in Lusitania, & tertium & quintū in Castella, intelligenda sint de bonis tantum, quæ reperta fuerint defuncti tempore mortis computando in eis ea etiam, quæ illi debentur, excludendoque si quid dedit filiabus in dotem, aut donauit filiis ad nuptias: eo quod nihil horum sit iam defuncti tempore mortis, an vero in æcruo bonorum, de quo eiusmodi portiones sunt extrahendæ, computanda sint non solum bona defuncti, sed etiam vniuersim ea, quæ descendentes adducere tenentur ad partitionem: si cum cæteris portionem habere velint in bonis defuncti: aut esto non velint, vt videatur, an, quod ipsi in vita defuncti acceperunt, inofficiosum cæteris sit, portionesq; legitimas ipsas debitas minuat.

6 Dicendum que est, extrahendas esse solum de bonis, quæ reperta fuerint esse defuncti tempore mortis. quoniam ea sola dicuntur patrimonium, hæreditas, & bona illius: non vero de dotibus, & donationibus validis ab ipso in vita collatis: quoniam dominium horum bonorum in alios iam est translatum neque tempore mortis ad ipsum spectat, vt de illis, aut parte eorū, disponere iam tunc possit. Præter iura communia, quæ ad hoc probandum citat Gama *decis. 318. nu. 10.* ita colligitur aperte ex *l. 23. & l. 25.* Taur. quæ sunt *7. & 9. nou. 6. lib. 5. nouæ collectio.* Ait vero idem Gama *decis. 33.* præuia consultatione iussu Regis facta, constitutum; confirmatumq; idē à Rege in hoc Lusitaniæ Regno fuisse, latasque post ea fuisse multas ea de re sententias.

7 Hinc infero, si pater, qui nouem millia aureorum habebat in bonis, vni duarum filiarum tradiderit in dotem quatuor millia aureorum, & alteri duo millia: temporeq; mortis talis parentis solum ei supersint tria millia aureorum, disponere in Lusitania posse solum de mille aureis, quæ sunt tertia pars ex tribus mille aureis, quæ sua tempore mortis supersunt: reliqua vero duo aureorum millia pertinere ad legitimas filiarum, si nullos alios filios habeat. At vero quia, si ea filia, quæ quatuor millia aureorum in dotem accepit, contenta non sit sua dote, sed velit ad partitionem accedere cum sorore, tenetur vtraque ad collationem, & partitionem afferre dotem, vtique duo illa aureorum millia spectabunt ad filiam, quæ duo tantum aureorum millia acceperat in dotem, & ita vnaquæque earum obtinebit quatuor millia aureorum. Idem est, si pater & mater, qui nouem illa millia aureorum habebant, dotes illas filiabus tradidissent: veruntamen tunc vnusquisque eorum tempore mortis solum censeretur habere in bonis mille quingentos aureos; libereque posse tantum disponere de quingentis aureis, qui essent tertium suorum bonorum tempore mortis.

8 Vt in eodem exemplo nouem millia aureorum & duarum tantum filiarum persistamus, si in Regno Castellæ duo illi parentes singulis filiabus tria millia aureorum in dotem dedissent, temporeq; mortis ipsorum solum illis superessent tria aureorum millia disponere tantum possent pro animabus suis, & ad quæuis alia, quæ eis placerent, de sexcentis aureis, singuli videlicet de trecentis, quæ sunt quintum ex illis tribus mille aureis. Disponere etiam vlterius possent inter liberos tantum, meliorando quamcunque filiarum vellent aut quemcunq; nepotem de octingentis aureis, singuli scilicet parentes de quadringentis, quæ sunt tertium, ex reliquis duo mille quadringentis, quæ deducto quinto remanebant. At vero reliqui mille ducenti aurei, qui deducto iam quinto & tertio ex tribus illis mille aureis superessent, pertinerent ad legitimas omnino debitas filiabus, nihil impediente quod earū quæuis tria millia aureorum accepisset in dotem à parentibus, dum adhuc parentes viuerent.

Illud est obseruādum, quamuis prædictæ portiones tertij, aut tertij & quinti extrahendæ sint solum de bonis quæ tempore mortis fuerint parentum, ad effectum, vt parentes de illis modo explicato disponere possint, nihilominus ad iudicandum an inofficiosum sit alijs, quod vni filiorum fuit à parente datum in vita, qui eo est contentus, vultque illud accipere in suam legitimam portionem, & in tertiū patris in hoc Regno, aut in tertium & quintum in Regno Castellæ, neque petit, vt fratres secū partiātur, quæ parentes reliquerūt per mortem; ad id, inquam iudicādum, simul cum bonis omnibus, quæ defunctus tempore mortis habebat, computanda esse omnia vniuersim, quæ adducenda essent ad collationē, si nullus omnino descēdentiū, cui legitima in bonis ascendentis debetur abstinere vellet à partitione bonorum defuncti. Verbigratia, si quis in hoc Regno, habens duodecim mille aureos, & duas filias, ac vnū filium, vni filiarum det quinq; mille aureos in dotem, & alteri quatuor mille, & de tertio trium mille aureorum, quæ habet tempore mortis, disponat pro sua anima, & in alia legata, atque ita è vita discedat, cum vixit, nihil dederit filio: filiæ vero contentæ esse velint suis dotibus, neque accedere velint ad partitionem cum fratre, vt efficere optime possunt, iuxta *leg. vltim. ff. de collat. dotis*, & alia iura, quæ disputatione sequenti citabimus: frater autem contendat dotes illas inofficiosas esse, contingereque legitimam portionem sibi debitam in bonis patris; in hunc modum filiæ optime se tuebuntur. Prior dicer, si computentur bona omnia, quæ pater tempore mortis reliquit, videlicet tres mille aurei, cū nouem mille aureis vtriusque dotis, conficere omnia bona, quæ, si omnes ad partitionē accedere vellēt, conferēda essent, duodecim mille aureos: ex his autem, licet sibi in legitimam portionem solum debeantur tres mille aurei, ex nouē mille quæ remanent, deductis tribus mille in tertium patris: nihilominus tertium patris de iuré Lusitano manere obligatum suæ dotī, atque adeo duos alios mille aureos sibi deberi ac velle accipere de tertio patris à tq; hac ratione dotem suam neutri fratrū esse inofficiosam. Posterior filia dicet, simili modo sibi deberi tres millē aureos legitimæ suæ portionis, idque, quod reliduū est ex tertio patris, persoluta integre dote prius à patre suę sorori datę, manere eodem modo obligatū ad solutionem dotis sibi datę eaque de causa mille illos aureos tertij patris, qui supersunt persoluta integre dote suæ sororis, sibi deberi, atque ideo neque suam dotem quatuor mille aureorum inofficiosam esse fratri. Quod si pater nihil sui tertij habebat tempore mortis, de quo posset disponere, quia illud totum in dotē dederat filiabus inualidam esse dispositionem patris pro anima sua, atque in alia legata fratremque obtinere posse in suam legitimam portionem tres mille aureos integros, quos pater tempore mortis habebat. Vbi vides, quamuis tertium patris, qui tempore mortis solum habebat tres mille aureos; fit solum mille aurei ad effectum, vt de illo in morte libere posit disponere: ad iudicandum tamē, an, q; in vita vni, aut multis filijs dedit, inofficiosum fit, aut non, aliis fratribus, longe aliter accipiendum esse, nempe ex omnibus vniuersim bonis, quæ ad collationem adducenda sunt, si descendentes omnes, quibus legitima debetur in bonis defuncti, ad partitionē accedere velint: id quod satis aperte cōstat ex *authentica vnde si parens. C. de inoffic. testam. sanctæ gloss. ibi*, & plenius ex *authent. immensis donationibus. §. 1. ex l. 1. 2. & seq. C. de inoffic. donationib. & ex l. 4. tit. 15.*

tit.15.par.6. Atque hoc est quod vult. Ant. Gom. *ad l.29.Taur.n.35.* & communis Doctorum sententia, quam refert. Obserua tamen computanda simul esse quæcunque à tali parente immoderatè (vltra id quod competens administratio suorum bonorum pro qualitate personæ & quantitate bonorum poscebat) donata sunt alijs, vt iudicetur, quæ inofficiosa donata, aut relicta alijs sint, & quid defunctus in tertio suorum bonorum in Lusitania, & in quinto, aut etiam tertio, accipere debeat in Regno Castellæ: id quod iura citata etiam probant & affirmant Ant. Gom. *n. cit* & Doctores alij quos citat,

10 Nonnulla obserua. Primum est, si priori illi filiæ solum essent dati in dotem quatuor mille quingenti aurei, tēporeque mortis patris remanerent tres mille quingenti, & pater de tertio suo modo explicato dispositisset: tunc adimplenda essent legata, tam pro anima, quam reliqua ex quingentis aureis sui tertij, de quibus solis potuit disponere: filiabus retinentibus suas integras dotes, & filio suam dūtaxat retinente legitimam portionem.

11 Secundum est, in eodem exemplo, si eo tempore, quo dedit priori filiæ quinque mille aureos in dotē, & posteriori quatuor, habebat duo decim mille aureos: postea vero adeo imminuta sint bona ipsius, vt solos quingentos, vel etiam minus, eodem modo filias illas se posse tueri aduersus fratrem. Imo vero, si filijs masculis datum aut promissum id esset ad nuptias, possent se eodem modo tueri aduersus alios fratres, aut sorores. Ratio est, quoniam in fauorem matrimonii de iure Lusit. *li.4.Ord. tit.77.§.4.* sancitū est, vt filius aut filia, cui id datū aut promissū est, eligere possit valorē bonorū patris aut matris, vel tēpore quo datum, aut promissum est, vel tempore mortis patris aut matris, vt accipere id posset in suam legitimam portionem, & in eo tertij bonorum patris, aut matris, de quib, poterant tunc disponere, prout talis filius, aut filia maluerit, ad effectum, vt quod ipsi datum, vel promissum est non censeatur inofficiosum alijs fratribus & sororibus. Secus autem res habet in alijs quæ à parentibus dantur, aut promittuntur filijs etiamsi id sit in patrimonium ad sacros ordines suspiciendos, aut si filiabus dentur ad ingrediendam religionem. Idem omnino sancitum est in Regno Castellæ, quoad legitimas, & tertium & quintum, de quibus disponere possunt parentes in eo Regno: habentque similiter hactenus dicta vim in eo Regno circa tertium & quintum, sicut in hoc circa tertium, vt patet ex *l.29.Taur.*, quæ est *3.tit.8. lib.5.nouæ collect. iunctis l.17.22.* & *23. Taur.* quæ sunt *1.6.* & *7.tit.6.lib.5.eiusdem collect.* Hæc omnia sicut dilucidiora ex dicendis fient, sic etiam non modicam lucem illis intelligendis afferent, onereque in illis explicandis nos leuabunt.

SVMMARIVM.

1 *Collationis definitio.*
2 *Collatio solum locum habet respectu bonorum ascendentis.*
3 *Conferre qui teneantur.*
4 *Nomine parentis & liberorum qui in materia collationis intelligantur.*
5 *Collatio habet locum inter solos descendentes, quibus debetur legitima.*
6 *Ascendentes descendentibus succedentes non conferunt, nisi quatenus donationes inofficiosæ sunt.*
7 *Qualia bona conferenda.*
8 *An data filiis à parentibus ad bellum, vel ad sumptus in palatio Regis iure Lusitaniæ conferantur.*
9 *Quid in iis, quæ ad sacros ordines suscipiendos vel religionem ingrediendam parentibus liberis dantur.*
10 *Ea sola propriè conferenda, quæ à patre defuncto profecta, effecta fuerint conferentis.*
11 *Conferre non tenetur, qui hæreditate abstinere cupit, nisi inofficiosa fuerit donatio.*
12 *Legatarius & cui mortis causa donatum est, profectitia non conferunt.*
13 *Profectitia in legitimam imputantur.*
14 *Institutio in dote absque profectitijs subsistit saluaactione ad supplementum.*
15 *Filius grauatus restituere hæreditatem profectitia in legitimam imputare debet.*
16 *Donata à patre filio vt morte demum confirmentur, aut legata & relicta computantur in legitimam.*
17 *Compensatio in legitima locum habet etiamsi filius cū extraneo patri succedat.*
18 *Nepotes qui defunctis parentibus per stirpes suo succedunt, in legitimam computant, quæ ipsi eorumque parentes receperunt.*
19 *Donata ab auo paterno nepoti aut nepti viuente patre, vel ab auo materno viuente matre, an conferenda.*
20 *Dos nepti data an filiæ legitimæ imputari possit.*
21 *Vtrum quæ filius parenti donauit in vita teneatur parens compensare in portione legitima ipsi in bonis filii debita.*

COLLATIO QVID, QVORVM BONORUM esse debeat, & comparatione quorum Successorum.

DISPVTATIO 237.

COllationem, vt de ea nūc est sermo in hunc modum possumus definire. *Est allatio in communem bonorum parentis defuncti acceruum, ex quo legitima debetur, eorum profectitiorum bonorum, quæ afferentis effecta erant, vt cum aliis, tanquam hæres in eo succedat.* 1 *Collationis definitio.*

Pro explicatione huius definitionis totiusque materiæ, atq; vt varia iura intelligantur, obseruandum est. Collationem solum habere locum comparatione bonorum ascendentis, ex quibus legitima portio ei debetur, qui ad collationē aliquid afferre debet. Quondam autem, vt patet *l.1.& sequentibus ff. de collationibus* statutum erat, vt soli filij emancipati, si legitimam habere vellent in bonis parentis ab intestato defuncti, afferrent ad communem acceruum, quæ à parente, dum viueret, in ipsos erant profecta, siue in donatione propter nuptias, siue aliqua alia ratione, vt vna cum reliquo acceruo inter ipsos, & liberos non emancipatos diuideretur, atque ita seruaretur æqualitas. Quare tunc collatio solum habebat locū in liberis emancipatis, & quando parens ab intestato discedebat. Postea vero statutum fuit, vt omnes vniuersim liberi afferre tenerentur, quæ profecta in ipsos essent à parente, siue masculo siue fœmina, cui ab intestato succedere vellent, vt patet *l. vt à liberis, & sequen. C. de collatio.* Quando autem parens testatus discedebat, non tenebantur afferre communem acceruum, quæ ab eo parente in ipsos erant profecta, ipsorumque effecta quoniam censebatur parens velle, vt id vltra suam legitimam portionem haberent. Quod si inofficiosum id aliis fratribus erat, quia minuebat legitimas ipsis in omnibus vniuersim bonis parentis debitas, computatis iis cum acceruo, quē tempore mortis relinquebat: quę in eos profecta erant, atque ipsorum erant effecta, eo modo quo disput. præcedente exemplis explicatum est: tunc cogebantur id resarcire, quousque vnicuique liberorum integræ portiones legitimæ relinquerentur. Notissime vero de iure authenticorum, vt patet *authentic. ex testamento Cod. de collationibus*, & plenius *in authentica de trient. & semiss. §. illud quoque* sancitum fuit, vt esto parens testatus discederet, nisi expresse significaret, velle, vt aliquis liberorum non conferret, quæ in ipsum essent profecta, sed haberet illa præcipua, tenerētur omnes, si por-

3 *Conferre qui teneantur.*

si portionem cum alijs habere vellent, afferre ea omnia ad communem aceruum, quæ si is parens inte
4 status discessisset, ad eum forent afferenda.

In definitione collationis dictum est: *est allatio in communem bonorum parentis defuncti aceruum*: quoniam collatio solum est liberorum ad communia bona à parente relicta, vt probant *tex. in l. vt à liberis C. de collat.* & alia iura, affirmatque communis Doctorum sententia, quam referunt & sequuntur. Greg. Lopez *ad l. 2. tit. 15. p. 6. gl. pen. & Ant. Gom. ad l. 29. Tauri n. 6. atque* 31. Nomine autem parentis, intelligetiam per arrogationem & adoptionem, quando filio adoptiuo legitima portio in eis bonis debetur, iuxta ea quæ supra, cum de adoptione habitus est sermo, dicta sunt. Talis enim filius, si ab intestato, aut ex testamento succedere debet cum alijs naturalibus, aut adoptiuis liberis in bonis parentis adoptiui, conferre communem aceruum tenetur, quæ ex illo profecta in eum sunt. Ita Anton. Gom. *n. 6. cit.* cum Bar & alijs iuxta *l. 1. §. in quoque ff. de collatione bonorum, & l. 2. ff. de collatione dotis.* Filij etiam illegitimi, & legitimati, in euentibus, in quibus suis locis explicatum est, deberi eis legitimas in bonis parentum, tenentur etiam conferre.

5 Additum est in definitione: *ex quo legitima debetur*: quoniam, vt conferre quis teneatur in aceruũ bonorum defuncti, non satis est eum descendentem esse defuncti, sed etiam requiritur, vt ex eo aceruo legitima portio ei debeatur. Vnde si, vna cum filio instituto in sua legitima portione, nepos ex eodem filio instituatur in omnib alijs bonis aui. mortuo auo, locum non habet collatio: quia tali nepoti non debetur legitima in bonis aui. Si item instituto filio in sua legitima portione, duo nepotes ex illo instituantur in reliquis bonis locum non habet collatio. sed si quid in dotem aut ad nuptias datum esset ab auo vni nepotum, non tenetur illud conferre, vt vna cũ incremento bonorum aui, quæ detracta integra legitima patris reperirentur, diuidenda essent inter vtrumque nepotem iuxta testamentum aui, talis etiã dos, aut donatio propter nuptias diuideretur inter vtrumque, sed eam præcipuam & integrã retinere deberet is nepos, cui ab auo in vita esset donata. Si item pater institueret filium in sua legitima portione, & vna cum eo patrem suum, auum talis nepotis, instituerent in reliquis omnibus suis bonis, locum non haberet collatio; quoniam existere descendente testatoris, nulla portio legitima deberetur ascendenti. Quare si testator decisset filio ad nuptias quinque mille aureos, aut filiæ in dotem tunc integros illos sibi retineret, & ex bonis, quæ testatoris tempore mortis reperientur, acciperet integram suam legitimã, hoc est, duas partes, & in Regno Castellæ quatuor auus vero acciperet reliquum, inde que teneretur soluere legata testatoris. Idem est, si cum filio instituatur collateralis aliquis defuncti, aut alius magis extraneus, vt colligitur ex *l. vltim. §. si autem. Cod. communia vtriusque iudi. ex l. 2. tit. 15. par. 6.* Atque hæc omnia ita cum Bald. Paulo Castrensi, Alex. & alijs tradit Anton. Gom. *loco citato n. 7. corol. 10. & in calce. n. 9.* tametsi non tot exemplis rem hãc illustret.

Collatio habet locum inter solos descendentes, quibus debetur legitima.

E contra vero, si mortuo patre ante auum paternum, aut mortua matre ante auum maternum, nepos succedere debeat auo per stipitem vna cum patruis, aut cum alijs nepotibus, sane cũ eiusmodi nepoti debeatur portio legitima in bonis aui, dubium non est, si hæres esse velit tali auo, teneri conferre, tum quod pater aut mater acceperunt & conferre tenerentur, si viuerent, heredesque esse vellent, tum etiam quod ipse ab eodem auo post mortẽ talis patris aut matris similiter accepisset: imo quod ante mortem patris accepisset immediate ab auo si patris intuitu esset ei collatum secus si intuitu ipsius nepotis, vt Ant. Gom. *ad l. 29. Tauri. n. vlt.* recte affirmat, A consentiuntque ordinationes Lusitanæ *lib. 4. tit. 79. in fine.* Primum horum habetur. *l. si nepotes. ff. de collat. bonorum* & multo copiosius. *l. illam. Codic. de collationibus*, affirmatque Anton. Gomez. *l. 29. Taur. n. 6. coroll. 8.* Secundum vero asseuerat idem autor. *n. 7. seq.* cum multis aliis quos refert, *argumento. l. quoniam Nouella. Cod. de inoffic. testamento & l. vt à liberis. C. de collationib.* consentiuntque aperte ordinationes Lusitanæ *lib. 4. tit. 79. in princ.* Quo loco obserua, si soli nepotes, ex eodem patre aut matre defunctis, succedant auo, teneri solum conferre hoc secundũ, non vero primum.

Quando ascendentes patres in gradu succedunt descendentibus, qui liberis carent, licet in bonis talium descendentium portio legitima eis debeatur, locum tamen non habet collatio, siue ipsi soli succedãt, siue simul cum collaterali defuncti, aut alio extraneo, quem defunctus in reliquis suis bonis, præter legitimas ascendentium, simul cum eis heredem institueret. Ita Greg. Lopez *l. 2. tit. 15. p. 5.* & Anton. Gom. *loco citato* cum Bartol. & communi Doctorum sententia, quam referunt. Ratio est, quoniam iura solum reperiuntur instituisse collationem in liberis comparatione ascendentium, & propter rationes alias egregias, quas Ant. Gomez. *ibidem*, prosequitur. Neque ergo eiusmodi parentes afferre tenerẽtur ad collationem, quæ à defuncto donata ipsis essent in vita, neque item alij, qui cum ipsis essent instituti, afferre tenerentur simiditer ipsius donata. Si tamẽ parentũ legitimis inofficiosæ essent donationes alijs factæ, vt quia essent excessiuæ pro ratione eius, qui illas effecit, ac circunstantiarum concurrentiũ, & excessus, vna cũ eo, in quo extraneum hæredem simul instituit: contingeret legitimas parẽtibus debitas, tunc locũ non haberet talis institutio quoad quantitatẽ solum, quæ parentum legitimas contingeret, vt recte affirmat glo. *in auth. de immens. donat. § 1.*

6 *Ascendentes descendentibus succedentes non conferunt.*

7 Deinde additum in definitione est, *eorum profectitiorum bonorum, quæ afferentis effecta erant.* Horum primum idcirco est appositum: quoniã sola profectitia bona sunt conferenda: castrense namque peculium & quasi castrense, cum pleno iure ad filiũ pertineant non conferuntur, vt habetur *l. 1. §. nec castrẽse. ff. de collatione bonorum.* Hodie etiam, vna cum castrensi, & quasi castrensi aduentitiũ quoad proprietatem nõ confertur: quia ad filium etiam spectat, vt sancitũ est. *l. vlt. C. de collationib. & l. 5. tit. 15. par. 6.* Vnde neque vsumfructum bonorum aduentitiorum, in euentibus in quibus ad filium spectat, aut tacite vel expresse à patre ei condonatur, aut relinquitur, non tenetur filius conferre: quia ad filium pleno iure spectat, & inter aduentitia bona computatur. Neque tenetur pater in Lusitania accipere illud in fuũ tertium, aut in Castella in tertium & quintum vt disput. 8. copiose est explicatum.

8 Quod si aduersus hanc doctrinam obiicias, data filijs à parentibus ad bellum, vel ad sumptus in palatio Regis, teneri filium coniugatum de iure Lusitano conferre, & non coniugatum conferre teneri, quæ inde ei superfuerunt, vt disputatione 230. explicatum est. Respondendũ est, bona illa, quatenus cõferri præcipiũtur, inter profectitia cõputari in Lusitania, non vero inter castrensia. *Obiectio.* *Satisfit.*

9 Idem disput. 231. dictum à nobis est de iis, quæ in patrimonium ad sacros ordines suscipiẽdos à parẽtibus filiis donantur. Licet n. dominiũ, vsusfructus, & administratio ad filium pertineant profectitia tamen bona in se sunt, quæ proinde conferenda veniunt: nõ secus ac data ad ingrediendum religionem aut in dotem filiæ aut in donationem propter nuptias filio, profectitia bona sunt, & conferuntur: cũ tamen neque dominium, neque vsusfructus, aut administratio eorum, ad patrem pertineat.

Secun-

Secundum, nempe: quæ afferentis effecta erant; idcirco fuit adiectum: quoniam quandiu bona profectitia ad defunctum spectabant, eive erant debita, locum in eis nō habet collatio presse sumpta, de qua nunc loquimur: sed aceruo ipsi bonorum defuncti sunt omnino debita, eaque de causa, esto filius, qui horum aliquid possidet, aut debet aceruo, abstinere velit ab hæreditate paterna, tenetur nihilominus id soluere ac reddere aceruo, vt inter heredes diuidatur tanquam defuncti bonū eis omnibus cōmune, vt habetur *l. filia licet. §. vl. iuncta gl. ibi in verb. non possint. C. de collationibus & l. certum, iuncta gl. 1. ibid. C. famil. erciscund.* & affirmat communis Doctorum sententia, quam Ant. Gom. *ad l. 29. Taur. n. 1. & 31.* refert ac sequitur. Solum ergo sunt conferenda, quæ à parente defuncto ita sunt profecta, vt effecta fuerint conferentis aut eius, qui loco filii succedit, vt sunt dos, donatio propter nuptias, data in patrimoniū ad sacros ordines suscipiēdos, data ad ingressum religionis monasterio, quod loco religiosi parenti defuncto succedit, & his similia, de quibus disputationibus sequentibus erit sermo. Ita probant varia iura, quæ Ant. Gom. *n. 1. citato* refert, & affirmat communis Doctorum sententia, quam etiam refert ac sequitur. Eiusmodi autem res conferre nō tenetur is, cuius sunt effecta, si illis contentus esse velit, neque partem in bonis defuncti cum aliis descendentibus habere velit. Quamuis autem res quæ aceruo bonorum defuncti debentur, proprie vt dictum est, non conferantur, nos tamen sequentibus disputationib. de iis etiam rebus dicemus, dum de aliquibus rebus in particulari disputabimus, num ad partitionē sint afferendæ, vel non.

Additum postremo in definitione fuit: *vt cum aliis tanquam hæres in eo succedat.* Inprimis, quia si ab aceruo & hæreditate defuncti abstinere velit: contentus iis, quæ in vita de bonis defuncti in ipsum profecta sunt, non tenetur ea conferre. Poterit tamen petere, si quid insuper in dotem, aut ad nuptias, vel alia simili causa à tali parente fuit ei promissum, nisi promissio & ante donata inofficiosa sint aliis descendentibus, propterea quod ipsorum legitimas contingat: nam quoad id, in quo inofficiosa fuerint, non poterit ea exigere. Hæc habentur *l. penult. & l. vlt. ff. de collat. dotis, iuncto authentico de immensis donationibus. §. 30. & probant. l. 2. §. si tres. ff. de collat. bonor. & l. ex causa donationis. C. famil. erciscun.* atque affirmant Bart & communis Doctorum sententia, quam Ant. Gom. *l. 29. Taur. n. 32.* refert ac sequitur.

Deinde additum id etiam est, quoniam si parens defunctus titulo legati aliquid, in vltima voluntate ei relinquat, potest illud petere & obtinere de aceruo bonorum defuncti, neque tamen tenetur cōferre, quæ in vita à tali parente in ipsum erant profecta, sed solum, si tanquam hæres vniuersalis cum aliis descendentibus ex testamento, aut ab intestato succedere velit. Ita probant *l. à patre, & filia. nn. 2. C. de collationibus. & l. si. pater. ff. de collatio. dotis*, atque cum aliis, quos refert, affirmat Ant. Gom. *ad l. 29. Taur. n. 4. & 31. iunctis 3. & 5.* Ratio, cur, quando relinquitur legatum, (idem est de donatione causa mortis) descendens legatarius conferre non teneatur, quæ in vita profecta à defuncto in ipsum erāt, hæc est. Quoniam licet quando dos, aut legitima portio, vel aliquid aliud ex præscripto & dispositione legis erat debitum, si quid ab hoc pacto debitore legetur ei, cui id debet, censetur id legare; vt cum tali debito cōpensetur, vt disputatione 200. ostensum est. quando tamen nihil tale debitum est, quia erat solutum, vel quia legatarius à tali debito vult abstinere, locū non habet compensatio: quare legatarius in casu, de quo agimus, neque conferre tenetur, quæ à defuncto in dotem, vel in quodnis aliud in ipsum erāt profecta, neque tenetur abstinere à legato sibi relicto. Ratio vero, cur, quando is, cui legitima portio debita est in aceruo defuncti, si succedere tanquam hæres, siue ex testamento, siue ab intestato, in illo aceruo vna cū aliis descendentib. velit, teneatur conferre, quæ in vita ab eo defuncto in ipsum erant profecta; est. Quoniam quando legitima portio debita est descendenti in bonis alicuius, si quid is in dotem, ad nuptias, in patrimonium ad ordines suscipiēdos, aut ad religionem professendam, vel ad aliud simile, de eis bonis illi in vita det, præsumitur id dare in cōpensationem legitimæ eidē debitæ; eaque de causa, nihil aliud de testatoris voluntate constet, si titulo heredis velit succedere, vt vel solam legitimam, vel maius quam legitimam, in quo hæres sit institutus, accipiat, tenetur conferre, quæ in vita testatoris de illius bonis in eum erant profecta Ita Ant. Gom. *n. 3. & 5. citat. iunct. n. 11.* cum multis aliis quos citat: atque id aperte sonant iura.

Ex hoc eodem fundamēto proficiscitur quod si descendens institutus fuit à defuncto minus, quam in legitima ipsi debita, agereq; velit ad complementum, teneatur computare, si quid eorum, quæ cōnumerata sunt, ipsi à defuncto in vita erat donatum. Quod si id integram legitimam expleat, nihil petere in complementum potest. Si vero non expleat, solum exigere potest, quod, computatis, quæ sibi in vita fuerant donata, ad complementum defuerit argumento texrus. *l. quoniam nulla. Cod. de inofficio. & testamento iuncta leg. vt à liberis, Cod. de collationibus.* & habetur *l. omni modo. §. imputari, & l. si quando, § & generaliter. C. de inofficios. test.* affirmatque communis Doctorum sentētia, quam. Ant. Gom. ad *l. 29. Taur. n. 38.* refert ac sequitur.

Ex eodem quoque fundamento prouenit, quod si defunctus dotē dederat, aut aliud ex commemoratis donauerat in vita, atque in eo solo instituit heredem filiam, aut filium, qui id acceperat. valida sit institutio Quod si id integram expleat legitimam ipsi debitam, nihil amplius potest petere: si vero nō expleat, agere solū potest ad cōplementū. Ita *gl. vlt. l. 3. §. sed vtrū. ff. de minorib.* & cōmunis Doctorū sententia ibi, quā Ant. Gom. *ad l. 29. Taur. n. 38.* sequitur.

Item ex eodē fundamento proficiscitur. quod si filius hæres vniuersalis instituatur, sed grauetur restituere hæreditatem alteri, licet detrahere inde possit legitimam portionem sibi debitam, in qua nullum potuit apponi grauamē: teneatur tamen in ea computare, si quid eorum, quæ commemorata sunt, fuit ipsi à defuncto datum in vita. Ita Ant. Gom. vbi supra cum Castrensi iuxta varia iura, quæ citat: sequiturque id manifeste ex dictis.

Postremo ex eodem fundamento, iuncti is iis, quę de legatis paulo antea dixeram, sequitur, si quid parens ita filio in vita donauit, vt non, nisi paretis morte, iuxta ea quæ dicenda sunt confirmetur aut legatum illi relinquat, eumque exhæredet, aut prætereat, teneatur eiusmodi etiam donationes ac legata computare in suam legitimam portionem. Ita Bar. & communis Doctorum sententia, quā Ant. Gom. *n. 38. cita.* refert ac sequitur, iuxta varia iura quæ citat. Ratio est, quoniam donationes, quæ nō nisi morte donātis cōfirmantur, reuocariq; ab eo possunt, dū viuit, vim habent legati, vt patet. *l. in donationibus. C. ad Falcid.* vide etiam glos. & Doctor. quos Molina *lib. 1. de primog. c. 12. num. 9.* & sequentibus citat: legata autem, vt supra dictum est, & copiosius dispu. 200. est explicatum, computantur in eo debito, quod ex legis præscripto debetur, quale est legitima portio à parente debita filio.

Porro compensatio in legitima in his euentibus explicatis locum habet, etiam si filius cum extraneis succedat in bonis parentis defuncti, vt Ant. Gom. *loco citato n. 39.* recte ait. At vero collatio, vt dictum est, solum habet locum comparatione aliorum descendentium defuncti, quibus legitima portio in bonis illius debetur.

17 Sicut filij computant in legitima sibi à parentib. debita ea omnia, quæ hactenus explicata sunt: ita ne potes, defunctis parentibus, cum per stipitem succedant auis in legitimis sibi deinceps debitis, repræsentandoque personas suorum parentum, sane computare debent, *tum quæ* parentes acciperent, tũ etiam, quæ ipsis ab auo data sunt. Ita cum Bart. & communiori Doctorũ sententia, Ant. Gom. *vbi supra n. 40.* & colligitur aperte *ex l. quoniam. Nouella. C. de inoffic. test.* consentiuntque Lusitanæ ordinationes *lib. 4. tit. 79. in princip.*

18 De iis, quę ab auo paterno donata sunt nepoti aut nepti viuente patre, vel ab auo materno viuente matre, distinguendum est cum Barto. & communi Doctorum sententia, quam Ant. Gom. ad *l. 29. Taur. n. vlt. & Gam. dec. 34.* referunt & sequuntur. Si enim ab auo data sunt nepoti non intuitu patris, sed ipsius nepotis, tunc si pater eiusmodi nepotis auo succedat, neque tenetur adducere id ad collationem neq; illud computare in suam legitimam portionẽ. Ita colligitur *ex l. auus. ff. de iure dot.* Si vero contemplatione patris datum est nepoti; tunc pater tenetur afferre id ad collationem, & computare in sua legitima portione, tanquam si ipsimet esset datum. Nepos etiam; succedendo postea patri cum alijs fratribus, tenetur adducere id ad collationem & computare in suã legitimam portionem, quę in bonis talis patris ipsi debetur, vt expresse vtrunq; afferitur *lib. 4. Lusit. Ord. tit. 79. §. 1.* & colligitur ex *l. dotem dedit* (alias incipit, dedit dotem) *ff. de collat. bon. ex l. profectitia. ff. de iure dot.* atque ex alijs iurib. In dubio ait Ant. Gom. *loco citato*, præsumendum esse fuisse datum intuitu nepotis, & non patris, aut matris, si datum sit ab auo materno, eaque de causa non esse cõferendum. Cõtrarium autem affirmant Gama, & alii, nempe censendum esse datum intuitu patris, eaq; ratione esse cõferendũ: idq; satis probant. *l. profectitia. ff. de iure dot. l. dotẽ dedit. ff. de collat. bon. l. sed & si plures. §. in arrogato. ff. de vulg. & pupil.* & alia iura, atq; aperte innuunt Lusit. Ord. §. 1. *citato*: quare recedendũ non est ab hac sententia: tametsi duo illa priora iura solũ loquãtur de auo paterno, qui de iure cõmuni nepotes habebat in sua potestate, ac proinde ad ipsum spectabat nepotes (de quib. ibi est sermo) dotare nomine filij.

19 *Decis. 34. cit.* controuersia hæc examinatur. Auus *Cõtrouersia.* maternus odio prosequebatur filiã diuitẽ, ex qua neptẽ habebat, perseuerãte aũt odio cũ matre, neptem dotauit, duo addẽs. Vnũ vt si neptis ipso viuẽte è vita discederet, dos ad ipsũ reuerteretur. Alterũ, vt nepte superstite, filia teneretur in suã portionẽ, legitimã cõputare dotem nepti datã. Vtrunq; vero in odiũ matris videtur adiectũ. Discedente autem è vita auo. Iis orta est inter matrem, & quendam fratrem filium eiusdem aui defuncti, an mater ad collationẽ adducere teneretur dotem datam *nepoti*, computareque eam in suam legitimam portionem. Et cum lata fuissẽt sententia, esse conferendam, res iterum examinata fuit à regijs Senatoribus, eisque disidentibus, confirmata *sententia fuit; eo quod* existente paritate suffragiorum, præualeat iudicatum antea fuisse in fauorem vnius partis.

20 Certe æquitas huius sententiæ satis dubia se mihi *Decisio.* offert. Etenim dos illa non videtur data nepti intuitu matris, hoc est; in gratiam matris, seu ad liberandam matrem ab onere dotandi filiam, efficiendiq; in matris bonum, quod illa facere non poterat; vel non tam facile ac plene: sed in bonum & fauorem solius neptis videtur dotata, atque in matris odium videtur iunctum, vt & in suam legitimam portionem teneretur dotem accipere, & vt, si neptis ante auum moreretur, dos, non ad matrem, sed ad auum reuerteretur: quando autẽ constat, dotem datam ẽs se nepti intuitu ipsius neptis, & nõ matris, iniquum, inualidumque est grauamẽ, vt mater teneatur eam accipere in suam legitimam portionem, vt recte ad-

A uocatus matris argumentabatur. Neque à voluntate donantis pendet, vt donatio conferatur, aut non conferatur, nisi quando de numero earum est, quæ filio aut filiæ *facta est*, quia videlicet vel ipsi in se, vel ipsius intuitu est facta: id quod non videtur attendisse sapientissimus Gama. Porro grauamen vtrunq;, existente aperto odio matris, effigiem non habet ex pressionis voluntatis, alioquin dubiæ, cuius intuitu intenderit neptem dotare: sed potius est effectus odij filiæ. Neque habet locum interpretatio, seu expressio cuius intuitu dotare intenderit, nisi quando de intuitu potest esse dubium: quod locum non habet in re proposita, in qua constat, solum commodũ B neptis intendisse, nullum vero matris. Præterea, quãdo suspectus quis est, standum non est interpretationi, quam ipse de suo intento ac voluntate effecerit: præsertim si manifesta indicia sint, contrarium intendisse, atque in odium id ita interpretari ac significare. Lege alia, quæ in confirmationem huius partis in ea decisione docte afferuntur. Neque huic nostræ sententiæ refragatur Lusit. ordin *lib. 4. tit. 79. §. 1.* dum statuit, vt quãdo nepoti aut nepti simile quid datum est, pater aut mater, filius aut filia talis aui teneatur id adducere ad collationem cum aliis fratribus, filiis eiusdem aui, & dum hæc ratio eius statuti redditur, *Capois à doaçaon foi feita pello auo ao neto per contemplaçaon de seu pay ou may, se esse pay ou may quer entrar á tranea do auo com seu ir maen, tenga á collaçaon tudo aquillo que per sua contemplaçon foi dado pello auo á* C *seu filho ou filha.* Nõ, inquã, Ordinatio hæc nostræ refragatur sententiæ; quoniam solum habet locum, quando contemplatione filij facta est donatio nepoti; id quod semper præsumitur, nisi alibi de sufficiẽtes sint coniecturæ in contrariũ. ex eademq; Ordinatione apertissime argumẽto à cõtrario sensu, colligitur esse affirmandũ contrariũ, quãdo non intuitu filij, sed ipsius nepotis facta est donatio, vt in re, de qua disputamus, est facta: neque credendũ est Ordinationẽ illã contrariari voluisse *l. auus. ff. de iure dotium* & communi distinctioni ac doctrinę Barr. & aliorum.

Neque item nostrę sententię refragatur §. 8. *tanct. 9. sequent 4. lib. ordinationum tit. 77.* vt Gama obiicit, vbi in matrimonij fauorẽ statuitur, vt si vel à Rege, vel à quocunq; alio (quitamen de numero ascendẽtium non sit) quicquam in dotem, aut ad nuptias detur filio aut filiæ alicuius, etiamsi patri ad id detur. vel filio intuitu patris, non afferatur ad collationẽ, sed talis filius aut filia habeat id præcipuum. Excipitur tamen, nisi donans expresserit, velle vt conferatur. Hinc colligit Gama, pari ratione, esto aliquid ab auo detur nepti intuitu ipsius nepris, & non filiæ, atque adeo quod ex se non erat conferibile, si tamẽ auus expresit velle vt conferatur, computetque id filia in suam legitimam portionẽ. esse conferendũ. Est tamen dispar admodũ ratio: id enim, quod prio ri illo modo erat datum, vel patri, vel intuitu patris, ad nuptias filii vel filiæ, ex se & ex iuris communis dispositione erat conferendũ: fuit vero de iure Lusitano in matrimonij fauorem exceptum, eaque de causa mirum non est, si donatori facta fuerit potestas, vt, si nihilominus exprimere vellet se ea lege dare vt conferretur, retineretque naturam, quã secluso iure Lusitano ex se habebat, id posset efficere, eãque naturam eo ipso retineret, nunquam tamen ius concessit, vt in parente esset potestas efficiendi, vt filius conferre id teneretur, quod ex se, iurisque dispositione, non erat conferibile: & saltem interim dũ expresse id à iure nõ fuerit concessum in euẽtu aliquo particulari, parens nõ habet eã potestatem: in iure aũt expressum nõ reperimus, vt parens in re, de qua disputamus, possit cõferibile efficere, quod ex se, iurisque dispositione conferibile non est. 21

Vtrum autem, quæ filius parenti donauit in vita, teneatur parens compensare in portione legitima *Quæst.*

ipsi

ipsi in bonis filii debita. Paulus à monte Pico, ab Anton. Gom. ad *l. 29. Tauri n. 39.* relatus, affirmat. Quoniam cum filius, cui legitima in bonis patris plus deberur, quam patri in bonis filij, compensare in ea teneatur donata sibi à patre, longe maiori cũ ratione tenebitur pater. Antonius vero Gom. *ibidem & n. 9.* negat: quoniam cum filius patri superuicturus censeatur, non præsumitur donare patri in partem legitimæ illi in bonis ipsius debitæ sicut pater præsumitur eo modo donare filio, eo quod moriturus existimetur ante filium: probabiliorem existimo hanc Ant. Gom. sententiam, præsertim quoniam filius donare non solet patri ob causam: sed absolute & simpliciter: in donationibus autem simpliciter non solet de iure communi habere locum collatio filij: vt inferius dicetur. Illud tñ admonuerim, si quid filius legaret, aut mortis causa donaret patri, quem præteriret aut exhæredaret, vel instituret minus quam in portione legitima illi debita, tunc censeri velle, vt in legitima ex præscripto legis ei debita cõputet rem ita legatam aut donatam, iuxta ea quæ supra dicta sunt.

Decisio.

A

B

SVMMARIVM.

1 *Donatio ob causam quid.*
2 *Donatio simplex quid.*
3 *Donatio ob causam regulariter conferenda nisi parens vetet.*
4 *Quando simplex donatio conferenda sit.*
5 *De collatione dotis & quando fallat.*
6 *Quid iure Castellæ & Lusitaniæ in collatione dotis aut promissis a parentibus filius masculis ad contrahendum matrimonium.*
7 *Disposita iure Castellæ & Lusitaniæ in collatione dotis, obtinet quoque in datis aut promissis à parentibus filiis masculis ad contrahendum matrimonium.*
8 *An summa quæ filio vxorem ducenti annuè à parentibus dum viuunt exsoluitur, conferenda sit.*
9 *Iocalia, vestes, ornamenta nurui aut sponsæ filij data conferuntur.*
10 *Quid si tempore mortis parentis consumpta alienata vel deteriorata fuerint.*
11 *Quales vestes & ornamenta à propriis parentibus sponsa datis, computanda in dote.*
12 *Expensa à parentibus facta in conuiuio & festiuitate nuptiarum filij vel filiæ, susceptionis sacri, ordinis ingressus religionis, assumptionis, Doctoratus non asseruntur ad partitionem.*
13 *Data liberis ad ingrediendum religionem conferenda.*
14 *Cuius temporis valor iure Lusitaniæ & Castellæ æstimandus, vt inofficiosa censeatur donatio.*
15 *Patrimonium à parentibus filio ad sacros ordines suscipiendos datum, conferendum est, non tamẽ eius reditus, & cuius temporis valor spectandus si consumptum sit.*
16 *Donationes ob causam parentum in liberos, non indigent insinuatione.*

DONATA A PARENTIBVS OB causam, vt in dotem, ad nuptias, ad ingrediendum religionem, & ordines suscipiendos, an adducenda sint ad collationem, & quid de vestibus, & sumptu in conuiuio nuptiarum.

DISPVTATIO 238.

1 *Donatio ob causam quid.*

DVplex genus donationum parentum in filios distinguitur. Primum appellant *donationum ob causam*, nempe quando aliquid donatur filio ad aliquid necessarium, vtile illi, aut pium: Vt quãdo filiæ donatur in dotem, aut filio ad nuptias matrimonium ve contrahendum. Quæ donatio quamuis hodie in legibus Tauri, & à multis donatio propter nuptias nuncupetur, longe tamen diuersa est ab ea, de qua in iure Cæsareo est sermo, vt in materia de donationibus manifestum fiet. Talis etiã donatio est, quando donatur filio in patrimonium ad ordines suscipiendos, filiæ ad ingrediendam religionem, vtriq; vt à captiuitate redimatur, aut à vinculis eruatur, ad peregrinandum, vt munus aut dignitatẽ consequatur, & aliæ similes. Secundum genus dicitur *Donatio simplicium donationum*, videlicet quãdo aliquid mere liberaliter donatur, ita quod præcipua causa motiua non est necessitas filij, aut emolumentum, quod vult eum consequi, sed præcipua causa est exercere in eum eam liberalitatem, siue moueatur ex peculiari affectione & amore, quo illum prosequitur, siue ex obsequijs ab illo susceptis, siue precibus alicuius, aut alia simili motiua ac impulsiua causa, ad exercendum in eo talem liberalitatem. 2 *Donatio simplex quid.*

C

Quod ad primum genus donationũ attinet, conueniunt Doctores communiter, eas esse regulariter adducẽdas ad collationem, assumendasque in legitimam portionem, nisi parens exprimat cõtrarium, assumereque eas velit in portione, de qua ipse potest libere disponere, iuxta ea quæ ex *authent. ex test.* C. *de collationibus & ex authen. de triente & semisse. § illud quoque* disputatione præcedente dicta sunt. Ita *glos. auth. citata*, Ant. Gom. *ad l. 29. Tauri n. 12.* Couarruuias *c. Raynald. de test. § 2. n. 7. & 8.* Gregor. Lopez. *ad l. 4. tit. 15. par. 6. glos. penult.* & alij Doctores communiter. Hanc sententiam probat Ant. Gom. *ex auth. ex test. citat.* quatenus ait, ex testamento & ab intestato cessat dotis & aliorum datorũ collatio, ita demum, si parens hoc designauerit: vnde argumento à contrario sensu, non cessat, sed conferuntur, quando parens non expresit vt non conferrentur. Cum vero textus dicat, *doris & aliorum datorum*, intelligit similium dori, atque adeo ob causam, vt glos. ibi exponit: dictio enim, &, copulatiua est similium. Deinde eandem sententiam probat ex *l. 1. ff. de donationibus, iuncta l. cum multa. § fancimus itaque.* C. *de donationibus ante nuptias*, ex quibus duobus iuribus constat, donationes ob causam non simpliciter donationes appellari: & in causa est, vt descẽdentes conferre eas teneãtur, quando de voluntate donantis aliud non constat. Postremo eandem probat ex *l. illud. § penultim. & vltim.* C. *de collationib.* vbi habetur, simplices donationes non conferri, nisi quando alius descendentium cõferre deberet donationem ob causam: ne enim tunc inæqualitas tanta inter descendentes consurgeret statuitur, vt simplex etiam donatio cõferatur. Idem probat *l. 3. & 4. tit. 15. part. 6.* Verum de simplici donatione, an hodie sit conferenda, dicetur inferius. 3 4

D

E

De dote filiæ data aut promissa consentiunt omnes conferendam esse, sumendamque in legitimam talis filiæ portionem. Excipe, nisi parentes, qui filiã dotarunt, exprimerent, se velle integram dotem accipere in portionẽ, de qua libere possunt disponere; tunc enim nihil dotis teneretur filia conferre, & nihilominus ex reliquis bonis parentum acciperet integram legitimam portionem, vel si quid amplius ex eisdem bonis, detracta dote, ipsam contingeret. Si tamẽ dos excederet portionem, de qua parentes poterant disponere, esseturque proinde inofficiosa alijs descendentibus, adducere teneretur incrementũ illud ad communẽ aceruũ, vt inter omnes diuideretur. Couarruuias *c. Raynaldus de te. § 2. in calce. n. vltim.* refert quandam Caroli. Quinti pragmaticã, & est *l. 1. tit. 2. lib. 5. nouæ collect.* qua anno 1534. prohibuit, ne in Regno Castellæ filiæ à parentib. titulo meliorationis dotari possent: quare eo Regno filia habere põt dotem sibi præcipuam, sed computare necessario eam debet in suam legitimam portionem 5

6 *Ius Castel.*

7 Cum audis, filiam teneri conferre dotem sibi data tam ant promissam intelligendum id est, si partem habere velit in hæreditate paterna. Si namque contenta esse vult sua dote & alijs à parentibus in vita sibi donatis, non tenetur illam conferre, vt duabus disputationibus præcedentibus dictum est, & habetur *lib. 4. Ord. Lusit. tit. 77. § 4. & l. 29 Tauri*, quæ est *3. tit. 8. lib. 5. nouæ collectio.* idque esto excedat portionem, quæ ipsum contingeret: quoniã incrementũ censentur parentes illi in Lusitania donasse de tertio suorum bonorum esto id non expresserint, & in Castella de tertio & quinto: neque est valida dispositio, quam de eodem tertio aut quinto parentes fecerint deinceps, vt habetur §. 4. *citato & l. 26. Tauri*, quæ est 10. *tit. 6. lib. 5. nouæ collect.* Quod si id totum excederet legitimam portionem, & id de tertio, aut de tertio & quinto bonorum, de quo tunc disponere poterant, ita vt *inofficiosum* esset alijs, teneretur quidem restituere acervo bonorum defuncti excessum illum, vt inter reliquos hæredes dimideretur verumtamẽ quoad solam dotem idque ad nuptias esset ei donatum, integrum ipsi esset eligere, vt quãtitas bonorum parentum sumeretur, vel quando id ipsi datum aut promissum est, vel tempore mortis eorum, prout ipsi esset commodius: non vero quoad cæteras donationes, vt disput. 236. dictum est, & habetur *lib. 4. Lusit. Ord. tit. 77. §. 4. & leg. 29. Tauri*, quæ est 5. *tit. 8. lib. 5. nouæ collect.*

8 Quando autem filia potius eligeret habere partẽ in hæreditate parẽtum, adducereque ad cõmunem partitionem dotem, & siquid aliud ipsi à parentibus in vita esset donatum. Inprimis tunc in Lusitania, si parentes contractu medietatis bonorum celebrassent matrimonium, tẽpore mortis vnius eorum teneretur adducere dimidium dotis & cæterarum rerum, quæ à parentibus ipsi essent donata, & tempore mortis alterius, reliquum dimidium, vt habetur *lib. 4. Ord. tit. 78 §. 2.* Si vero parentes in hoc eodem, aut in alio Regno matrimonium celebrassent contractu arrharum & dotis, standum esset dispositioni iuris communis, vt §. 2. *citato* habetur: ea vero dispositio explicabitur, dum de cõtractu societatis fuerit sermo atque iuxta eam idem vt plurimum fit. Deinde ea filia solum posset tunc obtinere de hæreditate defuncti æqualem portionem cum reliquis cohæredib. esto longe maius esset quod ipsa ad communem partitionem afferret, neq; præ cæteris cohæredibus *meliorata* censeretur vlla bonorum defuncti pars. Præterea de iure Lusitano, si bona aliqua immobilia, siue æstimata siue inæstimata tradita illi à parentibus essent, atq; apud se ea haberet, teneretur tũc adducere ad cõmunem partitionẽ tã illa, quam fructus omnes eorũ perceptos à tempore mortis parentis, in cuius hæreditate vult partẽ habere, vsque ad tẽpus partitionis, atq; præter ius Lusitanũ infra citandum, consentit in hoc *l. filius §. vlt. iuncta glos. ibi. ff. de collat. dot.* Si vero ea non habet tempore mortis talis parentis, teneretur adducere ad partitionem solam æstimationẽ eorũ, tempore, quo illi à parente tradita sunt. Prætereà, si bona illa apud se haberet, suaq; industria plantãdo vel ędificando, aut alia quacunq; ratione meliora ea in quarta valoris parte reddidisset habita ratione temporis in quo ea accepit, tunc integrum ipsi esset, vel adducere ad partitionẽ æstimationem eorũ, quo tempore tradita ei sunt, vel adducere bona ipsa, exigereque; quod sua industria plus valent. Si vero tempore; quo ea habuit, deteriora reddita essent in quarta valoris parte, habita ratione temporis in quo ei tradita sunt: tunc in potestate est coh. reddum, vel cogere eam, vt ad communem partitionem illa adducat, & insuper soluat, quod minus valent, vel cogere, vt integram eorum æstimationem tempore, quo ei tradita sunt, afferat, eaque sibi retineat. Quod attinet ad bona mobilia

Ius Lusit.

A in dotem ei data, aut à parentibus donata, statuitur, vt siue æstimata, siue inæstimata ei tradita sint teneatur ea ipsa adducere ad communem partitionem qualia apud se reperta fuerint, cum fructibus, si qui inde à tempore mortis parentis, in cuius hæreditate vult partem habere, fuerint percepti. Quod si tempore mortis eius parentis alienata aut consumpta fuerint teneatur adducere, vel æstimationem eorum, quo tempore ei tradita fuere, vel aliã eiusdem qualitatis, æqualisque valoris. Hæc omnia habentur *libr. 4. ord. tit. 77. §. 1. 11. 12. & 13.* Quamuis autem Anton. Gom. ad *l. 29. Taur. numer. 13.* consentire videatur, res esse adducendas ad partitionem prout repertæ fuerint tempore mortis parentis, quando traditæ non sunt filiæ æstimatæ, suffragarique videantur *l. ita demum Cod. de collat. & l. cum emancipati.*
B *§. de illis ff. de collatione bonorum*, negat tamen quando traditæ essent æstimatæ: quia tunc, inquit, siue valor earum crescat, siue decrescat, æstimatio, quæ facta fuit quando fuerunt traditæ, est adducenda ad partitionem, & non res datæ. Verumtamen doctrina hæc, vt ex proxime dictis constat, locum non habet in hoc Lusitaniæ Regno.

Quę dicta sunt de datis in dotem filiæ, intelligenda similiter sunt de datis aut promissis à parentibus filijs masculis ad contrahendum matrimonium, & de vtrisque permixtim atque indifferenter loquuntur iura Lusitaniæ & Castellæ citata Pragmatica tamen illa Caroli Quinti locum non habet circa eiusmodi donationes: eo quod solum loquatur de dote filiarum: quare, si parentes exprimerent, velle vt ita donata haberet præcipua aliquis filiorum, non teneretur ea adducere ad partitionem: sed tunc computanda essent parentibus in tertio, aut etiam in quinto suorum bonorum, si tertium ad id non sufficeret.
C

Gama decis. 140. numer. 3. & decis. 164. ait, si certa nummorum summa, aut aliquid aliud annuatim soluendum, promissum esset filio vxorem ducenti ad alimenta, sustinendave onera matrimonij interim dum parentes viuerent, illeque integrum suum patrimonium de bonis eorum non acciperet habere illa præcipua, nec teneri adducere ea ad partitionem, imo neque patrem teneri sumere illa in tertium suorum bonorum, sicque iudicatũ sæpe esse in
D hoc Lusitan. Regno. Ac sane placet hæc sententia, dummodo in fraudem non sit factũ, vt aliquid præcipuum tali filio in aliorum præiudicium donetur, sed quia reuera is filius ea summa ad alimenta suę familiæ pro conditione sua & vxoris indiget, æquitas quę postulat, vt id parentes etiam contribuant vna cum reditibus ex dote & bonis vxoris, & dũmodo, si parentes bona immobilia reddituum æqualium ad matrimonium contrahendum statim ei donarent, inofficiosa nõ esset talis donatio alijs fratribus: neque enim parentes in præiudicium aliorum filiorum tale matrimonium possunt filio quærere, vt ne cesse ipsis sit tantum ei donare, vt legitimæ aliorum minuantur, ac proinde neque in alimenta ad onera eiusmodi matrimonij sustinenda tantum possunt quotannis ei dare, quantum quotannis illi redderent immobilia bona inofficiosæ donationis ad nu
E pias. Quod autem ea sententia hoc pacto intellecta verissima sit, probatur. Tum quia parentes competentia alimenta tribuere possunt filio ét coniugato, ita vt is nequaquã adducere ea teneatur ad partitionem post mortem parris Tum vel maxime, quoniã sicut donare illi poterant ad nuptias tot bona immobilia, ex quibus reditus æquales haberet: neq; tamen post mortem parentum tenetur adducere ad partitionẽ reditus seu fructus, quos ex eis bonis dum parentes viuerent percepisset, sed solum bona ipsa immobilia, qualia tempore mortis essent reperta, vt dictum est: idq; propterea quod eiusmodi reditus vicẽ

alimen-

alimentorum retineant ad sustinenda onera matri- A monij: ita promittere illi ac donare possunt ad alimenta, sustinendaque cum vxore matrimonij onera, æqualem pecuniæ summã quorannis, interim dũ viuerent, soluendam loco bonorum immobilium, quæ poterant statim ei donare.

9 Cum donatis filio ad nuptias computatur, si pater aut mater ipsius det nurui, sponsæ seu vxori talis filij, torquem aureum, vestes, vel alia ornamenta iuxta patriæ consuetudinem, aut aliud quippiam: datur namque contemplatione filij, & cum donatione ad nuptias computatiue, estque proinde conferendum in morte parentis, de cuius bonis id profluxit, iuxta *l. vt à liberis l. illam, & l. illud C. de collationib. & l. quoniam nouella C. de inofficios. testam.* Affirmatque 10 Ant. Gom. ad *l. 29. Tauri n. 13 & 15.* Vnde sicut de iure Lusitano filius alia mobilia, quæ ipsi à parentibus donantur, tenetur adducere ad partitionem, qualia tempore mortis parentis reperta fuerint, vel, si consumpta aut alienata sint, eorum æstimationem tempore quo ei fuerunt tradita, vel alia eiusdem qualitatis & valoris: ita etiam hæc, quę contemplatione ipsius data sunt sponsæ. Ant. Gom. *n. 15. citato* ait, si extent, deterioraque facta sint, iuxta ius commune atque in Regno Castellæ, teneri adducere ad partitionem æstimationẽ eorũ: quia filius videtur factus locupletior. Ac certe id satis æquum videtur, standumque in eo Regno erit consuetudini, quam ignoro. De vestibus vero & ornamentis à suis proprijs 11 parentibus sponsæ datis dicendum est, omnia computanda esse in dote ei promissa, præter simplices C vestes quotidianas, quib. ipsa vti consueuerat: nam hæ cum alimentis, ipsi à parentibus collatis vsque ad matrimonium contractum, sunt computandæ.

De expensis à parentibus factis in conuiuio & fe- 12 stiuitate nuptiarum filij, aut filiæ, dicendum est, afferendas non esse ad partitionem: quia ad partes, honoremque parentum spectat id efficere. Ita sancitũ est *4. lib. Lusitanar. ord. tit. 77. §. 3.* & iuxta ius commune affirmant Ant. Gom. ad *l. 29. Tauri nu. 15. Bart. in tract. de duobus fratribus & l. 1. §. nec cassrense ff. de collationib. bonorum.* Baldus & alij, quibus cum Nauar. *in Manuali c. 17. n. 165* consentit: tametsi dicãt, secus esse, si pater fecit eos sumptus animo computandi eos in legitima talis filij: credo tamen non audietur, etiam standio in solo iure communi. Hoc loco obserua, neq; patrem teneri computare hos sumptus D in portione de qua libere potest disponere. Tũ quia æqua est sors omnium filiorum ea in parte: quandoquidem, si ad nuptias superstitibus parentibus perueniant tum singulis fiant huiusmodi sumptus. Tum vel maxime: quoniam hi parentũ sumptus ad competentem ac rationabilem administrationem suorum bonorum spectant: sumptus autem, quos pater rationabiliter facit sua bona administrando, non tenetur sumere in portione, de qualibere potest disponere. Idem propter hanc eandem rationem dicendum est de sumptibus, quos parentes faciunt in primo sacro suorum filiorum, aut in conuiuio quando filia religionem profitetur, imo etiã quando filius ad gradum Doctoratus promouetur, & in alijs similibus euentibus, quando filius sub patria est E potestate & à parentibus alitur, neq; ipse habet propria bona vnde eos faciat; si namque propria habeat bona, poterit pater velle, vt etiã conuiuium nuptiarum, fiat de eis bonis: sicut & sustentationem totam antequam vxorem ducat poterit ei de eisdem bonis præbere.

Quod dictum est de datis à parentib. filijs ad nuptias dicendũ similiter est de datis ad ingrediendã religionem est enim donatum ob causam, nempe ad statum rationemque viuendi ei in perpetuũ tradendum in Christi obsequium, iumendumq; Christum in peculiarem sponsum. Ita cum Bart. & communi Doctorum sententia Ant. Gom. ad *l. 29. Tauri* 14 *n. 13.* Quare conferendum est, quod ita fuerit datũ: non tamen habet priuilegium illud, quod de iure Lusitano & Castellæ habent donata ad nuptias, nẽpe vt ad iudicandum, an inofficiosum id sit aliis hæredibus, optio accipienti detur, stare ne velit valori, quem bona parentum tempore mortis habent, an potius quando est datum: id enim priuilegium est concessum solum in fauorem matrimonij carnalis ad maiora illius onera in temporalibus sustinenda.

Idem omnino dicendum est de patrimonio à pa- 15 rentibus filio dato ad sacros ordines suscipiendos, quicquid Faber, Aymo & Ant. Gom. ad *l. 29. Tauri n. 21.* in contrarium dixerint (de qua re aliquid addetur in calce disp. 241.) vt bene Couar. *c. Raynaldus de test. §. 1. n. 7.* ait: est enim propter causam constituendi filium in eo statu atq; ad alimenta, vt in eo statu non abiecte & indecore viuat, ab Ecclesia statutum. Quare conferre non tenetur reditus vsque ad mortem parentum ex eo patrimonio perceptos, sicut de dote, & donatione ad nuptias dictum est, & vniuersim de donationib. parentum in filios statuunt Ordin. Lusitanę loco citato; sed solum conferre tenetur patrimonii ipsum, quale tunc extiterit, vel æstimationem temporis, quo receptum fuit, si quid periit aut alienatum ex eo est. Quamuis post dispositionem *Concilii Trident. sess. 21. c. 2.* de reformatione, irrita fiat alienatio illius, nisi prius clericus, ad quem spectat, beneficium obtineat Ecclesiasticum. 16

Illud vniuersim circa donationes ob causam parentum in filios dicendum est, non indigere insinuatione, vt validæ sint cuiuscunque illæ sint quantitatis. Ratio est, tum quod ob causam sint factæ; ac proinde non sint strictè & presse donationes; tum etiã, quod sint conferendæ, vt cum *Glossa lege Aquilius Regulus. ff. de donationib.* Bald. & alijs affirmat *Gama dec. 163. n. 3.*

SVMMARIVM.

1 *Sumptus studiorum alterius ve artis, etiam mechanicæ non conferuntur.*
2 *Limitatur item n. 4. & 5.*
3 *Pater promittens dotem filiæ, aut filio, donationem ad nuptias præsumitur de suo promittere.*
6 *Si filius per aliquot annos literis operam dedit, non tenetur pater, & minus eo mortuo cohæredes illum sustentare, donec studia absoluat.*
7 *Sumptus, quos filius ante mortem patris fecit, nec soluti sunt, ex hæreditate patris persolui debent.*
8 *An libri tempore mortis patris filio empti, ipsi cedant.*

SVMPTVS QVOS PATER CVM filio in studio fecit, aut in re alia addiscenda & libri ab eo illi dati, an sint conferendi.

DISPVTATIO 239.

QVod pater cum filio familias insumit in studiis, 1
non tenetur filius afferre ad partitionem cum
alijs fratribus Ita habetur *4. lib. Lusit. Ordin. titul. 77. §. 5.* Vbi idem disponitur de eo, quod cum ipso insumit in quacunque alia re perdiscenda, etiamsi sit ars saltandi, aut mechanica; talis enim sumptus inter alimenta, quæ pater filio præstat, sunt computandi; eaque de causa nullibi sunt conferenda. Idem statutum est in Regno Castellæ *l. 5. tit. 15. part. 6. & l. 3. tit. 4. par. 5.* de impensis cum filio factis in aliqua scientia perdiscẽda, quæ longe maiores esse solent quam quæ fiunt in mechanica arte addiscenda. Redditur vero *l. 5. citato* ratio huius priuilegij circa hanc donationem ob causam; quoniam studia & scientiæ in commune Reipublicæ bonum cedunt. Consentit *l. quæ pater. 2. ff. famil. ercis.*

2 Limitant tamen hoc Barto. *in tract. de duob. fratribus nu. 16. & l. 1. §. nec castrense. n. 8. de collat. bonor.* Sylu. *verb. peculi. 2. quæst. 2.* Nauar. *in Manual. c. 17. n. 160.* Ant. Gom. *ad l. 29. Taur. n. 16.* Greg. Lopez *ad l. 5. citatam* & alij, præterquam si pater habeat bona alia propria filij, vt castrensia, quasi castrensia, vel aduentitia ex parte matris aut aliunde: quoniam tunc in dubio censetur, eum sustentare de bonis illius, eo quod pater non teneatur de suis præstare alimenta filio, quãdo filius habet propria. Consentiunt. *l. vlt. ff. de petition. hæred. & l. Neſſenius. ff. de nego. geſt.* Si ſi pater dotẽ filię promitteret, aut filio donationem ad nuptias in matrimonij fauorem præſumeretur de ſuo promittere, iuxta *l. vlt. C. de dotis promiſſione.* Obſerua tamen poſſe nihilominus parentes de ſuis bonis alere filiũ in ſtudijs, eſto filius habeat propria neque teneri ea alimenta computare in portione, de qua libere poſſunt diſponere: quoniam alimenta filiorum ad ordinariam ac competentem adminiſtrationem ſuorum bonorum ſpectant, quæ proinde de toto aceruo bonorum poſſunt inſumere, faſque eſt parentibus ſplendidiorem, maioremque ſuſtentationem, in veſtitu, cibo, equitatu, famulis, & alijs eiuſmodi rebus, tradere vni filiorum, quam aliis, modo id metas tationis, attentis circunſtantijs omnibus concurrentibus, non excedat, conſentitque Nauar. *n. 160. citat.* Accedit alimenta, quæ filiis in ſtudiis præſtantur, priuilegiata eſſe, adeo vt ad quaſi caſtrenſia bona pertinere videantur: eo quod ſcientiæ in commune Reipublicæ bonum cedant.

4 Bar. *limitationem* propoſitam intelligit, quando pater habebat bona filii in pecunia numerata, quaſi non cenſeatur feciſſe ſumptus in ſtudiis de bonis filii, ſed de ſuis propriis, ſi filius nõ habebat pecuniã, ſed alia bona. Merito tamen Ant. Gom. *loco citato* id intelligit, etiam de aliis bonis. Tum quia ratio præſumptionis, quod voluerit facere eos ſumptus de bonis filij, ſolum ſit, quod filios habeat vnde fieri poſsint, & vnde compenſari id poſsit alijs fratrib. Tum etiam quoniam *l. vltim. ff. de petit. hæredit.* indiſtincte loquitur de quibuſcunque bonis filii, imo loquitur de hæreditate, quam filius acquiſierat: hæreditas autem complectitur non ſolas pecunias, ſed et am cætera bona mobilia & immobilia: eo denique modo indiſtincte loquitur *l. Neſſenius. ff. de nego. geſt.*

5 Quod hactenus conſtituimus, nempe expenſas factas cum filio in ſtudijs, nõ eſſe conferendas quando filius non habebat propria bona, cenſet Anton. Gom. *loco citato* eſſe limitãdum: niſi pater eſſet proteſtatus, computandas eas fore in legitima talis filij, aut de eiuſmodi illius animo aliunde conſtaret: vt quia in libro rationum ſcribebat, quæ ad filium mittebat, aut aliunde; tunc enim, ait, filium teneri computare in ſua legitima, quod plus pater in ſtudiis cũ eo inſumpſiſſet, quam domi fuiſſet inſumpturus. Addit quam domi fuiſſet inſumpturus: quoniam pater gratis tenetur præſtare filio ordinaria alimenta, quando filius ea aliunde non habet. Cum hac limitatione conſentit aperte *l. quæ pater 2. ff. famil. herciſc.* tametſi de ſolo filio emãcipato loquatur. Credo tamen, ſaltem de iure Luſitano & Caſtellæ, niſi pater expreſſe filio proteſtaretur, ſe nõ velle illũ mittere ad ſtudia, aut non velle cõtinuare ſumptus in ſtudijs, niſi ipſe tale inuramentum compenſare velit in ſua legitima portione, ita quod velut quidam contractus, conſentiente in eo filio, inter patrem & filiũ interueniret, non teneretur filius computare incrementum illud in ſua legitima portione. Iura namq; horum Regnorum, quæ citauimus, abſolute ſtatuunt, vt id nõ computetur; quare nõ eſt, quod inſcio expreſſeque non conſentiente filio, propter ſolum animum patris id ei in legitima portione computetur. Quin, ſi propter eiuſmodi expreſſum contra-

A ctum id filio eſſet computandum; non poſſet tunc pater non continuare ſumptus in ſtudijs cum filio; eo quod in filij iniuriam & detrimentum id cederet, qui ſumptus antea factos computare teneretur in ſua legitima portione cum paruo, aut nullo emolumento, niſi ſtudia abſolueret.

Dubium eſt, ſi filius operã literis dedit per aliquot 6
annos, num pater teneatur eum ſuſtentare in ſtudiis *Dubium.*
quouſque ea abſoluat: & num mortuo patre, cohæredes teneantur eum ſuſtentare de bonis communibus. Atque ad vtrunque dubium merito reſpondet Doctor. negatiue: eos inter alios refert ac ſequitur Ant. Gom. *ad l. 29. nu. 18.* Quod intellige, ſi de patre ſit *Deciſio.*
ſermo, quando non interueniſſet pactũ, de quo paulo ante dictum eſt. Sumptus tamen, quos filius ante 7
mortem feciſſet, & ſoluti non eſſent, de aceruo toto
B bonorum patris eſſent ſoluendi vna cum reliquo ære alieno: eo quod debita eſſent patris.

Quod ad libros attinet, Bart. *in tract. de duobus frat.* 8
n. 15. & §. nec caſtrenſe citato n. 2. Nauar. *in Manu. c. 17. n. 159.* & alij in hunc modum diſtinguunt. Si libri filio quidem erant empti, ſed nondum erant traditi tempore mortis patris, aut certe nondum erat ei facta donatio & ab eo acceptata: tunc, ſiue filius eſſet iam Doctor, ſuaq; abſoluiſſet ſtudia, ſiue non, pertinent ad patrem, ſuntque inter hæredes diuidendi; eo quod nondum conſummata fuiſſet donatio, ſi vere traditi erant iam filio & filius erat Doctor aut Licẽtiatus in ea facultate, vel abſoluerat ſtudia,
C ita vt in procinctu iam eſſet, vt, quæ didicerat exerceret, vel ea iam exercebat, pertinent integre ad filiũ, nec tenetur eos adducere ad partitionem cum aliis fratrib: quoniã, vt diſput. 231. dictum eſt, ſunt bona illius quaſi caſtrenſia; atq; in hoc euentu intelligenda eſt *l. 5. tit. 15. par. 7.* quæ id ſtatuit. Quod ſi ſtudia nondũ abſoluerat, afferendi ſunt ad partitionẽ, quales tempore mortis patris fuerint reperti, ita vt, ſi minus valeant, quã quando filio dati ſunt, quod minus valent, computetur inter expenſas cum eo filio in ſtudio factas vel certe in detrimẽtum bonorũ patris cedat, cuius fuit dominiũ eorum librorũ vſque ad ſuã mortem: ſi vero plus valeant, incrementũ illud accreſcat bonis patris atq; adeo hæredibus, & non filio. Ant. vero Gom. *ad l. 29. Taur. n. 17.* vult, ſemper, quando filio ſunt traditi, ſpectare pleno iure ad filium tanquã bona ipſius quaſi caſtrenſia, ac
D proinde adducendos nõ eſſe ad partitionem: atq; id primo aſpectu ſonare videtur *l. 5. cit.* Veruntamen, quod dictũ eſt, affirmant Doctores communiter, & eſt rationi magis cõſentaneum. Neque enim parentes tradere intendunt filijs liberos dũ in ſtudijs, ſunt vt ſtatim ipſorũ efficiantur, ſed vt habeantillos ad vſum, ſicut & cætera ſupellectilia, quæ illis tradunt: quare dominiũ horum omniũ apud patrem perſeuerat, ſuntq; proinde bona profectitia nondũ donata. Adde, eſto eſſent donata; donationem eſſe ob cauſam, ac proinde abſque dubio conferendam.

SVMMARIVM.

E
1 *Propoſita in Rubrica. ſi filius bona propria habet: cenſenda ſunt à parentibus de bonis filii exſoluta eſſe, & propterea ab illo conferri debent.*

2 *Si filius bona propria non habet, quod pater proeo in peregrinatione inſumſit, non tenetur filius conferre. Idem ſi in venatione aut honeſta aliqua recreatione inſumptum ſit.*

3 *In captiuitate vel delicto filii inſumptum: an conferri debeat.*

4 *Et quid ſi parens in vita nondum ſoluit, an poſt mortem de bonis communibus ſolui debeat.*

QVAE

QVAE EXPENDERINT PARENTES in peregrinatione filiifamilias, pro illius delicto, in eruendo eo à captiuitate, aut vinculis, conferendane sint.

DISPVTATIO 240.

1 ILlud vniuersim circa hæc omnia est dicendum. Quando parentes haberent bona propria filij castrensia quasi castrensia, aut aduentitia, vnde hæc omnia fieri possent, censenda essent facta à parentibus de bonis filij, vt disputatione præcedente de sumptibus factis cum eo in studio dictum est: ac proinde quod ita insumptum esset, teneretur filius adducere ad partitionem cum aliis fratribus post mortem parentum.

2 Quando filius bona propria non habet, quod pater cum eo in pia aliqua peregrinatione insumit, nõ tenetur filius afferre ad partitionem, vt habetur 4. *lib. Lusitan. Ord. tit. u.* 77. § 5. Idem esset si ad venationem, aut honestam aliam creationem, vt ad hastilidium, aliosve similes publicos ludos pro qualitate personæ cum eo insumeret: quoniam hæc omnia ad alimenta, competentemque filij sustentationem spectant. Cum vero etiam cadant sub competentem administrationem bonorum parentum, neque parentes tenentur ea assumere in portione, de qua libere possunt disponere.

3 Item quod pater cum eo insumpsit, vt illum à captiuitate redimeret, aut vt eum à vinculis, vel à delicto liberaret, pœnam pro illo soluendo, aut cũ aliquo pro delicto transigendo, vel in impensis litis, & aliis eiusmodi, non tenetur filius adducere ad partitionem. Ita habetur 4. *libr. Lusit. ord. tit.* 77. § 6. Idem dicendum est de iure communi, vt affirmant Sylueſt. *v. rb. pecul. 2. q.* 14. Nauar. *in Manu. c.* 17 *nu.* 165. & latius Ant. Gom. *ad l.* 29. Tau. *n.* 19. & 20. post Bart. in *l. Stichus ff. de pecul legat.* consentit etiam *l. liber captus C. de captiuis & postlimin. reuerſ.* Ratio horum omniũ est, quoniam parentes ex pietate paterna præsumũtur hæc feciſſe animo cõdonandi, & id postulat cõpetens administratio suorum bonorum, exigitque necessitas filij, imo eo ipso, quod filius ad eum statum deuenit, quodammodo ad filij alimenta spectant. Quare, neque ẽt parentes tenẽtur id accipere in partem suorũ bonorũ, de qua libere possunt disponere. Si tamen constat parentum animum fuisse, vt id filius in suam legitimam portionem acciperet, tunc ait Bar. & consentiunt cæteri, teneretur filius id in ea computare idq; satis aperte colligitur ex *l liber captus C. de cap. & postli. reuer.* Recte etiam Bar. addit, si quid horum parens in vita non soluit soluendum post mortẽ non esse de bonis cõmunibus, sed de sola legitima talis filij. Hoc tamen intelligerẽ, nisi pater in vita se astrinxisset alicui ea soluere, morteque præuentus nõ soluisset: tunc enim, cum pater in vita debitũ illud in se susceperit, ad æs ipsius alienum spectaret, quod proinde de communibus bonis esset soluendum.

SVMMARIVM.

1 *Militia quid.*

2 *Si filius bona propria habeat, censentur vniuersi sumptus circa ea, quæ in thesi proponuntur, facti ex bonis filij.*

3 *Si militia, officium, dignitas vendibilis aut transmissibilis data sit à parentibus filio, vel pecunia ad illam comparandum, an & quid conferri debeat.*

4 *Quid iure Lusitaniæ constituerum in militia vel officiis à parentibus, eorumq; intuitu pro liberis impetratis.*

5 *Quid eodem iure dicendum, si officium filio emisset, vel sibi, sed à rege obtineat, vt ad filium illum dum ipse viueret, transferret.*

6 *Quando officium per mortem patris expiraret, & pater aut filius à rege dono obtineat, vt post mortem patris ipse in eo succedat, an iure Lusitaniæ conferatur.*

7 *Si rex officium aliquod concessisset parentibus in dotem alicuius filiæ, mediatè vel immediate, an lege Lusitaniæ conferendum.*

8 *Si maritus stante matrimonio emat officium, quibus dissoluto matrimonio erit conferendum.*

9 *Quando militia, officium, gradus, beneficium, vel quid aliud simile, nec vendibile, nec transferibile est ad hæredes, neque illud, neque æstimatio illius, neque sumptus à liberis conferuntur.*

10 *Si parentes fundum aut alia bona filio dederint in patrimonium, ad cuius titulum sacros ordines susciperet, an ea conferre teneatur.*

VTRVM MILITIA, SEV OFFICIUM, aut dignitas, quam pater filio emit, aut dedit, eiusve æstimatio, conferenda sint? itemque quod pater insumpsit vt filius gradum, beneficium, ordines, aut aliud simile obtineret? & quid de re emphyteutica.

DISPVTATIO 241.

MIlitia, in re ppolita, appellatur à Iure, dignitas, aut publicũ officiũ, ex quo annuum, aut alius temporibus, emolumentum aliquod percipitur, vt patet *l. Lucius 1. ff. de leg. 2.* & aliis iuribus, quæ ad hoc Antonius Gomez *ad l. 29. Tauri num. 21.* cit 1, aut, vt *gloss. 1. l. omnimodo §. imputari C. de inoffit. testam.* ait. *Militia est reditus, aut officium vnde reditus prouenit.* 1 *Militia. quid.*

Illud etiam vniuersim dicendum est, si filius bona propria habeat, sumptus, quos ad omnia, quæ proposita sunt, pater effecerit, censeri factos ex bonis talis filij, aut vt ex illis compensentur, iuxta ea quæ initio disputationis præcedentis dicta sunt. 2

Circa ea quæ in titulo proposita sunt, Glossa citata Bartol. *l. 1. §. ne castrense ff. de collat. bonorum.* Anton. Gomez *ad l. 29. Tauri num 21. & 22.* Couar. 3. *lib. var. resol. c. 19. num. 4. & 5* & plerique alij quos citant, in hunc modum distinguunt. Vel id, de quo agitur vendibile est, saltem quia licentia dari consueuit vt vendatur, aut transmissibile ad hæredes, vel neque vendibile est, neque ad hæredes transmissibile. In priori illo euentu, nempe quando vendibile aut transmissibile ad hæredes est, dicunt si militia officium aut dignitas data sint à parentibus filio, saltem quia precibus intuituque parẽtum ab aliquo ei collata sunt, conferendam esse æstimationem illius, quantum valet tempore mortis parentum. Consentit Gama *decis. 29. num. 2. & 6.* Si vero non hæc ipsa à parentibus filio data sint, sed pecunia, aut aliquid aliud, quo ea filius consequatur: tunc, non æstimationem militiæ, officij, aut dignitatis esse conferẽdam sed pecuniam, aut valorem illius alterius rei, quæ à parentib. est data, conferenda esse tempore mortis parentum, vt cum Iasone recte Anton. Gom. *num. 22. citato* ait. Hæc probantur, tum ex *leg. omnimodo §. imputari C. de inoffi. test.* illis verbis, *eo quod talis sit militia vt vendatur, vel mortuo militante certa pecunia ad eius heredes perueniat.* Tum etiam *ex l. illud in princip. C. de collat.* 3

Ab hac regula, iuxta ea quæ in calce disputat. 233. dicta sunt, excipiẽdum in hoc Lusitaniæ Regno est, quando militia, officium, aut aliud simile, à Rege, aut à quocunque alio precibus, & intuitu parentum filio aut filiæ, imo & parentibus, vt sit filio, aũt filiæ in coniugium, datur: tunc enim habet id præcipuũ talis filius aut filia, tanquam bonum aduentitium, imo vero tãquam quasi castrense si à Rege Regina, aut Principe ita donetur vt ibidem dictum est, nec tenetur illud, aut æstimationem illius, conferre. Idem videtur esse, si ad petitionem parentum, vel de 4 *Ius Lusitan.*

illorum consensu, Rex transferat aliquid eiusmodi à parentibus in liberos, esto id nõ sit ad coniugium, vt ex 4. *lib. ord. tit. 77. §. 10.* dictum est tametsi, quia ibi solum est sermo de rebus regis de *turo*, vel ad vitam, & *detencio*, quas vocant, id aliqui extendere non audeant ad officia, & his similia: quod tamen probare non viderur Gama *decisione 29. in calce n. 3.*

Circa hæc obserua, placere mihi opinionem Gamæ *ibid. n. 40.* Nempe quando parens in hoc Lusitaniæ Regno officium, vel filio emisset, vel sibi, sed à rege obtineret, vt ad filium illum dum ipse viueret transferret, teneri filium conferre æstimationé officij: esto expirare debuisset per mortem patris: saltem quantum æstimatum fuerit, translatũ esse quoad tempus illud quo pater à tempore translationis superuicturus sperabatur, & consonant, quæ simili euentu de reb. emphyteuticis emptis à patre statuuntur *lib. 4. Lusit. ord. tit. 77. §. 32.* & duabus sequentibus. Ratio est, quoniam cum officium illud, quoad id temporis emptũ sit pecunia patris, translatio illa, licet facta concessione regis, nõ tam est donatio regis, quam patris de bonis propriis patris, & non regis. tametsi exigentib. ad trãslationem, regis authoritate: ea autem, quæ ex Lusita. ordinationib. supra relata sunt, locum habent in bonis regis, quæ ab eo per donationem in parentes emanarunt, non vero in bonis, quæ pater propria pecunia emisset, si enim pater tenęam alicuius permittẽte rege, emisset. vtique filius tenetur illam adducere ad partitionem cum fratribus, esto rex ad patris partitionem cõcederet, vt in vita sua ad filium eam transferret.

Illud etiam obserua, quando officium per mortem patris erat expiraturum, & pater, aut filius à rege dono obtinet, vt post mortẽ patris ipse, in eo succedat, nihil in hoc Lusitaniæ Regno teneri adducere ad partitionem ea de causa cum fratribus, etiamsi patris intuitu sit à rege concessum: quoniam illud est donatio regis de bonis, quæ soli illius dispositioni subiacent. Stando autem in solo iure communi, memento eorum, quæ in calce disp. 233. ex Anton. Gom. & Aretino retulimus.

Illud vlterius est obseruandum, quando rex officium aliquod concessisset parentibus in dotem alicuius filiæ, vt sæpe fieri solet in hoc Lusitaniæ Regno, siue immediate ita esset concessum, siue cõcessum esset patri, vt post mortẽ suam transiret ad filiam, aut ad vnam filiarũ, quam veller, vel cum facultate, vt dum viueret, illud trãsferret, dummodo tamen pater id non emisset: tunc filiam quidem, aut generum per mortẽ patris, nihil omnino ea de causa teneri conferre, vt ex dictis patet, iudicatumque refert Gama *decis. 114.* attamen si filia contractu arrharum & dotis in hoc regno nuberet, officium debere dari genero in dotem talis filiæ æstimatũ certa pecuniæ quantitate, vt si filia præmoreretur, aut cõcessio esset ea lege, vt morte generi expiraret, dos non euanesceret, sed reuerteretur, quoad æstimationem vsque ad illud tempus, ad vxorem, aut filios ex ea superstites, vt fieri solet in hoc Regno: sancitumque fuit in euentu, de quo decis. illa 114. erat cõtrouersia. Quod vero æstimatio illa locũ habeat comparatione dotis filiæ, sane nõ est in causa, vt filia, vel gener loco filię, conferre teneatur eandem æstimationem officij à rege filiæ donati, aut vt computare eam teneatur in legitimã portionem talis filiæ. Atq; hoc plane est legitimum fundamentum, vnde sententia, in ea decisione lata æquissima fuit.

Cou *lib. 3. var. resolut. 19. à nu. 4.* recte probat quando matrimonium, contractu arrharum & dotis fuit celebratum, si maritus constante matrimonio emat officium vendibile aut transferibile ad hæredes, vt est regimento, quod in Regno Castellæ vocant, & alia eiusmodi, esto vxor capax non sit illius sed soli masculi, nihilominus si vxoris morte matrimonium dissoluatur, & reperiantur bona superlucrata, cum illis computandam esse æstimationem officij illius, vt dimidiam partẽ eius æstimationis accipiant hæredes vxoris, sicut de aliis bonis superlucratis. Quod si præter officium illud non sint bona superlucrata, æstimationem illius adiungendá esse aceruo omnium bonorum, vt detractis prius, quæ ad singulos coniuges tanquam propria spectant, videatur an aliquid superlucratum superfit, cuius medietas ad hæredes vxoris pertineat. Idem esset, esto officium ita à marito emptũ nec vendibile nec trãsferibile esset, & vxor ante virum è vita discederet: æstimatio, n. illius tempore mortis talis vxoris, quoad tempus quod vir speratur vlterius victurus, adducendũ similiter est ad partitionem inter virum & hæredes vxoris. Idem quoque dicendum est in hoc Lusitaniæ Regno, siue officium ita emptum à marito vendibile aut transferibile sit ad hęredes, siue nõ, quando matrimonium cõtractu medietatis bonorum fuit celebratũ: æstimandum namque est quantum officium illud tempore mortis vxoris valeat, æstimatioque illa adiungenda est cætero aceruo bonorum communium viro cũ hæredibus vxoris, vt in duas partes æquales inter maritum & hæredes vxoris diuidatur. consentiuntque ea, quæ in simili euentu circa bona emphyteutica empta à marito de communibus bonis sancita sunt, *libr. 4. Ord. tit. 79. §. 33. & 34.* Quando autem officium emptum transferibile esset ad hæredes, tunc siue matrimonium celebratum esset contractu medietatis siue arrharum & dotis, morte vtriusuis coniugatorum esset æstimandum quãtum tunc valeret, æstimatioque coniungenda esset reliquo bonorum aceruo, vt inter sit perstitem, & hęredes defuncti diuideretur. Quod si pater esset, qui moreretur, filius ad quem officium trãsiret, accipere illud teneretur in suam legitimam portionem, aut in id, in quo insuper à parentibus esset melioratus, tenereturque soluere cohæredibus portiones, quas in eo, sicut in cęteris bonis defuncti, haberent Consentiunt cum his omnibus ea quæ de emphyteusi *lib. 4. Ord. tit. 77. §. 32. & 34.* sancita sunt.

Quod ad posteriorem euentum attinet, nempe quãdo militia, officium, gradus, beneficiũ, vel quid aliud simile, nec vendibile, nec transferibile ad hæredes est, conueniunt gloss. Bart. Anto. Gom. & alij Doctores circa priorem euentum citati, neq; illud, neq; æstimationem illius, neq; sumptus, si quos parentes in acquirẽdo illo filiofamilias fecerint, teneri filium conferre, aut computare in suam legitimam portionem, sed habere id præcipuum. Ita probat. *l. omnimodo §. imputari, C. de inoffic. test. am.* argumento à contrario sensu: solum enim statuit, filium debere computare in suam legitimam portionem militiam, si vendibilis sit, aut ad hęredes transferibilis: vnde, si neutrum ei competat, computari nõ debet. Probat etiam *l. 1. §. sed an id ff. de collat. bonorum*, quæ de eiusmodi militia seu dignitate agens, sic habet. Sed an id, quod dignitatis nomine à patre datũ est, vel debetur, conferre quis in commune cogatur, videamus. Et Papinianus ait, non esse cogendũ: hoc enim propter onera dignitatis præcipuum, haberi oportere, sed si adhuc debeatur, hoc si interpretandum est, vt non solum oneretur is, qui dignitatem meruit, sed commune sit omnium hæredum onus hoc debitum. Vbi vides, si quid pater, vt filio talem dignitatem acquireret, ante mortem alicui promiserat, nec soluit, soluendum esse post mortem de communibus bonis patris, non vero de sola legitima eius filij, cui dignitas acquisita est.

Hinc patet, cum gradus Doctoratus, & alij literarij, beneficia Ecclesiastica, commendę militares, sacri ordines, & his similia, neq; vendi, neq; tránsmitti ad hæredes possint, non teneri filium quicquã propter illa conferre, etiam sumptus, quos parentes in illis eis comparandis fecerunt: nisi forte parentes cum filiis prius conuenissent, se ea lege illos facere, vt vel

vt vel illos postea de hæredibus soluant, vel in suam legitimam portionem eos computet, eo pacto, quo duabus disputationibus præcedentibus in aliis similibus euentibus dictum est.

10 Ex hoc corollario Anton. Gomez. ad *l.* 92. *Tauri num.* 21. colligit, si parentes fundum, aut alia bona filio dederunt in matrimonium, ad cuius titulum sacros ordines susciperet, non teneri filium ea bona adducere ad partitionem cum aliis fratribus, aut sumere ea in suam legitimam portionem, sed habere illa præcipua. Est tamen collectio nulla, & assertio improbabilis, iuxta ea quæ cum Couarr. *ca. Raynaldus de test.* §. 2. *nu.* 7. *disput.* 238. & duabus aliis præcedentibus dicta sunt. Si namque id Episcopo daretur pro ordinibus conferendis, legitima esset collectio: at cum non detur nisi filio, vt cum ipso post susceptos ordines perseueret, ad congruam ipsius in eo statu sustentationem, sicq; vt conditio in eo prærequisita, sine qua Ecclesia statuit, vt ordines secularibus hominibus non conferrētur: sane collectio est nulla. perinde namque hæc bona se habent in filio, atque dos in filia, aut donatio ad nuptias in filiis coniugatis.

De Emphyteusi quando, & quousque conferenda sit, aut non, commodius dicetur, dum de contractu Emphyteusis sermo fuerit.

A

B

C

D

E

SVMMARIVM.

1 *Quæ filius de bonis patris occultè accepit, aut ipsi tradita male insumpsit, regulariter conferre tenetur.*

2 *Si filius quantitatem, quam pater contentus fuisset illum honeste insumere, male insumpsit, conferre teneatur: Et an is, qui quantitatem consecutus est, eam restituere debeat.*

3 *Pater quatenus pro arbitratu dare potest maiora alimenta, victum, vestitum, equitatum, seruos recreationem, donationesque vni filiorum quam aliis.*

4 *Si filius dubitet num pater velit conferri quæ contra eius voluntatem, attamen non exorbitanter consumpsit, quod confessarij munus sit.*

5 *Exorbitans summa inordinate insumpta, quando non sit conferenda.*

CONFERRE NE TENEATVR FILIVS, quæ de bonis patris male consumpsit.

DISPVTATIO 242.

1 NAuar. *in Manu. c.* 17. *num.* 164. Sylvest. *verb. pecul.* 2. *q.* 9. Anton. Gom. *ad l.* 29. *Taur. nu.* 25. Barto. & alij, quos citant, affirmant, quæ filius de bonis patris occulte accepit, aut de iis, quæ sibi ab eo tradita erāt in sustentationem in studio, aut quouis alio modo, male consumpsit in ludo, cum meretricibus, aut alia ratione, teneri adducere ea ad partitionem cum fratribus & computare in portione, quæ ipsum cōtingit. Nauar. *ibid. n.* 156. excipit cum D. Ant. 2. *p. tit.* 1. *ca.* 15. §. 1. nisi pater dum vixerat, illa ei condonasset.

2 Poterit tamen quis in hunc modum obiicere. Cūm filius, saltem de iure Lusitano, vt disputatione sequenti videbimus, ad ducere teneatur ad partitionem, quæ sibi à patre fuerunt donata, condonatio illa patris, nihil filio proderit, quominus teneatur ad partitionem adducere, quæ de bonis patris male consumpsit.

3 Vt vero hęc: quę quotidiana sunt, exactius percipiantur, dico inprimis. Quando filius nō maiorem quantitatem insumpsit quam pater contentus esset, vt in sui sustentationem & honestas recreationes in sumeret, ad nullam restitutionem, aut cōpensationem tenetur, si quid intra illam summā inordinate & contra voluntatē patris in ludo, cum meretricibus, aut alio modo consumpsit. Sotus *de iust. q.* 5. *art.* 2. & alij prudenter arbitrantur, eū filium, qui quotannis centum aureos accipit à patre in suam sustentationē, regulariter posse quotannis insumere quatuor aut quinq; aureos in eleemosynis, donationib, & honestis recreationib. Ratio autem, quare filius qñ illam summam non excedit restituere nō teneatur, quod inordinate insumit, est, qñ pater inuitus non est quoad sumptus, sed quoad modum, & quoad obiecta circa quæ insumpsit, & filius quasi commutat in hos sumptus alios honestus, quos sine restitutionis onere efficere poterat. Addo, neq; meretricem, aut qui ludo est id lucratus, restituere teneri, qñ pater certam pecunię summā tradit filio ad sumptus, quam liberum ei reliquit insumere. modo nihil amplius peteret. Aut qñ pater eius est ingenij, vt quamuis omnino nō vellet, vt filius eo pacto id insumeret, nihilominus postq; est insumptum, restitutionem non exigat: id quod de plurib. parentibus est existimandum, qñ summa nō est magna: præsertim cum intelligant, se nō religiosis, sed iuuenibus secularibus cōmittere dispositionē suæ pecuniæ ad ipsorū sumptus & sustentationem, sciantq; pro humana fragilitate non aliter esse eā regulariter administraturos. Quando tñ volūtas patris omnino esset vt filius ea via dominiū non trāsferret, & vt, qui acciperet, restitueret: tūc accipiēs restituere teneretur.

4 Deinde dico non semper, quando filius ita inordinate aliquid contra voluntatem patris insumit vt lethaliter peccet transgrediēdo eo pacto patris voluntatem, teneri adducere illud ad portionem cum aliis fratribus. Ratio est, quoniam raro inuenitur pater, qui, si, quod ita insumitur, nō valde excedat, velit vt filius post mortem suam ad partitionem id adducere teneatur, sufficitque ea tacita ac præsumpta voluntas patris, vt adducere illud nō teneatur. Neque obstat, quod filius adducere teneatur ad partitionem donata à patre: quoniam id non est intelligendum de iis, quæ inter alimenta possunt computari, de quorum numero sunt ea, de quibus disputamus: pater namq; pro arbitratu dare potest maiora alimenta, quoad victum, vestitu, equitatum, seruos, recreationem, donationes, & id genus alia, vni filiorum, quam aliis, condonare que tacite aut expresse potest filiis multa per interualla, quorum neque singula, neq; omnia simul sumpta habita ratione inter capedinis temporis, excessiua sint. Quando ergo quis accedit ad concessionem, qui similia contra voluntatem patris consumpsit, si exorbitantia atq; inconsueta non sint, interrogandus est, an certus sit, patris voluntatem non esse vt post mortem suam teneatur ea adducere ad partitionem cum fratribus. Quod si affirmāter respondeat, arbitror nihil illi esse iniungendum: si vero dubitet, aut credat patrem velle vt ea adducat, restituere est cogendus aut obtinere à patre veniam; nisi cōfessarius sua prudentia iudicet, illum decipi. Solent enim, qui vigesimum tertium, aut vigesimum quintum ætatis annum non attigerunt, præsertim si timidi sint, & parentes seueri in vitiis filiorum prudenter obiurgādis, neque multum sint liberales, sed potius tenaces & parci, longe aliter de parentibus hac in parte cōcipere, quā rei veritas habet. Quando vero summa inordinate insumpta tanta esset, vt, attenta qualitate parentum & filij, omnino excederet alimentorum fines: tunc, esto constaret patrem, quātum ex se est, libere id remittere: filius tamen cogendus esset adducere excessum ad partitionem: nisi pater in portionem, de qua libere potest disponere, id acciperet: aut nisi fratres tantundem inordinate insumpsissent: nam tunc locus esset compensationi.

SVMMARIVM.

1 *Donatio simplex patris in filium sub potestate existen-*

existentem, de iure valet, si traditio intercedat, licet A *reuocari possit, aut morte confirmetur.*

2 *Donatio simplex filiorum parte constituto à patre facta, iuramento confirmatur.*

3 *Donatio vsusfructus in bonis aduentitiis filij: bonorum item mobilium, filio in bellum, vel in seruitium principis proficiscenti, praterea librorum, valida sit, nec conferri debeat.*

4 *Donatio simplex facta à patre filio emancipato, aut à matre vel auis maternis aut auia materna, filio emancipato aut non emancipato, statim valet, etiamsi ei non sit facta traditio.*

Donatio simplex facta filio, extra potestatem constituto, insinuari debet, si summam excedat.

6 *Donatio simplex facta filio emancipato conferenda est.* B

7 *Donatio simplex facta filio in potestate existente an conferri debeat.*

8 *An donatio simplex facta à matre auis maternis, aut ab auia paterna, debeat conferri.*

9 *Quid circa prædicta iure Lusit. obtinet.*

10 *Moderata alimenta liberis egentibus, etiam coniugatis à parentibus præstita, conferri non debent.*

11 *Quid circa validitatem & collationem donationis simplicis à parentibus liberis factæ, ius Castellæ statuat.*

VTRVM DONATIONES SIMPLICES parentum in filios adducendæ sint ad partitionem.

DISPVTATIO 243.

1 *Ius commune.* OBseruandum est, de iure communi donationem simplicem patris ad eum filium, qui sub ipsius est potestate, inualidam esse, nisi à patre sit ei facta traditio. Præterea esto traditio sit ei facta, integrum esse patri illam reuocare interim dum viuit: quod si eam non reuocet, morte patris confirmari: fieriqué validam omnino, atque retrotrahi ad tempus in quo facta fuit, vt, vna cum re donata, fructus etiam inde percepti ad eum filium spectent. Modo, si ei facta fine insinuatione fuit, non excedat quantitatem, quam fine insinuatione permissum est donare: alioquin per solam mortem patris non cõfirmatur quoad excessum, nisi tempore mortis expresse pater donationem confirmaret: nam tũc valeret, etiam quoad excessum, non quidem vi donationis, sed legati, quod insinuationem non exigit, vt, in quacunque quantitate factum, validum sit. Hæc patent ex *l. donationes 1. iuncta glos. ibi in verb. referatur* C. *de donat. inter virum & vxorem, ex l. 2. iuncta glos. in verb. familiæ* C. *de inoffi. donatio. l. cum rebus* C. *de donationibus l. 4. tit. 15. part. 6.* & aliis iuribus, & affirmant Ant. Gom. *2. tom. var. resol. c. 4. in fine, & ad l. 17. Tauri n. 8. & ad l. 29. n. 26.* Cou. *cap. Raynaldus de test.* §. *2. n. 6.* Greg. Lopez *ad l. 4. citatam*, Nauar. *in Manuali capite decimo septimo n. 146.* iuncto 149. & alij Doctores communiter.

2 Si tamen donatio simplex facta à patre filio in eius potestate constituto confirmaretur iuramento, valida statim esset, esto nulla facta eét traditio. quoniam, cum mala & prohibita non sit, sed solum reddita nulla iure positiuo, vires ex iuramento assumeret, iuxta ea quæ disp. 149. & 150. dicta sunt. Excipe in hoc Lusitaniæ Regno, nisi à Rege obtẽta esset facultas, vt ea donatio iuramento confirmaretur, iuxta ea quę disp. 149. citata dicta etiam sunt. Donatio

3 ꝓterea vsusfructus in bonis aduentitiis eius filij, cui vsusfructus condonatur valida etiam est, vt disputat. 8. ostensum est. Item donatio bonorum mobilium filio proficiscẽtiin bellũ, aut vt insumat in aula & seruitio Regis, statim valet: bonaque illa castrensia efficiuntur, vt disputat. 239. dictum est. Tametsi A in hoc Lusitaniæ regno teneatur restituere patri, quę superfuerint, vt ibidem dictũ est. Prꝛterea libri, qui donãtur illi, qui in procinctu est, vt facultatem, quam didicit, exerceat, aut aliquid aliud ad exercitiũ eius facultatis conducens: hæc. n. quasi castrensia bona illius efficiũtur, vt disp. 231. explicatum est. De his tamen quasi castrensibus bonis dubium esse non potest, quin filius, neque conferre, neque computare ea in sua legitima teneatur: atque eiusmodi donationes potius cum donationibus ob causam, quam cum simplicibus, de quibus modo est nobis sermo, sunt computendæ.

De eodem iure communi, donatio simplex facta 4
à patre filio emancipato, aut à matre, vel auis maternis, aut auia materna (idem erit hodie in hoc Lusitaniæ regno ab auo paterno) filio siue emancipato, siue non emancipato, valet statim, etiamsi facta ei nõ sit traditio. Ita habetur, *l. cum de bonis, & l. cum ves.* C. *de donat.* Idẽ probant *l. donationes 1.* C. *de inoffi. donat. inter virum & vxorem, & l. 2.* C. *de inoffi. donat.* & affirmant Ant. Gom. *2. tõ. var. resol. c. 4. in fine, & ad l. 17. Tau. n. 8. & ad l. 29. n. 26.* & alij Doctores cõmuniter. Ratio autem est, qm̃ sub nullius horum est potestate, quod erat in causa, vt donatio patris ad filium sub potesta te ipsius constitutum inualida esset, nisi & facta esset traditio, & patris morte confirmaretur. Obserua tñ 5
si donatio simplex facta filio à parente sub cuius po testate non est, insinuata nõ sit, summamque excedat, quæ fine insinuatione donari potest, inualidam C esse quoad excessum, sicut & aliæ factæ extraneis.

De eodem iure communi, donatio simplex facta 6
à patre filio emancipato conferenda est, vt habetur *l. vt à liberis in fin.* C. *de collatio.* illis verbis. *Emancipatis videl. liberis vtriusq; sexus pro tempore præcedentium legũ, ea quæ in ipsa emãcipatione à parentib. suis (vt fieri assolet) consequitur, vel post emancipationem ab eisdem acquisierint, & collaturis.* Idem aperte habetur *l. 4. tit. 15. p. 6.* argumento à cõtrario sensũ: & affirmant Bar. & cõmunis Doctorũ sententia, quam referunt ac sequũtur Greg. Lopez ibi, & Ant. Gom. ad *l. 29. Tau. n. 26.*

De eodem iure communi, donatio simplex facta 7
à patre filio sub ipsius potestate existenti, siue statim valeat, siue patris morte confirmetur, non est cõferenda, atque adeo nec assumenda in legitima ipsius portione. Duo casus excipiuntur. Primus est, qñ pa- D ter statuit vt cõferretur. Modo id statuerit qñ donabat aũt anteq̃ donatio confirmaretur, redderetur q; irreuocabilis. secus aũt si post q̃ iam esset firma & irreuocabilis: nã tunc p̃ceptum non obligaret. Secũdus, qñ alius filius cõferre tenetur donationem ob causam, aut aliam simplicem: tunc. n. ne daretur ea inæqualitas, teneretur his alius conferre simplicem donationem sibi factam. nisi alteri remitteret obligationem conferendi donationem, q̃ sine tali remissione conferre teneretur. Si tamen illi alter filius solum teneretur conferre donationem aliq̃ ob causam, huic vero duplex donatio à patre esset facta, vna simplex, & alia ob causam, satis si hic conferret solũ donationẽ ob causam, satis esset; nam eo dato, E seruaretur æqualitas. Hæc omnia patent ex *l. illud* §. *penult. & §. vlt. iuncta Glos. vlt.* C. *de collat. & ex l. 4. tit. 15. p. 6* affirmatque communis Doctorum sententia quam Greg. Lopez ibi, & Ant. Gom. ad *l. 29. Tau. n. 26.* referunt ac sequuntur. Neque forte refragatur Cou. *c. Raynaldus de test.* §. *2. n. 6.* qui obscure loquitur, affirmatque eam donationem factam filio familias quę patris morte confirmatur, conferendã quidem non esse, at vero imputandam esse filio in legitimam portionem. Loqui nam q; videtur, qñ pater minus legitima portione ei reliquit, id q; ad effectũ, vt agere non possit querela inofficiosi testamenti aduersus patrem. neq; iura, quæ ad hoc confirmandum citat, id sufficienter probant. Prꝛterea, violenta satis expositione interpretari conatur *l. 4. Castellæ citatam* quæ de collatione agit, affirmatque talem

filium

filium debere habere eam donationem præcipuam (exceptis duobus casibus supra explicatis) & accipere portionẽ integram ipsum in bonis patris defuncti contingentem. Meliis Greg. Lopez ad *l.3.tit.4.part.5.in verb. En su parte*, ait, eam legem tertiam, quæ statuit, donationem factam filiofamilias à patre esse inualidam, tenerique talem filium adducere ad partitionem, computareque eam in suam portionem, conciliandam esse cum *l.4.tit.15.part.7.& cum l.illud* C. *de collationibus*, vt intelligatur solum in illis duobus casibus, in quibus hæ duæ leges id faciendum præcipiunt, nempe quando pater id statuit, & quando aliquis alius filiorum adducere teneretur ad partitionem donationem ob causam, aut aliquam aliam: eodemque modo intelligendos esse Bart. & quosdam alios, qui idem interdum sonant, quod lex illa tertia Castellæ.

8 De eodem iure communi, donatio simplex facta matri, ab auis maternis, aut ab auia paterna, conferenda non est, nisi in duobus illis casibus, nempe quãdo parens, qui donauit, id præcepit, aut quando aliquis cohæredum conferre tenetur donationem factam sibi ab eodem parente ob causam. Ita habetur *l.illud §.pen. & §.vlt.* C. *de collationibus*, & affirmat communis Doctorum sententia, quam sequuntur Ant. Gom ad *l.29.Tau.num.26.* & Gregor. Lopez. ad *l.4.tit.15.p.6.glos.1.* Ratio autem cur eiusmodi donationes conferendę non sint, cum tamen adducendæ ad partitionem sint, quæ à patre filio emancipato sunt factæ, reddit, post Ant. Gomez. *loco citato.* Circa hactenus dicta de collatione harum omnium simplicium donationum, *l. glos. vlt. in aut. ex testamento*, iunctis additionibus omnibus illius glossæ, C. *de collationibus* & comperies, tandem glossam, iunctis additionibus, in his omnibus nobiscum cõsentire. Hæc sunt, quæ de iure communi sparsim, satisque inuolute, de simplicibus donationibus, earumque collatione constituta sunt.

9 *Ius Lusit.* Quod ad ius Lusitanum attinet, nihil innouatum video, quoad validitatem eiusmodi donationum. Quoad collationem autem, *lib.4.ordin.tituł.77 §.1.* sancitum est, vt omnia vniuersim donata à parentibus afferantur ad partitionem cum fratribus, etiam si donationes simplices sint, atque ita vsu est receptum. Excipitur vsus con donatus filiofamilias: nã lex illa intelligenda est, de donatis ex bonis propriis parentum. Excipitur præterea, si quid eo ipso quod donatum est, efficiatur castrense aut quasi castrense bonum filiorum, vt ex eisdem ordinationib. constat, & suis locis est explicatum. Si vero aliquid à parentibus filiis esset donatum, quod, conditione parentum & filiorum attenta, modicum quid esset, neque limites egrederetur donationum, quas ad parentes pro administratione suorum bonorum facere spectat, id sane conferendum non est, neque parentes in tertio, de quo libere possunt disponere, tenetur id accipere, vt & ratio præscribit, & vsus obtinet.

10 Quod etiam parẽtes filiis etiam coniugatis, egentibus ac alimenta moderate darent, conferendum non est: quoniam potius est persolutio debiti, quo parentes in eo euentu liberis tenentur, & è contra liberi parẽtibus, vt supra suo loco dictum est, quam donatio: neque parentes tenentur id sumere in tertio suorum bonorum.

Quod ad ius Castellę attinet, hodie post *l.17.Tau.* quæ est *l.1.tit.6.lib.5.nouæ collectionis iuncta l.26. Tauri* quæ est, *l.10.tit.6.citato*, si de validitate donationis sit sermo, omnis donatio simplex facta filio, siue in potestate, siue emancipato, & siue à patre, siue à matre, aut ab aliis ascendentibus, valida est, esto non sit facta traditio: attamen tunc reuocari potest pro libito vsque ad mortem parentis, qui illam fecit. Si vero sit facta traditio, etiam per solam clausulam constituti, est omnino irreuocabilis & firma. Vnde corrigitur ius commune. In primis, quia donatio à patre filiofamilias sine traditione, valida est, vt confirmetur morte patris: cuius contrarium iure communi erat dispositum. Deinde, quia donatio facta eidem filio coniuncta cum traditione statim est firma & irreuocabilis: cuius contrarium dispositum erat de iure communi. Tertio, quia donatio facta filio emancipato aut à matre vel ab aliis ascendentibus sine traditione, statim erat firma, & irreuocabilis de iure communi: de iure autem Regni Castellæ semper est irreuocabilis vsque ad mortem donantis. In his conueniunt Greg. Lopez ad *l.3.tit.4.part.5.verb. Nouel dria & Cifuentes ac Palacios Rubios* citati ab Ant. Gom ad *l.17.Tau.n.9.* Ant. autem Gom. *ibidem & l.29.in calce num.30.* contrarium affirmat, nempe quoad validitatem donationum, nihil in Regno Castellæ esse innouatũ. Sed placet prior sententia quam aperte sonant iura citata. Argumẽtatur Ant. Gomez. quod ex hac sententia sequeretur, legatum relictum à patre filio aut filię, secuta traditione, non posse reuocari, cum etiam de legatis prædictæ leges Castellę loquantur: quod tamen est falsum: cum legatum semper retineat rationem vltimæ voluntatis quæ ante mortem potest reuocari. Dicendum tamen est lege 17. dũ sermo fit de traditione, quæ meliorationem irreuocabilem efficit, aperte traditionem coniungi cum solo contractu inter viuos, neq; lex illa vult idem esse in vltima voluntate. *Argum.* *Dissoluitur.*

11 Quod attinet, vtrũ simplex donatio conferenda fit dicendum est. Donationem omnem simplicem de iure Regni Castellæ, siue per vltimam voluntatem, siue contractu inter viuos alicui filiorum, aut descendentium fit facta, conferi eo ipso melioratione in tertio & quinto, esto à testatore aut donante non exprimatur, ac proinde non esse conferendam nec computandam in legitimam, sed eum, cui facta est, habere illam prę cipuã. Quod si tertium & quintum excedat, incrementum comptutandum esse in legitima. Si vero excedat legitimam, & tertium ac quintum, tunc quoad incrementum esse inofficiosam & inualidam. Ita habetur *l.16.Tau.* & affirmant Ant. Gom. ad *l.29.Tau.in calce n.29.& n.2.* Couar. *c. Reynaldus de test. §.2.n.vlt.* & Gregor. Lopez *ad l.3.tit.4 part.5.verb. En su parte.* Quod si obiicias legem 29. Tauri, quæ statuit, filios, si partem in hæreditate defuncti habere velint, teneri adducere ad partitionem dotem donationem propter nuptias, & alias donationes, quas ab eo parẽte acceperant, vbi aperte innuitur, omnes vniuersim donationes conferendas esse, computandasque in legitima. Respondent optime Ant. Gõ. & Cou. *locis citatis*, ibi sermonem esse de aliis donationibus ob causam, quales erant dos, & donatio propter nuptias, non vero de simplicibus donationibus, de quibus *l.26.* est sermo sicque duo illa iura optime inter se consentire. *Obiectio.* *Diluitur.*

SVMMARIVM.

1 *Donatio remuneratoria quæ censeatur: & num.4.*
2 *Si merita æqualia sint in omnibus liberis, donatio remuneratoria non habet locum.*
3 *Donatio remuneratoria non confertur, nisi quatenus excedit.*
5 *Vtrum remuneratio sit donatio, debent probari merita, nec iuramentum parentis sufficit.*
6 *An satis sit esse debitum ex honestate morali, vel requiratur, vt debitum sit ciuile & ex iustitia.*
7 *Donatio remuneratoria ex quibus bonis deduci debeat.*

REMVNERATORIA DONATIO PArentum ad liberos an sit conferenda.

DISPVTATIO 244.

1 SErmo est de donatione obsequiis & industria, quidem ordinaria, sed extraordinaria alicuius filiorum

filiorum, quæ multum vtilis parenti fuit, & pro liberalibus donis alicuius, similiter filiorum, qui vel opificio in domo patris multa lucratus est, quæ iuxta dicta dispu.234.poterat sibi accipere & patri reliquit, vel alia via dono illi tribuit. Quando autem eiusmodi omnia beneemerita æqualia in filiis omnibus essent, locum non haberet remuneratoria donatio, quam vnus filiorum præcipuam ea de causa in bonis patris haberet.

2 Barr. *in tract. de duobus fratribus, & l.1.§. nec castrense ff. de collat. bonorum*, Nau. *in Manu. c. 17. num.144. & quatuor sequentibus*. Sylvest. *verb. pecul. 1. q.19.* & latius *verb. donatio 2. q.7. pronuntiato 13.* Anton. Gom. ad *l.9. Taur. n.33.* Couar. *c. cum in officiis de test. num.11.* & alij quos referunt, in ea sunt sententia, vt dicant, filium non teneri eam donationem cõferre, sed habere illam præcipuam. Quod Nauar. intelligit, etiam de donatione à parente facta cuicunque filiorum pro quocunque labore, industria & obsequio, quę plusquam alij filij ipsi exhiberet, iuxta ea quæ disputatione 234. ex illius mente retulimus, & quibus non acquieuimus.

3 Ducuntur hi authores, quoniam eiusmodi remuneratoria donatio non est simpliciter donatio, eo quod fit de re ex gratitudinis virtute, moralisq; honestate debita, ea de causa computanda, non sit cum aliis donationibus, de quibus controuersia est, an conferēdæ sint, nec ne: quippe per eam vnus filiorum præ aliis obtineat quod sibi à parente modo prædicto erat debitum. Si tamen donatione rita excederet, tunc quoad excessum non esset remuneratoria, vt de ea nunc loquimur. Quamuis enim gratum hominem deceat remunerare vltra obsequia & beneficia sibi impensa, non tamen id facere potest ad effectum, vt præiudicet legitimis aliorum filiorum.

4 Quando constat de meritis facta filio à parente censetur remuneratoria: quando vero de eis non constat, affirmant Doctores citati standum non esse iuramento parentis, quo inter merita præcessisse, eaque de causa donare nisi merita probentur: eo quod agatur de præiudicio fratrum. Si tamen donatario constaret de meritis id sufficeret in conscientiæ foro, vt restituere nõ teneretur ita donatum, aut vt efficere posset occultam compensationem.

5 Pinellus *l.1. de bonis mater. p.3.4 nu.59. præsertim nu.62. corol.11.* censet, non satis esse debitum ex honestate morali, sed necessarium esse debitum ciuile & ex iustitia, vt hoc & priuilegia alia quę Doctores communiter solent eitribuere, competant donationi remuneratoriæ: vnde conferendam eam censet. Id confirmat, quoniam filij reddere non possunt parentibus obsequia & beneficia æqualia iis, quæ parentibus debent: quare neq; ex gratitudine parentes eis tenentur.

Pinelli sententia.

Eam confirmat.

6 Non est tamen recedendum ab illa alia sententia, quam Pinellus cõmunem fatetur. Vnde negandũ est, vt illam præcipuam filius habeat, non satis esse verum debitum ex honestate morali ac gratitudine. Ad confirmationem dicendum est, quemadmodum nihil impediente beneficio longe maiori vitæ & aliorum bonorum, quæ filij à parentibus recęperunt, esse potest interdum debitũ ciuile atque ex iustitia, quo parens filio teneatur, vt si vsurpet vsumfructum bonorum aduentitiorum filij, quando ad filium & non ad patrem spectat, & in multis aliis euentibus: ita posse esse debitũ ex gratitudine & honestate morali, præsertim, quod ratio postulet, vt potius vni quam alteri exhibeatur, saltem quia meritis vnius debetur talis retributio, & nõ alterius: eo modo quo licet Deo retribuere nõ possimus tantũ obsequij quantum ipsi debemus, meritis tamen nostris debita est retributio vitæ æternæ, & quãdo nobis confertur, accipimus quod nobis est debitum.

Refellitur.

Ad confirm.

Dubium tamen est, vtrum quamuis remuneratoria eiusmodi donatio patris ad filium conferenda non sit, sed filius præcipuam habere debeat vltra suam legitimam, sit nihilominus extrahenda de sola portione patris, de qua potest libere disponere, an vero de toto bonorum acerno, ita vt legitimę filiorum minuantur ea de causa, & parens in hoc Lusitaniæ regno disponere possit de toto tertio, & in regno Castellæ de toto tertio & quinto. Couar. *loco citato* arbitratur, quando non interuenit debitum ex iustitia, deducendam esse, non de toto acerno, sed tertio & quinto defuncti. Confirmat id ex *glos. vlt. authentica, vnde si parens, C. de inoffi. testa.* quæ ait; propter donationes minuendas non esse portiones legitimas filiorum. Glossa tamen illa quæ à Doctoribus citatur etiam in contrariam sententiam, neutri parti fauet: quia in ea nullus est sermo de donatione remuneratoria. Dicendum vero est cum communi Doctorum sententia deducendas esse de toto acerno tanquam æs alienum, siue inter viuos fiant, siue per vltimam voluntatem.

Sententiæ hactenus definitę non refragantur ordinationes Lusitaniæ *libr.4. tit.77.§.1.* quatenus statuunt, donationes omnes ibi sermo est de propriis donationibus, non vero de impropriis, quales sunt, quæ ob merita vni filiorum debentur præ aliis, in quibus neq; reuocatio propter ingratitudinem habet locum, neque insinuatio est necessaria, vt Doctores communiter affirmant, & alio loco dicetur. 7

SVMMARIVM.

1 *Quid iure Lusitaniæ ratione portionis, quæ partitionem petenti, interim dum ea ob absentiam cohæredis, qui citari non potest, nec cito venturus est; dissertur, assignatur, censendum sit.*

2 *Si quis cohæredum absens citari & admoneri possit; quid pendente citationis tempore faciendum.*

3 *Si absens citatus & expectatus non compareat.*

4 *Quando res aliquæ commode diuidi nequeunt, quo iure vtendum.*

5 *Qualiter diuisio fieri debeat cum parente superstite, si aliqui ex liberis minores sint.*

6 *Si maritus aut vxor dissoluto morte alterius matrimonio, fructibus aut pecunia hæreditatis quid emant aut lucrentur, ad quid liberis aut hæredibus alterutrius teneatur.*

7 *Quousque audiri nequeat, qui partitionem bonorum non tradit.*

8 *Penes quem munimenta & scripturæ hæreditatis esse debeant.*

9 *Iudex partiendo hæreditatem vel partitionem confirmando præcipere debet, vt hæredes inuicem de euictione caueant.*

10 *De iure communi quatenus hæredes sibi mutuo de euictione teneantur.*

11 *An partitio in præsętia omnium hæredum facta & subscripta, retractari possit.*

12 *Minor in partitione læsus quamdiu aduersus eam restitui possit.*

NONNVLLA IN COMPLEMENTUM tractatus de partitione bonorum.

DISPVTATIO 245.

DE iure Lusitano *lib.4. Ord. titul.77.§.14.* statuitur. Si quis parentum, aut quicunque alius, hæreditatem obtineat ex qua partitio alicui alteri tradi debeat, isque, cui partitio est tradenda illum alium citet, & coram iudice petat, vt partitionem sibi tradat: citatus vero id recuset, eo quod fratrum aliquis aut hæredum absens sit, nec cito sit venturus, nec 1

possit

Posit vocari, vt per se, vel aliũ ad partitionẽ accedat tũc iudicẽ teneri adire locũ vbi hæreditas est sita, aut eo aliquẽ destinare, qui tãtã portionẽ hęreditatis petẽti partitionẽ tradat, quantã existimatur fore illi obuenturã, vt eã colat, & ea potiatur interim dum partitio nõ fit. Hũcvero tempore partitionis habere sibi præcipuos omnes fructus inde perceptos; solũq; teneri adducere ad partitionẽ id, q̃ de hæreditate sibi fuit traditũ. Quod si id notabiliter meliorauit, teneri cohęredẽ, aut cohęredes, equalẽ meliorationẽ in bonis reliquis adducere ad partitionẽ aut illi persoluere portiones talis meliorationis, quæ ipsos cõtingũt.

2 Quãdo aliquis fratrũ, aut cohæredũ est absens in loco certo, vbi citari & admoneri potest, vt per se, vel per aliũ ad partitionẽ accedat, esto alij partitionẽ petãt: nõ debet eã exhibere is, qui in possessione est bonorũ defũcti, quousq; ille alius admoneatur ac citetur, cõgruoq; tẽpore expectetur; attamẽ vnicuiq; præsentiũ tradi debet portio fructuũ hæreditatis, quęad ipsũ spectat, iuxta proportionẽ partis hęreditatis, quę vnũquẽq; cõtingit; atq; in eadẽ proportione persoluet vnusquisq; partẽ expẽsarũ, aut ex fructibus ipsis, priusquã diuidatur, extrahetur. Portionẽ vero fructuũ quæ ad absentẽ spectat, seruabit illi is, qui inposs sessione est bonorum. Hæc habentur *tit. 77. cit.* §. 17.

3 Quãdo partitio corã iudice petitur, atq; vel is, qui est in possessione bonorũ defuncti in mora est illam tradendi, vel aliquis eorũ eã accipiendi, saltem quia, cũ absens sit, citatus & expectatus est tempore congruo, & neq; per se neq; per alium ad partitionem accessit; tunc reliquis, in modũ pignoris, tradendæ sũt portiones, quæ vnumquemq; contingunt, neq; hi postea fructus inde perceptos afferre tenentur ad partitionem, sed habent illos præcipuos, esto alius postea velit, vt iterum partitio fiat. Ita habetur *loco cit.* §. 16.

4 Quãdo res aliquæ non possunt cõmode diuidi in partes, siue illæ mobiles sint, vt mancipium, equus, & similes, siue immobiles, vt molendinũ, domus, & alia eiusmodi (cum quibus cõputa, quæ non sine earum notabili iactura diuidi possunt, vt est interdum vncia, iuxta *l. 10. tit. 15. par. 6.* iunctis, quæ cum aliis ibi Greg. Lopez in ver. *casa o vinna*, notat) ita inter cohæredes, aut socios, sunt diuidendæ, vt, compensatione quarundã rerum cum aliis de cõmuni ipsorum consensu, vnusquisq; portionem, quæ ipsum contingit, de bonis illis cõmunibus accipiat. Quod si in re aliquã, aut in aliquibus rebus, omnino nõ cõuenerint; deuenitur ad licitationem, vt qui plus pretij pro illa obtulerit, siue is sit de numero cohæredum siue aliquis extraneus, eam accipiat, pretiumq; inter cohæredes diuidatur. Si vero, qui partem maiorem in ea re habet; æquale pretium offerat: ita vt nõ sit, qui plus pro ea dare velit; tũc ipse, rõe maioris partis quã in ea habet, præfertur aliis, vt cũ Baldo & aliis notat Greg. Lopez *l. citata*. Quod si nec sic ad exitũ perduci possit partitio; neq; aliter cohæredes inter se cõueniant; de iure Lusitano *lib. 4. ord. tit. 77. §. 18.* statuitur, vt eares locetur, & pensio, quæ pro ea quotãnis soluetur, inter cohæredes diuidatur. De iure tamen cõmuni, *quædã actiones insti. de actionibus, &* §. *familiæ erciscun. insti. de offi. iud. l. item l. ab eo, & l. antepen. ff. famil. ercis. & l. 10. tit. 15. p. 9.* atq; aliis iuribus iuncta glossa *l. 2. ver. partitionibus* C. *quando, & quibus lib. 10.* præcipitur iudici, vt, cui melius ex cohæredibus censuerit, adiudicet eã rem, eiq; præscribat quantũ pretij cuiq; ex cohæredibus soluere debeat. Deniq; ei cõceditur, vt difficultates, quæ circa partitionem occurrerint, suo iudicio dirimat, prout cõmodius iudicauerit, cohæredesq; parere cogat. Quin eidem cõceditur, vt si in cõfiniis prædiorũ rusticorũ aliquid corrigi, aut mutari iudicauerit, ad perspicuitatem maiorem, difficultatesq; in posterum tollendas, id efficiat, adiudicando vni partem prædij alterius, eiq; præcipiendo, vt in pecunia alteri soluat, quantum id æstimabatur. Ita habetur *l. 2. 3. & 4. ff. finium regundorum & l. 10. citata.*

Iure Cæs.

Iuscommune.

A Quãdo morte vnius parentũ, superstite altero, remanent multi filij defuncti, quorũ aliquis ad vigesimũ quintũ annũ nõ peruenit, reliqui, qui maiores fuerint, partiri poterunt bona cum parente superstite, tã suo, quã minoris, aut minorum nomine, modo tamẽ iudicis orphanorũ autoritas ad id accedat. Postquã vero ita facta fuerit partitio cũ parente superstite, iudex præscribit: qui loco minoris partitionem cũ fratrib. maioribus efficiat, validaq; erit partitio, eopacto cõfecta. Ita de iure Lusitano sanctũ est *tit. 77. cit.* §. 19.

Quãdo matrimoniũ mediętatis cõtractu fuit celebratum, &, defuncto marito, vxor superstes manet, si antequã filiis ma riti, aut aliis illiũs hæredibus, partiB tionẽ bonorum tradat, fructibus aut pecunia hæreditatis aliquid emat aut lucretur, tenetur id totũ, vna cum hæreditate & fructibus remanentibus adducere ad partitionem, esto illa ante talem partitionem ad secundas transierit nuptias. Si tamen filij, aut alij hæredes mariti, potius voluerint, vt ad partitionẽ afferat hęreditatem & fructus omnes inde perceptos, seu eorum æstimationem, atq; *os reconoci*, quos vocãt, bonorum hæreditatis optio est, penes ipsos, vt vel hæc empta & lucrata cogatur adducere. Idem est, si defũcta vxore, & superstitibus filiis solius vxoris. & non mariti, aut aliis hæredibus vxoris, maritus ante partitionem fructib. & pecunia hæred. tatis aliquid emat aut lucretur. Quando nãq; superstites essent filij cõmunes vtriusq; coniugis tunc id locum non habet: C quoniam vsus fructus bonorum, quæ ex matre ad tales filios spectant, pertinet ad patrem. Hæc omnia habentur *lib. 4. ord. tit. 77. §. 20. & 21.*

Quãdo qui partitionem bonorum tradere tenetur, in possessione est eorum, siue is filius sit, siue alter coniugũ quousq; audiri nõ debeat antequã partitionẽ incipiat & absoluat & quousq; alij qui in possessione nõ sũt debeãt audiri, lege *tit. 77. cit. a* §. 23. *vsq; ad 28.*

8 Si quæ priuilegia, aut scripturæ aliæ omnibus, aut pluribus hæredibus cõmunia, reperta fuerint in bonis defuncti, & defunctus vni hæredum ea prælegauit is obtinere ea debet: sed prius quam illa accipiat, tradere debet publicum transumptum aliis hæredibus petentibus insuper tenetur præstare cautionem, se editurum ac producturum originale in iudicio aut extra iudicium, quoties cuiq; hæredum opus fuerit D *l. Pomponius in princ. & §. 1. ff. famil. ercis. & l. 8. tit. 15. p. 6.* Hac eadem ratione, si lucrum, qui negotia testatoris gerebat, alicui legasset, non prius legatario esset tradendus, quam rationem omnium integram reddidisset, vt habetur duobus iuribus citatis. Quod si priuilegia, & aliæ scripturæ hæredibus cõmunes, nulli eorum essent prælegata; tunc illa obtinere debet, qui in maiori bonorum parte fuerit hæres institutus præstito similiter transumpto cæteris cohæredibus id petentibus, & cautione, se originale editurũ quoties illo indiguerint. Ita habetur *l. si quæ sunt cautiones ff. famil. ercis. & l. 7. tit. 15. p. 6.* Si vero nullus in maiori portione sit hæres institutus, quã alij tunc is, qui honoratior, attentisq; omnibus circumstantiis, aptior ad id fuerit, debet illa similiter obtinere modo tamẽ mulier non sit: nam hæc semper est postponenda. E ta habetur *l. 7. citata*, & consentit *l. procurator, iuncta gl. & doctoribus ibi* C. *de edendo*. Ex eo autem, quod peracto iam negotio alius aptior multo efficiatur, non sunt eiusmodi scripturæ ab eo auferendæ, cui prius erant traditæ aut à suis hæredibus. Secus autem si indignus omnino sit qui illas custodiat, vt cum Baldo & aliis notat Greg. Lopez *l. 7. citata*. Quod si nullus hæredum in maiori portione hæreditatis sit institutus; neq; notabiliter cæteris aptior iudicetur, vt illas custodiat, tunc sortiri inter se debent, quis possidere eas debeat, vel de communi cõsensu tradendæ sunt cuidam tertio, qui earum sit depositarius, aut certe deponi debent in monasterio aliquo, aut in alia æde sacra. Ita habetur *l. si quæ ff. famil. ercis. & l. 7. citata*.

Facta bonorum partitione inter hæredes siue iu- 9

dicis autoritate facta sit, siue ad eum accedatur vt au A toritate sua illam confirmet, iudex præcipere debet vt sibi mutuo caueant, quod, si quid euincatur, reliqui hæredes teneantur de euictione, reducēdo adæqualitatem partitionem perinde atq; si illud repertum nunquam fuisset inter bona defuncti. Ita habetur *l. hæredes §. vlt. vers. item curet ff. famil. ercis. & l. 9. ti. 15. p. 6.* Quamuis autem ea cautio præstita non sit, adhuc agetur similiter de euictione, vt habetur expresse *l. si familiæ C. famil. ercis.* & notant glossæ ibi, & glos. *vers. item cur citato.* Azo & Greg. Lopez, Doctoresque communiter. Si tamen hæredes conuenirent, vt nul lus reliquis de euictione teneretur; sane tūc, quia pactum, & commodum ac damnū omnibus essent æ- B quale, dē euictione nō teneretur, vt habetur expresse *l. si familiæ citata*, & affirmant glossæ citatæ, & Doctores communiter. Quando à testatore, vel dum vi ueret, vel in testamento, diuisa esset hæreditas, quis quæ bona inde accipere deberet, tunc nullus hæredum teneretur alteri de euictione *l. cū pater §. euictis ff. de l. 2. & l. 9. tit. 15. p. 6* & affirmat glos. *l. si familiæ C. famil. ercis.* Excipitur, nisi, quod euinceretur, minueret legitimam portionē tali hæredi debitam: dispositio namq; testatoris impedire nequit quominus qui tiis hæredum integram legitimam portionē sibi debitam in illius bonis recipiat. Excipitur etiā nisi constaret contrariā fuisse voluntatē testatoris argumento textus in *l. si cogitatione C. familiæ ercis.* consentitq; C in his Gr. Lop. *l. 9. citata* cum Bart. & aliis, quos citat.

11 Si bonorum partitio facta fuerit in præsentia fratrum, aut hæredum omnium, eo ipso, quod absoluta est, atque ab omnibus subscripta, non potest deinceps reuocari, esto eorum aliquis aduersus illam velit opponere. Excipitur, nisi opponat se deceptū fuisse vltra dimidium iusti pretij, idque prius probet, perinde atque in contractu emptionis ac venditionis, vel in quouis alio. Excipitur etiam nisi hęredum aliquis intra annum, postquam sic absoluta fuit, opponat ac probet, se læsum fuisse in sexta parte quantitatis, quam habere debebat, eo quod error interuenerit in ea efficienda: factaque aliter fuerit, ac facienda erat: tunc enim partitio reuocetur. Ita habetur 4. *lib. Lusit. Ord. tit. 77. §. 29. & 30.* Quo loco obserua *l. si soror C. de col.* statui, vt si error in partitione bonorum D interuenerit, eo quod aliquid ad partitionem ab aliquo hæredum non fuit allatum, quod tamen foret adducendum, læsum eo pacto posse iudicem adire iudicem que teneri iubere, vt id aceruo bonorū defuncti adiungatur, partemq; accipiat, qui fuit læsus. Hoc vero forte non repugnat dispositioni Lusitanarum Ordinationum: quoniam, quod hoc ita fiat, non reuocat partitionem prius factam.

Postremo obserua, quando aliquis hæredum minor erat tempore, quo partitio fuit absoluta, si se læsum inueniat, posse illam dissoluere vsque ad vigesimum nonum suæ ætatis annum per beneficium restitutionis in integrum. Ita, iuxta ius commune, disponitur *tit. 77. cit. §. 1.*

SVMMARIVM.

1 *Eo ipso quod hæres coram iudice competēte testamentum defuncti ostendit, in quo hæres institutus est, si testamentum nullum vitium manifestum contineat, hæresque petat sibi tradi possessionem bonorum defuncti: mitti continuo debet in possessionem bonorum omnium, quæ defunctus tempore suæ mortis possidebat.*

2 *Quid, si is, de quo constat legitimum esse hæredem ab intestato, coram iudice competente possessionem bonorum defuncti petat.*

3 *Quando aliquis impubes in bonis ab intestato succederet petenteque illo possessionem bonorum, ei opponeretur, non esse filium illius ac proinde ea bona ad ipsum non pertinere, quid opus facto est iudici.*

4 *Idem priuilegium conceditur matri grauidæ manenti, & nomine ventris petenti possessionem bonorum.*

5 *An pupillus ali debeat de eiusmodi bonis?*

6 *Vtrum si pupillus fuit à parente hæres institutus, locum habeat priuilegium?*

7 *Fructus hæreditatis siue ante eam aditam sint ex illa percepti, siue post, ad hæreditatem pertinent, eamque augent.*

8 *Quid, quando comperitur, non eum qui in hæreditatis possessionem missus est, sed quendam alium legitimum esse hæredem defuncti.*

9 *In priori euentu quousque indebitus possessor teneatur restituere.*

10 *Quid, si primus illegitimus hæres credens ad se delatam esse hæreditatem, antequam possessionem illius occuparet, latius res suas contemplatione talis hæreditatis expendit.*

11 *Ex eo quod is, qui bona fide hæreditatem possidebat, ex illa aut ex fructibus illius nulla donauerit, donatariosque sibi ex gratitudine ad remunerandum obliguerit, non censetur factus locupletior, si ipsi aliquid de ea causa redonetur.*

12 *Qui legitima fide possidebat, quæ restituere legitimo hæredi tenetur.*

13 *Fructuum nomine quid intelligatur.*

14 *Hæreditas, bonaque bonæ fidei possessoris, nec ab eo qui eam possidet pro hærede, nec ab eo qui eam nude possidet, qui pro possessore in iure appellatur, præscribi aduersus petentem illa tanquam legitimum hæredem spatio longi temporis, sed triginta annorum.*

15 *Qui hæreditates mala fide possedit sciens ad alium pertinere, ad quid obligetur.*

16 *Quid si post litem aduersus eum contestatam casu fortuito & absque sua culpa bona aliqua hæreditatis pereant, teneturne illi restituere, secus si ante litem.*

17 *Quid, si malæ fidei possessor de rebus hæreditariis aliquid vendidit.*

DE POSSESSIONE HAEREDI TRADĒDA, & quousq; restituere teneatur. si comperiatur, non ipsum, sed alium legit. fuisse hæred.

DISPVTATIO 246.

EO ipso, quod hæres corā iudice cōpetenti testamentū defuncti offēdit, in quo hæres institutus est, si testamentū nullū vitiū manifestū cōtineat, hæresq; petat sibi tradi possessionē bonorū defūcti, mitti cōtinuo debet in possessionē bonorū omniū, quæ defūctus tēpore suæ mortis possidebat, esto ali' qui cūq; in eorūdē bonorū sit possessione; nisi tāto tēpore bona fide ea possedisset, quātū ad illa præscribenda esset necessariū. Neq; refert, si possessor, aut quicūque alius, quicquā opponat quo obtēdat, vel ita instituū hæredē nō esse, vel ea bona ad se pertinere; nisi in cōtinēti ac sūmarie sufficiēter id probet: si. n. res indagine, lōgoq; examine indigeat, hæres scriptus mittēdus est in possessionē, id tamen nō tollit opponēti, quin postea actionē intēter aduersus hæredē institutū. Ita habetur *l. vlt. inn. l. 2. C. de ed. D. Adr. tol. & l. 1. & 2. ti. 14. p. 6.* Quod si simul aliud testū eiusdem defuncti ostēdatur in quo similiter nullum pateat vitū, neq; cōstet q; eorū fuerit posteruis cōfectū, tūc neutrum censetur validū, vt affirmat Gl. *l. vlt. cit.* & alibi à nobis dictū est, ac, pinde succedūt hæredes ab intestato. E

Simili mō quādo quis ab intestato discesisset, si is, de quo cōstat legitimū esse hęredē ab intestato, corā iudice cōpetente possessionē bonorū defūcti petat, mittēdo cōtinuo in possessionē iudicis officio, est, nisi sūmarie & incōtinēti sufficiēter alius probet, bona illa ad illū nō pertinere. Lege Greg. Lop. *l. 2. cit. gl. 1.* Quando autem multi ad iudicem accedunt, quive ab intestato, vel ex testamento omnes ius ad ea bona habent, vel se habere æque ostendunt, tunc omnes in possessionem sunt admittendi.

Quando aliquis impubes in bonis patris, aut aui pater-

paterni,ab intestato succederet,petenteque illo, aut alio loco illius,possessionem eorum bonorum,ei opponeretur,vel non esse filium illius,vel esse mancipium,ac proinde ea bona ad ipsum non pertinere;tũc iudex sũmarie cognoscere debet de eo, quod illi opponitur.Si autem,saltem verisimili aliqua coniectura,inuenerit,eum filium esse defuncti, aut mancipiũ non esse,mittere continuo illum debet in possessionem eorum bonorum:modo tamen fideiussorẽ det se ea bona restituturum,si cõtrarium probetur:alioquin in possessionem mittantur pupillus&opponẽs. Quamuis autem integrum semper opponenti maneat,probare postea,quod aduersus illum intendebat, vt causa diligentius examinetur,sententiaq; ea de re feratur;nihilominus ea quæstio,examenq; illius differtur quousq; impubes ille ad pubertatem perueniat:nisi tamen impubes,aut qui illius curam gerit,potius velit,vt statim causa examinetur; vt si id vtilius sit pupillo,quia forte facilius tunc,quam postea probabitur pupilli intentũ,aut aliqua alia ratione. Eiusmodi autem missio pupilli possessionem,atq; priuilegium,vt de illius statu non agatur ante pubertatem, carboniana appellãtur à Carbone prætore qui ea introduxit.Hæc habentur *l.1.3.& per totam ff.de Carbonian.edict.l.1.C.eod.tit.& l.2.tit.14.p.6.*Cõcedi tur vero pupillo hoc priuilegiũ, si, dum id aduersus eum opponitur,contentus sit sola possessione. Si nãque simul petat proprietatem,tunc antequam in possessionem mittatur,examinanda est causa status,qui illi opponitur,vt patet *l.3.§.mipsum ff.de Carbonian.edict.l.1.C.eod.tit.& l.2.tit.14.p.6.*

4 Hoc idem priuilegium conceditur,si mater grauida maneat,&nomine ventris petat possessionem bonorum:esto namq; illi opponatur,filium esse adulterinum,aut illam non fuisse legitimam defuncti vxorem,si tamen iudex verisimilem aliquam coniecturam inueniat,illum legitimum esse filium defuncti, licet incertam,mittere debet matrẽ lucro filij in bonorum possessionem *l.3.§.si mater ff.de Carbonian.edict.l.7.tit.22.p.3.& l.1.§.si ea &* §. *& generaliter ff.de ventre in possessione mittendo.*

5 Porro pupillus ali debet de eiusmodi bonis,&esto postea probetur non esse filium talis defuncti,non tenetur restituere bona ita consumpta,nisi simul probetur malitiose id fuisse assertum *l.vlt.tum.gl.ibi C.de Carbonian.edict.l.qui de inoffic.ff.de inoffic.testa.l.7.tit.22.p.3.l.2.tit.14.p.6.* & aliis iuribus.

6 Vtrum autem,si pupillus fuit à parente hæres institutus,locum habeat priuilegium *Carbonian.edict.*Lex.§.*Pomponius,& l.cum filio ff.ad Carbonian.* negare videntur. Affirmat tamen *l.2.tit.14.p.6.* Quod intelligendum est saltem quoad dilationem controuersiæ de statu vsq; ad pubertatem,si quis aduersus eum obiiciat,non esse filium,vt patet ex *l.1.§.inanimus,& ex l.de bonis ff.de Carbonian.* Quod locum habet,etiam quando negatur filius matris,cui ab intestato,vel ex testamento vult succedere,aut quando negatur frater eius cui ab intestato vult succedere,vt habetur expresse *l.de bonis citat.*,& consentiunt Bart.&alij quos Greg.Lopez.*l.1.tit.*refert ac sequitur. Verũ iurisperiti hæc latius persequãtur. Hactenꝰ de primo corũ, quæ proposita sũt.

Quod vero attinet ad secundum, supponendum
7 in primis est,fructus hereditatis siue ante eam aditam sint ex illa percepti,siue post,ad hæreditatem pertinere,eamq; augere,vt habetur *l.item veniunt §.fructus l.illud quoque §.prædo.ff.de petit.hared.*

Hoc ita constituto,quando comperitur,non eum
8 qui in hereditatis possessionem missus est,sed quendam alium legitimum esse hæredem defuncti,distinguendum est. Quoniam vel prior ille bona fide possedit,vel mala.

In priori euentu,tã in conscientiæ, quam in exteriori foro,solum tenetur restituere id, quod ex fru
9 ctibus percepris extat,&quantum ex consumptis factus est locupletior,quia videlicet propter illos plus

A habet in bonis,quam reipsa tunc haberet,si hæreditatem non possedisset.Idem dicendũ est de bonis ipsis hæreditatis,solum videlicet teneri ad id,quod ex illa extat,& quot ex rebus consumptis factus sit locupletior.id q; siue illam & fructus illius consumpserit dilapidando ea,ac luxuriose&perdite viuendo,siue quouis alio modo.Ita habetur expresse *l.sed & si lege §.consuluit,&* § *quod autem l illud quo pro §.in bonæ fidei ff.de pet hær.l.1.& 2.C.eod. tit.& l.14 tit.14.p.6.* Ratio a.est,quoniam, ad illa,quæ non ex ant & ex quibus factus non est locupletior, esto illa dilapidauerit ac perdite consũpserit,neq; tenetur ratione rei acceptę, neq; ratione inultæ acceptionis. eo quod non peccauerit cõtra iustitiam aduersus legitimum hæredem, excusante illum ignoranti a probabili.

B Si tamen ille primus illegitimus hæres credensad se delatam esse hæreditatem, antequã possessionem illius occuparet,latius res suas contemplatione talis hæreditatis expendit,tũc,quod ita rebus suis plus expendit,quam alioqui foret expensurus,nõ potest detrahere de hæreditate,cuius possessionem posterius occupauit.Quoniam licet occasione hæreditatis illa expenderit,nõ tamen censetur ea de hæreditate,sed de suis propris bonis expendisse.Ita habetur *l.sed & si lege §.siquis re.ff.de petit.hared.* 10

Ex eo,quod is,qui bona fide hæreditatẽ possidebat,vel ex illa vel ex fructib. illius multa donauerit, 11
donatariosq; sibi ex gratitudine ad remunerandum obligauerit,nõ censetur factus locupletior.Si tamen ipsi aliquid ea de causa redonetur cẽsetur in eo factus locupletior:quoniã censetur quasi permutatio vnius
C pro alio.Ita habetur *l.sed,& si lege §. consuluit ff.de petit. hare.*Hac ratione,si post restitutum legitimo hæredi residuum hæreditatis;aliquid antiquo possessori remuneretur restituendũ est legitimo hæredi tãquam fructus,effectusve bonorũ hæreditatis, in quo antiquus possessor maneret ex hæreditate locupletior. Quod si res ex hæreditate,aut ex fructibus hæreditatis donata,adhuc existat,vendicare illã potest legitimus hæres,tanquã rẽ ad se pertinentẽ.Exigere etiam potest, siquis inde factus sit donatarius locupletior.Si tamen,qui bona fide hæreditatẽ possidebat,bona etiam fide aliquid inde vẽdidit,& alius bona fide id emit;tunc pretiũ succedit in hæreditate loco rei venditæ *l.quod si in dubio §.vlt.si certe & pretiũ & l.sed & si lege ff.de pet.hær.* Attamẽ si legitimus hæres velit vt qui vẽdidit,redimat rẽ venditã.tenetur is id efficere pre
D tio æquali,quod pro ea accepit,si tale pretiũ adhuc in hæreditate existat,aut etiã minori,si possit minori eã redimere nõ tamẽ tenetur de suo quicquã amplius dare, vt illã redimat.Ita habetur *L.5.tit.14.p.6* Verum aũt empto restituere teneatur rẽ emptã legitimo hæredi illã vendicare volenti, & quou sq; aduersus illũ tueri se possit exceptione,lege *ibid.* apud Greg.Lop.

Qui bona fide possidebat restituere tenetur legi 12
timo hæreditũ res oẽs hereditarias,quę tẽpore litis cõtestatę extabãt,tũ etiã fructus oẽs tũc &deinceps exiũtes,& liquid etiã tũc factus fuerat locupletior,vel ex reb.hereditariis,vel ex fructibus illucusq; consũptis:quoniã ab eo pũcto nõ censetur possessor bonæ fidei,aut certe abstinere debuit à reb9 hereditarijs& fructibus illius cõsumẽdis,quousq; exitus cõtrouersiæ notæ cerneretur,vel liquid tũc inde consumere
E volebat,exitimãs bona illa ad se pertinere suo periculo debebat illud cõsumere.Si tẽpore etiã latæ sententiæ in aliquo alio factus sit locupletior, id etiã restituere debet.Ita habetur *l.si a domino §.pro tempore, iunct.Gl.abi ff.de petit.hared.*& definit. *l.4.tit.14 ex* in xta opinionẽ illius Gl.vt ibid. Greg. Lopez adnotatur,& habetur *l.sed & si l.§.si ante litem, & illa l. pro tempore ff.de petit. hared.*tenenturq; tam ipse, quã hæres ipsius,ad ea omnia à tẽpore litis cõtestatæ,quin& ad fructus,si quos cõmode inde poterãt percipere,& sua negligẽtia aut culpa non perceperũt.Eodẽ q; mõ tenẽtur ad res eiusmodi hereditarias,& fructus earũ

Hæreditatis quæ ab inde

emptores, qui poſt litem conteſtatam eas ſcienter emerunt, aut alio titulo acceperunt *l.1. & 2. C. de petit. hæred.* Si quid tamen cauſa fortuito & vniuerſim abſque culpa poſſidentis, vel ex fructibus, vel ex bonis hæreditariis poſt litem conteſtatam pereat, ad id nõ tenetur: quoniam, quod ea ratione perit, non poſſidenti, qui abſque culpa tunc non ſoluit; ſed domino perit *l. illud in princ. ff. de petit. hæred. & l. 6. tit. 14. part. 6.*

13 *Fructuum nomine quid.*

Quando autem, res cum fructibus ex ea perceptis eſt reſtituenda ſiue à bonæ, ſiue à malæ fidei poſſeſſore, nomine fructuum intelligitur, quod remanet deductis expenſis omnibus factis, tum antequam colligantur, tum in illis colligendis, tum denique in eiſdem conſeruandis, inter quas etiam computatur iuſtum præmium pro labore & induſtria appoſita. Ita habetur expreſſe *l. ſi à Domino §. vlt. de petit. hæred. l. fundus qui ff. fam. ercis. l. 4. tit. 14. p. 6.* & aliis iuribus, affirmatque communis Doctorum ſententia, quam referunt & ſequuntur Greg. Lopez ibi. & Couar. *var. reſ. c. 3. n. 3.* A decimis vero prædialibus deducendis ex fructibus perceptis, ſumptus non deducuntur, ſed integræ pertinent ad Eccleſiam. Quando item quis prædia locat alicui cum pacto, vt certam fructuum quotam ſoluat, non deducuntur ſumptus ex fructibus: quoniam ibi quaſi ſocietas initur, vt vnus prædia tribuat, alius vero ſumptus & induſtriam, & fructus omnes perceptos inter ſe diuidant. Ita Doctores, quos Greg. Lopez *ibidem* refert ac ſequitur.

14 Poſtremo circa eiuſmodi bonæ fidei poſſeſſorem hæreditatis, obſerua, hæreditatem, bonaque ipſius, neque ab eo, qui eam poſſidet pro hærede, hoc eſt, tanquam hæres, neque ab eo, qui eam nude tãquam tentor, qui pro poſſeſſore in iure appellatur, præſcribi aduerſus petentem illa tanquam legitimum hæredem ſpatio longi temporis, id eſt, decem annorũ inter præſentes, & viginti inter abſentes, ſed ſpatio dũtaxat triginta annorum, vt habetur *l. hæreditatem C. in quibus non obiicitur longi temporis præſcriptio, iuncta l. hæreditatis. C. de petit. hæred.* & aliis iuribus. Nihilominus, qui illam, vel bonũ aliquod illius, poſſidet alio titulo, nempe emptionis, donationis, vel aliquo alio, quia videlicet bona fide id emit, aut dono accepit, vel quouis alio titulo à poſſeſſore illius præſcribit, quod eo titulo poſſidet, aduerſus legitimum hæredem id petentem, tempore conſueto, nempe, ſi ſit bonũ mobile, ſpatio trium annorum, ſi vero immobile, ſpatio decẽ annorũ inter præſentes, & viginti inter abſentes, vt patet ex iuribus citatis, & ex aliis. Excipit Gloſ. *l. hæreditatem citata*, quando is, qui hæreditatem vendidit non comparet, & quando illam vendidit modico pretio & quando fiſcus eam vendidit, & quando emens ſciebat ad alium pertinere, aut emit ab eo quem ſciebat non poſſe vendere, ac proinde inualidã eſſe emptionẽ, vt ſi emit à furioſo: in his enim euẽtibus nõ præſcribitur tẽpore conſuero aduerſus legitimũ hæredem eam petentem, vt habetur *l. nec vllam §. omnibus & l. etiam §. quid ſiquis, & §. ſi quis ſciens ff. de petit. hæred.* Eadem Gloſſa addit, quãdo is, qui pro hærede poſſidet, iuſto errore credidit ſe eſſe hæredem præſcribere aduerſus legitimum hæredem totam hæreditatem, & bona illius immobilia, decennio inter præſentes, & ſpatio viginti annorũ inter abſentes: bona vero mobilia triennio; atque hoc plane eſt, quod definit, *l. vlt. tit. 14. p. 6.* adhibẽs exemplum, quando inſtitutus erat hæres legitimo aliquo priori teſtamento, totoque illo tempore poſſedit ignorans, teſtamentum illud reuocatum eſſe per aliud poſterius etiam legitimum. Hæc tamen in re iuriſperiti variant, Lege Greg. Lopez *ibid.*

Hoc loco ſolum locuti ſumus quouſque poſſidẽs bona fide pro hærede, ſeu tanquam hæres, reſtituere teneatur hæreditatem & fructus illius legitimo hæredi, qui poſtea comparauerit. Quouſque autem poſſidens aliis titulis particularibus, vt emptionis, permutationis, &c. reſtituere teneatur fructus perceptos ex re aliena ita poſſeſſa domino illius, alibi in hoc 2. tractatu de iuſtitia dicetur commodius.

Qui hæreditatem mala fide poſſedit, ſciens ad alium pertinere, tenetur integram eam reſtituere cum omnibus fructibus, nõ ſolum qui percepti ſunt, ſiue extent ſiue conſumpti ſint, & ſiue ex illis ſit factus locupletior, ſiue non, ſed etiam quos percipere potuit, & ſua negligentia aut culpa non percepit. Idem dicẽdum eſt de eo, qui mala fide aliquid inde emit, aut alio modo accepit. ſemper tamen deducendę ſunt expenſæ in bonis illis factæ, & in fructibus colligendis & conſeruandis vt ſupra dictum eſt, ita habetur *l. ſed ea lege §. quod autem §. de eo. & §. ſi autem l. ſi à domino §. vlt. l. illud §. prædo ff. pet. hær. l. 2. C. eo. tit. & l. 4 tit. 4. p. 6.* 15

Quod ſi poſt litem aduerſus eum conteſtatã, caſu fortuito & abſq; ſua culpa bona aliqua hæreditatis perirent, teneretur illa reſtituere *l. illud in prin. ff. de petit. hær. & l. 6. tit. 16. p. 6.* ſecus ſi ante litem conteſtatã, & abſq; ſua culpa, vt ibidem ſubiungitur. Quare quando certum eſt ſimili modo illud apud legitimum hæredem periturum, credo in foro cõſcientiæ reſtituere id non teneretur ante latam ſententiam, eſto poſt litem conteſtatam periret: quoniam id in pœnam, & propter præſumptionem videtur ſtatutum, de qua re alibi latius dicendum eſt. 16

Quod eiuſmodi malæ fidei poſſeſſor de rebus hæreditariis vendidit, tenetur, ſi exeat, & legitimus hæres id potius velit, quam pretium pro eo acceptum, illud redimere & reſtituere, eſto longe maiori pretio ſit id redẽpturus, quam illud vendiderit, poteſtq; legitimus hæres id ab emptore vendicare, cui venditor tenebitur de euictione. Si vero non extet, aut deterius factum ſit, tenetur illi de integro pretio, quantum in litem fuerit iuratum illud valere *l. ſi poſſeſſor §. vlt. ff. de per. hær. & l. 5. tit. 14. p. 6.* Lege iura alia, quæ Greg. Lopez *l. 5. & 6* ad hæc omnia citat. 17

SVMMARIVM.

1 *Teſtamentarii.*
2 *Quid quando à teſtatore nullus conſtituitur executor ſui teſtamenti.*
3 *Quid, ſi teſtator non expreſſit, per quem fieri debeat redemptio.*
4 *Quid, ſi teſtator in relictis ad pias cauſas non expreſſerit à quo id executioni mandari debeat.*
5 *Vtrum quando teſtator præcipit, vt pro malè ablatis reſtitutio aliqua fiat, executio huius executionis ſpectet ad hæredes, ſi nullum executorem nominauit, & ad executores, ſiquos teſtator nominauit, an vero ad Epiſcopum.*
6 *Executores varij conſtituuntur.*
7 *Executores particulares & vniuerſales qui.*
8 *Executores teſtamentorum qui eſſe poſſint.*
9 *An religioſus eſſe poſſit executor teſtamenti.*
10 *Superior re non integra reuocare poteſt ſubdito facultatem quam illi dedit, vt executor eſſet teſtamenti.*
11 *Quid, ſi religioſi de ſuorum ſuperiorum licentia munus hoc ſuſcipiant.*
12 *Fratribus minoribus eſt omnino interdictum executores eſſe teſtamentorum.*
13 *Fœmina eſſe poteſt executor teſtamenti.*
14 *Quod ſi à priore coniuge executrix ſit ſtatuta, non amittit ex eo munus, quod ad ſecundas nuptias tranſeat.*
15 *Minor, decimum ſeptimum annum excedens, eſſe poteſt teſtamenti executor.*

DE EXECVTORIBVS TESTAMENTORVM, & qui ad id eligi poſſint.

DISPVTATIO 247.

1 SVpereſt rem hanc totam vltimarum voluntatũ, explanatione executionis teſtamẽtorum concludamus. Teſtamẽtorũ executores Hiſpanice *teſtamẽtarios*

eros appellamus, variisque aliis nominibus, quæ *l.i.* *tit.10.p.6.* tradūtur, consueuerunt etiam nuncupari.

Quando à testatore nullus constituitur executor sui testamenti, ad hæredes spectat illud executioni mandare, vt colligitur aperte ex *c.3.* & notāt ibi Cou. *n.8.* & Pan. *n.4. & ex c. si hæredes*, obseruatque ibi Pan. *n.1. de testamentis.*

3 Excipitur, quando aliquid relinquitur in redemptionem captiuorum: si enim testator non expressit per quē fieri debeat redēptio, Episcopus, aut eius vicarius, accipere debēt, quod ita legatū est, ad ipsosq; & non ad hæredes, spectat adimplere tale legatum, etiāsi testator præceperit vt Episcopus ea in re se non intromittat. ita habetur *l. nulli iuncta authentica licet testator, & l siquis ad declinandā, C. de Epi. & cler.* & plenius in *authentico de Ecclesiastic. ti. § siquis autem pro redemptione.* Lex *nulli citata*, ait spectare hoc ita exequi ad Episcopum, vnde testator est ortus. Credo, vt *gl. ibid.* ait, id promiscue posse etiam exequi Episcopum domicilij testatoris, etiamsi aliunde sit oriūdus: imo hunc Episcopum esse præferendum, si in loco domicilij habeat maiorem partem suorum bonorū. Atq; hoc velle videtur authenticum citatū quod de Episcopo loci loquitur, & de Episcopo domicilij meminit in principio §. *citati.* Præterea *l. siquis ad declinandā* de Episcopo domicilij loquitur. Lex Castellæ *5.ti.10. p.6.* id etiam ait spectare ad Episcopum vbi testator habet maiorem partem suorum bonorum, esto neque inde sit oriundus, neque ibi habeat domicilium. Quando autem ignoratur aut ambiguum est, vbi testator haberet domicilium, & vnde esset oriundus, tunc ad Episcopum territorij, vbi *ille* mortuus est, id exequi spectat; vt habetur *l. nulli & l.5. citatis*, Episcopus, qui id ita acciperet & exequi mandaret item que notarius & alij illius officiales, nihil inde etiam in pretium sui laboris & industriæ possunt accipere, sed tenentur ea omnia præstare gratis, vt *l. nulli l. siquis ad declinandam, & l.5. citatis* habetur. Item cum hoc à potestate laica in commune bonum sit Episcopis concessum, illis iniungi potuit, neque ipsa iniunctum fuit. vt ciuitatis, aut prouinciæ, cuius sunt Episcopi, manifestent, quæ bona, & à quo, & quo die ad id præstandū acceperint, vt iudex illa in inuentario scribat. Item vt anno elapso, eidem indici reddāt rationem, quot captiui eis bonis, & quanta pecunia vnusquisq; eorū redempti sint. Ita habetur *l. nulli. & l.5. citatis.* Greg. Lopez ibi refert, Paulum Castrensem *l. nulli* asserere iam hodie Episcopos soli Deo reddere eius rei rationem, eo quod *l. siquis ad declinandum*, nihil tale eis præcipiatur. Merito tamen Greg. Lopez contrarium affirmat: quoniam satis est *l. nulli* id eis iniungi, neq; contrarium iuribus aliis statūi; atque hoc confirmāt *l.5. Castellæ*, quæ posit *l. siquis ad declinandum*, lata est, idem, quod *l. nulli*, ea de re statuit.

4 Vtrum autem idē sit in relictis ad alias pias causas, nempe vt, si testator non expresserit à quo id executioni mandari debeat, tradi hereditas aut legatum ad id relicta Episcopo debeant, vt id executioni mādet. Bart *in auth. cit.* affirmat, Pan. vero *n. 4. cit.* solum id habere locum existimat in relictis ad alimenta & eleemosynas pauperum. Atq; hæc opinio placet: quoniam de his tantum *in auth. cit.* disponitur, vt quādo testator non disposuit, quis id exequi deberet, & in quos pauperes esset distribuendum, trade retur Episcopo loci, vbi testator habuit domicilium, Episcopusq; ea distribueret inter pauperes ciuitatis aut loci, vbi testator habuit domicilium, idemque disponitur *l. siquis ad declinandam citata.*

5 Vtrum vero quādo testator præcipit, vt pro male ablatis restitutio aliqua fiat, executio huius restitutionis spectet ad hæredes, si nullum executorem nominauit, & ad executores, si quos testator nominauit, an vero ad Episcopum. Dicendū est. si aliunde non cōstat eiusmodi restitutionem deberi nisi ex dispositione & testamento defuncti ad hæredes, aut executores testamentarios, & non ad Episcopum spectare, mandare illam executioni. Quandō vero res delata esset ad iudicium, aut aliunde manifestum esset defunctū illam debere, non solū posset ordinarius ratione exigere an executioni esset mandata, & curare vt mādaretur, perinde atque in reliquis legatis piis; sed etiam quando executores essent suspecti, posset illis præcipere, vt in ipsius præsentia, aut suorum ministrorum restitutio fieret, & interdū exigere posset ab illis pecunias, aut res alias restituendas, vt ipse per se, aut per suos ministros eas restitueret. Hac ratione *c. cū sit, de Iudæis*, statuitur, vt secundum diocesani prouidētiam cogātur Iudæi, qui munus publicū inter Christianos ministrauerint, in paupertū Christianorū vsus distribuere, quicquid ex tali munere lucrati sint. Et *c. quāquam de vsuris li.6.* præcipitur, vt non prius concedatur sepultūra corpori publici vsurarij, quam illi, quibus iniunxit vt male parta per vsuras restituerent, id opere præstēt; aut si absentes sint ij quibus restitutio esset facienda, tradant illud ordinario, vel ipsius vicario, aut parocho corā aliquibus fide dignis, vt restitutio tuto fiat. Hinc vero, vt rectè admonet Ioan. Medina *de rest. q.3. causa 10.§. esto igitur* & Cou. *c.3. de test. n.8.* perperā colligunt nonnulli executionem restitutionis male ablatorū semper fieri debere per Episcopum: satis namq; in foro exteriori erit, si Episcopo sufficienter constet restitutionē integre esse factam.

6 *Executores quotq; constituantur.* Executores testamenti interdū cōstituuntur à testatore vnus, aut plures ex hæredibus; atq; ad eos spectat, quę in testamento sunt disposita executioni mādare. Interdū vero hęredibus adiungitur aliquis extraneus qui vna cū illis ea executioni mādet. Atq; in terdū vnus, aut plures, extra hæredes statuuntur, qui soli id munus subeant, idq; quandoq; aliquo prēmio aut legato ea de causa eis relicto, & quandoque nullo omnino proposito eis præmio.

7 *Particulares qui.* Itē executorū, quidā dicuntur vniuersales, & quidam particulares. Particulares sunt, quādo aliquis instituitur est hæres, vel succedit ad intestato, & cōstituitur aliquis, qui cętera, quę in testamēto aut codicillo statuta sunt mandet executioni: eo nāq; pacto ad exequendū testamentū, aut codicillū constitutus, executor particularis dicitur. Vniuersalis autē dicitur, quādo nullo in particulari, præter animā defuncti, hęres statuitur, & cōstituitur aliquis qui volūtatē defuncti executioni mādet. Vt si quis testetur ad pias causas, esto legata aliqua nō pia simul relinquat, & vel propriam animā hæredē instituat, vel pauperes, aut captiuos vt redimantur, aut aliud simile, nullos vel pauperes, vel captiuos singulares designādo, atq; aliquem, vel aliquos constituat, qui ea omnia executioni mandent: eiusmodi namq; executores vniuersales nūcupātur.

Vniuersales qui.

8 Executores testamentorū esse possūt, nō solū laici sed ēt clerici & religiosi. Ita colligitur aperte ex *c. tua nobis de test.* & consentiunt Dd. cōmuniter. Cum n. adimplere defunctorū volūtates inter pia opera suo modo cōputetur, ad tot personas munus hoc extēsū fuit.

9 *Executores qui esse possint.* Religiosus tamen, esto ab aliquo executor fuit testamenti constitutus sit, non tamē potest tale munus subire, nisi petita prius & obtenta à suo superiori licentia. Ita habetur *cap. religiosus, in prin. de test. lib.6.* & *Clement. vnica eodem titul.* Quod si non obtenta eiusmodi licētia aliquid exequantur, totū irritū est & inualidū, iuxta veriorē & consonantiorē duobus iuribus citatis sententiam, quam sequuntur Couar. *ex. tua nobis de test. num.2.* & Sylu. *verb. testamentum. 2.q.2.* Potest vero confirmari. Tunc quia executor, nisi munus velit acceptare, executor non est, vt sequenti disputatione dicetur: cum autem religiosus velle, ac nolle non habeat, nisi dependenter à suo superiore; atque *cap. religiosus citato* hæc causa reddatur, cur nisi obtenta prius à superiore facultate, executor esse non possit; consequens profecto est, vt acceptatio ipsius, non concurrente beneplacito superioris, nulla omnino sit. Tum etiam ex *l. non dubium*,

Cod. de legibus, quæ nullum esse dicit, quod iure resistente ac prohibente fit, esto lex, quæ id prohibet, non subiungat, vt sit nullum. Superior autem supremus monasterij, vt Prior, Guardianus, aut Rector, quando suis subditis facultatem dare potest ad id munus exequendum, esse potest executor non petita facultate à prouinciali, aut alio sibi superiori, quãdo superior ad id eum non astringit. Ita Syluest. loco citato. Ratio est, quonia u superior monasterij, quas facultates & dispensationes potest aliis concedere eisdem etiam potest secum vti, quando aliud in ea religione non est statutum, vt alio loco dicetur. Nostri autem meminerint, quid circa hoc munus non obeundum. *6. part. const. cap. 3.* § 7. sancitum
10 sit.

Glos. *Clem. vnica de test. verb. obtenta*, & cum ea Syl. *vbi supra* aiunt, superiorem etiam re non integra, reuocare posse subdito facultatem, quam illi dedit, vt executor esset alicuius testamenti, ad effectum, vt subditus progredi vlterius in executione non possit: male tamen facere, si fine legitima causa eam facultatem reuocet

11 Si religiosi de suorum superiorum licentia munus hoc suscipiant, tenentur reddere rationem ordinariis locorum susceptæ executionis, esto alioquin exempti sint, aut etiam prælati religionis; ordinariique ipsi tenentur eam ab eis exigere. Si autem eos deliquisse compererint, punire illos præcipiuntur. Ita sancitum est *Clement. vnica de testamentis.*

12 Illud est obseruandum, fratribus minoribus esse omnino interdictum executores esse testamentorum; tametsi præbere possint concilium circa testamentorum executionem. Ita habetur *Clement. Exiui de paradiso* § *verum etiam, de verb. significat.* Quare vt Couar. *cap. tua nobis de testament. numer. 5.* & Doctores communiter affirmant, testatores præcipere in suis testamentis executoribus possunt, vt in rebus exequendis, atque in distribuendis iis, quæ distribuere præcipiunt, consilium ab eiusmodi fratribus petant; tametsi, illis auditis, non teneantur tale consilium sequi. Couarruuias *ibidem* cum Bartol. & aliis affirmat posse testatores iniungere executoribus, vt non aliis distribuant aliqua, quam iis, quos eiusmodi fratres elegerint: quin posse in suis testamentis fratribus committere minoribus, vt ipsi executores eligant, fratresque tunc posse illos eligere. Contrarium primi horum affirmant Glos. *Clement. citata in verb. dixit*, & multi alij, quos Couar. ipse refert, & longe magis affirmarent contrarium secundi. Atque hanc opinionem sequitur Syluest. *verb. testament. 2. quæst. 2. pronunciato 7* & multi alij, quos refert: quæ sane nobis placet. Quoniam contrarium esset in fraudem legis, eo quod astringere executores, vt tenerentur sequi concilium fratrum minorum in rebus distribuendis, esset in effectu facere fratres ipsos executores, tametsi ministerio aliorum; neque id cum iure citato, & cum duritate ea in parte sui instituti quadrat.

13 Fœmina esse potest executor testamenti, vt colligitur ex *cap. 3. de testament* & constat, *l. à filio, in princip ff. de alimentis legat.* Bartol. & communis opinio, quam Couar. *cap. hæc nobis, de testam. num. 3.* refert ac sequitur.

14 Quod si à priore coniuge executrix sit statuta, nõ amittit ex eo munus, quod ad secundas nuptias trãseat. Ita Bartol. & alij, quos Couar. *ibidem* citat ac sequitur. Si quis tamen, habens fratres & sorores, dicat, relinquo executores meos fratres, nomine fratrum, intelligitur soli masculi, eo quod sorores minus idoneæ ad munus sint. Ita cum Bart. & Iasone, Couarruuias *ibidem*. Exciperem, nisi vnum tantum fratrem masculum haberet: nam tunc nomine fratrum, in plurali, sorores etiam censerentur comprehensæ.

A Minor viginti quinque annis, modo decimum septimum annum excedat, esse potest testamenti executor *c. qui generaliter* § *vlt. de procurat. lib. 6. & l. 19. tit. 5. part. 3.* quibus in locis statuitur, illam ætatem sufficere, vt quis procurator sit ad negotia: tametsi ad procurãdum in iudicio necesse sit, vt sit viginti quinque annorum. Consentiunt Couar. *vbi supra n. 4.* Sylu. *verb. test. 2. q. 1. pronunc. 2.* & Doctores quos citant Glo. *c. religiosus in princ. de test. lib. 6.* affirmant, id vsu esse receptum.

SVMMARIVM.

1 *Validumne sit testamentum, in quo hæres non instituitur, & executor vniuersalis relinquitur.*

B 2 *Tota controuersia est, quando testamentum non est conditum ad pias causas.*

3 *Executoris munus suscipere nullus cogitur.*

4 *Quid quando res per ordinarium ex suo munere mandanda est executioni.*

5 *Quid amittat executor si munus non acceptet.*

6 *Quid non in præmium & quasi sub modo aut conditione est relictũ, amittitur substituto vel aliis hæredibus pro rata.*

7 *Quid, quando multis relictum est aliquid in præmium, & aliqui eorum obiissent, vel munus suscipere recusarent.*

C 8 *Morte vnius executorum testamenti, munus illius non transit ad ipsius hæredem, sed expirat.*

9 *Quid si multis constitutis ad executionem testamenti, mortui sint quidam, aut in remotis agant.*

10 *Executores quousque agere queant.*

11 *Quid quando executio non est ad piam causam.*

12 *An executores propria authoritate vendere bona defuncti possint, quo eius voluntatem impleant.*

13 *Nihil per se, vel per alios sibi aut alteri emere possunt de bonis à testatore relictis.*

VALIDVM NE SIT TESTAMENTUM, in quo hæres non instituitur, & executor vniuersalis relinquitur: & num executores ad
D *munus suscipiendum possint compelli, & quousque agere possint.*

DISPVTATIO 248.

1 DVbium primo loco propositum locum habet de iure communi, atque Lusitano, iuxta quę iura testamentum in quo hæres non instituitur, est eo ipso nullum. Et quidem quando testamentum conditum esset ad pias causas, in quo vel anima defuncti hæres esset instituta, vel pauperes Christi, aut captiui redimendi, non explicando qui, vel designatæ essent causę pię, in quas distribuerentur bona defuncti, nullo instituto hærede concedunt Doctores communiter validum esse tale testamentum; in quo, ad ea omnia exequenda, aliquis aut aliqui executores vniuersales solent constitui: quæ omnia manifesta sunt ex iis, quæ disputatio. centesima trigesima quarta, sunt definita.

Tota autem controuersia est, quando testamentũ non est conditum ad pias causas. Et quidem *cons. 64.* refert Alu. Val. in hoc Lusit. Regno pronunciatũ à Curiæ prætore in quadam eiusmodi causa fuisse, validum esse tale testamentum executoresq; vniuersales habere vicem hæredum, idq; à senatu fuisse confirmatũ. Ipse vero rectè affirmat, contrariã esse communem Doct. sententiã, quam refert, meritoq; asseuerat, cõtra ius fuisse iudicatũ: & nihilominus subiũgit, eo-

git,eodem pacto debere deinceps particulares iudices in Lusitania iudicare. Hoc tamen vltimum eius dictum probo: quoniam sententia vna contra ius & communem Doctorum sententiam reliquos iudices ad eodem modo iudicandum non astringit. Adde,Gamam *dec.* 196. referre,contrarium ab inferiori senatu in quadam causa fuisse iudicatum, confirmatumque à supremo senatu, cui potius erit standum.

3 *Executorie munus suscipere nullus cogitur.*

Quod attinet ad secundum eorum quæ proposita sunt,dicendum est.Constitutum ad testamentum exequendum compelli non posse,vt munus suscipiat & testamentum exequatur,etiamsi executio sit ad solas pias causas. Ita colligitur aperte ex *ca. Ioannes de test.* affirmantque ibi Glo. *in verb. mandatum.* Panor. & Couar. *ibi. vterque n.* 3. Sylu. *verb. testam. 2. q. 3. pron. 1.* & Doctores communiter. Si tamen semel munus expresse aut tacite acceptet, exercendo eius muneris actum,aut alia ratione, cogi tunc potest, vt munus prosequatur,vt ex eodem textu colligitur, & affirmant Doctores citati Ex eo autem, quod quis sciat, se in aliquo testamento executorem esse constitutum,& taceat,non censetur munus acceptasse,vt bene *loco citato* ait Panorm. & communis Doctorum sententia quam ibidem Cou. *n.* 4 refert ac sequitur. Vbi cum Bal.& aliis affirmat, secus esse,si executor propinquus sit testatoris, aut amicus: si enim in præsentia constitutus taceat,censetur munus acceptasse. Illum legito.

4 Quando vero res per ordinarium ex suo munere mandanda esset executioni,delegare id posset cuiuis suorum subditorum, illumque cogere, vt id executioni mandaret. Ita Panorm.& Couar. *loco citato,* & alij iuxta *l. vnicam* C. *qui pro sua iurisdictione, iuncta Gloss. ibi in verb. resedissent.& c. pastoralis de offi.. delegat.* Prælatus etiam religiosorum copet religiosum sibi subditum, vt acceptet & exequatur munus executoris testamenti,sibi ab aliquo relictum, vt cum Card. affirmat Couar. *numer. 3. citato.* Ratio est, quoniam religiosus parere tenetur suo prælato in licitis & honestis, quale est hoc, nisi circunstantia aliqua id illicitum, aut nociuum religioso reddat.

5 Executor,si munus non acceptet,amittit præmium, legatum,& quodcunque aliud emolumentum, quod ex eo testamento sibi proueniebat,præter legitimam suam portionem, si ipsi debita erat in bonis talis defuncti, vt patet in *auth. de hæredib. & Falcid.* §. *siquis autem in auth. de Eccle. tit* §. *si autem qui hoc l. si quis sepulchrum* §. *funus ff. de relig. & sumpt. funer. l. vlt. ff. de confirmat. tut. l. post legatum* §. *amittere ff. de iis quibus vt indig.* & aliis iuribus,affirmantque Couar. *num. 3. citato,* & alij quos citat. Obserua tamen,id, quod testator executorio in præmium relinqueret, & quasi sub modo & conditione,si munus exerceret, amitteret executor eo ipso,quod munus recusaret. Quod tamen absolute tanquam legatum, fideicommissum, aut hæreditatem illi relinqueret,non amitteret ante litam sententiam. Ratio est,quoniam iura citata,quę statuunt,vt hæredes,legatarij,& fideicommissarij amittant commodum, quod ex testamento eis prouenit,nisi defuncti voluntatem exequantur,id vtiq; statuunt in pœnam: pœnam autem antè latam sententiam non tenetur reus exequi. Ita cum Angelo & Paulo Castrensi affirmat additio in margine ad Glos. *in auth. de hæred. & Falcid. citato verbo, auferri.*

6 Quod non in præmiu,& quasi sub modo aut conditione esset relictum, amitteretur, vel substituto,si esset substitutus relictus, vel aliis hæredibus pro rata,vt patet ex *auth. de hær. & Falc. §. citato.* Eodem etiam modo amitteretur,quod relictum esset in præmiu,quādo vnus tantū esset cōstitutus executor,& is recusaret munus sibi iniunctū. Idē est,quando multi essēt cōstituti executores,& oēs simul munꝰ recusarēt; tenerenturq; tunc hęredes exequi testamentum.

A Quando vero multis relictum esset aliquid in præmiu,& aliquis,aut aliqui eorum obiissent,vel munus suscipere recusarēt,vtrum pars præmij,quæ ipsis deberet contingere,cedat hæredibus,an aliis executoribus Alu. Val. *consul. 46.* & alij,quos citat,merito affirmant,cedere aliis executoribus. Tum *arg. tex. in l. vnica* §. *vbi autem* C. *de cadu. tollendis,* præsertim illis verbis. *Cum vero quidam voluerint, quidam noluerint, volentibus solum modo id totum cedere.* Tum etiam,quia sicut diminuitur portio,iuxta varia iura: ita accrescente onere exequendi testamentum propter defectum vnius executoris,debet aliis accrescere portio præmij.

Obserua autem, morte vnius executorum testamenti, munus illius non transire ad ipsius hæredem sed expirare: eoquod industria illius in singulari cēseatur electa Ita colligitur aperte ex *c. religiosus* §. *vlt. de test. lib. 6.* & affirmat *gl. ibi verb. mortuo.* Quod intelligendum est,nisi testator aliud expresserit. vt Gl. ibi subiungit. B

Quando multi constituti sunt executores alicuius testamenti si quidam eorū mortui sint,aut in remotis agant,aut concurrere nō velint ad testamenti executionem cæteri, etiam si vnus tantum sit,procedere possunt ad executionem testamenti; nisi testator contrarium expresserit. Ita habetur *c. religiosus* §. *vlt. de test. lib. 6.* Vbi Glo. quam Sylu *verb. test. 2. q. 5. pron. 1.* & alij sequuntur,ait: si quis eorum sit in loco propinquo,& admonitus,intra terminum præscriptum non aduenerit, reliquos procedere posse ad executionem.

Quod ad vltimum eorū quæ proposita sunt,attinet,executores agere possunt ad institutionē aut legata pia implenda,tū aduersus hæredes,tum etiam aduersus quoscunq; alios bonorū defunctī possessores ita Pan *c. Ioan. citato nu.* 4. Cou. *nu.* 5.& Sylu. *verb. test. 2. q. 5. pron. 2* affirmantq; Pan.& Cou. hanc esse communem Doctorum sententiā,in cuius confirmationem citant *l. nulli. & l. si quis ad declinandum* C. *de ep. & cleric.*: illa tamen prior solum loquitur,quādo institutio aut legatum est in redemptionem captiuorum; hæc vero posterior idem extendit ad institutionem aut legata,in cibum & eleemosynam pauperum: Cou. citat etiam *l. alio ff. de alimentis, & cibar. legatis.* Licet autem l. illa solum loquatur de alimentis legatis,idem tamen est in reliquis causis piis: quoniam, vt glo. ibidem ait, intuitu,quod causa pia sit,pronunciatur id eo loco: vnde *l. 4. t. 10. p. 6.* merito vniuersim idem statuitur de omni legato pio: quare nulla ratio ne est ab hac sententia recedendum. C D

Quādo executio non est ad causam piā, distinguēdū est. Quon ā vel executor nō est merus executor, sed partē habet in eo; quod est executioni mandandū, quia videlicet est legatū sibi, aut sibi cū alio relictū, vel absolute, vel tanquā prēmiū executionis, aut saltē, quia sibi est relictū, vt illud integrū cuidā alteri restituat, non tanquā ministro duntaxat, sed tanquā legatario grauato restituere; quo casu, si fideicōmissārius præmoriatur, legatū cedit, non hæredi sed eiusmodi legatario; tūc agere potest aduersus hæredes, aut possessores hæreditatis, sicut etiā quicunq; alius legatarius agere potest aduersus hæredes ac possessores bonorū defuncti, vt soluāt legatū sibi à testatore relictū. Ita habetur *l. si Titio aut Seio & l. si quis Ti. impr.* vbi Bart. *ff. de leg. 2. l. si legatarius. ff. de leg. 3. & l. 4. t. 10. c. p. 6* & affirmant Greg Lopez *ibi.* Pan. *c. Ioannes citato n.* 4. Cou. *n.* 5. Syl. *verb. test. 2. q. 5. pronunc. 2.* & alij quos referunt. Quando autem est merus executor, ita vt nihil rei executioni mandandæ ad ipsum spectet, agere non potest aduersus hæredes aut possessores bonorum defuncti. vt patet *l. Lucius.* §. *Mevia. ff. ad Trebel. & l. 4. t. 10. par. 6.* affirmantque Panormitan. Couar. & Sylu est. *loco citato,* & alij quos referunt. Excipitur, nisi id expresse à testatore sit concessum, vt habetur, *l. 4. citata,* affirmatque communis Do-

ctorum sententia, quam referunt, & sequuntur Gregor. Lopez *ibi.* & Couar. *num. citato.* Ait vero Greg. Lopez hodie vt plurimum hanc potestatem à testatoribus solere executoribus concedi. Interim etiam dum hæredes non resistérent, mandare possunt executioni sibi iniuncta à testatore, mittereque legatarios in possessionem rerum ipsis à testatoribus relictarum, atque hoc est, quod statui videtur, *l. 2. tit. 30. par. 6.* Esto autem neque à testatoribus concessa esset expresse eis ea potestas, hæredesque resisterent, possent nihilominus implorare officium iudicis; isque ex suo munere præcipere tenetur hæredibus, vt tradant, quæ necessaria sunt, vt defuncti voluntas executioni mandetur, vt habetur, *l. Quintus Mutius in fin. ff. de annuis legatis. & l. hæreditas. ff. de petit. hæreditatis*, affirmantque Doctores citati.

12 Vtrum autem executores propria autoritate vendere possint bona defuncti, vt eius voluntatem impleant. Dicendum est, si vniuersales sint eo modo, quo disputatione præcedente explicatum est, posse, vt patet, *l. nulli. C. de Episcop. & cleri.* Si vero particulares sint, id non posse, *l. alio. ff. de cib. & aliment. leg.* affirmantque Panorm. *cap. Ioan. de test.* & Couar. vterque *num. 6.* Sylvest. vbi supra *pronunc. vlt.* & Doctores communiter. Obseruat ibi Couar. cum aliis quos citat, si quas expensas executores faciant in exigendis rebus ad voluntatem defuncti exequendam de bonis defuncti posse illas petere.

Postremo obseruandum est, de iure Lusitano *lib. 2. ordin. tit. 35. §. 6.* & in constitutionibus huius Eborensis Archiepiscopatus *titu. 21. cap. 2.* inhibitum esse executoribus testamentorum, ne perse, vel per interpositam personam, sibi, aut cuiquam alteri, quippiam emant, vel obtineant de bonis à testatore relictis etiamsi bona in publica subhastatione iudicis autoritate vendantur, emptioque nulla eo ipso redditur, & bona ita empta aut obtenta reliquis defuncti bonis restituuntur, & insuper in ordinationibus statuitur, vt testamentarius soluere cogatur duplum valoris illius, quod defuncti bonis accrescat. Et in constitutionibus Archiepiscopatus, vt amittat præmium omne sibi à testatore propter munus executoris relictum.

SVMMARIVM.

1 *Nefas est executoribus à testantium voluntate discedere.*

2 *An si testator præcipiat, vt post certum tempus pecunia pauperibus distribuatur, præuenire executor tempus queat: refertur opinio.*

3 *Refertur Auctoris opinio.*

4 *Refellitur fundamentum alterius opinionis.*

5 *An à voluntate testatoris discedere possint, rem legatam in alium vsum conuertendo.*

6 *Quando commutatio alicuius vltimæ voluntatis à Papa fuerit obtenta, non prius executioni mandandum, quam Episcopus loci cognoscat, omnia vera narrata esse.*

7 *Quando aliquid à testatore legatum est ad pias causas, nec iuxta testatoris voluntatem impleri potest, non propterea legatum esse inualidum.*

8 *An si testator reliquit 200. aureos, vt pro male ablatis restituerentur, & solum reperiantur centum male ablata, alia centum hæredi cedant, an in pios vsus insumenda.*

9 *Ipsum alio exemplo probatur.*

10 *An si testator reliquisset ducenta pro quadam filia maritanda, illaque moreretur, antequam nuberet, vtrum pecunia illa cederet hæredibus testatoris, an hæredibus puellæ, vel potius conuertendum esset in aliud opus pium.*

AN EXECVTORIBVS AC PRAElatis liceat à testatoris, voluntate discedere.

DISPVTATIO 249.

QVando testatoris voluntas impleri potest, irrationabilisque atque illicita non est, esto aliud lege vtilius, in quo bona expendi possint sese offerat, nefas est executoribus à testatorum voluntate discedere, vt patet *ca. tua nobis de testa.* & aliis iuribus. Id quod ratio ipsa persuadet: integrum namque vnicuique est sua, prout voluerit licite expẽdere, neque priuatus quisquam potest ea in parte vllum ei præiudicium inferre. 1

Dubium tamen est, vtrum si testator præcipiat, vt post sex menses, verbi gratia, tantum pecunia distribuatur pauperibus, fas sit executoribus præuenire diem illum. Bart. *l. cum pater. §. filia. ff. de leg. 2.* iuxta textum ibi. negat, & in eadem sententia, sunt multi alij quos Cou. *c. tua nobis de testa. nu. 5.* citat. Ducuntur præter legem citatam, quia id cedit in præiudicium pauperum, qui post sex illos menses, futuri sunt. 2 *Dubium Bartol. & quorũdam opinio. Fundamẽtum.*

Placet tamen nobis sententia Decij, Panor. & aliorum quos Couar. ibid. refert ac sequitur. Nempe, quando coniecturæ non sunt voluntatem testatoris fuisse, vt dies ille non præueniretur (vt si in aliquorum commodum, aut aliqua alia de causa voluit, vt dies ille expectaretur) fas esse diem illum præuenire. Primo, quoniam id cedit in maius commodum animæ defuncti, cui citius operibus illis bonis subuenitur. Secundo, quoniam id melius in se est. Tertio, quoniam quando contrarium aliunde non constat, præsumendum est eam esse testatoris voluntatem, tempusque illud destinatum ab ipso esse, non tanquam terminum, quem non liceret præuenire, sed tanquam terminum, post quod nullam moram voluit permittere. Confirmatur ex *l. post mortem. C. de fideicommiss.* vbi rogatus aliquid post mortem suam restituere, potest id restituere ante mortem. 3 *Decisio.*

Ad fundamentum contrariæ opinionis negandum est, id cedere in præiudicium talium pauperum; quoniam cum testator, vt supponimus, non intenderit bono illorum consulere, neque intenderit eos aliis præferri, aut debere illos expectari, nullum præiudicium ea in parte illis fit, vtpote qui nullum ius vt contrarium fieret, haberent. Ad *l. cum pater. §. à filia.* dicendum est, ibi testatorem filiæ reliquisse prædia, intuituque vt melius ex filiis talis filiæ, nepotibusque testatoris, electio fieret, præcepisse, vt tempore mortis suæ ea restitueret cui vellet suorum filiorum, eaque de causa ibi definiri, electionem factam à filia ante suam mortem. non quidem esse inualidam, sed posse reuocari, si tempore mortis melior alia electio ipsi occurreret. 4 *Ad fundamentum in contrarium.*

Vtrum autem, vel executores intercedente Episcopi autoritate, vel Episcopus accedente executorum consensu, discedere possint à dispositione & voluntate testatoris, quod is ad vnum vsum reliquit, conuertendo in alium saltem si melioris sit. Et quidem quando id quod testator præcepit fieri nequit, dicetur statim. Quando vero fieri potest, atque irrationabile & illicitum non est, neque constat præsumptam esse voluntatem defuncti, vt eo pacto commuterur, respondendum est commutari non posse, sed testatoris voluntatem eo pacto, quo ipse præcepit, esse executioni mandandam. Etenim dispositiones defunctorum rationabili ex causa commutare, proprium est summi Pontificis, vt Clem. Quint. *approbante Conc. Vien. Clem. quia contingit de religiosis domib.* his verbis ait. *Cum ea quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salua* 5 *Quæstio. Decisio.*

Sedis

Sedis Apostolicæ autoritate) conuerti. Dixi, *rationabili ex causa*: quoniam, vt Conc. Trid. *sess. 22. c. 6. de reform.* declarauit, neque ab Apostolica Sede fieri debent, nisi ex iusta & necessaria causa. Eodem modo proprium est supremorum principum secularium (eademque ratione iuris ciuilis, quod à supremo principe vim habet) eafdem vltimas voluntates, rationabili ex causa commutare, vt habetur *l. legatam, iunct. l. 1. eiusd. tit. ff. de administ. rerum, ad ciuit. pertinent.* Quo fit, vt inferior Summo Pontifice, aut supremo principe seculari, id efficere non possit, etiamsi res integra adhuc sit, vt Pan. *c. tua nobis de test. n. 4.* & Cou. *n. 7.* cum aliis, quos citat, affirmant: quicquid, quando res adhuc est integra, nonnulli in contrarium asseruerint. Couar. *ibid.* cum quibusdam aliis contendit, pecuniam à testatore in vnum vsum non ita necessarium relictam, posse Episcopum conuertere in alium pium vsum Reip. ac relig. Christianæ valde necessarium est sine maxima difficultate non posse aliunde subueniri. Quod probar ex *l. pen. ff. de oper. publicis.* Is tamen textus id sane non probat, sed potius contrarium.

6 Illud hoc loco obseruandum est, à Conc. Trid. *ca. 6. citato* sancitum esse, vt quando commutatio alicuius vltimæ voluntatis à Sede Apostolica fuerit obtenta, non prius, executioni mandetur, quàm Episcopus loci tanquam Sedis Apostolicæ delegatus summarie & extraiudicialiter cognoscat, nihil in precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate, fuisse narratum. In constitutionibus verò huius Eborensis Archiepiscopatus *tit. 21. c. 8.* pronunciantur nullæ executiones aliter factæ, statuiturque pœna duo mille aureorum nummorum quos *reas* vocant, dimidium Cameræ Archiepiscopali, & dimidium accusanti.

7 Quando aliquid à testatore legatum est ad aliquid pium efficiendum, neque iuxta testatoris præscriptum potest impleri, non propterea legatum est inualidum, quasi cedat hæredi, sed arbitrio executorum & Episcopi conuertendum est in aliquid aliud; ità tamen, vt quoad fieri possit, voluntas testatoris seruetur. Vnde si præcipitur ædificari monasterium, aut Ecclesiam in aliquo loco, ibique ædificari non possit, arbitrio simul Episcopi & executorum eligendus est alius locus. Ita colligitur ex *cap. 3. de test.* & affirmant Panor. *ibi num. 6.* & Couar. *num. 9.* & alij Doctores communiter. Idem, colligitur ex *l. legatum ff. de vsufruct. legat.* vb habetur, si quis legauit prædium alicui ciuitati ad faciendum quotannis in ipsius memoriam spectaculum in ea, taleque spectaculum prohibi um fuit in ea ciuitate, legatum non cedere hæredibus, sed arbitrio hæredum ac primorum ciuitatis conuertendum esse in rem aliam licitam, quę in defuncti memoriam cedat. Idem affirmat Barto. ibi, subiungitque eodem modo si pecunia adaliquid pium legetur, neque ad id sufficiat, debere conuerti arbitrio Episcopi & executorum in aliud pium opus. Si tamen sufficiat, non aliter posse conuerti, nisi accedente autoritate Summi Pontificis; consentitque in vtroque cum Bart. Panormit. *numer. 6. citato.* Hoc ipsum confirmant quæ ex *authentico de Ecclesia. tit. §. siquis in nomine*, retulimus in calce disput. 197. & quæ ibidem dicta sunt, quando legatum pium est incertum cui loco pio sit relictum: neque enim redditur nullum, sed applicandum eo modo est, quo ibi fuit explicatum.

8 *Dubium.* Dubium est, si testator reliquit ducentos aureos vt distribuerentur pro male ablatis, & solum reperiantur centum male ablata, vtrum alia centum cedant hæredi, an vero insumenda sint in aliquo opere pio. Panorm. *c. tua nobis, num. 7.* Couar. *c. de testam. num. 9.* cum Baldo, & aliis quos citant, censent conuertenda esse in opus pium. Quoniam præsumendum est, testatorem fuisse veritum, se in illis omnibus grauatam habere conscientiam, atque adeo *Decisio.* A mentem illius fuisse, vt ea omnia insumerentur pro exoneranda ipsius conscientia. Quamuis autem hoc placeat, si tamen testator dixisset, ducenta, quæ ex libro mearum rationum comperientur me debere, restituantur illis, quibus ea me debere comperietur; atque ex libro rationum solum reperiretur debere centum; certe tunc moralis certitudo esset, testatorem fuisse deceptum aut oblitum, ac proinde incrementum cederet hæredibus. Quo fit, vt hæc regula possit statui, si spectatis circumstantiis omnibus concurrentibus, dubium sit, an plura debeat, incrementum erit insumendum in operibus piis: si vero non sit dubium, sed certum, non plura debere, neque verisimilitudo ex circumstantiis concurrentibus sit ad maiorem cautelam voluisse, vt omnia restituerentur, tunc incrementum cedit hæredibus. B

Idem ait esse Couarruuias, si pro male ablatis testator reliquisset mille vt conficeretur monasterium aut Ecclesia talis formæ, eaque confecta, remanerent centum: nam tunc illa centum conuertenda essent in vtilitatem illius Ecclesiæ aut monasterij. Secus vero credit esse, si ex deuotione relinqueret mille, vt conficeretur monasterium illud talis formæ, aut Ecclesia: quoniam centum, quæ superessent, cederent hæredibus, eo quod satisfactum iam esset voluntati testatoris. Contrarium tamen est mihi longe verisimilius. Cum enim ea tota summa relicta sit, vt in eo opere insumatur, præsumendum est testatorem voluisse, vt si quid superesset, conuerteretur potius in vtilitatem eiusdem monasterij aut C Ecclesiæ, quam vt hæredibus cederet. Adde in dubio, esse ad piam causam inclinandum. Si tamen testator diceret, præcipio vt fiat monasterium aut Ecclesia talis formæ, idque executioni mandetur ex mille aureis, quos habeo in tali loco, tunc, quia solum monasterium aut Ecclesia formæ illius videtur legasse, non vero pecuniam, nisi quantum ad id sufficeret, credo, incrementum cederet hæredibus.

10 *Dubium.* Dubium est, si testator reliquisset ducenta pro certa quadam puella maritanda illaque moreretur antequam nuberet, vtrum pecunia illa cederet hæredibus testatoris, an hæredibus puellæ, vel potius conuertenda esset in aliud opus pium. *Decisio.* Dicendum D que est, si id testator reliquit tanquam pium opus, atque in animæ suæ bonum, veruntamen elegit potius illam, quam quamcumque aliam, vel quod illa esset nota, vel alia simili de causa; tunc, esto illa ante testatorem moreretur, non cederet legatum illud hæredibus defuncti, sed ex illo alia esset nuptui tradenda, iuxta ea, quæ hactenus dicta sunt: quoniam semper, quando pium opus à testatore relictum impleri non potest, conuertendum est in aliud, testatoris menti quam maxime consentaneum. Vt tamen disp. 208. dictum est, ex circumstantiis omnib. concurrentibus coniecturis est iudicandum, num mens testatoris fuerit, relinquere fœminæ illi ea ducentà sub conditione proprie dicta si nubat; an solum tanquam modum, non intendendo obligare ad nuptias, sed solum intuitu earum, & boni talis fœminæ, tribuere medium vt esse possent, vel potius intendendo obligare ad nuptias, ita vt si non sequantur, pecuniam amittat. In primo euentu, quando scilicet sub ea conditione proprie dicta relicta sunt, tunc legatum non debetur hæredibus puellæ: quoniam ante conditionem impletam, neque puellæ neque hæredibus illius erat debitum. Quare, si testator reliquit legatum illud tanquam opus pium atque in bonum animæ suæ ex illis ducentis, nuptui est tradenda alia similis puella. Si verò non reliquit illud tanquam legatum pium, sed in bonum duntaxat puellæ pertinet ad hæredes testatoris. In secundo vero euentu, quando scilicet reliquit legatum illud sub modo, non intendendo obligare ad illum, sed so-

lum tribuere medium, quo posset executioni mandari; tunc pertinet ad hæredes puellæ, esto illud puellæ reliquerit tanquam opus pium in eleemosynam, & esto caueritᵃ, vt illi non traderetur ante nuptias, ne ea bona in aliis rebus consumeret: eo enim ipso, quod testator è vita discesserit puella illa comparauit dominium talis legati, aut ius ad illud plenum ac absolutum ab omni conditione, & onere, tametsi ex testatoris præscripto in alterius manu vsque ad nuptiarum tempus asseruaretur tanquam in depositu, quare transmittit illud puella ad ipsius hæredes. In tertio autem euentu, quando videlicet intendit inducere obligationem modi nuptiarum, ita vt si puella, morte etiam præuenta, non nuberet, legatum amitteret; tunc distinguendum est. Quoniam sitanquam pium opus id ei reliquit, conuertendum est in aliud simile opus pium. Si vero non tanquam pium opus illud reliquit, pertinet ad hæredes defuncti. In dubio tamen semper in fauorem piæ causę est inclinandum, præsumendumque est tamquam legatum pium fuisse relictum. Lege, quæ de hac re copiosius disputatione ducentesima octaua sunt explicata.

SVMMARIVM.

1 *Ad Ecclesiasticos & seculares magistratus spectat compellere, vt defunctorum voluntates executioni mandentur.*

2 *In Lusitania tamen locus est præuentioni, sed intra annum & mensem.*

3 *Hospitalium institutiones ad Prælatos spectant Ecclesiasticos.*

4 *Quando Prælati compererint aliqua onera, quæ nondum sunt impleta, in Capellis & confraternitatibus, cogere possunt, vt executioni mandentur.*

5 *Vtrum quando dispositio non est ad pias causas, cura, vt illa executioni mandetur, ad Episcopum pertineat.*

6 *Insinuatio testamenti, quando testator erat laicus, coram iudice seculari fieri debet.*

7 *Quæ de Episcopis & vicariis eorum dicta sunt, competunt etiam iis, qui quasi iurisdictionem Episcopalem habent.*

8 *Quando hæredes aut alij executores in mora mandandi executioni voluntatem defuncti, ad quemnam de populo spectat, admonere iudices seculares, vt executioni mandetur.*

RATIONEM EXIGERE EXECVTIonis testamentorum, executoresque cogere vt defuncti voluntatem adimpleant, ad quos iudices spectet.

DISPVTATIO 250.

IVxta dispositionem iuris communis, tam ad Episcopos, eorumq; vicarios, quam ad seculares principes, iudicesque ab eis destinatos, spectat cura & cõpulsio, vt defunctorum voluntates executioni mandentur, rationem ab hæredibus, aliisque executoribus testamentorum, exigendo, & si opus fuerit, illos ab administratione remouendo, ac pœnis competentibus puniendo. Et quidem quod ad Episcopos, eorumq; vicarios, præsertim quando dispositiones sunt ad pias causas, id pertinet, manifestum est ex *c. 3. c. si hæredes. cap. tua nouit, & l. Ioan. de test. & ex Concil. Trid. sess. 22. ca. 8. de reform.* vbi simul conceditur *Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, ius visitandi hospitalia & collegia quæcunque ac confraternitates laicorum, etiam scholas, quas siue quocunque alio nomine, vocant (non tamẽ, quæ sub legum immediata protectione sunt, sine eorum licentia) eleemosynas montis pietatis & caritatis, & pia loca omnia, quocunque nomine nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis priuilegio sint munita: ac vt omnia, quæ ad Dei cultũ, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, iuxta sacrorum canonum statuta, cognoscant, & exequantur, non obstantibus quacunque consuetudine, etiam immemorabili, priuilegio, aut statuto.* Hactenus Concilium ibi. Consonant præterea *auth. de Eccles. tit. §. si quis ædificationem, & l. 7. ti. 10 p. 6.* Quod vero ad iudices quoque seculares spectet cura & cõpulsio, vt vltimæ defunctorum voluntates executioni mandentur, etiam quando dispositiones sunt ad pias causas, constat ex *auth. de Ecclesiast. tit. §. si quis ædificationem. & ex l. hæreditas. ff. de pet. hæred.* quibus in iuribus ea cura promiscue iudicibus secularib. & Ecclesiasticis cõceditur. Quo fit, vt res hæc mixti fori sit; ideoque proinde locus præuentioni, ita vt ad eum iudicem causæ cognitio pertineat, qui prius ea de re cognoscere inceperit. Ita affirmant Lusitaniæ Ord. *l. 2. ti. 35. §. 4.* & Const. huius Eborensis Archiepiscopatus *ti. 21. c. 4.* & consentiunt Greg. Lopez *ad l. citatam*, Panor. *c. si hæres de test. num. 3.* Couar. *ibid. n. 1.* & alij.

In hoc tamen Lusitaniæ Regno, ad dissensiones & incommoda vitanda, de communi principum & prælatorum consensu sancitum est, vt sit quidem locus præuentioni, verumtamen, vt intra annum & mensem; de iure eiusdem Regni executoribus cõcessum ad defunctorum vltimas voluntates executionem mãdandas, itemque intra tempus à testatoribus ad hoc ipsum executionibus concessum, vel si à principe tẽpus illis sit prorogatum, citatio facta à secularibus vel ab Ecclesiasticis ministris, sit nulla ad effectum, vt ratione illius præuenta iurisdictio censeatur, eaque de causa possit nihilominus transacto eo tempore iurisdictio ab alio præueniri. Itemq;, vt si executor intra annum & mensem sua sponte velit rationem reddere, quia videlicet defuncti voluntatem mãdauit iam executioni, teneatur eam reddere corã ministro seculari & Ecclesiastico simul, & vt aliter reddita, sit eo ipso nulla. Præterea, vt quando coram vtroque iudice ratio redditur, instrumentum iudicis, quo pronunciatur integre voluntatem defuncti mandatam fuisse executioni, alternatim fiat, vnius quidem testamenti, à tabellione iudicis Ecclesiastici alterius vero à tabellione iudicis secularis. Hæc habentur *libro 2. Ord. tit. 35. §. 4.* & in Const. huius Eborensis Archiepiscopatus *ti. 21. c. 4.* In ordinationib. §. 6 additur, vt si executores, transacto tempore illis ad executionem concesso, se absconderint, neque in suis domib. fuerint reperti, dum ministri publici eos citare volunt, valida sit citatio facta coram vxoribus, familiaribus aut vicinis eorum.

Quando capellę aut hospitalia autoritate & de cõsensu prælatorum sunt instituta idque vel ex institutione ipsa constat, vel aliunde sufficienter probatur, etiamsi à laicis instituta sint, visitatio, & prouisio eorum, exigereque ab administratoribus rationem, & compellere vt iuxta institutorum voluntatem omnia fiant, pertinet ad solos prælatos, eorumq; vicarios, nõ vero ad iudices seculares: quoniã eo ipso, quæ eo pacto instituta sunt cẽsentur res sacræ. Idẽ est quãdo, licet autoritate prælatorũ instituta nõ sint, administratores tamẽ sunt personæ Ecclesiasticæ. In vtroque etiam euentu si expediat vt aduersus personam secularem lis aliqua in bonum hospitalis aut capellæ, intentetur aut vt debitum ab eo exigatur, compellere possunt prælati ad ministratores, vt, id intentent ac exequantur. Lis tamen peragi debet coram iudice seculari, eo quod actor sequatur forum rei. Hæc habentur *lib. 2. Ordin. ti. 35. §. 40. & 41.*

Item

4 Item *l.2.titu.16.part.1.legum extrauagantium* sanctum est, quando prælati, aut eorum visitatores, compererint aliqua onera, quæ nondum sint impleta, in capellis, hospitalibus, aut confraternitatibus: quas visitarint, vt si ea de re certiores faciant, *aos prouedores è contadores dos resíduos*, hi, si ita rem habere compererint, teneantur cogere administratores, vt rem executioni mandent, vt dispositio Concilij Tridentini, de qua supra habitus est sermo, commodius ac citius ad effectum perducatur.

5 Dubitant Doctores, vtrum etiam, quando dispositio non est ad pias causas, cura, vt illa executioni mandetur, ad Episcopum & eius vicarium pertineat, intentata etiam coram ipsis actione aduersus executores, aut hæredes ab eo, cui à testatore aliquid relictum est. Licet autem quidam negent, quando hæres ac executor laicus est, eo quod actio forum rei sequatur, glossa tamen, *cap. si hæres de testamen.* quam sequuntur Panormitan. *ibi numer.7. & in relect. cap. cum eßes de testament. numer.32.* Hostien. *cap. Ioan. eodem titu.* Couar. *cap. si hæres citato. numer.5* Syluest. *verb. testament. 2 quæstio. 8. &* multi alij quos citant, contrarium affirmant. Ducuntur, quoniam adimpletio voluntatis defuncti, in ipsius defuncti bonum, Episcopis ex officio suo est commissa, etiam quando non est ad pias causas, vt ex multis iuribus ostendit Panormitan. & perspicue affirmat *l.7.titu.10.part.6* quare, in consequentiam, pertinet etiam ad prælatum, quando aduersus executorem aut hæredem laicum intentatur actio, efficere, vt ea via, in defuncti bonum ipsius volũtas mãdetur executioni. Atque hæc opinio, vt communior, & magis pia placet, cui consentiunt Lusitanæ Ordination. *titu. citato*, quatenus statuunt, curam, vt defuncti voluntas executioni mandetur, promiscue pertinere ad prælatum, & ad iudices seculares; tamen si. § 40. nonnulla restrictio fieri videatur ad solas causas pias.

6 Couar. *numer. 3. citato cum glossa in eodem cap.* & multis aliis, merito aduersus Imolam & quosdam alios affirmant, insinuationem nihilominus testamenti, quando testator erat laicus, etiam si hæres aut executor Ecclesiasticus sit, fieri debere coram iudice seculari, & non coram Ecclesiastico. Quando vero testator esset Ecclesiasticus debere fieri coram iudice Ecclesiastico. Denique quando compertum esset, testamentum laici esse solum ad pias causas, posse insinuationem promiscue fieri coram iudice Ecclesiastico vel seculari.

7 Duo obseruanda sunt. Primum est, quæ de Episcopis & eorum vicariis dicta sunt, & disputatione sequenti dicentur, circa iurisdictionem & curam ac compulsionem, vt defunctorum voluntas impleatur, competere etiam iis, qui quasi Episcopalem iurisdictionem habent, vt sunt multi Abbates ex priuilegio aut præscriptione, & est capitulum sede vacante. Ita cum Panormitan. *cap. Ioannes de testa. nu.2.* Couar. *ibid. num.1. & 3.* & communis doctorum sententia.

8 Secundum est, quando hæredes, aut alij executores sunt in mora mandandi executioni voluntatem defuncti, ad quemuis de populo spectare admonere prælatos & iudices seculares, ab eisque exigere, vt executioni mandetur. Ita habetur in *authen. de Ecclesiast. titu. §. si autem qui hoc facere. i. nulli, in fine. C. de Episcop. & cleric. & l.7. titu. 10. part. 6.* Quæ vniuersim loquitur, etiam de non pia dispositione defuncti. Lege Couar. *cap. si hæres de testam. numer. 2. & Gregor. Lopez. l.7. citata.*

(?)

SVMMARIVM.

1 *Quando testator ipse expreßit, intra quantum tempus volebat suam adimpleri voluntatem, intra illud est implenda, si fieri ita posßit.*

2 *Quando à testatore non fuit præscriptum ad executionem suæ voluntatis, tunc executores tenentur legata pia mandare executioni intra semeßre à die insinuationis testamenti.*

3 *Quid si intra annum executores non impleuerint post ad monitionem.*

4 *Ad quem in eo euentu deuoluatur munus exequendi defuncti voluntatem, & cui applicandum sit emolumentum, quod prior ille executor amittit.*

5 *In Lusitania admonitio nulla necessaria est.*

6 *Antequam pœnas executor incurrat, condemnatoria prius sententia ferri debet.*

7 *Quid si executores impedimentum habeant ad executionem mandandum voluntatem defuncti.*

8 *Quid si testator prohibeat rationem exigi ab executore, à se designato.*

9 *Quid si præcipiat, vt executio ad Episcopum non deuoluatur.*

10 *Quando is, cui aliquid legatum est, id non exigeret, debet iudex ex officio compellere executorem, vt id soluat, si sit in mora.*

11 *An ante annum, & in legatis piis ante completum semestre à testamenti insinuatione, posßit iudex præcipere executoribus, vt voluntatem testatoris executioni mandent.*

12 *Quando defunctus præcepit ædificari Ecclesiam, tenentur executores illam complere ante quinquennium.*

13 *Quid quando reliquit non executorem, sed electorem pauperum, & is intra annum eligere negligat.*

14 *Quid in Concilio Tridentino statutum sit, circa administratores, fabricæ cuiuscunque Ecclesiæ.*

INTRA QVOD TEMPVS HÆredes & executores voluntatem defuncti implere teneantur.

DISPVTATIO 251.

QVando testator ipse expreßit intra quãtum tempus volebat suam adimpleri voluntatem, intra illud est implenda, si fieri ita posßit neque ante id ela psum possunt iudices seculares vel Ecclesiastici rationem exigere ab hæredibus aut aliis executoribus, ad impleuerintne defuncti voluntatem, neque compellere eos possunt, vt intra breuius tempus illam ad impleant. Ita habetur *lib.2. Lusit. Ordinatu.35.§.1* & in const. huius Eborensis Archie. *if. tit. 21. c. 1. & l. 8. tit. 10. part. 6.* Consentiunt Greg. Lopez *ibi*, Panor. *ca. 2. de test. n. 10.* Couar. *ibid. nu. 1.* Sylvest *verb. testamentum. 2. q. 6.* & Doctores communiter. Ordinationes, & consti. locis citatis addunt, quando testator dixit, si executores id implere non potuerint intra primum annum, impleant intra secundum: & si in secundo implere non possunt, impleant in tertio, teneri coram iudicibus probare, se non potuisse illam implere intra primum annum, & tunc concedetur eis secundus, aut etiam tertius, alioquin incidunt in pœnas statutas non implentibus voluntatem defuncti tempore debito, de quibus mox dicetur. Doctores etiam citati obseruant, tempus à defuncto præscriptum, vt vltima ipsius voluntas impleatur, intelligendum esse, à die

à die scientiæ executorum atque aditæ hæreditatis, A
esto testator dixerit à die mortis suæ. Quod probant *argumento rex. in l. statu liberos. §. si quis haredi ff. de statu liber. & in l. vlt. §. si autem duobus, iuncta gl. ibi. C. de in re delib.* Idem affirmant intelligendum esse de tempore dato à iure, aut à Constitut. Synodali. ad implendam defuncti voluntatem, esto solum meminerint temporis à morte defuncti.

2 Quando à testatore non fuit præscriptum tempus ad executionem suæ voluntatis, tunc executores tenentur legata pia mandare executioni intra sex menses numeratos à die insinuationis testamenti (intelligo, ac scientiæ executorum) idque sub pœna reddendi illa cum fructibus omnibus & emolumentis, quæ à die mortis defuncti poterant ex eis percipi. Ita habetur in *auth. de Eccles. stat. titul. §. si autem hæres, vers. si autem legatum.* Quod si semel, atque iterum admoniti per Episcopum, aut ipsius Vicarium vel nuncium B
publicum, ea distulerint mandare executioni, incidunt in eandem pœnam, & insuper priuantur commodis omnibus testamento ipsis relictis. Ita habetur in *eod. auth. §. si quis autem pro redemptione. ver. si autem qui hoc* & affirmant Panor. *c. 3. de test. nu. 10. & 11.* Couar. *ibid. num. 6.* Idem Panor. *ca. si heres de test. &* Couar. *ibid. vterque num. 5.* Sylueſt. *verb. teſt. 2. qu. 6.* & Doctores communiter. Panor. *num. 11. cit.* & Sylu. *vbi supra q. 8.* addunt, in hoc vltimo euentu, vltra pœnas prædictas, executionem testamenti eo ipso deuolui ad Episcopum, consonant *vers. si autem qui hoc, citatum, & l. vlt. titul. 10. p. 6.* Vltra hæc omnia, si post binam administrationem executionem differant vsque ad latam sententiam, condemnari insuper possunt, vt soluant legatum duplum, vt colligitur ex §. C
ex maleficiis, verb. item mixta, instituit. de actionib. & asserunt Panor. & Couar. *num. 5. tit.* Sylueſt. *verb. teſt. 2. quæſt. 6.* & alij quos citant.

3 Quando à testatore nullum tempus præscriptum est, vt vltima ipsius voluntas executioni mandetur, si executores intra annum post admonitionem per iudicem, aut alium ex iudicis decreto ipsis factam, vt testatoris impleant voluntatem, eam non adimpleuerint, siue talis voluntas ad pias causas fit, siue non, in pœnam incedunt amissionis muneris executorum, & insuper amittendi quicquid à testatore ipsis fuit relictum, præter suam legitimam portionem, si ipsis in bonis defuncti erat debita, vt quia erant descendentes, vel ascendentes, deficientibus descendentibus, aut quia erant patroni. Ita habetur in *authentica hoc amplius. C. de fideicom.* & dilucidius ac melius in *auth. de hæred. & Falcid. §. si quis autem non amplius, &* § *vlt. vers. non autem excipimus.* D

4 *Dubium.* Dubium tamen est, ad quem in eo euentu deuolnatur munus exequendi defuncti voluntatem, & cui applicandum sit emolumentum, quod prior ille executor amittit. Dicendum est, si testator sibi de *Decisio.* executore prouidit in euentu, quod executor ab eo designatus esset negligens, tunc is succedit in executione, vt affirmant Panormita. & Couarruuias *cap. tua nobis de testam. vterque, n. 6.* idem Couarruuias *cap. tertio de testamento numero secundo*, Sylueſt. *verb. testam. 2. quæstion 8. pronuncia. 4.* multi alij, quos Couarruuias citat. Eademque ratione, si testator de emolumento executori relicto in euentu negligentiæ illius quicquam disposuisset, standum esset dispositioni testatoris Quin, vt Sylueſter. *loco citato, quæstione vndecima* probe obseruat, si testator de suis propriis bonis E
aliquid disponeret in modum pœnæ executori si esset negligens, vt verbi gratia, si intra tantum tempus non solueret alicui legatum aliquod, vt solueret ei duplam, teneretur executor in foro conscientiæ nulla spectata sententia eam pœnam soluere: quoniam testator de suis propriis bonis disponere pro suo arbitrio potest apponendo grauamen, quod voluerit; & quod vim habeat in foro conscientiæ, nulla expectata sententia. Si vero testator de executore nō prouidit in euentu negligentiæ executoris ab ipso designati; neque expressit, cui esset applicandum emolumentum illi relictum; tunc, si dispositio sit ad pias causas, Episcopus succedit in executione, & commodum priori executori relictum applicandum est piis causis, vt patet ex *auth. de Eccles. stat. tit. §. si autem qui hoc, & ex l. nulli, Cod. de Epiſc. & cler.* & consentiunt multa ex capitibus supra citatis. Si autem dispositio non sit ad pias causas, tunc iuxta opinionem, quam cum Panorm. & aliis disp. præcedente sumus secuti, nempe curam, vt hæc executioni mandentur, spectare non solum ad iudices seculares, sed etiam ad Episcopos & eorum vicarios, executio deuoluitur ad Episcopum, si Ecclesiasticus iudex preueniat, deponatque executorem. Ita Panorm. *in relect. c. cum esses de test. n. 33. & cap. si hares, eod. titul. num. 7.* & DD. quos supra citauimus. Atque emolumentum relictum priori executori, distribueretur tunc in pias causas, idque disponunt Const. huius Eborensis Archiepiscopatus *tit. 21. ca. 1.* Si vero secularis iudex præueniat, deponatque executorem, tunc de iure communi succedunt, in executione, primo hæredes alij, si qui in eo testamento sunt scripti; his vero deficientibus, aut nolentibus adire hæreditatem, succedunt fideicommissarij, aut legatarij, & ita quidem alij ordine quodam, vt patet in *authentica hoc amplius. C. de fideicom. & in auth. de hæred. & Falcid. citato*, illisque ac crescit emolumentum, quod à priori executore auferetur. De iure autem Lusitano, executio deuoluitur ad ministros publicos, vt habetur *li. 2. Ord. tit. 25. §. 11.* & sequentibus, & emolumentum executori relictum applicatur in redemptionem captiuorum tradendumque est ministro, quem *Manipostero dos* captiuos appellant, vt *ibid. §. 12.* habetur. *In Cast.*

Obseruandum tamen hoc loco est, iam hodie necessariam non esse admonitionem per iudicem Ecclesiasticum imo neque per secularem in hoc Lusitano Regno. Ratio est, quoniam in constitutionibus Episcoporum consueuit ferri lex, vt si executores intra annum testatoris voluntatē non adimpleant, eo ipso absque alia admonitione amittant, tum munus executoris, tum etiam emolumentum testamēto ipsis relictum. In hoc autem Regno, tam in constitutionibus Episcoporum, quam *lib. 2 ord. tit. 35. §. 2.* sancitum est, vt eo ipso, quod executores intra annum & mensem à morte testatoris voluntatem illius non impleuerint, amittant munus executoris, & priuentur legato ac commodo aut præmio ipsis à testatore relicto. Atque in constitutionibus huius Eborensis Archiepiscopatus *tit. 21. ca. 1.* insuper additur pœna excommunicationis, non quidem latæ sententiæ, sed ferendæ. In ordinationibus *tit. cit. §. 11.* habetur, esto executores post annum impletum voluntatem testatoris adimpleant, modo tamen integre eam antequam citentur compleuerint, executioni mandari non posse aduersus illos prædictas pœnas. 5

Illud etiam est obseruandum, esto quis in prædictas incidat pœnas, non teneri tamen eas exequi aduersus seipsum, sed posse expectare vt sententia condemnatoria prius feratur, nihil impediente, quod in aliquibus ex iuribus in quibus statuuntur, dicatur, quod in eas incidant ipso iure, aut ipso facto. Ita aduersus multos alios Couar. *c. si hæredes de test. num. 8.* & alij quos citat, habeturque expresse *l. vlt. tit. 16. p. 6.* satisque perspicuum est ex iis quæ disp. 95. & 96. dicta sunt. 6

Dubium est. si executores impedimentum habeant ad executioni mandandam defuncti voluntatem, vtrum tempus, in quo ita fuerint impediti, computandum sit in partem temporis ad defuncti voluntatem implendam ipsis concessi. Quicquid autem quidam in contrarium asseruerint, dicendum est, computandum illis non esse. Ita Panor. *in relect. c. cum esses de test. num. 34.* Couar. *c. 3. de test. n. 4.* & alij quos citat. Licet enim quando tempus datur merè in 7 *Dubium.* *Decisio.*

fauorem

fauorem alicuius, tempus impedimenti computari A soleat in partem temporis dati; secus tamen res habet, quando ita datur in fauorem vnius, vt simul cedat ad conuincendam ac puniendam negligentiam eius, cui datur, vt in re proposita cernitur. Hoc tamen limitat Cou. loco cit. nisi impedimentum esset perpetuum, aut ad longissimum tempus in executore, & non ita esset in aliis: tunc enim ad pœnam euadendam teneretur adire iudicem, & petere alium executorem loco sui, aut significare illi suum impedimentum. Atq; hac de causa iure optimo in constitutionibus huius Archiepiscopatus, *c. 1. cit.* sancitum est vt si executori superueniat aliquod impedimentum teneatur significare id prælato; aut ipsius vicario, alio quin tempus impedimenti cõputetur illi in partem temporis ad executionem eidem concessi. Idem habetur in Ord. *tit. 35. cit.* §. 2. Vbi excipitur, nisi adhibita competenti deligentia per executorem, obtinere B non potuit prius bona defuncti vel quod litigiosa essent, vel quod ab alio possiderentur: tale namq; tempus illi non computatur in partem temporis concessi, esto quando eiusmodi aderat impedimentum id

3 iudici non manifestauerit.

Dubium. Dubiũ deinde est, si testator prohibeat rationem exigi ab executore à se designato, an nihilominꝰ possint ac debeant iudices Ecclesiastici & seculares eam

Decisio. ab illo exigere modo hactenus explicato. Respondendumꝰ est, posse ac debere eam exigere. Ita habetur in *auth. de Eccles. tit. §. si autẽ pro redemptione. in auth. licet* C. *de Epis. & cler. c. tua nobis de test. lib. 2. Ord. tit. 21. c. 1.* consentiunt gl. Pan. Cou. *c. tua nobis de test. vt quæ n. 6.* Syl. *verb. test. 2. q. 8. pronunc. 5.* & Doctores communiter. Ratio vero est, quoniam exigere eiusmodi rationem est munus publicæ potestatis in Reipublicæ C commune bonum introductum, quod testator non potest impedire, præsertim cum eiusmodi impedimentum præberet occasionem peccatis.

9 Dubium præterea est, si testator præcipiat, vt exe-

Dubium. cutio ad Episcopum non deuoluatur, num ad eum nihilominus deuoluatur in euentu, quod executor testamentarius negligens sit, aut exequi non possit

Decisio. defuncti voluntatem. Respondendumque est, non deuolui quidem, si testator de alio executore sibi in eo euentu prouidit: atque hoc est, quod Panor. & alij volunt loco citato. Cæterum si testator de nullo alio executore sibi in eo loco prouidit, tunc deuolui ad iudicem Ecclesiasticum, aut secularem, eo modo quo supra explicatum est. Ratio est, quoniam id à iure in eo euentu illi conceditur. nec potest testator tollere ius. Consentiunt. glos. Panor. Couar. & Sylvest. D *locis citatis.*

10 Illud hoc loco obserua, etiam quando is, cui aliquid testamento est relictum, id non exigeret, posse iudicem ac debere ex officio suo compellere executorem, vt id soluat, si sit in mora. Hac ratione, licet fratres minores petere in iudicio non possint, quæ ipsis per vltimam voluntatem relinquuntur, iudex tamen sciens illa eis esse debita, compellit ex officio suo hæredes aut executores, vt ea illis soluant; solentque minores fratres habere ad hoc syndicum deputatum, qui iudicem de eiusmodi admoneat rebus. vt Panorm. *ca. 3. de test. n. 5.* ait. Idemque omnino dicendum est, de relictis domibus professis nostræ E societatis.

11 Dubium item est, vtrum ante annum, & in legatis

Dubium. piis ante completos sex menses à testamenti insinuatione, possit iudex præcipere ac cogere executores,

Decisio. vt testatoris voluntatem executioni mandent. Respondendumque est cum Panor. *c. si hæredes de testam. num. 4. & 5.* cum Couar. *ibid. num. 4.* & aliis, posse. Etenim quando nullum est legitimum impedimentum, quod hæres aut executor possint obtendere, vel circa inuentarij confectionem, vel circa aliquid aliud, cogere eos potest iudex, vt cum primum potuerint defuncti voluntatem exequantur, idque censuris Ecclesiasticis, aut eis interdicendo bonorum defuncti administrationem, vt colligitur ex cap. si hæredes citato. & probant, *l. cum res ff. de leg. 1.* quæ statuit, si res legata propria erat testatoris, & hæres copiam illius habet, teneri eam statim absque vlla mora soluere; & *l. si domus §. in pecunia ff. eo tit.* quæ habet, si pecunia legata sit, debere solui intra breue tempus idem probat *l. 6. tit. 10. part. 6.* quæ docet, quam primum executores potuerint, teneri mandare executioni voluntatem defuncti. Quæ autem supra dicta sunt de spatio sex mensium in legatis piis aut anni in reliquis, vel anni & mensis de iure Lusitano, intelligenda sunt ad effectum, vt executores puniantur pœnis amissionis muneris & aliis supra commemoratis, atque vt exigi ab eis ratio possit, num integre defuncti voluntatem impleuerint. Quo loco obserua, executores peccare posse lethaliter differendo absque iusta causa per tempus notabile exequi defuncti luntatem, idque tum aduersus eos, quibus bona defuncti: sunt debita contra, quorum voluntatem iniuste ea bona detinentur, eorumque vsu priuantur: tum etiam aduersus defunctum ipsum, quoad eleemosynas suffragia, & alia legata pia: eorum quippe executio licet defunctorum merita non augeat, satisfactionem tamen pro peccatis eorum operatur, atque adeo in causa est, vt citius à purgatorij pœnis eruantur, diuinoque fruantur conspectu. Vt recte tamen Sylvest. *verb. test. 2. q. 9.* adnotauit, restiturio eorum, ad quæ defunctus tenebatur, & quam facere præcepit, neque ad defuncti meritum neque ad satisfactionem spectat. Quo fit, vt executor eam differendo non tam peccet in defuncti detrimentum, quam eorum, quibus ea bona debentur, quique in-

C iuste priuantur vsu rerum ipsis debitarum.

12 In *authentico de Eccles. tit. §. si quis ædificationem*, statuitur, vt quando defunctus præcepit ædificari Ecclesiam, executores teneantur illam complere intra quinquennium, quando vero hospitale, aut aliam similem domum, tenentur intra annum. Hostiensis, & quidam alij arbitrantur, ius hoc, quoad horum primum, abrogatum esse *c. 3. de test.* vbi statuitur, executores teneri ædificare monasterium intra annum à die monitionis factæ per Episcopum, longeque maiori cum ratione tenebuntur intra tempus ædificare Ecclesiam, quæ facilius, quam monasterium construi vt plurimum potest. Panor. tamen *c. 3. citato n. 9.* Couar. *ibid. nu. 6* & alij rectius affirmant, caput illud intelligendum esse quoad ædificij inceptionem, non vero quoad consummationem nisi commode intra

D annum possit absolui. Tempus namque complementi cuiusque ædificij à defuncto iussi ædificari, iudicis arbitrio pro qualitate & quantitate operis, aliisque circumstantiis concurrentibus est statuendum. Atque hoc ipsum innuit authenticum citatum, dum in eo subiungitur, si hospitale tale intra annum compleri non possit, executores teneri emere, aut locare domum, in qua exerceantur misericordiæ opera, quæ testator in eo exercere præcepit.

13 Postremum dubium in hac materia est, si testator

Dubium. reliquit quempiam, non quidem executorem, sed electorem pauperum, quibus aliquid sit distribuendum aut puellarum orphanarum, quæ nuptui sint tradendæ, vel alterius similis rei, is vero intra an-

E num aut sex menses, eligere negligat, vtrum eo tempore elapso, ius eligendi transeat ad Episcopum Bartol. & post eum Panormit. *cap. 3. de testam. num. 12.* &

Decisio. alij negant transire. Ducuntur, quoniam, qui eligere neglexit non erat executor, sed electori iura autem solum loquuntur de executore; dũ eũ munere priuant. si intra tempus lege præscriptum defuncti voluntatem executioni mandare negligat. Contrariam sententiam affirmant Sylvest. *verb. testament. 2. quæstion. 8. pronunc. 2.* Couar. *cap. 3. citato, numer. 7.* & communior Doctorum sententia quam Couar. citat; estque nobis amplectenda, eo quod vtrobique

sit eadem ratio, electioque in eo ettentu quasi pars quædam sit executionis ad eam prærequisita. Quo fit, vt iura, quæ statuunt, executionem deuolui ad Episcopum per negligentiam executorum intra annum aut menses, idem intelligere censeantur de eiusmodi electione.

14 Illud postremo est admonendum, in Con. Trid. *sess. 22. c. 6. de reformat.* sequentem legem fuisse latam. *Administratores, tam Ecclesiastici, quam laici, fabricæ cuiuscunque Ecclesiæ etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, montis pietatis & quorumcunque piorum locorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis ordinario, consuetudinibus, & priuilegiis quibuscunque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum his adhibeatur etiam ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.* Hæc ibi. Quibus ad laudem Dei omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus sancti nec non intemeratæ Virginis Mariæ, vltimis voluntatibus, totique huic primo tomo de Iustitia finem imponimus.

(?)

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVORVM EXPLANATIO INTELLIGI ex hoc opere aliqua ex parte potest.

Numerus, columnam indicat: Litera, columnæ partem.

GENESEOS.

1 FAciamvs hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, vniuersæque terræ. 92.E

1 Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, &c. Et rursus. Ecce dedi vobis omnem herbam. 94.A

2 Ecce dedi vobis herbam afferentem semen, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus 93.A

2 Faciamus ei adiutorium simile sibi. 112.A

3 Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. 38.A, 112.A

3 Spinas & tribulos germinabit tibi. 100.D

4 Fuit Abel pastor ouium, & Caim agricola. 103.E

14 Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum [erat enim Sacerdos Dei altissimi] benedixit ei. 107.E

14 Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. 406 B

21 Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo. Et infra. Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua. Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen. 652.D

25 Dedit Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret. ibid.E

25 Vendidit primogenita. 108.A

47 Præter terram Sacerdotum. 154.C.155.A

49 Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius. 97.D.133.E

EXODI.

21 QVi percusserit seruum aut ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. Si percusserit quispiam oculum serui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo, aut ancillæ, similiter dimittet eos liberos. 203.A

21 Sin autem dixerit, nolo egredi liber, &c. vsque ad illa verba. Seruiet tibi vsque in æternum. 164.E

23 Insontem & iustum non occides. 463.D

23 Non accipietis munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. 358.A

LEVITICI.

25 SI paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, &c. Et infra. Seruus & ancilla sint vobis de nationibus, &c. vsque ad illa verba, ac possidebitis in æternum. 158.D

DEVTERONOMII.

4 NE forte eleuatis oculis ad cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus in ministerium multis gentibus, quæ sub cœlo sunt. 94.D

4 Scitis, quod docuerim vos præcepta, atque iustitias, quas ego præcipio tibi. 5.D

5 Ne dicas in corde tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, &c. 4.E

11 Sin autem dixerit, nolo egredi liber, &c. vsque ad illa verba, seruiet tibi vsque in æternum. 162.E

17 Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. vsque ad illa verba, vt nullus deinceps intumescat superbia. 147.B

18 Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Deus tuus. Ipsum audies. Et infra. Prophetam suscitabo eis, &c. vsque ad illa verba, ego vltor existam. 131.C.135.B

20 Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem; si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo: si autem fœdus inire noluerit, & acceperit contra te bellum, oppugnabis eam, &c. 424.A 456.C

20 Cum tradiderit Dominus Deus tuus illam in manus

manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est absque mulieribus & infantibus. 463.D,464.C.471.A

REGVM.

1.Reg.9. SPORTVLAM non habemus, vt demus homini Dei. 349.D

1 Reg 13. Afferte mihi holocaustum & pacifica. Et obtulit holocaustum. Stulte egisti, &c. 108.E

3.Reg 15. Abiecit te dominus ne sis Rex. 96.C.98.D

2.Reg.24. Percussit cor suum Dauid, &c. 97.C

1.Reg 1. Stans super eum, occidi illum. 21.D

PARALIPOMENON.

2.Paral 7. SI feceris iuxta omnia, quæ præcepi tibi, & iustitias meas, iudiciaque seruaueris, suscitabo thronum Regni tui, &c. Si autem auersi fueritis, & dereliqueritis iustitias meas, & præcepta mea, quæ præcepi vobis, euellam vos de terra. 5.D

2.Para 26. Adolere voluit incensum super altare, &c. 108.E

PSALMORVM.

2 EGO autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. 109.B.130.D.135.B

2 Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam. 130.B.133.B

4 Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Multi dicunt, quis ostendet nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine. 4.E.9.B

8 Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas, volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. 95.B

17 Omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli à me. 5.D

21 Regnum ipsius omnibus dominabitur. 130.B

81 Eripite pauperem à potente, & egenum de manu peccatoris liberate. 406.D

88 Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & iustitias meas, &c.

88 Disposui testamentum electis meis, iurauí Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum, & ædificabo in generatione, & generationem sedem tuam. 132.A.133.B

98 Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius. 108.D

102 Regnum ipsius omnibus dominabitur. 130.B. 133.B

104 Nolite tangere Christos meos. 154.C

113 Cœlum cœli domino: terram autem dedit filiis hominum. 94.C.95.B

PROVERBIORVM.

8 PER me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. 128.C

24 Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses. 432.A

ECCLESIAST.

41 SAPIENTIA abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque. 114.C

ISAIAE.

9 PARVVLVS natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, à modo & vsque in sempiternum. 131.E.133.B

IEREMIAE.

12 PASTORES multi demoliti sunt vineam meam. 120.E

22 Scribe virum istum sterilem, & non erit de semine eius vir, qui sedeat super thronum Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda. 132.B.133.C 135.B

EZECHIELIS.

34 & 37 SVSCITABO super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruus meus Dauid, ipse pascet eas.

37 Rursus. Seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum. 131. E. 133.B

DANIELIS

2 ECCE quasi statua, &c. 121 D

7 Regnum eius æternum, & quod non corrumpetur. 131.E.133.B

OSEAE.

8 IPSI regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui. Argentum & aurum suum fecerunt sibi idola, vt intericent. 96C.98.C

MATTHAEI.

3 APPROPINQVAVIT Regnum cœlorum. 130.D.133.B

5 Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. 4.D

5 Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum. ibid.

5 Ego dico vobis, non resistere à malo. 405. C 408.A

5 Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. ibid.

5 Facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. 98.A

6 Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. 4.D

8 Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et dixit. Ite. Et suffocati sunt. 130.C. 133.C

13 Simile est Regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem, qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa, quę habet, & emit agrum illum. 248.A

16 Tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claues Regni cœlorum. 108.E,109.B

17 Magiſter veſter non ſoluit didrachma. Quid tibi videtur Simon. Reges terræ à quibus capiunt tributum? à filiis ſuis, an ab alienis? Reſpondente Petro: Ab alienis. Intulit Chriſtus. Ergo liberi ſunt filii Ne ergo ſcandalizentur, vade, &c. 153.B,154.C

17 illum ſumens, da illum pro me & te. 155.E

18 Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; ſolueritis, &c. 109.C

21 Flagello vendentes & ementes eiecit è templo. 130.C,133.C

21 Maledixit ficulneæ, & aruit. ibid.

23 Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundum opera vero eorum nolite facere. 97.B

24 Quod ſi dixerit malus ſeruus in corde ſuo, &c. & partem eius ponet cum hypocritis. 545.E

26 Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. 405.C,408.D

26 Calicem, quem dedit mihi pater, non vis bibam illum? 408.E

26 An putas, quia nõ poſſum rogare patrem meum & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum. 409.A

28 Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. 109.B,130.A,135.D

LVCAE.

1 DABIT illi Dominus ſedem Dauid patris eius & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. 131.D,136.A

2 Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. 151.E

3 Quid faciemus & nos? Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris. 454.B

12 Homo, quis me conſtituit iudicem & diuiſorem inter vos? 132.B 136.B

14 Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. 104.D

22 Principes gentium dominantur eorũ vos autem non ſic. Sicut miſit me pater ego mitto vos. 141.B

22 Domine, Ecce duo gladii hic. At ille dixit eis, ſatis eſt. 140.A,147.D

24 Finxit ſe longius ire. 443.D

IOANNIS.

13 OMNIA dedit ei pater in manus. 130.B, 135.D

15 Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. 109.D

18 Dedit alapam IESV. Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis? 408.B

18 A temetipſo hoc dicis: vſque ad illa verba: vt teſtimonium perhibeam veritati. 131.A.132.D

19 Non haberes poteſtatem aduerſum me vllã, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea, qui me tradidit, maius peccatum habet. 135.C

21 Paſce oues meas. 147.A

ACTORVM.

5 NONNE manens tibi manebat, & venundatũ in tua erat poteſtate? &c. 105.A

10 Orationes & eleemoſynæ tuæ aſcenderũt in memoriam in conſpectu Dei. 407.A

3 Percutiat te Deus paries dealbate, &c. 408.B

AD ROMANOS.

2 TRIBVLATIO & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum: gloria autem & honor homini operanti bonum. Quicumque enim ſine lege peccauerunt, per legem iudicabuntur Nõ enim auditores legis iuſti ſunt apud Deũ ſed factores legis iuſtificabuntur, &c. Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, &c. Non enim qui in manifeſto iudæus eſt, &c. vſque ad illud. Cuius laus, non ex hominibus, ſed ex Deo eſt 4.E,5.A

2 Cum gentes, quæ legẽ non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum. 9.C

12 Nõ vos defendentes chariſſimi, ſed dat locũ iræ 405.C,408.D

13 Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit &c. 97.A,106.C,122.B,127.E,156.C

13 Non ſine cauſa gladium portat: miniſter Dei eſt, vindex ad iram ei, qui malum agit. 406.C,408.D

13 Cui tributum, tributum. 156.D

14 Quod non eſt ex fide, peccatum eſt. 268.E,274.C,670.B

AD CORINTHIOS.

QVID mihi eſt de iis, qui foris ſunt, iudicare. 431.D *1. ad Cor. 5.*

Vnuſquiſq; in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Seruus vocatus es, non ſit tibi cura, ſed & ſi potes fieri liber, magis vtere. 158.E *1. ad Cor. 7*

Nõ vir ex muliere, ſed mulier ex viro. Etenim nõ eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. 112.A *1. ad Cor. 11*

Sine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. 130.B, 136.A *1. ad Cor. 15*

Scitis gratiã Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniã propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, vt illius inopia vos diuites eſſetis. 135.B *2. ad Cor. 8.*

Qui altario ſeruit, de altario viuere debet. Nemo ſuis ſumptibus militat. 541.E *2. ad Cor. 9*

AD GALATAS.

4 QVANTO tẽpore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & curatoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à patre. 36.A

4 Eiice ancillam & filium eius. non enim hæres erit filius ancillæ. 652.D

AD EPHESIOS.

1 CONSTITVTVS ad dexteram patris in cœleſtibus ſupra omnem principatum & poteſtatem & omne, quod nominatur, nõ ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam. 130.A,136.A

5 Subiecti inuicem in timore Chriſti: Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut domino: ſicut Eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. 128.A

AD PHILIPPENSES.

6 OBEDITE parentibus veſtris in domino. Serui ſubditi eſtote dominis carnalib. cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto. Vſque ad illud. Et non hominib. 128.A

AD COLOSSENSES.

2 IPse est caput omnis principatus, & potestatis. 130 A, 136. A

AD TIMOTHAEVM.

1. ad Tim. 5 VNius vxoris vir. 14 B

1. ad Tim. 3 Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire. 117. E

1. ad Tim. 5 Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina. 551. B

1. ad Tim. 6 Quicunque sub iugo serui dominos suos honore dignos arbitrentur. Qui autem fideles habẽt dominos, non cõtemnant, quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt. Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus, superbus est, nihil sciens. 160. C

AD TITVM.

2 NEmo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. 140. C, 151. C, 436. B

1

AD HEBRAEOS.

2 QVem constituit hæredem vniuersorum. 130. B, 136. A

Omnia subiecisti sub pedibus eius: in eo autem, quod omnia subiecit, nihil dimisit nõ subiectum ei. ibi.

5 Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu: quemadmodum, & in quodam alio loco dicit. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. 109. B

Alii sine iureiurando, vsq; ad illa verba, secundum ordinem Melchisedech. ibi.

9 Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dũ viuit, qui testatus est. 474. A, 600. C

11 Sancti per fidem vicerunt Regna. 406. B

12 Profanas, vt Esau; qui propter vnam escam vẽdidit primitiua sua. 407. A

PETRI.

1. Pet. 2. SVbditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudẽ vero bonorum, quia sic est voluntas Dei. Et infra. Serui subditi estote in timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. 96. B, 122. B, 127. E

IOANNIS.

1. Ioan. 3. OMnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit & peccatum est iniquitas. 19. D

APOCALYPSIS.

HAbet in vestimento, & in fœmore suo scriptũ, Rex regum, & Dominus dominantium. 35 C, 130. A

INDEX

INDEX
PRAECIPVARVM RERVM, QVAE IN HOC OPERE EXPLANANTVR.

Numerus indicat columnam, litera columnæ partem.

Ab intestato.

B intestato quis discedere dicatur. 634.A

Ab intestato hæredes succedunt in omnibus defuncti bonis, deducto ære alieno, & competenti impensa funeris, nisi testamentum validum sit quoad legata quæ tunc deducenda etiam erunt. ibid.D

Ab intestato soli descendentes succedunt: si superstites filii defuncti sint, per capita: si vero non in vlteriori gradu succedant, ratione parentum defunctorum, succedunt per stirpitem. ibid.

Ab intestato succedunt soli ascendentes proximiores in gradu in defectum descendentium: sed iure communi cum eis succedunt per capita fratres vtrinq; coniuncti. Quod si duo ascendentes proximiores sint ex parte cuiusdam parentum, & vnus ex parte alterius, hic accipit dimidium hæreditatis. 635. F,C

Ab intestato discedenti sine liberis bona, quæ aduenerunt ex parte patris, non (vt Bartolus voluit) pertinent ad magis coniunctos ex parte patris, & similiter de bonis quæ aduenerunt ex parte matris. In Gallia tamen seruatur doctrina Bartoli, & aliquibus in locis C. Stellæ, vt in ciuitate Conchensi. ibid.C,D

Ab intestato existente: hærede parente alicui filio in bonis, quæ ex altero parente aut ex ascendentibus illius tali filio aduenerunt, si is parens ad secundas transeat nuptias, temporeque mortis illius superstes sit filius prioris matrimonii, is succedit in bonis illis, deducto vsufructu, &c. 636. C

Ab intestato deficientibus descendentibus & ascendentib. hæredes sunt collaterales proximiores in gradu vsque ad decimum. 639.E

Ab intestato fratres vtrinq; coniuncti excludunt omnes alios fratres. 640.B C

Ab intestato filii fratris vtrinq; coniuncti succedunt cum patruis per stirpitem. ibid.

Ab intestato filii fratris vtrinq; coniuncti excludunt patruos fratres defuncti ex altera tantũ parte coniunctos. ibid.D

Ab intestato, deficientibus fratribus vtrinq; coniunctis, atque horum filiis, succedunt fratres omnes ex altera tantũ parte coniuncti. ibid,E

Ab intestato succedunt per stirpitem filii fratris ex altera parte coniuncti cum patruis fratribus defuncti ex altera parte. ibid.

Ab intestato si succedant fratres ex altera parte, quorum quidam vterini sint, alii consanguinei, vterini præferuntur in bonis, quæ fuerunt matris, consanguinei in bonis patris cætera bona æqualiter diuiduntur. Idem quando filii horum fratrum per stirpitem succedunt cum patruis. 641.A

Ab intestato hæredes, quod, si vtrinq; sint coniuncti, præferãtur aliis, solum habet locum in fratribus, & filiis fratrũ, non vero in nepotibus eorum, & aliis collateralibus, sed semper proximiores defuncto in gradu succedunt illis per capita. ibid.B,C

Ab intestato discedente patre, qui quosdam filios habet inter se vtrinque coniunctos, & alios vterinos, si vnus vtrinque coniunctorum repudiet hæreditatem, in illius portione succedunt alii fratres, etiam vterini, non vero filij repudiantis, & nepotes defuncti. ibid:D,E

Ab intestato succedunt per capita filii fratrum patruo defuncto, quando non succedunt vna cum patruo aliquo superstite, neq; tunc locum habet repræsentatio. 642.E

Ab intestato filii fratris defuncti præferuntur patruo magno, cum quo sunt in eodẽ gradu, hoc est, fratri patris, aut matris eius defuncti, cui est succedendum. quare in eo euentu admittenda est repræsentatio. 645.A

Ab intestato, quãdo in linea collaterali, neq; sunt fratres, neque filii fratrum defuncti, semper proximiores in gradu succedunt per capita, absque vlla repræsentatione. ibi.

Ab intestato hæredes sibi mutuo sunt vxor & maritus in omnibus bonis, modo non sit consanguineus vsq; ad decimum gradum qui succedat, & non sit diuortium inter illos, & de Lusitano iure vir in domum vxorem receperit. ibidem.

Ab intestato succedit fiscus, si nõ sit consanguineus vsque ad decimum gradum, neque alter coniux, qui succedant. ibid.B

Ab intestato successio illegitimi. Vide illegitimus.

Absens.

Absentes & præsentes quoad præscriptionem qui. 289.D,E

Acceptio.

Acceptio alia ob honestam, alia ob turpem causam. 340.A

Acceptio tribus modis: ex parte dãtis, ex parte accipientis, & ex parte vtriusq;. 341.A

Accipere non possunt in pretium iudices, tabelliones, & alii ministri publici, qui constitutum habent aliquod stipendium iustum lege, aut conuentione pro munere aliquo exequendo, vltra id pretium, tenenturq; incrementum restituere.

Accipere non potest quis in pretium aliquid, vt rite & iuste id efficiat, quod ex munere facere aggreditur, sicut neque vt ab

vt ab iniuſtitia abſtineat, vt affirmatiuo aut negatiuo præcepto tenetur: ſi quid vero ita accipiat, reſtituere id tenetur. ib.E, & 342.A

Accipere poteſt iudex, tabellio, & quicunque alius miniſter publicus competens ſtipendium, non ſolũ pro obligatione exequendi actus ſui muneris, ſed etiam pro ſingulis actibus, quos exequitur. 343.B,C

Accipere poteſt teſtis expenſas itineris, & pretium laboris, ſi quem notabilem ſubire debeat, accedendo ad teſtificandũ, vel valorem operarum, aut lucri ceſſantis, quibus ſe priuat, eaque illi debentur, ſi quid tamen accipiat, vt verum dicat, peccat, teneturque id reſtituere. 344.A

Accipere poteſt teſtis, qui extra domicilium ad teſtificandum accedit, integras expenſas, & non ſolum incrementum vltra id, quod domi conſumeret. 348.E

Accipere poteſt iudex, tabellio, & quicunque alius miniſter publicus vltra pretium lege taxatum, moderatum aliud pretium, ſi quid inſuper efficiat, ad quod non tenetur, modoſcandalum ceſſet, neque etiam lege prohibitus ſit ea de cauſa plus accipere. Quod ſi lege inhabilis non redderetur ad id accipiendum, peccaret accipiendo, reſtituere tamen non teneretur. 344.D

Accipere ſunt prohibiti tabelliones in Regno Caſtellæ vltra pretium lege taxatum quacũque occaſione, niſi ad oppidum aliquod accedant, aut domo egrediantur ad conficiendã ſcripturam publicam, ſtipendiumque pro his illic eſt taxatum. 345.A

Accipere poteſt miniſter publicus vltra pretium lege ſibi taxatum vſque ad infimum, pretium iuſtum, quando abſq; dubio conſtat pretium taxatum non attingere infimum iuſtum, præſertim ſi conſuetudine ſit receptum vt accipiatur. Id vero euenire poteſt, ſi ſtipendium taxatum ſit antiquitus, abundantiaq; pecuniæ res omnes multum in pretio accreuerint. ib.A

Accipere non poſſunt miniſtri Regis occulte à Rege, aut contra

Ac præſcriptum ſui muneris obtentu, quod ſtipendia tenuia ſint. Idem de iudicibus, qui ad maiora munera gradatim ſolent promoueri. 345,E. & ſeq.

Accipere poſſunt iudices à Summo Pontifice delegati munera à litigantibus in cibo & potu, & nõ in aliqua alia re: modo tacite non petantur, ſed ex mera liberalitate offerãtur & intra paucos dies conſumantur, prudentis arbitrio habita conditione dantis, & recipientis, & modo frequẽter ab eodem non accipiantur. 347.C

Accipere poſſunt iidem iudices à Summo Pontifice delegati, quãdo ratione cauſæ ſibi commiſſæ extra domicilium proficiſcuntur, ſuam, ſuorumq; quos ſecum deferunt, integrã ſuſtentationem, quo ad cibum, hoſpitium, & equitatum, pro perſonæ qualitate competentem, etiamſi pingue beneficium habeant: accipere autẽ id debent ab vtroq; litigantium, niſi in vtrius commodum proficiſcantur. Non tamen debent quærere occaſionem proficiſcendi, neque accipere à pauperibus expenſas. ib.E, 348.A

Accipere non poteſt iudex ordinarius expenſas, quando domicilium egreditur. 348.B

Accipere non poteſt delegatus ab ordinario ſumptus à litigantibus: quando egreditur domicilium. Neque ipſe, aut ordinarius, poſſunt munera accipere à litigantibus, niſi vbi præſcripta fuerit conſuetudo in contrarium. ib.D,E

Accipere poteſt aſſeſſor iudicis delegati à ſummo Pontifice ſtipendium a litigantibus, quod delegatus iudex illi præſcripſerit ib.E, 349.A

Accipere non poteſt iudex delegatus à Summo Pontifice quicquam à litigantibus, præter commemorata, etiam ſponte oblata, incapaxq; eſt ad illa recipienda, teneturq; ea reſtituere danti, nihil impediente, quod reſtitutionem remittat. Si tamen hic iudex beneficium non habet vnde ſuſtẽtetur, ſumere poterit moderatum ſtipendiũ. Item, ſi poſtquam delegatus deſierit eſſe iudex, quod accepit, reſtituat iterumq; ab eo, cui reſtitutio ſit facta, illi condonetur, licite illud accipit, ac retinet. 349.B,C

Accipere ſportulas licet interdictum in iure ſit delegatis ſummi Pontificis, conſuetudine præſcripta eas accipiunt. ibid. D

Accipere non poteſt iudex ordinarius à litigantibus, quæ delegatus ſummi Pontificis prohibitus eſt accipere, teneturque reſtituere danti, ſi quid tale accipiat: ſatis tamen erit ſi is libere id remittat. 350.B

Accipere poſſunt epiſcopi expenſas, tum dum ad conſecrandas eccleſias accedunt, tum etiam dum eas viſitant. Eiuſmodi expenſa procurationes appellantur. ib.E, & ſeq.

Accipere munera, niſi à ſuis aſcendentibus, deſcendentibus, & collateralibus vsq; ad ſecundum gradum, nec non eſculenta à conſanguineis vſq; ad quartum, & ita ab amicis, aut aliter impeditis, vt cum eis cauſam habere poſſint, prohibentur iudices omnes, & quicumq; alii miniſtri publici, ſub grauiſſimis pœnis, tam ipſis, quam dãtibus: & eſt nulla ſententia iudicis, qui eam tulit in fauorem eius, à quo munus accepit. 352.B,C,D

Accipere vltra ſtipendium vnicuiq; taxatum, prohibentur miniſtri omnes publici in Luſitania ſub grauiſſimis pœnis. Neq; aduerſus eam legem eſt præſcriptio. ib.E

Accipere prohibentur iudices omnes in Regno Caſtellæ, tam per ſe, quam per alios quicquam, etiam in eſca & potu, à quibus cunq;, qui vel cauſã cũ ipſis ſint habituri, vel habuerũt, itẽq; ab iis, qui horum intuitu aliquid dederint, & graues pœnæ adduntur. 354.C,D

Accipere prohibentur tabelliones in Regno Caſtellæ ſub grauibus pœnis quicquam vltra ſtipendium ipſis taxatũ, etiam ſi gratis eis offeratur. ibid.

Acceptum in munus à miniſtro publico, à dante ſolum ad redimendam ſuam vexationem, quia alias timet miniſtrũ non facturum quod ex officio tenetur, aut aliter inuoluntarie mixte, obnoxium eſt reſtitutioni danti. 356 D

Accipi & dari miniſtro publico prohibitum, non peccat, qui dat, ſi ad redimendã ſuam vexationem id det, quia alioquin grauabitur iniuſte. ſola autem formido, quod, niſi det, forte iniuſte grauabitur, non excuſat dantem à culpa ib.E, & ſeq.

Accipi & dari prohibitum, ad redimendam vexationem cenſendum eſt licite eſſe datum, quando, niſi detur, longe maius detrimentum in ſumptibus, aut alia via iniuſte cogetur ſubire expectando, qui id dat. 357.A,B

Acceptorum in munera à miniſtris publicis, & ab illorum famulis, quando ea ratione dantur, vt ſine mora expediatur negotium dantis, etiam in dubio, an de rigore iuſtitiæ obligatio ſit reſtituendi, iniungendum eſt in pœnitentiam à confeſſariis reſtitui, ne venale fiat, quis negotiantium præponi debent in expediendo prius illius negotio, cum aliorũ grauamine & detrimento Reipublicæ. ib.C,D

Acceptum à famulo miniſtri publici, vt intempeſtiue aditum ad dominum daret, aut vt negotium expediendum illi offerret, licite poſſet retinere & accipere, quãdo mõuerat um eſſet, & id non eſſet impedimentum, quin potius iuuamen vt totidem reliquorum negotia dominus expediret. Tametſi neq; hoc ferre debeat timoratus miniſter publicus. ib.D

Accepta munera à miniſtris publicis per liberalem ac ſponteneam donationem, eſto animo vt cito, atque in fauorem donantium, quod iuſtum eſt, exequantur, ſeclu ſa lege, quæ id prohibeat accipere, accipientis ſiunt, neque tenetur ea reſtituere. ib.E

Acceptio & datio munerum iudicibus, & aliis miniſtris publicis, licet interdum, etiam ſe. luſa lege poſitiua, ſit cum peccato, vt quando eſt cum periculo iuſtitiam peruertendi, ſortiaturque ſpeciem ab effectu intento, vt homicidio, furto, &c. interdum tamen poteſt eſſe ſine peccato. 358.B.

Accipi & dari munera publicis miniſtris merito prohibetur, eſtq́ poteſtas in Principe irrita illa faciendi, ita vt dominium non transferatur, obnoxiaq́ reſtitutioni ſunt, nulla expectata ſententia. 359.D

Accipientes iudices, & alii miniſtri publici munera, contra ſolam legem poſitiuam, quæ accipi ea prohibet, licet peccent, periuriq́ ſint, ſi ſe ad eam legem ſeruandam obſtrinxerunt, iniungiq́ à confeſſariis expediat, vt illa reſtituãt, ante tamen præceptum aut latam ſententiam reſtituere ea non tenentur. ib.E, & 360.A

Acceptum pro ferenda iuſta ſententia, danti eſt reſtituendum ante latam ſententiam: poſt eam vero latam, fiſco, aut cui per ſententiam applicabitur. 362.E

Acceptum vt feratur ſententia, adiudicatur fiſco, niſi quando datur ſolum ad redimendam dantis vexationem. Multi volunt adiudicari etiam danti, quando non eſt datum vt pro ipſo, ſed ſolum vt ſententia feratur. 364.A,B

Accipientes, dantes, promittentes, acceptantes, pro iuſtitia aut gratia à ſede apoſtolica obtinendis, eisque obtentis votentes, excommunicationis, à qua non abſoluuntur, niſi de mandato ſpeciali Papæ, aut in articulo mortis, & erogatis prius pauperibus ita datis aut acceptis, aliiſq́ grauiſſimis pœnis afficiuntur. Bulla Gregorij XIII. Si impoteſtate dantis non ſit facere vt acceptum reſtituatur, abſolui poteſt ſine reſtitutione. Late exponitur extranagans tota. 367.B,C

Acceptum ita, niſi merito præciperetur reſtitui pauperibus, danti eſſet reſtituendum ante latam ſententiam. 368.C,D

Acceptum aut datum pro iuſtitia aut gratia iam antea obtenta, quando non ſit in complementum promiſſionis expreſſe aut tacite antea factæ, non comprehenditur ea extranagante. 373.B

Acceptum, datum, promiſſum, & acceptatũ, quæ intelligantur in ea extranaganti. 370.D

Acceptum, datum, promiſſum, aut acceptatum, ob gratiam aut iuſtitiam à Sede Apoſtolica obtinendam, eo ipſo, quod de conſenſu tacito vel expreſſo Summi Pontificis fieret, ceſſarent pœnæ prædictæ extranagante ſtatutæ. 373.E, & 374.A

Accipi tanquam pretium nequit pro his, ad quæ tenetur quis quaſi ex iuſtitia, vt ſi teneatur ex religione, eſtq́ id obnoxium reſtitutioni. 375.D

Accipi pro obedientia ei exhibenda, cui iam eſt debita, nõ poteſt aliquid tanquam pretium. Poteſt tamen interdum accipi pro opere, quod ex obedientia præſtatur, quãdo ſcilicet qui iubetur, non tenetur facere gratis, vt ciuis iuſſus in bellum proficiſci. ib.E

Accipi aliquid poſſe, aut non poſſe in pretium pro opere, ad quod de præcepto tenetur, qua regula diſcernendum. 376.B

Accipi poteſt pretium moderatum & competens pro operibus bonis, ad quæ quis non tenetur, modo ſimonia non interueniat. 377.E

Accipi pro re turpi poteſt iuſte pretium, non quia turpis eſt, ſed ex aliis capitibus. 580.C,D

Accipi iuſte poteſt pretium pro iniuſta ferenda ſententia, atq́ etiã pro peccato omiſſionis. 381.B,C

Accipere pretium, aut de pretio paſciſci ob rem turpem, peccatum, atq́ illicitum eſt ante illam patratam: ſecus exigere pretium atq́ impletionem pacti, poſt illam patratam, pretiumq́ accipere. ib.D.

Accipere pretium, & paciſci de re turpi, antequam fiat, eius ſpeciei eſt peccatũ, cuius ſpeciei eſt res ipſa turpis, ad quam ordinatur. ib.E

Accipere non ſolum poteſt publica meretrix, quod pro fornicatione commeruit, ſed etiam in exteriori foro ad id conceditur illi actio. Quod ſi nihil conſtitutum fuit, exigere poteſt conſuetum pretium. 384.B,C

Accipit licite moderatum pretium prò fornicatione peracta, virgo, vxor, & quæcunq́ alia fornicaria. Quod ſi promiſſum illi fuit, licite id exigit, teneturq́ fornicarius in conſcientia illi ſoluere. ibid. D,E

Acceptum ob fornicationem ab vxore, filiafamilias, & moniali, non ſecus tradendum eſt marito, patri, aut monaſterio, quã ſi opere manuum ſuarum id comparaſſent. ib. & ſequenti.

Acceptum ob fornicationem ex iis, qui alienare non poſſunt, obnoxium eſt reſtitutioni. 385.A

Acceptum à religioſis ob fornicationem, turpemue amorem cũ ipſis, obnoxium eſt reſtitutioni monaſterio, etiamſi ſuperior ſit, qui id dedit. ib.B

Acceptum à fornicariis vltra moderatum pretium ob fraudẽ, & dolum, ſeu mendacia, obnoxium eſt reſtitutioni: ſecus de accepto ob blanditias.

Accipiens ob turpem cauſam, ſi lex illũ incapacem facit (quod raro euenit) reſtituere id tenetur ante latam ſententiam. 386.E

Acceptorum turpiter cui facienda ſit reſtitutio vniuerſim explicatur. 387.A,B

Acceptio ſæpe eſt peccatum, quando retentio eius, quod ita acceptum eſt, non eſt peccatum, ib.D

Actio.

Actio realis reſpondet iuri in re: perſonalis vero iuri ad rem. 34.B

Actio rei, quæ vere debetur, licite poſt certum tẽpus poteſt lege ciuili denegari, rationabili ex cauſa, neque id canonico iuri aduerſatur. 287.B

Actiones ciuiles & debita quæ illis exigi poterãt regulariter de iure communi præſcribuntur triginta annis, modo ad debita præſcribenda adſit bona fides. 294.E, & ſeq.

Actiones variæ ciuiles, & debita de iure Caſtellæ quanto tempore præſcribantur. 295.A

Actio, quæ decennio, aut lõgiori tempore durat, aduerſus Eccleſiam & pia loca quadraginta, & verſus Romanam Eccleſiam centum annis, præſcribitur. ib. B,C

Actiones, quæ breuiori tẽpore, quam decennio durant, eodem tempore aduerſus Eccleſiam & priuatos præſcribuntur. ibidem.

Actio vt compleatur legitima competit aduerſus hæredes: aduerſus legatarios autem, vt pro rata contribuant, ſolum quando hæredibus non remanerent integræ portiones legitimæ, & durat triginta annis, tranſitque ad hæredes. 738.A

Actiones actiuæ & paſſiuæ, qua ratione hæreditatis competebant, tranſeunt ad fidei commiſſarium reſtituta hæreditate, vel integra, ſi tota fuit reſtituta, vel pro rata portionis reſtitutæ. 785.E, & 786.A

Actiones non diuiduntur inter hæredem, & fidei commiſſarium, ſed integræ tranſeunt, quando iuſſus eſt retinere rem, aut quantitatem certam, & reliquum reſtituere. Quod ſi id non pertingat ad quartam, detrahit decrementum, & quoad id diuiduntur actiones. 788.E

Actiones & iura nomine bonorum comprehenduntur. ſecus ſi addatur mobilium, & immobilium. 865.B

Actiones criminales quatenus aduerſus filiumfamilias ſine conſenſu patris intentari poſſint, aut non. 996.B

Aditio hæreditatis.

Aditio hæreditatis quid. 42.A

Adita hæreditate comparat hæres dominium ante apprehenſionem: ſecus de poſſeſſione. 41.D

Adita hæreditate ad omnia defuncti onera tenetur hæres. 42.B

Adire poteſt monaſterium hæreditatem religioſo delatam, illo ignorante, ac inuito, quin & defuncto, ſi ante illius mortem delata fuit. 524.A,B,C

Adire poteſt pater hæreditatem filiofamilias deletam, ignorante ac inuito filio, quin & defuncto, ſi ante illius mortem delata fuit. ibid.D

Adoptiuus.

Adoptiuus hæres ſuus eſt, ſi adoptanti ſuccedat ab inteſtato: ſecus ſi ex teſtamento. 747.B.

Adoptiuus filius non intelligitur in illa tacita conditione hæredis grauati, ſi ſine liberis deceſſerit. 808.C,D

Adoptionis genera duo. Arrogatio vnum, & quid ea ſit, 986. D

Adoptatus non manet agnatus vxori adoptantis. 990.C,D

Adoptio preſſe quid, eſt filiifamilias, fit à iudice loci, & quid ad illam requiratur. ibid.

Adoptans quando aſcendens non eſt adoptati, non tranſit in ipſius poteſtatem adoptatus. ibid.E, & ſeq.

Adoptans diſſoluit adoptionem, quando vult, & quo pacto, adoptione non diſſoluta, ei ſuccedat adoptatus. 991.A

Adoptatus ſuccedit patri naturali, ac ſi adoptatus non eſſet, ibdiem.

Adoptatus ab aſcendẽte, etiam per lineam maternam, tranſit in ipſius poteſtatem, & egreditur poteſtatem patris naturalis, ſucceditque adoptanti, non vero patri naturali. ibid.C

Adoptans, aſcendens poteſt diſſoluere adoptionem quando voluerit, eoq; ipſo relabitur talis filius in poteſtatem patris naturalis, eiq; ſuccedit, & num ſi poſt mortem patris naturalis diſſoluat adoptionem neutri ſuccedat. ibidem C. & D

Adoptans aliquem, ita vt in ipſius tranſeat poteſtatem, poteſt tradere illum alteri in adoptionem. ibidem.E

Adoptari poſſunt & arrogari etiam fœminæ, licet fœminæ, neq; adoptare, neque arrogare poſſint, niſi Principis priuilegio, & tunc arrogati non tranſeunt in ipſarum poteſtatem. 992 C

Adoptans, aut arrogans, quas qualitates habere debeat. ibid. D, & ſeq.

Adoptans quando teneatur præbere alimenta adoptato. 1008.B

Aduentitia.

Aduentitia bona quæ. 1011.D

Aduentitiorum bonorum dominium pertinet ad filium, vſusfructus vero ad patrem, exceptis nonnullis casibus. ibid.

Aduentitium bonum eſt in Luſitania, quod ab alio, quam ab aſcendente donatur filio ad matrimonium, etiamſi intuitu patris, aut etiam patri ad id donetur, niſi donans exprimat, vt filius teneatur id adducere ad partitionem. 1016.B

Aduentitium, aut quaſi caſtrenſe filij accipitur in Luſitania, quod ad petitionem aſcendentium, aut de illorum conſenſu tranſtert Rex in talem filium, quod aſcendentibus conceſſerat. ibid.C

Adulteri.

Adulteri quando in continenti dicuntur interfici à marito eos in adulterio deprehendente. 90.B

Aduocatus.

Aduocati ad quid teneantur, quando heres ab inteſtato illorum petit patrocinium ad vendicandum bona teſtatoris in minus ſolemni teſtamento aliis relicta. 335.C.

AEdificium.

Aedificij dominium domino ſoli cedit. 253.D

AEtatis venia.

Vide venia ætatis, & minor.

Alienatio dotalis fundi.

Alienatio fundi dotalis inualida eſt, redditur tamen valida, ſi iuramento confirmetur. 579.E

Alimenta.

Alimenta ſpurijs denegebantur iure Cæſareo, quod intelligendum eſt de ijs, ſine quibus conſeruare poterant vitam. 662.B

Alimenta filijs omnibus illegitimis iure canonico (cui ſtatur) debentur, quando aliunde ea non habent. ibid.

Alimenta tenentur aui præſtare nepotibus illegitimis in defectum ſuorum parentum. 663.A,B

Alimentorum loco ſi pater filio ſpurio dediſſet fundum, & filius moreretur, nõ relicta ſobole, quæ eis indigeret, fundus reuertitur ad patrem, ad hæredes patris, & non pertinet ad hæredes filij, niſi per modum contractus eſſet datus, in commodum ac detrimentum filij. ibid.E

Alimentorum loco in Caſtella, ſi adſint legitimi deſcendẽtes, tradi non poteſt illegitimo, niſi quintum bonorum patris quod vero ita traditum fuerit, alienare poteſt filius, etiã per vltimam voluntatem. ibid.

Alimenta filij ſpurij competẽtia tradenda ſunt prius de quinto bonorum parentu, quam inde legata pia impleantur. Quod ſi legatis pijs, aut alijs, non ſuperfuerit, omittenda talia legata. 663.C

Alimentorum loco tradere poteſt pater filiæ ſpuriæ tantã dotem, quantum in alimenta in totam vitam indiguerit. In Caſtella tamen, ſi parens legitimam ſobolem habeat, excedere non poteſt quintum bonorum patris. ibid.D

Alimentorum loco ſi in dotem plus, quam ad alimenta ſufficiat, datum ſit filiæ ſpuriæ, & repeti ab hærede a patre valet, & eſt illis reſtituendum, nulla expectata ſententia ibid.E

Alimenta lactis vſque ad tertium annum impletum tenetur adhibere mater filio illegitimo, aut etiam legitimo, ſi factum ſit diuortium, reliqua alimenta eiusdem temporis, & ſequentis tenetur facere pater, etiam lactis, ſi mater ſtum habeat impedimentum. 665.C

Alimenta in defectum patris tenetur præſtare mater, & in matris defectum alij aſcendentes. Et vnde puer ſit alimentandus his omnibus deficientibus. ibid.

Alimenta conſtante matrimonio, facto diuortio, aut diſſoluto morte alterius coniugis, cuius expenſis ſint filius præſtanda. 995.C

Alimenta de bonis parentum, quæ propter graue delictũ confiſcantur, denegari filijs, exceptis ijs, ſine quibus vitã non conſeruarent, neque cum naturali, neque cum canonico iure pugnat. 662.C

Alimenta ſi denegentur, obtẽdente eo, à quo petuntur, aliũm non eſſe ſuum deſcendentem, cauſa ſummarie eſt cognoſcenda propinquitatis, interim tamen alimenta præbere non cogitur, niſi alter ſit in poſſeſſione. 995.A

Ad alimenta ex bonis patris ius, quod habent filij, non tranſit ab hæredes filiorum, quaſi loco filiorum hæredes etiã alij debeant, tranſit tamen aduersus hæredes patris. 662.E

Alimenta præſtare tenentur deſcendentes tam legitimi, quam illegitimi, ſuis aſcendentibus, ſi eis egeant, ſed remotiores ſolum in defectum proximorum. 663.C,D

Alimenta, præter ea quæ ad vitæ conſeruationem ſunt neceſſaria, denegare poſſunt aſcendentes deſcendentibus, & deſcendentes aſcendentibus, ex quibus cauſis poſſunt eos exhæredare. 666.A,B.730.D

Alimenta vt nepotibus potius præſtentur ab auis maſculis paternis, quam à maternis, & è contra, non habet locum de iure Caſtellæ, & Luſitaniæ, ſed æque tenentur aui proximiores in gradu. 998.B.C

Alimenta aſcendentes deſcendentibus, & deſcendentes aſcendentibus, etiam ſi lia conuugata, & illegitimi præſtare tenentur, & quousq; & qui ante alios. 996.D,E

Alimenta tenetur frater præbere ſorori vterinæ, quæ aliunde ea non habet, non tamẽ tenetur eam dotare, ſicut ſororem conſanguineam. 974.D

Alimenta an frater fratri, aut ſorori egẽti præſtare teneatur. 999.B

Alimenta qui alicui præbere tenetur, non semper tenetur illam dotare: tametsi semper licite id efficiat. 974.E
Alimenta debent liberti patronis, si egeant, quin & filio, & patri ac matri patroni, si liberti descendentibus careant. Patroni vero solum debent libertis alimenta, si ius patroni seruare velint. 999.A
Alimenta si libertus patrono non tribuat, redigitur in seruitutem, vendiq; potest, vt patronus alatur. ib.B
Alimenta arrogatem teneri præbere arrogato, effectus est patriæ potestatis. ib.
Alimenta quando adoptans præbere teneatur adoptato, ib. C,D
Alimentorum nomine quæ intelligantur: & quousque cogi quis debeat ea exhibere. 970.B
Alimenta non comprehendunt debita eius, cui alimenta debentur, neque item solutionem pœnæ ob delictum, neq; ad ea tenetur, qui alimenta præstare præcipitur. 998.E
Vide illegitimus.

Alluuio.

Alluuione quando dominiũ acquiratur & amittatur. 251.E
Alluuione acquisitum, quãdo cedat quoad dominium vtile, & quando non, feudatario, & emphyteutæ. 345.B

Alueus.

Alueus fluuij de nouo relictus, aut de nouo occupatus ad quẽ pertineat. 252.D

Amens.

Amens in lucido interuallo testari potest, tametsi in dubio an lucidum habuerit interuallum, præsumendum sit id non habuisse. 504.E
Amens si sit aliquis, quantam curam habere illius debent qui hæredes sunt, vt hæreditate non priuentur. 729.B
Amentis, cui succedit, si quis curam non habeat, amittit fisco hæreditatem. Quod si alius, protestatione hæredi facta, curam illius habeat, tunc ad eum spectat hereditas. 745.E

Ancilla.

Ancillæ partus in fructibus non computatur. 50.A
Ancillarum partus ab hæreditate adita pertinẽt ad hærẽdem grauatum, computandi in quartam Trebellianicã, quando fidei cõmissum non à puncto mortis testatoris est restituendum. 798.E
Vide Seruus.

Animal.

Animalia, quæ fera, & quæ non fera. 215.C
Animalia, & reliqua quæ domino carent iure gentium sunt primo capientis. ib.D
Animalia mansueta dominum habent, & esto à fera interficiantur; partes & corium sunt domini animalis. ib.
Animalium immansuetorum, quæ ceperamus, amittimus dominium, cum primum ad pristinam redeunt libertatem & quando rediisse sunt censenda. 216.A
Animalium, quæ cicurata erant, amittimus dominium, cũ primum amissa redeundi cõsuetudine, se recipiunt ad suã naturalem libertatem. ib.B,C
Animalium dominium, quæ in locis circumseptis, aut in saltibus principum continentur, ad quem pertineat. 217.E
Animal ab vno ita percussum, vt ab eo esset capiendum, ad ipsum pertinet totum, esto alius præoccupet illud. 218.D
Animal percussum ab vno, in cuius potestatem non erat deuenturum, & captum ab alio, fit quoad dominiũ & possessionem capientis, sed si alter causa, & non occasio fuit, vt caperetur, inter vtrumque est diuidendum. ibidem. E
Animal in laqueum, aut venatorium instrumentum inclusum, a cuius spectat totum, qui instrumentum exposuit: quando tamen, si ab alio non extraheretur; forte euaderet diuidendum est inter vtrumq;. 219.B,C

Annus.

Annus pubertatis ad testandum esse debet expletus. Et dies vltimus inceptus habetur pro expleto. 505.C

Apes.

Apum, & examenum dominium. 217.E

Apostoli.

Apostolorum præcepta, quatenus rectores ecclesiæ erant, ad ius humanum spectant. 14.A

Aristocratia.

Aristocratia Respublica quæ. 117.B
Aristocratia potestas varie potest constitui. 120.B,C
Aristocratiæ potestatis leges, Senatus Consulta appellantur. ib.

Arrogare.

Arrogatio quid, quis arrogari possit, & quæ requirantur, vt sit valida. 987.C
Arrogatus in potestatem arrogantis transit, sitq; proinde filiusfamilias illius. 988.D
Arrogatori ex quibus tantum causis fas sit emancipare, dissoluereq; arrogationem, & in qua portione ei succedat arrogatus. ib.E
Arrogatus quando succedat patri suo naturali, & quãdo non 989.D,E
Arrogatus non amittit iura materna, vt ei succedat, ac si arrogatus ab alio non esset. 990.D
Arrogatus non manet agnatus vxori arrogantis. ib.D
Arrogans aut adoptans aliquẽ, ita vt in ipsius transeat potestatem, potest tradere illum alteri in adoptionem. 992.B
Arrogans aut adoptans quas qualitates habere debeat. ib.C D.&E
Arrogare non potest tutor, aut curator minorem sibi commissum. ib.E
Arrogati, & adoptiui conferunt, quando legitimæ eis debentur. 1031.A,B

Ascendens.

Ascendentium legitima iure Cæsareo est tertium bonorum in Castella & Lusitania duæ partes. 629.B,C
Ascendentes in descendentium defectum, nisi instituatur hæredes, aut apposita legitima causa exhæredentur, testamentum est nullum, quoad hæreditis institutionẽ. Idem, si postea probetur exhæredationis causam fuisse insufficientẽ. Quod si in non integra legitima instituantur, agitur ad incrementum. 628.D,E
Ascendentes soli, qui superstites fuerint, sunt necessario hæredes instituendi in defectum descendentium. Si tamen aui aut proaui sint instituendi, & fuerint duo ex parte vnius parentum, & vnus ex parte alterius, dimidium diuiditur inter duos alios. 629.A
Ascendentes vna cum fratribus vtriq; coniunctis succedunt per capita defuncto de iure Cæsareo: de iure vero Lusitano & Castellæ soli ascendentes. ib.C,D
Ascendentes proximiores in gradu succedunt ab intestato in defectum descendentium, sed de iure communi cum eis succedunt per capita fratres vtriq; coniuncti defuncto. 636.A

Assessor.

Assessor iudicis delegati à Summo Pontifice accipere potest à litigantib. stipendium, quod delegatus iudex illi constituerit. 348.E
Assessore si indigeat ordinarius ipse tenetur illi soluere stipendium, non vero litigantes. 349.A

Baptismus.

Baptismus licite offertur infideli muneribus promissis, si illud recipiat. 379.B

Bellum.

Belli iure si Respublica subiecta sit, tantum principi subest, quantum quæ maxime illi subest. 119.C,D
Belli iure Christianus vnus non sit seruus alterius Christiani 160.C,456.D
Bella vniuersim qui damnarint. Lutherus Christianorum aduersus Turcas bella damnauit. 405.A,B
Bellum non solum est licitũ Christianis, seruatis conditionib.

ad id neceſſariis: ſed etiam interdum eſt melius, quã contrarium. Et ali quando lethalis poterit eſſe culpa non belare. ibid.C,D

Bellum non ſolum defenſiuum, ſed etiam offenſiuum poteſt eſſe licitum ac iuſtum. 406.C

Bella à Chriſtianis geſta, non omnia cum conſiliis pugnant Euangelicis. 408.A

Bellum defenſiuum cum moderamine inculpatæ tutelæ, cuique iniuriam patienti licet. 410.A

Belli offenſiui iuſti prima conditio eſt, vt in inferente ſit auctoritas ad id ſufficiens. ib.B,C

Belli inferendi autoritas eſt in principe, qui ſuperiorem in ſuo principatu non recognoſcit. ib.

Belli inferendi autoritas eſt in Republica libera, quæ ſuperiori non eſt ſubiecta. ib.

Belli inferendi autoritatem non habent domini temporales, qui ſuperiorem recognoſcunt, quorumq; dominium pars eſt integri alicuius principatus, itemq; ciuitates, quæ ſuperiorem habent. ib.

Bellum inferre poßet familia vna pro iniurijs ab alia ipſi illatis, aut pagus vnus alij, quando ſuperiorem non recognoſcerent. 411.B,C

Belli indicendi autoritatem poteſt obtinere ciuitas, aut magnas aliquis ſuperiorem recognoſcens, vel priuilegio ſuperioris, vel conſuetudine præſcripta, quæ non mala fide, & per potentiam ac rebellionem ſit vſurpata. 412.B

Belli inferendi autoritatem tribuere poterit ciuitati, aut magnati quando alteri ſubijciuntur, neceßitas vrgens id faciendi, ſuperiore non ſubueniente. ib.C

Bellum mouere poßet magnas ſuperiorem habens, ad ſibi ſubditos compeſcendos & puniẽdos intra limites iuris dictionis, quam in eos habet. ib.E

Bellum mouere non poſſunt adinuicem duo regna, ſeu prouinciæ idem principi ſubiectæ, vt ſunt hodie omnes Hiſpaniarum, abſq; autoritate communis principis, niſi vrgeret neceſſitas, cui ille non ſubueniret. ib.

Belli mouendi autoritatem habet perſona Eccleſiaſtica, quæ dominium temporale habet alteri non ſubiectum, eſto bellum per alium exequi debeat. 413.A

Belli mouendi autoritatem habet Summus Pontifex, etiã vt Summus Pontifex eſt, pro poteſtate, quã in omnes alias poteſtates per comparationem ad finem ſpiritualem habet. ib.

Belli ſuprema autoritas licet ſit in eo, qui ſuperiorem non recognoſcit, autoritatem tamen bellandi habere dicuntur, qui de expreßa, aut de præſumpta illius facultate pugnãt modo limites præpoſitorum bello non tranſgrediantur, ib.D,E

Belli autoritas, quãdo ſubditis, militibusve denegatur, quia voluntas Principis, aut ducis non eſt, vt id damnum hoſtibus inferatur, reſtituendum hoſtibus eſt damnum ſine autoritate illatum: ſecus quando ob alios ſolum fines denegatur. 414.A,B

Bello iniuſte ſibi inuicem damna & iniurias inferentes ſubiecti eidem principi, ad Principem ſpectat ea componere & punire. ib.E

Belli tacitam voluntatem aduerſus hoſtes, quando præſumendam. 415.A

Bellum ſine facultate, ſaltem præſumpta, exercere, licet ex ſuo genere lethalis culpa ſit, ducisq; belli præcepta tranſgredi: vnde tamen concipienda ſit culpa lethalis, aut nõ, in euentibus particularibus. ib.B.C.D

Bellum non prius poteſt inferre Reſpublica vna alteri, à qua paßa non eſt iniuriam, ſed à ſubditis illius, quam illã admoneat, vt eos puniat, & reſarcire ſibi faciat iniurias illatas, ſi penes illam hæc duo fuerint. Quando autem illa, quod in ſe eßet, hac in parte nõ præſtaret, in culpa eſſet, moueriq; aduerſus illam poßet bellum. 410.C,D

Belli iuſti cauſa vniuerſalis eſt iniuria, vel impediẽda, vel reſarcienda, vel vindicanda. ſatisq; interdum eſt iniuria materialiter, id eſt, abſq; peccato. 416.B

Bellũ vt iuſte inferatur, ſufficit iniuria materialiter, quæ ex re aliena detenta proficiſcatur, ſecus quæ ex ſolo damno iniuſte materialiter dato oriatur. ib.C

Bellum iuſtum offenſiuum, vnum eſt ad vlciſcendam iniuriam, ſiue ſimul intendamus recuperare noſtra, ſiue non, & adhoc ſemper requiritur præcedat vera culpa hoſtiũ: alterum ad obtinendum, quæ ad nos ſpectant, & ad hoc neceſſaria non eſt culpa, ſed ſufficit materialis iniuria. 417.B

Bello iuſto ob iniuriam ſolum materialem, quæ licuerant, & quæ non. ib.D

Belli cauſa iuſta non eſt quæcunq; iniuria, ſed grauis prudentis arbitrio, pro loci conceduntur repreſſalia. 418.B

Bellum eſſe poteſt iniuſtum, culpaq; lethalis aduerſus propriam Rempublicam, eſto cauſa iuſta ſit aduerſus eam, cui infertur, quando ſcilicet poteſt non inferri, & grauiſſima mala propriæ Reipublicæ ex illo ſequuntur. ib.B,C,D

Belli cauſa quantum examinata & explorata eſſe debeat, & quousq; aduerſarij ſint audiendi, vt bellum licite ac iuſte inferatur. 419.C,D

Bellum non poteſt iuſte inferri, neq; pars, de qua eſt cõtrouerſia, poteſt ab eo peti qui bona fide cœpit aliquid poßidere, interim dum res eſt dubia an ad poßidentem pertineat, & quo pacto negotium tranſigi debeat, & quam diligentiã facere teneatur, qui poßidet, vt ſciat an ad alterum pertineat. 420.A

Bellum iuſtum mouere poſſet aduerſus poßidentẽ rem, de qua eſt dubium, ad quem ductum pertineat, ſi illam cœpit poſſidere, aut occupauit in dubio ad quem pertineat, atq; re diſcuſſa & dubia manente, diuidere illam non velit pro quantitate dubij. 421.E,422.A

Bellum antequam inferatur, quando controuerſia eſt de aliqua re inter duas Reſpublicas quo pacto negotium ſit pragendum. 422.BC

Bellum iuſtum formaliter qua ratione eſſe poßit ex vtraque parte. 422.D,E

Bellum vt inter Principes Chriſtianos impediret Summus Pontifex, poſſet de plenitudine ſuæ poteſtatis aduocare ad ſe cauſam, illoſq; vel inuitos iudicare: cur vero frequenter id non expediat, raroq; aut nunquam fiat. 423.B

Belli cauſa quantumcunq; iuſta comperta ſit, ſi antequã dimicari ſit cœptum, hoſtes offerant ſatisfactionem competentem, etiam belli expenſas illatasq; factas, tenetur alter à bello deſiſtere: alioquin contra iuſtitiam peccat, teneturq; ad damna quæ bello dederit. ib.E

Bello iuſto poſtquam dimicari eſt cœptum, non tenetur deiuſtitia, qui illud infert, ceſſare, etiam oblata competẽti ſatisfactione, ſed poteſt progredi ad competẽtem vindictam iniurijs præteritis, ſed non amplius. 425.C

Belli iuſti variæ cauſæ. 426.B,D

Bellum Chriſtiani inferre poſſunt prohibentib. Euangelij promulgationem, & receptionem, aut obſtacula apponentib. 429.A

Bello cõparari iuſte poſſunt multa adiuuando eos, ex quorũ parte eſt bellum iuſtum, cum pacto, vt de bonis ac terris bello occupatis pars, aut totum adiuuanti adueniat. ib.C

Bellum infidelibus, qui baptiſmum non ſuſceperunt, inferri non poteſt eo titulo, quod infideles ſint, fidemve ſuſcipere non velint. ib.E, & ſeq.

Bellum inferre infidelibus, qui bona Chriſtianorum occupata habent, ad eos ipſos, aut eorum hæredes ſpectat, quorum erant ea bona ſi ſuperſtites ſint, & potentes ad bellum inferendum, alioquin ad Summum Pontificem pertinet expeditionem concedere. 430.B

Bellum ſolum ad ampliandum imperium, gloriam & cõmodum illud inferentis, iniuſtum eſt. ib.C

Belli iuſti cauſa non eſt nationem eſſe barbaram acrudem, aptioremq; vt ab aliis regatur ac doceatur, quã à ſe ipſa. ib.

Bellum inferri non potest ob idolatriæ scelus & peccata alia quæcum lumine naturæ pugnant: modo iniuriam innocentibus non inferant. Puniri tamen ac prohiberi possunt à principe, cui tales infideles fuerint subditi. 431.A

Bellum inferri potest ob peccata, quæ in iniuriam cedunt innocentium, quando infideles, aut alij ea patrantes, admoniti, ab eis desistere non vellent. Et quid bellum hoc inferentes sibi vsurpari possint. 431.A

Bellum vt licitum sit, sinistra intentio abesse debet, & quæin ducat culpam lethalē, quæ vero venialem.ib.E, & 433.A

Belli quando adest autoritas & iusta causa, ex intentione sinistra non consurgit obligatio restituendi damna hostibus tali bello illata: eo quod comparatione illorum cum iustitia non pugnet. 434.C

Belli non solum non sunt quærendæ occasiones, sed etiam aliquando culpæ erit lethalis illas non vitare. Quando tamē bellum cederet in maius bonum eorum, quibus iuste inferretur, vel in maius bonum simpliciter, quia inde facilius conuerterentur ad fidem, aut alia ratione, licite quæri atque intendi possent. 433.B,C

Bellum potest esse aliquando iustum & licitum per se, per accidens vero sub reatu ingentis peccati lethalis illicitum, si inde maiora mala, vel suis, vel Ecclesiæ imminerent. 434. *A.& B*

Bellare per seipsos prohibitum est clericis. Potest tamen in eo dispensare Summus Pontifex. Et eo ipso, quod dispensaret vt pugnarent, non incurrerent irregularitatem interficiendo in ea pugna. 434.E, & 435.A

Bellum iustum suadere possunt clerici, & ad illud inducere. Et qui curam Ecclesiæ habent, vocare possunt, ac debent, principem secularem, qui bello Ecclesiam suam ab infidelibus defendat. 435.C

Bellum inducere potest clericus, ducemq; constituere, qui illud loco sui exequatur, si Dominus sit temporalis Reipublicæ, quæ illud gerere debet. ib.D,E

Belli duces, esto propria manu non pugnent, aut præpositi ijs, qui tormenta bellica applicant, aut succendunt, esse non possunt clerici. ib.E

Bello iusto interesse possunt Ecclesiastici de cōsensu, saltē præsumpto, suorum superiorum, & quando bellum est contra hostes fidei, aut Ecclesiæ, possunt in ipso conflictu exhortari in genere ad fortiter pugnandum, & non succumbendum, non tamen vt aliquem in particulari milites interficiant. 436.A,B

Bello iusto, quando pugnare non possunt clerici, diripere bona hostium possunt, perinde atque alij de exercitu, nisi de contraria ducis voluntate constet. 438.B

Bello iniusto pugnantibus, & quocunq; modo auxilium præbentibus, quales sunt regulariter omnes de exercitu, secuta morte aut mutilatione alicuius, omnes sunt irregulares. 442.B,C

Bello iusto illicite clerici pugnantes, esto ingerere adhortentur alios ad fortiter pugnandum, & non succumbendum, & esto ipsi hostes vulnerent, si tamen ipsi nullū interficiāt, nec mutilent, irregularitatem non incurrunt, exercitu multos interficiente. Idem maiori cum ratione est de laicis exercitus, qui per seipsos nullum interficiunt, nec mutilant ib.D

Bello iusto pugnantes, si per seipsos non occidant, aut mutilēt, esto ipsi vulnerēt aliquos, & exercitus multos interficiat irregularitatem non incurrunt. ib.

Bellum si sit iustum, fas est, vti in eo insidiis, simulationib.ac dissimulationibus, non tamen mentiri. 443.C

Bellum quando est iniustum, fides hosti quomq; seruanda præsertim iuramento confirmata. ib.D,E

Bello iusto licitum est pugnare in die festo, etiam omisso sacro si necessitas aut cōmoditas belli id postulet. His vero causis cessantibus, forte nec venialis erit culpa, modo sacrum audiatur, si commoditas adsit. ib.& 444.A

Bellum iustum gerenti licitum est adiuuare, etiam de sumpto illius consensu: imo, si ille periclitaretur, & sine notabili suo detrimento posset quis illum eruere ab eo periculo, sub culpa lethali teneretur id efficere. 445.B,C

Bello iusto fas est infideles adiuuare aduersus alios infideles, fœdusq; cum illis ad id inire. ib.D,E

Belli iusti adiutores vocare infideles, per se licitum est. Per accidens vero illicitū ac fœdum est ratione scandali, & grauissimorum damnorum Ecclesiæ & fidei, quæ inde solent euenire. ib.

Belli iustitiam inquirere, & examinare tenentur ij subditi, qui ad Regis consilium vocantur, vel admittuntur, adeo vt, si eorum malitia, aut culpabili negligentia inferatur, ad restitutionem damnorum omnium teneantur. 446.C

Bellum qui subditis iniustum suspicaretur, si sperare se veritatem assecuturum aut audiendum, etiamsi ex officio ei non incumberet, peccaret lethaliter solum contra caritatem, nisi rem examinaret, & proponeret, quod sentiret. ibid.D

Belli iustitiam inquirere non tenentur alij subditi, sed tuto se cōmittunt Principi & cōsiliariis pugnādo quādo indicia non sunt belli iniusti, quæ ipsi inquirendo, vnusquisq; qua in sito ordine & gradu, posset facile explorare, & quid de militibus externis iam conductis, aut qui semper seruire eidem Principi solent. ib.E

Belli iustitiæ existente dubio, subditus Principi tenetur parere ac pugnare. 447.A.& 448.A

Belli iustitia dubia existente, esto postea compereatur iniustū bellum fuisse, subditi ad restitutionem non tenentur, nisi quantum ex acceptis eo bello reperti fuerint locupletiores. 448.B,C

Belli iustitia dubia existente, si pugnet subditus cum cōscientia erronea, quod nefas sibi tunc sit pugnare, solum tenetur ad damna, quæ dedit, quantum ex illis factus est locupletior: quoniam erronea conscientia non inducit obligationem restituendi ex parte acceptionis. ibD

Bellum nisi prius extraneis constet iustum esse adhibita competenti diligentia vt id sciant, lethaliter contra iustitiam peccāt, se ad illud locando, aut quacunq; alia ratione præstando auxilium. 449.A

Bello qui parati sunt stipendio adiuuare quemcunq; vocantem, nihil curando de iustitia, in statu sunt damnationis æternæ. ib.

Bellans extraneus nihil curando de iustitia belli, si sibi postea constet iustum fuisse licet peccauerit, ad nullam restitutionem tenentur. Si vero postea constet fuisse iniustum, tenetur omnia damna data restituere in defectum autoris belli. Nisi ille ignorantia inuincibili excusetur: tūc enim extraneus restituere teneretur dāna, quæ dedit, & alia, quæ data non fuissent, nisi ipse auxilium præstitisset. Quod si parato bello dubium sit, an fuerit iustum: tunc, si autor belli cum eo dubio illud intulit, omnia damna tenetur restituere, & in illius defectum tenētur extranei, qui illum adiuuerunt. Si autem non constet, quali conscientia autor bellum intulerit, nec restituat, extranei restituere tenentur partem damnorum, pro quantitate dubij, an bellum fuerit iustum. ib.B,C,D,E

Bellum si iniustum esse constet, omnes adiutorium præbentes tenentur restituere damna data. An vero singuli, in defectum aliorum de exercitu teneantur damna omnia restituere, alibi dicendum. 450.C

Bellum si infideles iniuste inferant Christianis, fas est captiuis metu mortis, aut grauissimi damni, remigare in triremibus, & similia alia ministeria præstare: secus cessante tali metu. ib.D

Bellum si infideles iniuste inferant Christianis, nefas est captiuis, etiam mortis metu, pugnare aduersus Christianos, quemquam vulnerando. ib.E

Bellum infideles si Christianis inferant, captiui Christiani,

etiam

etiam cum iactura propriæ vitæ tenentur illa non facere quando ea via, qua præcipitur, vitaret notabile damnum Reipublicæ Christianæ. Id tamen rarò, aut nunquam euenit. 451.B

Bellum infideles si iniustè Christianis inferant, captiui metu mortis, aut amissionis, membri inferre possunt nocumentũ Christianis in bonis externis ad imperium infidelium, & an restituere eiusmodi damna teneantur. ib.C,D

Belli ministri, qui necessaria ad bellum præparãt, quam grauiter peccent, & ad quam magnam restitutionem teneãtur, si ea furentur, aut corrupta, & qualia non oportet, præparent. 453.E

Bello iusto quæ facere aduersus hostes liceat. 455.B

Bello iusto quæ mobilia capiuntur, gentium inre fiũt capientium etiamsi homines sint, excedantq; compensationem 456.E

Bello iusto capta varie aliis atq; aliis in locis diuiduntur, aut sunt capientium, si quid autem contra inra illa, aut vsum præscriptum vsurpetur, restitutioni est obnoxium 457. B,C

Bello iusto quæ hostes ab aliis ceperunt, si nos bello item iusto ab illis accipiamus, iure naturali restitutioni non sunt obnoxia. ib.E, & 458.A

Bello iniusto quæ hostes ab aliis acceperunt si iusto bello nos ab illis obtineamus, restitutioni sunt obnoxia prioribus dominis, stãdo in iure naturali, licet laborem & industriã nobis soluere teneantur. ib.B,C

Bello eiusmodi res extractæ ab hostib. per milites nostros, antequam hostes ad suos se recipiant, gratis tenentur nobis restituere: quia si extrahere illas optime possint, & omittant, tenentur illas nobis restituere. ib.D

Bello rei captæ quando dominium & possessio comparata cẽ seantur. 459.B,C

Bello recuperata à nostris hostibus, quando iure Cæsareo prioribus dominis restituantur, & quando non. ib.

Belli sanctio Cæsareo iure, quoad ea, quæ hostes capiunt à nostris, & ius postliminij in bellis cum Christianis locum non habent. 461.B

Bello recuperata ab hostibus per milites Castellanos, quo iure possint sibi interdum retinere. 462.D

Bello iniusto capta ab hostibus, an liceat illa emere ab illis, & quousq; empta obnoxia restitutioni sint propriis dominis. 461. D

Bello iusto nefas est per se, & ex intentione interficere innocentem. 462.C

Bello iusto fœminas adultas quousque fas sit interficere. ib. E

Bellum Granatense. 464.E

Bello iusto nefas est interficere inter hostes repertos, qui ibi non habent domicilium, neque aduenabant hostes. ibid. C

Bello nefas est interficere Clericos, & religiosos, de quib. non constat in culpa esse. ibi.

Bello vt non interficiantur, qui innocentes sint censendi. ibidem.

Bello iusto fas est interficere per accidens innocentes, etiam scienter. 465.D

Bello iusto damna per accidens innocentibus illata restitutioni obnoxia non sunt. ib.

Bello iusto licite seruituti subijciuntur innocentes, qui partes sunt Reipublicæ, cum qua tale bellum geritur, & spoliantur bonis externis. 466.B,468.D

Bello iusto quousq; fas sit spoliare innocentes qui partes non sunt eius Reipublicæ, bonaque eorum destruere, quantum belli status postulat, & quousque ea restituendi obligatio consurgat, aut non: tenẽtur tamen ea restituere aduersarii, à quorum parte bellum est iniustum. 467.B,C

Bello iusto nefas est occupare bona eorum innocentum, qui, etsi partes sunt Reipublicæ aduersus quam geritur, à parte tamen steterunt eius, qui iustè bellum infert. 469

Bello iusto subiecto aliquo loco fas est imponere illi tributum pro quantitate culpæ, ab omnibus, etiamsi à successoribus soluendum. 468.C

Bello iusto fas est per se tradere interdum ciuitatem in prædam, quin & illam succendere. Duces tamen quantum commode potuerint, tenentur curare, vt vitentur iniustitiæ, & alia nefaria. 470.A

Bello iusto fas est in conflictu interficere quoscũq; repugnantes, etiãsi intelligatur aliquos sine peccato repugnare: hos tamen si commode fieri potuerit tenentur milites seruare. ib.B,C

Bello iusto iam parta victoria, fas est interficere eos, qui tũc pœna digni fuerint reperti. ib.D,E

Bello parta iam victoria, multisq; repertis morte dignis, quando fas esset omnes, aut maiorem illorum partem interficere, & quando non. ib.D

Bello iusto parta victoria, nefas esset quemquam interficere, de quo verisimile esset absque peccato pugnasse, insurgeret que obligatio restituendi. 471.A,B

Bellum iustum qui parat, cur ab eo desistere teneatur quoties ante ceptam pugnam debita satisfactio illi offertur. ib. C,D

Bellum iustum gerenti quando sub aliqua conditione hostes se dedunt, seruanda illis est conditio acceptata. ib.

Bello iusto qui victor exiistit, quæ in puniendo ante oculos habere debeat. ib.

Belli compositio, si de consensu eorum, cui damna acceperunt facta sit, illi in conscientia, & exteriori foro est standum. 472.A

Bellum qui scienter aut culpabili ignorantia iniustum intulit, tenetur suis restituere omnia damna, nisi vel libere ea remittant, vel ipsi id scientes, & principe non præcipiẽte, illum in bellum sua sponte sint comitati. ib.B

Bellum qui suscepit iustũ tenetur curare, vt suis subditis damna omnia restituãtur, alioquin tenetur ea illis restituere, nisi vel bonum commune suadeat, vt circa illa paciscatur, eaq; remittat, vel nisi subditis ipsis libere consentientibus id fiat. ib.C

Bellum qui intulit iniustum, damna omnia data tenetur restituere, esto aduersarij ad suam redimẽdam vexationem compositionem faciant, eaq; remittant. ib.

Belli iniustitia si certa non esset, fieretq; compositio & transactio circa damna data, nulla esset obligatio restituẽdi, esto postea de belli iniustitia constaret. ib. & 473.A

Bellum, vide pugnare, occidere. Meditationis bellicæ, Dux miles.

Beneficiarius.

Beneficiarii, qui religiosi non sunt, dominium comparãt redituum suorum beneficiorum. 549.E

Beneficiarii si quantitatem notabilem vltra suam competentem sustentationem in vsus profanos insumant, lethaliter peccant, restituere tamen non tenentur. 545.C, & 550. C

Beneficiarii arctius, quam alii eleemosynas facere de superfluis tenentur. 551.A

Beneficiarius cum portione congruæ suæ sustentationis computare potest totum, quo amplus est dignus, vt id expendere possit in quæ voluerit. ib.B

Beneficiarius de reditib. sui beneficii sumere potest integram suam competentem sustentationem, reseruãdo sibi, & heredibus quæcumq; alia sua bona vnde cumque comparata 453.A,B

Beneficiarius si quid subtrahat de sua competenti sustentatione, aut maiori præmio, quo sit dignus, id seruare potest cõsanguineis. 554

Beneficiarius annumerantur pensionarii ad effectum, vt ex pẽsione sumere possint solam cõpetẽtem sustẽtationem & remanẽtia inter spolia clericorum computentur. ibid.D

Beneficiarij congrua sustentatio non consistit in indiuisibili, quin quo maiori indiget pro beneficij ratione, aut alitūde, eo maiorem latitudinem habet, & beneficiarius ab infimo vsq; ad supremū, reseruare potest ad quoscunq; vsus, dummodo competens portio in eleemosynis, & operibus pys sit insumpta. ibid.E

Beneficiarij congrua sustentatio, quam late se extendat. 555.D

Beneficiarius, etiamsi turpiter viuat, non tenetur fructus beneficij restituere, sed ex illis potest congruam sustentationem accipere. 558.B

Beneficiarijs constitutis in maiori dignitate, nobilibus, & literatis, licitū est accipere plusquam alys in suam cōgruam sustentationem. ibid.C

Beneficiario quando liceat reseruare incremētum competentis sustentationis in futuras necessitates, aut ad opus pium in futurum construendum. 559.A,B

Beneficiarij de superfluo exercere potius debent opera pia in loco beneficij, quam in alijs. ibid.C

Beneficiarij reseruare possint omnia alia bona vndecunq; acquisita & fructus omnes eorum, atque ea consanguineis tribuere, modo filij illegitimi ipsorum non sint, grauesq; aliorū necessitates non occurrant, sumereq; sustentationem ex beneficijs. 561.B

Beneficiarius, si quid congruæ sustentationi subtraxerit, aut maiori præmio sit dignus, potest id similiter consanguineis reseruare, etiam post Concilium Tridentinum. ibi.C

Beneficiarij de fructibus beneficij quousque consanguineis in sustentationem pro conditione status, aut in moderatam dotem conferre possint. 562.B

Beneficiarius si alia bona habet, non potest filio, aut filiæ spuriæ tradere dotem aut sustentationem de superfluo beneficij. ibi.D,E

Beneficiarius, qui ad episcopatum, aut aliud pingue beneficiū promotus est, quousq; augere possit cōsanguineos alioquin humiles, & filiæ spuriæ quantā dotem conferre possit. 565. B,C

Beneficiarij, etiamsi Episcopi sint, testari possunt de omnibus suis bonis, quæ reditus beneficij non sunt. 565.B

Beneficiarius testari potest de his reditibus beneficij sui: quos suæ sorti ex eius sustentationi subtrahit, vel quibus in præmium vltra sustentationem est dignus. Quamuis in exteriori foro raro hoc locum habeat. ib.D.E

Beneficiarius si aliqua insumpsit de alijs suis bonis, quæ insumere poterat de reditibus beneficij, neq; animum habuit ea non compensandi, potest de æquali portione reditū testari. Idem de bonis Ecclesiæ. ibid.

Beneficiarius, stando in solo iure canonico, de reliquis sui beneficij bonis testari non potest, nisi de modicis ad quædam pia, aut in gratificationem. 566.B; C,D

Beneficiarij bona ex fructibus beneficij remanentia canonico iure ad quem pertinent, & de pœnis ea occupantibus statutis. ibi.D

Beneficiarij (exceptis Episcopis) testantur in Castella de reditibus suorum beneficiorum, succedunt; in illis hæredes ab intestato. Et quid de Gallia & Lusitania. 569,B

Beneficiario defuncto, accipit alicubi prælatus de bonis illius mobile, quod vult, luctuosamq; id in Lusitania vocāt. 570 D,E, & 571.A

Beneficiario defuncto, quādo luctuosa accipi à prælato possit & in quæ debeat expendi. ibid.

Beneficiarijs etiam Episcopis, tribuere potest consuetudo ius testandi ad pios vsus de reditibus suorum beneficiorum. 572.C

Beneficiarij testamentum, & quācunq; aliam vltimam voluntatem ad non pia ex reditibus beneficij, potest reddere validam consuetudo testandi ad quæcunq;, ita vt accipientes dominium comparent, nec restituere teneantur. ibidem,D

Beneficiarij vt si intestati discedant, bona ipsorum ex beneficijs parta ad hæredes ab intestato pertineant, valida est consuetudo. 573.D,E

Beneficiarij, si intestati decedant, consuetudo est præscripta in Hispaniis, vt in eorum omnibus bonis succedāt hæredes ab intestato. 574.A,B

Beneficiarij, vt neque testari in posterum de bonis beneficiorū possint, neque in eis hæredes ab intestato possint succedere, concedere potest Summus Pontifex legem, nihil consuetudine in contrarium impediente. ibidem.

Beneficiarij lethaliter, nihil consuetudine in contrarium impediente, peccant, vel de notabili portione bonorum beneficii, quam expendere non possint, nisi in pijs operibus, testando ad non pia, vel sua culpa decedendo ab intestato, quando ad consanguineos diuites sunt deuentura. ibidem.C,D

Beneficiarijs, etiam Episcopis concedere potest Summus Pontifex ea rationabili causa facultatem testandi ad non pia de fructibus beneficiorum, secus ex irrationabili, obtenta quæ non valet. 575. C,B

Beneficiarijs concessa facultas testandi absolute, intelligenda est ad solos vsus non profanos. ib.

Beneficiarius quæ reliquit bona quousque ex beneficio parta sint censenda. ibid.E

Beneficiarij, de quibus bonis libere testari possunt, donare possunt inter viuos, & instituere maioratus. 576.C

Beneficiarij consuetudine, testari absolute possunt, valide donant inter viuos, & instituunt maioratus, etiam reuocabiliter. quin & per vltimam voluntatem, licet lethaliter peccent, si profanis rebus ita applicent, quæ applicare, non possunt. ib,E, & 573.A,B,

Vide Clerici.

Beneficium.

Beneficium Ecclesiasticum quid. 32.A

Beneficij Ecclesiastici ante traditionem comparatur ius in re sola collatione, & acceptatione. 33,B

Beneficium Ecclesiasticum collatione & acceptatione acquiritur quoad dominium seu ius in re perfectum absq; traditione. 43.C

Beneficij possessio traditionem seu apprehensionem requirit. 33.B

Beneficij Ecclesiastici occupans vi possessionem, aut clā, fiens ad se beneficium non pertinere, in quas pœnas incidat 90 C,D

Beneficium quis intrusus possideat. ibid.

Beneficium Ecclesiasticū concedi non potest laico, bene tamen locari aut donari vtilitas illius. 52.B,C

Beneficium, non aduersus Ecclesiam, sed priuatum, præscribitur cum titulo colorato decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes: sine vllo autem titulo non præsumitur bona fide possessum. Titulus vero beneficii non potest acquiri præscriptione, eo quod beneficium sine canonica institutione non possit licite haberi. 291.E

Beneficiorum reditus varium statum quoad dominium & administrationem in decursu Ecclesiæ habuerūt. 537.E, 538.A

Beneficium Ecclesiasticum sine cura animarum vt habeāt illegitimi dispensat Episcopus, modo personatus seu dignitates non sint. 682.B

Vide beneficiarius & legitimatus.

Bona fides.

Bona, & mala fide possidere, quid. 29.B

Bonum.

Bonorum ipso iure fisco addictorum comparat fiscus ius in re à die commissi delicti. 34.B

Bona communia esse debent quoad vsum in extrema, aut pene extrema alterius necessitate, idque sub reatu lethalis culpæ. 105.B

Bona vacantia quæ ſpectantq; ad fiſcum. 138.E
Bona vacantia peregrini per Epiſcopum ſunt in pias cauſas diſtribuenda. 139.A
Bona vacantia quænam iure Luſitano in rēdemptionem captiuorum cōn.eſſa ſint. ibid.B
Bona vacantia præſcribuntur cum bona fide, etiam ſine titulo aduerſus fiſcum quadriennio, modo denunciatio eorū facta ſit fiſco. 199.E
Bona pro derelicto quæ cenſenda. 238.D, 245.C.
Bonorum nomine, iura, actiones, & nomina debitorum comprehenduntur: ſecus ſi dicatur, bonorum mobilium & immobilium. 865.B
Bonorum mobilium & immobilium nomine, quando nihil eſt, quod cogat comprehendi iura, actiones, & nomina debitorum, tunc hæc conſtituunt tertium genus: quando autem manifeſtum eſt, nomine bonorum mobilium & immobilium vniuerſum patrimonium comprehendi, tūc iura & actiones ad bona mobilia, cum mobilibus bonis computantur, & iura & actiones ad bona immobilia, cū immobilibus connumerantur. 866.B.C
Bonum immobile aduentitium alienatum à patre vendicat filius, etiamſi emptor id ignoranter emerit. 923. B. & C
Bonum immobile aduentitium alienatum à patre vendicat integrum filius ſolum in ſua legitima hæres à patre inſtitutus: ſi vero plusquam in legitima ſit inſtitutus quouſq; exceptione repellatur. 9 [illegible].B
Bona caſtrenſia quæ. 1005.E
Bonum caſtrenſe eſt donatum aut relictum occaſione, aut ſamiliaritate militiæ. 1006.A
Bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia ſunt, quæ peculijs caſtrēſibus aut quaſi caſtrenſibus comparantur. 1008.A
Bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia ſunt, quæ in ſeruitio & palatio Regis acquiruntur, & quæ ad id donantur à parentibus. 1007.B
Bona caſtrenſia quoad vſumfructum & plenam adminiſtrationem pertinent ad filium, niſi impubes ſit: nam tunc diſponere de eis non poteſt. ibid.D
Bona quaſi caſtrenſia quæ. 1008.D
Bona aduentitia quæ. 1011.D
Bonorum aduentitiorum dominium pertinet ad filium, vſus fructus vero ad patrem, exceptis nonnullis cuentibus. ibidem.E.
Bona profectitia quæ, ſunt vero regulariter quoad dominium & vſumfructum eius parentis, à quo proficiſcuntur. 1015.A
Bonum profectitium eſt, quod filio intuitu parentis proxime ac principaliter eſt datum, ad eumque parentem ſpectat. ibidem.
Bonum profectitium eſt, quod filius à parentibus ſuſtentatus bonis patris acquirit, adducendumque eſt ad partitionem 1018.B, C, 1019.B
Bonum aduentitium eſt in Luſitania, quod ab alio, quam ab aſcendente, datur filio ad matrimonium, etiamſi intuitu patris, imo eſto patri ad eum finem donetur, niſi à donante exprimatur, vt teneatur id filius adducere ad partitionem. 1016.A.B
Bonum aduentitium aut quaſi caſtrenſe efficitur deſcendentis in Luſitania, ſi Rex de conſenſu aut ad petitionem aſcendentis tranſferat in deſcendentem, quod aſcendentibus conceſſerat. ibid.C
Bona. Vide, Clericus, Eccleſia, & Beneficium.

Cæcus.

CAEcus: *Vide teſtamentum.*

Capella.

Capella, feudū, ac maioratus religioſi, quando tranſeant ad monaſterium, ſaltem interim dum religioſus viuit, & quando non. 523.A,B,C

Capitis diminutio.

Capitis maxima diminutio quæ. 56.A
Capitis media diminutio quæ. ibid.B
Capitis maxima & media diminutione hodie de iure cōmuni vſusfructus amittitur. ibid.C
Capitis maxima aut media diminutione, vel dānatione ad mortem naturalem in Caſtella & Luſitania vſusfructus non amittitur. 58.C,D
Capitis maxima aut media diminutione ſiue filij, ſiue patris deſinit filius eſſe ſub patria poteſtate, ac proinde pater amittit vſumfructum bonorum, quæ deinceps filius acquirit. 59.D

Captiui.

Captiuis Chriſtianis apud infideles nefas eſt pugnare aduerſus Chriſtianos quenquam percutiendo. 450.D
Captiuis Chriſtianis, mortis metu fas eſt remigare in triremibus Turcarum aduerſus Chriſtianos, & ſimilia alia miniſteria in bello præſtare, ſecus ceſſante periculo ipſorum notabili. 451.A
Captiui Chriſtiani in eiusmodi bello ſub reatu lethalis culpæ tenentur illa non facere, etiam cum iactura propriæ vitæ, quando ex eo, quod is, qui illa præcipitur, ea non faceret, vitaretur iactura maxima Chriſtianæ Reipublicæ, quod raro, aut nunquam eueniet. ibid.C
Captiui eiuſmodi metu mortis, aut amiſſionis membri, inferre poſſunt nocumentum Chriſtianis in bonis externis ad imperium infidelium, & an reſtituere eiuſmodi damna teneantur. ibidem.
Captiuus apud hoſtes teſtari non poteſt de iure Cæſareo, dum apud illos eſt: teſtamentum autem antea factum, ſi reuertatur, valet iure poſtliminij. Re tamen vera, ſi immiſſe eſt captiuus, teſtari poteſt. 506.E
Captiuus ſi ſit aliquis, quousque liberare eum teneantur, qui in bonis ſuccedere illi debent, vt hæreditate non priuētur. 729.D

Cardinalis.

Cardinalis patriam egreditur poteſtatem. 1003.A

Caritas.

Caritas qua ratione generalis, & quodammodo tota virtus.

Caſtrenſia bona.

Caſtrenſia bona quæ. 1005.E
Caſtrenſe bonum eſt donatum aut relictum occaſione aut familiaritate militiæ. 1006.D,E
Caſtrenſia aut quaſi Caſtrenſia bona ſunt, quæ in ſeruitio & palatio Regio acquiruntur, & quæ ad id donantur à parentibus. 1007.B
Caſtrenſe peculium quoad vſumfructum & plenam adminiſtrationem pertinet ad filium, niſi impubes ſit: nam tunc neque per vltimam voluntatem, neque inter viuos poteſt de illo diſponere. ibid.E
Caſtrenſia bona ſunt, quæ caſtrenſibus bonis acquiruntur. Idem de quaſi caſtrenſibus. 1008.A
Caſtrenſe aut quaſi caſtrēſe peculium exhæredationem, aut præteritionem in illis non admittunt, ſicut neque alia peculia. 1010.C

Cathedra.

Cathedra quid. 32.A

Cauſa.

Cauſa quoad vltimas voluntates, & alias diſpoſitiones quid & quibus verbis ſignificetur. 896.A,B
Cauſa ſi exiſtimata ſit, nec ſubſiſtat, obeamque ita gratuito ſit quippiā diſpoſitum, quod, ea nō exiſtente, voluntas diſponentis

ſponentis, ſaltem quaſi habitualis, eſt, vt diſpoſitio vim nõ habeat, nulla eſt ea diſpoſitio in conſcientiæ foro, & in externo, ſi de ea voluntate in eo conſtet. 896.C

Cauſa non ſubſiſtens quando ita concurrit ad rei collationem gratis, quod, ſi non exiſtere intelligeretur, collatio non fieret, collator tamen non erat in eo quaſi habituali animo, vt ea collatio conſummata nulla eſſet, valida eſt, neque accipiens reſtituere tenetur: promiſſio tamen eodem modo facta, nec conſummata, regulariter eſt nulla. 897.A

Cauſa ob quam aliquid confertur, ſi exiſtat, eſto multa conferentem lateant, quæ ſi ſciret, non ſolum non conferret, ſed etiam vellet vt collatio eſſet nulla, valida tunc eſt collatio. ib.B

Cauſa ſi mentita ſit, ob quam aliquid obtinetur à Principe, præſertim ſi obſequia mentita ſint, quando ita obtenta reſtitutioni ſint obnoxia, & quousq; quoad fructus 900 B,C,D

Cauſis tam agendis, quam defendendis, non admittitur minor ſine curatore, niſi ſpirituales, aut ſpiritualib. annexæ ſint, & quis impuberi poſt ſeptennium ad has cauſas illi curatorem tradit. 939.A,B

Cautio Mutiana.

Cautio Mutiana quid. 883.A

Clauſula.

Clauſulæ quæ adhibendæ, iuribus in cõtrarium vt derogetur. 687.D

Clauſula ex certa ſcientia æquipollet clauſulæ de plenitudine poteſtatis, & quid vtraque in legitimatione operetur. 696.C,D

Clauſula, ſine præiudicio hæredum legitimorum aut ſine præiudicio deſcendentium in legitimationibus exponitur. 897.C

Clauſula derogatoria ſequentium teſtamentorum. Vide teſtamentum.

Clauſula codicillaris. Vide codicillaris clauſula.

Clericus.

Clerici bellare perſe ipſos non poſſunt. Poteſt tamen Summus pontifex in eo cum ipſis diſpenſare, & eo ipſo, quod diſpenſaret vt pugnarent, non incurrerent irregularitatem interficiendo ea pugna. 434.E, 435.A,B

Clerici ſuadere poſſunt bellum iuſtum, & ad illud inducere, Et quũ curam Eccleſiæ habet, vocare poteſt ac debet Principem ſecularem, qui bello eam ab infidelibus, defendat. 435.C,D

Clericus indicere poteſt bellum, ducemque illius conſtituere, quando dominus eſt temporalis Reipublicæ, quæ illud gerit. ib.

Clerici eſſe non poſſunt duces belli, aut præpoſiti ijs, qui tormenta bellica applicant, aut ſuccendunt, etiamſi ipſi propria manu non pugnent. ib.D, & 436.A

Clerici intereſſe poſſunt bello iuſto de conſenſu, ſaltẽ præſumpto ſuorum ſuperiorum, & exhortari in conflictu ad fortiter in genere pugnandum, & non ſuccumbendum, quãdo eſt contra hoſtes fidei, aut Eccleſiæ, non vero vt aliquẽ in particulari percutiant. 436.A

Clerici in quibus euentibus licite pugnare poſſint, imo ad id iure naturali ſub culpa lethali teneantur. 437.D

Clericos in maioribus ordinibus conſtitutos pugnare in euentibus in quibus eis non licet, culpa eſt lethalis: & quid de pœnis illis conſtitutis. Quid item de beneficiarijs, & aliis in minoribus ordinibus, & de religioſis laicis. 438.C

Clerici illicite pugnantes in bello iuſto, ſi nullum per ſeipſos interficiunt, nec mutilent, irregularitatem non incurrunt, eſto ipſi ad pugnam in genere adhortentur, & per ſeipſos aliquos vulneren t. 442.D

Clerici de conſenſu Summi Pontificis pugnantes, eſto aliquos interficiant, irregularitatem non incurrunt. ſecus de laicis in eodem exercitu pugnantibus. ib.E, & 443.A

Clericorum multiplicia bona. 534.D

Clerici dominium habent bonorum, quæ nec Eccleſiæ propria ſunt: neque ſunt bona beneficij, & quam late illa bona patent. ib.

Clerici dominium bonorum non habent, quæ propria ſunt Eccleſiarum, aut piorum locorum, ſed ſolam adminiſtrationem. 535.A

Clerici quo tempore non domini, ſed adminiſtratores ſolum erant bonorum Eccleſiaſticorum. 538.A

Clerici in ſacris conſtituti, eſſe non poſſunt tutores teſtamentarij, aut datiui, ſed ſolum legitimi, neque tamen eſſe tenentur. miſerabilium tamen perſonarum, quarum bona alioquin perirent, eſſe poſſunt. 957.C,D

Clerici quæ acquirunt poſt clericatum, quaſi caſtrenſia bona ſunt, & patrimonium, ſi à parentibus ſit traditum, quo usq; ſit profectitium. 1009.C,D

Clericale patrimonium à parentibus datum, quoad proprietatem & fructus pertinet ad filium, & qua ratione profectitium ſit. 1015.B

Vide beneficiarij.

Clericorum ſpolia. Vide ſpolia clericorum.

Chriſtianus.

Chriſtianus iure belli ſeruus non ſit alterius Chriſtiani 160.C

Chriſtiani captiui. Vide captiui Chriſtiani.

Chriſtus.

Chriſtus poteſtatem habuit excellentia minime ſacramentis alligatam. 108.B

Chriſtus Eccleſiæ Rex cum plena poteſtate, idq; eſt Meſſiæ Regnum. 132.E

Chriſtus pleniſſimam poteſtatem, etiam in temporalibus, habuit. ib.

Chriſtus, quatenus ex Dauid deſcendebat, Iudæa Rex non erat, & multo minus orbis. 133.B

Chriſtus iura & dominia ab hominibus non abſtulit, neq; vt homo, ea illis donauit. 134.A,B

Chriſtus, vt homo abſolute eſt dominus: temporalium omniũ & Rex regum, & Dominus eſt dominantium. ib.

Ciuile animal.

Ciuile ſeu politicum animal cur ſit homo, ad eamq; ſocietatem naturaliter inclinetur. 113.C,D

Codicillus.

Codicillo inſtitui non poteſt directe hæres, niſi codicillus ſit militis. 475.C

Codicillo dari poteſt hæreditas indirecte, fidei committendo hæredi ab inteſtato, aut inſtituto in teſtamento, vt eam alteri reſtituat. ib D

Codicillo non ſit hæredis ſubſtitutio directa, quod ſi codicillo aliquis hæredi ſubſtituatur, benigna iuris interpretatione cenſetur indirecta ſubſtitutio. ib.E

Codicillo hæreditas inutiliter alicui relicta, aut codicillo confirmata, cum in teſtamento inutiliter fuiſſet relicta, cenſetur fideicommiſſaria ſubſtitutio. 476.A

Codicilli ad quid inſeruiant, & quo à teſtamento differant. ib.B

Codicillus quid. 489.B

Codicillo neq; hæres indirecte inſtitui poteſt, neq; illi conditio addi, neque adimi hæreditas. poteſt tamen ſignificari commiſiſſe delictum, ob quod dignus eſt, qui hæreditate priuetur, & velle vt priuetur, probatoq; delicto ea priuabitur. ib.C,D

Codicillus ante, & post testamentum fieri potest, & factus antea valet, etiamsi testamento non cõfirmetur, modo ex testamento de contraria testatoris voluntate non constet. 489.D

Codicillus valet, siquis in eo dicat, velle, vt talia vel talia legata ab eo impleantur, qui in bonis ipsius successerit, esto qui illum confecit, intestatus discedat. ibid.

Codicilli plures eiusdem validi esse possunt, modo inuicem nõ repugnent secus de testamentis. ibid.E

Codicilli solemnitas de iure communi necessaria. ibid.

Codicilli cæci solemnitas de iure communi necessaria. ibidem.

Codicilli inter liberos solemnitas de iure communi necessaria. ibid.&490.A

Codicilli militis solemnitas de iure communi necessaria. ibidem.

Codicilli solemnitas de iure Castellæ necessaria. ibid. D

Codicilli solemnitas de iure Lusitano necessaria. ibidem. B.&C

Codicillus in Regno Castellæ vim non habet testamẽti, neq; in eo habet locum directa hæredis institutio, conditio hæredi apposita aut exhæredatio. 491.A

Codicillarem clausulam apponens testator in testamento, si adhibuit solemnitatem ad codicillum necessariam, & nõ ad testamentum, valet dispositio etiamsi testamentum facere intenderit. 492.A

Codicillaris clausula quid. ibid.B

Codicillaris clausula tacite aut virtute apposita testamento quando censeatur. ibid.C

Codicillaris clausulæ effectus primus, quod si testamentum habeat solemnitatem ad codicillum sufficientem, & non ad testamentum, hæredisque institutio sit nulla, valida sunt legata, quæ hæres ab intestato implere tenetur. 493.C

Codicillaris clausula secundo operatur, quod institutio voluntaria hæredis in testamento habente solemnitatem codicilli, & non testamenti, directa talis institutio conuertitur in fideicommissariam. ibid.E

Codicillaris clausula tertio operatur, quod instituto hærede extraneo, in testamento solemni, & præterito aut exhæredato, qui erat instituendus, sint ita instituto restituenda omnia bona, præter legitimam portionem præteriti, aut exhæredati. Excipitur nisi ignorantem præteriisset, quem instituere tenebatur: nam tunc testamentum est omnino nullum. 494.B

Codicillaris clausula, quæ virtute est in testamento inter liberos, operatur, quod si aliquis indebite præteritus, aut exhæredatus sit, reliqui meliorati in eo censeantur, in quo à testatore meliorari potuerunt. ibid.D

Codicillum omnis, & solus potest efficere, qui potest facere testamentum. 504.D

Codicillo sit fideicõmissaria substitutio: directa vero, vt vulgaris vel pupillaris, non item: sed si codicillo fiat, obliquatur, censeturque fidei commissaria, & quando vna cum fideicommissaria fieri possit codicillo. 761.B

Coitus.

Coitus damnatus ac punibilis quis. 657.E

Collatio & conferre.

Collatio quid, & quorum sit bonorum. 1030.C

Collatio solum est descendentium comparatione eorum tantum, quibus legitima in bonis defuncti debetur. 1031.B,C

Collatio non habet locum in ascendentibus, esto legitima in bonis descendentium eis debeatur. 1032.B

Collatio si fiat dotis, eo quod filia non vult esse illa contenta, solum accipit portionem æqualem de bonis talis parentis cum cæteris fratribus. 1036.E

Collatio vt fiat, quo pacto dos asserenda. 1039.B

Conferre, qui teneantur. 1030.E

Conferunt adoptiui & illegitimi, quando legitimæ eis debentur. ibid.

Conferre quando teneatur nepos, & quæ. 1031.C

Conferuntur sola bona profectitia. 1032.D

Conferuntur data ad ingrediendam religionem, & ad sacros ordines suscipiendos. 1033.E,&seq.

Conferre non tenetur, qui contentus esse vult acceptis à parentibus in vita, & petere potest si quid insuper fuit ei promissum, aut relictum in legatum, aut donatiũ causa mortis: si tamen inofficiosum alijs sit, restituere tenetur incrementum. 1034.A.B

Conferre tenetur filius donationes ob causam, nisi parens expresserit, quod illas habeat præcipuas, easque accipiat in portione, de qualiber potest disponere. 1038.B

Confertur dos, neq; in Castella habere eam possunt filiæ præcipuam titulo meliorationis. ibid.E

Conferenda, similiter ac dos sunt data aut promissa filijs ad nuptias. 1040.B

Conferendi non sunt reditus annui, aut aliud simile datum filio aut filiæ ad matrimonium quoad reditus perceptos. ibidem.C,D,

Conferendæ sunt torques, vestes, & alia nurui ad ornatũ data, à parentibus viri. 1041. B

Conferendæ sunt vestes (præter simplices quotidianas) quas parentes filiæ suæ tradiderunt nuptiarum tempore, aut postea temporis progressu. ibi.

Conferendæ non sunt expensæ à parentib. factæ cum filia aut filio tempore nuptiarum missæ primæ, vel professionis, aut gradus doctoratus. Neq; pater tenetur eas sumere in portione de qua libere potest testari. ibid.C

Conferenda sunt data filio aut filiæ ad ingrediendam religionem. ibid.E

Conferendum est patrimonium à parentibus datum filio ad sacros ordines suscipiendos: non tamen conferre tenetur fructus inde vsque ad parentum mortem perceptos. ibidem.D

Conferenda non sunt, quæ pater cum filio familias in studijs insumit, aut in quacunq; arte, etiam mechanica, aut re addiscenda: nisi filio consentiente pater aliud esset protestatus, & an standum in solo iure communi sufficiat id patrẽ intendisse. Quando filius haberet bona propria, censetur pater de eis facere eas expensas. posset tamen eas condonare filio. 1042.D,E

Conferendi quando sint libri, quos pater filio emit, & quãdo non. 1044.B

Conferenda non sunt, quæ pater cum filio insumit in peregrinatione, hastiludio, & aliis honestis recreationibus, quãdo tamen pater haberet bona propria talis filij, de eis censetur facere eiusmodi sumptus. 1045.B,C

Conferenda non sunt quæ pater cum filio insumpsit, vt cum à captiuitate liberaret à vinculis, aut à delicto, etiam pœnam soluendo. Si tamen filius propria haberet bona, de ijs conferetur pater feciſſe has expensas. Si item pater intenderet eas computare in legitima, conferendæ essent. ibidem.

Conferenda quando sit militia, officium, aut dignitas, vel quod ad hæc comparanda dedit parens, quando non itent. 1046.B

Conferre non tenetur filius, quæ pater cum eo insumpsit in gradu Doctoratus, aut altcrius literarij, in beneficio, aut commenda militari obtinenda, & in aliis similibus, quæ nec vendi, nec transferri in alios possunt, quando pater non conuenit cum filio de similibus sumptibus soluendis. 1048.E

Conferre quousq; filius teneatur, quæ surripuit, aut male insumpsit de bonis parentum. 1049.D

Conferetur de iure communi donatio simplex facta à patre filio emancipato. 1051.E,&seq.

Conferre non tenetur de iure communi filiusfamilias, ac pro inde,

inde nec computare in legitimã, simplicem donationem factã à patre, nisi pater, antequam confirmaretur, aliud statueret, aut nisi frater conferre teneretur aliquã donationem, & tunc quousque conferenda sit illa alia. 1052. C, & D

Conferre de iure communi nõ tenetur quis donationem simplicem sibi factã à matre, autauis maternis, vel auia paterna, nisi is parens, aliud statuerit quando donauit, aut cohæres cõferre teneatur aliquam donationem ob causam ab eodem parente factam. 1053.B

Conferuntur regulariter in Lusitania donationes omnes, etiam simplices, factæ à parentibus filiis. ibid.C

Conferre non tenetur in Castella descendens donationem simplicem ab ascendente sibi factam, neque computare in legitimam, nisi excedat tertium & quintum donantis. ibidem.E, & seq.

Conferenda non est donatio ad æqualitatem remuneratoria vni filiorum propter extraordinaria merita & obsequia, sed deducenda est de toto aceruo bonorum parentis tanquam æs alienum. 1054.E, & 1055.A

Vide Partitio.

Collegium.

Collegium non amittitur ante latam sententiam, commisso crimine, pro quo pœna amissionis illius est ipso iure statuta, nisi aliunde constet contrarium intendisse institutorem. 402.A

Columba, & columbaria.

Columbarum quando dominium retineatur, & quando amittatur. 27.B

Columbaria an licita sint expenditur, licitaque esse defenditur. 229.B, & 230.B

Columbæ, quæ in columbariis degunt, an interfici possint à non dominis, & quousq; obnoxia sint restitutioni, nefasque sit eas emere. 232.C, D

Columbas capientes in Regno Castellæ extra leucam à columbarijs, licite id efficiunt, ad nullamq; tenentur restitutionem. 233.C

Columbas artibus attrahere ex alienis columbarijs, vt in suo domicilium collocent, vel vt extra leucam eos capiat, peccatum est cum restitutionis onere. ibid.D, E

Commenda.

Commenda quid. 32.B

Commendatarij quales hodie religiosi sint in Hispanijs. 53 C

Commendatarij iusti dominium habent, etiam eorum, quæ commendis acquirũt, & de eis testari possunt, & instituere maioratus. 532.B

Comendatarij eiusmodi priuilegio fori non gaudent in ciuilibus in Lusitania. ibi.

Cummutatiua iustitia.

Commutatiuæ iustitiæ debitum diuersum à debito iustitiæ distributiuæ. 22.E

Commutatiuæ iustitiæ medium secũdum arithmeticam: distributiuæ vero secundum geometricam proportionem. 3.D

Commutatiuæ iustitiæ debitum per accidens aliquando habet effigiem debiti ex iustitia distributiua. 24.A

Commutatiuæ iustitiæ definitio. ibid.B

Commutatiua iustitia cernitur sæpe inter Rempublicam, & suam partem. ibid.D

Cõmutatiua, & distributiua iustitia infimæ species D. Thomæ sententia. ibid.E

Conditio.

Conditio, si institutus hæres esse voluerit, aut legatarius voluerit legatum, licet virtute insit, esto non exprimatur, quando tamen exprimitur, operatur, vt nisi hæreditas adeatur, aut legatum accepetetur, nõ transmittantur ad hæredes. 622.B, C

Conditio triplex, potestatiua, causalis, & mixta, & quid vnaquæq; sit. 739.E

Conditionem quando censeatur efficere tempus restitutioni fideicommissi præscriptum, quando non item. 801.B

Conditionale quando non censeatur legatum fauore libertatis. ibid D

Conditionem tacitam, si sine liberis decesserit, habet grauamen restituendi post suam mortem grauati hæreditatem ab ascendente impositum. 804.D

Conditio tacita, si sine liberis decesserit, quam habet descendens grauatus per mortem suam aliquid restituere, locum habet in illegitimo quoad bona, quæ licite ei ab ascendente relinquuntur. ibid.

Conditio eadem tacita an se extendat ad filios naturales hæredis ita grauati, coniecturis est iudicandum. 806.E

Conditio illa tacita, si sine liberis decesserit, comprehendit filios per subsequens matrimonium legitimatos, quando aliud de voluntate institutoris fideicommissi non constat: secus de legitimatis rescripto Principis, quando ad petitionem eiusdem institutoris legitimati non sunt, aut de voluntate eius non constat. 808.C

Conditio, si sine liberis decesserit, defecisse censetur, si vel vnus superstes ad breuissimum tempus sit, vel posthumus ita viuus nascatur, vt hæres existat. 809.A

Conditio posita à Rege in donatione castri, si cum liberis decesserit, impleta cẽsetur, ita vt castrum ad Regem amplius non reuertatur, si vel vnus filius ad breuissimum tempus superstes sit, vel posthumus ita viuus nascatur, vt hæres existat. 808.E. & 809.A

Conditione tacita, vel expressa appositа, si sine liberis decesserit, non expirat fideicommissum, si constet parentes & liberos simul obisse: secus si id non constet. Et quando præsumendum sit, quis ante quem obierit. 809.A, & B

Conditio, si filios non habuerit, quando sit eadem censenda cum conditione, si sine liberis decesserit, & quando diuersa. ibi.C, D

Conditio tacita, si sine liberis decesserit, non censetur apposita, quando grauatus liberum habebat, & id sciebat testator. 810.A

Conditio expressa, si sine liberis masculis decesserit, non excludit substitutum, si desint masculi, & adsint fœminæ. ibid.

Conditio tacita vel expressa, si sine liberis decesserit non efficit fideicommissarios filios superstites hæredis eo pacto grauati, sed perinde pater de illis bonis, atque de alijs suis, disponit. ibi.C

Conditio tacita, si sine liberis decesserit, natis filijs excludit causam piam substitutam, etiamsi sit monasterij, nisi ad exonerandam conscientiam fideicommissum esset relictum. 811.E

Conditio tacita, si sine liberis decesserit, non sufficit, vt hærede grauato religionem profitente, fideicommissum transeat ad monasterium, cum tamen regulariter transeat, quando sub eadem conditione expressa fuerat grauatus. 815.D & E

Conditio tacita, si sine liberis decesserit, locum etiam habet in legatis, seu fideicommissis particularibus, indonatione causa mortis, atque inter viuos, quando aliquid legatur aut donatur descendenti cum grauamine, vt post illius mortẽ deueniat ad alium. 806.C

Conditionem inducit dies incertus, an futurus sit, dispositioni appositus. 876.C

Conditio presse solam de futuro contingenti comprehendit, late etiam quamcumque aliam. 878.D

Conditio presse quid. ibi.

Conditio late quid. 879.A

Conditio quibus verbis exprimi soleat. ibid.
Conditionalis dispositio solum in spe parit obligationem, interim dum conditio pendet. ibid.
Conditio de præsenti & de præterito, dispositionem non suspendit: quare, quæ de legato puro, aut in diem certũ traduntur, locum habent in conditione de præsenti, aut de præterito vera. ib.C
Conditio impossibilis, quædam facti, & quædam iuris, & quo tuplex hæc. ibid.E
Conditio astringendi se sub iureiurando faciendi aut dandi aliquid quando in vltimis voluntatibus remittatur, & quando non. 880.B
*Conditionalis dispositio stando in solo iure naturali, vim non habet, nisi impleta conditione, quacunque ea sit, ibidem.*C
Conditionem de facto aut de iure impossibilem haberi pro nõ adiecta, aut dispositionem nõ vitiare, solum habet locum in dispositionibus, in quib. iure positiuo est id statutum, neque est ad alia extendendum. ibid.D
*Conditio de facto aut de iure impossibilis habetur pro non adiecta in vltimis dispositionibus, neque eas vitiat. ibidem.*E
Conditionis impossibilis adimpletio dispositionem nõ vitiat. ibidem.
Conditio impossibilis, quam disponens possibilem credebat, vltimam voluntatem vitiat. 881.B
*Conditio etiam de facto impossibilis habetur pro non adiecta nec vitiat vltimam dispositionem: illa tamen eam vitiat quæ licet instituto impossibilis sit, alijs tamen est possibilis ibidem,*C
Conditio de futuro ad alteram partem determinata pro impleta habetur, sicut conditio de præsenti, aut de præterito vera, efficitq; dispositionem puram. ibid.E
Conditio potestatiua quæ. 882.A
Conditio casualis quæ. ibid.B
Conditio mixta quæ. ibid.
Conditio casualis aut mixta satis est si post mortem testatoris, vel in vita post dispositionem confectam, aut ignorãte testatore ante dispositionem impleatur, vt valida sit vltima voluntas sub ea facta. 882.C
Conditio potestatiua post testatoris mortem debet impleri, vt vltima voluntas sub ea facta valida sit: nisi ea conditio iterabilis non sit: nam tunc sufficit ante testatoris mortem esse impletam. ibid.
Conditio potestatiua quando institutioni hæredis est addita, neque impletioni est præfixus terminus, satis est si impleatur interim dum hæres viuit: addita vero legato impleri à legatario debet, cum primum potuerit, alioquin expiret legatum. ibid.D
*Conditio potestatiua negatiua quando apposita est vltimæ voluntati, tradendum continuo est, quod sub conditione est relictum, præstita cautione Mutiana de restituenda re cum fructibus, si conditionem fuerit transgressus. Et quid in legato libertatis aut alio pio. Quid item quando ob paupertatem mutiana cautio non potest dari. ibidem.*E
Conditio in commodum alterius hæredi aut legatario apposita, si ex parte illius alterius defecerit, habetur pro impleta. 883.B
Conditiones tacitæ quæ. ibi.C
Conditio legato, aut hæredis institutioni apposita, si viduus aut vidua ad secundas nuptias non transierit, valida est, esto ab extraneo sit apposita. Quod si transeat, restituit sibi relictum cum fructibus, nulla expectata sententia. 88.D
Conditio nunquam nubendi ei apposita, qui nunquam matrimonium contraxit, pro non apposita habetur. itemque non contrahendi nisi ad arbitrium alterius: secus de conditione non contrahendi cum aliquo aut aliquibus, vel ad certum tempus, dummodo in pœnam non ideo auferretur legatum aut hæreditas, integrumq; remaneret cum alio, vel alijs contrahere. 884.C
Conditio contrahendi cum aliqua aut aliquo, & cum nullo alio, valida est, modo licite & honeste id fieri possit: quod si per illum alium defuerit, non impedit dispositionem. 885.D
Conditio valida apponitur legato, aut hæredis institutioni, si religionem ingrediaris, aut sacerdos fias. ib.E
Conditio, si caste vixeris, an impediat transitum ad secundas naptias, coniecturis est iudicandum, atq; indubio pronunciandum est non impedire. ead & 886.A
Conditione nuptiarum si quid legetur, aut donetur, & legatarius, aut donatarius religionem profiteatur, totum debetur monasterio. 886.E. & seq.
Conditio, qua quis à commodo aliquo excluderetur, animo auocandi illum à religionis ingressu, viro Christiano esset indigna. valida tamen ac licita esset, si bono fine quis à cõmodo aliquo excludatur, si religionem profiteatur, vel clericus fiat. 887.C
Conditionis nomen sæpe pro modo accipitur. 889.D
Conditionis nomen, si contineat aliquid implendum post dispositionem obtentam, modum significat, non vero conditionem. 890.A
Conditio. Vide Legatum, & hæredis institutio.

Coniux.

Coniux, qui bona fide contraxit, & in ea perseuerabat, valide accipit legatum, donationem, aut quoduis aliud ab altero coniuge, neque id pertinet ad fiscum. 855.D
Coniux, qui mala fide contraxerat, amittit fisco, si quid per vltimam voluntatem, aut inter viuos ab altero cõiuge acceperat, nisi id hæredibus dantis sit restituendum, eo quod bona fide contraxerit, ac perseuerauerit. 857.B
Coniugis legatum alteri coniugi factum, reputãdum non est inualidum, quando bona fide contraxerunt, & in ea perseuerarunt. ibid.C

Consanguinitas.

Consanguinitatis gradus in linea ascendentiũ & descendentium eodem modo canonico & ciuili iure computantur. 632.C
Consanguinitatis gradus in linea transuersali canonico iure quomodo ad matrimonium computentur. ib.D
Consanguinitatis gradus de iure ciuili quomodo ad successiones computentur. 633.C

Consuetudo.

Consuetudo in contrarium decem annorum vim obligandi aufert à lege ciuili. 313.E
Consuetudo in contrarium quadraginta annorum vim obligandi aufert à lege canonica. ib.
Consuetudo de re Ecclesiastica ac spirituali præter legem canonicam, vt ieiunandi, aut seruandi diem aliquem in honorem alicuius Sancti, vim obligandi inducit post decem annos. 314.A
Consuetudo quæ iuri alicuius Ecclesiæ particularis præiudicat, vt vim habeat, ac præualeat, esse debet quadraginta annorum. ib.B
Consuetudo, quæ iuri Ecclesiæ Romanæ, aut coronæ Regni præiudicet, esse debet centum annorum: quod si ius ei resistat, vt regulariter resistet, esse debet immemorabilis. ibidem
*Consuetudo in contrarium vim non habet aduersus legem, quæ statuit, vt aduersus illam nulla consuetudine præscribatur: quod si statuat vt non nisi tanto tempore consuetudine præscribatur, ante illud tempus vim non amittet. ibidem.*C

Contractus.

Contractus Principis dominium non transfert ante traditionem

nem: secus de donatione. 41.C
Contractus guarentigius, quis. 295.A
Contractus, ob solemnitatis defectum nulli, naturalem obligationem non pariunt, nullique in foro conscientiæ sunt. Quando autem onerosus est, expectare potest vnus, vt alter rescissionem petat. Multumq; in illis de iuris rigore est sæpe remittendum, neq; fructus percepti sunt restituendi, neq; de omissione modicæ solemnitatis est curandum. 336. C,D
Contractus de re turpi patranda illicitus est & peccatum, integrumq; vtriq; contrahentium est discedere à contractu ante rem patratam, etiam inuito altero: re autem patrata ex iustitia debetur pretium promissum, stando in solo iure naturali, liciteq; exigitur, & accipitur. 381.B,C
Contractus de re turpi est peccatum eius speciei, cuius est res turpis, de qua est talis contractus. 189.C
Contractus religiosi quousq; obligent aut non obligent monasterium. 525.A
Contractui, aut dispositioni nulla, quando iuramẽtum vires tribuat, & quando non. 581.BC
Contractus, pacta, promissiones, & renunciationes iuramento confirmata potest irrita reddere ex rationabili causa, non solum potestas ecclesiastica, sed etiam laica 583.D
Contractus, si mutuus sit, quo pacto minor sine autoritate tutoris possit obligare alterum, cui ipse obligatus non maneat. 977.D
Contractibus quatenus filius familias sine consensu patris obligetur, aut non. 995.D,E
Contractus iuramento confirmatus. Vide iuramentum.

Corporales res.

Corporales, & incorporales res, quæ. 31.D

Curator.

Curator ac tutor locum nõ habet comparatione eius, qui sub patria est potestate. 948.B
Curator datur puberi vsq; ad vigesimum quintum annum; non tamen inuito, nisi iure Lusitano. Valentq; acta per eundem curatorem. Ad iudicium cogitur curatorem accipere. Nisi in causis spiritualibus, aut spiritualibus annexis. 949.C
Curator præcipue datur rebus, minus præcipue personis: & ideo irrita non potest reddere vota personalia illius, sicut potest tutor vota impuberis. 950.A
Curator datur furioso, mente capto, & prodigo etiam inuitis. ibid.B
Curator datur surdo & muto, & iis, qui perpetuo morbo laborant, ita vt superesse suis rebus non possint, & impuberi, dum impeditus est tutor. ib.C
Curator de iure communi non datur testamento, si tamẽ detur alijs, qui tutorem possunt dare, confirmatur à iudice, & tenetur illum admittere minor: iuris vero Lusitano ita datur curator testamento sicut tutor, & quæ de tutore traduntur, in curatore locum habent. 954.E
Curator mente captis prodigis, surdis & mutis, quis sit, & quis præferendus alijs. 955.B
Curator mente capto satisdare non tenetur, si sufficientia bona habeat vnde satisfaciat. 964.E
Curatores, qui esse non possint. 956.A
Curator, aut tutor esse non potest religiosus. 957.B
Curatores, aut tutores, testamentarij, aut datiui esse non possunt clerici in sacris, sed solum legitimi. si volent: miserabilium vero personarum, quarum bona alioquin perirent esse possunt tutores aut curatores. ib.C.& D
Curatorum, ac tutorum præmium. 981.E
Curatoris munus, quando finitur. 982.D,E
Vide tutor, & Minor.

Dare.

Datum gratis ob causam existimatam, si causa non existat, & voluntas conferentis, quasi habitualis fuit vt causa non existente inualidum esset, in conscientiæ foro est nullum; & in exteriori, si de ea voluntate in eo constet quando tamen non adfuit talis voluntas; validum est. 796.C
Dare. Vide Accipere.

Debitum.

Debitum inter inferiores & superiores cuius virtutis sit obiectum. 18.B
Debitum ex iustitia commutatiua diuersum à debito ex iustitia distributiua. 22.A,B
Debitum iustitiæ distributiuæ inæquale partibus Reipublicæ. ibid.C
Debita, quæ ciuilibus actionibus exigi possunt, regulariter de iure communi præscribuntur triginta annis. 294.E, & seq.
Debita præscribi non incipiunt ante, diem in quo erant soluenda. 316.C

Decima.

Decimas, quoad ius eas percipiendi eo modo quo illas percipiunt Ecclesiastici, cur laici præscribere nõ possint, neq; item res sacras. 270.A
Vide præscriptio.

Decretum.

Decretum iudicis. Vide Minor, & Tutor.

Defunctus.

Defuncto aliquo, intra nouẽ dies inquietari, aut in iudicium vocari non possunt heredes, vxor, & propinqui illius, occasione defuncti, nisi eorundem malitia aliud postularet. 919.D
Defuncto aliquo, si testamentum condidit, illud ante omnia aperiri debet. 1020.B

Delegatus.

Delegatus. Vide Accipere.

Deliberare.

Deliberare intra quantum tempus teneatur hæres, eoque defuncto hæredes illius. 754.E
Deliberatio cur maior quondam hæredibus cõcedebatur. 920. A, & C
Deliberandi tempus si petatur, quantum & à quo possit concedi. 928.D,E
Deliberandi tempus si detur, transacto illo, & hæreditate nõ repudiata, adita censetur, & siue expresse, siue tacite sit adita, si inuentarium confecit; tenetur creditoribus vltra vires hæreditatis, legatarijs autem non, & detrahit à legatis falcidiam. 929.A
Deliberandi tempore postulato, si hæres repudiet hæreditatẽ, nec inuẽtarium conficiat, iuratur aduersus eum in litem. ibidem.
Deliberandi tempus postulans hæres, aut inuentarium non conficiens, in conscientiæ foro tenetur creditoribus vltra vires hæreditatis. 933.B

Democratia.

Democratia Respublica quæ. 117.D
Democratia potestas varie potest constitui. 120.E
Democratiæ potestatis leges plebiscita nuncupantur. ibid.

Demonstratio.

Demonstratio in dispositionibus quid. 902.A
Demonstratio falsa non vitiat dispositionem quando cõstat de re, quæ demonstrari intẽditur, & de persona, quæ similiter intendi tur demonstrari, & qui eientis excipiantur ibid.C
Demonstrata res si non existat in loco in quo demonstratur, inualida est dispositio, si vero non existat integra, solum valet quoad id illius, quod ibi reperitur. Idem est, si non debeatur ab eo, à quo deberi dicitur. ibid.E

Deportatio.

Deportatio, & præscriptio, qualiter de iure communi fiebant. 56.C

Depositarius.

Depositarius, si inuito domino deposito vtatur, & peccat; & valorem talis vsus restituere illi tenetur. 45.A

Descendens.

Descendentes nisi heredes instituantur, aut apposita legitima causa exhæredentur, testamentum est nullum, quoad hæredum institutionem. Idem si postea probetur, causam exhæredationis sufficientem non fuisse. 625.E

Descendens si hæres instituatur, sed in minori portione, quam legitima, agit ad incrementum. 626.A

Descendentium legitima tertium de iure Cæsareo, si filij quatuor non excederent: alioquin dimidium. In Lusitania duæ partes. In Castella quatuor, sed meliorari in tertio possunt. ib d.D.E

Descendentes soli succedunt ab intestato ascendentibus, si filij sint per capita, si in vlteriori gradu succedant ratione parentum quos repræsentant, succedunt per stipitem 635.E

Dies.

Dies vltimus inceptus anni integri pubertatis habetur pro expleto, vt pubes testari possit. 505.D

Dies incertus an futurus sit conditionem inducit dispositioni appositus. 876.C,D

Dispensatio.

Dispensatio in ius gentium vt cadat. 14.D

Dispensatio matrimonij circa gradus consanguinitatis vt valida sit, necesse est, vt si alter à trunco minus distat, quam distent inter se, id exprimatur, & vt si fœmina minus distat, id etiam exprimatur. Itemq; si variis vijs sit inter eos consanguinitas aut affinitas. 633.C

Dispensatio cum illegitimis, distinctum quid est à legitimatione, estque stricte intelligenda, & legitimatio ample. 680.E

Dispensatio est cum illegitimo, si non ad omnia, quæ vel canonico vel ciuili iure erat inhabilis, reddatur habilis: legitimatio vero quando habilis efficitur ad omnia, ad quæ altero iure erat inhabilis: idq; quibuscunq; verbis dispensans aut legitimans vtatur. 681.B,C

Dispensatio est cum illegitimo, si restrictio fiat in substantia legitimationis, ita vt solum sit quoad aliqua: si verò solum fiat restrictio in aliquo effectu, aut effectibus, est legitima tio. ib.D,E

Dispensatio cum illegitimo. Vide illegitimus.

Distributio.

Dispositioni nullæ, quando iuramentum vires tribuat, & quando non. 581.B

Dispositio, Vide modus.

Distributiua iustitia.

Distributiuæ iustitiæ debitū diuersum à debito iustitiæ commutatiuæ. 23.A

Distributiuæ iustitia debitum inæquale partibus Reipublicæ. ib.C

Distributiuæ iustitiæ medium secundum geometricam: commutatiua vero secundum Arithmeticam proportionem. ibidem.D

Distributiuæ iustitiæ definitio. 24.B

Distributiua iustitia in rectoribus, ministrisque publicis reddet. ib.

Distributiuæ, & legalis iustitiæ discrimen. ib.C

Distributiua & commutatiua iustitia infimæ species D. Thomæ sententia. ib.D

Distributiuæ iustitiæ debitum si fraudetur, debetur deinceps ex commutatiua iustitia. 25.B

Distributiua iustitia vt non competat repassum, seu contrapassum. 26.B,C

Diuidua.

Diuidua an indiuidua obligatio sit, vnde iudicandum. 464 A

Diuisio rerum.

Diuisio rerum qua ratione potuit introduci, reque ipsa licite fuit introducta. 13.A

Diuisio rerum, vt in statu innocentiæ expediens non fuisset, ita post illum fuit necessaria. 100.B

Diuisio rerum gentium iure licite fuit introducta. 13.B, & 101.A

Diuisio rerum nunquam fuit de iure naturali: tametsi obligatio vt fuerit, esse potuerit de iure naturali, si grauia ex rebus in communi orirentur mala. 101.D,E

Diuisio rerum, in quibus euentibus post peccatum non necessaria. ib.E, & 102.A

Diuisio rerum quo pacto, & per quos potuit introduci. 103. D

Doctores.

Doctoratus, aut alterius literarij gradus sumptus cum filio à parentibus factos conferre non tenetur filius, quando non præcessit ea de re conuentio cum patre. 1048.A

Dominium.

Dominium non comparatur solo titulo, nisi adsit traditio saltem ficta. 31.A

Dominij definitio. 34.E, & 35.A

Dominium directum & vtile quid. ib.B.37.C 387.E

Dominium late ad incorporalia se extendit. 35.D

Dominium non est essentialiter ius, sed ius naturam dominij consequitur. 36.E

Dominium vtile quid. 37.C

Dominium rebus intellectu minime præditis non conuenit. ibidem.D,E

Dominium minus late patet, quam ius. 38.D

Dominium triplex. ib.C

Dominium iurisdictionis ad quos pertineat, & in quo sit positum. ib.

Dominium iurisdictionis ad multos ordine quodam simul pertinere. Vnde à iurisperitis diuiditur in altum, & bassum. ib.D

Dominium iurisdictionis Ecclesiasticæ species alia à dominio iurisdictionis secularis. 39.A

Dominium locorum, seu vniuersitatis quid. ib.

Dominium hoc simul ad subditos & ad habentē iurisdictionis dominium eius loci spectat, poteritq; in suo gradu & ordine plura pecora ibi pascere, & plura ligna inde accipere. ib.

Dominium particulare quod, habetq; illud interdum cōmunitas rerum aliquarum. ib.B

Dominij diuisio. ib.C

Dominium vtile dicendi sunt habere, præsertim emphyteuta & feudatarius. 40.A

Dominium plenum, & non plenum: & quot modis plenum non sit. 39. C.40.D

Dominium, etiam vtile, vt comparetur, necessaria regulariter est traditio seu apprehensio. ib.E, & 14.A

Dominium quando sine traditione comparetur. ib.B

Dominium non transfert princeps in contractibus ante traditionem secus in donationibus. ib.C

Dominium comparat hæres statim adita hæreditate ante apprehensionem: secus de possessione. ib.D

Dominium rei legatæ in singulari, adita hæreditate per hæredem, absq; traditione transisse censetur in legatarium à puncto mortis testatoris: secus de possessione. ib.

Dominium legati indeterminati in indiuidio non comparatur ante traditionem. 42.B

Dominium rei donatæ sub conditione aut modo, vt donatarius præstet alimenta, transit ad donantem eo ipso, quod donatarius modum non seruat, absque vlla traditione. ib.D,E

Dominium rei donatæ cum pacto aut modo, vt transacto certo tempore deueniat ad quendam tertium, de iure Castellæ, adueniente eo tempore, dominium transfert absq; traditione in illum tertium, quin & comparat possessionem: secus de iure communi. 43.A

Dominium & possessio bonorum maioratuum in Regno Castellæ mortuo possessore transeunt ad successorem absq; vlla traditione. ib.B

Dominium, aut quasi dominium, beneficij Ecclesiastici sola collatione, & acceptatione siue traditione acquiritur. ibidem.C

Dominij ac iuris titulus quid. ib.D

Dominium à facultate ad vsum & consumptionem distinguitur circa res, quæ vsu consumuntur. 48.B

Dominium fructuum quando comparet vsufructuario. 50 A,B

Dominium rei superficiei affixæ, siue domus, siue arbores sint non ad superficiarium, sed ad proprietarium spectat, esto industria, & sumptibus superficiarij affixa sint. Idem de emphyteuta. 65.C

Dominium neque de iure communi, neque Lusitano, acquiritur traditione scripturæ de nouo confectæ, qua titulus concedatur: secus de iure Castellæ. 78.D,E

Dominium transfertur traditione rei facta per verum dominum, esto tertius alius possideat, eaq; ratione talis traditio possessionem non transfert. 82.B,C

Dominij iuris, atq; iniuriæ sola libero arbitrio prædita capacia. 92.D

Dominium habent pueri, & amentes. 93.B

Dominium hominum & angelorum à Deo deriuatum, Deique vniuersali dominio subordinatum. ib.C

Dominium hominum in res ipsorum nõ ad omnes vniuersim vsus se extendit. 94.A

Dominium rerum corporearum, solo iure naturali spectato, omnibus est commune. 95.D

Dominium propriæ vitæ & membrorum non habent homines, licet ius eis fruendi, & ea conseruandi sit ipsis concessum, ratione cuius iniuria ipsis fit, si eis nocumentum iniuste inferatur. 94.B, & seq.

Dominium lethali crimine non amittitur. 96.D

Dominium iurisdictionis post Adæ peccatum fuit necessarium. 99.D

Dominia rerum, quin & vxores diuidendas non esse in rebus publicis, Socrates & Plato asseruerunt: contrarium vero probauit Aristoteles. 100.A

Idem fuit Apostolicorum error. ib.

Dominia vt in innocentiæ statu indiuisa. Ita post illum diuidi fuit necessarium. ib.B.C

Dominia rerum diuidi gentium iure licite fuit introductum 101.A

Dominia prima rerum constitutione iure naturali fuisse omnibus communia, quo sensu asseratur. ib.B,C

Dominiorum diuisio per quos & quo pacto introduci potuit. 103.D

Dominium eorum, quæ indiuisa non fuerunt, sit primo occupantis, idq; gentium iure. 104.B

Dominia quarundam rerum aliquibus diuino iure concessa sunt. ib.

Dominium rerum in communi expeditius alicui congregationi. ib.C

Dominium nõ est censendum comparare hostes rerum, quas à nostris bello capiunt, quando nostrum bellum iustum arbitramur. 188.A

Dominium in seruos quousq; & ad quæ se extendat, & ad quæ non. 201.C

Dominium animalium immansuetorum amittitur statim, atque ad suam naturalem libertatem redeunt, & quãdo rediisse sunt censenda. 316.A,B

Dominium animalium, quæ cicurata erant, amittitur, cũ primum redeundi amittunt consuetudinem, & ad suam naturalem libertatem se recipiunt. ib.C

Dominium falconum, & accipitrum quando retineatur, & quando amittatur. ib.E

Dominium columbarum quando retineatur, & quando amittatur. 216.A

Dominium apum atque examenum. ib.B

Dominium ferarum, quæ in locis circumseptis, aut in saltibus Principum continentur ad quem pertineat. ib.E, & seq.

Dominium per alluuionem quando acquiratur, & amittatur. 25.E

Dominium ædificij & plantarum cedit domino soli. 251.D

Dominium vasis aut picturæ aliena materia confectorum, ad quem pertineat. ib.E

Dominium comparat is lignorum, quærite vel de communi sylua, vel priuata ex facultate domini cædit. 254.D

Dominium rei bello captæ quando comparetur. 459.B,C

Dominium non habent clerici bonorum, quæ propria sunt Ecclesiarum, aut piorum locorum, sed solam administrationem. 534.E

Dominium bonorum Ecclesiarum penes communitates Ecclesiarum est, & cur bona Dei, & patrimonium Christi dicantur. 535.E, 537.A

Dominium comparat hæres suus hæreditatis ad se delatæ, an tequam illam adeat: alij vero hæredes non nisi adita hæreditate. 749.A

Dominium fideicommissi, etiam directum, quando comparetur: quando item simul cum dominio possessio. 784.C

Dominium rei legatæ in particulari, non sub conditione, nec ad diem soluendæ, à quo puncto ad legatarium spectet. 829.A

Dominium bonorum aduentitiorum pertinet ad filium, vsusfructus vero ad patrem, exceptis nonnullis euentibus. 1011.D

Vide Dominus.

Dominus.

Dominus est maioratus bonorum vinculatorum. 36.A

Dominus omnium ita est Deus, vt nullius rei dominium possit à se abdicare. 93.C

Dominus est Deus etiam vitæ hominum, & Angelorum est & dominium illius in res creatas ad omnes vniuersim vsus. ib.D

Dominus actu fuit Deus solum à puncto creationis. ib.E

Domini sunt homines naturali iure eorum, quæ cœli ambitu continentur. 94.A

Domini aliquo modo sunt homines cœlorum. ib.C

Dominus est Christus, quatenus homo absolute rerũ omniũ temporalium, & qua ratione dominia aliorum in eisdem rebus consentiant. 134.C

Dominus non est Summus Pontifex, sed dispensator bonorũ omnium Ecclesiæ. Quod si illa sine rationabili causa donet tam ipse, quam donatarius, restituere illa tenetur Ecclesiæ. 145.B

Dominium non habentia, gentium iure sunt primo capientis 215.D

Dominium habent animalia mansueta, partesq; eorũ quãdo à fera, aut ab alia interficiuntur, ad dominium animalis spectant. ib.

Domino quæ res careant. 237.E, & seq.

Domino carentia, aliquoue ad quem pertineant, sunt primo occupantis, nisi aliud iure ciuili sit constitutum. 244.E

Domini sunt clerici bonorum, quæ neq; propria Ecclesiæ sunt, neq; sunt reditus beneficiorum, & quam late illa alia bona pateant. 534.E

Donatio inter viuos.

Donatio principis dominium transfert absq; traditione: secus de contractu ab eo celebrato. 41.C.D

Donare de bonis regni quousq; possit rex. 124.A
Donationes factas de bonis regni male at que in præiudicium regni, revocare possunt rex & successores. ib.B
Donatio à Constantino facta ecclesiæ, valida licitaque fuit. ibid.
Donari à regibus coronæ, aut communia loca non debent, nisi moderate & iusta ex causa. 125.A
Donata, seu collata à principio propter obsequium aut alias ementitas causas, quousque restitutioni sint obnoxia, etiam quoad fructus. 901.D
Donata à rege aut à regina quasi castrensia bona sunt. 1009.C
Donatio sine rationabili causa facta à summo Pontifice de bonis Ecclesiæ inualida est, revocariq; potest per ipsum & successores: eo quod dispensator sit, & non dominus eorum bonorum, tenenturq; donatarius & ipse restituere illa Ecclesiæ. 145.B
Donare inter viuos, & maioratus instituere possunt prælati, & alij beneficiarij, de his bonis, de quibus libere possunt testari. 576.C
Donat valide & licite prælatus inter viuos ad pia, & remuneratorie, quæcunque vult, etiam in eo morbo constitutus in quo è vita discedit. 577.A
Donatio animo obtinendi aliquid facta, esto finis intentus non sequatur, valida est. 358.A
Donatio omnium omnino bonorum valida esse potest principis autoritate confirmata. 597.A
Donatio inofficiosa esse potest ascendenti, eatenusq; est inualida. 1032.C
Donatio ob causam à parentibus filiis facta, quid. 1037.E
Donatio simplex à parentibus filiis facta, quid. 1038.A
Donationem ob causam conferre tenetur filius, nisi parens expresserit, quod habeat eam præcipuam, accipiatque illam parens in partem, de qua libere potest disponere. ib.B
Donationes ob causam filiis facta, cuiuscunque quantitatis sint, insinuatione non indigent. 1042.D
Donationem ad nuptias, ad dotem filiæ si pater promitteret, censetur de suis proprijs bonis eam promittere, nihil impediente quod talis filia haberet propriè bona. 1043.A
Donatio simplex à patre filiofamilias facta, si secuta non sit traditio, est inualida, nisi iuramento esset confirmata, idque in Lusitania obtenta facultate regis ad cõfirmandam illam iuramento. 1051.C
Donatio simplex à patre filiofamilias facta, accedenteq; traditione non confirmatur, nisi morte patris, aut iuramento, adhibito, in Lusitania ex regis facultate, solumq; confirmatur morte patris quoad summam, quã sine insinuatione fas est donare, nisi in morte ratificetur: qua tunc vim habet legati. ib.D
Donatio vsusfructus bonorum aduentitiorum facta à patre filio, valet statim cuiuscunque sit quantitatis. ibid.E
Donatio bonorum mobilium facta à patre filiofamilias proficiscenti in bellum, aut ad palatium regis, valet, efficiturque castrense bonum filij, & quid in Lusitania: valet similiter donatio librorum facta filio, qui est in procinctu vt artem exerceat. ibid.
Donatio simplex facta à patre filiofamilias, aut à matre, & auijs, auoq; materno; (atque in Lusitania paterno) filio sine emancipato, sive non, statim valet, esto secuta non sit traditio, modo insinuata sit, alioquin quoad excessum non valet. 1052.A
Donatio simplex facta à patre filio emancipato, de iure communi confertur. ibid.B
Donatio simplex facta à patre filio emancipato, de iure communi confertur, nec proinde in legitimam est assumenda, nisi pater antequam cõfirmaretur aliud statuerit: aut nisi frater conferre teneretur donationem aliquam, & tunc quoq; illa alia sit conferenda. ibid.C
Donatio simplex facta à matre, aut ab auis maternis, vel auia paterna, non confertur de iure communi, nisi parens qui donauit, aliud statuerit, quãdo donauit, aut cohæres conferre teneretur donationem, ob causam factam ab eodem parente. ib.D
Donationes omnes etiam simplices, à parentibus factæ, regulariter conferuntur in Lusitania. 1053.C,D
Donatio omnis simplex facta ascendentibus emancipato, aut filiofamilias, valida est in Castella, esto non sit facta traditio: attamen tunc revocari vsque ad mortem ab eo ascendente potest, à quo facta est: si vero facta sit traditio, etiam per clausulam constituti redditur irrevocabilis. ib.E
Donatio simplex in Castella facta ab ascendente, censetur melioratio in tertio & quinto, ac proinde nec confertur, nec computatur in legitima, nisi tertium & quintum donantis excedat. 1054.B,C
Donatio remuneratoria, qua vnus plus in bonis paternis haberet, locum non obtineret, quando filiorum merita, quamuis extraordinaria, æqualia essent. 1055.A,& B
Donatio remuneratoria propter extraordinaria obsequia & merita, facta vni filiorũ ad æqualitatem solum cum meritis conferẽda non est, sed habet illam præcipuam talis filius deducendam de toto aceruo tanquam æs alienum. ibidem.
Donatio non censetur remuneratoria, quando de meritis filij non constat, esto iureiurando ea affirmet pater. ibid. B.& C
Donationi aut alteri dispositioni, si modus impossibilis de iure, aut de facto opponatur, habetur pro non appositio. 891.E
Donato prædio ad alimenta (idem si dicatur ad vsum) quoad proprietatem censetur donatum. 893.D
Donationi ad pias causas modus appositus, non censetur reddere nullam dispositionem si non impleatur, nisi id donator expresserit: si tamen intelligitur illam fuisse illius voluntatem, nulla redditur. 894.A
Donatum si quid sit Ecclesiæ sub modo, cuius transgressio nullam reddat donationem, non sufficit transgressio solius prælati, vt nulla sit, nisi quando in solo prælato erat facultas id alioquin alienandi. 893.B
Donatum ob causam, si causa non existat, & voluntas conferentis quasi habitualis fuit, vt causa non subsistente invalidum esset, in conscientiæ foro est nullum, & in exteriori, si de ea voluntate in eo constet. Quando tamen non adfuit ea voluntas validum est. 896.C,D
Donatio est valida si causa ob quam donatur, subsistat, esto multa lateant donantem, quæ si sciret, vellet vt esset inualida. 897.B
Donatæ rei sub conditione aut modo, vt donatarius præstet alimenta, dominium reuertitur ad donantem absque traditione eo ipso, quod modum donatarius non seruat. 42.D,E
Donatæ rei cum pacto aut modo, vt transacto certo tempore deueniat ad quendam tertium, de iure Castellæ, aduenient eo tempore, dominium transit in illum tertium absq; traditione, quin & comparat possessionem: secus de iure communi. 43.A
Donans intendendo ea via allicere alium ad mutuandũ, non peccat: neq; etiam accipiens peccat intelligendo eum donantis animum, modo de animo vere donandi sibi persuadeat, neque proinde tenetur mutuo dare. 179.B
Donatum si quid sit sub nuptiarum conditione, & donatarius religionem profiteatur, totum debetur monasterio. 886.E
Donatio ob demonstrationem falsam non vitiatur, quando de re, quæ sub tali demonstratione donatur, constat, & de persona cui ita donatur. Excipitur, quando demonstratio simul

tio simul est causa donandi, qua non existente donantis intentio sit non donare. 902.B
Donata eunti ad bellum, quousque castrensia bona sint. 1006.B
Donatum aut relictum occasione seu familiaritate militiæ, bonum est castrense. ibid.E, & 1007.A
Donatum filio intuitu patris proxime ac principaliter profectitium est bonum, pertinetq; ad patrem, cuius intuitu est datum Contrarium affirmat Anton. Gom. quando à Rege est donatum. 1015.D
Donatum à parentibus filijs, quando bonum aduentitium. ibid.B
Donatum in Lusitania filio aut filiæ ad coniugium ab alio, quam ab ascendentibus, esto intuitu patris, imo esto patri ad id donetur, est aduentitium bonum, & præcipuum talis filij, quin & quasi castrense si à Rege aut Regina sit donatū, nisi à donante sit expressum vt illud ad partitionem adducat. 1016.B
Donatio siue causa mortis sit, siue non, si donantis morte confirmetur, detrahitur ab ea falcidia. 907.A,B
Vide acceptio, & modus.

Donatio causa mortis.

Donare causa mortis is solus potest, qui testamentum potest facere. Excipitur filius familias, qui de iure cōmuni donare causa mortis ex patris consensu potest, non vero testari. 508.D,E
Donare non potest causa mortis, sicut nec testari publicus vsurarius. 507.B
Donatio causa mortis facta à constituto in discrimine vitæ, transacto eo periculo absq; alia reuocatione euanescit: secus de testamento. 589.D
Donatio causa mortis iuramento confirmata transit in donationem inter viuos. 589.C
Donationem causa mortis à duobus factam, mortuo vno, potest alter, quoad ea, quæ ad se spectant, reuocare. 598.A,B
Donatio fraude eo pacto confecta, animo illā reuocandi mortuo altero, aut si prius ipse sit in vitæ discrimine, quantā restituendi obligationem inducat. ibid.
Donatio causa mortis ab vno tantum facta de bonis etiam alterius ex illius facultate, morte testatoris confirmatur, ita vt alter superstes, etiā quoad bona, circa quæ facultatem concessit, illam reuocare non possit. ibid.C
Donatum causa mortis, aut inter viuos, descendēti cum grauamine, vt post donatarij mortem transeat ad alium, habet tacitam cōditionem, si sine liberis decesseris, sicut in fideicommisso. 814.D,E
Donationem causa mortis non vitiat conditio de facto aut de iure impossibilis, sed pro non adiecta habetur. 880.C
Donatio causa mortis sub cōditione casuali aut mixta facta vt valida sit, satis est si conditio post donantis mortē, aut in vita post donationem factam, aut ignorante donante ante eam factam impleatur. 882.B
Donatio, siue causa mortis sit, siue non, si donantis morte cōfirmetur, detrahitur ab ea falcidia. 906.E
Donatario causa mortis fieri potest substitutio. 758.C
Donatario causa mortis tradi potest fideicommissarius substitutus, sed tunc locum non habet Trebellianica. ibid.E, & seq.

Dos.

Dos filiæ licite denegatur, ex qua causa potest licite exhæredari. 725.E, 726.A
Dotare si quis aliquam tenetur, etiam tenetur alimenta ei præbere: non tamen conuertitur: quamuis qui alimenta illi conferre tenetur, possit illam dotare. 974.D
Dos & donatio ad nuptias filij aut filiæ sunt etiā quoad fructus, & qua ratione sunt bona profectitia. 1015.B
Dos & donatio ad nuptias priuilegium in Castella & Lusitania habent ad effectum, vt inofficiosæ non censeantur, vt possit filia aut filius stare bonis, quæ parens habebat tempore quo illa dedit, aut tempore mortis talis parentis. 1029.B
Dos conferēda est, neque in Castella habere eam possunt filiæ præcipuam titulo melioris. 1038.D,E
Dos quo pacto asserenda ad collationem. 1039.A
Dote si filia non sit contenta, sed eam adducat ad collationem, non plus accipit de bonis paternis, quam cæteri fratres. ibid.B,C
Dotem si promitteret pater filiæ, aut donationem ad nuptias filio, conferetur de suis propriis bonis ea promittere, nihil impediente quod filius bona haberet. 1043.A

Dotalis fundus.

Dotali in fundo vena reperta, quando, quod inde extrahitur, in dotis augmentum cedat, & quādo tanquam vsufructus pertineat ad maritum. 248.C

Dux.

Dux belli ad quæ teneatur. 452.B
Dux non debet facile concedere militibus facultatem deserendi castra, præsertim si hostis pugna immineat. ibid.D
Dux restituere tenetur Principi, si stipendia militum, quos non habet, accipiat, aut in aliquo defraudet Principem. Idē ijs, qui ad id cooperantur, vel non impediunt, quando ex officio tenetur. Et quæ grauiora damna inde Principi, seculari Reipublicæ, atque Ecclesiæ sequantur. 453.B
Dux, qui accipit pecunias à populis ne ad eos hospitij gratia cum militibus accedat, graviter peccat, restituereq; illas tenetur. 454.A

Ecclesia, Ecclesiasticus, & Ecclesiastica potestas.

Ecclesia, & pia alia, in quibus cuentibus dominium comparent sine traditione. 41.E
Ecclesiastica potestas est ad gubernandum accommodata ad finem supernaturalem, laica ad naturalem. 07.B
Ecclesiastica potestas laicæ, ratione finis ei subiectæ, imperat. ibidem.C
Ecclesiasticæ potestatis supra laicam nobilitas atq; eminentia ex obiecto & fine. ibid.
Ecclesiastica potestas legis naturæ institui ab hominibus potuit, posita fide supernaturali illius temporis, & remedio contra originis peccatum, quod de iure erat diuino positiuo. ibid.B
Ecclesiasticam potestatem legis naturæ fuisse in primogenitis voluit multi. ibid. & seq.
Ecclesiastica potestas legis scriptæ à Deo fuit instituta, supernaturalis tamen non erat quoad effectum. & in eodē subiecto sæpe coniuncta fuit cum laica. 108.B
Ecclesiastica potestas legis gratiæ supernaturalis est, à soloque Deo potuit proinde institui. ibid.E
Ecclesiastica potestas fuit & est in Christo per excellentiam, minimeq; sacramentis alligata. 110.A
Ecclesiasticam potestatem reliquit Christus sacramentis alligatam, & quibus eam reliquerit. ibid.B
Ecclesiastica potestas est à Christo, electio vero ministrorum est ab Ecclesia ex Christi commissione. ibid.C,D
Ecclesiastica potestas tanquam in Ecclesiæ capite residet in Summo Pontifice. ibid.E
Ecclesiastica potestas de iure est diuino à Christo instituta: laica

laica de iure humano à Republica instituta, & collata Principi. 111.D.E

Ecclesiastica & secularis Principis Christiani Respublica, nõ diuersæ omnino, sed subordinatæ Respublicæ, inter se sunt. Et quousq; secularis illi non subest. 145.E,149.E

Ecclesiastici potestatem habent exigendi à laicis debitum subsidium pro administratione spiritualium. 150.B

Ecclesiastici à laica potestate, & a tributis, & omnibus sunt exempti. 153.A

Ecclesiasticorum exemptio à seculari potestate in causis Ecclesiasticis est de iure diuino. ibi.D

Ecclesiasticorum non omnis exemptio est de iure diuino. 154.B

Ecclesiastici (Papa excepto) iure humano exempti sunt à secularibus potestatibus. ibi.D

Ecclesiasticorum exemptio à principibus, consentientibus populus, fuit facta, & posſ semel donatam reuocari non potest. 155.E

Ecclesiastici à Summo Pontifice eximi potuerunt à laica potestate. 156.A

Ecclesiasticorum exemptio à tributis quoad bona sua est iure humano. ibid.C

Ecclesiastici, qui in infidelium Republica commorantur, neq; à tributis, neq; à temporali eorum iurisdictione sunt exempti. ibid.E

Ecclesiastici legibus ciuilibus Reipublicæ, in qua degunt, sunt subiecti, si cum eorum exemptione non repugnent: conueniri tamen ex eis non possunt, nisi coram iudice Ecclesiastico. 157.B,C

Ecclesiasticis venatio quoq; prohibita, & si ex periculosa venatione mors alicuius sequatur, quando irregularitatem incurrant. 221.E, &seq.

Ecclesiam territorij vnius Diœcesis pertinere ad alterum Episcopum quoad administrationem & decimas, adeo iure est prohibitum, vt siquis sit in contraria possessione, sit vehemens præsumptio, eum ex iuris ignorantia, aut mala fide possidere, teneaturq; probare titulum aut possessionem à tempore de cuius initio non extat memoria. 303.D

Ecclesiæ collegiatæ electio in rectorem, aut prælatum, non pertinet ad patronum, sed ad capitulũ, nisi patronus, qui Ecclesiam fundauit, aut dotauit, id in pactum deduxisset, concessumq; ei fuisset, nihil impediente consuetudine in contrarium. Et tamen tempore de cuius initio non extat memoria præscribitur ius illud eligendi & præsentandi in rectorem & prælatum. 305.C,D

Ecclesia quoad præscriptionem. Vide præscriptio.

Ecclesiastici si frumenta vltra pretium lege ciuili iuste taxatum vendant, & peccant, & restituere tenentur, non tamen puniri, aut conueniri, circa excessum pretij, nisi coram iudice Ecclesiastico. 157.B,C

Ecclesiæ, hoc est, communitates ipsæ, dominæ sunt bonorũ quæ dicuntur Ecclesiarum, & cur bona Dei, & patrimonium Christi dicantur. 535.E,536.D

Ecclesiasticorum bonorum administratio ad prælatos, & ad Pontificem Summum, tanquam Ecclesiæ vniuersalis caput, & ad alios ex eorum præscripto spectat. 536.D,E

Ecclesiæ bona, neq; à prælatis, neq; ab ipsa tota Ecclesia expẽdi licite possunt, nisi ad id, ad quod data sunt, aut in Ecclesia bonum. ib.C

Ecclesiæ vnius bona, aut monasterij, vel pij loci, si sine rationabili causa à Summo Pontifice tribuerentur alteri Ecclesiæ, aut pio loco, non minus obnoxia essent restitutioni ab accipiente, & à Summo Pontifice, quam si laico similiter essent data. 537.D

Ecclesiarum reditus, vnde beneficia creata sunt, varium statum quo ad dominium & administrationem in decursu Ecclesiæ habuere. 538.A,B

Ecclesiarum reditus quo tempore in quatuor partes distribui cœperunt. 539.B

Ecclesiarum fabricæ, & quousq; sumptus earũ ad episcopum censendi sint pertinere. 547.C

Ecclesia, aut alia pia causa hæres instituta, si inuentariũ non conficiat, tenetur creditoribus & legatarijs vltra vires hæreditatis: nisi absq; culpa illud omisisset: nam tunc neque priuatus alius hæres teneretur legatarijs vltra vires hæreditatis. 930.C

Educatio.

Educatio. Vide Minor.

Eleemosyna.

Eleemosynas de superfluis arctius, quam alij, tenentur facere beneficiarij. 550.C,D

Eleemosyna est valida, si causa, ob quã fuit, puta paupertas, subsistat, esto multa alia lateant donantem, quæ si sciret, vellet vt esset inualida. 897.B

Eleemosynam ob fictas causas accipientes quando restituere teneantur, & quando non, & cui faciendã sit earum restitutio. 899.E, 900.A

Eligere.

Eligendi, aut alterius similis iuris, comparatur possessio per vsum cum scientia & patientia eius, ad quem id prohibere spectat, esto non adsit titulus, & modo fiat cum intentione vtendi iure suo, actusq; non sit talis vt ex circũstantijs credatur pro tunc solum permissus. 81.C

Eligendi & præsentandi in rectores & præsides Ecclesiarum cathedralium & collegialium ius habent Hispaniarum Principes. 305.C,D

Electio de aliquibus certis personis ad legatum, fideicommissum, aut hæreditatem, committi potest non solum in arbitrium, sed etiam in voluntatem tertij. 622.E

Electio hæredis, legatarij, aut fideicommissarij, ex multis certis, si voluntati alterius sit commissa, valet, esto indignum eligat: secus si illius arbitrio sit commissa. ibidem.

Electio causæ piæ, quando testator neque designauit cui causæ piæ esset aliquid applicandum, neq; quis esset electurus, ad Episcopum pertinet domicilij testatoris, aut loci in quo defunctus est, si difficilis sit vectura in locum domicilij. 624.A

Electionem pauperum, aut puellarum nubendarum, aut alterius rei similis, si testator alicui committat, intra idem tempus ius eligendi transit ad aliũ, in quo executio transiret, si ille esset executor. 1082.D,E

Emancipatio.

Emancipatio quo pacto fiat. Per eam filius patriam egreditur potestatem: retinet vero pater dimidium vsusfructus bonorum, quæ tũc habebat, sed in Lusitania nihil. 1004.A,B

Emancipatio liberum consensum patris & filij exigit, & in quibus euentibus cogi possit pater emancipare filium. ibidem. D,E

Emancipatio reuocatur, si filius ingratus sit patri, nisi emancipatio patre inuito esset facta. 1005.A,B

Emphyteusis, & Emphyteuta.

Emphyteuta an dominium vtile dicendus sit habere. 40.A

Emphyteusis quid. 62.D

Emphyteuta est vsufructuarius, licet in multis à communi vsufructuario differat. 63.B

Emphyteusis & feudi discrimen. ib.D.

Emphyteuta & superficiarius in quo differant. 64.D,E

Emphyteuta possidet, aut quasi possidet ciuiliter, & naturaliter dominium vtile, potestque illud præscribere. 74.D,E

Emphyteuta & fructuarius, quin & tertius, qui in fundo aut absente

abſente domino rem ab illis acceperit, præſcribere non poſſiunt proprietatem: eo quod ciuilem illius poſſeſſionem non habeant, poſſunt tamen dominium vtile, 269.E, & 270.A

Emphyteuſis eccleſiaſtica aduerſus priuatū præſcribitur ſpatio ordinario, triginta annis ſine titulo, & cum titulo viginti inter abſentes, & decem inter præſentes. 292.D

Emphyteuſis religioſi quando ad monaſterium tranſeat. 513.D

Emphyteuſim Eccleſiaſticā obtinere ſucceſſione non poteſt ſpurius principis ſecularis præſcripto legitimans, niſi illa ad extraneos poſſit tranſire. 687.B

Emphyteuſis vt ad eos nō tranſeat, perſonæ priuilegiatæ cenſentur, miles, curialis, Eccleſiaſticus, & præſertim monaſterium. 513.D

Emphyteuſis facta nominatio in teſtamento, in quo aliquis indebite eſt præteritus, aut exhæredatus, valet. 708.E

Emptio, & emptor.

Emptione ſine traditione non cōparatur ius in re, ſed ad rem, ideoq; ſi vendatur, & tradatur alteri, efficitur huius, nihil impediente priori venditione. 31.A

Emptor rei, quam tempore venditionis alienam eſſe dubitabat, cur pro quantitate dubij teneatur ſolum partem reſtituere: cum occupans clam rem, quam dubitabat eſſe ſuam, teneatur integram reſtituere. 193.A

Emptor rei ſub modo reſoluendo in conditionem efficit fructus medij temporis ſuos: cum tamen legatarius & donatarius non efficiant ſuos fructus rei ſub eodem modo ipſis legatæ, aut donatæ. 892.D

Emere an liceat indifferenter mancipia, & alia iure belli acquiſita ex hominibus vtriuſq; Reipublicæ bellum id gerentis quando, facta morali diligentia, de neutra conſtat bellare iniuſte. 177.A,B

Emere an liceat capta bello, quo vtrinque pugnatur animo aduerſarium ſubiiciendi ſine alia iuſtitia belli. 170.C

Emere an liceat, quæ Turca aut Saraceni iniuſte à noſtris ac ceperunt, & quouſque reſtitutioni obnoxia ſint, aut non ſint. Idemq; de rebus Eccleſiarum, quas Luth erani verdendas aſportant. 474.A

Epiſcopus.

Epiſcopi in ſibi ſubditos poteſtatem habent in temporalia, quantum finis ſpiritualis poſtulat. 149.B

Epiſcopi, cum cætera ſui muneris efficere debeant gratis, contenti reditibus Epiſcopatus, accipere poſſunt expēſas, dum ad conſecrandas Eccleſias, & dum ad eas viſitandas accedunt. Eiuſmodi expenſæ procurationes dicuntur. 350.D,E

Epiſcopus ex religione creatus, eo ipſo, iure eam hæreditario, acquirit, eſto ex minorum ordine, aut ex noſtra ſocietate ſit aſſumptus: poſt mortem vero ea bona non ad monaſterium, ſed ad Eccleſiam pertinent. 529.C

Epiſcopalis menſa quoq; diſtincta ſit ab aliis portionibus, & quouſq; hæc permixta ſint, ſæpe latet. 544.E

Epiſcopi ad fabricam quatenus teneantur. 547.C

Epiſcopi reditibus quouſque quarta pauperum & piorum operum permixta ſint cenſendæ, vt Epiſcopi de iuſtitia id tribuere teneantur. 548.C

Epiſcoporum ſolum bona permanentia ex reditibus Epiſcopatus pertinent in Hiſpaniis (Luſitania excepta) ad cameram Apoſtolicam. 575.C,D

Epiſcopi de reditibus Epiſcopatuum in Hiſpaniis non teſtantur, ſed in Luſitania pertinent ad ſucceſſorem, in aliis Hiſpaniis ad cameram Apoſtolicam. ibid.E

Epiſcopus, quæ relinquit bona: quouſque cenſenda ſint parta de reditibus epiſcopatus. ibid.

Epiſcopi de quibus bonis teſtari poſſunt libere, donare poſſunt inter viuos, & inſtituere maioratus. 576.A

Epiſcopus ſi maioratum reuocabiliter inſtituat de illis bonis, de quibus teſtari non poteſt; inualida eſt reſtitutio, ibid.E

Epiſcopus ſi in valetudine donet inter viuos, aut maioratum irreuocabiliter inſtituat, de bonis, de quibus teſtari non poteſt, lethaliter peccat, valida tamen eſt donatio ac inſtitutio, neque accipiens ad vllam reſtitutionem tenetur. 577.A

Epiſcopus quæcunque inter viuos pie ac remuneratorie donat, in eo morbo conſtitutus, ex quo è vita diſcedit, valide ac licite facit. ibid.C

Epiſcopus ſi in morbo conſtitutus, ex quo è vita diſcedit, prophane donet inter viuos, aut irreuocabiliter, inſtituat maioratum, valide id efficit, licet peccet lethaliter, modo coniecturæ non ſint, cauſa mortis, hoc eſt, ſub conditione mortis donaſſe. 578.B

Epiſcopi diſſentant cum illegitimis vt minores ordines ſuſcipiant, & beneficia, quæ neque curam habent animarum neque perſonatus ſunt, obtineant. ib.

Epiſcopus, licet patriam egrediatur poteſtatem, remanet hæres ſuus. 747.B,C

Epiſcopis quæ portio debeatur de relictis per vltimam voluntatem Eccleſiis, monaſteris, & aliis piis locis, itemq; de oblationibus funeralium, ſtandum eſt conſuetudini loci, & in dubio cenſendum eſt eſſe quartam partem. 915.D

Epiſcoporum portio de relictis per vltimam voluntatem loco ſepulturæ de oblationibus funerum, expirauit in Luſitania, cuius loco ſucceſſit luctuoſa de bonis beneficiarij curati defuncti, & aliquibus in locis etiam de aliis. 917.C,D

Epiſcopus tutor aut curator eſſe non poteſt, niſi miſerabilium perſonarum, quarum bona alioquin perirent. 957.C,D

Epiſcopus etiam electus patriam egreditur poteſtatem. 1003.A

Epiſcopus & executores mutare non poſſunt defuncti voluntatem, quando impleri poteſt, & irrationabilis, atque illicita non eſt, neque mutatio intelligitur ex præſumpta eſſe teſtatoris voluntate. 1072.D,E

Eremitæ.

Eremitæ, qualis fuit Paulus, teſtari poſſunt. 96.A

Error.

Error Vualdenſium, Wuitcleffi, & Ioannis Vs, dominij Iuriſdictionis fundamentum, eſſe charitatem. 96.A

Error Wuitcleffi, illicitum eſſe, habere eccleſiaſticas poſſeſſiones. 102.C

Error dicentium, regium regimen eſſe contra ius naturale, regeſq; omnes eſſe tyrannos, & eorum regimen eſſe contra euangelicam libertatem. 129.B,C

Error quorundam hæreticorum circa eccleſiaſticam poteſtatem. ibid.D

Error Manichæorum, & Wuitcleffi, bella vniuerſim damnātium. 405.A,B

Error Lutheri bella Chriſtianorum aduerſus Turcas damnantis. Et quorundam Lutheranorum bella vniuerſim Chriſtianorum inter ſe damnantium, ad quos Eraſmus videtur accedere. ibid.C

Executio, Executor, & Exequi.

Exequi teſtamentum ad hæredes ſpectat, quando à teſtatore executor non eſt præſcriptus. 1064.E, & ſeq.

Exequi legata in redemptionem captiuorum & alimenta, & eleemoſynas pauperum, ſpectat ad Epiſcopum domicilij loci defuncti, & non ad hæredes, quando defunctus aliunde non præſcripſit ab hæredibus diuerſum, qui id executioni mandaret. 1065.A

Exequi quæ teſtator reſtitui præcepit pro male ablatis, quando aliunde id non conſtat, quam ex teſtamento, ad executores teſtamentarios, aut ad hæredes ſpectat, non vero ad Epiſcopum: & quando aliunde conſtaret, quouſque

usque Episcopus aut vicarius se possent intromittere, 1065. E, 1066. A

Executores testamentorum varij à testatoribus constituuntur, testatorisque præscripto est standum. ibidem. B & C

Executor quis particularis, & quis vniuersalis dicatur. ib. D

Executores testamentorum esse possunt, etiam clerici, & religiosi: hi tamen non nisi petita prius, & obtenta facultate à suo superiori, alioquin totum est irritum. ib. E

Executoris facultatem reuocare potest superior suo religioso. etiam re non integra, ad effectum vt deinde non valeant, quæ egerit, male tamẽ faciet, si sine rationabili causa eam reuocet. ead & 1067. A

Executoris munus si religiosus exerceat, tenetur reddere rationem Episcopo ac ministris illius, etiamsi prælatus sit religionis, potestq; Episcopus eum punire, si deliquisse comperiat. 1007. C, D

Executores testamentorum esse non possunt fratres minores, tametsi possint consilium dare circa executionem: non tamen ita vt illorum consilium sequi teneantur executores, etiamsi id à testatore esset præceptum. ibidem. & seq.

Executrix testamenti esse potest fœmina. Neq; relicta executrix à priori cõiuge, amittet munus, si transeat ad secundas nuptias. 1067. D

Executores, si quis relinquat suos fratres, intelligendum est de masculis, esto simul habeat sorores. Excipe, nisi vnum tantum fratrem masculum testator haberet. ib. E

Executor testamenti esse potest, qui decimum sextum annũ excedit, esto ad vigesimum quintum non perueniat. 1068. A

Executores vniuersales etiamsi præscripti sint à testatore, inualidum est testamentum ad non pias causas in Lusitania & de iure communi, quando nullus fuit institutus hæres. ib. E

Executoris munus suscipere nullus cogitur. Si tamen illud acceptet, saltem tacite, cogitur vlterius progredi: personam tamen scientiam, quod sit cõstitutus, & taciturnitatem, regulariter non censentur munus acceptasse. 1069. A

Executio quando ad ordinarium ex suo munere spectat, delegare quemcunq; suorum subditorum ad id potest, illumq; cogere vt id exequatur. ib. B. C

Executor vt sit cogere potest prælatus religiosum sibi subditum. ib. C

Executor munus non acceptans amittit præmium ea de causa sibi relictum, quin & legatum, fideicõmissum, & commodum omne ex tali testamẽto, præter suam legitimam, sed præmium amittit statim nulla sententia expectata, reliqua vero post latam sententiam. ib. & D

Executor, quæ amittit, quod munus recusat, cui cedant. ib. D. & E

Executoris munus defuncto eo, cui est relictum, ad hæredes ipsius non transit, nisi testator aliud disposuerit. 1070. A

Executores quando constituti sunt multi, si aliqui impediti sint, aut exequi non velint, reliqui exequi possunt, etiam si vnus tantum sit, nisi testator contrarium statuerit. ib. B

Executores ad pia legata aut institutionem implenda, agere possunt aduersus hæredes, & quoscunque bonorum defuncti possessores. ib. C

Executores ad non pia, si res exequenda ad ipsos aliquo modo pertineat, agere possunt aduersus hæredes & possessores bonorum defuncti: si vero ad ipsos nullo modo pertineat, exequi quidem possunt, interim dum hæredes non resistunt: si vero resistant, solum possunt implorare officium iudicis aduersus illos, quod ille præstare tenetur, nisi testator eis concesserit, vt aduersus hæredes & possessores agerent, ib. E. *& seq.*

Executores vniuersales procedere possunt ad vendenda bona defuncti, vt voluntatem illius impleant: particulares non item. Si quas autem expensas in executione faciãt, de bonis defuncti sunt soluendæ. 1071. A, B

Executores in Lusitania, nihil per se, aut interpositam personam emere possunt, etiam in publica subhastatione, sibi vel alijs de bonis defuncti, estq; emptio eo ipso nulla, & variis afficiuntur pœnis. ib. C, & D

Executores nihil de voluntate testatoris mutare possunt, quãdo impleri potest, irrationabilisque & illicita non est. 1072. A

Executores, etiam cum Episcopo, mutare non possunt dispositionem defuncti, quando irrationabilis & illicita non est, implerique potest, neq; ea mutatio intelligitur ex testatoris præsumpta esse voluntate. 1072. D, E

Executores præuenire possunt tempus à defuncto præfixum, quando coniecturæ non sunt, contrarium fuisse testatoris voluntatem. ib.

Executionis testamentorum rationem exigere, agere vt impleantur illorum voluntates, & deponere ac punire executores, si ita fuerit opus, de iure communi spectat promiscue ad episcopos, & ipsorum ministros, atque ad Principes seculares, & ad iudices ad id ab eis deputatos. Et quousq; facultas in Concilio Tridentino Episcopis sit extensa, Et quæ compositio in Lusitania inter iudices Ecclesiasticos, & seculares facta sit. 1075. D, E, & seq.

Executioni vt mandetur testatoris voluntas pertinet cura etiam ad ministros ecclesiasticos, esto dispositio non sit ad pias causas, intentata coram ipsis lite aduersus executores & hæredes laicos. 1077. B, C

Executioni vt mandentur vltimæ voluntates, cura, sicut pertinet ad Episcopos, ita pertinet ad eos, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent, vt sunt multi abbates, & capitulum sede vacante. 1078. D, E

Executores, aut hæredes, si negligentes sint mandare executioni voluntates defunctorum, quiuis de populo admonere iudices possunt, vt eas executioni mandari efficiant, ibidem.

Executioni mandanda sunt legata pia intra sex menses ab insinuatione & scientia executorum, & in quas pœnas incidant, qui intra id tempus ea non impleuerint: & insuper qui admoniti semel atq; iterum per Episcopum, eius vicarium, aut nuncium publicum, id distulerint. 1079. A, B

Executioni qui mandare distulerint dispositionem defuncti, etiam ad non pia, per annum à puncto à quo admoniti à iudice sunt, aut ab alio de illius mandato, in quas pœnas incidant. ib. C

Executor si priuandus sit munere & emolumento propter moram, ad quem deueniat munus, emolumentumque pertineat. Pœna autem hæredi à testatore statuta de bonis testatoris debetur, nulla expectata sententia. ibid. D. E

Executores si impediti sint, tempus impedimenti non computetur in tempore ad executionem ipsis concesso, nisi impedimentum esset perpetuum aut ad longum tempus. 1080 E, & 1081. A

Executionem licet testator eximat à reddenda ratione executionis, cogi potest & debet à iudicibus illam reddere. 1081. B, C

Executionem si testator prohibuit deuolui ad Episcopum, si testator de alio executore in eo euentu sibi prouidit, non deuoluitur, alioquin ad eum deuoluitur, ad quem de iure deuolueretur, si id testator non prohibuisset. ibidem. D

Executioni vt mandentur, quæ testator præcepit, agit iudex ex suo

ex fuo officio, etiamſi ij, quibus ſunt relicta, illa non exigant, eaque ratione iudices cogunt ſolui minoribus fratribus legata ipſis relicta, & domibus noſtræ ſocietatis profeſſis. ibid.D,E

Executioni vt mandetur voluntas defuncti, ante annum, & ante ſex menſes poſſunt cogere iudices, quando id optimè fieri poteſt. ibid.

Executores teſtamentorum lethaliter peccare poſſunt, ſi per notabile tempus ſine legitima cauſa executionē differant. 1082.A

Executioni intra quantum tempus ſit mandandum ac perficiendum ædificium Eccleſiæ, monaſterij, hoſpitalis, à teſtatore ædificari iuſſum. ib.C,D

Excommunicatus.

Excommunicatus teſtari poteſt, niſi delictum committat, ob quod teſtari non poſſit. 507.E

Excipere.

Excipere quid. 261.D

Exceptio alia peremptoria, alia dilatoria. ibid.B

Exemptio.

Exempti ſunt Eccleſiaſtici in ciuilibus, & criminalibus à poteſtate Laica, itemque à tributis & oneribus. 153.B

Exemptio Eccleſiaſticorum non omnis de iure diuino. 154.B

Exemptio Eccleſiaſticorum à poteſtate ſeculari in cauſis Eccleſiaſticis eſt iure diuino. 153.B,C

Exemptio Eccleſiaſticorum (Papa excepto) à ſecularibus poteſtatibus de iure eſt humano. 154.E

Exemptio Eccleſiaſticorum à Principibus ſecularibus, populis conſentientibus fuit facta, & poſt ſemel donatam reuocari non poteſt. 155.E

Eximi potuerunt Eccleſiaſtici per ſolum ſummum Pontificem. 156.A

Exemptio Eccleſiaſticorum à tributis quoad ſua bona eſt à iure humano. ibid.C

Exempti non ſunt Eccleſiaſtici, qui in Republica infidelium commorantur, à tributis, & eorum iuriſdictione. ibid.E

Exempti non ſunt Eccleſiaſtici à legibus ciuilibus, quæ cum eorum exemptione non pugnant: tametſi conueniri ex illis non poſſint, niſi coram iudice Eccleſiaſtico. 157.A

Exhæredare.

Exhæredari religioſus non poteſt ob ingratitudinem aduerſus parentes in ſeculo commiſſam. 514.A

Exhæredatio vt valida ſit, debet nominari exhæredandus, ſaltem tali nota, vt ſine dubio intelligatur quis ſit, de quo teſtator loquitur. 714.E

Exhæredatio vt valeat, fieri debet abſolute, & non ſub conditione, item in totum, & non in partem. Excipitur, niſi illum inſtituat in minori portione, quam ſit legitima, & cauſam addat, quare exhæredatum illum velit relinquere. Filio item exhæredato legitimè aut præterito relinquere poteſt pater legatum. 715.A

Exhæredationis deſcendentium quatuordecim legitimæ cauſæ. 721.A

Exhæredari quando filia poſſit, quod luxurioſam vitam eligat, aut ſine parentum conſenſu nubat. 723.B, & ſequent.

Exhæredationis filiæ, quæ ſine patris conſenſu nubit, validæ ac licitæ ſunt leges. 726.A,B

Exhæredationis cauſam, qui commiſit, abſtinere nō tenetur ab hæreditate antequam exhæredetur, aut exhæredationis ſententia feratur. 725.B

Exhæredationis aſcendentium cauſæ octo. 729.E

Exhæredationis ob cauſam, quam ignorauit pater, aut ob quam morte præuentus non potuit exhæredare, etiamſi ab hæredibus probetur, cenſendus non eſt exhæredatus. 730.D,E

Exhæredare non licet ex aliis cauſis ab enumeratis, etiamſi grauiores ſint. ibid.E

Exhæredare nequit pater filium ex cauſis prædictis, ſi antequam teſtamentum condat, illum recipiat in ſuam amicitiam. 733.A

Exhæredatus ſi ſit filius legitima cauſa inſerta, & poſt id teſtamentum tacite vel expreſſe illi remittat cauſam, nec mutet teſtamentum, valet quidem teſtamentum, ſed filio conceditur ſua legitima portio. ibid.D

Exhæredationis cauſam non abolet pœnitentia, & mutatio morum exhæredati. 734.A,B

Exhæredatio, cauſaque exhæredationis abolitur per profeſſionem eius, qui cauſam commiſit. ibid.C,D

Exhæredatio & præteritio eodem modo locum non habet in caſtrenſi, aut quaſi caſtrenſi peculio, quo in aliis. 1010.D

Expoſitio.

Expoſitio mancipij aut infantis conſcio domino, aut illam poſtquam conſcius fuerit approbante: liberum illum efficit. 204.E

Falcidia.

Falcidia num vltra legitima deducenda ſit, quando deſcendens aut aſcendens grauatus eſt legata in diem, aut ſub conditione ſoluere. Atque in praxi raro id locum habere. Et in Caſtella & Luſitania non deduci. 791.B,C

Falcidiæ deductio prohiberi poteſt. 794.C

Falcidia non deducitur à legatis, niſi hæres ſit etiam pia cauſa. 795.E, & ſeq.

Falcidia detrahi non poteſt à legato relicto vt apud certos ſuccеſſores permaneat. 796.A,B

Falcidia quid, & vnde ortum habuerit, ac nomen. 802.B

Falcidia locum habet in Caſtella, quando hæres adit hereditatem. ibid.C

Falcidia, ſi multi hæredes ſint inſtituti, omnesq; ſoluere debent legata, eſt complementum vſq; ad quartam partem bonorum defuncti detrahendum à legatis, ſi non in tanta portione ſint inſtituti, eſtq; inter ipſos id diuidendum pro rata partis in qua ſunt inſtituti: quando autem vnus ſolus grauatur ſoluere legata, is detrahit ſibi à legatis vſq; ad quartam bonorum defuncti, computando portionem in qua eſt inſtitutus. 804.E

Falcidia vt detrahatur, non computat hæres, ſi quid ſibi ab eodem teſtatore legatum ſit, ſed ſolum in quo ab eo eſt hæres inſtitutus. 805.A

Falcidia detrahitur attenta quātitate bonorū tēpore mortis teſtatoris: neq; ratio habetur incrementi aut decrementi, quod poſtea ſuccedit. ibid.B

Falcidia etiam à donationibus cauſa mortis extrahitur. ibidem.C,D

Falcidia detrahitur à cæteris donationibus quæ donātis morte confirmantur. 906.A

Falcidia non detrahitur quando teſtator, non ignarus viriū ſui patrimonij, eam detrahi prohibuit: & hābet etiam verum in donationibus quæ morte confirmantur. ibidem B

Falcidia non trahitur, quando aliquid ita legatur vt alienari in perpetuum non poſſit. ibid.C

Falcidia à legato libertatis, aut ad libertatem, non detrahitur. ibid.D

Falcidiā non detrahit hæres, quando inuentariū iuxta formam à lege præſcriptam non confecit, quin ſoluit legata vltra vires hæreditatis. ibid.

Falcidiam non detrahit hæres, qui à iudice admonitus intra annum voluntatem defuncti executioni non mandat. Requi-

Requiritur tamen condemnatoria sententia. 907.E
Falcidia detrahi non potest, etiam à legatis nondum solutis, quando hæres aliqua soluit nō detracta falcidia, vel quia nolebat eam detrahere, vel ex iuris ignorantia, secus si ex ignorantia facti, quia putabat hæreditatem habere maiores vires, aut quia apparuerunt alia debita: nam tunc repetere potest falcidiam: si etiam ex peculiari gratia eam remisisset ex aliquibus legatis, posset detrahere illam ex alijs. 908.B
Falcidiam nō detrahit hæres, si aliquid hæreditatis negauit. Neque a legato scripturæ rei, cuius legatarius iam erat dominus. ibid.C
Falcidia quomodo, & ex quibus bonis detrahenda. ibidem. D
Falcidia quando per facti ignorantiam non fuit extracta ab hærede, tenetur in conscientiæ foro eam soluere legatarius nihil impediente præsumpta testatoris contraria voluntate. 909.A
Falcidiā detrahere potest hæres, interim dū legatarij nō contrauenitur, aut sententia nō fertur, quādo in pœnā nō potest illā extrahere, vt ob inuentariū non confectū ob testatoris voluntatem non impletā, aut quod negauit aliquid hæreditatis. ibid.D
Falcidia quomodo deducenda, quando hæres inuentarium confecit. 922.D

Familia.

Familia perfecta ex societate maris cū fœmina gratia generationis resultat: quibusq; partibus cōstet, & quot potestatum genera in ea sint. 11.D

Famuli.

Famulorū stipendia intra quantū tēpus peti debeāt in Lusitania, vt actio concedatur. 286.C,D
Famulorū & quorundam aliorū stipendia, & debita, intra quantum tempus peti debeant, in regno Castellæ, vt actio concedatur. ibid.E
Famulorum mercedes, & cætera debita, nihil impedientibus Castellæ, & Lusitaniæ iuribus, in conscientiæ, & exteriori foro, cum scientia, quod debeantur, nullo tempore præscribuntur. 287.B
Famulis, & quibusdam alijs in eo sensu actio in Lusitania & Castella transacto certo tempore denegatur, quod est præsumptio iuris & de iure contra eos, neque alia probatio admitteretur, quam confessio rei stando iuramento illius. ibidem.E
Famulus. Vide accipere.

Fera.

Fera. Vide Animal.

Feudum.

Feudatarius an vtile dominium dicendus sit habere. 40.B
Feudum quid. 63.B
Feudi inuestitura quid. ibid.C
Feudū ad solos descēdentes masculos censetur deuenire, nisi aliud fuerit in concessione expressum. ibid.D
Feudi & emphyteusis discrimen. ibid.
Feudum in quibus degenerare interdum soleat à proprijssimo feudo. ibid.E
Feudorū rarus vsus in Hispanijs. Et in Lusitania cōcessis aliquibus in feudi modū præcipitur, ne id reguletur antiquis feudorum vsibus. 64.A
Feudatarius possidet ciuiliter, & naturaliter dominium vtile, potestque illud prescribere. 74.E
Feudū Ecclesiasticū aduersus primatū præscribitur triginta annis sine titulo, & cū titulo viginti inter absentes, & decem inter præsentes. 292.B, & *seq.*
Feudū, maioratus, aut capella religiosi, quādo transeant ad monasterium, saltem quoad commoditatem, interim dū religiosus vivit, & quando non. 523.A
Feudo succeditur solum vsque ad septimum gradum 740.B
Feudum si ex institutione solum vocat masculos, non potest. Princeps habiles reddere fœminas ad succedendum in eo: secus si ex lege masculi solum succedat. 705.B

Flumen.

Fluminis alueus de nouo relictus, aut de nouo occupatus, ad quem pertineat. 252.C,D

Fideicommissum, & fideicommissarius.

Fideicommissarius accipere ac retinere potest fideicōmissum testamento minus solemni sibi relictum, quin & facere oe cultam recompensationem, si ei in exteriori foro denegetur. 374.E
Fideicommissum relinqui potest vni ex multis determinatis, non solum quem tertius fuerit arbitratus, sed etiā quem voluerit. 622.E
Fideicommissum si sit relictum in euentum, quo aliquis sine liberis discesserit, quando filius naturalis excludit substitutum, & quando non. 704.D,E
Fideicommissarius vniuersalis, fideicommissum vniuersale, & hæres grauatus, qui dicantur. 760.E
Fideicommissum regulariter non valet de iure communi hærede grauato è vita ante aditam hæreditatem discedente, aut illa repudiata, secus de iure Castellæ. 784 B,C
Fideicommissum ad fiscum spectat, toto tempore quoad hæredem grauatum pertinere debebat, quando bona talis hæredis confiscantur. Excipitur, nisi de contraria testatoris voluntate constet. ibid. & 785.A, & *seq.*
Fideicommissum non transit ad fideicommissarium per hæredis grauati professionem, nisi sit ordinis minorum, aut nostræ societatis, vel ad coadiutoris gradum admittatur. 785.B
Fideicommissum non transit statim emissa professione in religione minorum, aut nostra, ad successorem, quando relictum est in tempus post professionem, aut sub conditione pendente post professionē, si independens sit, quod ad vnū potius, quam ad alium deuoluatur. ibid.C
Fideicommisso restituto transeunt actiones omnes actiuæ, & passiuæ, quæ ratione hæreditatis competebāt, vel integræ, si tota hæreditas fuit restituta, vel pro rata portionis restitutæ. 786.A
Fideicommissi traditio variis modis fit, & quo pacto pupillo, aut mente capto, aut à pupillo fieri debeat. ibid.C,D, & *sequent.*
Fideicommissum quando sine reali aut verbali traditione cē seatur translatum in fideicommissarium, eoq; ipso cōparat dominium illius, etiamsi directum. 787.A
Fideicommissarius grauatus restituere alteri fideicōmissum, quartam non detrahit, nisi quādo hæres, quasi condonando eam illi remisisset. 789.C,D
Fideicommissario quæ teneatur restituere grauatus hæres. 796.E
Fideicommissum si non statim à morte testatoris sit restituendum, ad hæredem spectant partus ancillarum percepti ab hæreditate adita, computandi in Trebellianica. 798.A
Fideicommissum cedit alijs in proportione, in qua quisq; institutus est, quando vnus hæredum grauatus est restituere proportionem suam reliquis. ibid.E
Fideicommissarius sepulchra non obtinet, si hæreditaria erāt sed permanent cum hærede grauato. ibid.
Fideicommissarius solum consequitur familiaria sepulchra testatoris, si de familia sit. ibid. & *seq.*
Fideicommissarius consequitur ius patronatum Ecclesiasticum, & non permanet cum hærede, tametsi communis opinio refragetur. 799.C
Fideicommissum expirat, si hæres grauatus ante aditam hæreditatem è vita discedat, multi tamen casus excipiuntur. Et in Castella ex eo capite non expirat. 800.B

Fideicommissum expirat, si fideicommissarius ante testatorẽ moriatur. ibid.D

Fideicommissario defuncto post testatorem, sed ante tempus restitutioni præscriptum, si non sit relictum sub conditione, quæ adhuc tempore mortis illius pendeat, aut in diem incertum, quæ vim conditionis habeat, transmittit ius illud ad ipsius hæredes: alioquin non transmittit, sed expirat fideicommissum. Et quando tẽpus appositum vim habet conditionis, & quando non. ibid.E

Fideicommissum expirat, si hæres descendẽs, gravatus id post suam mortem restituere, liberos relinquat: eo quod gravamen illud tacitam habeat conditionem, si sine liberis decesseris. 804.D

Fideicommissum ex eadem radice expirat, esto hæres descendens, eodem modo gravatus, sit illegitimus, in bonis licite illi relictis. 806.B

Fideicommissum idem an eodem modo expiret, si filius naturalis sit, coniecturis est iudicandum. ibidem D & sequentibus.

Fideicommissum ex eadem radice expirat, si adsit filius legitimatus per subsequens matrimonium, & de contrariavoluntate instituentis nõ constat: secus est de legitimato principis rescripto, quando ad petitionem instituentis legitimatus non fuit, aut de voluntate illius non constat. Adoptione autem filij non expirat. 808.C

Fideicommissum sub tacita, aut expressa conditione institutum si sine liberis decesseris, expirat si vel vnus ad breuissimum tempus superstes sit, vel postumus vitus nascatur, quantum sufficit vt hæres sit. ibid.E

Fideicommissum sub tacita, aut expressa conditione institutum, si sine liberis decesseris, non expirat, si constet parentem & filios simul defecisse: secus si id non constat. Et quãdo præsumendum sit filium ante patrem discessisse, & quãdo non. 809.A,B

Fideicommissarij non sunt filij superstites hæredes gravati sub tacita, aut expressa conditione, sed expirat omnino fideicommissum, & hæres perinde de illis bonis disponit, atque de aliis suis bonis. 810.C,D

Fideicommissum sub tacita vel expressa conditione, si hæres gravatus sine liberis decesserit, non expirat si filij nascantur, aut concipiantur post deportationem, & tunc pertinet ad fiscum, interim dum deportatus viuit, & post mortem pertinet ad fideicommissarium: quod si nati erant ante deportationem, expirat, & pertinet integre ad fiscum. Et quid de iure Castellæ, & Lusitaniæ ibidem. E. & 811. A,B

Fideicommissum sub conditione tacita, si sine liberis decesserit, expirat liis superstitibus, etiamsi fideicommissarius sit monasterium aut alia causa pia, nisi ad exonerandam conscientiam esset relictum. 811.E, & seq.

Fideicommissum ad monasterium transit, excluditurq; substitutus, quando hæres gravatus sub expressa conditione, si sine liberis legitimis ex te genitis è vita discesseris, profitetur religionem bonorum capacem Excipitur, nisi substitutus sit causa pia, aut aliud de voluntate testatoris constet, aut nisi duo ad inuicem sint substituti, & vtriq; sine liberis discedenti substituta sit causa pia, vel in Regno Castellæ descendenti meliorato in tertio datus sit substitutus aut nisi in fraudem substituti, vt eum fideicommisso priuet: profiteatur hæres religionem. ibidem.C,D,E, & 812. D,E.

Fideicommissum non transit ad monasterium, si hæres gravatus sub tacita conditione, si sine liberis decesserit, religionem profiteatur. 813.E, & 814.A

Fideicommissum particulare solis verbis à legato hodie differt. 819.A

Fideicommissum non vitiat conditio de factõ, aut de iure impossibilis, sed habetur pro non adiecta. 874.D,E

Fideicommissum sub conditione casuali aut mixta factum, vt sit validum, satis est si conditio post illud relictum, vel testatore ignorante antea impleatur. 882.C

Fideicommissum sub conditione potestatiua relictum, vt sit validum, necesse est conditionem post testatoris mortem impleri: nisi conditio iterabilis non sit: nam tunc satis est, viuente testatore esse impletam. ibid.D

Fideicommissaria substitutio. Vide Substitutio.

Fideicommissum. Vide Trebellianica.

Fides Catholica.

Fides licite offertur infideli, promissis muneribus, si ab eo suscipiatur. 378.B

Fides hostibus data.

Fides hostibus quousque seruanda, præsertim quando iuramento est confirmata. 443.D

Fidem si hostis non seruet, neque illi est seruanda, etiamsi iuramento confirmata sit. ibid.

Filius & filia.

Filiusfamilias acceptum ob fornicationem non secus tradere tenetur patri, atque acquisita labore manuum suarum. 384.C,D

Filiusfamilias pubes licet testari possit de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, non tamen de aduentitiis etiam de consensu patris. Donare tamen potest de eis ex consensu patris causa mortis. 508.C

Filiusfamilias pubes libere in Regno Castellæ testari potest de tertio suorum bonorum aduentitiorum: si tamen vsusfructus ad patrem pertinebat, cum eo vsque ad mortem perseuerat, & patre mortuo impletur dispositio filij. ibidem. D,E

Filiusfamilias ad pias solum causas de consensu patris testari potest de bonis aduentitiis. Quod si legata non pia admisceat, inualida sunt, cedunt que hæredibus ab intestato. 510.A

Filius licet non desinat esse filiusfamilias ob clericatum, quicquid tamen, etiam post primam censuram (modo beneficium habeat, aut ex præcepto Episcopi inseruiat alicui Ecclesiæ, vel in studiis versetur) acquirit, quasi castrense est pertinetque ad eum vsusfructus. Bonorum vero aduentitiorum, quorum ante clericatum pater habebat vsumfructum, perseverat vsque ad mortem patris, etiam defuncto filio. 509.A,B

Filius per professionem patriam egreditur potestatem. 522. C

Filius, qui nascitur absente marito, in mense in quo naturaliter viuere non posset, si esset, marti spurius putatur. 636.C,D

Filius, qui non est concubinæ domi retentæ, non reputatur filius hominis alicuius, nisi vel is eum recognoscat, vel aliunde sufficienter probetur. 646.B,C

Filius ex concubina domi retenta, eius reputatur, qui illam retinebat, nisi is contrarium probet. ibid.

Filia luxuriosam vitam eligens, aut nubens sine consensu parentum, quando exheredari possit. 723.B

Filia, quæ ante vigesimum quintum annum nupsit sine parentum facultate, aut fornicata est, eo ipso manet exheredata in Lusitania. Quod si fratres, aut filios fratrũ habeat, parentes sine illorum consensu non possunt eam hæredem instituere. Si autem melius notorie nupsit, quam à parentibus esset maritanda possunt parentes solum in dimidio legitimæ exheredem eam facere. 714.D,E

Filia, quæ sine patris consensu nupsit, abstinere non tenetur à bonis parentum, etiam in Lusitania, antequam exheredetur, aut exhæredationis sententia feratur. 715.B

Filiam, quæ sine parentum consensu nubet, leges exheredantes, validæ ac licitæ sunt. 726.B

Filiæ licite dos ex ea causa denegatur, ex qua fas est eam exheredare. 730.D
Filius suus quis, & quorum comparatione dicatur. 739.D
Filio suo si grauamen apponatur sub quacunque conditione, etiam potestatiua, est hodie nullum, non tamen efficit testamentum nullum, vt olim efficiebat, quando sub conditione casuali aut mixta imponebatur. ibid.E, & seq.
Filio etiam non suo, si grauamen apponatur cuiuscunq; conditionis, est inualidum in regno Castellæ, non solum quoad legitimam, sed etiam quoad incrementum. 740.E
Filius sub cuius potestate, & quando sit. 770.D
Filij primi gradus sunt ij descendentes, quibus legitima debetur. 794.B
Filius vendicat rem ipsius aduentitiam à patre alienatam, etiam si emptor ignoranter illam ab eo emerit. 921.B
Filius instituitus hæres in sola sua legitima à patre, qui prædium aduentitium alienauit, si inuentarium confecit, vendicat totum prædium: si vero plusquam in legitima sit institutus, quousque exceptione repellatur. 925.B,C
Filiæ spuriæ non tenetur pater dotem dare, tametsi licite possit id efficere: tenetur tamen alimenta ei præbere. 974.E
Filiæ spuriæ quantam dotem possit dare pater beneficiarius. 562.B
Filiusfamilias quis communi iure. 986.B
Filiusfamilias Castellæ & Lusitaniæ iure quis. ibidem. E, & 987.A
Filius illegitimus, etiam si naturalis sit, filiusfamilias nõ est, nisi illegitimetur, nec sufficit dispensatio. 987.A,B
Filius, etiam illegitimus, vocare in ius non potest ascendentem, nisi petita, & obtenta facultate à iudice. Excipe iudicia spiritualia, & spiritualibus annexa. 994.D
Filiusfamilias quatenus contendere in iudicio non possit sine consensu patris, neque alius aduersus illum. 995.D
Filiusfamilias quatenus contractibus sine consensu patris obligetur, aut non. 996.B,C
Filiusfamilias, si à patre distet, agere potest, & alius aduersus eum, sine patris consensu & autoritate. ibid.E
Filius quod à parentibus sustentatus bonis illorum lucratur, pertinet in Lusitania ad parentes, afferendumque est ad partitionem, idem dicendum in Castella, & de iure communi. 1018.A,B
Filius à parentibus non sustentatus, si bonis parentum negotiando acquirat, quasi inita cum eis societate, petere potest, quod ipsius labori & industriæ respondet: si vero incommodum & detrimentum solum parentum esset negotiaturus, petere posset competens stipendium, nisi gratis id fecisset. ibid.C,D
Filius si pecunia sibi à parentibus mutuata, aut clam accepta, in suum commodum & damnum negotietur, ac lucretur, ad ipsum solum pertinet lucrum, tenetur tamen ad damnum parentibus emergens, aut lucrum in detrimentum aliorum filiorum cessans. ibid.E
Filius quod suo labore ac industria, nõ bonis patris, sed opificio aut alia ratione acquirit, suum est quoad dominium. potest tamen parens inde deducere, quod in illius sustentationem insumit. 909.A
Filius, qui plus opificio lucratur patri, quàm cum eo pater insumat, non tenetur restituere, & adducere ad partitionem, si quid accipit clam, & in ludo, aut alia ratione male insumat, præsertim quando tantum relinquit patri, quantum cum eo insumit. ibid.B
Filius si plus lucretur opificio, & industria, quam pater cum eo insumat, illique id relinquat, nisi protestetur contrarium, censetur ex gratitudine id ei relinquere, nec potest postea illud exigere, ibid.C
Filius adoptiuus Vide Adoptiuus.
Filius. Vide illegitimus, & legitimus.

Fiscus.

Fiscus ius in re comparat à die commissi delicti bonorum ipso iure ei addictorum. 34.A,B
Fisco quædam bona sunt iam incorporata, quædã solũ debita inter quæ computantur pœnæ ipso iure iam debitæ, sed non dum fisco traditæ. 298.C
Fisco seculari applicata iam hodie in Hispaniis sunt bona hæreticorum. ibid.D
Fiscus succedit ab intestato defuncto, si non sit consanguineus vsque ad decimum gradum, aut alter coniugum, qui succedant. 645.B
Fisco amittit hæreditatem is, cuius negligentia obijt ille, cui succedit, & multo magis si illum interfecit, etiamsi pater aut filius sit interfecti. Excipitur, si defunctus illi pepercit aut cum haberet tempus ad mutandum testamentum, illud non mutauit. 742.A
Fisco amittit hæreditatem interfecti hæres, nisi interfectores accuset. Excipitur interfectoris filius, atque interfectoris pater. Et intra quantum tempus intentari debeat accusatio. Et quando ante aditam hæreditatem. Et num hoc vltimum vim hodie habeat. ibid.E
Fisco hæreditatem non amittit hæres, si post accusationem intentatam pereat. 744.E
Fisco hæreditatem amittit in Castella hæres, qui cum vxore eius, cui succedit, accessum habet etiam postquam illa vidua est effecta. 745.A
Fisco hæreditatem, & quæcunque alia bona ex defuncto sibi obuenientia, amittit, qui eum testari prohibuit. ibidem. B, & C
Fisco hæreditatẽ amittit, qui testamẽtũ, in quo hæres est scriptus, falsi vsque ad vltimam sententiam accusat, si testamentum verum pronuncietur. Excipitur, si tanquam tutor, aut curator minoris, vel tanquam regis, aut fisci procurator id efficiat. ibid.D
Fisco hæreditatẽ amittit institutus hæres, si palã, vel secreto promittat se restituturum hæreditatem illegitimo, aut alteri incapaci illius. ibid.E
Fisco hæreditatem amittit, qui mente capti, cui succedit, curam non habet. Quod si alius, protestatione facta hæredi, curam illius habeat, ad illum tunc spectat hæreditas. ibid. & 746.A
Fisco in quibus euentibus defertur hæreditas, qua alii priuantur tanquam indigni, tenetur fiscus ad debita defuncti, & ad legata, detracta falcidia, si illã detracturus erat hæres. Neque prius hæreditas fisco debetur, quam sententia feratur. ibid.B,C
Fiscus fruitur indecommisso toto tempore, quo hæres grauatus illo erat fruiturus, si ob illius delictum bona confiscentur. Excipitur, quando contrarium fuit testatoris voluntas. 784.B,C
Fiscus accipit legatum, & quoduis aliud, quod coniux, qui mala fide contraxit, ab altero accepit, nisi ob bonam fidem alterius coniugis tradendum sit hæredibus illius. 856.E, & 857.A
Fisco amittitur legatũ, si post mortẽ testatoris grauẽ iniuriã legatarius illi inferat, vt dormiendo cum illius vxore, ne cessaria tamen est sententia. 904.D,E
Fisco amittitur legatũ, si legatarius promisit illud, aut partem illius restituere filio illegitimo testatoris. 905.G
Fiscus. Vide præscriptio.

Fluuius.

Fluuij alueus de nouo relictus, aut de nouo occupatus ad quõ pertineat. 252.D

Fornicarius.

Fornicarijs occultis, & alijs criminosis non conceditur actio in foro exteriori ad pretium pro crimine patrato. Quod si acceptum sit, fisco repetetur, fiscoque adiudicabitur. Nisi acceptum ab iis fornicariis sit, quorum fornicatio in exteriori foro non punitur. 385.B,C

Fornicatio: Vide accipere ob fornicationem.

Fortitudo.

Fortitudo in voluntate reſidet, tametſi ſimul habitus in irascibili comparentur. 18.E, & ſeq.

Frater.

Fratri conſanguineo præterito querela ad reuocandum teſtamentum, & obtinendam hæreditatem conceditur quãdo frater hæredem inſtituit perſonam infamem. 730.A, B

Fratres vtrinq; coniuncti excludunt ab inteſtato omnes alios fratres. 640.B

Fratrum vtrinq; coniunctorum filij excludunt ab inteſtato fratres ex altera parte defuncti. ib.C

Fructus.

Fructus animalium qui. 49.D

Fructus non eſt ancillæ partus. 50.A

Fructus pendentes, quando finitur vſusfructus, ad proprietarium, aut illius hæredes pertinent. ib.B

Fructuũ dominium quando comparet vſufructuario, ibidem.

Fructus hæreditatis percepti ante mortem teſtatoris, itemque pendentes tempore mortis teſtatoris, partes ſunt hæreditatis, ſuntq; proinde reſtituendi ab hærede priuato, deductis Trebellianica. 792.D

Fructus percepti ante aditam hæreditatem cedunt hæreditati, ſuntq; proinde reſtituendi, deducta ex eis Trebellianica. Excipitur, ſi grauatus ſit hæres ſuus: hic enim ſuos illos efficit. 793.B

Fructus qui dicantur percepti iudicio teſtatoris, qui nõ item. 792.E

Fructus percepti iudicio teſtatoris computantur in quarta Trebellianica, ex ipſis & hæreditate extrahenda. Quod ſi quartam ſuperent, incrementum ad grauatum hæredem ſpectat. Quando vero teſtator expreſſe aut tacite fructus reſtitui præcipit, reſtituuntur, ſed ex illis, & ex hæreditate extrahitur Trebellianica. 793.A

Fructus iudicio teſtatoris non percepti, ſi negligentia aut abſentia fideicommiſſarij non petatur hæreditas, pertinent præcipue ad hæredem grauatum, neque illos in Trebellianica computat. Excipitur, ſi fideicommiſſarius eſt minor ciuitas, Eccleſia, aut captiuorum redemptio, aut pius alius locus: nam tunc præcipui pertinent ad fideicommiſſarium ib.E

Fructus percepti non iudicio teſtatoris, computantur in quartam Trebellianicam à puncto, quo hæres grauatus in mora fuit reſtituendi hæreditatem. ib.A

Fructus percepti ex hæreditate quocunq; modo reſtituta pertinent ad fideicommiſſarium. ib.C, D

Fructus percepti à liberis primi gradus in Trebellianicam non computantur, ſed ſunt præcipui eiusmodi hæredis grauati etiamſi teſtator præcipiſſet, vt illos reſtitueret. Teneretur tamẽ reſtituere, ſi quos perciperet is tempore, à quo in mora eſt reſtituendi hæreditatem. 794.B

Fructibus ac emolumentis hæreditatis annumerantur partus ancillarum ab hæreditate adita, vt ad hæredem grauatũ pertineant, computandi in Trebellianica, quando fideicõmiſſum non ſtatim à teſtatoris morte eſt reſtituendũ. 798 A, B, & ſeq.

Fructus rei legatæ in particulari, non ſub conditione, nec vt à certo die tradatur, à quo puncto ad legatarium pertineant 830.E, 831.A

Fructus medij temporis rei determinatæ legatæ, vt in die certum ſoluatur, ſi dies in gratiam hæredis ſit appoſitus ſpectant ad hæredem, ſi vero in gratiam legatarij ad ipſum ſpectant. Quod ſi res medio illo tempore pereat, legatario perit, & remanentia ex illa ad ipſum pertinent. 834. B

Fructus legati, quod non eſt determinatum in individuo, at-

que rei propriæ teſtatoris, ſolum debẽtur à puncto, quo hæres in mora eſt illud ſoluendi. ib.D

Fructus rei propriæ teſtatoris legatæ in individuo ſub conditione, non debentur, niſi à puncto impletæ conditionis. ibidem.

Fructus à principio perceptos vna cum re tenetur reſtituere, qui contrauenit modo ita diſpoſitioni appoſito, vt, ſi illi contrauenire tur, res eo ipſo amitteretur, aut cenſeretur nunquam ad id vocatus. Excipe in maioratu. 890.E

Fructus rei venditæ ſub modo reſoluendo in conditionem, cur intermedio tempore pertineant ad emptorem, & fructus legati aut donationis ſub modo reſoluẽdo in conditionem medio tempore percepti ad legatarium aut donatarium non pertineant. 892.D

Fructuum nomine quid intelligatur. 1063.A

Fruendi ius.

Fruendi ius ad quæ ſe extendat. 49.D

Funus, & Funerale.

Funeralium oblationum, ſeu ſepulturæ relictorum per vltimam voluntatem Eccleſijs, monaſterijs, & alijs pijs locis quanta portio Epiſcopo debeatur, conſuetudini loci eſt ſtandum, & in dubio cenſendum eſt eſſe quartam. 915.D

Funeralium quarta. Vide ſepultura.

Funeris impenſa ex bonis ante omnia deducenda, & quid nõ mine illius intelligatur. 1022.A

Funeris impenſa, comprehendendo conſuetas ac moderatas veſtes lugubres, cum ære alieno defuncti computatur, & extrahitur, neque id in Luſitania tenetur defunctus accipere in tertio ſuorum bonorum. ib.B

Funeris impenſa coniugis vnius, ſuperſtite alio extrahitur in Luſitania de communibus bonis, ſi contractu medietatis contraxere. alioquin de bonis ſuperlucratis, quod ſi illa non ſint, impenſa vxoris de bonis viri extrahitur. 1023. B, D

Funus. Vide ſepultura.

Furtum.

Furtum filij in bonis patris eiusdem eſt ſpeciei cum aliis furtis & eis leuius. 17.D

Furtumne ſit ablatio filij à patre, & vxoris à marito. 38. A

Furti definitio quo pacto vſurpet dominium. ib.

Furtum lignorum de ſyluis, neque infamiam infert, neq; vt furtum puniri ſolet. 256.D, E

Gladius.

Gladius. Vide poteſtas.

Gradus.

Conſanguinitatis. Vide conſanguineus.

Gratia.

Gratia, & caritas cur iuſtitiæ ſint, quæ coram Deo iuſti ſumus. 5.E

Gratiæ & iuſtitiæ expeditiones à ſede Apoſtolica, quando datum, acceptum, promiſſum, aut acceptatum eſt aliquid, vt illæ obtineretur, aut impetraretur, ſunt nullæ. Et quid nomine gratiæ aut iuſtitiæ à ſede Apoſtolica. 369.A

Grauamen.

Grauamen, modus, conditio, aut dilatio apponi nõ poſſunt legitimæ deſcendentium & aſcendentium, ſuntq; ipſo iure nulla ſi apponantur. 737.D

Grauamen filij legitimæ non cenſetur ex eo appoſitum, quod pater illi vulgariter, aut pupillariter ſubſtituat. ib.E

Grauamen vſq; adeo legitimæ non poteſt apponi, quod eſto quis cum eo inſtituatur plusquam in legitima: & hæreditatẽ adeat, validum ſit quoad incrementum, nõ vero quo ad legitimam. 738.A

Grauamen legitimæ appoſitum, vt ſit validum non ſufficit conſenſus tacitus, ſed neceſſarius eſt expreſſus. ib.C

Grauamen negq; in filij fauorem apponi poteſt legitimæ, eſtq; inualidum ſi apponatur. 739.B

Grauamen imponi non poteſt legitimæ, eſto ſtatuto patri relictum eſſet relinquere filio quantum vellet, aut eſto filia cum iuramento illi renũciaſſet, & pater nihilominus legitimam illi relinqueret. ib.C

Grauamen conditionis poteſtatiuæ legitimæ filij ſui hodie impoſitum, eſt nullum, quamuis de iure antiquo eſſet validum. 740.B

Grauamen conditionis caſualis aut mixtæ, appoſitum legitimæ filij ſui, non efficit hodie teſtamentum nullum, vt efficiebat de iure antiquo, eſt tamen reiiciendum a legitima. ib.C

Grauamen cuiuſcunque conditionis, ſi legitimæ filij, etiam non ſui, imponatur, inualidum eſt in Regno Caſtellæ, etiam quo ad incrementum. ib.D,E

Grauamina apponere poteſt pater legitimæ, quam impubes ab eo acceperit, & cæteris bonis illius, ſi illi pupillariter ſubſtituat. Quin & heredibus illius ab inteſtato poteſt eadem grauamina imponere, nullum filio ſubſtituendo. Eo vero ipſo, quod filius pubes ſit, ceſſant ea omnia grauamina. 778.C,D

Guarentigius contractus.

Guarentigius contractus quis. 295.A

Habitatio.

Habitatio quid, & quantum iuris contineat. 46.A

Hæreditas.

Hæreditas quid. 31.E

Hæreditatis aditio quid. 42.A

Hæreditas quando iacere dicatur. ib.

Hæreditas quando delata, & quando adita dicatur. 698.E

Hæreditas dari poteſt indirecte codicillo, vt fideicommittendo hæredi ab inteſtato, aut teſtamento inſtituto, vt hæreditatem alteri reſtituat. 475.E

Hæreditatem religioſo delatam adire poteſt monaſterium religioſo ignorante, ac inuito, quin & defuncto, ſi ante illius mortem delata fuit. 523.D,E

Hæreditatem filiofamilias delatam adire poteſt pater filio ignorante, quin & defuncto, ſi ante illius mortem delata fuit. 524.A

Hæreditas relinqui poteſt vni ex multis determinatis, non ſolum quem tertius fuerit arbitratus, ſed etiam quẽ voluerit. 622.D

Hæreditatis & partium eius nomina. 628.E

Hæreditatem amittit hæres fiſco, vel portionem, quæ ipſum contingit, ſi interficiat eum, cui ſuccedere debet, etiamſi pater aut filius ſit. Excipitur, niſi illi parcat interfectus ante mortem, aut, cum tempus ad mutandum teſtamentum habuerit, illud non mutauit. Item is, cuius negligẽtia perit is, cui ſuccedere debet, amittit fiſco hæreditatem. 741.D,E

Hæreditatem fiſco amittit hæres interfecti, niſi interfectores accuſet. Excipitur filius interfectoris, & interfectoris pater, & intra quantum tempus intentari debeat accuſatio, & quando ante aditam hæreditatem. Et num hoc vltimum vim hodie habeat. 742.C

Hæreditatem non amittit hæres, ſi poſt accuſationem intentatam parcat. 744.E

Hæreditatem fiſco in Caſtella amittit hæres, quicum vxore eius, cui ſuccedit, acceſſum habet etiam poſt quam vidua effecta. 745.A

Hæreditatem, & quæcunque alia bona ſibi ab eo obuenientia, amittit fiſco, qui alium teſtari prohibuit. ib.B

Hæreditatem fiſco amittit, qui teſtamentũ, in quo hæres eſt ſcriptus, falſi accuſat vſque ad vltimam ſententiam, ſi verum pronuncietur. Excipitur, niſi id faciat tanquam tutor aut curator minoris, aut tanquam regis aut fiſci procurator. ibid.C

Hæreditatem fiſco amittit inſtitutus hæres, ſi palam vel ſecreto promittat ſe reſtituturum hæreditatem filio illegitimo, aut alteri illius incapaci. ib.E

Hæreditatem fiſco amittit, qui mente capti, qui ſuccedit, curam non habet. Quod ſi alius, proteſtatione facta hæredi, curam illius habeat, ad illum hæreditas ſpectat. ib.

Hæreditatem amittit, non fiſco, ſed captiui redimendis, hæres captiui qui fuerit negligens in illo redimendo. 746.A

Hæreditas quando fiſco defertur, quod hæredes ſint ea indigni, tenetur fiſcus ad debita defuncti, & ad legata, detracta falcidia, ſi illam detracturus erat hæres, neque prius hæreditas fiſco debetur, quam ſententia feratur. ib.B,C.

Hæreditas iacens non datur comparatione hæredis ſui. 750.A

Hæreditatem non aditam non trãſmittit hæres non ſuus inſtitutus ſub conditione poteſtatiua, neque ſanguinis iure, neque deliberandi, niſi ſolum quo ad ſuam legitimam, ſi illi legitima ſit debita. ib.B,C

Hæreditas, iusve ex tranſmiſſione reſultans, quanto tempore præſcribatur aduerſus eos, ad quos iure ſanguinis eſt tranſmiſſum. 751.C

Hæreditas non adita tranſmittitur ad quoſcunque hæredes iure deliberandi intra quãtum tempus a tempore ſcientiæ, quod ſit delata. 754.B

Hæreditati cedunt fructus percepti ante mortem teſtatoris, itemq; pendẽtes tempore mortis illius: ſuntq; proinde reſtituendi ab hærede grauato, Trebellianica deducta. 792 B,C

Hæreditati cedunt fructus percepti ante aditam hæreditatem, ſuntq; proinde reſtituendi deducta ex ea Trebellianica. Excipitur, quando hæres ſuus grauatus fuit: hic enim ſuos illos efficit. ibid.

Hæreditas non poteſt pro parte adiri, & pro parte repudiari. 852.E, & ſeq.

Hæreditas ſub modo relicta tranſmittitur modo nondũ impleto, quando modus per ſucceſſorem poteſt impleri, tenetur q; ſucceſſor illum implere. 889.E

Hæreditas ſi ſub modo ſit relicta antequam hæredi tradatur, cauere tenetur de ea vna cum fructibus ex ea perceptis reſtituendis, ſi modum non impleat. 891.B

Hæreditas vni relicta ob errorem in perſona inualida eſt in conſcientiæ & exteriori foro: ſi vero is exiſtat, cui eã relinquere illis verbis intendebat, illi debetur, etiam in exteriori foro, nihil impediente, quod quædam iura ſint in contrarium. 897.E, & 898.A

Hæreditatis in poſſeſſionem quando hæres mittẽdus. 1060.D

Hæreditatem poſſidens bona fide, tanquam ad ſe pertinentẽ, ſi poſtea comperiatur ſpectare ad alium, neque ex fructibus ex ea perceptis tenetur reſtituere, niſi quod ſuperfuerit, aut in quo factus ſit locupletior, eſto luxurioſe & perdite reliqua conſumpſerit. 1062.E

Hæreditatem bona fide credens ad ſe delatam, ſi contemplatione illius largius de ſuis bonis expendat antequam poſſeſſionem occupet, nihil de hæreditate poteſt compenſare, ſed integra pertinet ad legitimum hæredem. 1063.A

Hæreditatem non ſuam prædicto modo bona fide poſſidens, ſi donauit ex illa, eaq; ratione ſibi donatarius deuinxit, nõ cenſetur factus locupletior, ſi vero aliquid ea de cauſa redonatũ ſit, aut poſtea redonetur, id reſtituendum eſt legitimo hæredi. ib.B,C

Hæreditate ex prædicta ſi quid donatum ſit, atq; exiſtat, vendicat id legitimus hæres: ſi vero non exiſtat, donatarius tamen factus inde eſt locupletior, id debet legitimo hæredi, in

di, in quo locupletior reperitur. 1062.C
Hæreditate ex eadem si quid bona fide sit venditum, & exi-
stat, pretium succedit in hæreditate loco rei vēditæ. Et ad
quid antiquus venditor & emptor teneantur. ib.D
Hæreditate ex eadem tenetur à lite contestata, qui bona fide
eam possidebat, restituere omnia, quæ ex illa & fructi-
bus tunc stabant, & in quibus factus fuerat locupletior,
& fructus omnes vlterius perceptos, & qui commode po-
terant percipi: eodem modo tenentur, qui sciēter hæc post
litem contestatam emerunt, aut alio titulo acceperunt.
ibid.E
Hæreditatem bona fide tanquam hæres qui possidet, neque
illam, neque res illius præscribit aduersus legitimum hæ-
redem, nisi triginta annis: emens tamen aliquid ab illo,
tempore consueto præscribit, exceptis aliquibus euenti-
bus. 1093.C
Hæreditatem mala fide possidens restituere integram tene-
tur legitimo hæredi cum omnibus fructibus, etiam quos
commode percipere potuit. 1064.A
Hæreditatem ita mala fide possidēs, si quid casu fortuito post
litem contestatam pereat hæreditatis, tenetur id restitue-
re (intellige post latam sententiam) secus si ante litem
contestatam casu fortuito pereat eo pacto, quo apud hæ-
redem periret. ib.C
Vide Hæres.

Hæres

Hæres dominium comparat hæreditate adita ante traditio-
nem: secus de possessione. 41.D
Hæres adita hæreditate ad omnia defuncti onera tenetur.
42.A
Hæres apprehensione domus comparat etiam possessionē con-
tentorum, animo ea etiam possidendi 78.C
Hæres, adita hæreditate, comparat possessionem interdicto
quorum bonorum: legati vero, quod legatarius absque ip-
sius facultate occupauerat, interdicto quorum legato-
rum, vt ab eo falcidiam detrahat. 87.B,C
Hæres testamento minus solenni institutus, non solum occu-
pare & retinere potest hæreditatem, celareque defectum
testamenti, sed etiam cessante scandalo, facere occultam
recompensationem, si in exteriori foro hæredi ab intesta-
to adiudicetur hæreditas. 334.D,E
Hæres ab intestato lethaliter peccat, nisi hæredi in testamen-
to minus solēni instituto hæreditatem relinquat, & sol-
uat legata, aut fideicommissum in tali testamento, aut
codicillo relicta, & tenetur ad damna litis. & alia illis
secuta. 335.A
Hæres ab intestato in dubio, an testamentum minus solenne
voluntas fuerit testatoris, compositionem facere tenetur
cum hærede instituto, legatariisque aut fideicommissario
pro quantitate dubij plus vel minus illis relinquendo. ib.
B, & C
Hæres ab intestato si petat in foro exteriori bona testamento
minus solēni relicta, cogen'us in eodem foro est, vt in-
uret, an sciat, aut sibi persuadeat, illam fuisse defuncti vo-
luntatem, consentēque, aut iurare nolente, adiudican-
da sunt bona in eodem foro illi alijs. ib.D
Hæres instituti non potest directe codicillo, nisi à milite. 475.
B,B
Hæredis institutio vt sit valida, non satis est si nutibus fiat,
sed necesse est vt scripto, aut voce qualicunque exprimā-
tur: valet tamen nutibus facta in foro conscientiæ. 482.
D
Hæredis institutio per remissionem ad schedulam in qua illi
testator habet scriptam, valida est. 487.B
Hæredis institutio vi, metu, aut deceptione facta, vel arbi-
trante testatore illum esse suum consanguineum, aut de-
functum esse, quem instituere intendebat, aut iam an-
te instituerat, inualida est, si credendum sit testatorem
seclusis his, velle vt bona sua ad alterum deueniant. 502.
D
Hæredes esse non possunt professi, & coadiutores societatis in
bonis suorum, neq; domus, aut collegia loco ipsorum, sed
tanquam mortui ad id reputantur. Quin si bona aliqua
antea habebant neque de illis disposuerunt, pertinent ad
ipsorum hæredes ab intestato. 512.D,E
Hæredes instituī possunt etiam communitates, nisi sit ciui-
tas hostium, communitas Iudæorum, aut alia illicita,
quæ auctoritate publica non sit: particulares tamen de iis
communitatibus instituī possunt. 608.C
Hæres instituī potest amens, infans, mutus, religiosus, nisi sit
professus Diui Francisci, aut nostræ societatis etiam co-
aduitor, & denique quicunque lege non est prohibitus.
ib.D.
Hæres instituī potest seruus, modo dominus instituī etiam
possit: alioquin inualida redditur institutio, nisi seruus
manumittatur, aut alienetur. ib.
Hæredem si quis instituat suum seruum, censetur illi liber-
tatem concedere. ib.E
Hæredes esse non possunt de iure Cæsareo deportati, & dam-
nati in perpetuum ad metalla, neque legatarij, nisi in a-
limenta eis aliquid relinquatur, secus de iure Castellæ,
& Lusitano. 609.A
Hæredes aut legatarij esse non possunt hæretici, & apostatæ.
Et de iure Castellæ, nec Mahumetanus, nec Iudæus instī-
tui potest à Christiano. Neque item canonico iure cleri-
cus potest eos, aut quemquam alium paganum instituē-
re. ib.C
Hæres esse non poterat transiens ad secundas nuptias intra
annum à morte mariti, sed iure canonico est abrogatum.
ib.D
Hæres vt esse non possit in pœnam est statutum in sequenti
Cardinalem, & ob nonnulla alia delicta, vt tamen de-
linquens ab hæreditate absistere teneatur, necesse est sen-
tentia inferatur. ib.B
Hæres si is solus instituatur, qui hæreditatis est incapax, te-
stamentum est nullum quo ad legata nō pia. De iure ta-
men Castellæ valida sunt. ib.& seq.
Hæredes propriè sunt, tam instituti in tota hæreditate, quā
in quota illius.
Hæredes quando in portionibus æqualibus, & quādo in in-
æqualibus censendi sint instituti. ib.C,D
Hæredes, & hæreditas defuncti personam repræsentans, ea-
que ratione iura omnia defuncti, quæ cum eo non expi-
rant, ad hæredes transeunt, tenenturq; ad debita defun-
cti, soluereq; legata. ib.E
Hæredes si plures sint, vt singulis iura defuncti competunt
iuxta proportionem partis in qua quisque est institutus:
ita ad debita solum tenentur iuxta eiusdem partis pro-
portionem. 62.A
Hæres si non in parte aliquota, sed in re, aut rebus certis si-
mul cum aliis sit institutus, parum à legatario differt: &
sicut illi nec iura defuncti competunt, ita neque ad debi-
ta tenetur, neque ius accrescendi competit. ib B
Hæres si in re certa per verba directa & non communia sit
institutus sine alio cohærede, vel cū alio, qui repudiet hæ-
reditatem, vel ad quem non deueniat, neque ad alios eam
transmittat, vere est hæres, eiq; ius accrescendi competit,
& succedit in iuribus defuncti, atque ad debita illius te-
netur: secus si non per verba directa: nam tunc hæreditas
ad hæredes ab intestato deuoluitur. ib.D,E
Hæredis institutio verbis directis, indirectis, cōmunibus, pro-
prijs, ac ciuilibus quæ. 613.D
Hæredes instituti in rebus certis inæqualibus quo ad valorē, si
eis ius accrescendi competat, incrementum diuiditur in-
ter eos in partes inæquales, nisi aliud de voluntate testā-
toris constet. 614.C,D

Hæredi inſtituto in quota, ſi nullus alius ſit inſtitutus, aut alij moriantur ante teſtatorem, vel repudient hæreditatem, accreſcit reliquum hæreditatis, & non deuoluitur ad hæredes ab inteſtato. Idem ſi plures hæredes ſint, & incrementum tunc diuiditur inter eos iuxta proportionẽ partis ad partem, in quibus inſtituti ſunt. ib.E

Hæredi inſtituto à milite in re certa aut in quota, quãdo ſciens & prudens miles de reliquis ſuis bonis non diſpoſuit, non accreſcunt cætera bona, ſed ſpectant ad hæredes ab inteſtato. 615.A

Hærede aliquo inſtituto in re certa: aut quota, ſi conſtat voluntatem teſtatoris fuiſſe, vt reliquum pertineret ad hæredes ab inteſtato, atq; ex ignorantia probabili credidit id vim habere, reliquum in modum fideicommiſſi relinquẽdum eſt hæredibus ab inteſtato, Trebellianica & falcidia non detractis. 616.C

Hæres ſi incapax ſit totius hæreditatis, fas teſtatori eſt illi ea relinquere, quorum eſt capax, & in reliquis inteſtatum diſcedere. 617.E

Hæres inſtitui non poteſt ad tempus, niſi à milite. Et idem dicendum eſt, quod de inſtituto in parte ſolum bonorum. 618.D

Hærede aliquo inſtituto in diem incertum, an & quando eſſet futurus, ſub conditione inſtitutus cenſetur, eique tradenda eſt hæreditas, præſtita cautione, quod conditione nõ impleta illam reſtituet cum fructibus à tempore mortis teſtatoris. 619.B

Hæredis inſtitutio in diem certo futurum, ſed incertum quãdo futurum ſit, valida eſt. ib.C

Hæredibus inſtitutis duobus, vno ad primum decennium à morte teſtatoris, altero ad reliquum tempus, primus grauatus cenſetur reſtituere hæreditatem ſecundo. Sed non improbabile eſt, validam eſſe, vtrãq; directam inſtitutionem. 620.E

Hæredis inſtitutio alterius voluntati commiſſa, inualida eſt iure Cæſareo. 621.A,B

Hæredis inſtitutio ſub conditione de futuro, ſi alius vicißim me aut alium inſtituat, captoria dicitur & inualida eſt: ſecus ſub conditione ſimili de præſenti, aut præterito. ibid:C

Hæredis mutua inſtitutio, etiam in eodem teſtamento, prohibita. ib.D

Hæredis inſtitutio ſub conditione, quæ ab alterius pendet voluntate, ac proinde quæ tacite ſolum ab alterius pẽdet voluntate, valida eſt. ib.

Hæredis inſtitutio ſub conditione, ſi inſtitutus voluerit, valida eſt. Et tamen quamuis ea conditio virtute in quacunq; inſtitutione inſit, quando tamen exprimitur, operatur, vt niſi adita hæreditate hæres è vita diſcedat, illam non tranſmittat ad alios. ib.E

Hæredis inſtitutio alicuius determinatæ perſonæ, ſed ſub conditione, ſi alius ita fuerit arbitratus, valet: ſed ſi ſufficientem alius reddat rationem, cur non debeat is eſſe hæres redditur nulla. 622.D

Hæredis aut legatarij ex aliquibus certis inſtitutio, ſi voluntati alicuius ſit commiſſa, valet, eſto indignum eligat: ſecus ſi commißa ſit illius arbitrio. ib.E

Hæredis inſtitutio ad pias cauſas valida eſt, eſto alterius committatur voluntati. 623.C,D,& ſeq.

Hæredis inſtitutio, melioratio, ſubſtitutio, & tutoris deſignatio alteri commißa, itemq; teſtamenti confectio, quatenus iure Caſtellæ valeant. 624.C,D

Hæres neceſſarius quis in iure: diuerſumq; eſt aliquem neceſſario ſuccedere teſtatori, velit, nolit. 625.D

Hæredes in quibus portionibus ſint neceſſario inſtituendi deſcendentes. 626.A

Hæredes in quibus portionibus ſint neceſſario inſtituendi aſcendentes in defectum deſcendentium. 628.D

Hæredes neceſſario non ſunt inſtituendi tranſuerſales, etiam ſi fratres ſint vtrinque coniuncti. 629.C,D

Hæredem ſi quis inſtituat perſonam infamem, & prætereat fratrem vtrinque coniunctum, aut conſanguineum, conceditur fratri querela ad reuocandum teſtamentum, & obtinendam hæreditatem. 630.B

Heredes ab inteſtato ſuccedunt in omnibus defuncti bonis, deducto ære alieno, & competenti impenſa funeris, & deductis legatis, quando teſtamentum validum eßet, quoad legata. 634.C

Hæres eſt poſthumus parenti (quin potius rumpit teſtamentum illius ſi in eo fuit præteritus) eo ipſo, quod viuus naſcatur, monſtrumq; non ſit, eique ſuccedunt aſcendentes ſuperſtites proximiores in gradu, aut alij conſanguinei: in Caſtella neceſſe eſt vt viuat viginti quatuor horis, & baptizetur. ib.D

Hæres ſi parens alter extitit ab inteſtato filio in bonis, quæ ex altero parente, aut ex aſcendentibus illius filio aduenerunt, tranſeatq; ad ſecundas nuptias, & tempore mortis illius ſuperſtes fuerit] lius ex priori matrimonio, is ſuccedit in bonis illis deducto vſufructu, &c. 636.C

Hæredibus exiſtentibus parentibus filio, ſi is erat in poteſtate patris, aut de iure communi aui paterni, eſto bona ſint inter parentes diuidenda, vſusfructus tamen eorũ ſpectat ad patrem, aut auum, cuius erat, toto tempore quo is vixerit 637.A

Hæredes ab inteſtato ſunt collaterales proximiores in gradu vsq; ad decimum, deficientibus deſcendentibus, & aſcendentibus. 639.E

Hæredes ab inteſtato ita ſunt fratres vtrinq; cõiuncti, vt excludant omnes alios fratres. 640.B

Hæredes ſunt ab inteſtato filij fratrum vtrinq; coniunctorum cum patruis, ſed per ſtipitem. ib.C

Hæredes ab inteſtato ita ſunt filij fratris vtrinque coniuncti, vt excluaãt fratres defuncti ex altera tantum parte coniunctos. ib.D

Hæredes ſunt ab inteſtato fratres omnes ex altera parte tantum coniuncti, deficientibus fratribus vtrinque coniunctis, & eorum filiis. ib.E

Hæredes ſunt ad inteſtato filij fratris ex altera tantumparte coniuncti cum patruis ipſorum fratribus ex altera parte defunctis, ſed ſuccedunt per ſtipitem. 641.A

Hæredes ab inteſtato, ſi ſint fratres ex altera parte, quorum quidam vterini ſint, alij conſanguinei, vterini præferuntur in bonis, quæ fuerunt matris, & conſanguinei in bonis quæ fuerunt patris, & cætera bona æqualiter diuiduntur. Idem quãdo filij horum fratrum per ſtipitem ſuccedunt cum patruis. ib.

Hæredes ab inteſtato quod proferantur ſi ſint vtrinque coniuncti, ſolum habet locum in fratribus, & in filiis fratrum, non vero in nepotibus eorum, aut in aliis collateralibus, ſed ſemper proximi defuncto ſuccedunt illi per capita. ib.E

Hæredibus exiſtentibus ab inteſtato patri filiis, quorum quidam fratres ſint inter ſe vtrinque coniuncti, alij vterini, ſi vnus vtrinque coniunctorum repudiet hæreditatẽ, ſuccedunt in portione illius alij fratres, etiam vterini, non vero filij repudiantis. ib.D

Hæredes ab inteſtato ſunt per capita, & non per ſtirpes, filij fratrum defunctorum, quando non ſuccedunt patruo vna cum alio patruo ſuperſtite, neque tunc locum habet repræſentatio. 642.D

Hæredes ſunt ab inteſtato filij fratris, excluduntq; patruum magnum, cum quo fuit in eodem gradu, hoc eſt, fratrem patris aut matris eius defuncti, cui eſt ſuccedendũ: quare in eo aduentu admittenda eſt repræſentatio. 644.C

Hæredes mutuo ab inteſtato ſunt vir & vxor in omnibus bonis, modo non ſit conſanguineus vſque ad decimum gradum, qui ſuccedat, & non ſit inter eos diuortiũ, & de Luſitano iure vir vxorem in domum ſuam receperit. ib. D,E

Hæres in qua portione sit vxor vna cum filiis marito, quando sine dote nupsit. 645.A,B
Hæres exisilit fiscus ab intestato, si non sit consanguineus vsque ad decimum gradum, neque alter coniux, qui succedant: ibidem.
Hæres institutus descendens, aut ascendens, minus quam in legitima portione, agit solum ad supplementum. 706.E
Hæredu titulo nisi aliquid descendenti vel ascendenti relinquatur, cur præteritus censeatur, esto plusquam legitima illi relinquatur. 711.A
Hæredes tacite censentur in Lusitania descendentes, & ascendentes in suis legitimis, si testator solum de tertio disponat ad alia. ibid.B
Hæredis titulo nisi ascendentibus, & descendentibus legitimæ relinquantur, censentur canonico iure præteriti. ibidem.C
Hæredes instituti censentur liberi, si pater filiis relinquat bona sua, singulis res certas. ibid D
Hæredis titulo relinquenda est legitima descendenti aut ascendenti in regno Castellæ, alioquin censetur præteritus, estque testamentum nullum quoad hæredum institutionem. 712.B
Hæres institutus in minori portione, quam legitima, esto illum accipiat sine protestatione, & chirographum solutionis det, agere potest ad complementum, quare in hoc euentu non sufficit consensus tacitus in patris testamento. 716.A,B
Hæredem si parens instituat filiam in dote, quam acceperat, non competit ei actio inofficiosi testamenti, sed solum ad complementum, si minus legitima erat dos. 736.D
Hæredi instituto minus, quam in legitima, siue in quota, siue in re certa sit ita institutus, non conceditur querela inofficiosi testamenti ad illud annullandum, sed solum actio ad complementum. ibidem.C
Hæres aut legatarius, neque mediate esse potest interfector in bonis interfecti, vt si vir interficiat vxorem, ex qua habeat filium, existere non potest hæres filio in bonis, quæ ex vxore illi aduenerunt, sed in euentu, quo ad interfectorem deuenire deberent, pertinerent ad fiscum. Usque pater vsufructuarius non esset filij in eis bonis, sed pleno iure pertinerent ad filium. 742.C,D
Hæres suus quis dicatur. 746.D
Hæres suus remanet filius, licet religionem profiteatur, per professionemque patriam egrediatur potestate. 747.B,C
Hæres suus remanet Episcopus licet patriam egrediatur potestatem. ibid.
Hæres suus est filius adoptiuus, si adoptanti succedat ab intestato, secus si ex testamento. ibid.C
Hæres suus est nepos filij exhæredati, si ab auo hæres instituatur, vt hæreditatem non aditam transmittat ad patrem suum. ibid.
Hæres si adita hæreditate ex hac vita discedat, illam transmittit ad quoscunque ipsius hæredes. 648.D
Hæres si hæreditate delata, sed non adita, moriatur, non trãsmittit illam, sed pertinet ad hæredes alios defuncti. Exceptis tribus euentibus. ibidem.
Hæres suus hæreditatem nondum aditã transmittit ad quoscunque ipsius hæredes, modo illam ante mortem non repudiauerit. ibid.E
Hæres suus dominium comparat hæreditatis ad se delatæ, antequam illam adeat, reliqui vero hæredes non nisi illa adita. 749.A
Hæres suus non censetur habere titulum ad præscribendum rem, quam defunctus bona fide sine titulo possidebat: hæres autem non suus eum habere censetur à puncto adita hæreditatis. ibidem.B
Hæres suus institutus sub conditione potestatiua transmittit hæreditatem non aditam ad ipsius hæredes quoad suam legitimam: secus quoad incrementum. Ex facultate vero sola illam repudiandi de iure prætorio introducta, non impeditur transmittere etiam incrementum. 750.E
Hæres non suus, sub conditione potestatiua institutus, si legitimam in eis bonis habeat, non transmittit iure sanguinis incrementum ante aditam hæreditatem. Quod si legitimam non habeat, neque iure sanguinis, neque deliberandi, transmittit hæreditatem non aditam. 751.A
Hæres suus semper repudiare potest hæreditatem, quando à creditoribus, defuncti conuenitur, interim dum tacite aut expresse hæreditatem non adiuit, & conuentus intra quantum tempus adire aut repudiare teneatur. ibidem.B
Hæredi suo conceditur post hæreditatem repudiatam reuocare repudiationem, & adire iterum hæreditatem, & quanto tempore si non erat minor, & quanto, si minor erat, & quousque. ibid.C
Hæres suus quanto tempore præscriptionis via amittat ius adeundi, occupandique hæreditatem, hæreditatemque ipsa. ibid.D
Hæredes descẽdẽtes, siue sui sint, siue nõ, hæreditatem suorum ascendentium non aditam iure sanguinis transmittunt ad suos tantum descendentes. 754.B
Hæredes illegitimi portiones, in quibus ex iuris præscripto succedunt suis ascendentibus, iure sanguinis transmittuntad suos descendentes. 774.E, & seq.
Hæres si institutus sit descendens sub conditione pendente in futurum, quæ modus non sit, & discedat ante conditionem impletam, non transmittit iure sanguinis eiusmodi hæreditatem, nisi quoad legitimam, si legitimam in eo habeat. 775.B
Hæres grauatus cogi potest adire hæreditatem vt illam restituat, si vero coactus hæreditatem adeat, amittit Trebellianicam. 784.E
Hæres grauatus si ante tẽpus restitutionis fideicommissi delictum committat, ob quod bona ipsius confiscentur, fideicõmissum ad fiscum pertinet, tempore quo perseueraturum erat apud delinquentem, nisi contraria fuerit testatoris voluntas. ibid. & 785.A
Hæres grauatus si religionem profiteatur, non idcirco transit fideicommissum in fideicommissarij, nisi profiteatur ordinem minorum, aut nostram societatem, vel in ea ad coadiutorum gradum admittatur. ibid.B
Hæres esto profiteatur religionem minorum aut nostram, si ita grauatus est conditione pendente in futurum, aut in diem mortis naturalis ipsius, vtique si inde est pendens, vt fideicommissum ad vnum potius, quam ab alium, perueniat, expectandum est id tempus post professionem. ibidem.D
Hæres quando est grauatus restituere hæreditatem retẽta sibi certa quantitate, nõ diuiduntur actiones inter ipsum, & fideicommissarium, sed integre transeunt in fideicõmissarium, esto quantitas illa quartam excedat. Quod si ad quartam non pertingat, extrahit quod deest, & quoad id diuiduntur actiones. 788.C,D
Hæres grauatus quæ restituere fideicommissario teneatur. 796.E, & seq.
Hæres institutus cum aliis, & grauatus portionem suam alteri restituere, si portioni aliquid in cohæredum defectum accrescat, id etiam tenetur restituere. ibid.
Hæres grauatus restituere, quod post ipsius mortem ex hæreditate supereßet, reseruare cum minimum debet fideicõmissario quartam hæreditatis partem, & quoque hanc possit consumere. Si reseruet integram hæreditatem, potest ab ea detrahere Trebellianicam. 798.A
Hæres grauatus, si quid pereat, tenetur solùm de lata culpa: ibidem.
Hæredis grauati sunt partus ancillarum percepti ab hæreditate lita, computandi in Trebellianica, quando fideicommis-

commissum non statim à testatoris morte est restituendum. ibid.

Hæres institutus cum aliis, grauatusque restituere illis portionem suam, cedit illis fideicommissum iuxta proportionem in qua quisque fuit institutus. 798.E

Hæres grauatus retinet iura sepulchri, nec transeunt in fideicommissarium, quando hæreditaria sunt: non item transeunt ad fiscum, sed permanent cum hærede, esto tanquam indignus priuetur hæreditate. ibid.

Hæres solum consequitur sepulchra familiaria defuncti, si de familia sit. 799.C

Hæres non retinet ius patronatum Ecclesiasticum, sed transit in fideicommissarium: tametsi communis opinio refragetur. ibid.D

Hæres grauatus à suo ascendente hæreditatem post mortem suam restituere, tacitam habet conditionem, si sine liberis decesserit, quarè eo cum liberis decedente, expirat fideicommissum. 804.D

Hæresidem grauatus esto sit illegitimus, eodem modo expirat fideicommissum quoad bona, quæ licitè ei fuerunt ab ascendente relicta. 806.B

Hæredi illo modo grauato si naturalis filius nascatur, quando fideicommissum expiret, & quando non, coniecturis est iudicandum. ibid.D

Hæredis grauati filius adoptiuus non comprehenditur in illa tacita conditione, si sine liberis discesserit: comprehenditur vero legitimatus per subsequens matrimonium quando de contraria institutoris voluntate non constat: secus legitimatus Principis rescripto, nisi fuerit ad petitionem institutoris, aut aliter de voluntate illius constet. 808.D & B

Hærede sub tacita vel expressa conditione grauato, si sine liberis decesserit, expirat fideicommissum, si vel vnus ad breuissimum tempus superstes sit, vel posthumus nascatur, ita vt hæres existat. 809.B

Hæres si sit grauatus sub tacita aut expressa conditione si sine liberis decesserit, & constat hæredem & liberos simul decessisse, non expirat fideicommissum. Secus si non constat. Et quando præsumendum sit, quis ante quem perierit. ibidem.

Hæres si sit grauatus sub tacita aut expressa conditione, si sine liberis decesserit, si liberos superstites relinquat, non remanent fideicommissarij, sed fideicommissum expirat, eaque bona patri accrescunt, vt de illis, sicut de aliis suis bonis disponat. 810.D,E, & *seq.*

Hæres grauatus sub tacita conditione, si sine liberis decedat, si filios relinquat, expirat fideicommissum, etiamsi fideicommissarius sit monasterium, aut alia causa pia, nisi ad exonerandam conscientiam esset relictum. 811.E

Hæres grauatus sub expressa conditione, si sine liberis legitimis, atque ex se genitis decesserit, restituere aliquid, si religionem profiteatur bonorum capacem, monasterium excludit substitutum, nisi substitutus sit pia causa, aut aliud de voluntate testatoris constet, aut nisi duo sint vicissim substituti, & vtrique sine liberis decedenti substituta sit pia causa, vel in Regno Castellæ descendenti in tertio meliorato traditus esset substitutus, aut nisi in fraudem substituti, vt eum fideicommisso priuet, hæres religionem profiteatur. 812.B,C

Hærede sub tacita conditione, si sine liberis decesserit, grauato religionem profitente, fideicommissum non transit ad monasterium. 813.E, & 814.A

Hæredis institutionem non vitiat conditio de facto, aut de iure impossibilis, sed pro non adiecta habetur. 880.D

Hæredis institutio sub conditione casuali aut mixta facta vt valida sit, satis est si conditio post mortem testatoris, aut in vita post institutionem factam, aut testatore ignorante ante eam factam impleatur. 882.C

Hæredis institutio facta sub conditione potestatiua, vt valida sit, necesse est, post testatoris mortem impleri, nisi conditio non sit iterabilis: nam tunc satis est viuente testatore esse impletam. ibid.E & *seq.*

Hæredis institutio si sub conditione potestatiuæ sit facta, nec impletioni sit terminus præfixus, satis est, si, interim dum hæres viuit, impleatur. ibidem.

Hæredis institutio si sub conditione potestatiua negatiua fiat, tradenda est statim hæreditas præstita cautione mutiana de illa cum fructibus restituenda, si conditionem fuerit trangressus. 883.A

Hæredis institutio sub conditione in alterius commodum apposita, si defecerit conditio ex parte illius alterius habetur pro impleta. ibid.B

Hæredis institutio viduæ, aut viduo facta, etiam ab extraneo, sub conditione si ad secundas nuptias non transeat, valida est, conditioneque non seruata, venit restituenda cum fructibus nulla expectata sententia. 885.A & B

Hæredis institutioni facta illi, qui numquam fuit coniugatus, si apponatur conditio nunquam celebrandi matrimonium, aut non nisi arbitrio alicuius, pro non appositа habetur: secus si non contrahat cum aliquo aut aliquibus, vel ad certum tempus, modo non ideo in pœnam ab eo hæreditas auferatur. ibid.D

Hæredis institutioni validè apponitur conditio si contraxeris cum hac, aut cum hoc, & cum nullo alio. Quod si per illum alium defecerit, non impedit hæreditatis consequutionem. ibid.

Hæredis institutioni validè apponitur conditio si religionem ingrediaris, aut sacerdos fias. ibid.E

Hæredis institutioni si apponatur conditio, si castè vixeris, an impediat transitum ad secundas nuptias, coniecturis est iudicandum, & in dubio pronunciandum est non impedire. ibidem.

Hæres si quis sub nuptiarum conditione sit institutus, & religionem profiteatur, totum debetur monasterio. 886.E, & *seq.*

Hæres licet inique, constitueretur quis sub conditione, si vxorem duceret, animo auocandi eum ab ingressu religionis, bono tamen fine, valide ac licite apponi posset ea conditio. 887.B

Hæredi si modus impossibilis de iure, aut de facto apponatur, pro non appositо habetur. 880.C

Hæres. Vide Modus.

Hæres si quis instituatur, existimatus filius, frater, aut alius propinquus testatoris, quando alioquin instituendus non esset, institutio est nulla, & hæreditas pertinet ad hæredes ab intestato. 898.A,B

Hæres si quis erat institutus, & quod auditum esset illum esse mortuum, alius instituatur, valida est prima institutio. ibidem.C

Hæredis institutio quando est inualida ob causam falsam ex istimatam, valida quousque sint legata. ibid.D,E

Hæredes occasione defuncti, vxor illius, & alij propinqui, intra nouem dies à morte defuncti inquietari, aut in iudicio conuocari non possunt, nisi malitia eorundem necesse esset aliquid istorum efficere. 213.B

Hæredibus cur quondam deliberatio maior concedebatur. ibid.E, & *seq.*

Hæres si sine beneficio inuentarij hæreditatem adeat, tenetur creditoribus defuncti vltra vires hæreditatis. 214.C

Hæres si, cum hæreditatem tacite, neque expresse adierit, intra tres menses, à scientia quod ipse sit hæres, illam repudiet, ad nihil quidem creditoribus & legatarijs tenetur, attamen nullum commodum ex hæreditate reportat. ibidem.

Hæres prorogationem ad deliberandum non petens, & rite inuentarium conficiens, octo commoda reportat. ibidem.

Hæres esto inuentarium confecerit, si, sciens vires hæreditatis non sufficere, soluit integre creditoribus primo aduenientibus, aut præposuit quos postponere debebat, tenetur de damno alijs, & quid in dubio. Idem de legatarijs. 921. B

Hæres cõtrauenire nõ potest facto testatoris pro rata portionis in qua illi hæres extitit. 923.A

Hæres instituus filius in sola sua legitima àpatre, qui prædiũ aduenticiũ alienauit, si inuentariũ confecit, vendicat totũ prædiũ, si vero plusquã in legitima fuit institutus, quo usque exceptione repellatur. 925.B

Hæres hæreditatem adiens non postulato tempore ad deliberandum, & inuentariũ iuxta legis præscriptum nõ conficiens, tenetur creditoribus & legatarijs, vltra vires hæreditatis, nullisque priuilegijs gaudet, quibus ij potiuntur, qui inuentarium conficiunt. 928.D

Hæredi si tempus ad deliberandum petat, quantum & à quo possit concedi. ib.D,E

Hæredi si tempus ad deliberandum concedatur, transacto eo tempore & hæreditate non repudiata, adita censetur. Siue autem tacite, siue expresse ea, an adeat, si inuentarium cõfecit, creditoribus tenetur vltra vires hæreditatis, legatarijs non item, quin à legatis detrahit falcidiam. ibid.

Hæres si postulato tempore ad deliberandum nec inuentario confecto hæreditatem repudiet, iuratur aduersus eum in litem. 929.A

Hæredes cum non sint, qui executores vniuersales dicantur: ij vero, esto inuentarium non conficiant, nodtenentur successoribus & legatarijs vltra vires bonorum defuncti. ibidem E

Hæres instituta Ecclesia aut pia causa, si inuentarium nõ conficiat, vltra vires hæreditatis tenetur creditoribus, & legatarijs. 930.C

Hæres inuentarium non conficiens, aut tempus ad deliberandum petens, tenetur in conscientiæ foro creditoribus vltra vires hæreditatis. 931.A

Hæres inuentarium non conficiens non tenetur legatarijs ante latam sententiam: quod si absq; culpa est omissum: neq; in conscientiæ foro post latam sententiam tenetur, neq; in foro exteriori potest ferri, si in eo non interuenisse culpam constet. 932.A.933.E

Hæres grauatus non conficiens inuentarium, detrahit nihilo minus Trebellianicam. 943.D

Hæredis institutio necessaria non est in testamento ad pias causas. 1069.A,B

Vide hæreditas.

Hæres illegitimus. Vide Illegitimus.

Hæres. Vide descendens, ascendens, & collateralis.

Hæresis, & Hæreticus.

Hæresis patris in causa est, vt à puncto delicti vsusfructus, quem in bonis filij habebat, ad filium regrediatur. 59.C

Hæresis & condemnatio illi non impedit, quin vsusfructus, quẽ pater habebat in bonis illius acquisitis ante crimen, apud patrem perseueret, interim dum pater viuit, aut filius in Castella aut Lusitania matrimoniũ cõtrahit. ib.D

Hæresi tam patris, quam filij, egreditur filius patriam potestatem, amittitque vsumfructum in bonis filij: tametsi, quando solus filius in hæresim incidit, pater retineat vsumfructum in bonis, quæ filius ante hæresim comparauerat. 1002.A

Hæreticus post mortem damnatur, & bona illius quocunque tempore occupantur, nisi quæ à successoribus quadraginta annis fuerint possessa cum ignorantia, quod crimen fuerit commissum. 283.E

Hæreticorum bona nullo tempore præscribuntur aduersus fiscum, nisi successores in illis ea possederint quadraginta annis cum ignorantia delicti hæretici. 299.A

Hæreticorum bona fisco seculari iam hodie applicata sunt in Hispanijs. ib.& 300.A

Hæretici, & apostatæ hæredes esse non possunt. Et de Castellæ iure neq; Mahumetanus, neq; Iudæus institui potest à Christiano. Neq; iure canonico clerici eos instituere possũt, aut quemquam alium paganum. 609.A,B

Herba.

Herbam & fœnum demetẽtes in alienis locis, quæ domini suis pecoribus reseruata habent, vt restituere teneantur, non solum herbæ valorem, sed etiam alia damna inde domino subsecuta. 249.B

Hidalgo.

Hidalgo in Regno Castellæ reputatur filius naturalis ex patre Hidalgo genitus. 647.D

Hidalguiæ, quam vocant, parentum successores non sunt ij illegitimi filij, qui naturales non sunt. 671.A

Hidalguiæ, quam vocant, successores in Castella sunt filij illegitimi naturales. ibid.B

Homicida.

Homicida suijpsius, licet sibi non faciat iniuriam, sed contra caritatem, aut alias virtutes peccet, Deo tamen & Reipublicæ facit iniuriam. 21.C

Homo.

Homo ad imaginem Dei est, quatenus libero arbitrio est præditus. 92.E,& 93.A

Homo plus ad societatem, quam reliqua alia animalia, propendet. 111.D

Hominis prima societas, ad quã maxime propẽdet, est maris cum fœmina generationis gratia, vnde familia resultat. ibidem.

Homo cur ciuile ac politicũ animal, ad ciuilemq; societatem naturaliter inclinetur. 113.C

Hypothecæ.

Hypothecæ & pignoris comparatur ius in re. 33.D

Hypothecæ, & pignoris discrimen. ibid.E

Hypotheca quanto tẽpore aduersus creditorem, cui erat subiecta, præscribatur. 290.D

Hypothecæ censentur subiectæ esse, etiam venalia, si quis vel omnia sua bona, vel certi generis hypothecæ, etiam tacitæ, subjiciat. 870.C,D

Hypothecæ non censentur subiecta venalia, neq; alia ad tempus ibi apposita, ex eo, quod hypothecæ subijciantur res certo loco existentes. 871.A

Iacens hæreditas.

Iacens hæreditas non datur comparatione hæredis sui. 800.B

Vide hæreditas.

Ignorantia.

Ignorantia affectata, aut crassa, ad præscribendum non sufficiunt, quin potius obligationem restituendi inducunt ex parte iniustæ acceptionis. 273.D

Ignorantia iuris præscriptionem impedit, nisi sit valde obscuri. 276.B,279.A

Illegitimus.

Illegitimorum filiorum varia genera. 656.D

Illegitimi naturales, itemque nothi, qui Cæsareo iure dicerentur. 657.A,& D

Illegitimus, qui non est ex concubina domi retenta, non putatur filius alicuius, nisi vel is eum recognoscat, vel aliunde sufficienter probetur. ib.C,D,E

Illegitimus genitus ex concubina domi retenta, reputatur eius, qui eam retinebat, nisi is contrarium probet. ibid.

Illegitimi naturales filij hodie sunt omnes, qui concepti, aut nati

nati ex illis sunt, inter quos poterat esse legitimum matri monium. ibid D

Illegitimus naturalis ex patre Hidalgo genitus, Hidalgo in Castellæ Regno reputatur. 658.B

Illegitimus spurius, licet aliter sumeretur ex ijs parentib. est genitus, qui conceptionis & nativitatis talis filij tempore dirimens impedimentum ad contrahendum habebant. ibidem.C

Illegitimi manzares qui. ibid.D, & 664.C

Illegitimis naturalibus & eorum matri, si legitimi descenden tes, & ascendentes non existant, fas patri est de iure com muni relinquere omnia bona, aut ea illis donare in vita. ibid. & 648.E

Illegitimis naturalibus, & eorũ matri, si pater descẽdẽtes legitimos habeat, fas de iure communi est patri relinquere so lum duodecimam bonorum suorum partem. Quod si ma ter sine ciuſmodi liberis viuat, fas est solum relinquere illi dimidium duodecimæ illius patris. ibid.

Illegitimus naturalibus, si solum existant ascendentes legiti mi, fas de iure communi est patri relinquere omnia sua bo na præter tertium, in quo ascendentes necessario illi succe dunt. 649.A

Illegitimis naturalibus de iure cõmuni, si pater ab intestato discedat, neq; relinquat descendentes legitimos, neq; item legitimam vxorẽ, solum obuenit sexta pars bonorum de functi, inter ipsos, & ipsorũ matrẽ, superstes sit, per portio nes æquales dividenda: reliqua vero pertinent ad alios hæ redes ab intestato. Quod si descendentes legitimos, aut legi timã vxorem relinquat, solum tribuenda sunt alimenta competentia. ibid.B

Illegitimus naturalibus debentur de iure communi alimen ta, esto pater testatus discedat, nihilque illis relinquat. ibidem.

Illegitimis naturalibus sextum bonorum patris ab intestato decedentis debetur, esto ascendentes legitimos relinquat, aut filios rescripto Principis legitimatos, aut filios adopta tos. ibid.E

Illegitimis naturalibus nepotibus aut pronepotibus, de iure communi eadem relinquere & donare potest parens ex testa mento, quæ ijs naturalibus, & eodẽ modo illi succedunt ab intestato, sed per stipitem, loco; parentũ mortuorum, si parentes filij erant naturales. Quando autem nepos est naturalis ex filio legitimo, aliam esse superstitẽ, successio nem non impedit, quin potius is nepos eodem modo succe dit tali auiæ 650.B

Illegitimi ascẽdentes eodẽ modo succedũt descẽdentib. natura libus ex testamento, & ab intestato, quo descẽdentes natu rales ascendentibus succedunt. ibid.C

Illegitimus naturalis de iure communi eodem modo succedit matri, etiam illustri, ac si esset legitimus filius illius. 64. C

Illegitimus naturalis de iure cõmuni cõparatione auiæ mater næ succedit perinde atq; si esset legitimus, sed per stipitem ratione matris, esto illa naturalis esset. ibid.D

Illegitimus naturalis cõparatione auiæ maternæ, & auorũpa ternorũ, si mater erat filia naturalis, de iure cõmuni solũ succedit eo modo quo explicatũ est, illegitimos naturales succedere patri, ibid.E, & seq.

Illegitimus naturalis ex matre legitima, vtriq; auo materno eodem modo succedit de iure communi, ac si esset nepos le gitimus. ibid.

Illegitimis naturalibus de iure communi eodem modo succe dunt mater, & aui materni, quo illegitimi ipsi illis succe dunt. ibid.

Illegitimus naturalis cõceptus aut natus ex patre plebeio exi stente, perinde Lusitano iure illi succedit, ac si esset legiti mus. 642.A

Illegitimus naturalis hominis, qui conceptionis & natiuita tis tẽpore erat caualcaro, Lusitano iure ab intestato in nul la portione ei succedit, ex testamẽto, si legitimos descẽden tes pater habeat, nihil potest illi relinquere, si habeat ascẽ dentes, põt de tertio illi relinquere, quod voluerit. Quod si ascendentibus etiam careat, omnia bona potest ei relin quere. ibid.B

Illegitimus naturalis in Lusitania matri, & auis maternis succedit eo modo, quo iure cõmuni: auis aũt paternis tunc succedit Lusitano iure, quãdo succedit patri, & in reliquis seruantur regulæ iuris communis. 651.C,D

Illegitimus naturalis genitus ex propria ancilla à vero plebe io succedit Lusitano iure cum legitimis, modo liber mane at tempore mortis patris. Et eodem modo succedit auis. ibidem.E

Illegitimis naturalibus filijs, aut nepotibus, si pater descendẽ tibus legitimis careat, potest relinquere omnia sua bona in Regno Castellæ, esto ascendentes habeat, quod si descẽden tes habeat, potest solum in alimenta illis relinquere quin tum suorum bonorum. 652.A

Illegitimi naturales in Castella ab intestato succedunt parẽ tibus eo modo quo de iure communi, superstitem tamẽ esse vxorem non impedit quo minus succedant in quinto bo norum patris. ibid.

Illegitimi naturales, si mater descẽdentes legitimos habeat, ei non succedunt in Regno Castellæ, neq; ex testamẽto, ne que ab intestato, tametsi fas illi sit, in vita eis donare, aut post mortem illis relinquere de suo quinto quod voluerit. Quod si descendentibus legitimis careat, perinde ei succe dunt ac si legitimi essent. ib.C

Illegitimos naturales filios leges, quæ admittunt ad hæredita tem paternam cum legitimis, damnandæ non sunt tan quam iniquæ. 653.D,E

Illegitimi spurij, hoc est, ex parentibus, inter quos tempore cõ ceptionis & natiuitatis erat impedimentum dirimẽs, succe dere non possunt patri, neq; quicquam ab eo inter vivos accipere, præter alimenta. Quod si plus accipiunt, teneu ntur in conscientia foro, nulla expectata sententia, id restit tuere hæredibus patris. Quod si hæredes intra duos menses id exigere neglegant, repetit id fiscus. Hæc ipsa locum ha bere in Castella ostenditur. 656.A,B

Illegitimum spurium non potest pater substituere vulgari, aut fideicommissaria substitutione. etiãsi eligatur ab eo, quem pater grauauit, vt, cui vellet, hæreditatem restitue ret. 657.B

Illegitimũ licet nõ possit pater substituere pupillariter in bo nis, quæ filius, cui substituitur, obtinuerit à patre, secus ta men in alijs bonis eiusdem filij. ib.C

Illegitimi spurij geniti ex coitu damnato & punibili lege hu mana, neq; ex testamento, neq; ab intestato, succedunt ma tri iure communi & Lusitano, & quis coitus talis. ibid. C, & D

Illegitimus genitus ex solutis inter quos nõ aliud est impedi mentum, quam votum simplex castitatis matrimonium non dirimens, naturalis est. 658.D

Illegitimus spurius in Lusitania, & vbi non est ius in contra rium, matri vniuersim non succedit. ibid.

Illegitimi vt succedant, aut non succedant matri in Lusita nia, & alijs similibus locis, locum non habet lex si quæ il lustris. 689.C,D,E

Illegitimus conceptus sine peccato matris, quia oppressa fuit, aut ignorauit non esse suum coniugem, succedit matri ac si esset legitimus. 690.A

Illegitimus ex clerico religioso aut moniali, professis in Castel la, nec patri, nec matri, nec consanguineis patris succe dit, neq; aliud potest ab eis obtinere, quam alimenta. Vn de neq; pupillariter potest substitui, in bonis, quæ is, cui substituitur, non habuerit à patre. ib.B

Illegitimus conceptus ex ea copula, pro qua matri pœna capi tis est statuta, vt ex adulterio, nõ succedit in Castella ma tri, poterit tamen mater de quinta suorum bonorum re linquere

inquere ei, quæ voluerit. ibid.

Illegitimi reliqui ſpurij, ſi mater deſcẽdentibus careat perinde in Caſtella ei ſuccedũt, ac ſi eſſent legitimi. Quod ſi deſcẽdentes habeat, ſolũ poteſt eis relinquere de quinto ſuorũ bonorum. 690.B

Illegitimũ nepotẽ filium naturalem, aut legitimum filij ſui ſpurij (qui tamẽ ex incæſtis nuptijs non eſt genitus) poteſt auus inſtituere hæredẽ, deficiente prole ipſius legitima: vſusfructus tamen tunc eorum bonorum non pertinebit ad patrem. ibid.C

Illegitimi ſpurij filij, aut filiæ, patri an liceat inſtituere hæredẽ alterum cum eis contrahentem, vel ſocerũ, aut ſocrum eorum. 691.A,B

Illegitimos ſpurios poſſunt alij ab aſcendẽtibus inſtituere hæredes. Excipiũtur in Regno Caſtellæ filij clericorũ aut religioſorum, & monialium, qui nulli conſanguineo poſſunt ſuccedere. ibid.C

Illegitimis ſpurijs ij aſcẽdentes ſuccedere nõ poſſunt, quibus tales illegitimi ſuccedere nequeunt. 660.E

Illegitimi ſpurij fratres, vterini ſint, ſibi mutuo ſuccedunt ab inteſtato, idẽq; eſt de aliis cõſanguineis ex patre matris cõparatione filij illius ſpurij, qui illi fuerint proximiores in gradu. 66 .A

Illegitimi ſpurij fratres non vterini, id eſt, ex diuerſis matribus, & eodem patre, neq; ſibi mutuo ſuccedunt ab inteſtato, neq; aliis conſanguineis ex parte patris, idq; eſto reſcripto Principis ſint legitimati niſi in eo exprimatur, eſſe etiam ad eum effectum. Ex teſtamento autem ſibi inuicem poſſunt ſuccedere. Idem intelligendum eſt de aliis naturalibus. ibid.

Illegitimus naturalis ſi careat vterino fratre, & habeat fratrẽ vnũ legitimũ ex patre partis, is excludit cæteros illegitimos ab inteſtato de iure Caſtellæ. ibid.B

Illegitimo naturali hominis plebei æque ſuccedunt fratres ac legitimi & naturales in Luſitania. ibid.C

Illegitimis ſpuriis Cæſareo iure denegabãtur alimẽta. Quod non intelligendũ eſt de his, ſine quibus conſeruare nõ poterant vitam, ſed de aliis. 662.B

Illegitimis omnibus filiis alimenta iure canonico (cui ſtatur) debentur competentia, quando aliunde ea non habent. ibid.C

Illegitimis filiis aui in parentum defectum tenentur alimenta præſtare. 663.A

Illegitimæ ſpuriæ filiæ tradere põt parẽs, in dotẽ, quod ſatisfit ad alimenta cõpetentia talis filiæ in totã vitã. In Caſtella tamen ſi parens legitimã ſobolẽ habeat, excedere non poteſt quintum bonorum patris. 664.C

Illegitimis tã deſcendentibus, quã aſcendentibus, ſi quid conferatur præter ea quæ leges permittunt, interuenit lethale peccatum, tam dantium, quam accipientium, obnoxiumque eſt reſtitutioni danti, aut hæredibus illius. Quod ſi hæredes negligant intra tres menſes illud repetere, poteſt addicere fiſcus. 667.A,B

Illegitimo cũ ſpe ſola vt reddatur, ſi parens aliquẽ tertiũ hæredẽ aut legatarium inſtituat, nulla impoſita obligatione aut grauamine, validum eſt, id etiam ſi pater ſpẽ ſuam ſignificet, vt hæres aut legatarius eã intelligat. Tunc vero illi nihil tenetur tradere illegitimo, ſi autem tradat, valide ac licite id efficit. ibid.D

Illegitimi ſpurij parens ſi quẽquam inſtituat hæredem, eumque grauet, vt hæreditatem illegitimo reſtituat, ſi is, neque in ſecreto, neque in publico ad id ſe aſtringat, valida eſt inſtitutio, nihilq; reſtituere tenetur illegitimo. 668.A

Illegitimo ſpurio ſi reſtituere hæreditatem publice, vel ſecreto promiſit inſtitutus ab illius parente, præter peccatum illius parentis & ſpurii, ſi illam recipiat, amittit eam ſiſco eccleſiaſtico, ſi hæres inſtitutus erat clericus, alioquin ſeculari. Niſi vero hæres id manifeſtet, amittit omnia ſua bona, & deportatur. Et quod præmium propoſitum ſit ipſi ſpurio, & illi tertio, ſi id manifeſtent. ibid.C

Illegitimo ſpurio, qui hæres inſtitutus reſtituere promiſit hæreditatem retinere ſibi licite eam poteſt ante latam ſentẽtiam, qua fiſco adiudicetur. 669.D

Illegitimo ſpurio qui ita reſtituere hæreditatem ſpopondit, interrogatus à iudice an id promiſerit, confiteri non tenetur, niſi aduerſus eum ſit ſemiplena probatio. 670.C

Illegitimo ſpurio qui ita promiſit reſtituere hæreditatem, ſi illam, aut partem illius ex ſua liberalitate illi reſtituat, & nõ quaſi illi debitam ex promiſſione, comparat ſpurius dominium illius, licitẽq; illam retinet ante latam ſententiam. ib.D, E

Illegitimus ſpurius ſi ea bona accepiſſet tradita ſibi inuoluntarie mixte ab hærede, ex ignorantia credente illa in conſcientia ei deberi, tenetur ante latam ſententiã reſtituere illa hæredi. Poteſt etiam iure ſuo vti, remq; detegere, & in præmium accipere licite dimidium. ib. & ſeq.

Illegitimis duobus filiis ſpuriis diuerſorum parentũ, ſi parentes mutuo dent, vnus filio alterius ex pacto inter eos, inuadium id eſt & reſtitutioni obnoxium ante latam ſententiam danti, aut hæredibus proprij parentis, ſi æquale fuit vtrinque datum. 671.A,B

Illegitimi ſpurij, ſi legitimati ſint ab eo qui poteſtatem habet ad id excipere à parente poſſunt, quantũ legitimatio permittit. Quin inſtitutus ante legitimationẽ obtineat, validam inſtitutionem antea factam reddit. ibid.D

Illegitimi inſtitutio ſub conditione, ſi à principe legitimetur, valet legitimatione poſt patris mortem obtenta. Debet tamen continuo poſt mortem patris peti, & ſi petita ſemel denegetur, inualida redditur inſtitutio. ibid.E

Illegitimi, qui naturales non ſunt, parentibus non ſuccedunt in nobilitate, & in iis quæ cum nobilitate coniuncta ſunt. 672.A

Illegitimi naturales in Caſtella ſucceſſores ſũt nobilitatis parentum, quam hidalguia vocant, eorumq; quæ cũ nobilitate ſunt coniuncta. ibid.B

Illegitimi pares ſunt cum legitimis quoad ea, quæ ad ius ſanguinis, & ad paternam pietatem ſpectant: vnde parricidæ ſunt, ſi patrem interficiãt, & reſtificari nõ poſſunt in cauſis parentum, quando legitimi nõ poſſunt, & inhabilitatem ex crimine patris reportant, ſicut legitimi, & quæ ſolemnitas in teſtamento patris ſufficit inter legitimos, ſufficit inter illos. ib.C,D

Illegitimus natus ſpurius propter impedimentũ dirimẽs matrimoniũ, quod cõceptionis, & natiuitatis tempore erat, & à parentibus ignorabatur, ſi poſtea ſublato impedimento contrahant, non legitimatur. 676.E

Illegitimus naturalis non legitimatur per ſubſequens matrimonium ignoranter cum impedimento dirimente contractum. 677.C,D

Illegitimi vt minores ordines ſuſcipiant, & beneficia, quæ neque curam habent animarum, neq; perſonatus ſunt, obtineant, diſpenſant epiſcopi. 682.B

Illegitimus, etiam ſpurius, per ingreſſum religionis profeſſione emiſſa manet diſpenſatus ad ordines ſacros ſuſcipiendos, non vero vt prælatus fiat. 690.A

Illegitimus quãdo ex ſola iuris diſpoſitione excluditur à feudo, aut maioratu, ſi legitimetur à principe ad eũ effectum ſuccedit in feudo, aut maioratu: ſecus ſi non exprimatur legitimari ad eum effectum. 693.D

Illegitimi portiones, in quibus iuris præſcripto ſuccedunt ſuis aſcendentibus, trãsmittunt iure ſanguinis ad ſuos deſcendentes. 753.C

Illegitimus inſtitutus in bonis, quæ fas ſit ab aſcendentibus ei relinqui, ſi grauetur alteri per ſuã mortem reſtituere intelligitur, ſi ſine liberis deceſſerit. 806.B

Illegitimus naturalis filius an ſit etiam intelligendus in tacita cõditione deſcendentis hæredis grauati aliquid poſt mortem ſuam inſtituere, coniecturis ex circumſtantiis concurrenti-

rentibus est iudicandum. ibid.D,E

Illegitimam filiam spuriam non tenetur pater dotare, licet possit, si velit, id efficere: tenetur tamen alimenta ei præbere. 974.E

Illegitimus filius, etiamsi naturalis sit filius familias non est, nisi legitimetur, nec sufficit dispensatio. 987.A

Illegitimi conferunt, quando legitimæ eis debentur. 1031.B

Vide Alimenta, & legitimatio.

Imago.

Imago Dei est in homine, quatenus libero arbitrio est præditus. 92.E

Immobilis res.

Immobiles, & mobiles res quæ, & ex iuribus & actionibus quæ cum immobilibus, & quæ cum mobilibus computentur. 289.C

Imperator, & imperium.

Imperatoria dignitas ad regiam reducitur, & de illius origine. 120.E, & seq.

Imperatores Romani postquam fidem susceperunt, patroni ac defensores fuerunt Ecclesiæ. 121.B

Imperatoris electores qui, & quando constituti sunt. 122.A

Imperatoris electi examen approbatio, confirmatio, & coronatio aurea corona ad Summum Pontificem spectat. ib.B

Imperator coronis tribus, vbi, & à quo singulis coronetur. ibidem.

Imperatoris institutio quo fine, & ad quæ imperator tenetur. ibid.

Imperator non est dominus orbis. 151.D

Imperium Romanum à Græcis ad Gallos quando translatum. 121.B

Imperium ad Germanos quando translatum. ibid.E

Imperia quatuor de quibus Daniel. Romanum inter ea florentissimum & potentissimum. 122.C

Imperia illa quatuor iuste ne fuerint comparata. ibid.D

Impensa funeris.

Impensa funeris creditoribus, & ari alieno præfertur, nefasq; est creditoribus ob debita sepulturam impedire. Et in conscientiæ foro quantum de impensa sit detrahendum quã bona creditoribus non sufficiunt. 1022.D,E

Impensa funeris in Castella, si defunctus descendentes habeat, etiamsi alterum coniugem superstitem relinquat, extrahitur de solo quinto defuncti: alioquin de toto accruo. 1023.D

Impossibilis.

Impossibilis conditio. Vide conditio.

Impossibilis modus. Vide modus.

Impubes.

Impubes, etiamsi miles sit, ante quatuordecimum, aut duodecimum annum expletum testari non potest, etiamad pias causas: dies tamen vltimus inceptus habetur pro expleto. Neq; malitia ad testandi effectum supplet ætatem Princepsque dispensare cum eo potest vt testetur. 503.C

Incorporalia.

Incorporalia quæ in iure dicantur. 31.D

Incorporalium quando ius ad rem, & quando ius in re comparatur. 32.B

Incorporalis rei ad hæreditatẽ pertinentis, aut legatæ in singulari comparant hæredes, & legatarius ius in re statim adita hæreditate. 33.C

Infans.

Infans quis, & quis infantiæ proximus. 977.B

Infidelis.

Infideles dominia, legitimosque reges habere possunt. 129.B

Infidelibus, qui baptismum non susceperunt, inferri non potest bellum eo titulo, quod infideles sint, fidemve suscipere non velint. 429.E

Iniuria.

Iniuria vt non nisi à volente saltem imputatiue sit, ita nõ nisi nolens dicitur eam pati. 20.B

Iniuriam vt quis patiatur, satis est, si inuoluntarie mixte iniustum patiatur. 21.E

Iniuria vt inferatur nullo eam patiente. ib.

Iniuria culpa lethalis ex suo genere. 22.B

Iniuriæ mensura, ius. 28.A

Iniuria non fit rebus arbitrio non præditis, fieri tamen in eis iniuria poterit dominis earum. 29.A,37.D

Iniuria sola libero arbitrio prædita capacia, quæ in animalibus, & alijs suis rebus iniuriam pati possunt. 37.C

Iniustitia, & iniustum.

Iniustitia duplex, late sumpta, & presse. 19.C

Iniustitia late in omni peccato cernitur. ib.D

Iniustitia culpa lethalis ex suo genere. 22.B

Iniustum faciens quando non sit iniustus. 20.A,B

Iniustum faciens semper est iniustus, quando omnino à culpa circunstantia aliqua non excusatur. ib.

Iniustum, & iniuriam pati, interdum differunt. 21.A,B

Innocens.

Innocentem bello iusto per se, & ex intentione interficere, nefas est. 464.C

Innocentes fas est per accidens interficere bello iusto, etiam scienter. 465.D

Inquisitores.

Inquisitores hæreticæ prauitatis sub pœna excommunicationis, à qua absolui non possunt, restituere præcipiuntur, si quæ prætextu effici inquisitionis extorserunt, aut si quæ bona Ecclesiarum ob clericorum delictum fisco addixerunt. 350.C

Irregularitas.

Irregularitatem ex periculosa venatione, morte subsecuta, quando Ecclesiasticus incurrat. 222.B

Irregularitas, siue pro culpa, siue sine culpa imponatur eo ipso incurritur, quo id adest, pro quo est imposita, nulla expectata sententia. 400.D

Irregularitatem non incurreret clericus interficiendo in bello, quando à Summo Pontifice concessum illi esset pugnare. 424.E

Irregularitatẽ non incurrit clericus belli iustum suadendo, & ad illud inducendo, aut quando præpositus est Ecclesiæ, vocando principem secularem, qui bello illam ab hostibus defendat, esto mortes sequantur. 435.C

Irregularitatem non incurrit clericus, qui dominus est temporalis Reipublicæ alicuius, bellum iustum indicendo, & ducem constituẽdo, qui loco sui illud exequatur, esto mortes sequantur. ib.D

Irregularitatem incurrit Ecclesiasticus, qui dux est belli, aut præpositus ijs, qui torméta bellica applicãt, aut intendũt, si mors aut mutilatio inde sequantur. ib.E

Irregularitatẽ non incurrit Ecclesiasticus, qui in conflictu belli aduersus hostes in genere adhortatur ad fortiter agendũ, & non succumbendum. 436.A

Irregularitatem incurrit, qui occidit, aut mutilat, quãdo vitare potest occisionem, etiam cum iactura proprij honoris, famæ, aut bonorum temporalium. Item quando occiditin defensionem alterius, quando sub lethali culpa non tenetur occidere. 440.A

Irregularitatem incurrit, qui occidit, aut mutilat, quãdo ad id ex eo sub culpa lethali tenetur, quod ipse sua sponte se subiecit muneri ex quo ad id tenetur, vt occidit iudex. Itemque qui sua culpa in eas se redegit angustias, vt ad euadendam propriam mortem, aut patris, necesse illi fuerit alterum interficere. 440.B

Irregularitatem non incurrit, qui interficit, aut mutilat, aut morti vel mutilationi alium subijcit, denuntiãdo, aut alia ratione, quando ad id tenetur sub culpa lethali, nonob munus, cui se subiecerit, neq; ob suam culpam in eas redigens angustias. Neque in his euentibus necessaria est protestatio. ib.C

Irregulares sunt omnes bello iniusto pugnantes & consilium aut au-

aut auxilium prabentes, quales sunt regulariter omnes de exercitu, secuta morte alicuius, aut mutilatione. 442. B,C

Irregularitatem non incurrunt clerici in bello iusto illicite pugnantes, esto ipsi in genere alios adhortentur ad pugnã, & ad non succumbendum, & esto ipsi aliquos vulnerent, modo tamen neminem ipsi interficiant aut mutilent, & esto exercitus plurimos interficiat. Idem lõge maiori cum ratione est de laicis exercitus, qui per seipsos nullũ interficiunt aut mutilant. ibid.D

Irregularitatem non incurrunt clerici de consensu Sũmi Pontificis pugnantes, esto multos interficiant, secus de laicis in eodem exercitu pugnantibus. ib.E, & seq.

Irritare.

Irrita reddere potest ex rationabili causa pacta, contractus, promissiones, & renunciationes iuramento confirmata, non solum Ecclesiastica, sed etiam laica potestas. 583.C

Irrita cur reddere possit tutor vota personalia impuberis: non vero curator personalia vota puberis. 950.A,B

Insinuatio.

Insinuatio testamenti, quando testator erat laicus, fieri debet coram iudice seculari, & non coram iudice Ecclesiastico, esto hæres, & executor Ecclesiastici sint: contra fieri debet, si testator erat Ecclesiasticus: & promiscue coram vtroq;, si testator erat laicus, & testamentum ad pias causas. 1079.A,B

Institutio.

Institutio, & institutus. Vide hæres.

Insula.

Insulæ repertæ in mari desertæ iure gentium fiunt primo occupantis. 245.B

Interdictum.

Interdicti tempore licet præscribi possit, vt celebretur pulsatis campanis, & alta voce: renouari tamen ea consuetudo, vtpote contra nerium disciplinæ Ecclesiasticæ, potest. 321. B

Interficere.

Interficiens seipsum, licet sibi non faciat iniuriam, sed solum peccet contra caritatem, & alias virtutes. Reipublicæ tamen, & Deo iniuriam facit. 21.C

Interficere malefactores possent capita familiarũ, si in communitatem maiorem non conuenirent, potestatem ve superiorem non haberent: secus vero de priuatis hominibus. 115.C

Interficere malefactores iure naturali prohibitum est priuatis, concessum vero Reipublicæ. ib.D

Interficiendus iniuste quousque licitè in seruum emi possit. 164.D

Interficiendus iuste ab infidelibus potest licite in seruum emi. ibid.C

Interfector hæreditatem interfecti fisco amittit, adeoque, vt neq; mediate in bonis, quæ iure hæreditario fuerunt illius, succedere possit. Excipitur, nisi interfectus illi pepercit. Et cuin tempus haberet ad mutandum testamentum, illud non mutauit. 741.E.742.A

Interfecti hæres tenetur interfectores accusare, alioquin hæreditatem fisco amittit. Excipitur filius interfectoris, & etiam interfectoris pater. Et intra quantũ tempus debeat in tẽtari accusatio. Et quãdo ante aditam hæreditatem, & num hoc vltimum hodie vim habeat. 742.E

Interfectori quod hæres post accusationem intentatam parcat, non est in causa quod hæreditas ad fiscum pertineat. 744.E

Interruptio.

Interrumpitur naturaliter præscriptio, si desinat possessio ciuilis, aut bona fides. Et ea, quæ requirit titulũ, interrumpitur etiam, si titulus deficiat. 316.C,D

Intestatus.

Intestatus quis discedere dicatur, & vide ab intestato. 316.C

Intrusus.

Intrusus in beneficium Ecclesiasticum quis.

Inuenta & inuentor.

Inuenta, quorum non reperitur dominus, deputata in Lusitania non sunt redemptioni captiuorum, vt quidam redemptionis ministri contendunt. 240.E, & seq.

Inuentori accipitrum, & mancipiorum fugitiuorũ quæ præmia proposita in Lusitania. 342.C

Inuentori si quid sit propositum, aut promissum pro re inuenta, soluendum illi est: & quo titulo licite accipiatur: secus si solum ad vexationem redimendã, quia alter non vult id tradere. Quod vero datur, regulariter est censendũ dari ex gratitudine, liberalitate, & gaudio recuperatæ rei amissæ. Semper vero tenetur dominus soluere, si quid industriæ laboris, aut alterius rei pretio æstimabilis, ab inuentore appositum sit. ib.D,E

Inuentarium.

Inuentarij beneficio posthabito si hæres hæreditatem adeat, tenetur creditoribus defuncti, vltra vires hæreditatis. 920.D

Inuentarium vitè conficiens hæres, & prorogationem ad deliberandum non petens, octo commoda reportat. ibidem & seq.

Inuentarium licet confecerit hæres, si scibat vires hæreditatis non sufficere omnibus creditoribus & soluit integre primo accedentibus, aut præposuit, quos postponere debebat, tenetur alijs de damno, & quid in dubio. Idem de legatarijs. 921.B

Inuentarium non cõficiens iuxta legum præscriptum, & hæreditatem adiens, tenetur creditoribus & legatarijs vltra vires hæreditatis, nullog; priuilegio gaudet inuentarium conficientis. 928.C

Inuentarium licet non conficiãt ij vniuersales successores, qui hæredes non sunt, non tenentur creditoribus, & legatarijs vltra vires bonorum defuncti, & qui tales sint. 930.C

Inuentarium non conficiens Ecclesia, aut pia alia causa hæres instituta, creditoribus & legatarijs tenetur vltra vires hæreditatis. ibid.

Inuentariũ non conficiens hæres non tenetur legatarijs vltra vires hæreditatis ante latã sententiam, neq; post eam latã tenetur in foro conscientiæ si sine culpa inuẽtarium fit omissum: quod si id in exteriori foro constet, ferri non potest sententia. 931.E, & 944.A

Inuentariũ non conficiens hæres, aut tempus ad deliberandũ petens, in exteriori foro tenetur creditoribus vltra vires hæreditatis. 932.E, & seq.

Inuentario forma adhibenda. 935.B

Inuentariũ incipi debet intra triginta dies à scientia delatæ hæreditatis, modo hæres impeditus non sit, & quid de iure Lusitano. ibid.C

Inuentariũ esto non incipiatur intra triginta dies à scientiæ delatæ hæreditatis, valdum est, si absoluatur intra tempus à lege datum. 936.B

Inuentarium intra quantum tempus absoluendum, & quid iure Lusitano. ib.D

Inuentario conficiendo citari debẽt creditores & legatarij, & quo pacto, & quid in Lusitania. 937.E

Inuentario conficiendo adesse debet notarius, aut tabellio, & quando duo necessarij, & quid in Lusitania. ibid.

Inuentarium non vitiat omissio leuis solemnitatis, etiã præscriptæ in forma. 939.B,C

Inuentario quæ scribi debeant. ib.D

Inuentario si quid non sit scriptum, eo quod celatum sit, aut vsurpatum, in quam pœnam incidat de iure communi & Lusitano id faciens, & ad quid teneantur qui similia celauerint. 940.A

Inuẽtario si quid sit per errorem appositum, an audiatur qui id apposuit. 943.D,E

Inuentario subscribere debet hæres, aut alius tabellio loco illi-

su, vel procurator hæredis, quãdoper procuratorẽ confectũ est inuentarium, & quousq; hæc in Castella & Lusitania consuetudine derogata sint. 944.B

Inuentariũ, quando sunt multi hæredes, omnes tenẽtur conficere, aut committere vni aut pluribus ipsorum, vt illud conficiant. 944.D

Inuentarium non potest testator remittere hæredibus comparatione creditorum: quin potius tenebuntur illis vltra vires hæreditatis: comparatione vero legatariorum, & fidei commissariorum, potest illud remittere neq; ad legata tenebuntur vltra vires hæreditatis, & detrahent falcidiam & Trebellianicam. ib.E, & 945.A

Inuentariũ tenetur conficere hæres cõparatione fideicommissarij vniuersalis: si fideicommissarius id petat, pœnæ tamẽ si illud non conficiat, locum non habent: si tamen acceden te iudicis præcepto illud omittat, iurabit fideicommissarius aduersus eum in litem. ib.B,C

Inuentarium non conficiens hæres grauatus detrahit nihilominus Trebellianicam. 944.C

Inuentariũ remittere potest testator successori primo in maiorata comparatione posterioris, eaq; de illo quoad inuentarium dicenda sunt, quia de hærede grauato comparatione fideicommissarij. ib.E

Inuentarium eo modo, & sub eisdem pœnis & damnis tenetur conficere fideicommissarius cõparatione creditorum; & legatariorum, quo suus antecessor, quando is illud non confecit. ib.

Inuentarium si non faciat vsufructuarius non legalis, in nullas inducit pœnas: illud tamen tenetur requisitus efficere, quod si a iudice facere iussus non fecerit, iuratur aduersus eum in litem, & in pœnas, quas ei iudex statuerit, incidit. 945.C

Inuentarij confectio an remitti à testatore possit, superuacanea quæsito. ib.D

Inuentarium licet pater vsufructuarius facere nõ teneatur, quando tamen tempore traditionis nõ constaret, quæ bona essent aduentitia filij, in foro conscientiæ tenetur facere descriptionem eorum, & ad id in exteriori foro posset cogi. Et quid de iure Lusitano. 946.D

Inuentarium rerum Ecclesiasticarum præcipiũtur in Castella regno facere prælati & abbates, & an iure communi ad id teneantur. 947.B

Inuentariũ omnium bonorũ facere tenentur tutores & curatores coram tabellione, num coram iudice, præsertim in Castella & Lusitania. 965 D,E, & seq.

Inuentarium remittere potest testator tutori, & curatori, tametsi non circa minoris legitimam; non obstante etiam tali remissione, potest iudex præcipere, vt circa alia ităẽ bona fiat. 966.B,C

Inuentarium nisi tutoribus, & curatoribus sit remissum, nihil agere possunt ante illud confectum, nisi vrgeat necessitas, & quæ pericula eis immineãt, si ante illud confectum aliqua agant. ib.D

Inuentario quæ à tutore & curatore scribẽda sint. Siquid aũt tanquam minoris fuerit scriptum præsumptio est iuris & de iure ad minorem pertinere: neque admittitur probatio in contrarium: secus si extra inuentarium scribatur, aut dicatur. 967.B,C

Inuestitura.

Inuestitura feudi quid. 63.C

Inuoluntarium.

Inuolũtariũ mixte quousque dispositionem vltimam vitiet, cum onere restituendi illi, in cuius detrimentum id cedit. 502.C,E

Iudæus.

Iudæis matrimonium cũ muliere de alia tribu quousq; erat prohibitum. 134.A

Iudex, & iudicium.

Iudex ex commutatiua iustitia tenetur, dicitq; ius. 25.C

Iudicio neq; actiue, neq; passiue admittitur minor sine curatore, saltẽ ad eã causam, nisi causa sit spiritualis, aut spirituali annexa. Et impuberi post septenniũ in his causis, quis curatorem tradat. 949.C,D

Iudicio contendere non possunt pater & filius, qui in ipsius est potestate, nisi de castrensi, aut quasi castrensi peculio, & in paucis aliis. 994.D

Iudicio non potest agere filius etiam illegitimus, cum ascendente aliquo nisi petita prius, & obtenta facultate à iudice. Excipe iudicia spiritualia, & spiritualibus annexa. 995.B

Iudicio quatenus filiusfamilias cõcedere nõ possit sine consensu patris, neque alius cum ipso. ib.D

Iudex. Vide accipere.

Iuramentum.

Iuramentum vires tribuit alienationi fundi dotalis. 579.E

Iuramento firmatur contractus & alienatio minoris. 580.B

Iuramentum vires tribuit remissioni legitimæ, aut partis illius. ib.C

Iuramentum, etiamsi vi, metu, aut dolo sit extortũ, seruandum est, quando alioquin firmat contractum: potest tamen peti tunc & concedi relaxatio illius. ibidem. D,E, & 581.A

Iuramentũ homini sine vi, metu, aut dolo præstitũ, relaxari non potest per prælatũ, nisi commune bonum contrarium postulet. ib.

Iuramentũ relaxari potest per superiorẽ quando in illo est potestas ad illud remittendũ, quæ est in eo cui est præstitum. Ea ratione Sũmus Põtifex relaxat iuramentũ, vt qui gradum inferiorem in vna vniuersitate sumpsit, sumat in alia superiorem. ib.B

Iuramentũ quando dispositioni alioquin nullæ vires tribuat & quando non. ib.C

Iuramenti obligatio remitti potest, tum ab eo, cui est factum tum etiam ex rationabili causa à prælato eius, cui est factum. ib.D

Iuramentũ de re indifferenti Deo factũ, est nullũ: secus de eo, quod sit homini. ib.E

Iuramentũ de re meliori Deo factum, est votũ iuramento firmatum. 182.A

Iuramentũ Deo factũ, si maius bonũ impediat, est nullũ, secus de iuramento homini facto. ib.

Iuramentũ Deo factũ relaxare pertinet ad solas Ecclesiasticas potestates: factũ vero homini pertinet, tum ad ipsummet, tũ ad superiorẽ illius, tũ Ecclesiasticũ, quã laicũ, ex causa rationabili. ib.B

Iuramentum relaxare homini præstitum, ad superiorẽ eius, cui est præstitum, spectat. non vero eius, qui id præstitit. Quare relaxare iuramentum infideli præstitum à Christiano, non ad prælatos, sed ad superiorem infidelis attinet. 583.C

Iuramentum potest irritũ reddere, non solũ potestas Ecclesiastica, sed etiam laica, irrita ipsoi ure ex rationabili causa reddendo pacta & promissiones iuramẽto cõfirmata, quasi alioquin valida essent. ib. & D

Iuramentum apponi nõ põt pactis in Castella, nisi talia sint, quæ seclusoiuramento vim nõ haberent, aut nisi sint cõductionum reddituum Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum, vel sint cõpromissa, contractus dotis, aut arrharum, aut perpetuæ vẽditiones, donationes, & alienationes. Quod si apponantur, irrita sunt talia pacta. 584.B,C

Iuramentum in Lusitania nulli omnino pacto potest apponi sine facultate Regis, alioqui est irritum pactum, & iuramentum. ib.D

Iuramenti relaxatio, vt res iudicio examinetur, etiam à laicis pote-

cij potestatibus concedi potest. ib.E
Iuramenti materiam esse licitam, an non, vnde expendendum. 585.A
Iuramẽti promissorij duplex obligatio iuramẽto propria. Altera, cõmunis iuramẽto omni de re non illicita. Altera propria iuramento merè spontaneo, in quò iniustitia non interuenit ex parte eius, cui adimpletur. 586.B
Iuramenti obligatio communis omni iuramento de re non illicita, est personalis, neque transit ad hæredes iurantis. alia vero transit ad hæredes, sine periurij tamen periculo. 587.A
Iuramenti obligatio prima actionem non parit: secunda vero parit, etiam hæredibus eius cui est præstitum, & aduersus hæredes iurantis. ib.B
Iuramenti relaxatio seu absolutio ad effectum agendi quid. ibid.D
Iuramenti relaxatio ad effectum agendi est nulla, quando obtinenti constat aduersarium licite petere, quod sub iuramento sibi est promissum, periuriusque est, qui ex illa agit. ib.
Iuramentũ reuiuiscere nõ facit obligationẽ pacti, aut promissionis alioquin irritæ, sed ex iuramẽto oritur obligatio duplex iuramento propria. ib.E
Iuramẽto illud non reuocãdi firmatũ testamentũ de re nõ illicita absque periurio reuocari non potest. 591.C
Iuramentum promissorium, vt iudicetur an obliget, ad quid attendendum. 592.E
Iuramento duobus modis potest confirmari testamentum. Vno, non impedit reuocationem: altero, impedit. 593.E, & 594.A
Iuramento confirmata pœna, si testamẽtum reuocauerit, aut sponsalibus non steterit, debetur non stando promissis. 595.A
Iuramento illud non reuocandi confirmatum testamentum, si reuocetur non solum testator est periurus: sed etiam hæredes alij tenentur in conscientiæ, & exteriori foro illud implere, quatenus iuramento erat confirmatum. 596. B
Iuramẽto illud non reuocãdi confirmatum testamẽtum censetur habere clausulã derogatoriã sequentium testamentorum. 603.D,E
Iuramẽto cõfirmata statuta, reuocata non cẽsentur generali statutorum in contrarium derogatione. ib.
Iuramẽto cõfirmatum posteriùs testamẽtũ, derogat quodcũq; prius, nisi iuramẽto promissorio illud non reuocandi esset confirmatum. 606.B
Iuramento si quis hæreditati paternæ renunciasset, quando valida est talis renunciatio, dicere non potest testamẽtum nullum in quo à patre esset præteritus, aut exhæredatus. 715.B
Iuramẽtum in litẽ quid: cõcedituṙ, aduersus hæredẽ, qui postulato tempore ad deliberandum, nec inuẽtario confecto hæreditatem repudiat. 928.C
Iurent quæ tutor & curator, quando munus suscipiunt. 965. B

Iurisdictio.

Iurisdictionem temporalem, licet habere possint Ecclesiastici, esse non debet maior, quam oportet, & per alios est exercendã. 141.A
Iurisdictionẽ reipublicæ in Castella, & Lusitania regnis tota est in rege, & ab eo in alios deriuatur. 507.D
Iurisdictio gradus primi meri aut mixti imperij concessa non censetur, nisi expressè concedatur, esto apponatur clausula, quã omne merum, & mixtum imperium concedi dicatur: intelligitur enim de solis cæteris gradibus. Et quæ ad primum gradum meri & mixti imperij pertineant. 308. B
Iurisdictio in Lusitania, etiam tempore de cuius initio non extat memoria, non præscribitur aduersus regem, nisi adsit titulus, aut sententia, quæ in rem trãsierit iudicatam. 309 D
Iurisdictio. Vide potestas.

Ius.

Iuris variæ significationes. 6.D
Ius pro iusto accipitur, & pro legibus, & arte iusti. ib.E
Ius à iustitia dictum. 7.B,C
Ius in qua significatione iustitiæ obiectum. ib.
Ius pro facultate. ib.D
Ius dicere est sententiam proferre. ib.
Iuris pro iusto late, & presse sumpto, & supto pro lege, eadem diuisiones. 8.E, & seq.
Ius diuinum naturale quoddam, aliud positiuum. 9.B
Ius naturale quod, & quomodo latum, atq; inditum. 10.C
Iuris diuisio. 8.E, & 9.C
Ius canonicum late, & presse quid. 9.D
Ius ciuile late, & presse quid. ib.A
Iuris naturalis & positiui discrimen. 10.D
Ius positiuum quod. ib.E
Iuris naturalis, an positiui aliquid sit; vnde dignoscendum. 11.A
Ius naturale, quo pacto natura ipsa nos doceat. ib.B
Iuris naturalis quædã possunt interdum mutari, & non esse iuris naturalis, non facta variatione in lege naturali, sed aduentu cũ cumstantia ex parte obiecti, ob quam definat leges comprehendi. ib.C
Iuris positiui res variari possunt, facta etiam mutatione in lege positiua. ib.D
Ius positiuum qua ratione efficere possit, vt aliquid non sit de iure naturali, quod secluſa lege positiua esset de iure naturali. 12.B
Iure naturali ante rerũ diuisionem fuisse omnia communia, in quo sensu verum. ib.C
Iure naturali nascituros omnes liberos, in quo sensu verum. 13.A
Ius ciuile presse, addendo, aut detrahendo iuri naturali ac gentium vt fiat. ib.C,D
Ius diuinum positiuum quod. 14.A
Ius humanum quod. ib.
Iuris humanis erant Apostolorum præcepta, quæ quatenus præstores Ecclesiæ ferebant. ib.C
Ius gentium quod. ib.
Ius gentium dispensationem vt patiatur. ib.D
Ius ciuile quod. ib.E
Iuris diuisio à iuriscõsultis tradita explicatur, & conciliatur cum legitima iuris diuisione. 15.B
Ius seu iustum inter inferiores, & superiores quod. 17.E
Iuris definitio. 27.E
Ius iniuriæ mensura. 28.A
Ius habitudo est ad id, ad quod est facultas. 29.C
Ius habere ad aliquid & pati iniuriã non opponuntur, quin potiùs hoc secundum supponit illud primum. Facere vero iniuriam iustitiæ opponitur. ib. & D
Iuris in re definitio. 30.A
Iuris ad rem definitio. ib.
Ius ad possidendã rem, cuius dominium retinet, & amisit possessionem, est ius in re. ib.
Ius res est incorporalis, licet sit ad rem corpoream. ib D
Ius in re cõparatur beneficij Ecclesiastici sola collatione & acceptatione ante traditionem. 33.B
Ius in re rei corporalis ad hæreditatem attinentis, aut legatæ in singulari, comparant hæredes & legatarius, statim adita hæreditate. ib.C
Ius in re pignoris, & hypothecæ sine traditione comparatur. ibid.D
Ius omne ad rẽ est censendũ duntaxat, quãdo ex aliquo iure, aut capite non constat esse ius in re. 34.A
Ius in re cõparat fiscus à die cõmissi delicti bonorum ipso iure ei addictorum. ib.B

Iuri in re respondet realis actio, iuri vero ad rem personalis. ibid.C

Ius non est essentiale dominio, sed naturam dominij consequitur. 36.E

In rebus intellectu minime praeditis non conuenit. 37.D

Iuris ac dominij titulus quid. 43.D

Ius fruendi ad quae se extendat. 49.D

Ius aliquod esse in re pendet multum à iure positiuo. 67.E

Iuris vsus tempore de cuius initio non extat memoria, possessionem, & praescriptionem siue titulo inducit, modo non constet de mala fide. 279.E, & seq & 294.A

Iuris eligendi, & similium comparatur possessio per vsum cum scientia, & patientia eius ad quem id prohibere spectat, esto non adsit titulus, modo tamen non fiat intentione vtendi iure suo, actusq; non sit talis, vt ex circumstantiis credatur pro tunc solum permissus, praescribiturq; sine titulo. 83.D

Iuris, dominij, atq; iniuriae, sola libero arbitrio praedita capacia. 92.D

Ius dominorum in mancipia quousque se extendat. 201.C

Iure gentium quae dominium non habent, sunt primo capientis. 215.D

Iura, quae cum immobilibus rebus computantur, vt beneficium, tabellionatus, cathedra, seruitutes, & alia, eodem tempore & modo praescribuntur, quo res immobiles, quando aliud peculiariter non est sancitum. 291.E, & 292.A

Iuris suffragij, aut eligendi poena ipso facto statuta, non impedit ante latã sententiam, quominus crimine commisso suffragium ferat, aut eligatur. 401.E, 401.A

Iuribus variis vt derogetur, quae clausulae adhibendae. 686.C

Iuris ad rem varij gradus. 692.E

Iuri aliorum quousque Princeps possit, aut non possit praeiudicare. 693.C

Iura sepulchrorũ quae familiaria, & quae hereditaria. 798.D, E

Iura sepulchrorũ si hereditaria sint, non transeunt ad fideicommissariũ, sed ad haeredem pertinent, neq; transeunt ad fiscum, sed pertinent ad haeredem, spoliato haerede tanquã indigno hereditate ipsa. ib.

Iura sepulchri si familiaria sint, solum pertinent ad haeredem aut fideicommissarium, vel ad vtrumq; si de familia sint. ibid.

Ius sepulchri hereditarij non ad aliũ quam ad haredẽ, transire potest: tametsi ius inferendi mortuũ in tale sepulchrũ legari & concedi alteri possit. 799.B

Ius sepulchri quid, quibus modis cõparetur, appellari etiam sepulchrum consueuit. 911.C

Ius sepulchri familiare quod, & ad quos pertineat. ib.D

Ius sepulchri hereditarium quod, & ad quos pertineat. ibidem.E

Ius sepulchri siue familiare, siue hereditarium sit, legari non potest. Quia tamen huiusmodi ius habet, legari & concedere alteri in vita potest ius inferendi mortuum in tale sepulchrum. ib.

Ius mortuum inferendi quid, differt à iure sepulchri, tanquã pars integri iuris à toto iure, & à quo concedatur. 92.A

Iura, actiones, & nomina debitorum, bonorum nomine comprehenduntur: secus si addatur mobilium, & immobilium. 865.C

Iura & actiones ad bona mobilia cum mobilibus, iura vero & actiones ad immobilia cũ immobilibus bonis cõputantur, quãdo constat nomine mobiliũ & immobilium bonorum, totum patrimonium comprehendi: alioquin tertium bonorum genus efficiunt. 866.B

Ius patronatus.

Ius patronatus quid. ib.E

Ius patronatus Ecclesiasticum ex concessione, & priuilegio est Ecclesiae. 151.E, 154.A

Ius patronatũ praescribit vnus aduersus alium patronũ cum titulo decẽ annis inter praesentes, & viginti inter absentes, & sine titulo triginta annis. 289.C

Ius patronatus praescribi nequit aduersus Ecclesiã liberam. Excipitur, nisi certum omnino non sit liberã esse, & qui praescribunt parochiani sunt: tunc enim quadraginta annis praescribitur sine titulo. 305.A

Ius patroni Ecclesiae collegiatae non se extendit ad praesentandum, & eligendũ rectorem, aut praelatum, nisi tẽpore dotationis, aut fundationis id deduxerit in pactũ, fuerit q; ei concessum, nisi consuetudine in contrariũ suffragante: & tamen praescribi potest ius ita eligendi tempore de cuius initio non extat memoria. ib.C

Ius patronatus Ecclesiasticum transit in fideicommissarium: tametsi communis opinio refragetur. 799.B, C

Iustitia.

Iustitiae variae acceptiones. 1.C

Iustitia quae, & in quo sensu communis virtus. ib.

Iustitia legalis quae, & quod eius obiectum. 3.E, & 4.A

Iustitiae legalis encomia. ib.

Iustitia qua ratione actus cuiusque virtutis dicatur. ib.D

Iustitia dicitur, tum lex, tum impletio legis. 5.D

Iustitia cur sit gratia, & charitas, qua coram Deo iusti sumus. ib.E

Iustitia originalis cur iustitia dicta. 6.A

Iustitia presse, & eius obiectum. ib.B

Iustitiae definitiones. 7.B, 8.E

Iustitiae, & aliarũ virtutum comparatione mediũ quo modo diuersimode sumatur. 7.B, 8.B

Iustitiae vt aliquid sit actus, nõ satis est si attingat mediũ, sed etiam requiritur, vt operans, sciens & propter hoc ipsum eum eliciat, in quo cum actibus aliarum virtutum conuenit. ib.B

Iustitia moralis virtus. 18.D

Iustitia in voluntate residet. ib.

Iustitia circa operationes versatur. Fortitudini etiã & temperantiae qua ratione idem conueniat. ib.E

Iustitiae & aliarum virtutum medium. ib. & 19.A

Iustitia in commutatiuã, & distributiuam diuiditur, & in quo vtraque conueniat. 22.E

Iustitiae distributiuae definitio. 24.B

Iustitia distributiua in rectoribus, ministrisque publicis residet. ib.

Iustitiae regalis & distributiuae discrimen. ib.C

Iustitiae commutatiuae definitio. ib.B

Iustitia cõmutatiua, & distributiua infimae species D. Thomae sententia. ib.E

Iustitiae cõmutatiuae actum debitũ Princeps exequitur, dum rempublicam defendit, ac ius dicit. 25.C

Iustitia vindicatiua cõmutatiuae est affinis, est tamen pars iustitiae potentialis. ib.D, E

Iustitiae actũ non semper exercet, qui iure suo actu aliquo vtitur. Qui autem alterius iuri sine legitima causa contrauenit, is iustitiam exercet. 29.D

Iustitiae & gratiae expeditiones sedis Apostolicae, quãdo datum acceptum, promissum, aut acceptatum est aliquid, vt illae obtinerentur, aut impetrarentur, sunt nullae, & quid nomine iustitiae & gratiae à sede Apostolica. 368.D, E, & 369.B

Iustus.

Iustus non est, qui lethali peccato est infectus. 5.D

Iustum, vt iustitiae obiectum, cur non sit inter patrem & filium. Tametsi plus rationis debiti sit filij ad patrem. 16.C

Iustum patris comparatione filij virtutis est obiectum pietatis filij respondens. ib.E

Iustũ iustitiae quatenus simpliciter sit inter patrẽ & filiũ, dominum & seruum, virum & vxorem. 17.D

Iustum inter inferiores & superiores quod. ib.A

Iestum non semper seruaretur, si repassum, aut cõtrapassum esset materialiter ad æqualitatem. 26.C,D

Laica potestas.

LAica potestas est ad gubernandũ fini naturali accommodate, Ecclesiastica fini supernaturali. 107.A,B

Laica potestas ecclesiastica subordinatur, ac subijcitur ratione finis. ib.C

Laicus.

Laici cũr res sacras, & ius percipiendi decimas eo modo, quo ab Ecclesiasticis percipiuntur, præscribere non possint. 270.A

Legatarius.

Legatarius accipere & retinere potest legatum testamento, aut codicillo minus solemni sibi relictum, facereque illius occultam recompensationem, si ei denegetur. 334.E

Legatarij esse non possunt de iure communi deportati, & damnati ad metalla, nisi in alimenta eis aliquid relinquatur: secus Castellæ & Lusitaniæ iure. 609.A,&B

Legatario substitui potest. 758.C

Legatarius substitutus fideicommissarius potest dari, sed locũ non habet tunc Trebellianica. ib.E

Legatarius, cui substitutus est datus, discedens ante agnitionem, seu acceptationem legati, transmittit illud ad suos hæredes, excluditurque substitutus. 767.A,B

Legatarij esse ij possunt, qui & hæredes, atq; etiã cœnobia minorum, esto hæredes esse non possint. 836.A,B

Legatarius esto incapax tempore cõditi testamenti, aut codicilli sit, si tempore mortis testatoris sit capax, validum est legatum. ib.E

Legatarius si rem sibi legatam comparet, titulo lucratiuo ante mortem testatoris ab hærede aut testatore expirat legatum. 864.A

Legatarius si rem legatam, quæ testatoris non erat, comparauit titulo oneroso à domino illius, aut ab aliquo tertio, non expirat legatum, sed petere potest æstimationem. ibidem.

Legatarius si rem testatoris pure sibi legatam, ignorans sibi esse legatã, titulo oneroso acquisiuit ab hærede, non expirat legatum, sed petit æstimationem: si autem sciens sibi esse legatam illam emat ab hærede, aut testatore, expirat legatum. ib.B

Legatarius si rem testatoris sibi legatam sub conditione, aut in diem, comparauit titulo oneroso, nõ expirat legatum, sed adueniente die, aut conditione, petere potest æstimationem. ib.

Legatarium si tacite aut expresse testator voluit prius implere modum sub quo illi legatum relinquit, quam legatum consequeretur, testatoris voluntati est standum. 889.A,B,C

Legatarijs non tenetur hæres inuentarium non conficiens vltra vires hæreditatis ante latam sententiam: nec in foro conscientiæ post eam latam, si absq; culpa fuit omissum: quod si id in exteriori foro constet, ferri non potest sententia. 932.A,&933.D,E

Vide legatum.

Legatum.

Legati rei determinatæ in singulari, adita hæreditate, censetur transisse dominium à puncto mortis testatoris: secus de possessione. 42.B

Legati indeterminati in individuo non cõparatur dominium ante traditionem. ib.C

Legatum quodcunque soluatur, competit hypothecaria actio. ib.D,E

Legatũ vxori, aut alteri, sub cõditione, si castitatẽ seruet, aut sub alia, non seruata conditione, restituendũ est, nulla expectata sententia. 402.B

Legata ac fideicommissa partes sunt testamentorum, aut codicillorum. 456.B

Legatum, aut fideicommissum validum est nutu factum, aut per remissionem ad schedulam. 483.E

Legata non pia relicta in testamento valido quia conditũ ad causam piam, valida etiam sunt, nisi solum esset facultas testandi ad pia. 498.D

Legata ad pias causas, relicta in testamento ad non pia inualido ob defectum solemnitatis, valida sunt. ibid.E,& 499.A

Legata pia, quando hæres est secularis, in Ecclesiastico & seculari foro possunt indifferenter peti. 499.E

Legata ad pias causas valida in se sũt, esto nullus præses sit testis: duo autem testes solum necessarij sunt ad probationẽ in foro exteriori. 500.A

Legata ad pias causas debentur ante aditã hæreditatem, esto hæreditas repudietur. 501.B

Legatum religioso, aut filiofamilias relictũ, acceptare possit monasteriũ, aut parens, illo ignorante aut inuito, quin & defuncto, si ante mortem illius testator obijt. 524.C

Legatũ non redditur ex eo nullũ, quod prælatus rem legatam in luctuosam accipiat. 571.C,D

Legata non pia inualida sunt, quando is solus hæres institutus, qui hæreditatis est incapax: de iure tamen Castellæ valida sunt. 611.D

Legatum alterius voluntati commissum iure Cæsareo est inualidum. 620.E,& seq.

Legatum licet relictũ in alterius voluntatẽ non valeat, valet tamen relictũ in alterius arbitrium, & quando, esto ille tertius non arbitretur, valeat. 622.A

Legatum in hæredis voluntatem relictum, non est inualidũ, & si semel hæres consentiat, efficitur omnino validum. ibid.C

Legatum relinqui potest vni ex multis determinatis, non solum quem tertius fuerit arbitratus, sed etiam quem voluerit. ib.D

Legatum ad pias causas valet, esto alterius cõmittatur voluntati. 623.C,D

Legatum sub conditione de futuro, si alius simile, aut plus relinquat, captatorium dicitur, & inualidum est: secus si sub simili conditione de præsenti, aut de præterito, fiat. 621.B

Legatũ sub conditione, quæ ab alterius pendet voluntate, atq; adeo quod solũ tacite ac virtute ab alterius pendet voluntate, validum est. ib.D,E

Legatum sub cõditione, si legatarius illud voluerit, validum est, & quanquam ea conditio insit virtute in quouis legato, quãdo tamen exprimitur, operatur, quod si legatarius moriatur, antequã legatum acceptet, non transmittit illud ad hæredes. ib.E,&622.A

Legatum si sit ad eleemosynas inter pauperes sunt faciendæ lo ci vbi testator habebat domicilium, quando testator aliud non expressit, aut loci vbi mortuus est, si commode transportari in locum domicilij non possit. Idem de aliis operibus piis. 724.A,B

Legati, si determinatũ sit in individuo, hæreditate adita cõparat legatarius iuris fictione dominiũ à morte testatoris cum facultate illud repudiandi, secutaq; repudiatione: eadem iuris fictione censetur nunquam dominiũ comparasse: eo vero semel acceptato, irreuocabile dominiũ cõparat. Aliorum autem legatorum ante traditionem dominium non comparat; sed solum habet hypothecam in omnibus hæreditariis bonis. 755.E

Legatorum quorumcunq; ante aditam hæreditatem solum comparant legatarij ius imperfectum: eo quod nisi aliquis institutorum hæreditatem adeat, nulla reddantur. Secus in Regno Castellæ, aut si legata sint pia, vel apposita sit testamento clausula codicillaris, vel hæres idcirco hæreditatem non adiuit, quia testator prohibuerat falcidiam detrahi. 756.C,D

Legatum si non erat in diem incertum, aut aliter sub conditione pendente in futurum, sed purum, & legatarius post testa-

testatorem, moriatur, transmittitur ad heredes, vel res ipsa si determinata erat in individuo, vel ius vt eis soluatur cum hypotheca in omnibus bonis hereditarijs, esto legatarius ignorauerit legatum. 757.A

Legatum in diem incertum, aut aliter sub conditione pendente in futurum, si conditio impleta erat tempore mortis legatarij transmittit illud ad ipsius heredes: si vero conditio pendebat, non transmittit: sed pertinet ad substitutum, vel collegatarium, vel ad heredes: tacita autem conditio transmissionem non impedit. ib.B,C

Legatum vsus fructus, habitationis, & vsus, non transmittitur. Fructus vero vsus fructus percepti vsque ad legatarij mortem transmittuntur. ib.D

Legata libertates, itemq; legata facta mancipiis, quæ in eode testamento manumittuntur, aut aliis legantur, non debentur ante aditam hereditatem. ib.

Legata si sint pia, non detrahitur ex eis falcidia, nisi hæres, sit etiam pia causa. 795.E, & 796.A

Legatum si relictum sit, vt apud cæteros successores permaneat, detrahi ab eo non potest falcidia. 796.B

Legatum fauore libertatis quando non censeatur conditionale. 801.D,E

Legatum descendenti cum grauamine, vt post mortem illius adueniat alteri, tacitam habet conditionem, si sine liberis decesserit. 814.C

Legati definitio. 829.C

Legatum, si testator illud ante mortem tradat, transit interdum in donationem inter vinos, interdum in donationem causa mortis. ib.E

Legatū rei indeterminatæ in singulari, & non sub cōditione, neq; ad diem soluendæ, quando quoad dominium transeat ad legatarium, & quando fructus ex ea percepti ante testatoris mortem ad eum pertineat, & num fructus pendentes tempore mortis testatoris, & percepti ante aditam hereditatem, ad eum pertineant, an vero soli pendentes ac percepti ab hereditate adita. 830.D

Legato si viuente testatore aliquid accrescat, ad legatarium pertinet, etiamsi à testatore sit factum, sicut & decrementum ipsi perit. 831.C

Legato grege, quid legatum censeatur. ib.E

Legatum ademisse censetur testator, qui rem legatam donauit, aut titulo oneroso; nulla vrgente necessitate alienauit, nisi legatarius probet, aliam fuisse testatoris voluntatem. Habentque hæc verum, etiamsi postea testator dominium eiusdem rei comparet: si vero necessitate compulsus, saltem vt familiæ prouideat, eam alienet, valet legatum, nisi hæres contrariam fuisse testatoris voluntatem probet. 832.C

Legato fundo, aut area, si in eis testator plantet vineam, aut aliud, vel domum ædificet, cedunt ea omnia legatario, sic ut si quid in re legata destruat, legatario perit. ibidem. E

Legata domo, si exuratur, aut aliter pereat, debetur legatario area, si paulatim destruatur à testatore, domus debetur, si post exustionem à testatore ædificetur, nihil debetur. 833.B,A

Legata re determinata in individuo, si pereat post mortem testatoris impleta iam conditione, si sub conditione erat legata, idq; sine culpa heredis culpa legatario perit, ad ipsum que pertinent, quæ ex ea re permanserint. Idem est si viuente testatore pereat, sed tunc remanentia, quando non retinent eandem rationem, quam habebant in toto, vt non retinent carnes animalis, ad legatarium non pertinent. ibid.C,D

Legata determinata in diem certū soluenda, si dies in heredis gratiā fuit appositus, fructus medij temporis pertinet ad heredem: si vero gratia legatarij, tunc ad legatariū spectant. Quod si tempore intermedio pereat, legatario perit, ad eumque remanentia spectant. 834.B,C

Legata re, quæ non est determinata in individuo, & testatoris propria, fructus non debentur, nisi à puncto quo hæres in mora est illum soluendi. ib.

Legata sub conditione re propria testatoris determinata in individuo, fructus non debentur, nisi à puncto conditionis impletæ. ib.D

Legatum soluere rei non determinatæ in individuo pertinet ad heredes pro rata: quare si vnus impotens factus sit ad soluendum, alij soluere non tenentur loco illius. ibidem. E

Legati dominiū quando in legatariū transit, non solum competit ei personalis actio, & hypothecaria in bona omnia de functi ad illud cōparandum, sed etiā rei vendicatio: quādo vero non transit, solum ei competunt duæ priores actiones. 835.A

Legatum si quis vsurpet autoritate propria illud amittit heredi: secus si testatoris, etiā tacita, qualem habet testamēti executor. ib.C

Legare is potest, qui & testari. 836.A

Legatum cōmunitati potest relinqui, quin quādo in publicā vtilitatem ciuitatis, aut oppidi cedit, actio etiā ciuitati cō petit in defectum eorum, quibus peculiariter est relictū, aut vna cum aliis. ib.B, & seq.

Legata iure communi, hereditate non adita, regulariter reddūtur nulla: secus Castellæ iure, & qua ratione tunc petenda. ib.E, & 837.A

Legata via à morte testatoris debentur. ib.D

Legata ab heredibus peti debent, & quando ab executore, quando item executor petere ea debet ab heredibus, & quando petenda sint à curatore bonis defuncti à iudice dato. 838.A

Legatū indifferēter peti potest vbi est maior hereditatis pars, vel ea pars, vnde testator solui præcipit, vel in loco, vbi hæres habet domicilium, vel vbi exstitit res in singulari legata, optioque est penes legatarium. ib.B,C

Legatum vbi soluendum. ib. & D

Legatum rei heredis, esto id testator ignoraret, aut rei restitutioni heredi subiecta, soluendum est, quod si res vincilata sit, soluenda est æstimatio. Quando tamen hæres solum institutus est in legitima, soluere non tenetur tale legatum. 839.E

Legatum rei vnius è pluribus heredibus soluendum est à tali hærede solum iuxta partem, in qua hæres est institutus: reliquas tenentur alij soluere quoad æstimationem, modo legatarius probet, testatorem sciendo alienam esse illam legasse. ib.C

Legatum rei aliter alienæ soluendum est, si testator sciebat alienam esse, id que probare spectat ad legatarium, alioquin non, nisi legatarius sit persona coniuncta testatori: vel valde amicus, aut legatarius sit ad pias causas. 840. E

Legatum libertatis, quando mancipium erat alienum, & testator credebat esse suum: quousque validum censendum. 841.D

Legata re, in qua testator solū habebat partē, aut ius aliquod censetur legata quoad id solū, quod in ea habebat, non vero quoad æstimationem. 842.D

Legata simpliciter re heredis, in qua testator partem dominij, aut dominium directum habebat, censetur, etiā quoad id, quod erat heredis, illam legasse: si tamen solum seruituti subiecta heredi erat; non censetur seruitutum legasse. 843.B

Legatum si sit rei, quæ possideri non potest à legatario, quando validum est. ib.C

Legatū quando incertū est, cui è duobus, aut tribus sit relictū inualidū est iure ciuili. Contrariū tamen est censendum in conscientia & exteriori foro, nempe diuidendū esse inter illos. Idem si relictū ei sit, qui prius aliquid effecerit, & duo simul id fecerint. 844.A

Legatum

Legatum pium validum eſt, eſto ignoretur, cui ſit relictum, & cui Eccleſiæ aut loco ſit tradendum, ſi de pluribus dubitetur. 845.A,B

Legatum ſi conſtet cui ſit relictū, ex errore in nomine, aut agnomine, inualidum non eſt. 846.C

Legatū rei in genere aut ſpecie infima qualiter ſoluendū, & ad quem pertineat electio ex rebus ſub illa contentis in variis euentibus. ib.E

Legata iuxta conſuetudinem loci intelligenda ſunt. 849.C

Legati facta ſemel à legatario electione cōpleta, pœnitere non poteſt, niſi quando electio eſſet nulla. ib E

Legati electio cuidam tertio ſi ſit commiſſa, & ille intra annum non eligat, deuoluitur electio ad legatarium. 850. A

Legatū de re è multis, quas teſtator habebat ſi illa omnes pereant, legatum perit legatario. ib.B,C

Legatis duabus rebus duobus, ſub iis verbis, vna detur vni, & altera alteri, optio pertinet ad primo nominatum. ibid. & D

Legatū rei vnius multis coniunctim, dividendum æqualiter eſt inter illos. Si duos coniungat teſtator, & alium ab eis diuidat, vt ſi dicat, duobus filiis Petri, & filio Ioannis, hic accipit dimidium. 851.A,B

Legata eadem re multis diuiſim, videndum eſt, num per poſtremum legatum recedere voluerit à prioribus, & tunc ſoli vltimo debetur. Alioquin ſingulis debetur inſolidum, & ad quem eorum ſpectet optio illius, aut æſtimationis. Quod ſi res illa pereat, etiam poſtquam vni eorum tradita eſt, ſed antequam ab aliis æſtimatio petatur, illis pereit, neque tenetur hæres quilquam illis ſoluere. ibidem. C, & D

Legata quantūuis ſit res determinata in ſingulari, ſi non ſit vnde impleantur cætera legata, & detrahatur falcidia, detrahenda inde eſt etiam falcidia, & reliquum prorata, vna cum aliis bonis ad legata ſpectantibus, dividendum eſt inter legatarios. ib.E

Legatū non poteſt pro parte acceptari, & repudiari pro parte: & quid de hærede legatarij. 852.A

Legata re, quæ habet adiūctum vt ancilla quæ habet liberos, ſi mentio fiat adiuncti, attendenaum eſt, num ad limitandum, an ad augendum legatum ſit ea mentio facta. ibid.E, & 853.A

Legari poteſt res, quæ futura ſperatur, vt partus ancillæ, fructus prædij, &c. habetque eiuſmodi legatum tacitam conditionem ſi extiterit: licet obligatio non impleatur ante conditionem impletam, eiuſmodi conditio tacita transmiſſionem non impedit: ſecus impediret expreſſa. 854. B,C

Legatū ſi cum onere ſit relictū, non maius cenſetur, quam deducta oneris æſtimatione, ad effectū vt de illo gabella ſoluatur aut onus aliud ſuſtineatur. ib.

Legatum, donatio, & quoduis aliud, datum à coniuge qui mala fidei contraxit, alteri qui bona fide contraxit, & in ea perſeuerabat, validum eſt, neque ad fiſcum ſpectat. 855.A

Legatum, aut quoduis aliud quod coniux, qui mala fide contraxit, ab altero accipit, amittit illud fiſco, niſi ob honam fidem alterius coniugis tradendum id ſit hæredibus illius. 857.A,B

Legatum reputandum non eſt inualidum, quando vterque coniux bona fide contraxit, & in matrimonio perſeuerauit. ib.C

Legatum à marito relictum vxori tempore, quo prior viuebat, quando, ſi tranſeat ad ſecundas nuptias, neque teſtamentū mutauit, debeatur ſecundæ, & quando non item. ibid.D,E

Legatum à creditore relictum debitori, non cōputatur in debito, ſed illud accipit præcipuum debitor, quādo debitum ex ſola iuris diſpoſitione non oritur, & aliud teſtator non expreſſit. 858.A,B

Legatū à marito vxori relictū accipit vxor vltra dotē, & alia bona à marito ipſi debita, quando aliud de teſtatoris voluntate non conſtat. ib.D

Legatū ab hærede grauato fideicōmiſſario relictū, accipit fideicommiſſarius vltra fideicommiſſum, quando aliud de teſtatoris voluntate non conſtat. ib.& E

Legatū debitori, cui aliquid ex præſcripto legis debetur, vt legitima filiis & filiæ, cōputat legatarius in tali debito, niſi contrarium de voluntate teſtatoris conſtet. ib.

Legatum à defuncto relictum Epiſcopo, non computat Epiſcopus in quarta, quæ ei debetur ab Eccleſia, aut monaſterio, in quo ille ſepelitur. 859.C

Legatū à defuncto, relictū propriæ paroſciæ, cōputat talis pariſcia in quartā, quæ illi debetur ab alia Eccleſia, aut monaſterio, in quo ille ſepelitur. ib.D,E

Legatum vxori relictum non computat in arrhis ipſi de bonis mariti debitis. 860.C

Legatum à marito vxori relictū non cōputat vxor in mediētate bonorum ſuperlucratorum. ib.D,E

Legatum à debitore relictum ſub conditione, vt eo ſit contentus pro debito, non ſolum computatur in debito, ſed etiā eo ipſo, quod acceptatur, nihil amplius ei debetur: niſi fraus ex parte debitoris iuterueniſſet: nam tunc incrementum deberetur. ib.& ſeq.

Legatum pro debito, quod debitum non excedit, ſi in commodum creditori cedat, vt ſæpe euenit, validum eſt. 86 .A

Legatum rei pignori aut hypothecæ alteri ſubiectæ, ſi teſtator id ſciebat, hæres tenetur de bonis teſtatoris eam onere illo liberare: ſi vero ignorabat, ſumptibus legatarij eſt faciendum, niſi ex conuentione cum legatario, aut ex coniecturis intelligatur aliam fuiſſe teſtatoris voluntatē, & quid quando pro æquali, aut maiori quantitate erat ſubiecta ib.E, & 862.A

Legatum eiuſdem numero rei pluries ab eodem teſtatore legatæ, ſemel tantum debetur, & quid quando à pluribus teſtatoribus eadem numero res eidem legatur. ib.B,C

Legatum eiuſdem quantitatis, aut eiuſdem rei indeterminatæ in individuo, ſi ab eodem teſtatore fiat eidem in diuerſis teſtamentis, aut in diuerſis codicillis, aut in teſtamento & codicillo, cenſetur diuerſa legata, & vtrunq; debetur. Idem ſi legetur diuerſa quantitas, & quando regula hæc deficiat. ib.E. & 863.A

Legatum eiuſdem quantitatis, aut eiuſdem rei indeterminatæ in individuo, ab eodem facta eidem in eodem teſtamento, aut in eodem codicillo, ſemel debetur, quod ſi primo legetur minor & poſtea maior, aut è contrario, cēſetur prius legatum reuocatum. Et hæc quando non probatur aliud intendiſſe teſtatorem. 863.B,C

Legatum bonorum mobilium iura & actiones nominaq; debitorū non comprehendit, ſed pertinet ad hæredes, quando teſtator aliter de eis non diſpoſuit: comprehēdit tamen pecuniam. 866.B

Legatum eorum omnium, quæ certo loco continentur, non comprehendit iura, & actiones, eſto inſtrumenta ibi contineantur. ib.C

Legatū eorū, quæ aliquo loco continentur, non cōprehendit pecuniā ibi repertam, niſi conſtet, eam etiam intendiſſe teſtatorem legare. 867.B

Legata ſcriptura iuris in ea contentum cenſetur legatum. 866.D

Legatum eorum, quæ in tali capſa, aut loco continentur, chirographa & pecunias cōprehendit, ſi nihil aliud ibi reperiatur: idem eſt quando aliunde conſtat id intendiſſe etiam legare. 867.& ſeq.

Legatum eorum, quæ aliquo loco continentur, non accreſcit, ſi caſu aliquid illuc inferatur, nec decreſcit, ſi caſu aliquid extrahatur. 868.A

Legatum

Legatum omniū, quæ tempore mortis teſtatoris reperta fuerint in aliquo loco, non comprehendit, quod induſtria legatarij, ſine teſtatoris voluntate, illatum illuc fuerit: ſicut neque excludit, quod contra teſtatoris voluntatem fuerit extractum. ib.B

Legatum veſtis, aut equi teſtatoris, intelligitur de iis, quæ habebat, quando teſtamentum condidit: ſecus de iis, quæ confecit, aut emit poſtea. ib.C

Legatum apothecæ pannorum, ſi apotheca erat teſtatoris, ſolum apothecam comprehendit, alioquin ſolos pannos. Intellige, niſi aliud intelligatur ex conſuetudine loquendi teſtatoris, aut ex aliis circumſtantiis. ib.

Legatum lanæ, aut lini, quæ comprehendat. ib.E

Legatum vſusfructus bonorum teſtatoris comprehendit etiam bonorum venalium. 869.C

Legatum rerum certi generis, aut generum, non comprehendit ſi quæ ſimul eius generis habebat venalia, niſi id aliunde conſtet. ib.D,E

Legatum rerum quæ certo loco continentur, non comprehendit venalia ſimul cum aliis ibi reperta, niſi ex circunſtantiis intelligatur id etiam comprehendere voluiſſe teſtatorem. 870.A

Legatum quotæ hæreditatis vim habet inſtitutionis hæredis, teneturq́; ita inſtitutus ad onera defuncti, & tranſeunt ad eum actiones activæ & paſſivæ, nēq́; portionem illam tenetur accipere quoad æſtimationem. 871.E

Legatum quotæ bonorum eſt proprie legatum, eſtq́; in hæredum optione ſoluere illi æſtimationem, aut in bonis defuncti, ſi commodè diuidi poſſint, & non tranſeunt ad eiuſmodi legatarium onera defuncti, & quid nomine bonorum defuncti intelligatur. 872.A

Legatum aut prælegatum eſt melioratio in tertio & quinto. ibid.C,D

Legatum aut prælegatum ſibi relictum poteſt acceptare deſcendens, & repudiare hæreditatem. 873.A

Legatum quotæ ſi ſit bonorum factum ab eo, qui aſcendentibus, & deſcendentibus caret, an in Caſtella optio apud hæredes ſit ſoluendi æſtimationem. 875.D

Legatum aut relictum tertij in Luſitania ſoluēdam eſt in bonis defuncti, poteſtq́; teſtator ſibi deligere pratium, in quo illud accipiat, præſertim quando maioratum aut capellam inſtituit. ib.E

Legatum quotuplex. 876.B

Legatum purum quod. Tale autem eſt cenſendum omne, de quo non conſtat parum non eſſe. ib.C

Legatum in diem eſt, quod eſt in diem aut tempus certum quod poſt teſtatoris mortem futurum ſit. ib.D

Legatum in diem incertum an futurū ſit, conditionale eſt. ibidem.

Legatum in diem certum eo ipſo, quod legatarius poſt teſtatorem hæreditate adita moritur ante eum diem, tranſmittit illud ad hæredes. ibid.

Legatum in diem incertum non tranſmittitur, ſed nullum redditur, ſi legatarius ante eum diem moriatur, eſto teſtator defunctus ſit, & hæreditas adita. Excipitur, ſi dies, nō in gratiam hæredis, ſed ſolius legatarij eſſet appoſitus. ibid.E, & 877.A,B

Legatum in diem certum à puncto aditæ hæreditatis cedit, non ſolum vt tranſmittatur, ſed etiam vt debeatur, ſed ſoluendum tempore à teſtatore ſtatuto. Si vero ante ſoluatur, repeti non poteſt. Poteſt etiam legatario inuito ſolui ante eum diem. ib.C

Legati in diem rei determinatæ in individuo non tranſit dominium in legatarium ante eum diem, niſi ab hærede antea ſoluatur. ib.E, & ſeq.

Legatum ſub conditione de præſenti aut præterito vera, purum cenſetur. 879.B,C

Legatum non vitiat conditio de facto aut de iure impoſſibilis, ſed habetur pro non adiecta. 880.E

Legatum ſub conditione caſuali aut mixta factum, vt ſit validum, ſatis eſt ſi conditio, vel poſt mortem teſtatoris, vel in vita poſt legatum relictum, aut teſtatore ignorante an te illud relictum impleatur. 882.C

Legatum ſub poteſtatiua conditione relictum vt ſit validū, impleri debet conditio poſt mortem teſtatoris, niſi conditio non ſit iterabilis: nam tunc ſatis eſt impletam eſſe viuente teſtatore. ibid.D

Legatum ſi ſub conditione poteſtatiua ſit factum, nec impletioni ſit terminus præfixus, impleri debet cum primum legatarius potuerit, alioquin expirat legatum. ib.E

Legatum ſi ſub conditione poteſtatiua ſit relictum, tradendum eſt ſtatim præſtita cautione mutiana de illo cum fructibus reſtituendo, ſi conditionem fuerit transgreſſus. Et quid de legato libertatis, aut alio pio, quid item, quando legatarius ob paupertatem cautionem mutianam non poteſt præſtare. 883.A

Legatum ſub conditionem in alterius commodum appoſita, ſi ex parte illius alterius defecerit, habetur pro impleta. ibid.B

Legato viduæ, aut viduo, etiam ab extraneo relicto, ſub conditione, ſi ad ſecundas non tranſeat nuptias, validum eſt, factaq́; transgreſſione conditionis, reſtituendum eſt cum fructibus, nulla expectata ſententia. 885.A

Legato ei relicto, qui nunquam fuit coniugatus, ſi conditio apponatur nunquam contrahendi matrimonium, aut non niſi ad arbitrium alicuius, pro non appoſita habetur: ſecus de conditione non contrahendi cum aliquo, aut cum aliquibus, dummodo non ideo in pœnam auferatur legatum. 884.C,D

Legato valide apponitur conditio, ſi contrahas cum hac aut cum hoc, & cum nullo alio, modo licite & honeſte id poſſit fieri: quod ſi per illum alium defuerit, nō impedit legati conſecutionem. 885.C

Legato valide apponitur conditio, ſi religionem profiteatis, aut ſacerdos fias. ib.D

Legato ſi apponatur conditio, ſi caſte vixeris; an tranſitum impediat ad ſecūdas nuptias, coniecturis eſt iudicandum, & in dubio pronunciandum eſt non impedire. ibid.E

Legatum ſub conditione, ſi religionem non profiteatur, licet inique fieret animo auocandi ab ingreſſu religionis: bene tamē aliquo fine valide ac licite apponi poſſet conditio modo in ſeculo viueret, aut vxorem duceret. 887.B

Legatum ſi quid ſit ſub nuptiarum conditione, ſi legatarius religionem profiteatur, totum debetur monaſterio. ibidem.A

Legatum ſi alicui fiat, quo ducenta ſi matrimonium nō contrahat, centum vero ſi contrahat ei relinquantur, conſequitur is ducenta, ſi matrimonium contrahat. 886.C

Legata ſi alicui fuerint ducēta ſi nupſerit, centū vero ſi religionem profiteatur, debentur illi ſolum centum ſi religionem profiteatur. ib.

Legatū ſub modo relictum non ſuſpenditur, transmittiturq́; proinde ad hæredes, & quando per hæredem poteſt modus impleri, tenetur illum implere. 889.A,B

Legatum ſi ſub modo fiat, antequam tradatur, tenetur legatarius cauere de reſtituenda re cum fructibus ex ea perceptis, ſi modum non ſeruet. Nondum vero eſſe præſtitam cautionem, tranſmiſſionem legati non impedit. 891.B

Legatum ſi ſub modo ſit relictum, qui ſolam legatarij reſpicit vtilitatem, neque obligationem eum adimplendi inducat, neceſſaria tunc non eſt cautio, & quando, licet obligationem inducat, cautio non ſit adhibenda de re & fructibus reſtituendis. ib.C

Legato ſi modus impoſſibilis de iure aut de facto apponatur, pro non appoſito habetur. ib.E

Legato fundo aut prædio ad alimenta (idem ſi dicatur adſum) proprietas etiam legata cenſetur. 893.D

Legatum alicui vt nubat, quando nullam nuptiarum inducat obli-

nat obligatio nem, etiã si testator præcipiat, vt ei non tradatur, nisi tempore nuptiarum, & quando si cœlibatum seruare velit, sit ei tradendum, & cuius autoritate. Transmittitq; hoc legatum, etiamsi ante tempus nuptiarum è vita discedat. ib.E

Legato ad pias causas modus appositus nũ cẽsetur reddere nullum legatũ, si modus non seruetur, quando id testator nõ expressit: si autẽ constet eam fuisse illius intẽtionem, nullum redditur. 894.E

Legatũ si quid sit Ecclesiæ sub modo, cuius trãsgressio reddat legatum nullum, non sufficit transgressio solius prælati vt sit nullum, nisi quando in solo prælato erat facultas id alioquin alienandi. 895.B

Legatum. Vide modus.

Legatum, aut quouis alio titulo gratis relictum ob causam, quæ non exisit, si voluntas testatoris, saltem quasi habitualis, erat, vt causa nõ existente vim nõ haberet, est nullum in foro conscientiæ, & exteriori, si de ea volũtate in eo constet. secus si non adsit talis voluntas, sed solum id non daret. 896.C,D

Legatũ, aut alia vltima dispositio est valida, si subsistat causa ob quã fit, esto multa disponentem lateant, quæ si sciret, vellet vt inualida esset talis dispositio. ib.

Legatum vni relictum ob errorem in persona est inualidum: si vero is existat, cui illud testator relinquere eisdem verbis intendebat, ei sane in conscientiæ, & exteriori foro debetur, nihil impediente, quod iura quædam sint in contrarium. 897.E, & seq.

Legata quouscq; implenda, quando hæredis institutio ob falsam causam existimatam est nulla. 898.D

Legata inualida sunt, etiã in exteriori foro, quãdo constat, voluntatem testatoris fuisse, vt causa non existente, legatum esset nullum, quãdo vero id non constat, præsumitur testatorem voluisse vt essent valida, nisi hæres contrarium probet. 899.A,B

Legatum ob demonstrationem falsam non vitiatur, quãdo constat de re quæ ita legatur, & de persona cui ita legatur: excipitur, quando demonstratio simul est causa legandi, qua non existente intentio legantis sit legatum esse inualidum. 902.A,B

Legatum cum demonstratione in certo loco, vt apud depositarium, aut apud debitorem, si ibi non existat, est nullum, si vero existat solum quoad partem, quoad id tantum est validum. ib.D

Legatũ reuocatur codicillo aut testamento etiam solo nutu, tantaq; solemnitas requiritur ad reuocationẽ, quanta vt valide fiat. 903.A, & D

Legatũ si cancellatum reperiatur de manu, aut de mandato testatoris, reuocatum censetur. ib.E

Legatum reuocatum cẽsetur, si capitales grauesue inimicitiæ inter ipsum & testatorem fuerint exortæ: si tamen inamicitiam redierint, reconualescit legatum: ex eo vero, quod legatum non reuocauerit ob inimicitias, etiamsi codicillum post eas efficiat, non præsumitur reualidatum. 904.A

Legatũ censetur reuocatũ, si legatarius testatori viuenti grauem irrogauit iniuriã, aut grauem accusationem, aut damnum aduersus illum intentauit. ib.B,C

Legati tacita reuocatio duobus testibus omni exceptione maioribus probatur. ib.D

Legatũ amittit fisco, si legatarius grauem iniuriam testatori defuncto intulit, vt dormiendo cum vidua ab eo relicta, sed necesse est sententia feratur. ib.E

Legatũ fisco amittitur, si legatarius promisit, illud, aut partem illius, restituere filio illegitimo testatoris. 905.C

Legata pro anima defuncti detrahenda esse de tertio in Lusitania, quando defunctus ascendentes, aut descendẽtes habebat, de quibus legatis intelligendum. 1022.C

Legata si id supersint, de quo testator libere poterat disponere, inualida sunt quoad incrementum, atq; à singulis pro rata est detrahendum, nisi testator alia aliis præposuerit: 1025.E, & seq.

Legatum, aut mortis causa à descendente ascendenti donatũ, quem descendens indebite præteriret, aut exhæredaret, vel minus, quam in legitima, instituret, computandum est in legitima de bonis talis descendentis ascendenti debita. 1023.D,E

Legatum piũ si executioni mandari non possit, non cedit hæredibus, sed Episcopi arbitrio, & executorũ, cõuertendum est in aliud, quoad fieri possit, testatoris voluntati consentaneum. 1074.B

Legatum pro solutione debitorũ, si pauciora debita reperiantur, quando incrementum in operibus piis sit insumendũ, & quando cedat hæredibus. ib.D

Legatum ad ædificiũ talis formæ certæ summæ pecuniæ, quãdo incrementum cedat ædificio, & quando ad hæredes pertineat. 1075.A

Legatum certæ summæ ad aliquã in particulari maritandã, si illa præmoriatur, quando cedat hæredibus illius, quando hæredibus testatoris, & quãdo conuertenda sit in aliud opus pium. ib.D,E

Legatum vide falcidiam, & legatarius.

Legatus.

Legatorum non violandorum religio de iure est gentium. 14.C

Legatus summi Pontificis.

Legati à latere, & Nũcij, id possunt, quod Episcopi, nisi in aliquo peculiariter restringantur: vnde dispensare possunt cum illegitimis, vt minores ordines suscipiant, & obtineant beneficia, quæ animarũ curam non habent & personatus non sunt. Verum vero plus possint, ex eorum facultatibus est iudicandum. 682.B,C

Leges.

Leges & præcepta principum ad quam virtutem pertineant. 3.E

Leges ciuiles etiam circa virtutes alias à iustitia se extendunt. 4.B

Leges condendi quanta potestas in Rege. 119.A

Leges Aristocratiæ potestatis senatus consulta appellantur: 120.B

Leges Democratiæ potestatis plebiscita nuncupantur. ibidem C

Leges humanæ, cũ de iure humano sint, cur de iure diuino naturali sit, vt eis pareatur. 121.C

Leges ciuiles quas abrogare potest summus Pontifex. 148.E, & seq.

Legibus ciuilibus, quæ cũ libertate eorum non pugnant, subiecti sunt Ecclesiastici: non tamen ex illis conueniri possunt, nisi coram iudice Ecclesiastico. 155.C

Leges ciuiles vim obligandi amittunt consuetudine in contrarium decem annorum. 314.A

Lex si adiiciat, vt aduersus illam consuetudo vim non habeat, aut non nisi tanto tempore, non amittit vim ante illud tempus consuetudine in contrarium. ib.C

Lex canonica vim obligandi amittit consuetudine in contrarium quadraginta annorum. ib.B

Legem sola prohibitione irritam reddere, quod contra eam factum sit, quo pacto intelligendum, contrariaq; consuetudine est aduersus eam legem præscriptum. 360.A, 362.A

Legibus variis vt derogetur, quæ clausula adhibenda. 686.C

Leges exhæredationis filiæ, quæ sine patris consensu nubit, valide, ac licite sunt. 726.B

Legitima.

Legitimæ remissio, si iuramento non confirmetur, inualida est. 580.C

Legitima portio descendentiũ de iure Cæsareo tertia pars bonorum, si filij quatuor non excederent: si excederent, dimidium bonorum. 626.D

Legitima descendentium in Lusitania duæ partes bonorum. ibid.E

Legitima descendentium in Castella, sunt quatuor partes, & de earum tertio fieri potest melioratio, vna cum quinto, deductis ab eo legatis, & impensa ceræ, & sacrificiorum funeris. 627 A

Legitima nepotibus non debetur, nisi in defectum parentum, quos repræsentant, & pro nepotibus, nisi in defectum parentum, quos repræsentant, & pro nepotibus, nisi in defectum parentum & auorum: & tunc succedunt per stipitẽ, & non per capita. ibidem D

Legitima ascendentium Cæsareo iure tertium bonorum. ib.A

Legitima ascendentiũ Lusitano & Castellæ iure duæ bonorum partes. ibidem.

Legitima si nõ integra sit alicui relicta, datur solũ actio ad cõplementũ, siue in re certa minus, quam in legitima, siue in re incerta, sit hæres institutus. 736.B

Legitima vt cõpleatur cõperit actio aduersus hæredes, aduersus legatarios aũt, vt pro rata contribuant, solũ, quando hæredibus legitimæ integræ nõ remanerẽt, & durat triginta annis, transitque ad hæredes. 737.B

Legitimæ tã descendentiũ, quã ascendentiũ, apponi nõ potest grauamen, modus, conditio, aut dilatio, suntq; ipso iure nulla, si apponantur. ibidem.C

Legitimæ filij non censetur grauamen, si pater vulgariter aut pupillariter illi substituat. ibid.E

Legitimæ apponi non potest grauamen, esto plus, quam in legitima, filius instituatur cum eo grauamine & filius hæreditatem adeat, sed inualidum est quoad legitimam, valiđum vero quoad incrementum. 738.A

Legitimæ grauamen appositum vt valeat, non satis est tacitus, sed necessarius est expressus consensus. ibid.C,D

Legitimæ si sub conditione grauamen imponatur, dum plus, quã legitimæ, relinquitur, vt nisi filius in grauamine velit consentire, pertineat incrementum ad alium, filius cõsentire tenetur, vel amittit incrementum. ibid.E

Legitimæ neq; in filij fauorem potest apponi grauamen, estq; inualidum si apponatur. ead. & seq.

Legitimæ, esto arbitrio patris quoad quantitatem statuto esset relicta, imponi non posset grauamen. Idem si filia legitima cum iuramento renunciasset, & pater nihilominus legitimam illi relinqueret. 739.A,B

Legitimæ imponere posset pater grauamẽ, quãdo filius esset illegitimus, dispensatumq; solum esset, vt pater relinquere illi posset legitimam quam vellet. ibidem.C

Legitimæ, etiam filij sui, grauamen potestatiuæ conditionis hodie impositum, est nullum, licet de iure antiquo esset valiđum. 740.A

Legitimæ filij sui grauamen sub conditione casuali aut mixta hodie impositum, non efficit testamentum nullum, vt efficiebat de iure antiquo, est tamen reiiciendum a legitimæ ibid.D

Legitimæ filiæ, etiam non sui, si grauamen cuiuscunq; conditionis apponatur, est inualidum in Regno Castellæ, non solum quoad legitimam, sed etiam quoad incremẽtum. ibidem.E

Legitimam vt accipiat filius, quæ debeat in eam computare. 1024.B

Legitimam vt parens de bonis descendentis accipiat, computare nõ tenetur, quæ descendẽs ei donauit in vita. 1036.E, & 1037 A

Legitimare.

Legitimare ad spiritualia spectat ad Summum Pontificem: non vero ad succedendum in hæreditate, & alia secularia nisi permissu secularium, aut postulante id fine superna-turali. 144.C

Legitimatus spurius accipere à parentibus potest, quantum legitimatio permittit. 671.C,D

Legitimationis definitio. 672.E

Legitimatio per subsequens matrimonium est plenissima. 673.A

Legitimatio Principis supremi rescripto, aut eius, qui ad id cõmissionẽ accepit, si sit ad tollendas inhabilitates canoni co iure introductas, sit à potestate Ecclesiastica, si vero ad ciuiles, à potestate laica, aut ab Ecclesiastica, quatenus id exigit finis spiritualis. ibid.

Legitimatio per subsequens matrimonium solum se extendit ad naturales. 674.B

Legitimatur per matrimoniũ post filii natiuitatẽ contractũ is filius, qui licet tẽpore conceptionis esset spurius, tẽpore tamen natiuitatis cessauerat impedimentũ dirimẽs: is quippe naturalis natus est. ibid.D,F

Legitimatio per subsequens matrimonium, vel inuitis parentibus fit, nec reuocatur per filii ingratitudinem. 675.B

Legitimatus per subsequens matrimoniũ per omnia æquatur legitimis, reputaturq; legitimus, & talis sæpe à iure appellaretur. ib.C

Legitimatus per subsequẽs matrimoniũ Episcopus creari põt, succedit in emphyteusi Ecclesiastica, & in feudo, ac maioratu, & præponitur filiis genitis ex eodẽ matrimonio, & ex quocunq; alio posteriori, excludit substitutũ parẽtibus traditũ sub cõditione, si sine liberis legitimis discesserit, & reuocat donationẽ factã à parentibus, perinde atq; alij filij postea nati. ibid.D,E

Legitimatus per subsequẽs matrimoniũ, etiãsi maior natu sit nõ præponitur natus ex priori alio matrimonio ad succedẽdum in maioratu, feudo, &c. ib. & seq.

Legitimatus minor natu ex vna cõcubina per subsequẽs matrimonium, præponitur in successione maioratus legitimato ex alia concubina maiori natu per posterius matrimonium. 676.B,C

Legitimatus per subsequens matrimoniũ excluditur à maioratu, si institutio habeat, vt legitimatus per subsequẽs matrimoniũ ab eo excludatur: secus si solũ habeat, vt succedant soli nati ex legitimo matrimonio, aut vt succedant soli legitimi. ib.D

Legitimatus cẽsetur nepos filius legitimus naturalis filij, si auus ducat concubinã, ex qua talẽ filiũ genuit, esto filius tẽpore matrimonij esset defunctus. ib.E

Legitimatus nõ debet cẽseri filius naturalis, si sequatur matrimoniũ cum impedimento dirimente ignoranter cõtractum. 677.A,B

Legitimatur filius naturalis per matrimoniũ inter parẽtes in articulo mortis, aut in senio celebratum. ib.C

Legitimatus eo pacto excludit substitutũ patri sub cõditione si sine liberis legitimis discedat, idq; esto pater cõtrahat in articulo mortis cũ concubina: & eodẽ modo illũ excludit monasterium, esto institutus odio substituti religionem ingrediatur. ib.D,E

Legitimentur rescripto principis, cur etiam spurij. 680.C

Legitimare in ciuilibus in quibus euẽtibus ad potestatẽ Ecclesiasticam spectet. ibid.D

Legitimatio distinctũ quid est à dispensatione cũ illegitimis. Estq; dispensatio strictè intelligenda, & legitimatio amplè. ib.E

Legitimatio spurij nõ est dispensatio, sed vera legitimatio, sicut & naturalis. 681.A,B

Legitimatio non est, sed dispensatio, si quis non ad omnia, ad quæ vel iure canonico, vel ciuili erat inhabilis, reddatur habilis, idq; quibuscunq; verbis dispensans aut legitimans vtatur. ibid.

Legitimatio est, quando restrictio non fit in substantia legitimationis, sed solũ in effectu aliquo: quãdo vero fit in substãtia legitimationis, ita vt legitimatio sit solũ quoad aliqua, est

quæ eſt diſpenſatio. ib.C,D
Legitimare ad ſupremum gradum mixti imperij ſpectat: eſtq; proinde ſuprema poteſtati reſeruatũ. Vnde ſolus ſummus pontifex in ſpiritualibus legitimat, alij vero ex commiſſione illius. 682.B
Legitimare non poſſunt Epiſcopi, diſpenſant tamen cum illegitimis, vt minores ordines ſuſcipiant, tum etiã vt ea beneficia obtineant, quæneq; curam habent animarum, neq; per ſonatus ſunt. ib.C
Legitimare in ciuilibus poteſt ſolus princeps ſuos ſubditos, qui ſuperiorem in tẽporalibus non recognoſcit etiam quoad ea quæ talis ſubditus in alieno habet territorio: niſi id cedat in præiudicium ſubditi alterius territorij. Alij vero inferiores, neq; legitimare, neq; diſpenſari poſſunt, niſi quatenus eis fuerit conceſſum. ib.D
Legitimare poteſt princeps exiſtens in alieno territorio ſubditum ſibi, niſi ad id neceſſe eſſet citare aliquem. ib.
Legitimare valens ex facultate principis, poteſt etiam diſpenſare, ſed non conuertitur. ib.E
Legitimandi qui facultatem habet ad ciuilia, non poteſt legitimare ad ſuccedendum in feudo aut maioratu. 683.A
Legitimans princeps in ciuilibus, non cenſetur legitimare ad ſuccedendum in feudo aut maioratu. ib.
Legitimandi filios, qui facultatem à principe habet, legitimare etiam filias poteſt. ib.B
Legitimatus ad ſuccedendũ aliquibus bonis, ſi ius patronatũ habeant annexum, etiam ſpirituale, cenſetur legitimatus ad ſuccedendum in eo, neq; indiget legitimatione à poteſtate Eccleſiaſtica. ib.
Legitimare poteſt ſibi ſubditos, poteſt legitimare propriosfilios: non tamen vt ſuccedant in regno, quando regni inſtitutio eſt à Republica. ib.C,D
Legitimatio ad ciuilia filij clerici ad poteſtatem laicam ſpectat: ſummus tamen Pontifex legem poteſt ferre, vt filius clerici ex ſacrilegio genitus nullo modo ſuccedat in bonis patris, & vt irrita ſit legitimatio aut diſpenſatio ad id obtenta. ib.
Legitimatio per reſcriptum ad ſuccedendum in bonis patris, conſenſum requirit patris & filij. Et licet obtineatur ante vſum rationis filij, aut ex præſumpto illius conſenſu, ſemper pendet ab illius, virtuali ſaltem, conſenſu. 684.E
Legitimatus filius in poteſtatem tranſit patris, comparatque pater vſumfructum in bonis illius aduentitijs. 688 D
Legitimatio, aut diſpenſatio, vt valida ſit neceſſe eſt legitimanti, aut diſpenſanti proponatur quicquid retrahere eum poterat à conceſſione illius, alioquin eſt ſurreptitia. 685.A
Legitimatio aut diſpenſatio vt valida ſit, quæ circunſtantiæ quoad coitum ſint exprimendæ: neq; ſufficit, ſi non exprimantur, quod legitimans apponat clauſulas, de plenitudine poteſtatis, aut ex certa ſcientia, vel ſupplentes omnem defectum ſufficeret tamen, ſi diceret, ex quocunque coitu ſit conceptus: niſi eſſet talis, qui ſit in particulari exprimeretur, non concederetur. ibid.D.E
Legitimatio aut diſpenſatio vt quis ſuccedat in bonis parentis, qui filios habet legitimos, inualida erit, niſi exprimatur habere filios legitimos. Idem ſi haberet aſcendentes, quibus in portionibus ipſis debitis præiudicaretur. ibidem.
Legitimatio filij naturalis obtenta ſine expreſſione, quod cõmode poterat legitimari per ſubſequens matrimonium, quando facile, & ſine dedecore celebrari poterat, eſt nulla: 686.A
Legitimatio ſpurij vt valida ſit, neceſſe eſt apponatur clauſula: non obſtante quocunque alio iure in contrarium. ibidem.D
Legitimatus principis reſcripto nihil à legitimis differt, vt in bonis parentis, & conſanguineorum ex teſtamento, & ab inteſtato ſuccedat. Vnde dicere poteſt teſtamentum patris nullum, ſi præteratur, aut exheredetur, & agere querela inofficioſi: ſecus de diſpenſato ad ſuccedendum patri, & de legitimato cum reſtrictione, vt pater relinquere illi poſſit, quam portionem voluerit. ib.E
Legitimatum reſcripto principis neque in maioratu, nequein feudo ſuccedit, niſi ad id peculiariter legitimetur, 687.A
Legitimatus reſcripto Principis ſecularis, ſi ſpurius ſit, ſuccedere non põt in emphyteuſi Eccleſiaſtica, niſi talis ea ſit, quæ ad extraneos tranſeat. ib.B
Legitimatio, ſi legitimi deſcendentes adſint, neq; de eis facta fuit mentio, eſt nulla, quod ſi facta fuit, neq; in legitimatione appoſita fuit clauſula, ſine præiudicio legitimorum, aut ſuccedentium ab inteſtato, ſuccedit vna cũ legitimis, ſed relinqui ei non poteſt plus, quam infimo legitimorum. Vnde meliorari non poteſt in tertio, aut tertio & quinto, neque ſuccedere poteſt in maioratu ex his bonis inſtituto. ibid.D,E
Legitimatio reſcripto, ſi poſt eã obtentam naſcatur filius legitimus, aut legitimetur per ſubſequens matrimoniũ filius naturalis, nulla redditur in Caſtella ad effectum ſuccedendi patri cum legitimis. Idemq; videtur abſolute probabilius, firmiſſimisq; rationibus cõprobatur; communis tamen opinio eſt in contrarium. Ei vero filio fas erit in Luſitania de tertio, & in Caſtella de quinto relinquere quod libuerit. 688 A
Legitimatus reſcripto Principis etiam agnatorum cõparatione cenſetur legitimatus vt eis ſuccedat, non tamen neceſſarius eſt illorum cõſenſus: diſpenſatus vero, vt patri ſuccedat non cenſetur diſpenſatus, vt ſuccedat aliis aſcendentibus, & agnatis. ib.E, & 689.A
Legitimatus per oblationem curiæ ſolum comparatione parentum cenſetur legitimatus. ib.B
Legitimato patre, filius legitimatus cenſetur comparatione aui, & aliorum agnatorum. ib.C
Legitimatus reſcripto ad retractum admittitur, ſicut & alij conſanguinei. ib.
Legitimatus à Summo Pontifice, non ſolum ſacros ordines poteſt ſuſcipere, ſed etiã obtinere beneficia cum animarũ cura: ſecus de diſpenſato ad ſacros ordines, niſi ſimul diſpenſetur ad eiusmodi beneficia. ib.D
Legitimatus à ſummo Pontifice, neceſſe non habet, ſi poſtea diſpenſationem petat ad plura beneficia cum animarum cura, exprimere ſe fuiſſe illegitimũ: ſecus de diſpenſato ad beneficium, ſi poſtea petat ad plura: quin, dimiſſo vno, nõ poteſt obtinere aliud ſine noua diſpenſatione. ib.E
Legitimatus reſcripto Principis cenſetur, ſi pater filium hæredem conſtituit, ſub conditione, ſi Princeps velit eum legitimare, & acceſſit poſt mortem patris conſenſus Principis, 690.A
Legstimandi modi quidam alij hodie vim fere non habent. ibidem.B, & C
Legitimatio, quæ ex patris conſenſu fit, quando non ſunt deſcendentes, aut aſcendentes legitimi, neq; agitur de ſucceſſione in rebus vinculo ſubiectis, citatione aliorum agnatorum non indiget, minorq; cauſa ad eam concedendam requiritur. 692.A
Legitimatio ad ſuccedendum in eisdem bonis, deficientibus deſcendentibus legitimis, citatione non indiget aſcendentium. ib.C
Legitimare ſine conſenſu patris, in cuius bonis eſt ſuccedendũ, cur Princeps nec ſoleat, nec debeat. 693.B
Legitimare cur Princeps poſt mortem patris poſſit, quandoid, dum viueret, petiuit. ib.B,D
Legitimatio vt concedatur, maior habenda eſt ratio aſcendẽtium, quam collateralium. 694.C
Legitimatio, etiamſi deſcendentes ſint, quorũ legitimæ minuantur, valida eſt de conſenſu patris, neq; neceſſaria eſt citatio

tatio descendentium. Vt tamen licite fiat, præsertim quãdo post matrimonium contractũ fit, & minuuntur legitimæ, longe maior causa requiritur, quam si in ascendentium præiudicium fiat. ib.D

Legitimatio cũ clausula, non obstante quod sint descendentes legitimi, autcum clausula, de plenitudine potestatis, vel ex certa scientia, valet, esto de descendentibus mentio non sit facta. 696.C

Legitimatio si clausulam habeat, sine præiudicio hæredum legitimorum, esto simul habeat clausulas, ex certa scientia, aut de plenitudine potestatis, non priuat descendentes & ascendentes portionibus ipsis debitis, neque item collaterales successione in feudo, maioratu, aut alijs bonis ipsis restitui subiectis, quoad alia vero admittitur eo pacto legitimatus ad successionem, etiam ab intestato. Si vero clausulam habeat, sine præiudicio descendentium, tunc priuat ascendentes portionibus ipsis alioquin debitis. 697.B

Legitimatio quando pater eam non petiuit, concedi non potest mortuo patre, etiam ante aditam hæreditatem. 698.D

Legitimatio efficere non potest vt hæres, qui rite hæreditatem adiuit, illa priuetur. 699.D

Legitimatio efficere non potest, vt hæres ab intestato legitima ad se iam delata priuetur. 700.D

Legitimatio concedi non potest ad succedendum in maioratu, aut alijs bonis restitutioni subiectis, cum præiudicio eorũ, ad quos alioquin essent deuentura, quando institutio non pendet à voluntate patris, aut principis. 701.C,D

Legitimatio concedi non potest ad succedendum in maioratu cum præiudicio alterius, ad quem deberet deuenire, etiãsi institutio facta fuerit ex priuilegio, & gratia principis cõtra aliquod ius. ib.E

Legitimatio rescripto Principis non valet ad excludendũ allum à maioratu, feudo, aut à substitutione, quando institutor dixit, si sine liberis natis legitimæ, aut natis ex legitimo matrimonio decesserit. Idẽ si dicat, si sine liberis legitimis decedat: quamuis multi in postremo hoc euentu contrarium sentiant. 703.C

Legitimatus spurius excludit substitutũ in euẽtu, quo substitutus vocaretur, si alius sine liberis decederet quãdo eũ excluderet filius naturalis. 704.C,D

Legitimatus spurius à principe, vt succedat in feudo, aut maioratu, in illo succedit, quando ex sola iuris dispositione ab eo excludebatur. Non sufficit tamen simpliciter legitimari, nisi ad eum effectum expresse legitimetur. 705.A

Legitimatus per subsequens matrimoniũ excludit fideicommissariũ, quando inest tacita cõditio, si grauatus sine liberis moriatur, & contrarium non constat de voluntate testatoris: secus de legitimato rescripto Principis, quando ad petitionem eiusdem institutoris legitimatus non est, aut de voluntate eius non constat. 702.D

Legitimatus filius sub patria est potestate: secus dispensatus. 987.A,B

Legitimus filius.

Legitimus filius quis. 645.D

Legitimus filius est susceptus bona fide ex matrimonio ante faciem Ecclesiæ ex parte alterius coniugis tantum, etiam vt succedat legitimus ei coniugi, qui malam fidem habuit. ib.E

Legitimi reputandi sunt filij, qui ab infidelibus ex ijs matrimonijs generantur, quæ vera ab ipsis putantur, talia autẽ non sunt. ib.& 646.A

Legitimi sunt filij, qui per subsequens matrimoniũ legitimi redduntur. ib.B

Legitimi sunt filij, qui quamuis tempore conceptionis essent spurij, tempore natiuitatis contractum erat matrimoniũ inter parentes, cessante impedimento dirimente. 673,A,B

Libellus, aut libellarius contractus.

Libellus, aut libellarius contractus quid. 644.A

Liber & libertas.

Liberos nascituros omnes iure naturali in quo sensu verum. 13.A

Libertatis fauore quando legatum non censeatur conditionale. 772.D

Libertatis legatum, quando testator putabat mancipium esse suum, & erat alienum, quousque validum sit censendum. 841.D

Libertatẽ censetur donare seruo suo, qui illum, non ignorans suum seruum, tutorem reliquit. 956.A,B

Liber efficitur seruus, si dominus eum adoptet. 992.C

Libertus.

Libertus quis. 630.B

Libertus si descendentes legitimos aut naturales habeat, quibus necessario illi succedant; neque tenetur quicquam relinquere patrono, neque illi patronus succedit ab intestato. ibidem.

Libertus si liberos non habeat, succedit ei patronus ab intestato in omnibus bonis. Si vero testamentum condat, & non habeat in bonis centum aureos, valoris quatuordecim regalium, & nouem marauedinorum, nihil illi relinquere tenetur: alioquin tertium bonorum tenetur ei relinquere. 631.A

Libertus si patronũ non alat, redigitur in seruitutem, & potest vendi vt patronus alatur. 999.B

Libri.

Libri dati à patre quando spectent ad filium, & quando non. 1044.B

Ligna.

Lignorum cæsio ad communes vsus ex syluis finitimis, donationibus illarum à principibus factis, non video cur potuit populus impediri. 225.E,226.A

Ligna cædere non plus possunt in eis prohibere qui eas concessione regis obtinent, quam rex ipse ante concessionem prohibere potuisset. 247.E

Ligna & alia à fluminibus delata, quando pro de relictis sint adhibenda. 236.A

Lignorum comparat dominium, qui rite illa cædit de communi, aut de priuata sylua ex facultate domini. 243.E

Ligna scindentes in cõmuni sylua ipsis riteprohibita, ad pœnã tenentur, si feratur sententia, nõ vero ad restitutionẽ, nisi damnum notabile fit. 244.A

Lignorum scissione de communi sylua, si damnum notabile datur, quando, & quousque sit restituendum, & quando non. 245.A

Ligna si qui de oppidis vicinis mutuo sibi inuicẽ de communibus syluis furari consueuerint, ad pœnã, si feratur sententia tenentur, non vero ad restitutionem, si damnũ notabile non dederint. ib.C

Lignorũ de syluis furtum infamiam non infert, neq; vt furtũ punitur. ib.D

Ligna ex aliena, vel communi vel priuata sylua scindẽtes, cõdemnati tenentur pœnã soluere, & restituere damnum, quando in more est positum, & præsumitur id velle dominos syluæ. ib.E

Ligna non potest cædere dominus populi de cõmuni sylua, nisi seruata proportione cũ alijs in suo ordine & gradu. Quod si excedat, restituere tenetur damnũ datum ob incrementum, nõ tamen tenetur ad pœnam nisi damnetur, aut damnari illicite impediat. 248.E,249.A

Ligna. Vide sylua.

Luctuosa.

Luctuosa in Lusitania quid. 570.D

Luctuosa quando à prælatis accipi possit, atque expendendã ab eo esse in operibus pijs. 571.C,D,568.C

Luctuosa accipitur in Lusitania de bonis mobilibus beneficiarij curati defuncti, & quibusdam in locis, etiam de alijs. 570.E,571.A

Ludus.

Ludo aut alio contractu oneroso, si quid à minore sit alienatum, neq; inæqualitas, fraus, aut dolus intercenit, obnoxium restitutioni id non est, antequam beneficio restitutionis in integrum à minore, tutore, aut curatore repetatur. 981.A,B

Lusitani.

Lusitani insulas viridis promontorij vacuas repererunt, gentiumque iure suas effecerunt, & quod commercium cum finitimis locis Africæ, mancipiorum præsertim, inde habeant. 167.D

Lusitani insulam Diui Thomæ sub linea æquinoctiali vacuã repererunt, gentiumq; iure suam effecerunt, & quæ commercia inde cum finitimis regnis habeant, mancipiorum præsertim. 170.B

Lusitani vltra promontorium bonæ spei Sofalæ sedem figunt, & quæ commercia inde cum finitimis Casseriæ regnis habeant. 175.D

Mala fides.

Mala & bona fide possidere quid. 271.B

Maioratus.

Maioratus dominus est bonorum vinculatorum. 36.B

Maioratus bona de iure Castellæ mortuo possessore transeunt absque traditione, etiam quoad possessionem, in successorem. 43.B

Maioratus bona si confiscentur ob delictum, vsusfructus bonorum maioratus pertinet ad fiscum interim dũ delinquens viuit. 59.B,C

Maioratus possessor, si vena in eo aperiatur, lucrũ efficit suum proprium, modo, si inde bonis maioratus detrimentum obueniat, id resarciat, & quid de huiusmodi resartione in Lusitaniæ Regno. 242.D

Maioratus in prædio si thesaurus reperiatur, quoad portionẽ quæ domino prædij debetur, pertinet præcipuus ad possessorem tunc maioratus. 248.D,E

Maioratus si rem præscribat tanquam maioratus bonum, accrescit maioratui, esto comperiatur postea nõ fuisse de bonis maioratus: secus si non tanquam maioratus bonum illam præscribat. 291.C

Maioratus quasi sint bona, præscribi nõ possunt aliqua sine titulo, nisi tẽpore de cuius initio nõ extat memoria, & quales testes esse, & quid testificari debeant. 306.B

Maioratus bona præscribuntur aduersus successores tempore de cuius initio non extat memoria. 312.E

Maioratus bona præscribi nequeunt aduersus possessorẽ spatio decem vel viginti annorum, etiã cum titulo: secus triginta aut plurium annorum, etiam sine titulo. In Regno Castellæ, quoties est nouus successor in maioratu, toties interrumpitur præscriptio. ib.& 323.A

Maioratus, feudũ, aut capella quãdo transeant ad monasterium, saltem quoad commoditatem, interim dum religiosus vixit, & quando non. 523.C

Maioratum à duobus reuocabiliter institutum, vno mortuo, potest alter, quoad ea, quæ ad se spectant, reuocare. 597.E

Maioratus fraude eo pacto instituto, animo illum reuocandi altero defuncto, aut si ipse prius sit in vitæ discrimine, quã tam restituendi obligationem inducat. 598.C

Maioratus reuocabiliter ab vno institutus, etiam de bonis alterius illo facultatem ad id concedente, morte instituentis infirmatur, ita vt alter, etiam quoad bona, circa quæ facultatem concessit, reuocare deinceps illam non possit. ibidem.& D

Maioratui succeditur non solum vsq; ad decimum, sed etiam vsque ad quemcunque vlteriorem gradum. 650.A

Maioratus aut feudi in successione, licet præferatur legitimatus per subsequẽs matrimoniũ filijs natis ex eodem matrimonio, aut ex alio posteriori, nõ tamen natis ex priori matrimonio, esto maior natu sit. 675.E

Maioratus, aut feudi in successione, minor natu legitimatus ex vna concubina per prius matrimoniũ, præponitur maiori natu legitimato post posterius matrimonium ex alia concubina. 676.C

Maioratus institutor si excludat legitimatos per subsequens matrimonium, in illo non succedunt. Non censetur tamẽ eos excludere si dicat, succedant soli legitimi, aut soli nati ex legitimo matrimonio. ib.& D

Maioratum vt obtineat, aut in feudum succedat, non potest legitimare, qui facultatem à principe ad legitimandũ habet. Neq; Princeps ipse legitimans ad ciuilia, censetur ad eũ effectum legitimare. 681.E

Maioratus, & alia bona restitutioni subiecta, nõ possunt impediri legitimatione alicuius, quin ad eum deueniant, ad quem, secluſa legitimatione essent deuentura, quando dispositio de eis bonis pendens non est à parente legitimandi, aut à principe. 701.C

Maioratus successioni præiudicari potest lege, ne ad eum deueniat, ad quem alioquin deueniret, quando id postulat, cõmune Reipublicæ bonum. ib.E

Maioratus duo, quorum alter reditus de dos euentos *excedat, si matrimonij occasione ad eundẽ filiũ sint deuenturi, in Castella inhibitum id est, & primogenitus eligit ex illis quem vult, alter ad secundo genitum spectat.* 702.A

Maioratus successione nõ potest quis priuari legitimatione alterius, etiãsi creatio maioratus ex priuilegio & gratia principis instituta esset contra aliquod ius. ib.C

Maioratus si ex institutione solum vocat masculos, non potest princeps habiles ad succedẽdum facere fœminas. 703.B

Maioratus institutor quando vocat aliũ in euentu si quis sine liberis discesserit, quando filius naturalis excludat substitutum, & quando non. 704.C,D

Maioratus in vinculo si cõsentiant filij communiter, & pater persteueret in consensu vsq; ad mortem, esto inde sequatur legitimarum imminutio, valet institutio, sibiq; præiudicant filij. 716.C

Maioratum si pater instituat ex legitima filij, & aliis bonis; inualidũ est quoad legitimã, & validum quoad incremẽtum, pertinetq; incrementum cum eo vinculo ad filium: si tamen maioratũ instituerat sub conditione, quod, si filius consentire nõ vellet in toto grauamine, incrementum ad aliũ pertineret, teneretur filius consentire, vel amitteret incrementum. 738.D,E

Maioratus valide ac licite instituitur, excludendo à participatione illius eos, qui religionem profiterentur, aut clerici fierent. 887.A

Maioratus institutioni esto appositus sit modus, vt, qui illi cõtrauenerit, ipso facto eũ amittat aut cẽseatur nunquã ad eum vocatus, non amittuntur fructus percepti à principio vsque ad transgressionem modi. 890.E

Maioratu succedens primo ex testamẽto institutoris, perinde est reputandus quoad inuentarij confectionem comparatione proxime sequentis, atq; heres grauatus comparatione fideicommissarij. 944.E

Mancipium.

Mancipia non sunt Christiani bello iusto ab alijs Christianis capti. 14.C

Vide seruus.

Manzares.

Manzares. Vide illegitimi.

Matrimonium.

Matrimoniũ contrahere, iungiq; ad generationẽ tenentur homines iure naturali, existente periculo interitus humani generis. 112.E,113.A

Matrimoniũ cum muliere de aliena tribu quousq; Iudæis prohibitum. 133.E,134.A

Matrimoniũ vsus q; illius prohiberi seruis non possunt. 203.C

Matrimonij dispensatio circa consanguinitatis gradus vtrvali da sit, necesse est, si alter minus à trunco distet, quam inter se id exprimatur, itemq; si varijs vijs sit consanguinitas aut affinitas inter eos. 633.A

Matrimonium qui clandestine cum aliqua contrahit. & testes, quam pœnam in Castella incurrant. 724.E

Matrimonium aut sponsalia celebrantes famulus cum filia, aut consanguinea heri, quam domi habebat, quas pœnas in Castella vterque incurrat. 724.C,D

Meditationes bellicæ.

Meditationes bellicæ, vt torneamenta, & hastiludium, si sine notabili periculo mortis aut mutilationis fiat, ratione habita vtilitatis, quæ Reipublicæ, atq; Ecclesiæ prouenit, illicita non sunt: secus si cum probabili periculo fiant. 444.D,E

Medium.

Medium aliarum virtutum comparatione, & iustitiæ diuersimode sumitur. 7.E

Medium iustitiæ & aliarum virtutum. 18.E, & 19.A

Medium commutatiuæ iustitiæ secundum arithmeticam, distributiuæ autem secundum geometricam portionem. 23.D

Melioratio.

Melioratio iure Castellæ fieri potest nepotibus, etiam superstitibus eorum parentibus. 626.E, & 627.A

Melioratio in tertio & quinto facta in testamento, in quo filius aliquis præteritur ex ignorantia, quod existat, aut existet, quando valida sit censenda, & quando non. 710.D,E

Meliorans in Castella aliquem descendentium in tertio & quinto bonorum, deligere potest sibi rem, aut res certas in bonis suis in quibus id accipiat, modo tertium & quintum non excedant, &, quando id non elegit, in quibus bonis sit id soluendum. 872.C

Melioratus ita, repudiare potest hæreditatem, & accipere solam meliorationem, & quousq; ad onera defuncti teneatur. ib.D,E

Melioratio eiusmodi legatum est, aut prælegatum. ib.

Meliorationis tertij & quinti, quando meliorans elegit rem, quæ illa non adæquat, quando soluendum sit decrementum. & quando, si res pereat, debeatur adhuc melioratio. 874.B

Meliorans ascendentem in tertio, aut etiam extraneum in quinto, an deligere sibi possit bona, in quibus illud accipiat. 875.B

Melioratio aut legatum tertij in Lusitania soluenda sunt in bonis defuncti, deligereq; potest testator prædium, in quo illud sumatur, præsertim quando maioratum aut capellam instituit. ib.D

Mercedes famulorum.

Mercedes famulorum intra quantum tempus in Lusitania peti debeant, vt actio concedatur. 286.C

Mercedes, & quædam alia debita, intra quãtum tempus peti debeant in Castella, vt concedatur actio. ib.E

Mercedes famulorum, nihil impedientibus iuribus Castellæ & Lusitaniæ, nullo tempore in conscientia & exteriori foro præscribuntur cum scientia, quod debeantur. 287.B

Meretrix.

Meretrix publica non solũ accipit licite quod pro fornicatione commeruit, sed etiã in exteriori foro conceditur illi ad id actio. Quod si nihil constitutum erat, exigere potest cõsuetum pretium. 384.A,B

Metallum.

Metallorum venæ, stãdo in solo naturali ac gentium iure, ad illos quo ad dominium spectant, quorum sunt prædia, in quibus sunt, vt & saxorum venæ: iure tamen communi & particularium Regnorum Principi, aut Reipublicæ ad cõmunes sumptus deputantur. 241.C,D

Metallorum venas quærentibus ac inuenientibus, quæ concedens leges Lusitaniæ. 241.E

Metallorum venas quærentibus ac inuenientibus, quæ concedant leges Castellæ. 242.A

Metallorũ vena si sit in prædio maioratus, lucrum, quod possessor inde reportat, suum est, modo indemnia bona maioratus ex eo capite seruet, & quomodo in Lusitania sint seruanda. ibid. E, & 243.A,B

Metalli aut rei alterius vena in fundo dotali inuenta, quando, quod extrahitur, cedat in augmentum dotis, & quando ad virum pertineat tanquam vsufructus. 243.D,E

Miles.

Milites, qui parati sint quoscunq; sequi ad bellum, nihil curando an bellum sit iustum, vel non, in statu sunt damnationis æternæ. 453.C,D

Militi debitum est stipendium ipsi constitutum. Quod si non soluatur, de iustitia tenetur Princeps ad restitutionem. Licitumq; militi est occultam facere compensationem, si sine scandalo possit. 452.C

Miles pro stipendio tenetur, etiam cum vitæ periculo, seruare stationem, defendere arcem, aut quodvis aliud sibi commissum præstare sub reatu lethalis culpæ: quin, si fuga ipsius causa sit damnorum, restituere ea tenetur. ib.D

Miles, quando spes non est prælandi, expectare non tenetur cum periculo vitæ. ib.

Miles deserere non potest castra sine ducis aut Principis facultate, & quam graue peccatum sit, & quot mala ex illa se quantur, & idcirco mirandum non esse, quod capite plectatur, aut triremibus adigatur. ib.E

Miles restituere tenetur Principi, si duplicatum stipendiũ occulte accipiat, aut vltra sibi constitutum, vel in causa sit, vt dux, vel alter id accipiat. 453.C

Milites, qui chirographa hospitij ad multos in eodem populo accipiunt, & ne hospitium eligant quorundam, ab hospitibus pecuniam accipiunt, hospitanturq; apud quendam alium, peccant, restituereq; id tenentur, & ministri, qui duplicata chirographa concedunt. 454.A

Milites, qui ab hostibus plus extorquent, quam illi dare tenentur, peccant, & restituere id tenentur. ib.B

Milites quando ab incolis, vel inuitis, accipere possunt necessaria. ib.E

Miles accipere potest gratis ab hospitibus, quæ habuerit consuetudo præscripta loci, vt ei gratis dentur. 455.A

Miles si instituat hæredem in re certa, aut quota, & sciens ac prudens de reliquis bonis non disponat, pertinent reliqua ad hæredes ab intestato neque accrescunt hæredi instituto. 615.B

Militaris substitutio varie incompendiosa effecta. 821.D,E

Miles, qui militiam exercet, tutor esse non potest. 958.E, & *seq.*

Vide bellum, & testamentum militis.

Militia.

Militia quid. 1046.E

Militia quando conferenda, aut quod ad illã comparãdam datum est, quando non item. ib.C

Minæ.

Minæ. Vide metallorum venæ.

Minister.

Minister publicus. Vide accipere.

Minores fratres.

Minorum fratrum paupertas, ita vt nullius rei, etiã in communi, dominium habeant, defenditur. 46.C

Vide religiosus.

Minor.

Minoris contractus & alienatio sine solemnitatibus reuocatur, nisi iuramento confirmetur. 580.B

Minor ad iudicium sine curatore non admittitur, nisi causa spirituales sint, aut spiritualibus annexa, & quia adhuc impuberi post septennium curatorem tradit. 948.D,E

Minori vsq; ad pubertatẽ completã tutor, curator vero deinceps vsq; ad vigesimũ quintũ annũ traditur. 949.A, & B

Minor pubes si curatore careat, valent acta per eũ extra iudicium, sed restituitur in integrum. ib.C
Minoris personæ curam habent tutor & curator, sed præcipue tutor. 969.B
Minoris educationem licet præscripserit testator, potest iudex contrarium statuere, si ita expedire iudicauerit. ib.
Minoris educatio commodius sit apud matrẽ, & ideo illi minor est tradendus, nisi contrarium suadeant circumstãtiæ concurrentes. ib.C
Minori infanti nisi circũstantiæ illam excusent, tenetur mater præbere lac quousq; sit trium annorum, reliqui omnes sumptus de bonis minoris fieri debent. 970.C,D
Minor, si mater ad secũdas trãseat nuptias, ab ipsius & vitrici educatione est extrahendus, nisi circũstantiæ contrariũ expedire suadeant. ib.
Minor quando matre & auis caret, ad iudicem spectat statuere vbi educari debeat, & quæ ad id attendi debeant. ibidem.E
Minores, qui attenta ipsorum qualitate seruire aliis possunt aut artem addiscere, quibus in Lusitania sint tradendi. ibidem.
Minoribus portio ad alimenta à iudice debet taxari, & moderari, etiãsi à patre esset taxata, & si excessiua sit, quando excessus in damnum tutoris, aut curatoris redundet. 971.A
Minoribus ita portio taxari debet, vt, si cõmode fieri possit, nõ insumant reditus oẽs sui patrimonij, & quãdo fas sit patrimonium minuere. 970.C,D
Minoris alimenta quæ comprehendant. 971.A
Minorum bona qualiter tutores & curatores administrare debeant. ib.B
Minorũ quæ bona possint tutores & curatores vẽdere ac alienare sine iudicis decreto. ib.C
Minorum bona emere non possunt tutor & curator, & personæ illis subiectæ, emptioq; est nulla, & quæ pœnæ sint statutæ. ib.E
Minorum pecunia qualiter à tutoribus & curatoribus collocanda. 973.B
Minorũ quæ bona sine iudicis decreto alienari à tutoribus & curatoribus non possint. ib.E
Minoris bona vt alienẽtur, quæ causæ legitimæ, vt iudex decretum concedat. 974.A
Minoris bona quãdo iudicis decreto alienãtur, à quibus alienatio incipere debeat. ib.E, & seq.
Minor, qui veniam ætatis obtinuit, alienare non potest bona immobilia sine decreto iudicis: secus mobilia, quæ sine decreto, si veniam non obtinuisset, alienare non posset. 975.A
Minori cui venia ætatis concedatur, quid ea sit, & eo ipso cessat beneficium restitutionis in integrum, & ab eo puncto, quo ad tempus præteritum incipit currere quadriennium quod aliis minoribus incipit expleto vigesimo quinto anno. ib.
Minoris res immobiles alienari per tutorẽ, aut curatorẽ possunt sine iudicis decreto, quãdo id præcepit testator, etiam in testamento minus solemni. 976.C,D
Minoris vt bona alienentur, quis iudex interponere debet decretum. ib.& E
Minor infantiæ proximus potest sibi obligare alterũ, non vero ei obligari. 977.A
Minor pubertati proximus cũ tutoris autoritate potest alteri obligari, & sine ea sibi alterum obligare. ib.B,C
Minor sine autoritate tutoris aut curatoris, quo sensu, quãdo contractus est mutuus, obliget alterũ sibi, & ipse obligatus non maneat. ib.D
Minor infantiæ proximus de dolo non tenetur, sed solũ quantum ex re alterius factus est locupletior. 978.A,B
Minor, etiam pubertati proximus, licet ex suo contractu sine autoritate tutoris celebrato, aut ex minori culpa, quã dolus, obligatus non maneat, manet tamen obligatus naturaliter. ib.C
Minor idem si cum tutore contrahat, non manet naturaliter obligatus, nisi inde factus esset locupletior, aut eãdem rem dolo destruxisset, aut alienasset: nam tunc ciuiliter tenetur. ib.D
Minor in quibus cuentibus tenetur solum naturaliter, si fide iussorem dedit, tenetur fideiussor ciuiliter: præterea, esto fideiussorem non dederit, datur exceptio ciuilis aduersus minorem, quod is, qui cum eo contraxit, compensare velit debitum suum ciuile cum eo debito naturali. Minori tamen per restitutionem in integrum non solum conceditur eam elidere, sed etiam repetere, quod ita esset compensatum. ib.E
Minoris quoad cõtractus, & solutiones vtriq; factas, exponitur doctrina iure tradita. ib.& 980.C
Minor si pubes sit, & curatorem habeat, eadem quoad contractus & solutiones sine curatoris facultate facta locum habent, quæ in pubertate proximo. Si vero curatorem non habeat, valẽt acta per eam, modo ad ea, ad quæ iudicis decretum est necessarium, tale interfuerit decretum. Et semper, si notabiliter sit læsus, restitutio in integrum ei conceditur. 979.D,E
Minor pubes, si quæ egerit in iudicio sine curatore, inualida sunt in suum incommodum, valida vero in commodum. Absolute vero valent, si causæ spirituales sint, aut spiritualibus annexæ, & semper ei, si læsus sit, conceditur restitutio in integrum. 980.A
Minor si in iudicio de sola possessione recuperanda agat, valent quæ sine curatoris autoritate egerit, sed restituetur, si sit læsus. ibid.B
Minori autoritas tutoris aut curatoris præstari debet per seipsum, & non per epistolam aut nunciũ, atq; in eo ipso negotio aut causa, & non ex interuallo antea aut postea, alioquin acta non valent. ib.& C
Minoris solutio aut alienatio cũ traditione sine tutoris, aut curatoris autoritate, neq; dominiũ, neq; possessionẽ transfert, esto res ab eo naturaliter, & ciuiliter debeatur: & an retineri tuta conscientia possit. ib.E
Minor si quid oneroso contractu, etiã ludo, alienauit sine autoritate tutoris aut curatoris, si inæqualitas, fraus aut dolus nõ intercesserit, restitutioni non est obnoxium, ante quã beneficio restitutionis in integrum à minore, tutore, aut curatore repetatur. 981.E

Missilia.

Missilia quæ, & fiunt primo occupantis. 238.D

Moblies res.

Mobiles & immobiles res quæ, & ex iuribus & actionibus, quæ cum immobilibus, quæ cum mobilibus computẽtur. 290.C

Modus.

Modus quid. 889.B
Modus dispositionẽ non suspendit, ac proinde illo nõdum impleto, transmittitur legatum aut hæreditas, quandomodus per successorẽ impleri potest, teneturque successor illum implere. ib.C
Modus quibus verbis adhibeatur. ib.D
Modus conditionis vocabulo sæpe exprimitur. ib.
Modi nomẽ si apponatur & dicatur, vt ante emolumentum percipiendũ impleatur, vim habet conditionis, & suspendit dispositionẽ: secus si solũ dicatur, vt id ante possessionẽ adeptam impleatur. 890.C,D
Modus dispositioni si ita apponatur, vt, qui contrauenerit, eo ipso id amittat, aut censeatur nũquam ad id vocatus, qui contrauenit, non transmittit id ad ipsius hæredes, quin potius tenetur id restituere cũ fructibus inde à principio perceptis, atq; de ea re à principio cauere debet. Excipe in maioratu. ib.E
Modus si appositus sit legato, aut alij dispositioni, antequam

restradatur, tenetur accipiens cauere de restituenda, & fructibus ex ea perceptis si modum non seruet: nondum vero cauisse: non impedit transmissionem rei illius ad haeredes. 891.B

Modus si solum respiciat legatarij vtilitatem, ita vt obligationem illum adimplendi non inducat, necessaria non est cautio de illo adimplendo, & quando, esto obligationem inducat, cautio necessaria non sit de fructibus restituendis. ib.C

Modus quando adhibitus est in vtilitatem tertij, si per illum steterit, quo minus impleatur, habetur pro impleto. ibid. D

Modus impossibilis, tam de facto, quam de iure pro non appositio habetur, non solum in vltima voluntate, sed etiam in quacunque alia dispositione. ib.E, & seq.

Modus quando resoluitur in conditionem, cur in legato aut donatione non efficiat fructus medij temporis legatarij ac donatarij, cum tamē effiecat emptoris fructus medij temporis rei sub eo emptæ. 892.C,D

Modus legato, donationi, aut alteri dispositioni appositus, quando obligationem eum implendi inducat, & quando non. Quando item obligationem implendi inducat, sed sine onere restituendi rem, & quando cum onere illam cum fructibus à puncto non impleti modi perceptis, & quando etiam cum fructibus à principio ex illa perceptis. 892.B,C

Modum non implere, quando ea de causa nulla non redditur dispositio, quando culpam lethalem, & quando venialem inducat, & quousque eum implere sit quis cogendus. 894.D

Modus si appositus sit donationi aut legato ad pias causas, nō censetur appositus intentione vt sit nulla dispositio si modus non seruetur, quando id non fuit expressum: si tamen constet eam fuisse donantis, aut legantis, intentionem, nulla redditur. ib.E, & 895.A

Monarchia.

Monarchia seu Regnum quid. 117.B

Monarchiæ regimen cæteris præstantius. 120.E, & seq.

Monasterium.

Monasteria in Lusitania sine Regis facultate accipere nō possunt bona immobilia, & si aliqua ad ea deueniant, intra quantum tempus tenentur illa alienare. 525.A

Monasterium. Vide religiosus.

Monialis.

Vide Religiosus.

Mores.

Mores qui legu vim habeant. 9.A

Mors ciuilis & naturalis.

Mors ciuilis quæ. 56.C

Morte ciuili aut naturali damnatus testari non potest de iure communi, amittitque vsumfructum. 57.A

Morte ciuili aut naturali damnati, testari possunt de iure Castellæ, quoad ea, quæ illis non confiscantur. 58.A

Morte ciuili aut damnatione ad mortē naturalem in Castella & Lusitania vsusfructus non amittitur. ib.B

Munus.

Munus ministro publico dans, vt suam redimat vexationem quia alioquin iniuste grauabitur, non peccat, etiamsi, & dare, & accipere sit prohibitum. Sola autē formido, quod, nisi det, iniuste grauabitur, non excusat dantem à culpa. 356.B,C

Munera licite offerantur ac donantur sub conditione, si aliquis faciat bonum, ad quod tenetur, aut desistat à malo, & licite accipiuntur conditionem implendo, modo de donantis animo constet. 378.B

Vide Visitator, Procuratio, & Accipere.

Mutilario.

Vide Occidere.

Mutuum.

Mutuum intendens ab alio ii, qui donat, ad eum finem dono illum alliciens, non peccat, neq; alius id intelligens, dōnumq; comparat accipiens, modo de animo donandi sibi persuadeat, neque proinde tenetur postea mutuo illi dare. 379.B

Naturale.

Naturalis iuris nullum fuit præceptum de possidendis bus in commune. 101.D

Naturales filij. Vide illegitimi.

Naufragantes.

Naufragantium bona pro derelictis non sunt habenda. Et iniquæ sunt leges, quæ ea domino loci applicant. 245.E

Necessitas

Necessitatis extremæ, aut pene extremæ, tempore communia quoad vsum, debent esse bona', sub reatu lethalis culpæ. 105.B

Nobilitas.

Nobilitas parentum, eorumq; quæ cum nobilitate coniuncta sunt, successores non sunt y illegitimi filij, qui naturales non sunt secus naturales. 672.A,B

Notarius.

Notarius sumere à litigantibus potest stipendium, nō solum quando delegatus Summi Pontificis, sed etiam quando ordinarius cognoscit de causa. 349.A,B

Nouem dies.

Nouem diebus à morte defuncti inquietari non possunt, aut in iudicium vocari, haeredes, vxor illius, aut alij propinqui nisi illorum malitia aliud postularet. 919.D

Nubere.

Nubens secundo intra annum à morte mariti hæres esse non poterat, sed id canonico iure est abrogatum. 609.D

Nubenti filia sine patris consensu leges, quæ exhæredationis pœnam statuunt, validæ ac licitæ sunt. 726.A,B

Nuncius.

Vide Legatus.

Obedientia.

Obedientia potestatibus iure humano constitutis, cur de iure sit naturali. 127.A,B

Obligatio.

Obligatio guarentigia quæ. 295.A

Obses.

Obsides interfici non possunt ob culpam eius, qui eos tradidit, si innocentes sint, retineri tamen possunt, ac seruituti subijci. Quod si in culpa ipsi etiā sint, interfici possunt, si culpa pœna tanta sit digna. 466.E

Occidens.

Occidens aut mutilans, quando id vitare potest, etiam cum iactura proprij honoris, famæ, & bonorum temporalium, irregularitatem incurrit. Itemq; quando in defensionem alterius occidit aut mutilat, quando sub reatu lethalis culpæ non tenetur id facere. 439.E

Occidens aut mutilans, quando ad id ex eo sub culpa lethali tenetur, quod ipse subijcere se voluit muneri, vnde ad idne teretur, irregularitatem incurrit, vt cernitur in iudice. Itemq; qui sua culpa in eas se redegit angustias, vt ad euadendam propriam aut patris mortē necesse illi fuerit mutilare aut interficere. 440.A

Occidens vel mutilans, mortiue aut mutilationi obijciens alterum denuntiando, aut alia ratione, quando ad id tenetur sub culpa lethali, non ex munere, cui se subiecerit, neq; quod ob suam culpam in eas se redegerit angustias, irregularitatem non incurrit. Neq; in his euentibus necessaria est protestatio. ib.C

Officia.

Officium administrare nullus in Lusitania potest proalio, nē si vigesimum quintum annum expleuerit, sub pœna amissionis officij, aut valoris illius. 365.E

Officia à Rege accepta, sine Regis facultate vendi non possunt in Lusitania, sub pœna amissionis officij & pretij, etiam quod sperabatur. ib.C

Officium omnes in Lusitania sine Regis facultate incapaxest illius

illius, neque retinere illud poteſt, etiam ante latam ſententiam. ib. D.
Officium vendens in Luſitania abſq; Regis facultate, illud non amittit ante latam ſententiam. Et quid emens, & vendens facere debeant, vt tuta conſcientia emens retinere poſſit officium, & vendens pretium. ib.
Officium vendens in Luſitania abſq; Regis facultate, pretiumq; accipiens, reſtituere illud tenetur ante latam ſententiam danti (caueat ne iterum cogatur ſoluere Regi) lata vero ſententia ad fiſcum Regis pertinet. ib. E
Officij renunciatio in fauorē alicuius facta in Luſitania poſtquam renuncians in morbum incidit, ſi renuncians moriatur intra triginta dies ab ea facta, eſt nulla, deuoluitur que officium ad Regem, etiamſi à Rege vi renunciationis eſſet illi alteri collatum. 366. A
Officium renuncians aut vendens in Luſitania ex facultate Regis poſt crimen cōmiſſum, quo eo priuari erat dignus, amittit valorem officij, dimidium fiſco, & dimidium accuſanti, conceditur que actio ad eam pœnam biennio à renunciatione: is vero illud retinet, qui vi talis renunciationis illud obtinuit. ib. B
Officium adminiſtrari non poteſt in Luſitania per illum, niſi ex facultate Regis, alioquin illud amittit, & adminiſtrans ſoluit valorem illius, dimidium fiſco, & dimidium accuſanti. ib. C
Officia conferendi facultatem in Luſitania habentes; prohibiti ſunt ea vendere, vendiue facere, itemque pecuniam pro collatione accipere ſub pœna, vt, qui illa emerit, aut pecuniam pro collatione fuerit largitus, officium amittat accuſanti, & inſuper omnia bona ſua, dimidium accuſanti, & dimidium Regis fiſco. Poteritq; vtraq; pœna exigi ab eo toto tempore vitæ ſuæ, nulla præſcriptione eum iuuante. Collator vero punitur amiſſione poteſtatis illud deinceps conferendi, tranſitq; eo ipſo poteſtas ad Regem. Collatores iuramentum exigere debent ab accipientibus ante collationem, ipſos ea non velle, vt alteri vendant: quod ſi poſtea conſtet aliquem voluiſſe ea vendere, puniuntur vt periurus. Hæ omnes pœnæ locum non habent ante latam ſententiam & accipiens ita officium, retinere illud poteſt vſque ad ſententiam. ib. & D
Officium non amittitur ante latam ſententiam, eſto cōmiſſum ſit crimen, pro quo pœna amiſſionis illius ipſo iure ſit ſtatuta, niſi aliud addatur, quo ſignificetur, neceſſariam non eſſe vt feratur ſententia. 401. C, D
Officium, aut, quod ad id comparandū datum eſt à parente, quando conferendum, quando non item. 1046. B, C
Officium datum filiæ in dotem, quando, licet conferendum non ſit, expiretq; cum viro, æſtimatio tamen illius ſit reddenda vxori, aut hæredibus illius. 1047. B
Officium ſi ſit emptum conſtante matrimonio, vt regimēto, quod in Caſtella vocant dimidiū æſtimationis pertinet ad vxorem, aut hæredes illius. ib. E, & ſeq.

Opera pia.

Opera pia quæ. 498. C

Pactum.

PAciſci ob rem turpem patrādam illicitum eſt, & peccatum, integrumq; eſt vtriq; contrahentium diſcedere à pacto ante rem patratam, etiam alio inuito, re autem iam patrata, ex iuſtitia debetur pretium promiſſum, ſtādoque in ſolo iure naturali, licite exigitur & accipitur. 381. D
Pactum de re turpi, eius ſpeciei eſt peccatum, cuius eſt talis res turpis. ib. E
Pacta, contractus, promiſſiones, & renunciationes iuramento non confirmata poteſt irrita reddere ex rationabili cauſa, non ſolum poteſtas Eccleſiaſtica, ſed etiam laica. 583. C, D
Pactum iuramento confirmatum. Vide iuramentum.

Parens.

Parentum in filios poteſtas quanta, eſtque de iure naturali, maiorque eſt patris, quam patris. 112. C
Parentibus ſtando in iure naturæ fas eſt vendere filios in ſeruos, vt grauem euadant neceſſitatem. 163. D
Vide Pater.

Paræſcia.

Vide Sepultura.

Partitio.

Partitio bonorum cum ſit, ante omnia extrahitur æs totum alienum: præponitur vero capitale vxoris, quæ contractu arrharum & dotis contraxit, quando obligatum non erat debitis. 1024. E, & ſeq.
Partitio bonorum cum ſit, quæ alia ſint extrahenda, vt tandem ad partitionem deueniatur. 1025. A
Partitio bonorum defuncti, quando non ſunt deſcendentes, quo pacto facienda. ib. B
Partitio bonorum defuncti inter deſcendentes quomodo facienda. ib.
Partitio bonorū defuncti, ſi aliquis abſens ſit, an differenda, & quid interim faciendum. 1056. E
Partibilia ſi non ſint aliqua bona, quia diuidi commodenon poſſunt, quo pacto compenſatio facienda, & quis ea accipiet. 1057. D
Partitionis difficultates iudex dirimit, ac componit. ib. E, & 1058. A
Partitionem quædam alia attinentia explanantur. ib.
Partitione facta, coheredes mutuo tenentur ad inuicem de euictione, ſi aliquid ab eorū aliquo euincatur, ad idq; cautionem præſtare tenentur coram iudice. Si tamen inter omnes conueniat, vt nullus de euictione teneatur; ſtandum eſt contractui. Si item teſtator præſcripſiſſet, quis quæ bona in particulari acciperet, nullus de euictione teneretur, niſi minueretur legitima alicuius, aut de contraria teſtatoris voluntate conſtaret. 1059. A, B
Partitio bonorum peracta, quando reuocari poſſit, quando non item. ib. C
Vide Collatio.

Partus ancillæ.

Partus ancillarum ab hæreditate ædita pertinēt ad hæredem grauatum, computandi in Trebellianicam: quando fideicommiſſum non ſtatim à morte teſtatoris eſt reſtituendum. 798. A, B

Paſcens, & paſcua.

Paſcens pecora in loco cōmuni quidem, ſed vel locato, vel conceſſo alicui ſoli, vt ipſe ibi paſcat, & pœnam ſoluere tenetur, & reſtituere illi damnum, quod ei eo modo intulit. 238. B
Paſcens communitatis ſuæ communia loca extra præſcripta leges, pœnam tenetur ſoluere ſi damnetur, non verò reſtituere, niſi damnum admodum eſſet notabile. Idem quando vicina duo oppida mutuo paſcere ſolent communia loca. ib. C
Paſcere quousq; poſſit dominus oppidi in communibus eius oppidi paſcuis. ib. D
Paſcendo ſua pecora cum dominus populi damnum communitati vel priuatis auſert, id totum reſtituere tenetur, niſi liberam omnino remiſſionem obtineat. 259. B, & C
Paſcens aliena paſcua vel communitatis, vel priuati, ipſis inuitis, lethaliter ex ſuo genere peccat, ſoluere tenetur pœnam, ſi damnetur, & quando ac quousq; damna reſtituere teneatur. 260. B
Paſcendi ius in prædio alieno cū ſeruitutibus diſcontinuis annumeratur, vt vero ſine titulo præſcribatur, neceſſarius eſt vſus de cuius initio non extat memoria, vt in ſeruitutibus diſcontinuis. 293. B, C
Paſcua licet quinis gentium iure prohibere poſſit alius in

prædiis ſuis, Princeps tamen ſtatuere poteſt, vt omnibus communia quoad paſtum ſint collectis fructibus: niſi inde detrimentū aliud in planctinalis domino ſequatur. 260. B,C

Pater.

Pater vſumfructum habet legalem in bonis aduentitijs filij familias. 53.C

Pater vſumfructum in quibus euentibus non habet in bonis aduentitijs filij familias. ib.E

Pater vſufructuarius in bonis filij cauere non tenetur. Et ad quos ſumptus teneatur. 54.D

Pater ſolus quotuſcunq; de iure Cæſareo ſubijcere ſeruituti poſſit filium familias ob grauem neceſſitatem. 163.D

Pater vſufructuarius in bonis filij, licet inuentarium conficere non teneatur, quando tamen tempore traditionis futurum eſſet obſcurum, quæ ea bona eſſent, tenetur in conſcientiæ foro facere catalogum eorum, & in exteriori ad id poteſt cogi, & quod in Luſitania ad id teneatur. 946. D

Pater in cuius poteſtate eſt filius, pōt illū reuocare ab illo cui ſine contractu patris ſeruiebat, & à quocunq; alio, à quo detineatur, & reuocare illum fugitiuum. 994.B

Pater, & filius, qui in eius eſt poteſtate, contendere non poſſunt in iudicio, niſi de caſtrenſi aut quaſi caſtrenſi peculio, & in paucis alijs. ib.D

Vide parens.

Patria poteſtas.

Patria poteſtas amittitur maxima aut media capitis diminutione patris aut filij, & crimine hæreſeos. 57.C, & 58. E

Patriam poteſtatem egreditur filius per profeſſionem patris aut ipſius filij. 522.B, 1003.B

Patria poteſtas cui, & quorū comparatione conueniat. 769. B,C, 1003.C

Patria poteſtas quorum comparatione, & quouſque: & quorum ac quouſque de iure Caſtellæ & Luſitaniæ. 948.A,B 986.E, & ſeq.

Patria poteſtas de iure communi Romanorum introducta. 986.B

Patria poteſtas in quo, & quorum comparatione iure cōmuni reſideat. ib.C

Patria in poteſtate, non eſt filius illegitimus, etiāſi naturalis ſit, niſi legitimetur, nec ſufficit diſpenſatio. ib.E

Patriam habet poteſtatem arrogans in arrogatum. 987.E

Patriā poteſtatem non cōparat adoptans in adoptatū, quando non eſt de numero aſcendentium. 990.E

Patriæ poteſtatis primus effectus, quod bonorum aduentitiorum filij familias adminiſtratio, & vſusfructus pertinet ad patrem. 993.E

Patriæ poteſtatis effectus ſecūdus, quod neceſſitate preſſus vēdere poteſt filium: id tamen non competit arroganti & adoptanti. 994.A

Patriam poteſtatem non comparat adoptans in adoptatum, quando non eſt de numero deſcendentium. 990.E

Patriæ poteſtatis effectus eſt, arrogantem præbere teneri alimenta arrogato. 999.C

Patriam poteſtatem egreditur quis morte naturali eius in cuius poteſtate erat, quando non relabitur in alterius poteſtatem, vt in Luſitania & Caſtella non relabitur. Item morte ciuili vtriuſuis, hoc eſt, tā patris, quam filij. 1001. B

Patriam poteſtatem egreditur filius hæreſi propria aut parentis, tametſi pater non amittat vſumfructum, quem ante hæreſim filij in bonis illius habebat, in bonis tamen, quæ poſt hæreſim filius comparat, pater vſumfructum non acquirit. 1002.B

Patriā poteſtatem egreditur filius inceſtis nuptijs patris, modo copula ſint confirmatæ. ib.D

Patriā poteſtatem egreditur filius. ſi vel pater, vēl filius ab hoſtibus capiatur: ſi tamen liberetur, cenſetur nunquam egreſſus patriam poteſtatem. Per captiuitatem tamen bello iniuſto patriæ poteſtas non ſuſpenditur. ib.E

Patriam poteſtatem egreditur electus in Epiſcopū, aut Cardinalem, non vero clericus. ib. & 1003.A

Patriam poteſtatem egreditur filius, etiam quoad bona ſua, per ſui electionem in patritium, hoc eſt, conſiliariū Regis, aut in Conſulem, & per adminiſtrationem aliarū decem dignitatum. Egreditur vero non quoad ea, quæ ex patriæ poteſtate in filij commodum cedunt. 1003.C

Patriam poteſtatem egreditur filius per emancipationem, & quo pacto fiat: retinet vero pater dimidiam partem vſusfructus bonorum, quæ filius tempore emancipationis habebat, in Luſitania vero nihil. 1004.A

Patriam poteſtatem in Caſtella, & Luſitania egrediuntur filij & filiæ per matrimonium: modo in Caſtella velati ſint. 1005.B,C

Patronus.

Patronus non habet ius eligendi in rectorem aut prælatum Eccleſiæ collegiatæ, niſi id deduxerit in pactum, fueritq; conceſſum tempore fundationis, aut donationis, neque quicquam valet conſuetudo in contrariū. Et nihilominus præſcribi poteſt ius ita eligendi & præſentandi tempore de cuius initio non extat memoria. 305.C

Patronus quis. 630.E

Patroni ſunt vir & vxor, ſi vterque manumittat, & qui ſuccedant in patronatum, hæredesque proinde ſine liberto. 631.D

Patronus non ſuccedit liberto habenti filios legitimos, aut naturales, qui ei neceſſario ſuccedant in patronatu, hæredeſque proinde ſint liberto. 630.E, & ſeq.

Patronus, ſi libertum egentem non alat, amittit ius patroni erga illum. 999.B

Vide ius patronatus.

Paupertas.

Paupertas minorū, ita vt nullius rei, etiam in cōmuni, dominium habeant, defenditur. 46.C

Paupertas Chriſti qualis. 135.A, 136.D

Paupertas ſocietatis Ieſu qualis, & quædam illi peculiaria. 511.C

Peccatum.

Peccata omnia, qua ratione ad tribunal Eccleſiæ pertineant. 148.D

Peccatum alterius, licet nunquam fas ſit intendere, aliquando fas nobis eſt permittere, imo & illius occaſionem præbere. 435.B,C

Penſionarius.

Penſionarij beneficiarijs annumerantur, ad effectum, vt indè ſumere poſſint ſolam competentem ſuſtentationem, & vt remanentia inter ſpolia clericorum computentur. 554. D

Peregrinus.

Peregrino decedente ab inteſtato in hoſpitali, neque habente conſanguineum vſque ad decimum gradum, de quo poſſit conſtare, Epiſcopus diſtribuit bona illius mobilia in pias cauſas. Et quid in Regno Caſtellæ de peregrino vniuerſim ab inteſtato decedente. 230.A, 645.B

Perſonalis actio.

Perſonalis actio reſpondet iuri ad rem: realis vero iuri in re. 30.C

Pia cauſa.

Pia cauſa quæ. 498.C

Pia cauſa hæres inſtituta, neque inuentarium confitiens, tenetur creditoribus & legatarijs vltra vires hæreditatis: niſi abſque culpa illud omiſerit: nam tunc neque hæres alias priuatus tenetur legatarijs vltra vires hæreditatis. 923.E

Pietas.

Pietas eſt filij ad patrem. 16.E

Pietati reſpondens virtus eſt patris ad filium. 17.C

Pignus.

Pignoris & hypothecæ ſine traditione comparatur ius in re. 33.D

Pignoris & hypothecæ diſcrimen. 34.A

Pignore ſi quis inuito domino vtatur, & peccat, & valorem vſus reſtituere illi tenetur. 44.E

Piſcari.

Piſcationem aliquorum piſcium lucri ac redituum gratia, quousque liceat principibus ſibi reſeruare. 224.D

Piſcari alium iniuſte prohibens, ad quantam reſtitutionem ei teneatur. 231.B

Vide Venatio.

Planta.

Plantarum dominium ſoli domino cedit. 253.D

Pœna.

Pœna talionis qua. 26.B

Pœnæ ſeruus quis. 56.A

Pœnam, etiam lata ſententia, non tenetur delinquens ſoluere, quando non exigitur, nec executio ad ipſum ſpectat. 281.C

Pœna præſcribitur, etiam poſt latam ſententiam, & cum ſcientia quod lata ſit, quando executio ad delinquentem nõ ſpectat. ib.

Pœnæ, vt collationes à Rege factæ commẽdarum, officiorũ, & ſimilium rerũ, ſint nullæ, ſi munus aliquod miniſtro, per quem id fuit expeditum, fuerit promiſſum, aut datum: itemq́; pœnæ amiſſionis ipſo facto officiorum, miniſtrorum accipientium munera ſtatutæ in Luſitania, vim non habent ante latam ſententiam, neq́; retrotrahuntur ad tempus commiſſi delicti, vt reditus inde percepti reſtituantur. 355.A,B

Pœna vendentibus aliquid ſtatuta, non incurritur, niſi conſummata venditione per traditionem. 361.C

Pœnam non ſtatutam ipſo iure aut ipſo facto obligatio non eſt ſoluere ante latam ſententiam. 388.E, & ſeq.

Pœna confiſcationis ſtatuta ipſo iure, aut ipſo facto non impedit, quod commiſſo crimine retineatur, & tranſmittatur ad hæredes interim dum non fertur ſententia. 391.E, & ſeq.

Pœna ipſo iure aut ipſo facto impoſita, afficit bona, quibus eſt impoſita, & fructus inde perceptos, vt à puncto commiſſi delicti ius in re comparatione eorum habeat fiſcus, aut id, cui pœna eſt applicata. 394.B

Pœna eadem per conſequens retrotrahitur ad punctũ commiſſi delicti, & idcirco reſcinduntur contractus omnes, & donationes, etiam cauſa dotis ab eo puncto à delinquente, aut ſucceſſoribus factæ. Et quæ teneatur, aut non teneatur fiſcus ſoluere. ib.C

Pœna ipſo facto aut iure ſtatuta non impedit, quo minus delinquens à puncto delicti vsq́; ad latam ſententiam dominus ſit eorum bonorum. 395.B

Pœna quando ipſo iure fuit ſtatuta, quem vſum ſuorum bonorum non impediat delinquenti ante latam ſententiam, & quem impediat. ib.D

Pœnam ipſo iure ſtatutam, non tenentur delinquens aut ſucceſſores illius offerre lata ſententia, ſed expectare vt exigatur, eamq́; præſcribere poſſunt, ſi intra certum tempus non exigatur. 398.D,E

Pœna in foro conſcientiæ à delinquente debetur: ſi interrogatus iuridice de crimine, quia videlicet ſemiplene aduerſus eum probatum eſt, crimen negauit. 399.A

Pœna ſtatui poteſt vt ſoluatur ante latam ſententiam, & aliquando ſtatuitur, quando executio non eſt facienda per delinquentem, qui id, vt ſuum, poſſidet, ſed peralium. ibid.B

Pœnam exequi tenetur, & offerre delinquens, quando ſententia condemnatoria id continet. ib.C,D

Pœna circa bona, quæ illorum non ſunt, qui priuatione eorum puniuntur, ſtatui poteſt, quæ nulla expectata ſententia vim omnino habeat. 400.B,C

Pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, quando ipſo iure, aut verbis æquipollentibus imponuntur, incurruntur commiſſo crimine, nulla expectata ſententia. Irregularitas etiam, ſiue pro culpa, ſiue ſine culpa imponatur, eo ipſo incurritur, quod id adeſt, pro quo eſt impoſita. ib.D,E

Pœna amiſſionis beneficij, aut officij, quin & inhabilitatis ad alia obtinenda, etiamſi apponatur ipſo iure, aut ipſo facta, ſententia indiget, vt executio talis pœnæ locum habere debeat. Lata vero ſententia retrahitur, quoad fructus officij aut beneficij, ad tempus commiſſi delicti. Quando vero exprimeretur, vt locum ea pœna haberet, nulla expectata ſententia, executio vim haberet à puncto commiſſi criminis. 401.A

Pœna amiſſionis ſuffragij, aut iuris, ipſo facto ſtatuta, non impedit ante latam ſententiam ſuffragium ferre, aut eligere. 402.A

Pœna vt collega ipſo iure, aut ipſo facto amittat collegiaturam, quam vocant, aut municeps municipium, non impedit, quin, commiſſo crimine, retinere id poſſit ante latam ſententiam, quando aliunde non conſtat cõtrarium intendiſſe teſtatorem. ib. & B

Pœna conuentionalis in Luſitania, ſi valorem excedat rei pro qua imponitur, inualida eſt quoad exceſſum, etiamſi per interualla, & per varias moras id ſit ſoluendum. Idem eſt de pœnis à iudicibus fideiuſſoribus impoſitis. ibid.E, & 403.A

Pœna conuentionalis impoſita ob mutui ſolutionem, aut rei alterius, quæ in pondere, numero, aut menſura conſiſtit, locum non habet in Luſitania, quia præſumitur vſuraria, tametſi creditor agere poſſit ad intereſſe lucri ceſſantis, aut damni emergentis. 405.C

Pœna hæc eadem in foro conſcientiæ debetur, & in exteriori (etiam in Luſitania) ſi vſurarium animum abfuiſſe conſtet. ib. & D

Pœna conuentionalis imponi poteſt in Luſitania conductoribus reddituum, aut aliorum bonorum, modo locatores negotiari pœna non aſſueuerint. ib.

Pœna conuentionalis impoſita ob turpem cauſam aut contractum iure humanonullum, exigi & accipi non poteſt, niſi contractus validus ex eo ſit redditus, quod iuramento ſit confirmatus. ib. & E

Pœna conuentionalis ſtatuta niſi aliquid detur, tunc ſi id ſit diuiduum, & pars tantum reddatur, ſolum debetur pars pœnæ iuxta proportionem eius, quod redditum non eſt. Si vero ſit indiuiduum, tota pœna debetur. ib.

Pœna conuentionalis licite exigi poteſt Si non exigatur, non tenetur debitor illam offerre. Si exigatur, ſoluenda eſt in foro conſcientiæ nulla expectata ſententia. 404.A

Pœna iureiurando promiſſa, ſi teſtamentum reuocauerit, aut ſi ſponſalibus non ſteterit, debetur, non ſtando promiſſis. 595.A

Pœnam delicti filij non tenetur pater ſoluere, etiam de legitima in bonis ipſius ei debita: ſecus de bonis proprijs filij, ſi quæ pater habebat. 998.E & ſeq.

Vide punire.

Politicum animal.

Politicum animal eſt homo, & cur ad ſocietatem politicam naturaliter inclinetur. 113.C

Pontifex ſummus.

Pontifex ſummus præcipere, & ordinare debet ſeculari ui principibus ſibi ſubditis, vt ſupernaturali fine ſe accommodent, quando ab illo deuiant. 110.C

Pontificis ſummi poteſtas vna in vniuerſo orbe, & cur ita inſtitui oportuit: laica vero ſuprema multiplex. ib.D

Pontificis ſummi nobilitas & excellentia poteſtatis: ib.E

Pontifex ſummus plenam iuriſdictionem temporalem habet in terris Eccleſiæ, patrimonioue Petri, non ſecus at q́; alij Reges in ſuis regnis. 141.A,B

Pontifex summus nũ ita iurisdictionem in temporalibus habet, quasi dominus sit orbis, vel Regis, vel imperatoris sibi posit nomen vsurpare, vel regia aliorum potestas ab ipso descendat. ibid. C

Pontifex summus iudicare non potest in litibus & contentionibus inter principes seculares, neq; infirmare eorum leges, quæ à supernaturali fine non deuiant. 143.D

Pontifex summus licet posit legitimare ad spiritualia, non tamen ad successionem in hæreditate, & ad alia secularia nisi permittentibus principibus secularibus, aut exigente id fine supernaturali. ib.

Pontifex summus, & alij prælati, indirecte per modum correctionis paternæ intromittere se possunt in negotijs principum secularium. ib.E

Pontifex summus iurisdictionem vniuersalem in omnia Ecclesiæ bona habet, non tamen est eorum dominus, sed dispensator: quod si ea sine rationabili causa donet, tam ipse, quam donatarius, restituere ea tenentur Ecclesiæ. 146. A

Pontificis summi potestas spiritualis annexam habet plenissimam iurisdictionem in temporalia, quantum finis spiritualis postulat. ib.C,D

Pōtifex summus licet deponere posit Regē, postulante id bono Ecclesiæ, non tamen eligere quē voluerit, quādo ad aliquē pertinet successio, aut Respublica idoneum parata est eligere. 148.A

Pōtifex summus prius eximere debet spirituale gladium, quā temporalem, quando periculum præsens contrarium omnino non postulat. 149.D

Pontificis summi iudicio & præcepto, in dubio est statuendum circa temporalia per comparationem ad finem spirituale. ib.E

Pontifex summus eximere potuit Ecclesiasticos à laica potestate. 155.E

Pontifex summus iure diuino exemptus est à secularibus potestatibus. 154.D

Pontifici summo quæ ex munere suo competunt, nulla ratione præscribi aduersus Ecclesiasticam sedem possunt. 299. D,E

Possessio.

Possessio beneficij Ecclesiastici traditionem seu apprehēsionem requirit. 53.B

Possessionem non cōparat hæres adita hæreditate ante apprehensionem: secus de dominio. 41.A,B

Possessio hæreditatis comparatur in Gallia, & in multis Italiæ locis statim adita hæreditate absque apprehensione. ibidem.E

Possessio & dominium bonorum maioratus in regno Castellæ, mortuo possessore, transeunt ad successorem absq; vlla traditione. 43.B

Possessio vnde dicta, & quot modis accipiatur. 71.D

Possessionis definitio. 72.B

Possessio interdū apprehensione vera, interdum ficta comparatur, & quid vtraque sit. ib.

Possessio proprie rerum corporearum dicitur, incorporearum vero, vt iurium, dicitur quasi possessio: quamuis possessionis nomen ad incorporea etiam frequenter extendatur. ibidem.C

Possessio vt resultet, apprehensio corpore simul & animo possidendi requiritur. ib.D

Possessio quo à tentione differat. 73.B

Possessio naturalis, & ciuilis quid. Perseuerat q; ciuilis sine naturali. Et ciuilis est, cuius potissimū habetur ratio ad præscriptionem & ad alia. ib.

Possessio ciuilis interdum est in vno, possidente altero naturaliter: possessio vero naturalis, etiam tunc requirit occupationem animo possidendi, siue iuste, siue iniuste. 72.B,C

Possessio ciuilis & naturalis duæ sunt, vna tamen integrans quando concurrunt in idem subiectum. 74.A

Possessiones ciuilissimæ, sine apprehensione, etiam ficta, imò interdum sine animo possidendi comparantur, quæ. 75.C

Possessio rei donatæ cū pacto aut modo, vt transacto certo tēpore deueniat ad quendā tertium, adueniente eo tempore transit de iure Castellæ in eum tertium absq; vlla apprehensione vel ficta. ib.& D

Possessio totius alicuius comparatur apprehensione partis animo possidendi totum. ib.E

Possessio rei, quæ apprehendi per aliud solet, vt equus per capistrum, & vinum per vas, apprehensione per aliud comparatur. 76.A,B

Possessio nisi comparetur interueniente voluntate prioris domini, nunquam actu ficto comparatur: idcirco ferarum, atq; vi aut clam, non comparatur possessio nisi vera apprehensione. 77.E

Possessio quādo per potentiā, & resistentiā aduersarij, aut alio impedimēto apprehendi nō potest actu vero, tradi autoritate iudicis potest iussu, aut solo verbo. 78.E

Possessionem comparat hæres contentorum in domo apprehēsione domus, animo contenta etiam possidendi. ibid.C

Possessio comparatur actu ficto, concurrentibus titulo & voluntate prioris possessoris, eam tradentis, nouem modis. Primò vsu. ib.& D

Possessio comparatur traditione scripturæ, quæ prior possessori titulum habebat: secus de scriptura de nouo cōfecta, quæ titulus conceditur. Excipitur in Regno Castellæ. ib.

Possessio rerū mobiliū comparatur traditione clauiū in præsentia domus, aut rei vbi continentur. 79.D

Possessio comparatur rei, quæ conceditur eo ipso, quod possessor eam concedens reseruat sibi vsumfructum illius. 80.A

Possessio rei concessæ transfertur eo ipso, quod à possessore conceditur, conducendo illam ab ea, cui conceditur. ib.

Possessionem comparat, qui rem depositò aut alio modo tenebat, eo ipso, quod titulus ei à possessore conceditur. ibid. D

Possessio acquiritur appositione custodiæ ex parte eius, cui res conceditur, atque de facultate concedentis. ib.E

Possessio cōparatur facta signatione ex parte eius, cui conceditur, atque de facultate concedentis. ib.

Possessio acquiritur per clausulam constituti, id est, alienāte constituente se possessorem loco eius, cui alienatur, ratum hoc illo habente. ib.

Possessio rerū incorporalium, vt seruitutum, & aliorū iuriū, quomodo comparetur. 82.B

Possessio incorporaliū, vt seruitutū & aliorum iuriū, quando in re corporali constituuntur, cōparatur per immissionem in eā rem corporalē: necessaria tamen est scientia & patientia antiqui possessoris. ib.D

Possessio vt cōparetur seruitutis aut alterius iuris incorporalis, quando vnus possidet, & alius est dominus, satis est vsus cum scientia & patientia eius, qui possidebat, sufficitq; ea possessio, si adsit bona fides ad præscribendum aduersus verum dominum. 83.E

Possessio iuris eligēdi, aut alterius similis, comparatur per vsum cum scientia: & patientia eius ad quē pertinet id prohibere esto non adsit titulus, modo intendatur vt iure suo & actus non sit talis, vt ex circūstantijs credatur pro tunc solum ex gratia permissus. ib.C

Possessio solo animo non possidendi amittitur. Quod si animus sub conditione sit, conditionis impletionem exigit. 84.E

Possessio ciuilis immobilium, sine scientia & patientia prioris possessoris non amittitur, esto ab alio possidendi animo occupetur. 85.A,B

Possessio immobiliū amittitur, si à mari aut flumine permanenter occupentur. ib.

Possessio ciuilis mobiliū per furtū amittitur, comparatq; eam fur, etiāsi alius licite eam teneret, modo animo furandi eā de nouo occupet. ib.C

Poſſeſſio mobilium amiſſione earum amittitur. ib.D
Poſſeſſio ferarum quando amittitur. ib.E
Poſſeſſionis emolumenta, præſcribit poſſidens, melior eſt cõditio ipſius, vt in dubio licite retineat, & pro eo ſententia feratur, & eſt reus, & non actor, 86.D
Poſſeſſoria remedia, ſeu interdicta vnde dicta. 87.A,B
Poſſeſſionem acquirit hæres bonorum defuncti interdicto quorum bonorum, ſi tamen prius hæreditatem adeat. ib.
Poſſeſſionem legati, quod absq; ipſius facultate occupauerat legatarius, comparat hæres, vt detrahat falcidiam interdicto quorum legatorum. ib.C
Poſſeſſio conſeruatur illi, qui tempore litis poſſidere comperitur, nec vi, nec clam, nec precario ab eo, qui cum ipſo contendit, interdicto vti poſſidetis, ſi bona immobilia ſint, ſi mobilia interdicto vtrobi. Idem ſi verisimilius poſſidere credatur. ib.D
Poſſeſſio vi, clam, aut precario occupata, recuperatur interdicto vnde vi aut clam, & precarium: & de pœnis vi, aut clã, aut ſciendo ſuum non eſſe, aliquid occupatis. 88.A
Poſſeſſionem, etiam ciuilem, quatenus armis defendere liceat. 89.C
Poſſeſſionem, à qua vi eiecti ſumus, quatenus incontinenti armis recuperare liceat. ib.D
Poſſeſſio vi aut clã occupata, vſusfructus, aut alterius ſimilis iuris, habet eadem remedia, & occupator ſubiacet eiſdem pœnis, poteſtque ſimiliter armis defendi, & recuperari in continenti. 90.C
Poſſeſſionem beneficij eccleſiaſtici occupans vi, aut clam, ſciẽs ad ſe non pertinere, in quas pœnas incidat. ib.D
Poſſeſſionis definitio in ſenſu formali. 9 .B,E
Poſſeſſionis variæ diuiſiones. ib.E
Poſſeſſio colorata quæ. ib.
Poſſeſſio ciuilis ad præſcriptionem requiritur. 269.B
Poſſeſſionis bonæ & malæ fidei medium non datur. 273.B
Poſſeſſio mala fide duplex, quod ad præſcriptionem attinet. 277.D
Poſſeſſio centenaria quomodo probetur. 312 D
Poſſeſſio immemorabilis quomodo probetur. 313.A
Poſſeſſio triennalis non interrũpitur litis cõteſtatione, quãuis ſi per ſententiam res pronuncietur ad alium pertinere, ſit illi reſtituenda. 317.C,D
Poſſeſſor, qui à principio fuit bonæ fidei, orta poſtea controuerſia aut dubio, neque totum neque partem dare tenetur, interim dum dubium perſeuerat, neque item tranſigere, eſtque in dubio pro illo ferenda ſententia. Et ad quã diligentiam teneatur, vt ſciat an res ad alterum pertineat. 420.A
Poſſeſſor, qui à principio in dubio cœpit poſſidere, aut occupare rem, de qua erat cõtrouerſia, ſi, re examinata, remanſerit dubia, diuidere illã tenetur pro dubij quantitate cum altero, aut circa illam tranſigere. 421.E
Poſſeſſio rei bello captæ quando comparata cenſeatur. 459.C
Poſſeſſio hæreditatis quando hæredi tradenda. 1060.E, & ſeq.
Poſſideat quis titulo præſumpto. 44.B
Poſſidemus per alium, qui noſtro nomine poſſidet. Qui non ſibi, ſed alij acquirit, alteri poſſidet. 74.B
Poſſidet interdum quis per ſeipſum ſolum ciuiliter, & per alium naturaliter. ib.D
Poſſident, aut quaſi poſſident ciuiliter & naturaliter emphyteuta, & feudatarius, & vſufructuarius, atque habens ſeruitutem, ea iura, dominiumve vtile, vt poſſint ea præſcribere. 75.B
Poſſidetur ciuiliter & naturaliter incorporalia, vt ſeruitutes & alia iura, poſſuntque proinde præſcribi. ib.
Poſſidet quis ciuiliter proprietatẽ per ſe, naturaliter vero per fructuarium, emphyteutam, feudatarium, præſcribereque proinde poteſt proprietatem. ib.
Poſſidere clam quis dicatur. 90.E
Poſſidens iniuſte vere poſſidet. 2.C
Poſſidere bona & mala fide, quid. 271.E
Poſſidens, accedente dubio ſpeculatiuo an ſit res ſua, & dubitans practice, an ſuperueniente dubio licite poſſit eam retinere, ſimpliciter eſt malæ fidei poſſeſſor, & quamuis, ſtando in legibus communibus præſcriptionis, ea mala fides præſcriptionem non interrũperet, ex peculiari ciuili lege eam interrumpit. 274.C
Poſſidet mala fide, qui ex ignorantia affectata aut craſſa poſſidet, reſtituereque tenetur, etiam ex parte iniuſtæ acceptionis. 275.D
Poſſidens hæreditatẽ bona fide quaſi ad ſe pertinentẽ, ſi poſtea comperiat ſpectare ad alium, ſolũ tenetur reſtituere ea & fructibus inde perceptis, quæ ſuperſuerint, aut in quibus factus fuerit locupletior. 1062.B,C
Poſſidens hæreditatẽ bona fide tanquã hæres non præſcribit illam & bona illius aduerſum legitimũ hæredẽ niſi triginta annis, qui vero illud emit, tempore conſueto præſcribit, exceptis aliquibus euentibus. 1063.E
Poſſidens hæreditatẽ malæ fide reſtituere tenetur eam integrã legitimo hæredi cum fructibus, etiã quos commode potuit inde percipere. 1064.E, & ſeq.
Poſſidens ita hæreditatem malæ fide, ſi quid caſu fortuito poſt litem conteſtatam pereat hæreditatis, tenetur id reſtituere (intellige, poſt latam ſententiam) ſecus ſi ante litem conteſtatam eo pacto pereat, quo apud hæredem periret. 1063.A,B

Posthumus.

Poſthumus hæres eſt parenti (quin rũpit teſtamentũ illius, ſi in illo fuit præteritus) eo ipſo, quod vivus naſcitur, & mõſtrũ non eſt. In caſtella tamen ad id neceſſariũ eſt, vt viuat viginti quatuor horis & baptizetur. 635.D

Postliminium.

Poſtliminij ius quæ iure Cæſareo habeant. 460.A

Poteſtas.

Poteſtas alia iuris naturalis, alia poſitiui. 103.C
Poteſtatẽ habet Reſpublica in ſingulas partes eo ipſo, quod in communitatem, aut Rempublicam conuenerunt. ib.
Poteſtas Regia, & alia, vnde ortum habuere. ib.
Poteſtas coerciua, ſeu politica, cum paterna coniuncta fuit in Adamo & Noe. 104.A
Poteſtas quid, eſtque in ſolis libero arbitrio præditis. 106.B
Poteſtas, laica vna, Eccleſiaſtica alia. Eſſentiã diſtinctæ, eſto homo in ſupernaturalem ſinẽ non fuiſſet conditus, tamet ſi tunc facilius in vnum numero ſupremum ſubiectũ coniungerentur. ib.D
Poteſtas Eccleſiaſtica eſt ad gubernandũ accõmodate ad finem ſupernaturalem, laica ad naturalem. 107.A
Poteſtas Eccleſiaſtica laicæ, ei ſubiectæ, & ſubordinatæ ratione finis, imperat. ib.C
Poteſtatis Eccleſiaſticæ ſupra laicã nobilitas atq; eminẽtia ex obiecto & fine. ib.
Poteſtas Eccleſiaſtica & laica abſque vi coercina fuiſſent in ſtatu innocentiæ, fuiſſentque in eodem ſubiecto, inſtituique ab hominibus poſſent naturali ac fidei lumine. ibidem C
Poteſtatem Eccleſiaſticam legis naturæ inſtituere potuerunt homines, poſita fide ſupernaturali, quæ tunc erat, & remedio contra peccatum, quod de iure erat diuino poſitiuo. ib.D,& E
Poteſtas Eccleſiaſtica & laica poſt peccatũ coerciuam vim habuerunt adiunctam. ib.
Poteſtas Eccleſiaſtica legis ſcriptæ à Deo fuit inſtituta: ſupernaturalis tamen non erat quoad effectũ, & in multis coniũcta fuit in eodem ſubiecto cum laica. 108.B
Poteſtas Eccleſiaſtica legis gratiæ ſupernaturalis eſt, à ſolo Deo potuit proinde inſtitui. 109.A
Poteſtas Eccleſiaſtica de iure eſt diuino à Chriſto inſtituta: laica de iure humano à Republica inſtituta, & collata principi. 110.B
Poteſtas Summi Pontificis vna in vniuerſo orbe, & cur ita inſtituta

ſtitui oportuit: laica ſuprema multiplex. ib.D
Poteſtatis Summi Pontificis nobilitas & excellentia. ib.E
Poteſtas quotuplex ex familia communitate oriatur. 111.E
Poteſtas viri in vxorem quanta, eſtq; iuris naturalis. 112.A
Poteſtas parentum in filios quanta, eſtque de iure naturali. ibid.C
Poteſtas dominorum in ſeruos quanta, & quo ſenſu de iure naturali. ib.D
Poteſtas in perſonas liberas in earum commodum præcipue ordinatur, poteſtas vero in ſeruos præcipue in dominorum vtilitatem. 113.A
Poteſtas Reipublicæ in partes, non à partibus, ſed naturali iure à Deo eſt immediate. 114.E, & ſeq.
Poteſtatum ſupremarum ciuilium, regiminumve, varia ſpecies vnde ortum habuerint. 117.A
Poteſtatum ciuilium ſupremarũ tres ſpecies, Monarchia, ſeu Regia, Ariſtocratia, & Democratia. ib.
Poteſtas regi variis modis poteſt inſtitui. ib.D
Poteſtas leges condendi quanta in Rege. 119.A
Poteſtas Regis in Rempublicam belli ante ſibi ſubiectam tãta eſt, quãtam potuit magnam Reſpublica ipſa concedere. ibidem.E. & ſeq.
Poteſtas Regis nõ ſolũ eſt in ſingulas Reipublicæ partes, ſed etiam in totã: tametſi tota poſſit ei reſiſtere, ſi tyrannus & iniuſtus ſit. ib.
Poteſtas Ariſtocratia varie poteſt conſtitui. 120.A
Poteſtatis Ariſtocratiæ leges Senatus Conſulta appellantur. ib
Poteſtas Democratia varie poteſt conſtitui. ib.B
Poteſtatis Democratiæ leges Plebiſcita nuncupantur. ibidem
Poteſtates ſuprema ciuiles quædã iure diuino poſitiuo à Deo emanarunt, & quædam iure belli comparatæ ſunt. ibid. C
Poteſtates reliquæ ciuiles à ſuprema emanarunt in vnaquaque Republica. ib.
Poteſtas Regis in ſibi ſubditos quanta & quæ. 123.C
Poteſtas Regia, aut alia ſuprema in Republica deſcendit à naturali iure, ſed ſimpliciter eſt de iure humano. 125.E
Poteſtates oẽs laicæ qua ratione ſint à Deo, & quamuis multa de iure ſint humano, de iure tamen naturali eſt vt illis pareatur. 127.A,B
Poteſtatem plenã iurisdictionis temporalis habet Sũmus Pontifex in terris Eccleſiæ, patrimonione Petri. 140.E
Poteſtas temporalis licet cum Eccleſiaſtica non repugnet in eodem ſubiecto, & qui in prælatos eligũtur, retinere poſſint temporalem iurisdictionem, ſi quã habeant, multiq; Pontificatus annexam habeant iurisdictionem temporalem, neq; tamen illa eſſe debet maior, quam oportet, & per adminiſtros exerceri debet. 141.A
Poteſtas ſpiritualis Summi Pontificis annexã habent pleniſſimam iurisdictionem in temporalia, quantum finis ſpiritualis poſtulat. 145.D
Poteſtas Summi Pontificis ad temporalia quantum poſtulat finis ſpiritualis, non laica, ſed Eccleſiaſtica iurisdictionis temporalis appellanda eſt. ib.C
Poteſtas ad temporalia quantũ poſtulat finis ſpiritualis, etiam Epiſcopis in ſibi ſubditos ineſt. 149.B
Poteſtas eſt in prælatis cogendi ſeculares, vt debitũ ſubſidium tribuant pro adminiſtratione ſpirituali, & quãdo grauis Eccleſiæ vniuerſalis neceſſitas occurreret, poſſet Summus Pontifex cogere principes omnes Chriſtianos, & cæteros fideles, vt auxilium ferrent. ib.C
Poteſtas ſpiritualis cenſuris eſt prius exercenda à Sũmo Pontifice, quã tẽporalis: quando vtraque poteſt vti, niſi præſens periculum aliud omnino poſtularet. ib.D

Præceptum.

Præcepta Apoſtolorum, quatenus rectores Eccleſiæ erant, de iure ſunt humano. 14.A

Prædium.

Prædium vrbanum quid. 68.E, & 69.A
Prædium ruſticum quod. 69.C

Prælati.

Vide Epiſcopi.

Præsbyter.

Præsbyter à patria non exit poteſtate. 1003.A,E

Præſcribere.

Præſcribitur illis eligendi, & alia ſimilia poſſeſſione tempore ad præſcribendum neceſſaria, eſto non oſtendatur titulus. 83.C
Præſcribitur ſine titulo iusvſus tẽpore de cuius non extat memoria, modo de mala fide non conſtet. 84.B
Præſcribere idẽ in iure Cæſareo, atq; apud Latinos antiquos, quod excipere. 261.D
Præſcriptionis vocabulũ in iure canonico, & apud vtrumq; in ris interpretes ſumitur pro vſucapione, & in ea ſignificatione vſurpatur hodie. 262.D
Præſcriptionis ſeu vſucapionis definitio. ib.E
Præſcriptio ſeu vſucapio dicitur, tũ de acquiſitione dominij, præexiſtentibus conditionibus omnibus vt poſſeſſione acquiratur, tum etiam de poſſeſſione, quæ eſt tendentia ad dominii acquiſitionem, & hoc modo interrumpi & impediri poteſt præſcriptio: non priori. 263.A,E
Præſcriptio non eſt præcipue in pœnam negligentiæ, neq; exigit negligentiam in eo, aduerſus quem præſcribitur. ibid. & C
Præſcriptio latius patet, quam vſucapio. ib.E
Præſcriptionis, vt latius patet quam vſucapio, definitio. 264. A
Præſcriptio vim habet vniuerſim in foro conſcientiæ. 265.C
Præſcriptione dominium etiam directum rerum immobilium comparatur. 268.E
Præſcriptio ciuilem poſſeſſionem exigit. 269.B
Præſcribere non poteſt rem immobilẽ abſentis, aut ignorantis qui interim poſſeſſionem naturalem rei illius occupauit, neq; qui ab hoc emptam, aut aliter alienatam eam obtinet. ib.C
Præſcribere non poſſunt, colonus, cõductor, & depoſitarius, res quas illis titulis habent, neq; tertius, qui ab eis res eas immobiles, domino inſcio aut abſente, bona fide emit. eo quod hi poſſeſſionem non habeant ciuilem. ib.D
Præſcribere licet nõ poſſint emphyteuta, aut fructuarius proprietatem, neq; tertius qui ab eis rem acceperit inſcio aut abſente proprietario, eo quod ciuiliter non poſſideant, vtile tamen dominium præſcribere poſſunt. ib.E
Præſcribũt, qui alieno nomine poſſidẽt, vt tutor, curator, procurator, ſeruus, & filius, non ſibi, ſed ijs, quorum nomine poſſident. ib.
Præſcribere non põt, qui poſſeſſionis, aut dominij capax nõ eſt & ideo laici res ſacras, neq; ius decimarum eo modo, quo Eccleſiaſtici eas percipiunt. præſcribere non poſſunt. 270. A
Præſcribere nõ poteſt religioſus profeſſus nomine proprio. Idem de coadiutoribus noſtræ ſocietatis. ib.B
Præſcribi ſine poſſeſſione bona fide non poteſt. ib.
Præſcriptio vt inchoetur, non ſatis eſt vt reſpondeat cũ dubio an poſſidentis ſit, ſed requiritur vt abſq; dubio credatur eſſe poſſidentis. 272.A
Præſcriptio non interrumpitur, ſi poſt inchoatã ſuperueniat dubium an res illa ſit poſſidentis, modo poſſidens efficiat moralem diligentiam vt ſciat an ſit ſua. ib.D
Præſcriptionem impedit mala fide poſſeſſio, qua quis credit rẽ quam poſſidet, eſſe vnius, cum tamẽ alterius ſit, ad quem inuincibiliter ignorat pertinere. 273.E
Præſcriptionem licet nõ interrumperet ea mala fidei poſſeſſio qua quis ſuperueniente dubio ſpeculatiuo an res ſit ſua, practice dubitat an poſit illam retinere, ſi in communibus præſcriptionis legibus ſtaremus, ex peculiari tamen ciuili lege eam interrumpit. ib.& 274.A
Præſcriptionem nõ impedit circa vnam partem dominij, aut circa vnum ius, mala fides circa aliam eiusdem dominij partem, aut circa aliud in eadem re ius. ib.C

Præscribere vt quis possit, non requiritur verus, sed præsumptus titulus, qui vsucapiendi conferre dicitur conditionem. 275.B

Præscribi non potest cum ignorantia affectata, aut crassa, quin potius obligationem restituendi ex parte iniustæ acceptionis inducit. ibid.D

Præscriptio non fit etiam in conscientiæ foro, cum possessione bona fide ex ignorantia iuris etiam inuincibili. 276.A

Præscriptio vt non fit, duplex mala fides distinguitur. 277.D

Præscriptio nec tempore, quo sine titulo alioquin præscriberetur, fit, quando possessio est ex ignorantia iuris. 278.C

Præscriptio ex possessione à tempore cuius initij nõ extat memoria præsumitur cũ bona fide, atq; adeo sine iuris ignorantia. ibid.

Præscribit, qui possidet ab eo, qui ex ignorantia iuris tradidit: quaniam accipiens solum facti ignorantia videtur habere. ibidem.D

Præscriptionem non impedit ignorantia iuris valde obscuri. 279.A

Præscriptionem impedit iuris ignorantia, etiam in rustico, milite, & muliere. ibidem.B

Præscriptioni successoris particularis mala fides autoris non obstat: tametsi non computet tempus possessionis autoris. & quando res immobilis absentis decem, aut viginti annis erat præscribenda, ante triginta non præscribatur. Quis item autor, successor particularis, & vniuersalis dicatur. ib.E, & 280.A

Præscriptionem vt compleat successor computat tempus autoris, id est, anteceſſorum possessorum, si bona fide illi possederunt: secus si mala. 280.A,B

Præscriptioni successoris vniuersalis, hoc est hæredis, adeo nocet mala fides autoris, vt esto successor bona fide possideat, inuentariumq; confecerit, ipsius bona fide possessio nihil omnino, vt ipse præscribat, inseruiat. ib.C

Præscriptioni tertij hæredis licet non inseruiat possessio bona fide prædecessoris, quãdo anteceſſor primus mala fide possedit, tempus tamen suæ propriæ bona fide possessionis inseruit. ib.E, & 281.A

Præscribere beneficium aut dignitatem cum bona fide quis potest aduersus tertium, non computando tempus possessionis sui prædecessoris quando prædecessor mala fide aduersus eundem tertium possidebat. ibid.D

Præscribere non potest hæres suus titulo hæredis, tempore ad præscribendum cum titulo sufficiente, quando anteceſſor titulum non habebat: secus de hæredibus non suis. Et qua alia ratione hæres suus præscribere etiam eodem tempore possit. ib.E

Præscriptio cum mala fide iure canonico abrogata, nullibi in ter Christianos locum habet. 282.D

Præscribitur actio & pœna ex lege pœnali resuscitantes, tam a delinquente, quam ab hæredibus, cum scientia, quod illa aduersus delinquentem competant. Præterquam in hæretico, & hæredibus illius, quando bona illius post patratum delictum possident cum scientia quod delictum sit commissum. 283.B

Præscribitur pœna, etiam post latam sententiam, & cũ scientia quod lata sit, quando executio non incumbit delinquenti, neque exigitur. ib.E

Præscriptione non extinguitur debitum, quod non in pœnã, sed pro damno dato, aut alia ratione debetur, cum scientia, imo cum ignorantia crassa, quod debeatur: secus cum ignorantia inuincibili. 284.A.

Præscriptio non habet locum, quando absq; peccato debitum propter impotentiam, instumve impedimentum, nõ soluitur, cum scientia quod debeatur. ibid.C

Præscriptio debiti defuncti locum non habet in successore vniuersali, esto in eo adsit bona fides; quando mala fide defunctus non soluit: secus si in defuncto adfuit bona fides: tunc enim successor vtitur accessione temporis defuncti. ib.D

Præscribi nequit ius eligendi, seruitutis, aut alterius similis, per vsum cum scientia & patientia eius, aduersus quem præscribitur, si adsit scientia, quod ad vtentem non pertineat, aut affectata, vel crassa ignorantia. 285.A

Præscribi non potest aduersus ius seruitutis vrbanæ cum scientia, quod debeatur, tempore quo alius ea non vtitur. 286.A

Præscribi potest aduersus ius seruitutis rusticæ cum scientia, quod debeatur tempore quo alius ea non vtitur. ib.

Præscriptio mercedum famulorum, & quorundam aliorum debitorum, locum non habent in cõscientia, & exteriori foro cum scientia quod debeantur, nihil impedientibus Castellæ, & Lusitaniæ iuribus. 287.B

Præscribuntur cum titulo res mobiles triennio, etiamsi Ecclesiæ Romanæ sint. 288.E

Præscribuntur res mobiles sine titulo 30. annis, etiam aduersus Romanam Ecclesiam. 289.A

Præscribuntur aduersus priuatos res immobiles cum titulo, inter præsentes decem annis, inter absentes viginti: sine titulo inter vtrosque triginta, & qui præsentes & absentes dicantur. ibid.C

Præscribitur quanto tempore hypotheca aduersus creditorẽ, cui erat subiecta. 290.D

Præscribens maioratus rem aliquam tanquam bonum maioratus, accrescit maioratui, esto comperiatur postea de bonis maioratus non fuisse: secus si rem præscribat, non tanquam maioratus: pertinet enim tunc ad ipsum, & successores ipsius. 291.B,C

Præscribuntur iura, & res, quæ cum immobilibus computantur, tempore & modo quo res immobiles, quando aliud peculiariter non est sancitum. ibid.E

Præscribitur beneficium, non aduersus Ecclesiam, sed priuatum, cum colorato titulo decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes. Sine titulo autem non præscribitur bona fide. Beneficij vero titulus non potest acquiri præscriptione, eo quod beneficium sine canonica institutione non potest licite obtineri. 292.A

Præscribitur ius patronatus aduersus priuatum, cum titulo decem annis inter præsentes, viginti inter absentes, & sine titulo triginta. 293.A

Præscribitur aduersus priuatum Ecclesiastica emphyteusis, aut feudum triginta annis sine titulo, & cum titulo viginti inter absentes, & decem inter præsentes. 292.D

Præscribitur vsus fructus cum titulo collato ab eo, qui nõ poterat, decem annis inter præsentes, viginti inter absentes, & triginta sine titulo. 293.A

Præscribuntur seruitutes reales cum titulo decem annis inter præsentes, & 20. inter absentes. ib. & seq.

Præscriptionis seruitutis negatiuæ, vt quod alius non altius tollat, itemq; iurii, quæ in negatione consistunt, vt quod alius non venetur, aut non eligat, non prius incipit tempus, quam alius, egrediens facere oppositum, impediatur: eo quod non antea incipiat possessio talis seruitutis aut iuris. ibid.B

Præscribuntur sine titulo continuæ, aut quasi continuæ, seruitutes decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes: discontinuæ vero non minori tempore, quam de cuius initio non extat memoria. ib.B, & C

Præscriptio vt sit sine titulo seruitutum continuarum, aut quasi continuarum, possessio requiritur, quæ sine titulo esse non potest, nisi per vsum non vi, nec precario, cum scientia & patientia domini prædij. ibid.C

Præscriptio seruitutis discontinuæ per vsum, de cuius initio non extat memoria, vim tituli habet, neq; necesse est probare scientiam & patientiam domini, sed solum vsum.

Cum diſcontinuis vero ſeruitutibus hac in parte computatur ius paſcendi in prædiis alienis. ib.

Præſcribitur ſine titulo per non vſum illius decem annis inter præſentes, & viginti inter abſentes ea vrbana ſeruitus, quæ, vt præſcribi incipiat aduerſus eum, qui in poſſeſſione eſt illius, vltra non vſum eius, qui in ea eſt poſſeſſione, exigit actum domini prædij, quo poſſidenti contraueniat: modo tamen non vſus illis decem aut viginti annis computetur à puncto actus, quo ei contrauentum eſt, adſitque bona fides toto eo tempore in eo, qui præſcribit. ibidem. E, & ſeq.

Præſcribuntur ſine titulo reliquæ ſeruitutes per non vſum poſſidendi is decem annis inter præſentes, & viginti inter abſentes, eſto adſit ſcientia, quod ad eum, aduerſus quem præſcribitur, pertineant. Excipitur, quando ſeruitus eſt ad vtendum per maiora interualla, quam dierum: nam tunc exigitur tempus duplicatum. 294. A, B

Præſcribuntur regulariter de iure communi actiones ciuiles, & debita, quæ illis exigi poterant, triginta annis, modo ad debita præſcribenda adſit bona fides. ib. E

Præſcribantur quanto tempore de cuius Caſtellæ actiones varia ciuiles & debita. 395. A

Præſcribitur actio, quæ alioquin decennio, aut longiori tempore durat, aduerſus Eccleſias, & pia loca, quadraginta, & aduerſus Romanam Eccleſiam centum annis. ibidem. C

Præſcribuntur actiones, quæ breuiori tempore durant, eodem tempore aduerſus Eccleſiam, & priuatos. ibid.

Præſcriptio immobilium, & eorum, quæ cum immobilibus computantur, locum non habet aduerſus Eccleſiam, niſi 40. annis, & centum ſi Romana ſit, etiamſi Eccleſia ſit, quæ aduerſus Eccleſiam præſcribat: aduerſus eos vero, qui gaudent priuilegiis ordinis D. Benedicti, locum non habet, niſi ſexaginta annis, atque in his præſcriptionibus titulus non eſt neceſſarius. 296. B

Præſcribere ſi quis incipiat aduerſus priuatum, & res illa incipiat pertinere ad Eccleſiam, ad complendam præſcriptionem ſatis eſt, complere in eadem proportione tempus aduerſus Eccleſiam, in qua deerat aduerſus priuatum. Idem eſt ſi incipiat præſcribere aduerſus Eccleſiam inferiorem, & res tranſeat ad Eccleſiam Romanam, vel ad monaſterium gaudens priuilegio Benedictinorum. 297. A, B

Præſcribenti ſi ius ſit in contrarium, aut aliunde aduerſus eum ſit præſumptio poſſeſſionis malæ fidei, niſi vel oſtendat titulum, vel poſſederit tempore de cuius initio non extat memoria, inualida erit præſcriptio triginta aut quadraginta annorum. ib. & C

Præſcriptio aduerſus bona fiſco iam incorporata locum non habet, niſi ſit quadraginta annorum cum bona fide. 298. C

Præſcribuntur res fiſco nondum incorporatæ, eaque ratione debitæ, quod ob non ſolutum tributum fiſco addicantur quinquennio. ib. D, E

Præſcriptio nullo tempore habet locum in hæreticorũ bonis, niſi ſucceſſores in illis ea poſſederint 40. annis cum ignorantia delicti. 299. A

Præſcribuntur aduerſus fiſcum bona omnia ipſo iure fiſco debita quinquennio à morte delinquentis, ſolo hæreſeos crimine excepto. ib.

Præſcribuntur aduerſus fiſcum bona vacantia cum bona fide etiam ſine titulo, quadriennio, modo denunciato eorum facta ſit fiſco. ib. D, E

Præſcribuntur bona vacantia, quorum denunciatio facta nõ eſt fiſco. & vniuerſim bona fiſco nõdum incorporata, quorum non eſt facta peculiaris exceptio in iure, eo modoquo bona priuatorum. 300. A

Præſcribuntur aduerſus fiſcum eccleſiaſticum bona illi debita ſiue incorporata illi iam ſint, ſiue non, quadraginta annis, & centum ſi fiſcus ſit eccleſiæ Romanæ. Excipiuntur bona hæreticorum. ib.

Præſcriptio non datur aduerſus ea, quæ Summo Pontifici ex ſuo munere competunt. ib. C

Præſcribi nullo tempore poſſunt tributa, & cenſus, quæ principi in ſignum ſubiectionis debentur. ib. D

Præſcribi nequit, quod ſupremæ poteſtati eſt innatum, quatenus ſuper omnes eſt, vt quod ad eum nõ appelletur, quod coercere ſubditum non poſſit quando ratio poſtulat, & quod nullis illius legibus pareatur. ib. C

Præſcribi non poſſunt bona coronæ Regni minori ſpatio, quã centum annorum. Idem eſt de bonis ciuitatum. 201. D

Præſcribuntur bona Regis, quæ neque coronæ ſunt, neque ad fiſcum ſpectant, vt bona cuiuſuis alterius priuati ib. E, & ſeq.

Præſcriptio longiſſimi temporis triginta aut plurium annorum titulo non indiget, niſi quando ius eſt in contrarium poſſeſſionem prohibens, aut præſumptio malæ fidei, vel probatur poſſeſſio temporis de cuius initio non eſt memoria. 302. E

Præſcriptio non habet locum, quando conſtat aperte de poſſeſſione mala fide, aut ex ignorantia iuris, etiamſi poſſeſſio ſit à tempore cuius initij non extat memoria. 303. A

Præſcribi nequit exemptio à decimis breuiori tempore, quã annorum quadraginta cum titulo, aut tempore de cuius initio non extat memoria. 304. D

Præſcriptio iuris vt laicus decimas recipiat, non habet locum ſine titulo, etiamſi poſſeſſio temporis, de cuius initio non extat memoria, probetur, niſi probetur anteceſſores ante annum poſſediſſe. ib. E

Præſcribitur quadraginta annis ſine titulo conſuetudo, vt locus aliquis decimas non ſoluat, non tamen ſine titulo quadraginta annis priuatus id præſcribet: quoniam conſuetudo diuerſum quid eſt à præſcriptione priuati. 305. A

Præſcribi nequit ius patronatus Eccleſiæ liberæ, etiam tempore de cuius initio non extet memoria. Excipitur, quando certum non eſt, Eccleſiam eſſe liberam: atque tunc, ſi parochiani ſint, qui præſcribant, quadraginta annis ſine titulo præſcribent. ib. & B

Præſcribi poteſt tempore, de cuius initio non extat memoria, ius præſentandi, aut eligendi rectorem, aut prælatũ in Eccleſia collegiata. eſto patroni eiuſmodi Eccleſiarum id iuris non habeant, niſi id deduxerint in pactum, fuerităq; eis conceſſum tempore fundationis, aut dotationis talium Eccleſiarum. ib. C

Præſcribi ſine titulo bona aliqua tanquam maioratus aduerſus eos, qui, ſi vinculata non eſſent, in eis ſuccederent, non poſſunt, niſi tempore de cuius initio non extat memoria, quales teſtes eſſe, quid teſtificari debeant. 306. B

Præſcriptio quando tempus immemoriale exigit ſine titulo, ſufficit ad eam cum titulo tempus ordinarium, habita ratione rei quæ præſcribitur, & eius, aduerſus quam præſcribitur. Et quando titulus neq; continet apertum defectum, neq; rem efficit perſpicuam: tunc enim tempus quadraginta annorum requiritur. ibid. D

Præſcribuntur bona, vt ſint maioratus, cum titulo decem annis inter præſentes, & viginti inter abſentes. 307. A, B

Præſcribat vt quis iuriſdictionem aliquam ſine titulo in Caſtella & Luſitaniæ regnis neceſſarium eſt tempus de cuius initio non ſit memoria: cum titulo vero centum annorum. ib. C, D

Præſcribi aduerſus principẽ poſſunt, quæ ad gradus meri, & mixti imperii pertinent, infra primum, & multa quæ ad primum pertinent. 308. D

Præſcriptio iuriſdictionis cuiuſcunque ſine titulo aduerſus principem, regnive coronam, exigit poſſeſſionem temporis de cuius

de cuius initio non extat memoria: cum titulo vero centum annorum. 309.A

Præscribitur iurisdictio aduersus priuatum, cum titulo decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes, & triginta sine titulo. ibid.B

Præscribi aduersus regem non potest in Lusitania iurisdictio, etiam tempore, de cuius initio non extat memoria, nisi adsit titulus aut sententia, quæ in rem transierit iudicatam. ibid.C, D

Præscribi non potest sine titulo, quod tributa alij à rege soluantur, nisi tempore, de cuius initio non extet memoria: & tunc dummodo fama, aut vehemens præsumptio non sit malæ fidei: alioquin neque eo tempore præscribuntur. ibid. E, & seq.

Præscribi cum titulo non possunt tributa aduersus regem, nisi spatio centum annorum. 310.A, B

Præscribere sine titulo non possunt domini, vt subditi ea extraordinaria tributa eis soluant, quæ in Castella impositiones vocant, nisi tempore, de cuius initio non extat memoria, neque in eo, si fama, aut vehementia indicia sint, fuisse per iniustitiam extorta. ib.C, D

Præscribi possunt tributa aduersus priuatos, cum titulo, de quo nõ sit præsumptio malæ fidei, decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes. 311.B

Præscriptio centenaria diuersa est ab ea, de cuius initio non extat memoria, & idcirco probata centenaria, si de eius initio memoria sit, non est probata illa alia. 312.A

Præscriptio centenaria, quando præsumptio iuris est in contrarium, titulum exigit, in immemoriabili vero non requiritur, quin potius titulus, & necessaria omnia ad legitimam possessionem eo ipso interuenisse præsumuntur. ibid. B

Præscriptionem immemoriabilem non impedit, quod cõstet, possessionem, cui nititur, cœpisse post ducentos, aut trecentos annos, modo initium illius excedat memoriã senum, qui nunc sunt, etiam ex auditu, & traditione suorum maiorum. ib.C

Præscriptio aut possessio centenaria quomodo probetur. ibid. D

Præscriptio seu possessio immemoriabilis quomodo probetur. 313. A

Præscribitur aduersus legem ciuilem consuetudine in contrarium decem annorum. ibid.E

Præscribitur aduersus legem canonicã consuetudine in contrarium quadraginta annorum. 314.A

Præscriptio dicitur interdum non currere, quia nondum inchoari cœpit. 315.C

Præscriptio, quæ titulo non indiget, vt currat, aut inchoetur, satis est possessio, & bona fides, quæ vero titulo indiget, vitra illa duo requirit titulum. Quare eadẽ res prius poterit inchoari præscribi longiore præscriptione, quæ titulo non indiget, quàm breuiori, quæ illo eget. ibid.D

Præscriptionem inchoari impediunt, quæ eam dormire, aut interrumpi faciunt, modo, antequam inchoetur, aduenian. ibid.E

Præscriptio interdum non currere dicitur, quia ea, quæ iam incepit, cessat, & quasi dormit, ita vt deducto tempore, quo dormire dicitur, tempus præteritum à puncto, quo incepit, copulari, & continuari possit cum tempore, quod sequitur, quando dormire desinit, ad constituẽdum tempus ad præscribendum necessarium. 316.A, B

Præscriptio incipere non potest in bonis aduentitijs filiifamilias, quorum pater habet vsumfructum, interim dum est in patria potestate. Quod si pater aliquid eorum alienet, solum currere incipit præscriptio triginta annorum rei illius à puncto, quo filius patriam egreditur potestatem. Quæ autem in eis bonis præscriptio inchoæpisset, antequam ad talem filium deuenirent, continuatur, & nec dormit, nec interrumpitur. 317.A

Præscriptio incipere non potest in fundo dotali interim dum talis est: quæ autem inceperat, neque interrumpitur, neque dormit. 316.B

Præscriptio incipere non potest in re præscribi prohibita, vel in se, vel comparatione possidentis. ibid. C

Præscribi non incipiunt debita ante diem, in quo erant soluenda. ibid.

Præscriptio quæ incipit, quod alius iure suo non vtatur, à tempore non vsus incipit: quod si postea vtatur, antequam præscriptio absoluatur, interrumpitur omnino, ita vt à non vsu, qui postea sequetur, incipere iterum debeat. ibid. & D

Præscriptio cessat, seu dormit aduersus Ecclesiam, quando Ecclesia vacat, & prælato caret, aut eum habet, sed impeditum ac impotentem ad agendum. ibid.

Præscriptio dormit, aut cessat aduersus imperatorem, aut regem, interim dum imperium aut corona regni vacat. ibid. E

Præscriptio dormit aduersus Romanam Ecclesiam, tempore schismatis, aut sede vacante. ibid.

Præscriptio dormit aduersus pupillum durante pupillari ætate. ibid.

Præscriptio dormit tempore hostilitatis. 317.A

Præscriptio quousque tempore pestis dormiat. ibid.

Præscriptionem interrumpi est, tempus præscriptionis extingui, ineptum omnino reddi ad præscriptionem, & quando naturaliter interrumpatur. ibid.B

Præscriptionem ciuiliter interrumpi quid. ibid.D

Præscriptio triennalis non interrumpitur litis contestatione, tametsi, si per sententiam pronuncietur res ad alium pertinere, sit illi restituenda. ibid.

Præscriptio cum bona fide decem, viginti, triginta, & plurium annorum, per litis contestationem coram iudice competente, non vero per citationem interrumpitur, modo tamen actor non succumbat, & modo contestatio non sit facta malitiosè animo solum interrumpendi & dilatandi præscriptionem. ibid. & E

Præscriptio, quæ cum scientia, quod res debeatur, peragitur, sola citatione interrumpitur, aut per hoc, quod debitor pignus aut nouum cautionem tradat. 318.B

Præscriptio quo pacto interrumpi valeat, quando facultas non est citandi, aut contestandi litem. ibid.C

Præscriptio actionis quando interrumpitur per citationem, quousque prorogetur tempus præscriptionis eiusdem actionis. 319. A

Præscriptionis interruptio ciuilis solum habet locum comparatione eius, qui litem est contestatus, aut citauit, non vero comparatione cæterorum, nisi per eam contestationem, aut citationem, possidens in mala fide constituatur: nã tunc naturaliter interrumpitur quoad omnes. ibid.C

Præscriptio interrupta potest de nouo incipere, si adsit bona fides, & quousque sit continuanda, vt absoluatur. ibid.D

Præscribi res furtiua, aut per vim ablata, etiam à tertio possessore, non potest tribus, decem, aut viginti annis: secus triginta, aut pluribus. 320.C

Præscribi non potest res communis aliquibus adhuc inter eos indiuisa, ab vno illorum. ibid.D, E

Præscribi liber homo in seruum non potest. 321.A

Præscribi non potest obedientia à subdito aduersus eum, cui illam debet, item vt non visitetur à prælato, & vt procuratio Episcopo non soluatur quando visitat. Vnus tamen prælatus præscribere potest aduersus alium, vt subditi ad ipsum pertineant, & vt ab eo visitentur, ipsiq; procuratio soluatur. ibid.

Præscriptio licet locum habeat contra nerum disciplinæ Ecclesiasticæ, vt quod tempore interdicti celebrari possit pulsatis campanis, & alta voce, potest tamen ea consuetudo reuocari. ibid.B

Præscribi non possunt fines prouinciarum, episcopatuum, parochiarum, & quæ eis cohærent, vt si Ecclesia aliqua in confinio alicuius episcopatus sit, modo sufficienter constet tales fines præfixos esse. Idem de finibus ducatuum, comitatuum: fines tamen prædiorum præscribi possunt. ib.C

Præscribi non possunt res in publicum vsum deputatæ, vt viæ plateæ, pontes, & c. etiamsi populus eis vti desinat. ibid.D

Præscribi nõ potest res possideri prohibita, ab eo, qui possidere illam non potest. ib.

Præscribi potest res sine solemnitatibus alienari prohibita, etiam quando sine eis alienata fuit, modo mala fides ex parte possidentis non interueniat, & modo ex facti ignorantia, & non iuris, sine eu solemnitatibus aliena possideatur, aut accepta sit. ibid.E, & seq.

Præscribi incipere, aut continuari non potest aliquid aduersus pupillum interim dum pupillaris ætas durat. 322. A

Præscriptio sola triginta annorum aduersus minores puberes admittitur, etiamsi titulus adsit. ibid.C

Præscriptio, quæ iam cœperat, non impeditur ex eo, quod res deinceps alienari sit prohibita, nisi fiat pupilli. ibid. & D.

Præscribuntur aduersus successores tempore de cuius initio nõ extat memoria res vinculo maioratus affectæ, aut quouis alio modo alienari prohibitæ. ibid.E

Præscribi nequeunt bona maioratus, & alia simpliciter alienari prohibita, spatio decem, aut viginti annorum, etiã cum titulo: secus triginta aut plurium annorum sine titulo. ib. & 323.A

Præscriptione completa aduersus maiorem, conceditur ei restitutio, si iusta causa sit ad eam concedendum, vt si, dum completa fuit, erat in expeditione, aut alia ratione absens in reipublicæ commodum, aut erat captiuus, aut alia similis. Conceditur vero quadriennio tantum, postquam impedimentum cessauit, & inuincibilis ignorantia, quod esset præscriptum. Si tamen ante completam præscriptionem impedimentum cessauerit, ita vt litis cõtestatione potuerit illam interrumpere, non conceditur restitutio. 324 A, B

Præscriptione etiam temporis longissimi, completa, conceditur minori restitutio in integrum, vsque ad vigesimum nonum suæ ætatis annum. Et Ecclesia quatuor annis à puncto, quo completa fuit. 323.E, & seq.

Præscriptione completa ex ignorantia inuincibili, quod aduersus eum præscriberetur, conceditur maiori restitutio aduersus præscriptionem decem & viginti annorum. Et num concedatur aduersus longiorem. 324.D

Præscriptæ rei comparatur dominium, & licite retinetur, interim dum per beneficium restitutionis minori, Ecclesiæ, aut maioribus ex iusta causa concessum, non reperitur 325.A

Præscribatur vt res, quam defunctus bona fide sine titulo possidebat, censetur habere hæres non suus titulum à puncto aditæ hæreditatis: secus de hærede suo. 749.C

Præscribitur quãto tempore aduersus hæredem suum ius immiscendi & occupandi hæreditatem ad se delatam, hæreditasq; ipsa. 752.B

Præscribitur hæreditas insue ex transmissione resultans, aduersus eos, ad quos iure sanguinis est transmissum. 754. B, C

Præscribatur quanto tempore vt solum quartæ funeralium, aut minus quam quarta, aut nihil debeatur. 917.A

Præscribit hæredem, & res illius, qui illam bona fide tanquam hæres possidet, non breuiori tempore, quam triginta annorum aduersus legitimum hæredem. Sumens tamen ab illo aliquid illius præscribit tempore consueto. excepti nonnullis euentibus. 1063.E

Præsens.

Præsentes & absentes quoad præscriptionem qui. 289.D

Præsentare.

Præsentandi, & eligendi in rectores, & præsides Ecclesiarum collegiatarum ius habent principes Hispaniarum. 305.E

Prætetitio.

Præteritus si sit descendes, aut exhæredatus non apposita causa sufficienti exhæredationis, testamentum est nullũ quoad solam hæredis institutionem. Neque satis est, si quantum est legitima, aut plusquam legitima, titulo legati, aut alio, qui non sit hæredis, illi relinquat. Idem est intelligendum de præteritione & exhæredatione ascendentis facta à descendente. 706.D

Præteritus si sit aut exhæredatus descendens, causa exhæredationis, aut præteritionis apposita, agere potest descendens ad annullandum testamentum quoad solam hæredis institutionem querela inofficiosi, si causa non probetur sufficiens, ad testatoremque aut ad hæredes alios spectat eam probare. Idem intelligendum est de præteritione, aut exhæredatione ascendentis. ib.E

Præteritionis & exhæredationis dispositio eodem modo intelligenda est in filiis legitimatis, & in illegitimis, quãdo portio eis in bonis ascendentium, aut descendentium debetur, sicut in legitimis. 708.A

Præteritio aut exhæredatio si indebite sit facta, atque in testamento codicillaris clausula sit apposita, censentur hæredes ab intestato gravati restituere hæredi instituto reliquum bonorum detractis legatis, & legitimis ipsorum portionibus. ib.C, D

Præteritio aut exhæredatio esto indebite sit facta, invalidũque proinde sit testamentum quoad hæredum institutionem, valida tamen est in Regno Castellæ melioratio tertij & quinti in eo facta. ib.

Præterito aut exhæredato indebite aliquo, valent nihilominus nominationes ad emphyteusim in eo factæ. 709. B, C

Præteritus si sit posthumus aut alius, quia ignorabatur existere aut futurus, invalidum est testamentum, etiã quoad legata, & fideicommissa, & nominationes in emphyteusim. Excipe legata, de quibus dubitandum non sit simili modo esse statuenda, esto testator de tali filio esset cõscius. 710.C

Præteritus si sit filius ob ignorantiam quod existat, aut existet, & in eo testamento melioratio facta sit, quando iudicanda sit valida, & quando non. ib.D, E

Præteritus cur censeatur, & testamentum quoad hæredum institutionem sit nullum, esto plusquam legitima aliqui relinquatur, sed non titulo hæredis. 711.A

Præteriti non censentur iure Lusitano ascendentes, & descendentes, si testator solum disponat de suo tertio: quia censetur tacite illos instituere in suis legitimis. ibidem, & B

Præteriti censentur canonico iure ascendentes & descendentes nisi titulo hæredis relinquantur illis legitimæ. ibidem.

Præteritus censetur filius, etiam in testamento inter liberos, nisi titulo hæredis ei relinquatur sua legitima. ibidem.C

Præteritus censetur, etiam in Castellæ regno, descendens aut ascendens, cui legitima alio titulo, quam hæredis, est relicta, estque proinde testamentum nullum quoad hæredum institutionem. 712 B

Præteritio apposita legitima præteritionis causa valet, sicut exhæredatio. ibid. E

Præteritionis & exhæredationis esto legitima sit causa, paterque eam apponat, si tamen nec pater, nec hæredes illã probent: filius licite agit ad rescindendum testamentum, obtinetque hæreditatem. 714.A, B

Præteritio & exhæredatio, si testamentum, in quo facta est, sit nullum, etiam quia hæres adire nolurit hæreditatem, est etiam nulla. Et vtrum ex hoc capite nulla etiam sit in regno Castellæ. ibid.C

Præteriri aut exhæredari vt quis possit ob delictum, esse debet annorum decem cum dimidio, & in fœminis sufficere videntur nouem cum dimidio. Si tamen delictum sit carnis, necesse est peruenerint ad pubertatem. ibid.E

Præteritus aut exhæredatus à patre, si cum iuramẽto renunciasset hæreditati paternæ, quando valet renunciatio, dicere non posset testamentum nullum, in quo esset præteritus. 715.B

Præteritio aut exhæredatio filiæ, aut filij, si talis filius, aut filia consentiat, dum pater conficit testamentum, validæ sunt, neq; potest dicere postea testamentum nullum, esto nulla causa sit testamento inserta. ibid.E

Præteritio vel exhæredatio valet, neque potest deinceps dicere nullum tale testamentum, si filius ita præteritus post patris mortem in eo tacitè vel expressè cõsenserit, & quando tacitè consentire censeatur. 716.C

Præteritioni aut exhæredationi si minor consensum præbuit, vel dum testamentum conficiebatur, vel post patris mortem, conceditur ei, si notabiliter læsus est, restitutio in integrum vsque ad vigesimum nonum annum. ibid.D

Præteritus aut exhæredatus si sit vnus filiorum, causa non inserta, simulq; instituti sint hæredes alij filij in suis integris portionibus, esto filius præteritus testamentum approbet, post mortem patris alij filij possunt dicere illud nullum ex illo capite: secus si inserta causa esset præteritionis, aut exhæredationis. ibid.E

Præteritus aut exhæredatus non inserta causa, si erat vnus solum filiorum, isque ante mortem patris moriatur, valet testamentum de iure prætorio, licet de ciuili iure non valeret. 717.B

Præteritus aut exhæredatus filius nondum natus, non prius reddit nullum testamentum, quàm nascatur viuus, & in Castella, quàm post natiuitatem viuat viginti quatuor horis, & baptizetur. Quod si moriatur post patrem, recuperat vires testamentum. ibid.C

Præteritus aut exhæredatus si fuerit filius legitimè, & relicta sobole moriatur ante patrem, auus superstes instituere non tenetur nepotes, neque succedunt loco patris. ibid.E

Præterito filio aut exhæredato non inserta causa, per triginta tantum annos conceditur actio ad dicendum nullum tale testamentum, & bonorum possessio, quanto tempore eidem concedatur, & quod emolumentum habeat, & num hæc locum habeant in emancipato. ibid. & seq.

Præteritus aut exhæredatus si sit filius causa inserta, solum per quinquennium ab adita hæreditate conceditur illi querela inofficiosi testamenti. Si tamen minor sit, quinquennium incipit à vigesimo ætatis illius anno, & num hæc locum habeant in emancipato. 718.B

Præteritionis, aut exhæredationis descendentium quatuordecim legitimæ causæ. 721.A, & seq.

Præteritionis aut exhæredationis causam, qui commisit, abstinere non tenetur ab hæreditate, antequam exhæredetur, aut sententia exhæredationis feratur. 725.B

Præteritionis aut exhæredationis ascendentium causæ octo. 729.E, & seq.

Præterire aut exhæredare non licet ex alijs causis enumeratis, etiamsi graviores sint. 730.E

Præteritio aut exhæredatio eodem modo locum non habent in castrensi, aut quasi castrensi peculio, quo in alijs. 1010.D

Vide exhæredatio.

Preces importunæ.

Preces importunæ, quàm raro inualidam efficiant vltimam dispositionem. 503.C

Pretium.

Pretia rerum accrescunt multiplicata pecunia, valorq; ipsius pecuniæ ad res comparandas decrescit, vt experientia in Hispanijs à sexaginta annis compertum est. 345.B

Princeps.

Princeps dum rempublicam defendit, & ius dicit, iustitiæ commutatiuæ actum ab eo debitum exercet. 25.C

Princeps absque traditione dominium non transfert: secus in donationibus. 41.D

Princeps quousque iuri aliorum præiudicare possit, aut non. 693. C,D

Procuratio.

Procuratio, seu collecta episcopo exhibenda quid, & quanta, & quid iure circa eas, & inhibitionem visitatoribus ne per se, aut suos, munera accipiant, & quid circa procurationes habeat hodie consuetudo præscripta. 350.E, & seq.

Procurator.

Procurator si reuocetur, valida est reuocatio, esto sub iure-iurando, qui illum constituit, se astrinxisset eum non reuocare. 595.E

Pro derelictis.

Pro derelictis, quæ censenda. 238.D, 245.C

Pro derelictis non sunt habenda bona naufragantium, & iniquæ sunt leges, quæ ea domino loci applicant. ibid.D

Prodigus.

Prodigus, si bonorum administratio illi sit interdicta, testari non potest, etiam ad pias causas. Testamentum autẽ ante eiusmodi interdictum factum, esset validum. 506.C

Prodigus, cui curator est datus, cum illius autoritate potest se alteri obligare: solus autem licet possit obligare alteri sibi, ipse tamen obligari non potest. 977.G

Profectitia.

Profectitia bona quæ. Sunt vero regulariter quoad dominium, & proprietatem eius parentis, à quo proficiscuntur. 1015. A

Profectitium est, quod filio proxime ac principaliter, patris intuitu est datum, ad eumque parentem proinde pertinet. Contrarium affirmat Ant. Gom. quando à rege est donatum. ibid. & B

Profectitium bonum est, adducendumque ad partitionem, quod filius à parentibus sustentatus, bonis parentum acquirit. 1018. C, & 1019.B

Professio.

Professione fructuarij non expirat vsusfructus, quando monasterium bonis professi succedit, sed commoditas ad monasterium spectat, dum religiosus ille vivit. Idemque est in vsufructu patris, quoad bona ante professionem filio acquisita. 61.C

Professio religiosi ante decimumsextum ætatis annum expletum, & ante annum integrum probationis ab habitu susceptо facta, est nulla. 515.E, C

Professio exhæredati, causam exhæredationis abolet. 734.C

Professio hæredis grauati non facit fideicommissum transire ad fideicommissarium, nisi sit ordinis minorum, aut nostræ societatis, vel ad coadiutoris gradum in ea admittatur. Et quid, quando relictum fuit sub conditione adhuc pendente, aut in tempus post professionem. 784.E, & seq.

Professio patris aut filij eximit filium à patria potestate. 522.B, C, & 1003.B

Vide religiosus.

Promissio.

Promissio exhibitione non consummata regulariter est nulla, quando facta fuit ob causam existimatam, neque existentem. Si tamen consummata fuit, sæpe non est nulla. 897.B

Promissio iuramento confirmata. Vide iuramentum.

Vide donatio.

Proprietas.

Proprietas quid. 35.C

Proscriptio.

Proscriptio & deportatio qualiter iure communi fierent. 56. A

Prouincia.

Prouincia vna prohibere poterit extraneis commercium, habitationem, imo & portum, quibus non extremè indigeant, in ea. 428.A, B

Prudentia.

Prudentia, alia monastica, alia politica. Hæc alia architectonica, seu regitiua, alia politica est. 3.A

Pubertati proximus.

Pubertati proximus quis. 977.A, B

Publicatio testamenti.

Publicatio testamenti quando necessaria, & quomodo fiat. 481.A, B

Pugnare.

Pugnare in quibus euentibus liceat clerico, imo iure naturali ad id sub lethali culpa teneatur. 437.D

Pugnare in quibus euentibus non licet Ecclesiasticis in bello iusto, diripere possunt hostium bona, vt alij de exercitu, quando non constaret de contraria ducis voluntate. 438.A

Pugnare clericos, quando id eis non licet, culpa est lethalis, si in maioribus ordinibus sint constituti, & quæ pœnæ sint eis constitutæ, & quid de beneficiarijs, & alijs in minoribus constitutis, & de religiosis laicis. ibid.B, C

Pugnare bello iusto licitum est die festo, etiam omisso sacro, si id necessitas aut commodicas belli postulet. His cansis cessantibus forte nec venialis erit culpa, sacro audito, si adsit commoditas. 444.B

Pugnare nefas est Christianis captiuis aduersus Christianos, quemquam percutiendo. 450.D

Vide bellum.

Punire.

Punire pœna atroci soli iudici conuenit, non vero parentibus aut alijs. 999.D

Punire pœna domestica, & similibus parentibus, & multis alijs, quousque conueniant, neque idcirco excommunicationem incurrunt, si puniant in minoribus ordinibus constitutos. ibid.E

Puniens laicus simili pœna ordinibus sacris initiatos excommunicationem incurrit, esto pater sit. 1000.A

Pupillus.

Vide, Minor.

Quarta.

Quarta Trebellianica. Vide Trebellianica.

Quarta funeralium. Vide sepultura & Episcopus.

Quasi castrensia.

Quasi castrensia bona quæ. 1008.D

Quintum bonorum.

Quintum in Castella ante tertium est extrahendum de aceruo bonorum defuncti. 1026.D

Realis actio.

Realis actio respondet iuri in re: personalis vero iuri ad rem. 34.B, C

Regia potestas ac regimen.

Regia potestas & alia vnde ortum habuêre. 103.D

Regia potestas variis modis potest institui. 117.D

Regium seu Monachiæ regimen cæteris præstantius. 120.E

Regia & quæuis alia suprema potestas in Republica descendit à iure naturali, sed est simpliciter de iure humano reipublicæ. 133.A

Vide Rex.

Regimen.

Regimen liberorum potissimum in eorum commodum, seruorum vero in dominorum vtilitatem præcipuè ordinatur. 113.A

Regiminis, potestatumve variæ species vnde habuerint ortum. 117.A, B

Regiminis supremi ciuiles tres species, nempe Monarchicum, Aristocraticum, & Democraticum. ib.C, D

Regimen, regnum, seu Monarchiæ cæteris præstantius. 120.E

Regimiento.

Regimiento, quod in Castella vocant, aut officium simile, si emptum sit constante matrimonio, annumerandum quoad æstimationem est cum bonis superlucratis, & dimidium pertinet ad vxorem, aut ad hæredes illius, & quid quando matrimonium contractu medietatis fuit celebratum. 1047.E, & seq.

Regnum.

Regnum, monarchiaue, quid. 117.B, C

Regnum, aut prouincia prohibere extrancis potest commercium, habitationem, & portum in ea. 428.B

Vide rex.

Religiosus.

Religiosis venatio quousque prohibita ac indecens. 222.C

Religiosus professus præscribere non potest nomine proprio. Idem est de adiutoribus nostræ societatis. 270.B

Religiosus acquisita per fornicationem tradere tenetur monasterio. 385.C

Religiosus si quid det ob fornicationem, amoremve turpem, obnoxium est restitutioni monasterio, etiamsi superior monasterij sit, qui id dedit. ibid.D

Religiosos pugnare, quando eis non licet, quale peccatum, siue in sacris ordinibus sint constituti, siue non. 438.A

Religiosi testari possunt ante ingressum in nouitiatum, & toto tempore nouitiatus etiam sine facultate superioris: & quid quoad hoc vltimum in nostra societate. 513.E

Religiosi professio ante decimum sextum ætatis annum expletum, & ante integrum probationis ab habitu susceptо facta, est nulla. 515.B

Religiosi nouitij renunciatio bonorum, nisi intra duos menses ante professionem, & de facultate Episcopi, aut ipsius vicarij fiat, est nulla, etiamsi iuramento sit confirmata. Neque tunc vires habet, nisi dependenter ex eo, quod professio sequatur. ib.C

Religiosi nouitij, finito probationis anno admitti ad professionem, aut expelli à monasterio debent, sola societate Iesu excepta. ib.D

Religiosorum nouitiorum bona dari monasterio, aut ab eo accipi non possunt, ante emissam professionem sub excommunicationis pœna, excepto solo victu, & vestitu nouitij. ib.E

Religiosi nouitij testamentum non gaudet priuilegio militis quoad solemnitatem. 516.E

Religiosi testamentum, factum tempore nouitiatus, aut dum ingredi religionem parabat, professione non annullatur. 517.A

Religiosi testamentum factum, antequam de ingressu religionis cogitaret, professione non annullatur. Excipitur, quando in ingressu dixit, se, & omnia bona sua offerre monasterio. ib.E

Religionum quæ monasteria ius habeant ad bona suorum religiosorum, & quæ non. 518.A

Religiosus nouitius si intestatus discedat, bona ipsius pertinent ad hæredes ab intestato, & non ad monasterium. 520.A

Religiosus eo ipso, quod profitetur, bona omnia ipsius, de quibus non disposuerat antea, pertinent ad monasterium, tenetur tamen monasterium ad debita illius ante professionem contracta iuxta vires bonorum. ib. & B

Religiosus si ante professionem condiderat testamentum, in quo aliquem hæredem instituerat, neque aliud expressit, emissa professione pertinent bona ipsius quoad vsumfructum ad monasterium, vsque ad mortem talis religiosi. Quod si hæres ante religiosum moriatur, pertinent pleno iure ad monasterium. ib.C

Religiosus, ad cuius bona ius non habet monasterium, si testamentum condiderat, statim emissa professione bona illius pertinent pleno iure ad hæredem, suntq; illi statim tradenda. 519.D, E

Religiosus professione emissa reuocare non potest testamentum, quod ante illam condiderat, etiam in fauorem monasterij. 520.D

Religiosorum bona ita cedunt monasteriis, vt integræ maneant legitimæ portiones filiorum, etiam naturalium quos ante ingressum habebat. ibid.E

Religioso professionem emittenti continuo tradendæ sunt filiis legitimæ portiones, quæ neque quoad vsumfructum ad monasterium pertinent. 521.A

Religioso professionem emittente vsusfructus, quem habebat in bonis aduentitiis filij, pertinet ad monasterium, interim dum filius in Lusitania & Castella matrimonium non contrahit. ib.C

Religioso professo defuncto ante suos ascendentes, portiones in bonis illius debitæ parentibus, ad parentes, & non ad monasterium, pertinent. 522.A,B

Religionem filio professente, non amittit pater vsumfructum quem in bonis illius habebat, quin, si filius ante patrem moriatur, vsusfructus ille perseuerat cum patre interim dum viuit. Bonorum tamen, quæ filio post professionem aduenium, vsusfructus pertinent, non ad patrem, sed ad monasterium. ibid.C,D

Religionem patre professente, vsusfructus bonorum, quæ filio postea aduenium, non ad monasterium, sed ad filium spectat. ibid.E

Religiosi feudum maioratus, aut capella, quando transeant, saltem quoad commoditatem, dum religiosus viuit, ad monasterium, & quando non. 523.A

Religiosi emphyteusis quando ad monasterium transeat. ibid.D

Religiosus quæ bona post professionem acquirit, ad monasterium spectant. 524.A

Religiosus, licet testari non possit, hæres potest institui, & succedere ab intestato. ibid.B

Religiosus ob ingratitudinem aduersus patrem in seculo cõmissam exhæredari non potest. ib.C

Religiosus non sibi, sed monasterio acquirit, neque ipse, sed monasterium adit hæreditatem ad ipsum delatam. ibid.

Religiosus vt monasterio acquirat, partim comparatur seruo, & partim filiofamilias, vt monasterio fuerit vtilius, ibid. & D

Religiosi legatum acceptare potest monasterium religioso ignorante, & inuito, quin & defuncto, si post testatorem, obiit. ibid.

Religioso si quid relinquatur, aut donetur sub conditione, vt ad ipsum, & non ad monasterium, pertineat, intelligendum est, quoad commoditatem. Quod si prælatus non cõsentiat, redditur nullum, nec cõsensus valet, nisi ad pium & licitum vsum. ibi.D,E

Religiosi delictum ad nihil obligat monasterium, nisi quatenus inde factum sit locupletius. 523.A

Religiosi contractus quousq; obliget, aut non obliget monasterium. ib.B

Religiosi ex contractu sine superioris facultate celebrato tenetur naturaliter, quantum fuerit damni causa iniusta non vero amplius. ibid.C

Religiosi fideiussor si datus fuit, quod superior ratum haberet contractum, tenetur ciuiliter: alioquin ex contractu religiosi non tenetur. ibi.D,E

Religiosus fugitiuus & apostata quicquid acquirit monasterio acquirit. 526.C

Religiosus de facultate summi Pontificis aut alterius superioris, extra claustrum degens, quod acquirit, monasterio acquirit, & quousque expendere id possit. ib.& D

Religioso eo ipso, quod facultas est concessa degendi in seculo per totam vitam, censetur concessa administratio & dispositio in vita eorum, quæ acquisierit, & quousque. ibid.

Religiosi inclusi in monasterio in pœnitentiam pertinent bona quoad vsumfructum ad secundum monasterium interim dum in eo commoratur, postea vero consolidatur vsusfructus cum proprietate, & pertinet ad primum monasterium. ibid E, & seq.

Religiosus si inualide profiteatur secundo in alio monasterio, omnia bona illius, etiam acquisita post secundam professionem, pertinent ad primum. Si vero valide, quæ acquisierit post eam professionem, pertinent ad secundum. 527.A

Religiosus minor, aut professus vel coadiutor nostræ societatis, si de licentia Summi Pontificis profiteatur in alia religione, aut Episcopus fiat, licet non recuperet bona, quæ ad ipsum alioquin pertinuissent, bona tamen, quæ hæreditario iure, aut alia ratione ad ipsum deinceps pertinebunt, sunt monasterij, in quo profitetur, aut ipsius quoad commoditatem, dum Episcopus fuerit, post mortem vero ad Ecclesiam spectant. ib.D

Religiosus monasterij, quod ius habet ad bona illius, si profiteatur ordinem minorum, bona, quæ deinceps ad ipsum iure hæreditario essent deuentura, pertinent ad hæredes ipsius ab intestato: alia vero quoad commoditatem ad monasterium, in quo degit. ibid.E

Religiosi iniuste à religione electi bona pertinent ad monasterium, vt antea quam ejicerentur. 528.C

Religiosus iuste electus non reincidit in arctiorem obedientiam Episcopo, quam alij clerici. ib.D

Religioso iuste à monasterio electo eo ipso censetur concessus vsus, & commoditas eorum, quæ deinceps acquisierit. Eorum vero dominium pertinet ad monasterium vnde fuit electus, si illius sit capax, & tota commoditas post mortem, esto dominij capax non sit. ib.E

Religiosus in Episcopum assumptus eo ipso acquirit, iure etiam hæreditario commoditatem, quamuis ex ordine minorum, aut nostræ societatis, sit assumptus, post mortem vero ea bona, non ad monasterium, vnde fuit assumptus, sed ad Ecclesiam, cuius est pastor, spectant. 529.B

Religiosus professus, aut coadiutor nostræ societatis, neq; ad pias causas testari potest. 530.A

Religiosus professus, qui liberos ante ingressum habebat, disponere inter illos potest in Regno Castellæ de tertio, & instituere de eo maioratum. ib.D,E

Religiosi quales sint hodie commendatarij in Hispaniis. 531.C,D

Religiosis à solo Summo Pontifice concedi potest facultas testandi non solum valide, sed etiam ex rationabili causa licite. 532.D

Religiosorum quatuor gradus. ib.E, & seq.

Religiosis beneficiariis concedi à Summo Pontifice solet facultas testandi. 533.A

Religioso facultas ad testandum concessa, intelligitur solum ad pia, quando aliud non exprimitur. ibid.C

Religiosis simplicibus, qui in monasteriis degunt, concedi non solet facultas testandi, & ex qua causa potest aliquando concedi. ib.B

Religiosis, qui vel in seculo ex facultate, vel non in perfecta communitate viuunt, concedi solet facultas testandi. ib. C,D

Religiosi nouitij renunciatio bonorum facta, etiam ad pias causas, atque confirmata iuramento, est nulla, nisi intra duos menses ante professionem, & de licentia Episcopi aut eius vicarij fiat, neque sortitur effectum, nisi secuta professione. 583.A,B

Religiosi nouitij renunciatio aut dispositio, facta sub conditione professionis, validum est, etiam post Concilium Tridentinum. ibi.

Religiosus, etiam professus, hæres institui potest, nisi sit ordinis D. Francisci, aut nostræ societatis. 608.D

Religiosus professione emissa, etiam spurius, dispensatus manet ad ordines sacros suscipiendos, non vero vt prælatus fiat. 690.A

Religiosus licet per professionem patriam egrediatur potestatem, retinet tamen priuilgium hæredis sui, vt hæredita-

reditatem non aditam transmittat ad monasterium. 747.B,C

Religiosus nec tutor nec curator esse potest. 957.A

Religiosus esse potest executor testamenti, obtentâ prius facultate à suo superiori, alioquin irritum est quod fecerit: superior autem quam facultatem potest subdito concedere potest sibi vsurpare, nisi aliud præscriptum à suo superiori illi sit. 1066.E

Religioso si superior facultatem executoris reuocet, non poterit is vlterius in executione progredi, etiamsi res non esset integra: male tamen faceret superior, qui sine rationabili causa facultatem reuocaret. 1067.A

Religiosus si ex sui superioris facultate munus suscipiat, tenetur Episcopo rationẽ administrationis reddere, etiamsi prælatus sit religionis, potestq; Episcopus illum punire, si eum deliquisse comperiat. ibid.B

Religiosi minores esse non possunt executores testamentorum: præbere tamen possunt consilium circa executionem & distributionem bonorum defuncti, non tamen ita, vt illud sequi teneantur, executores, etiamsi ad id eos testator astrinxerit. ibid.D

Remigare.

Remigare. Vide Captiui.

Renunciatio.

Renunciatio bonorum facta à nouitio, nisi intra duos menses ante professionem facta sit, & de facultate Episcopi, aut ipsius vicarij, est ipso iure nulla, etiamsi iuramento sit confirmata: neque tunc effectum sortitur, nisi sequatur postea professio. 515.B,C

Renunciatio bonorum facta ante ingressum religionis, sine vllo intuitu ingressus, valida est: secus videtur dicendum de ea, quæ intuitu ingressus fieret. ibid.E

Renunciationis nomine, etiam donatio, quæ incipit à traditione, comprehendi videtur in Concilio Tridentino. 516.A

Renunciatio bonorum, etiam ad pias causas, & iuramento confirmata, facta à nouitio, est nulla, nisi intra duos menses ante professionem de licentia Episcopi, aut vicarij ipsius fiat: nec effectum sortitur, nisi secuta professione. 583.D,E

Renunciatio, aut dispositio nouitij, eiusue, qui ingredi parat religionem, valida est, etiam post Concilium Tridentinum, si sub conditione professionis fiat. ibidem. & 586.A

Renunciasset si quis hæreditati paternæ cum iuramento, quando ea renunciatio valet, dicere non posset nullum testamentum patris, in quo eum præterijsset, aut exhæredasset. 715.B

Repræsaliæ.

Repræsaliæ quid, & quando licitæ. Quod si Princeps Reipublicæ in causa sit ob suam culpam, quod concedantur, restituere tenetur suis subditis innocentibus damna ipsis illata. 468.D

Repræsaliæ vt licite concedantur, licet minorem causam requirant, quam vt bellum inferatur, exigunt tamen causam non leuem. ibi.E

Repræsalias is solus potest concedere, apud quem est autoritas bellum indicendi. 469.A

Repræsentatio.

Repræsentatio in linea collaterali solum, se extendit ad filios fratrum. 641.C

Repræsentatio filiorum locum non habet viuente ipsorum patre. ibid.E

Repræsentatio locum non habet in filijs fratrum ad succedendum ab intestato patruo, quando non succedunt illi cum patruo superstite, fratre defuncti, sed soli filij fratrum succedunt, quare tunc per capita, & non per stirpes succedunt. 642.E

Repræsentant filij fratris defuncti patrem suum, ad excludendum ab intestato patruum magnum, hoc est, fratrem patris, aut matris defuncti, cui est succedendum. 847.A,B

Repudiare.

Repudiare potest semper hæres suus hæreditatem, si à creditoribus defuncti conueniatur, interim dum tacite aut expresse hæreditatẽ non adiuit. Et conuentus intra quantum tempus adire aut repudiare teneatur. 750.E, *& seq.*

Res, Et rerum diuisio.

Rerum diuisio qua ratione potuit introduci, req; ipsa fuit licite introducta. 12.D

Rerum diuisio. Vide diuisio rerum.

Rerum quæ vsu consumuntur, potest esse facultas ad vsum & consumptionem sine dominio. 48.C

Res mobiles & immobiles quæ. Seruitutes, iura, atq; actiones, quæ cum immobilibus rebus, & quæ cum mobilibus computentur. 288.C

Rescriptum.

Rescriptum si solum sit contra legem, quæ simpliciter statuit contrarium eius, quod conceditur, neque, quod conceditur, sit in notabile præiudicium tertij, necessaria non est derogatio talis legis, etiam in generali: si vero sit in præiudicium tertij, necessaria est, & sufficit clausula vniuersalis quæ dicat, non obstantibus iuribus in contrarium. 686.C

Rescriptum si sit contra ius, quod futuris principum concessionibus derogat, & simul sit in notabile præiudicium principis, Reipublicæ, aut alterius tertij, necessaria est clausula, quæ in particulari deroget legi illi, dicendo non obstante tali lege in contrarium lata, alioquin rescriptum est inualidum. Sufficeret tamen clausula generalis, quæ haberet, non obstantibus iuribus in contrarium, etiamsi de illis specialis fieri deberet mentio. Si autem non vergeret in præiudicium tertij, sufficeret clausula generalis, non obstantibus quibuscunque iuribus in contrarium. ibi.

Rescriptum derogans iuri in Concilio generali condito, indiget, vt sit validum, clausula, non obstante quocunque iure in contrarium, etiam Concilij generalis. ib.D

Respublica.

Respublica potestatem habet in singulas suas partes eo ipso, quod in communitatem, rempublicam ve conuenerunt. 103.C

Reipublicæ societate cur indigeat homo, ad eandemq; naturaliter inclinetur. 111.C

Reipublicæ potestas in partes, non à partibus, sed naturali iure à Deo est immediate. 115.A

Rerum publicarum tres species, Monarchia. Aristocratia, & Democratia. 117.B,C

Respublica iure belli subiecta tantum regis potestati subest, quantum quæ maxime illi subest. 119.C

Respublica tota, & non solum partes singulæ, subiacent regi: tametsi respublica tota possit regi resistere, si tyrannicè aliquid velit in eam exercere. ibid. D,E

Respublica, quæ regimine alio non regitur, potest sibi eligere regem, sufficitq; ad id consensus maioris reipublicæ partis non vero, quæ regem habet, potest regimen in aliam speciem transferre. 121.A

Respublica Ecclesiastica, & secularis principum Christianorum, non omnino diuersæ, sed subordinatæ reipublicæ inter se sunt. Et quatenus secularis ab Ecclesiastica sit independens. 145.B,C,D.

Reipublicæ, tanquam omnibus suis partibus superiori, conuenit, quando morte sui regis multi, qui partes eius sunt, contendunt regnum ad ipsos pertinere, ipsos audire, atq; sententiam ferre, & possessionem regni illi tradere, cui illud adiudicauerit. 423.C

Resti-

Restituere.

Restituere quousque teneantur damna, quæ ferè dederunt, ij, qui loca habent ad venandum interdicta. 226.E

Restituenda quando sint, aut non sint, damna hostibus data, sine ducis, aut Principis autoritate. 413.E

Vide accipere.

Reuocatio donationis aut testamenti.

Reuocare possunt Rex & successores donationes de bonis regni male, atque in præiudicium regni factas. 124.A

Reuocatio prioris testamenti in foro conscientiæ valet, quocunque modo fiat, quando constat voluntatem testatoris fuisse, vt illud non valeret. 601.E, & 602.A

Rex.

Rex quantam potestatem habeat ad condendas leges. 119.A

Rex quando belli iure rempublicam subiecit, ita magnam in eam habet potestatem, quam magnam respublica poterat ei concedere. ibidem.D

Rex superior est, non solum reipublicæ partibus, sed etiam reipublicæ toti. ibid.

Regem potest sibi constituere respublica, quæ alio regimine gubernatur, sufficietq; ad id consensus maioris partis: nō vero respublica, qua regem habet, potest regimen in speciem aliam transferre. 121.A

Regis tyranni quatenus statuta & iudicia vim habeant. 123.A

Regis in sibi subditos quale dominium, & quanta, & ad quæ potestas. ibi C

Rex ad quæ tenetur. ib.E

Rex quousq; de bonis regni donare possit. 124.A

Rex & successores reuocare possunt donationes de bonis regni, male & in præiudicium regni factas. ibid. B

Rex diuidere non potest regnum, & partem vnam dare vni, & aliam alij, neque circa illud, aut successionem regni, quicquam mutare. 125.A

Reges legitimos ac dominia habere possunt infideles. 128. C,D

Rex Iudææ non erat Christus, quatenus ex Dauid descendebat, & multo minus totius orbis. 133.B,C

Rex regum, & dominus absolute temporalium omnium, est Christus, quatenus homo. 134.C

Reges deponere, occurrente iusta causa, neque id exigente bono spirituali, ad respublicas ipsas spectat. 143.D

Reges licet deponere possit Summus Pontifex, postulante id bono Ecclesiæ, non tamen eligere loco depositi, quem voluerit, quando ad aliquem successio spectat, aut respublica eligere aptum est parata. 148. A

Reges donare non debent de corona, aut communia loca, nisi moderate, iustaq; ex causa. 225.E

Rege mortuo, pluribusque contendentibus ad ipsos regnum pertinere, si omnes partes sunt eius reipublicæ, ad ipsam rempublicam, tanquam ipsis superiorē spectat eos omnes audire, ac ferre sententiam, tradereq; possessionem regni ei, cui illud adiudicauerit. 43.C

Rege mortuo, multisq; contendentibus regnum ad se pertinere, si eorum aliquis pars non sit eius reipublicæ, contendatq; regnum vniendum esse aliis suis prouincijs, neque ille tenetur expectare, subiitoreq; se sententiæ eius reipublicæ, neque respublica sententiæ illius, & quo pacto res tunc sit peragenda. ib. & D

Vide Regium. Et Regnum.

Romanum imperium.

Romanum imperium à Græcis ad Gallos quando translatum. 121.B

Vide Imperator.

Rusticum prædium.

Rusticum prædium quod. 69.C,D

Salarium.

Vide accipere.

Saltus.

Saltuum principum feræ ad quem pertineant. 217.E

Vide Venatio.

Scholasticus.

Scholastici, etiamsi in crimen inciderint, ob quod ipso iure priuantur suffragio circa cathedram, interim dum sententia non fertur, ferre illud possunt. 402.A

Scholastici libri quando conferendi, & quando non. 1044.B

Scriba.

Vide Accipere.

Scriptura multis communis.

Scriptura aliqua si communis sit omnibus, aut pluribus hæredibus, quis eam obtinebit, & quid faciendum. 1058.B

Sententia.

Sententia pretio accepto lata, quin & acceptato, est ipso iure nulla. 363.A

Sententia, quando pretio dato ab eo, pro quo fertur, lata sit, non solum est nulla, sed etiam pretium datus amittit causam. ibid. E

Sepelire & sepultura.

Sepulturam in loco communi parœsciæ deligere sibi possunt parochiani, solet tamen esse, qui sepulturas singulis designet. 912.C,D

Sepulturam potest quisque sibi eligere extra parœsciam, & loca, vbi ius sepulchri habet. ibid.

Sepulturam potest pater deligere filio impuberi, & in absentia patris potest eam deligere mater: secus de filio pubere. ibid.E

Sepulturam non eligit sibi religiosus, nisi procul à monasterio moriatur: prælatus tamen potest eam illi eligere. ibid.

Sepultura non electa si quis decedat, sepeliendus est in sepulchro suorum maiorum: quod si pater deligit sibi sepulchrum, in eo est sepeliendus: si vero maiores sepulchrum proprium habeant, in sua parœscia est sepeliendus, si autem æque in duabus sacramenta suscepit, locus est præuentioni, alioquin parœsciæ inter se component, vel stabunt iudicio prælati. ibidem.913. A

Sepulturam sibi deligere potest vxor. Quod si eam non eligat in sepulchro viri vltimi est sepeliendā, nisi à viro diuortium fecisset. ibid.B

Sepulturam qui non elegit, neque sepulchrum habet maiorum in parœscia, vbi habebat domicilium, est sepeliendus, asportandusq; est ex loco, in quo mortuus est, si commode fieri potest. ibid.C

Sepeliri famuli in nostra societate, & regulariter in aliis religionibus possunt, si, non electa sepultura, è vita discesserint. ibidem

Sepeliuntur peregrini, qui, non electa sepultura, è vita discedunt, in parœscia in qua moriuntur. Aliubi in templo maximo, & vbique loci consuetudine est standum. ibid.

Sepeliri debent scholastici, & alij, qui similiter in locis aliis residēt, in parœscia, in qua commorantur, si aliam sepulturam sibi non eligant. ibidem.D

Sepulturam vt eligant, aut electam vt non mutent religiosi, aut clerici, qui inducunt alios ad id vouendum, aut quacunque alia ratione se astringendum, vel promittendum, lethaliter peccant, eaq; electio est nulla, eligenſque sepeliri ibi non potest, neque eligere aliam, & sepelientes quas pœnas incurrant. ibi.E, & seq.

Sepeliendi ius ad parœscias, quorum sunt defuncti, spectat: religiosi solum ex priuilegio id habent. Id vero concedere in vniuersam Ecclesiam ad summum Pontificem spectat, in diœcesibus vero ad Episcopos ex consensu capituli 914.A,B

Sepeliendi circa priuilegium ſi religioſi cum clero, aut Epiſcopo paciſcantur, quodeo in totum, aut in partem non vtentur, validũ eſt tale pactum, ſatisq; eſt, vt ſit validum ſi celebretur de conſenſu ſuperioris, & capituli talis monaſterij. ibid.C

Sepultura, & obſequia defuncti ob debita illius prohiberi, aut retardari non poſſunt, & in quas pœnas incidat creditor, qui id commiſerit. ibi.

Sepeliatur ſi quis extra propriam paræciam, quanta portio propriæ paræciæ debeatur, de relictis per vltimam voluntatem loco ſepulturæ, & de oblationibus funeralibus, cõſuetudini loci eſt ſtandum, atque in dubio cenſendum eſt, deberi quartam. Et quoq; hæredes defuncti teneantur eam illi ſoluere. 915.C, D

Sepeliatur ſi quis extra propriam paræciam in loco non exempto propria paræcia extrahit inde ſuam quartam, aut portionem aliam ſibi debitam, deinde Epiſcopus ſuperior paræciæ extrahit inde portionem ſuam: Epiſcopus vero ſuperior loci ſepulturæ ſiue idem ſit, ſiue diuerſus extrahit quartam de remanentibus loco ſepulturæ. 916.C

Sepulturæ locus vt ſolum vſque ad quartam debeat Epiſcopo, aut paræciæ defuncti, præſcribi ſine titulo poteſt decẽ annis. Vt vero minus, quam quarta, aut nihil omnino debeatur, non præſcribitur niſi quadraginta annis cum titulo, aut ſine titulo tempore de cuius initio non extat memoria. Conſuetudo vero vt in aliquo loco vniuerſim nihil propriis paræciis debeatur, aut epiſcopo debeatur, ac proinde lex id ſoluendi aboleatur, quadraginta annis ſine titulo introducitur. ib.D, & 917.A

Sepelitur quando aliquis, de quib. quarta non debeatur propriæ paræciæ, neque Epiſcopo. Et quod à mendicantibus de illis debeatur paræciæ defuncti, & quod remiſſũ poſtea ſit, ſolumq; ſoluatur, etiam quando ſepelitur in aliena paræcia, quarta de oblationibus dici funeris. 917.C

Sepulturæ quarta, ſeu alia portio, quam Epiſcopi accipiebãt, expirauit in Luſitania, cuius loco ſucceſſit luctuoſa, quã de bonis beneficiarij curati defuncti accipiunt, & aliquibus in locis de aliis beneficiariis. ibid.D,E

Sepelitur quãdo aliquis apud religioſos in Luſitania, ſoluũt duntaxat paræciæ defuncti quartam oblationum diei funis. 918.B

Sepelitur quando aliquis in aliena paræcia, nihil paræciæ defuncti ſoluitur in Eborenſi Archiepiſcopatu, variæ alia vigent conſuetudines aliis in locis, quibus eſt ſtandum. 917.B

Sepeliatur ſi in tertio aliquo loco, qui domicilium æque in duabus paræciis habebat, æquaq; in illis Diuina Officia frequentabat, portio paræciæ defuncti debita æque inter duas illas paræcias eſt diuidenda. 918.B,C

Sepulto defuncto, & tranſactis nouem diebus, aut etiam intra illos, ſi hæredes voluerint, conficitur inuentarium, & minoribus tutores, aut curatores traduntur. 1014.A

Sepulto vno coniuge, & altero ſuperſtite, familia in Luſitania alitur de communibus bonis quousq; partitio perficitur, & quid de famulis, qui erant tempore defuncti: qui ſuperſtes autem eſt, manet in poſſeſſione bonorum vtriq; communium, aut in quibus aliquid, ſaltem hypothecam, habet tanquam familiæ caput. ibid.B

Sepulto viro, & ſuperſtite vxore, iure communi, & Caſtellæ, hæredes viri manent familiæ caput, à quibus vxor accipit, quæ ad eam ſpectant, vxor tamen manet in domo cum omnibus intra eam repertis. ibid.D

Sepultura. Vide funus.

Sepulchrum.

Sepulchra quæ familiaria, & quæ hæreditaria. 798.E

Sepulchra ſi hæreditaria ſint, non tranſeunt ad fideicõmiſſarium, ſed pertinent ad hæredem grauatum: neq; tranſeunt ad fiſcum, ſed permanent cũm hærede, eſto tanquam indignus priuetur hæreditate. ibid.

Sepulchra ſi familiaria ſint, cum ſolum pertineant ad eos, qui ſunt de familia, ſolum pertinent ad hæredem, vel fideicommiſſarium, aut ad vtrumque, ſi de familia ſint. 799.A

Sepulchrum quid, & in quo differat à iure ſepulchri, & à iure mortuum in ſepulchrum inferendi. 910.D,E

Sepulchrum acquiri, & poſſideri à nullo poteſt. 911.B

Sepulchri vt rationem locus aliquis habeat, neceſſe eſt, vt Epiſcopi autoritate, aut Summi Pontificis priuilegio ad ſepulturam ſit deputatus. ibid.C

Vide ius ſepulchri.

Seruitus vrbana & ruſtica.

Seruitutis definitio. 66.D

Seruitus adeo exigit vt ſit in re aliena, vt ſiquis emat agrũ, qui ſeruitutem habebat comparatione alterius ſui agri, expiret ea ſeruitus, ita vt illum vendat, neq; aliud exprimat, tranſeat liber. ibid.E

Seruitus ante traditionem non comparatur, eo quod ſit ius in re: tametſi ſola conuentione ius ad rem comparari poſſit ſeruitutis tradendæ. 67.A

Seruitutis habere aliquid rationem, atque adeo ius is in re, multum pendet à poſitiuo iure. ibid.B.C D

Seruitus de iure eſt poſitiuo, & quoad multas ſpecies eſt ſolum de iure ciuili. ib.E

Seruitus realis vna, perſonalis alia, hæc regulariter expirat cum perſona: realis non item. 68.A

Seruitus perſonalis quotuplex. ib.C

Seruitus realis diuiditur in vrbanam, & ruſticanam. Et quid vrbana, quidque vrbanum prædium. ibidem. D

Seruitus vrbana, affirmatiua vna, & negatiua alia. Et quot ſunt affirmatiuæ. ib. & ſeq.

Seruitutes vrbanæ negatiuæ quæ. 69.B

Seruitus ruſticæ quæ, & quod prædium ruſticum. ibid. C

Seruitutes ruſticæ quot. 70.B

Seruitutes numeratæ inter vrbanas eſſe poſſunt ruſticæ, & è contrario, pro prædij qualitate, cui aliud ſeruit. ibidem.

Seruitus alia continua, alia quaſi continua, & alia diſcontinua. ibid.

Seruitutes, lege, vltima voluntate, donatione, pactis, & præſcriptione conſtituuntur. ibid.C

Seruitutes quot modis finiantur. ib.D

Seruitutes quæ præſcribantur per hoc ſolum, quod alius iure ſuo non vtatur: quæ item per ſolum non vſum non amittantur, ſed vſus alterius exigatur. 285.C

Seruitutis vrbanæ debitor præſcribere non poteſt aduerſus ius ad illam, atque adeo neque extinguere ſeruitutem, cum ſcientia, quod ita debeatur. ib.

Seruitutis ruſticæ debitor præſcribere poteſt aduerſus ius ad illam, atque adeo illam extinguere cum ſcientia, quod ſit debita. ibid. & D

Seruitutes reales cum titulo præſcribuntur inter præſentes decem annis, inter abſentes viginti. 293.A

Seruitutis negatiuæ, vt altius non tollendi, & vniuerſim iuris quod in negatione conſiſtit, vt quod alius non venetur aut non eligat, non prius comparatur poſſeſſio, quam altero aggrediente contrarium, ipſe impediat: tempus vero præſcriptionis non incipit, niſi à puncto, quo ita comparatur poſſeſſio. ib. & B

Seruitutes continuæ, aut quaſi continuæ præſcribuntur ſine titulo decem annis inter præſentes, & viginti inter abſentes: diſcontinuæ vero ſine titulo non minori tempore præſcribuntur, quam de cuius initio non extat memoria. ibid.C

Seruitutes continuæ, aut quaſi continuæ, ſine titulo præſcribi non poſſunt, niſi cum poſſeſſione: hæc autem eſſe non poteſt, niſi per vſum, non precario, neq; vi, cum domini ſcientia, & patientia. ibid. & D

Seruitutis diſcontinuæ præſcripto, per vſum tempore, de cuius initio non extat memoria, vim habent tituli, neque neceſſe eſt probare ſcientiam, & patientiam domini prædij, ſed ſolum. ibid. E, & ſeq.

Seruitus vrbana, quæ vt præſcribatur aduerſus eum, qui in poſſeſſionem eſt illius, vltra non vſum eius, exigit actum domini prædij, quo poſſidenti contraueniat, exiſtente eo actu & bona fide præſcribitur ſine titulo per non vſum eius, qui in poſſeſſione erat illius, decem annis inter præſentes, & viginti inter abſentes. 294. A

Seruitutes aliæ, vt ſine titulo præſcribantur per nõ vſum poſſidentis, ſatis ſunt decem anni inter præſentes, & viginti inter abſentes, eſto adſit ſcientia, quod ad eum, aduerſus quem præſcribuntur, pertineant. Excipitur, quando ſeruitus eſt ad vtendum per maiora interualla, quam dierum: nam tempus exigitur duplicatum. ib. B

Seruus.

Seruitutem eſſe contra ius naturale gentium iure introductam, in quo ſenſu verum. 13. A

Seruitus gentium iure, vt licitè fuerit introducta. ibid. B, & 159. A

Seruitus hominis vnius ad alterum duplex, naturalis atque impropria, & legalis, cui additur tertia famulorum. 112. D, & 158. A

Seruitus mancipiorum licita, ſi adſit legitimus titulus. 158. C

Seruitus quibus titulis legitimè à principio comparetur in aliquem, comparaturq; iure belli. 160. C

Seruitus ob delictum incurritur, ſi ſit tanta pœna dignũ, feraturq; ſententia, & quod delictum tale ſit. ib. E

Seruituti potuiſſe licite ſubiici impuberes Saracenorum, qui in Granatenſi regno rebellauerunt, oſtenditur. 161. B

Seruituti fas eſt parentibus ſubiicere filios, ſtando in iure naturæ, vt grauem euadant neceſſitatem, & quæ cenſenda grauis. 163. D

Seruitute quouſque ſolus pater ſubiicere de iure Cæſareo poſſit filiumfamilias, vt grauem euadat neceſſitatem, ibidem.

Seruituti licitè emptioni ſubiicitur, qui ab infidelibus, niſi emeretur, eſſet iuſte interficiendus. 164. D

Seruituti quouſque emptione is ſubiiciatur, qui iniuſtè erat alioqui interficiendus. ibid. E, & ſeq.

Seruituti ſubiici non poſſunt conſanguinei & affines ob delictum alterius, & filij admodum raro. 181. C

Seruituti poſſent matres ſubiicere filios ſuos ad grauem euadendam neceſſitatem, vbi lex non eſſet in contrarium, & patres non reſiſterent. 182. C

Seruitus Aethyopum viris pijs eſt fauenda, interim dum non alia via patet, qua ad fidem perducantur. 192. C

Seruituti licitè bello iuſto ſubiiciuntur innocentes illi, qui partes ſunt Reipublicæ, cum qua tale bellum geritur. 466. B

Seruus à ſeruando dictus. 13. C, 158. E

Seruus pœna quis. 56. A

Seruorum duo genera, famulorum, & mancipiorum. 158. B

Serui vnde mancipia dicti. 157. E

Seruus poſtquam quis legitimè effectus, eiſdem titulis, quibus res aliæ, transfertur in alios. 160. B

Seruus non fit Chriſtianus iure belli alterius Chriſtiani. ibid. C

Serui fiunt innocentes bello iuſto, quamuis interfici non poſſint. ibid. D

Seruus poteſt quis propria ſponte fieri alterius, ſtando in ſolo iure natur. illi, eo quod dominus ſit ſuæ libertatis. 161. E

Seruus vt quis efficiatur vendendo ſeipſum, quæ conditiones de Cæſareo iure neceſſariæ ſint. Illæ vero neceſſariæ non ſunt, vbi leges illæ vim non habent. Item quando venderet ſe is, qui eis legibus ſubiectus non eſſet. 163. B

Seruus eſt, qui ex ancilla & conceptus & natus eſt: ſecus ſi libera erat libera conceptionis, aut partus tempore. Atq; hæc de iure Cæſareo; vbi vero alia eſſet lex, illi eſſet ſtandum. 166. C, D

Seruorum commercium, atq; emptio Luſitanorum ex inſulis promontorij viridis cum finitimis Africæ locis. 167. D

Seruorum commercium, atque emptio Luſitanorum in inſula D. Thomæ, & in finitimis regnis Angolæ, Manicongij, & alijs. 170. B

Seruorum commercium atq; emptio Luſitanorum in Cafreriæ locis. 175. D, E

Seruorum commercium atq; emptio Luſitanorum in India & aliis Aſiæ locis. 176. D

Serui natione Sinæ non videntur legitime in ſeruitutem redacti. 177. D

Serui ex commercio Luſitano an licite poſſideantur & emãtur. 179. B, C

Seruos ementes in vtraq; Guinea, de titulo inquirere tenentur. quo rediganturs, redactiue prius ſint in ſeruitutem, & ad quam diligentiam ac reſtitutionem teneantur, ſi ea poſthabita emant. 181. D, E, & ſeq.

Seruos apud infideles quouſq; emere liceat tẽpore famis, aut alterius grauis neceſſitatis. 182. C

Seruorum emptio vili admodum pretio in vtraque Guinea, & India an licita ſit. 184. C

Serui & alia iure belli acquiſita an indifferenter emi poſſint ex hominibus vtriusq; Reipublicæ bellum illud gerentis, quando de neutra conſtat bellare iniuſte. 186. C

Serui, & alia capta bello, quo vtriq; pugnatur animo aduerſarium ſubiiciendi, ſine alia iuſtitia belli vtriusq;, an licite emi poſſint. 188. A, B

Seruorum emptio, quæ à mercatoribus Luſitanis fit, ſine vlla belli, aut aliorum inquiſitione, damnatur, & quouſq; reſtituere mancipiis ipſis teneantur. 189. B

Seruos quouſq; retinere poſſint, qui eos emerunt ab illis, qui illos in Hiſpanias aſportarunt. Et an licite emi poſſint. 194. B, C

Serui, qui iniuſte captiui retinentur, vt noſtri inter Turcas, fugere poſſunt, & quouſq; occupare bona illorum poſſint 197. C

Seruus bello iuſto captus peccat fugiendo ad ſuos, teneturque ſeipſum reſtituere. 198. E, & 199. A

Seruus Chriſtianus bello iuſto ab infidelibus captus, quibus de cauſis, ſi fugeret ad ſuos, non teneretur reuerti, & quibus de cauſis licite poteſt fugere. 200. A

Seruus captus bello, cuius iuſtitia non eſt ita aperta, quin cõtraria pars iuſte etiam formaliter pugnet, licitè fugere poteſt ad ſuos. ibid. C

Serui ad quæ, & quouſque dominis ſubiaceant. 201. C

Seruus acquirit domino quæcunq; acquirit. ib. E, & 202. A

Seruorum iniuriæ, & damna à dominis illata, ſeruis ſunt reſtituenda & ſatisfacienda. 202. B

Serui iniurias à dominis ſibi illatas iudicibus denunciant, illiq; ex officio procedunt ad dominos compeſcendos ac puniendos. ibid. C

Seruum alienum ledens in corpore, & reſtituere domino tenetur damnum, quod in eum redundat, atq; etiam ſeruo damnũ, quod in corpore tulit. Et iudex vtraq; pœna punire malefactorem debet. 203. B

Seruis matrimonium: vſusque illius, prohiberi non poſſunt, ibid. C

Serui, in quibus euentibus ſibi, & non dominis, acquirant, ibid. D

Serui, licet comparatione domini non ſit iuſtitia & contra-

ctus,

ctus, quæ seruus est, esse tamen potest, qua homo est. ibidem E, & seq.

Serui quibus modis à seruitute liberentur. 204.E

Seruus esse non potest Christianus infidelis dominio Ecclesiæ subiecti. 205.A

Seruus infidelis si à Iudæo, aut Mahometano iurisdictionis Ecclesiæ subiecto circuncidatur, manet liber. ibid. C,D

Seruus genitus à libero ex sua ancilla, quando ipse ac mater libertatem consequantur. ibidem.E

Seruus quando per matrimonium, domino consentiente, libertatem consequatur. 207.A

Seruus in institutione hæredis à suo domino, aut relictus in tutorem filij, libertatem consequitur. ibidem.

Seruus in adoptione in filium à proprio domino libertatem consequitur. ibidem.B

Serui eorum hæreticorum & apostatarum, qui in tribunali inquisitionis damnantur, liberi sunt, stando in iure cõmuni, & de iure Castellæ, si Christiani erant tempore delicti dominorum, & quid in Lusitania. ib.E, & 209.E

Seruus bona fide libertatem præscribit viginti annis (& de iure Castellæ inter præsentes decem annis) quod si bona fide tanquam liber è vita discessit, quinquennio à morte illius liberi præscribunt libertatem, & hæredes illius bona ipsius. 295.C

Seruus bello recuperatus, aut emptus, quando Cæsareo iure ad priorem dominum redeat. 460.A

Seruus neque ad pias causas testari potest, neque si ad libertatem postea perueniat, valet testamentum factum, dum erat seruus. aut esto liber esset, si dubitabat se esse liberum. In hoc tamen vltimo euentu validum est ad pias causas. 506.C

Seruus hæres institui potest, modo dominus, qui per eum debet acquirere, institui possit: alioquin institutio est nulla, nisi postea seruus manumittatur, aut alienetur. 608.D

Seruus eo ipso, quod hæres à proprio domino instituitur, censetur illi dominus concedere libertatem. Idem est, si tutorem proprij filij eum relinquat. Nisi per errorem credens esse liberum, tutorem eum relinquat: tunc enim neque tutor est, neq; libertatem consequitur. ib.E

Seruum suum censetur libertate donare, si tutorẽ relinquat, nisi ignoret suum esse seruum. 956.A

Seruum suum si quis adoptet, liber efficitur. 995.A

Simonia.

Simonia, quatenus iure humano est introducta, & pœnæ omnes simoniacis statutæ, purgantur eo ipso, quod aliquid tale fit Summo Pontifice in ipso consentiente. 373.E

Societas Politica.

Societate in Republica cur indigeat homo, ad eamq; naturaliter inclinetur. 111.D, 113.C

Societas prima, ad quam homo maxime propendet, est maris cum fœmina, vnde familia resultat. 111.D

Societate politica indiget etiam homo propter scientias & artes, atque virtutes. 114.A

Societas Iesu.

Societatis Iesu paupertas qualis, & quædam illi peculiaria. 511.C

Societatis nouitiorum dispositio suorum honorum, itemque cæterorum, qui nondum professi, aut coadiutores sunt, est absoluta absque vlla conditione aut spe, quod ad ipsos regrediantur, etiamsi in societate non perseuerent. 513.B

Societatis professi & coadiutores non succedunt in bonis suorum, neq; domus aut collegia ipsorum loco, sed tanquam mortui reputãtur. Quin si bona aliqua habebant, & de eis non disposuerant, eo ipso, quod ad eos gradus admittuntur, succedunt in illis ipsorum hæredes ab intestato. 512.D,E

Societatis nouitij post ingressum, quo pacto de suis bonis possint disponere ac teneantur. 513.A

Societatis nouitij an testari possint dum nouitij sunt, & reuocare teneantur testamentum ante ingressum factum. 514.A,B

Solemnitas.

Solemnitas testamentorum necessaria non est, vt testamentum validum in se, & in foro conscientiæ sit, sed tanquam sufficiens probatio in foro exteriori, qua secluſa, non aliæ admittetur, nisi eius confessio, qui a interest testamentum esse nullum. 332.D,E

Solemnitas testamenti. Vide testamentum.

Solidum.

Solidi valor. 205.A

Spolia clericorum.

Spolia clericorum ad cameram Apostolicam spectant, vbi eæ constitutiones receptæ sunt, & quid spoliorum nomine intelligatur. 567.D

Spolia ea, quæ ideo cameræ Apostolicæ applicantur, quod indebito modo sint acquisita, ante latam sententiam non debentur. ib.E

Spolia, quæ in Hispanijs, præter Lusitaniam, ad cameram Apostolicam spectent. 568.D

Spolia nullius beneficij in Lusitania, Gallia, Germania, & alijs prouincijs, pertinent ad cameră Apostolicam. ib.E

Spolijs clericorum annumerantur luctuosa, quæ alicubi solũtur Episcopis. 571.A

Sponsalia.

Sponsalia non reuocandi, si quis sub iureiurando soluendi certam pœnam se astringat, pœnam debet, si promissis non steterit. 595.A

Sportulæ.

Sportulæ quid. 349.D

Sportulæ licet interdictæ sint delegatis à Summo Pontifice, consuetudine in contrarium est præscriptum, vt eas accipiant. ibid.E

Sportulæ quousque de iure communi concedantur, ac prohibeantur iudicibus. Omnino eis erant interdictæ iure Lusitano. 352.B

Spurius.

Vide illegitimus.

Stipendium.

Vide accipere.

Studere.

Studeat vt filius, aut quoduis aliud addiscat, quæ insumpserit pater, non tenetur filius conferre, nisi consentiente filio aliud protestatus est pater. Quando tamen filius propria habebat bona, censeretur pater de eis facere eas expensas: posset tamen eas condonare filio. 1042.D

Studiorum sumptus continuare non tenetur parens: qui autem non soluti remanerent tempore mortis talis parentis, tanquam æs alienum essent soluendi de communi aceruo. 1044.A,B

Subditus.

Subditorum & superiorum quale debitum seu iustum. 17.E

Substitutio.

Substitutio directa hæredi non fit codicillo, quod si codicillo aliquis substituatur, benigna iuris interpretatione censetur indirecta. 476.A, B

Substitutiõ in euentu, quo aliquis sine liberis decesserit, quãdo excludatur filius naturalis, & quãdo non. 704.D,E

Substitutio vulgaris aut pupillaris filio facta, non censetur grauamen legitimæ illius. 737.E

Substitutionis definitio. 758.C

Substitutio in legatis etiam, & datione causa mortis, fieri potest. ibid.E

Substitutio hæredi fit etiam codicillis, fideicommissaria tamen. ibidem.

Substitutio indirecta, obliqua seu fideicõmissaria quid. ib.D

Substitutio directa quid. ibid.

Substitutio fideicommissaria admittit Trebellianicam, non vero directa substitutio. ibid.E

Substitutio fideicommissaria locum habet in legatis, & in donatione causa mortis, sed tunc locum non habet Trebellianica. ib.
Substitutionis species septem. ib.E
Substitutionis vulgaris definitio. ib. & 759.A
Substitutio militaris vnde habeat ortum. ib.C,D
Substitutus directus tradi non potest hæredi in tempus, quo iam fuerit hæres, in reliquis substitutionibus, sed solum fideicommissarius: in militari vero tradi potest id in tempus directum. ib.
Substitutionis militaris definitio. ib.
Substitutionis pupillaris definitio. ib.E
Substitutio vulgaris & pupillaris exemplis illustrantur, & quando vtraq; coniungatur. ib.B
Substitutionis exemplaris definitio. ib.C, D
Substitutionis fideicommissariæ definitio. ib.E
Substitutio fideicommissaria fieri etiam potest hæredi ab intestato: directa vero vulgaris non nisi ex testamento. ib.B
Substitutio fideicommissaria fit etiam codicillo. Directa vero vulgaris aut pupillaris non item, sed si codicillo fiat, obligatur, & censetur fideicommissaria. Et quando vna cum fideicommissaria fieri possit codicillo. ib.C
Substitutio in dubio an directa, vel fideicommissaria sit, censenda est directa. 762,B
Substitutus simul directe, & fideicommissarie, eligere potest, quo illorum duorum modorum succedere velit, ib. C
Substituat si quis mutuo multos hæredes, quos in portionibus inæqualibus instituit, tunc si vnus non existat hæres, portio illius accrescit cæteris, non æqualiter, sed iuxta portionem portionum, in quibus instituti sunt. ibidem.
Substitutus ex capite, aut ex parte capitis impotentiæ hæredis, etiam censetur substitutus ex capite voluntatis, aut è contrario, quando aliud non constat de voluntate testatoris: dicitur tamẽ substitutio expresse ex eo capite, quod testator expressit, & tacita ex eo, quod non expressit. 763 D
Substitutio facta verbo communi capitibus omnibus, ex quibus potest aliquis non esse hæres, dicitur expressa verbis generalibus. 764.A
Substitutio, in qua exprimuntur in particulari capita omnia, ex quibus potest quis non esse hæres, dicitur expressa verbis particularibus. ibid.B
Substitutio pupillaris expressa, includit tacitam vulgarem eidem filio factam, quando de contraria testatoris voluntate non constat. ib.
Substitutio vulgaris expressa ex vno tantum capite, aut ex vna tantum parte capitis, si facta sit filio impuberi, includit tacitam pupillarem, quando de contraria testatoris voluntate non constat. 761.A,B
Substitutio vulgaris expirat statim ac hæreditas adita est per hæredem, cui substitutus est datus. ib.
Substitutus vulgaris si impuberi datus esset à patre, licet expressa vulgaris expiret eo ipso, quod impubes hæreditatem adiret, non tamen vulgaris tacita, quousq; ipse ad pubertatem deueniret. ib.C
Substitutio vulgaris expirat, si substitutus antequam impleatur conditio, sub qua est datus, moriatur: neq; enim transmittit ius illud ad hæredes. ib.D
Substitutus vulgaris licet datus sit, hæres tamen quicunque legitimam sibi debitam nondum aditam transmittit iure sanguinis ad ipsius descendentes, & tam iure suitatis, quam deliberandi ad quoscunq; suos hæredes modo illam non repudiauerit. 766.C
Substitutiones quas voluerit, licet facere possit testator in Regno Castellæ circa quintum suorum bonorum: in tertio tamen, de quo inter solos descendentes potest disponere, neque potest in perpetuum: neque ad tempus substitutiones facere, nisi substituendo descendentes, & in eorum defectum ascendentes, & in defectum eorum quoscunque propinquos, & his deficientibus, quos voluerit. ibid.D
Substitutus vulgaris licet sit hæredi datus, hæreditatem tamen non aditam transmittit hæres iure sanguinis ad suos descendentes, & iure deliberandi ad quoscunque ipsius hæredes, excluditurq; substitutus. ibid.& E
Substitutus vulgaris licet sit datus hæredi suo, transmittit tamen hæreditatem non aditam iure sanguinis & deliberandi, perinde ac si hæres suus non esset. 767.A
Substitutus vulgaris licet datus sit hæredi suo substitutione expressa ex captiuitate voluntatis, hæres suus transmittit hæreditatem non aditam, etiam quoad incrementum legitimæ suitatis iure, esto iure sanguinis & deliberandi locum non habeant, ac proinde excluditur substitutus. ibid. C
Substitutus vulgaris licet datus sit legatario, legatum ad ipsius hæredes transmittit, excluditq; substitutum, quando ante legati acceptationem è vita discedit. 768.A
Substitutus si datus sit pluribus, quando, vno non existente hærede, succedat substitutus, & quando non, sed locum habeat ius accrescendi. ib.D,E
Substituere pupillariter quis, & cui possit. 770.C
Substitutio pupillaris, licet, vt valida sit, exigat eum, cui fit, esse sub potestate substituentis, aut esse posthumum, non tamen requirit, vt tempore, quo substitutio facta fuit sub illius esset potestate. 771.A
Substitutio pupillaris facta in testamento nullo ex defectu præteritionis, aut exhæredationis, non inserta legitima causa, valida est hodie. 772.E
Substitutiones vulgares factæ filio, ipso præterito aut exhæredato nõ inserta legitima causa, sunt nullæ eo ipso, quod filius succedat, aut transmittat hæreditatem, qua pater illum priuabat. 773.A
Substitutiones factæ in testamento, in quo filius sit præteritus aut exhæredatus, non inserta legitima causa, nullæ sunt de iure communi, si in eo testamento nullus alius scriptus fuit hæres. ibid.B
Substitutiones factæ in testamento, in quo filius est præteritus aut exhæredatus, non inserta causa, sed tamen instituto in eo alio hærede, valide sunt in Lusitania, sicut de iure communi. ib.C
Substitutiones pupillares & aliæ, an valide sint factæ in testamento, in quo filius est præteritus aut exhæredatus, non inserta causa. ibid.
Substitutio pupillaris facta impuberi, si malitia supplente contraheret matrimonium, expiraret in Castella & Lusitania: secus iure communi. ibid.D
Substitutio pupillaris verbis generalibus quæ. Et quando sub eisdem verbis non censeretur pupillaris, propter inæqualitatem, quæ inter duos, qui eisdem verbis mutuem substituentur, sequeretur. 774.C
Substitutio pupillaris expressa verbis particularibus fit duobus modis. 775.B
Substitutio pupillaris tacita, quando fiat. ibid.
Substitutio pupillaris, quocunque modo expressa sit, excludit matrem, etiam quoad legitimam illi debitam in bonis talis filij, esto bona aliqua ei aduenerint ex linea materna. ib.E, & 776.E
Substitutio pupillaris tacita, quæ in vulgari expressa includitur, non excludit matrem, quin potius illa succedit in omnibus bonis talis filij. Excludit tamen reliquos propinquos filij illius. 776.C,D
Substitutio vulgaris tacita, inclusa in pupillari expressa, excludit matrem. ibid.
Substitutio vulgaris tacita comprehensa in pupillari expressa, non excludit matrem testatoris, nisi substitutus sit ex descendentibus testatoris. ibid.E
Substitutio pupillaris tacita comprehensa in vulgari expressa, ex-

ſa, excludit matrem impuberis, quando ſufficientes coniecturæ ſunt, eam fuiſſe voluntatem teſtatoris, variaque traduntur exempla. 777.A

Subſtitutio vulgaris tacita comprehenſa in pupillari inualida, facta, vel à matre, quæ pubillariter non poteſt ſubſtituere, vel à patre, valida eſt. ib.D,E

Subſtitutio pupillaris, inualida, ſi talis filius hæres exiſtat, & moriatur ante pubertatem, conuertitur in fideicõmiſſariam, tenenturq; hæredes illius ab inteſtato, reſtituere ſubſtituto hæreditatem. 778.C

Subſtituendo pupillariter impuberi poteſt pater imponere grauamina, quæ voluerit, omnibus bonis talis filii, etiam legitimæ, quam ab eo acceperit. Eadem grauamina poteſt imponere hæredibus talis filij ab inteſtato, in eisdem bonis nullum ſubſtituendo filio. Ea tamen omnia grauamina ceſſant eo ipſo, quod pubes ſit. ibid.D

Subſtitutio pupillaris expirat, ſi ſubſtitutus ante impuberem moriatur. Et eo ipſo, quod impubes ſit pubes. ib.

Subſtitutio pupillaris expirat, ſi patre viuente filius poteſtatem illius egrediatur, vt ſi pater religionem profiteatur. Per captiuitatem vero, bello ex parte capientium iniuſto, non expirat. ibid.E

Subſtitutio vulgaris in pupillari comprehenſa non expirat deueniente impubere ad pubertatem, licet tunc pupillaris expiret. 779.B,C

Subſtitutio exemplaris fieri poteſt amentibus, mutis ſimul & ſurdis, ſiue à natiuitate, ſiue ex tempore, modo ſcribere neſciant, atque etiam prodigis. 780.A

Subſtitui debent exemplariter deſcendentes eius, cui fit ſubſtitutio, ſi eos habeat, aut eorum aliquis, inſtitutis reliquis in portionibus ipſis debitis: in deſcendentium defectum, fratres, aut eorum aliquis, & in horum defectum, quicunq; extraneus poteſt ſubſtitui. ib.C

Subſtitutione exemplari facta per alterum coniugum, poteſt alter eidem filio ſimiliter ſubſtituere: & tunc alter ſubſtitutorum obtinebit bona, quæ aduenerunt ex patre, & alter, quæ aduenerunt ex matre: reliqua diuidentur æqualiter inter vtrumq;. ib.D

Subſtituendine ſint exemplariter fratres tantum vterini à matre, & conſanguinei à patre, & num vtriq; coniuncti ſint reliquis præferendi. ibid.E

Subſtituere exemplariter poteſt mater, quæ ad ſecundas nuptias tranſit, modo humaniter, atque honeſte circa filium teſtata ſit. 781.B,C

Subſtituendus non eſt neceſſario exemplariter conſobrinus filius fratris eius, cui ſubſtitutio ſit. ib.D

Subſtitutione exemplari a patre facta ſubſtitutus non præfertur matri. ibid.

Subſtitutio exemplaris valida eſt, eſto filius aliquis indebite prætereatur aut exhæredetur. 782.B

Subſtitutio exemplaris expreſſa verbis generalibus quæ: & cum quibus aliis variis modis coniungatur. ibid.C

Subſtitutio exemplaris expreſſa verbis ſpecialibus quæ, & cũ quibus aliis variis modis coniungatur. ib.E

Subſtitutio exemplaris expirat, ſi is, cui eſt facta, ad ſanam mentem redeat, & reconualeſcat, ſecus ſi teſtamento minime condito ad amentiam redeat, etiamſi iam obierit is qui ſubſtituit. Amenti autem, ſi legitime ante amentiam fuerat teſtatus, non poteſt ſubſtitui exemplariter. 783.C,D

Subſtitutio fideicommiſſaria. Vide fideicommiſſum, & hæres grauatus.

Subſtitutio breuiloqua, ſeu reciproca quid. 815.C

Subſtitutione breuiloqua quæ ſint variæ ſimplices ſubſtitutiones ſoleant complicari. 816.A

Subſtitutio breuiloqua quo ad ſimplices ex quibus conſtat, expirat, quando illa expirant. Mutuæ vero pupillares, aut exemplares, non ex eo expirant ex parte vnius extremi, quod ex parte alterius finiantur. 817.A,B

Subſtitui ad inuicem quando intelligãtur, quando vltimũ hæredum, aut legatariorum, qui è vita diſceſſerit, grauatur reſtituere totum cuidam tertio. ib.D,E

Subſtitutio compendioſa quid. 820.A

Subſtitutio quæ fiat verbis directis, propriis, ac ciuilibus, quæ indirectis & obliquis, & quæ communibus. 821.C

Subſtitutiones variæ compendioſæ plures ac varias ſimplices ſubſtitutiones complectentes, atq; inter eas militarem. ib.D

Succeſſor, & ſuccedere.

Succeſſor vniuerſalis ac particularis, quod ad præſcriptionẽ attinet, quis. 280.A

Succedere per ſtipitem, & per capita quid. 627.E

Succeſſores vniuerſales, cum tamen hæredes non ſint, qui dicantur. 929.E

Succeſſores vniuerſales, qui hæredes non ſunt, eſto inuentarium non conficiant, non tenentur creditoribus & legatariis vltra vires bonorum defuncti. 930.A

Succeſſio illegitimi. Vide illegitimus.

Summus Pontifex.

Vide Pontifex ſummus.

Superficiarius & ſuperficies.

Superficiarius quis. 64.C

Superficiarius & emphyteuta in quo differant. ib.D

Superficiarius contractus ceſſat, reuertiturq; ſolum ad dominum directum eo ipſo, quod id, ad quod ſuperficies cõceſſa eſt, deſtructum. ib.E, & ſeq.

Superficiarius ſi ius ſuum vendere aut transferre velit in alium, perinde tenetur admonere proprietarium, atq; emphyteuta. 65.A

Superficies quando vendatur, aut locetur, & quando quaſi in emphyteuſim tradatur. ib.B

Superficiei res affixæ, ſiue domus, ſiue plantæ ſint, quoad dominium ad proprietarium, non ad ſuperficiarium, pertinent. Idem de emphyteuta. ib.

Superior.

Superiorum, & inferiorum quale debitum ſeu iuſtum. 17.E

Surdus.

Surdus & mutus à natiuitate teſtari non poteſt: itẽ neq; mutus morbo, niſi ſcribere ſciat. Poſſunt tamen facere codicillũ, & donare cauſa mortis. Quod ſi milites ſint, teſtari etiam poſſunt. Quinẽ & alij ad pias cauſas teſtari ppſſunt. 505.B

Suus filius aut hæres.

Suus filius. Vide filius.

Suus hæres: Vide hæres.

Sylua.

Sylua coronæ, aut communes, donari non debent à Regibus, niſi moderatè, iuſtaq; ex cauſa. 225.E

Sylua licite, iis etiam, quibus eſt communis, interdum prohibetur quo ad ſciſſionem, aut certam lignorum ſciſſionem, & quo ad paſtum glandium. 254.E, & ſeq.

Sylua ſi communis ſit, ruteq; prohibitum incolis in ea ligna ſcindere: ad pœnam tenentur lata ſententia, non vero ad reſtitutionem, niſi damnum notabile ſit. 255.A

Sylua communi ſi ſciſſione lignorum notabile damnum datũ ſit, quando & quousque ſit reſtituendum, & quando nẽ. ib.B

Sylua ex aliena, ſiue communi, ſiue priuata, ligna ſcindentes, damnati tenentur ſoluere pœnam & damnum, quãdo eſt in more poſitum, præſumiturque ſyluæ dominos id velle. 256.B

Syluas a Rege conceſſas nõ plus poſſunt prohibere à ligni cædendis, qui eas habent, quam Rex ante conceſſionem prohibere eas potuiſſet priuatis. 257.B

Sylua ex communi populi dominus cædere non poteſt ligna, niſi ſeruata proportione cum aliis in ſuo ordine & gradu. Quod ſi excedant, reſtituere tenetur damna exceſſus. Ad

pœnam tamen nõ tenetur, niſi damnetur, aut illicitè damnari impediat. 259. B

Vide Ligna.

Tabellio.

Vide accipere.

Temperantia.

TEmperantia in voluntate reſidet, tametſi ſimul habitus in concupiſcibili comparetur. 18.E, & 19.A

Tentio.

Tentio & poſſeſſio differunt. 71.C

Tertium & quintum bonorum.

Tertium & quintum accipere poſſunt parentes, in quibus bonis voluerint, iure Caſtellæ, modo valorem non excedant. De illo diſponere poſſunt, vel contractu aut donatione inter vivos, vel per vltimam voluntatem. Poſſunt etiam illis imponere grauamina, & vincula, quæ voluerint: tertio tamen ſolum inter deſcendentes, ſi extiterint, &c. 627.A, B

Tertium & quintum in Caſtella quoad legitimas nihil refert, quod ante quod ſit extrahendum: quoad quantitatem vero quinti, aut tertij, refert multum extrahendum quæ eſt quintum ante tertium. 1026.C

Tertium in Luſitania, & tertium & quintum in Caſtella, vt de eis tempore mortis diſponere teſtator poſſit, intelligenda ſunt de ſola bonis quæ habuerit tempore mortis ſeclufis quæ in dotes, aut alia dederat in vita. ibi. D

Tertium item, & tertium & quintum, ad iudicandum, an quod in vita datum eſt filiabus & filijs, inofficioſum ſit a liys, legitimas illorum contingens, deducitur, ex toto bonorum defuncti acerno, adductis datis in vita: ſed ſi ad matrimonium contrahendum ſint data, qui accepit, eligere poteſt quantitatem bonorum, quæ parentes habebãt quando id dederunt, vel quæ habent tẽpore mortis. 1028 *A, B*

Tertium item, & tertium & quintum, tacitè cenſent vrobligata dotibus, & aliis valide à parentibus datis in vita. ib. C, D, E

Teſtari.

Teſtari nequit de iure communi damnatus morte naturali, aut ciuili. 57.A

Teſtari poſſunt, de iure Caſtellæ damnati naturali aut ciuili morte, quoad ea quæ illis non confiſcantur. 58.A

Teſtari non poteſt cæcus, niſi nuncupatiue, & quæ ſolemnitas de iure cõmuni in eo teſtamento neceſſaria. 487.C, D

Teſtari poteſt miles in imminente morte in bello, vel verbo tenus, vel proprio ſanguine, aut quouis alio modo ſcribendo in terra, ſcuto, vagina, vel quocunq; alio modo valuerit, modo id duobus teſtibus rogatis conſtet. ib. E

Teſtatorem blanditijs & precibus flecti, vt eum hæredem inſtituat, aut legatum ei relinquat, cui alioquin non erat relicturus, ſi mendacia & fraudes abſint, nec diſpoſitionem vitiat, nec onus reſtituendi inducit. 503.B

Teſtatorem inducit precibus importunis, quam raro diſpoſitionem viriet, reſtitutionisq; obligationem inducat, tametſi cum peccato fieri poſſint. ibid. C

Teſtatorem reuerentiali timore induci ad aliquid relinquendum, vt vxorem marito, liberum parenti, peccatum eſt, & quando obligationem reſtituendi inducat. ib. E

Teſtari impediens, aut teſtamentum mutare, peccat contra iuſtitiam, cum onere reſtituendi ei, ad quem ea bona eſſent deuentura, & priuatur fiſco emolumento hæreditatis, etiãſi portio legitima ſit, ipſi alioquin debita. 504.A

Teſtari non poſſunt, qui vſu plenæ rationis non habẽt: tamen vero in lucido intervallo teſtari poteſt, tametſi in dubio præſumendũ ſit lucidũ non habuiſſe interuallũ. ib. C, D

Teſtari non poteſt ſurdus, & mutus à natiuitate, atq; etiam mutus morbo, ſi ſcribere neſciat. Excipitur, niſi ad pias cauſas, & niſi milites ſint. Poſſunt tamen facere codicillos, & donare cauſa mortis. 505.B

Teſtari, etiam ad pias cauſas, quamuis miles ſit, non poteſt impubes id eſt, maſculus ante quatuordecimum, & fœmina ante duodecimum expletum, dies tamen vltimus inceptus, habetur pro expleto. Neq; malitia ad hoc ſupplet ætatem. Princepſque diſpenſare poteſt vt teſtetur. ib. C

Teſtari non poteſt prodigus (etiam ad pias cauſas) cui bonorum adminiſtratio eſt interdicta: ſi tamen ante eiusmodi interdictum teſtamentum confeciſſet, validum eſſet. 506.C

Teſtari non poteſt ſeruus, quin teſtamentum factum tempore ſeruitutis, aut quando dubitabat an liber eſſet, eſt inualidum, etiamſi liber eſſet. Ad pias tamen cauſas factum teſtamẽtum, quando re ipſa liber erat, validum eſt. ib. D

Teſtari non poteſt de iure Cæſareo, qui apud hoſtes captiuus detinetur: ſi tamen antea condiderat teſtamentum, & reuertatur, valet iure poſtliminij. Re tamen vera, ſi iniuſte eſt captus, teſtari poteſt. ib. A

Teſtari, ac donare cauſa mortis non poteſt, etiam ad pias cauſas publicus vſurarius, ſi tamen cautionem præſtare non poſſet, & cum ſignis contritionis diſcederet, ſolutis debitis, cogendi eſſent hæredes implere diſpoſitiones ad pias cauſas. 507.A

Teſtari poteſt excommunicatus, niſi aliter delictum commiſerit, ob quod teſtari non poſſit. ib. D, E

Teſtari non poteſt damnatus ob libellum famoſum. ib. E

Teſtari non poteſt filiusfamilias pubes de bonis aduentitijs, etiam de conſenſu patris, donare tamen de patris cõſenſu poteſt cauſa mortis. De caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus bonis teſtari libere poteſt. 508.C

Teſtari poteſt libere in Regno Caſtellæ filiusfamilias pubes de tertio ſuorum bonorum aduentitiorum, ſi tamen vſusfructus erat patris, cum eo perſeueraret vſque ad mortem, & poſtea filij diſpoſitio impletur. ib. D

Teſtari & donare poteſt clericus filiusfamilias de omnibus ſuis bonis: vſusfructus tamen quem pater ante clericatum habebat in bonis filij, perſeuerat, defuncto filio, apud patrem: in eisque bonis tenetur pater accipere portionem legitimam, quæ in bonis talis filij ipſum contigit. 509.A

Teſtari poteſt filiusfamilias ad pias cauſas ſolum de conſenſu patris. Quod ſi facultatem ad certam ſummam habeat, & permiſceat legata non pia, inualida ſunt, & cedunt hæredibus ab inteſtato. 510.A

Teſtari poſſunt religioſi ante ingreſſum in nouitiatum, & tempore nouitiatus, etiam ſine facultate ſuperioris, & quid de hoc vltimo in noſtra ſocietate. 513.E

Teſtari non poteſt, etiam ad pias cauſas, religioſus profeſſus, aut coadiutor ſocietatis Ieſu. 530.A

Teſtari poſſunt heremitæ, qualis fuit Paulus. ib. B

Teſtari poſſunt Commendatarij Hiſpaniarum, exceptis D. Ioannis. 532.C

Teſtandi facultas à ſolo ſummo Pontifice concedi poteſt, etiã licite ex rationabili cauſa. ib. E

Teſtandi facultas concedi ſolet à ſummo Pontifice religioſis beneficiarijs. 533.B

Teſtandi facultas concedi non ſolet religioſis ſimplicibus, qui in monaſterijs degunt, & ex qua cauſa poſſet concedi, ibid.

Teſtandi facultas concedi ſolet religioſis, qui vel non in perfecta communitate, vel in ſeculo viuunt. ib. C, D

Teſtandi facultas religioſo conceſſa, cenſetur ſolum ad pias cauſas, quando aliud non exprimitur. ib.

Teſtandi facultas non expirat morte concedentis, neq; finitur vno actu, ſed reuocari poteſt teſtamentum, & condi aliud, neq; neceſſe eſt vt in teſtamento exprimatur, condi tum eſſe ex priuilegio. ib. & E

Teſtandi facultas extenditur ad donationem cauſa mortis, & codicillum. ib.

Teſtari poſſunt beneficiarij etiam ſi Epiſcopi ſint, de omnibus ſuis bo-

ſuis bonis, quæ reditus beneficij non ſunt. 565.A

Teſtari poteſt beneficiarius de ijs reditibus ſui beneficij, quæ congruæ ſuæ ſuſtentationi ſubtrahit, vel quibus vltra ſuſtentationem eſt dignus, quamuis raro in exteriori foro hæc locum habeant. ib.D

Teſtari poteſt beneficiarius de æquali portione fructuum beneficij, ſi aliquid de aliis ſuis bonis inſumpſit, quod de reditibus poterat inſumere, neque animum habuit ea non cõpenſandi. Idem de bonis Eccleſiæ. ibid.E

Teſtari non poteſt beneficiarius ſtando in ſolo iure canonico de reliquis ſui beneficij, niſi de modicis ad quædam pia, & in gratificationem. 566.A

Teſtari non poſſunt Epiſcopi in Hiſpanijs de reditibus Epiſcopatuum, ſed in Luſitania pertinent ad ſucceſſorem, in alijs Hiſpanijs ad cameram Apoſtolicam. 569.A

Teſtatur beneficiarij (exceptis Epiſcopis) in Caſtella de reditibus ſuorum beneficiorum, ſuccedunt q; in illis hæredes ab inteſtato, & quid de Gallia, & Luſitania. ibid.B

Teſtandi ius poteſt tribuere conſuetudo beneficiarijs, etiam Epiſcopis, ad vſus pios de reditibus beneficiorum. 572.C

Teſtando ad non pia de portione notabili bonorum beneficij quæ in pijs erat expẽdenda lethaliter peccant beneficiarij, aut ſua culpa diſcedendo ab inteſtato, quando deuenire debent ad conſanguineos diuites, nihil conſuetudine in contrarium impediente. 574.C

Teſtandi de fructibus beneficiorũ ad non pia concedere poteſt ſummus pontifex ex rationabili cauſa facultatem beneficiarijs, etiam Epiſcopis: ſecus ex irrationabili, obtentaque non valet. 575.A

Teſtandi facultas beneficiarijs conceſſa abſolute intelligenda eſt ad ſolos vſus pios. ib.B

Teſtari quis poteſt de ijs, quorum hæres eſt capax, in reliquis inteſtatus diſcedere. 617.E

Teſtatus partim quoad tempus, & partim inteſtatus diſcedere non poteſt, niſi miles. Vnde limitatio temporis in hæredis inſtitutione habetur pro non appoſita: ſi tamen ex probabili ignorantia iuris, quis ita teſtatus diſcederet, conferretur grauare hæredem, vt tranſacto eo tempore reſtitueret bona hæredibus ab inteſtato. 618.D, E

Teſtari, qui alium prohibet, hæreditatem, & quæcunque alia bona ex illo ei obuenientia amittit fiſco. 745.B

Teſtatoris voluntas mutari per executores non poteſt, quando poteſt impleri, & irrationabilis illicitaque non eſt. 1072.E, & 1073.A

Teſtatoris voluntas per Epiſcopum & executores mutari non poteſt, quando poteſt impleri, irrationabiliſque & illicita non eſt, & mutatio non intelligitur ex præſumpta eſſe teſtatoris voluntate. 1073.C,D

Teſtatoris voluntatem ſolus ſummus pontifex aut ſupremus princeps ſecularis poteſt mutare, ex iuſta tamen, & rationabili cauſa. ib.

Teſtatoris vltima voluntas à ſede Apoſtolica commutata, mãdari nõ poſſe à executioni, niſi prius Epiſcopus loci ſũmarie cognoſcat ſi ut præces, quas oportuit, fuiſſe oblatas. ib.E

Teſtatoris voluntas circa aliquid pium ſi executioni mandari non poſſit, non cedit hæredibus, ſed Epiſcopi, aut executorum arbitrio conuerti in aliud debet teſtatoris voluntati quam maxime conſentaneum. 1074.B

Teſtamentum.

Teſtamentum.

Teſtamenti ſolemnitas non eſt neceſſaria, vt teſtamentum ſit bonum in ſe, & in conſcientia foro ſit, ſed tãquam probatio tantum in foro exteriori, qua ſeclusa non alia admittitur, niſi eius confeſſio, cuius intereſt eſſe nullum. C

Teſtamentum ſolemne validum eſt in foro conſcientiæ

ſolumne naturalem obligationem pa-

ib.&353.A

Teſtamento minus ſolemni hæres inſtitutus, non ſolum occupare, & retinere poteſt hæreditatem, celareque teſtamenti defectum, ſed etiam ceſſante ſcandalo, facere occultam compenſationem, ſi hæredi ab inteſtato in exteriori foro hæreditas adiudicetur. 334.D

Teſtamentum vnde dictum. 474.B

Teſtamentum quid. ib.D

Teſtamentum iure communi, niſi in eo hæres inſtituatur, eſt nullum. 475.A

Teſtamenta duo eiuſdem teſtatoris valida eſſe non poſſunt, ſed ſecundum irritum reddit primum, niſi ſint militis, & conſtet voluiſſe valere vtrumque. ib.C

Teſtamentum in Luſitania, quando teſtator aſcendentes, aut deſcendentes habet, non indiget hæredis inſtitutione, quia tacite cenſetur inſtituere aſcendentes, & deſcendentes in portionibus illis debitis. 476.C

Teſtamentum in Regno Caſtellæ hæredis inſtitutione non indiget. ib.D

Teſtamentorum, aliarumque vltimarum voluntatum diſpoſitiones, quouſque de iure gentium ac naturali, & quouſque de iure ciuili ſint. ib.E

Teſtamẽtum in ſcriptis ſeu clauſum, & teſtamentum nuncupatiuum ſeu apertum quid. 477.C,D

Teſtamenti in ſcriptis ſolemnitas iure Cæſareo requiſita. ib.

Teſtamenti in ſcriptis ſolẽnitas iure Luſitano requiſita. ib.E

Teſtamenti in ſcriptis ſolemnitas iure Caſtellæ requiſita. 478.E

Teſtamentum in ſcriptis hæredis manu ſcriptum, quando neceſſario non erat inſtituendus, aut aliunde non conſtat teſtatorẽ inſtituiſſe illum hæredem, inualidum eſt in foro exteriori: ſecus in interiori ante latam ſententiam. Et cur regulariter id vim non habet in teſtamento nuncupatiuo. 479.B

Teſtamenti nuncupatiui ſolemnitas iure communi requiſita. 480.B,C

Teſtamenti nuncupatiui ſolemnitas iure Luſitano requiſita. ib.D

Teſtamentum voce tenus quando valeat in Luſitania. ib.E

Teſtamenti nuncupatiui ſolemnitas de iure Caſtellæ. 481.A

Teſtamenti publicatio quando neceſſaria, & quomodo fiat. ib.C

Teſtamentum non abſolutum, eſt omnino inualidum. 481.B,C

Teſtamentum nuncupatiuum de iure communi, & voce tenus tempore mortis in Luſitania factum, ſi non conſtat teſtatorem vlterius progredi voluiſſe, ſed res eſt dubia, validum eſt. ib.

Teſtamentum vt ſit validum, non ſatis eſt, ſi hæredis inſtitutio nutibus fiat, ſed neceſſe eſt, vt ſcripto, aut voce qualicunque exprimatur. Valet tamen nutibus facta in foro conſcientiæ. ib.D

Teſtamentum eſt validum, ſi hæredis inſtitutio per remiſſionem ad ſecundam, in qua nomen eſt ſcriptum, fiat. ibid.

Teſtamentum, vt validum ſit, fieri debeat cum ſolemnitate requiſita in Regno, in quo ſit, non vero vnde eſt teſtator, aut vbi mandari debet executioni. 481.B,C

Teſtamentum vt ſit validum, tales debent eſſe teſtes, vt alioquin inhabiles ad teſtificandum non ſint, vt eſt infamis, niſi communiter habilis putaretur. ibid.

Teſtamentum vt ſit validum, qui alij à teſtium numero illius reijciantur. ib.D

Teſtamenti validus teſtis eſt religioſus, licet male faciat, ſi abſque præſumpta ſuperioris facultate teſtis ſit. ib.

Teſtamentum vt ſit validum, debent eſſe teſtes in præſentia teſtatoris, eumque videre. 484.A

Teſtamentum vt ſit validum, quot teſtes ſufficiant in Luſinia, ſi in eremo, aut vbi pauci habitant, fiat, idem ſi ob peſtem, aut aliam ſimilem cauſam plures non poſſint adhiberi. ib.B

Testamentum rusticorum, vt de iure communi sit validum, satis est, si quinque testes adhibeantur, si testentur, vbi plures adhiberi non possint. ib.C,D

Testamentum in tempore pestis de iure communi factum, testes alio quin necessarios exigit, vt sit validum. ib.

Testamentum nuncupatiuum, quando ob pestem, aut aliâ causam plures testes adhiberi non possunt, quot, vt sit validum, de iure Castellæ sufficiant. 485.A

Testamenti inter liberos solemnitas de iure communi, sufficiunt que duo testes, etiam si fœminæ, aut non rogati sint. ib.C

Testamentum inter liberos cum minore solemnitate validū, si admittatur hæres alius, inualidum est quoad illum, portioq; illius liberis accrescit. Legata tamen, non liberis relicta, valent. 486.B

Testamentum, etiam inter liberos illegitimos, valet quoad portiones, quas fas est illis relinquere. ib.D

Testamentum inter ascendentes non valet cum duobus testibus. ib.D,E

Testamentum ex aliis capitibus, quæ ex defectu solemnitatis inter alios nullum, inualidum etiam est inter liberos. ib. & seq.

Testamentum inter liberos eadem solemnitate indiget in Regno Castellæ vt sit validum qua indiget inter extraneos. 487.A

Testamentum factum coram principe superiorem nō recognoscente validum est sine alia solemnitate. ib.C

Testamentum militis, hoc est, in expeditione factum, valet cum duobus testibus, etiam fœminis, modo sint rogati. Et testari potest, etiam si mutus sit, valetque testamentum, modo miles intra annum postquam ab expeditione est reuersus moriatur. ibid. & D

Testamentum iure militis condere possunt omnes, qui in castris reperiuntur, modo in loco sint hostili. ib.E

Testamentum cæci inter liberos non alia solemnitate eget, quam testamenta aliorum inter liberos. 488.B

Testamentum cæci quam solemnitatem in Lusitania & Castella habere debeat. ib.C

Testamentum concedere intendens testator, & adhibens solemnitatem ad codicillum necessariam, & nō ad testamentum, neque valet dispositio vt testamentum, neque vt codicillus, nisi clausulam apponat codicillarem. 492.A

Testamentum in quibus euentibus clausulam codicillarem tacite, aut virtute habere censeatur. ib.C,D

Testamentum in terris Ecclesiæ validum est cum duobus testibus & parocho, aut cum quatuor testibus, etiam fœminis. 496.B

Testamenta, etiam clericorum, confecta extra terras Ecclesiæ, iudicari in seculari & Ecclesiastico foro debent iuxta solemnitatem iuris ciuilis. ib.E, & 497.A

Testamentum tunc conditum censetur in causam piam, quando hæres causa pia instituitur, aut ad causam piam via substitutionis deuenit hæreditas. secus si solum legata pia in eo relinquantur. 498.D

Testamentum si ex eo sit validum, quia conditum ad causā piam, valida sunt legata non pia in eo relicta, nisi solum esset facultas testandi ad pia. ibid.E

Testamentum, in quo quis animam suam hæredem instituit validum est, esto nullus alius hæres instituatur, & censeatur ad pias causas. 499.B,C

Testamentum legatum, aut quatis alia ad pias causas dispositio, vt valida sint: satis sunt duo testes, etiam fœminæ, esto reliqua ad non pia simul statutta inualida sint. ib.B

Testamentum aut alia dispositio ad pias causas valida in se sunt. esto nullus testis adhibeatur, testes vero duo solum necessarij sunt ad probationem in foro exteriori. 500.B

Testamentum ad pias causas nutibus factum, validū est ibidem D

Testamentum, aut dispositio ad pias causas, ideo imperfecta, quia cum animum illo pacto disponendi haberet testator, morte præuentus id non fecit, est nulla: secus ea, in quæ disposuit aliquid ad pias causas, & morte præuentus nō est vlterius progressus: valida quippe sunt, quæ ita disposuit. ib.E, & seq.

Testamēta, aut alia dispositio ad pias causas alterius voluntatt commissa, valida est. 501.A,B

Testamentum, aut codicillum non facere, quando culpa lethalis sit, & quando non. ib.E, & 606.C,D

Testamentum aut alia vltima dispositio, si ob metum, vim, deceptionem, aut ignorantiam, ita inuoluntaria mixte sint, quod, his seclusis, non fierent, vellet que disponens, vt ad alium ea bona peruenirent, inualida est. 502.C

Testamentum publici vsurarij est nullum, nisi vsuras soluat aut de illis soluendis cautionem præstet. 507.A,B

Testamentum nouitij non gaudet priuilegio militis quoad solemnitatem. 516.E

Testamentum factum à nouitio, aut dum ingredi religionē parabat, professione non annullatur. 517.A

Testamentum factum ab eo, qui de ingressu religionis nondum cogitabat, professione non annullatur. Excipitur, nisi quando ingressus est, dixisset, se & omnia sua bona offerre monasterio. eo namq; ipso ab antiqua voluntate recedere censeretur. ibid.D

Testamentum si condiderat religiosus ante professionem, neque aliud in eo expresserat, emissa professione pertinent bona illius ad monasterium quoad vsumfructū, interim dū talis religiosus vivit, & non ad hæredem eo testamento institutum. Quod si hæres ante religiosum moriatur. pertinent plene iure ad monasterium. 520.B,C

Testamentum si condiderat religiosus. ad cuius bona ius non habet monasterium statim professione emissa, bona illius pertinent ad hæredem institutum, sunt que continuo illi tradenda. ib.

Testamentum reuocare non potest religiosus professione emissa, quod ante illam condiderat, idque etiam in fauorem monasterij. ib.D

Testamentum conditum à religioso ante facultatem testandi, ea superueniente, validum redditur. 521.D,E

Testamentum & quamcunque aliam vltimam voluntatē beneficiarij ad non pia de reditibus beneficij, potest reddere valida consuetudo, vt ad quæcunque prohibita testentur, ita vt accipientes ex illo titulo dominium comparēt, & ad restitutionem non teneantur. 572.C

Testamentum si beneficiarius non condat, valida est consuetudo, vt bona illorum ex beneficijs parta ad hæredes perueniant ab intestato. 573.D

Testamentum si beneficiarius non conficiat, consuetudo est præscripta in Hispaniis, vt in eorum omnibus bonis succedant hæredes ab intestato. 574.A

Testamentum vt condere deinceps beneficiarij de bonis beneficiorum non possint, neque in eis succedere possint hæredes ab intestato, condere potest legem summus Pontifex, nihil consuetudine in contrarium impediente. ibid.B

Testamentū, & quæuis alia vltima voluntas vsque ad mortem reuocari ac mutari potest. 598.A

Testamentum in mortis discrimine confectum, valet, nisi reuocetur, si testator à periculo liberetur: secus de donatione causa mortis. 589.D

Testamento si hæres sub hoc forma instituatur, aut relinquatur legatum: si ex hoc morbo è vita discessero, quando iudicandum sit valere euadente illum morbum. ibid.E

Testamentum de re non illicita iuramento illud non reuocādi firmatum, absque periurio reuocari non potest. 591.C

Testamentum duobus modis potest iuramento confirmari. Vno reuocationem non impedit, altero, impedit. 594.A

Testamentum non reuocare si quis promittat, sub iureiurando se astringendo soluendi certā pœnam si illud reuocauerit, pœ-

rit, pœna debetur testamento reuocato. 595.A

Testamentū iuramento illud non reuocandi confirmatum, si reuocetur, non solum periurus est testator, sed etiam hæredes ab intestato, aut ex secundo testamento, tenentur illud in conscientiæ, & exteriori foro implere. 596.B

Testamenti non reuocandi facultatem adimere quis sibi valide potest ex consensu & autoritate principis. 597.A

Testamentum duo, aut plures simul, de communiq; consensu possunt condere. ibid.E

Testamentum à duobus factum de communi consensu, mortuo vno, potest alter, quoad id, quod ad ipsum spectat, reuocare. 598.A

Testamentum fraude eo pacto confectum, animo ex parte alterius illud reuocandi mortuo altero, aut si ipse prius sit in discrimine vitæ, quantam restituendi obligationem inducat. ib.B,C

Testamentum ab vno tantum conditum de bonis, etiam alterius ex illius facultate, morte testantis confirmantur, ita vt alter superstes, etiam quoad bona, circa quæ facultatem concessit, non possit illud reuocare. ib.D

Testamentum reuocatum censetur confectione alterius validi in se, esto nō adeatur ex illo hæreditas, quamuis sit, quia hæres mortuus est ante testatorem. 600.A

Testamentū secundū sub conditione de præsenti, aut de præterito, quæ existit, reuocat primū testamentū, secus si non existit, illud etiā reuocat si sit sub quacunq; de futuro, etiāsi non impleatur, & sub conditione impossibili cognita vt tali, quoniam habetur pro non apposita. ib.B

Testamentum secundum inualidum non reuocat primū, nisi in primo institutus esset extraneus, & in secundo hæres ab intestato cum quinque testibus Et quid in Lusitania, & Castella. Vide ibi alia circa hæc. ib.C,D

Testamēti reuocatio verbo coram duobus testibus facta, quia testator dicat, quod hæres sit indignus, se illud reuocare, valet, sed hæreditas tunc ad fiscum deuoluitur. 602.A

Testamenti reuocatio in foro conscientiæ valet quocunque modo fiat, quando constat voluntatem testatoris fuisse, vt illud non valeret. ib.B

Testamentum si rumpatur à testatore, aut ab illo cancelletur solemnitas necessaria, aut aliud testamento substantiale, idque nō à casu, sed de industria, eo ipso censetur reuocatum. Quod si solum cancelletur pars non substantialis, quoad id solum censetur reuocatum, nisi tabellio illud sanet. ib C,D

Testamenta duo eiusdem temporis, & eodem modo confecta, si habeat testator, si vnum rumpat, validum est remanens. ib.E

Testamentum nuncupatiū si sit apud tabellionem, & transumptum apud testatorem, illudque testator rumpat, nō censetur reuocasse testamentum, nisi aliud de voluntate ipsius constet. ib.& 603.A

Testamenta diuersa eodem die confecta si reperiantur apud testatorem, neque constat quod fuerit posterius, neutrum valet, & quid quando constat vere vtrumque fuisse à testatore confectum. ib,B

Testamentum posterius nō reuocat primum in quo est clausula annullans posteriora nisi in secūdo sufficiēter ei clausulæ deroget tur. Idem censendum est de testamento habente virtute clausulam derogatoriam posteriorum, & quæ eiusmodi testamenta sint. ib.D,E

Testamentum cum iuramento illud non reuocandi, clausulem censetur habere derogatoriam sequentium testamētorum. ibid.

Testamentum cōditum inter liberos virtute clausulam habet derogatoriam sequentium inter extraneos. secus si sequens sit inter liberos. 604.A,B

Testamento siquis apponat clausulam ita derogatoriam sequentium, vt à se auferat potestatem mutandi testamentum condirum, est nulla. ib.D

Testamentum in quo clausula generalibus verbis derogatoria sequētiū apponitur, quo pacto reuocari debeat. 605.A

Testamentum in quo clausula derogatoria cum particulari nota apponitur, quo pacto debeat reuocari. ib.B,& C

Testamentum inter liberos, aut iuramento confirmatum, si etiam habeat expressam clausulam derogatoriam sequētium quo pacto reuocari debeat. ib.E,& 606.A

Testamentum habens clausulam derogatoriam sequentium quando constat testatorem intendisse illud reuocare, in conscientiæ & exteriori foro censetur reuocatum, esto nō apponerentur verba ad id alioquin necessaria. 606.B

Testamentum posterius iuramēto confirmatū derogat quod cunq; prius cū quacunque derogatoria clausula confectū, nisi cum iuramento promissorio illud non reuocandi esset confirmatum. ib.

Testamentum inter liberos quando derogat prius cum derogatoria clausula confectum. ib.C,L

Testamentum secundum post ortas inimicitias inter testatorem & hæredem confectum sine clausula derogatoria, an deroget prius cum derogatoria clausula conditū, 607.C

Testamentum est nullum, etiā quoad legata non pia, in quo is solus hæres instituitur, qui hæreditatis est incapax. De iure tamen Castellæ valida sunt. 909 A,B

Testamenti solemnitas quæ in testamēto patris sufficit inter legitimos, sufficit inter illegitimos. 672.D

Testamento nullo existente ob indebitam præteritionem aut exhæredationem, valida nihilominus est nominatio in eo facta ad emphyteusim. 709.C

Testamentum siquis condere, aut mutare prohibeat, quas pœnas incurrat, & quando prohibuisse censetur 722.D

Testamentum, in quo institutus est hæres, si is falsi accuset, perseuerans vsque ad vltimam sententiam pronuntietur que verum fuisse amittit hæreditatem fisco, etiā tanquā procurator, aut aduocatus alterius, illud accuset, nisi sit tutor, aut curator minoris cuius nomine id efficiat, aut nisi esset fiscalis procurator. 745.C

Testamentum nullum redditur, etiam quoad legata, si nullus hæredū institutorum in illo hæreditatem adeat: secus de iure Castellæ, excipiuntur legata pia, & quæcunque alia, si clausula fuit apposita codicillaris, aut ideo hæreditas non est aditæ, quia testator falcidiam detrahi prohibuit. 756.D,E

Testamentum conditum ad pias causas, in quo anima testatoris instituta est hæres, aut pauperes, vel captiui, aut definita sint opera, in quibus debeant bona insumi, nullo alio instituto hærede validum est. 1080.E

Testamentum ad non pias causas, in quo nullus institutus est hæres, inualidum est de iure communi, & in Lusitania, etiam si executores vniuersales in eo sint relicti. ibid.A

Testamenti insinuatio, quando testator erat laicus, fieri debet coram iudice seculari, & non coram Ecclesiastico, esto executor, aut hæres Ecclesiasticus sit: contra fieri debet si testator erat Ecclesiasticus, & promiscue coram vtroque si testator erat laicus, & testamentum ad pias causas. 1077.C

Testamenta si testator tempus præscripsit, intra id implenda sint: quod si dixit, impleantur intra primum annum, si minus intra secundum, &c. finito primo anno ostendere debent, se intra illum implere non potuisse, tempus autē à testatore, aut lege præscriptum à die scientiæ, & hæreditatis aditæ incipit currere, esto à die mortis sit præscriptum. ib.D,E

Testamentorum executio. Vide executio.

Vide Testari.

Testis.

Testis necesse est excedat annos pubertatis tempore, quo testificatur, non tamen tempore de quo testificatur, nisi quando expresse statutum est in iure, vt statutum est circa testamenta. 312.E, *& seq.*

Teſtis accipere poteſt expenſas itineris, & pretium laboris, ſi quem notabilem ſubeat accedendo ad teſtificandum, valorem operarum aut lucri ceſſantis, quibus ſe priuat, eaque illi debentur: ſi quid tamen, vt verum dicat, accipiat, peccat, teneturque id reſtituere. 344.A

Teſtis iuſſus, ſolum ex obedientia & charitate tenetur teſtificari: quare ſi quid celet, aut ſe abſcondat ne teſtificetur, non contra iuſtitiam, ſed contra charitatem atque obedientiam peccat, neq; regulariter tenetur reſtituere. ibidem B

Teſtis prohibitus eſt quicquam accipere tam pro vero, quam pro falſo teſtimonio, & ſi quid acceperit, comperiatur, repellitur eius teſtimonium. ib.C

Teſtis qui extra domicilium ad teſtificandum accedit, accipere poteſt integras expenſas, & non ſolum incrementū vltra id quod domi inſumit. 348.B

Teſtis qualis ad teſtamenta. Vide teſtamentum.

Thesaurus.

Theſaurus quid. 238 C

Theſauri & alia, quæ cum domino careant, quondam illum habuerunt, in Luſitania ad Regem non ſpectant, ſed ſolū vacantia bona preſſe ſumpta. 240.B, & E

Theſaurus arte prohibita inuentus ad fiſcum ſpectat. 246.E

Theſaurus inuentus de iure communi ad quem, aut ad quos pertineat. ib.

Theſaurus inuentus in agro, quem quis emit ſciens ibi latere. totus eſt inuentoris. 247.C

Theſaurus in loco ſacro, aut Eccleſiæ inuentus, pertinet quoad medietatem ad moderatorem eius Eccleſiæ. 248. C

Theſaurus in fundo dotali repertus, quoad partem, quæ fundi domino debetur, pertinet ad vxorem: vſus tamen conſtante matrimonio pertinet ad virum. ibid. D

Theſaurus in prædio maioratus repertus, quoad portionem, quæ domino prædij debetur, pertinet præcipuè ad poſſeſſorem tunc maioratus. ibid.E

Theſaurus in prædio locato, aut cuius aliquis vſumfructum habet, quoad portionem domino fundi debitam pertinet ad dominum directum. ibid E, & ſeq.

Theſaurus repertus in feudali, aut emphyteutico fundo quoad portionem, quæ domino fundi debetur, diuidendum eſt inter proprietarium, & feudatarium, aut emphyteutam. 249. B

Theſaurus à communi ſeruo inuentus, quando inter dominos ſit diuidendus. ibid.E

Theſaurus in Caſtella inuentus, pertinet quoad ſolum quartam partem ad inuentorem: quoad alias vero tres ad regem. 250.C

Timor reuerentialis.

Timore reuerentiali vxorem à marito, liberum à parente induci, vt aliquid ipſis aut alteri relinquat, peccatū eſt, & quando reſtitutionis obligationem inducat. 503.E

Titulus.

Titulus dominij ac iuris quid. 143.D

Titulus quis verus, & quis præſumptus. 44.A

Titulus non verus, ſed præſumptus ad præſcribendū requiritur, qui transferre dicitur vſucapiendi conditionē. 275.C

Torneamenta.

Torneamēta & haſtiludium, ſi ſine probabili periculo mortis aut mutilationis fiant, habita ratione vtilitatis, quæ ex eis reipublicæ, atque Eccleſiæ prouenit: licita ſunt, alioquin illicita. 444.E, 445.A

Traditio.

Traditio regulariter eſt neceſſaria, præter titulum ad comparandum dominium. Et in quibus euentibus dominium ſine illa comparetur. 41.A, B

Transmittere.

Transmittit hæreditatem ad quoſcunque ipſius hæredes, qui illa adita ex hac vita diſcedit. 749.C, D

Transmiſſio hæreditatis delatæ, & nondum aditæ locū non habet, niſi in tribus euentibus. ibid.

Transmittit hæres ſuus ad quoſcunq; ipſius hæredes nondum aditam hæreditatem, modo illam, dum viueret, non repudiauerit. ibid.E

Transmittit hæres ſuus inſtitutus ſub conditione poteſtatiua non aditam hæreditatem quoad ſuā legitimam, ſecus quoad incrementum. Ex facultate illam repudiandi iure prætorio introducta non impeditur transmittere etiam incrementum. 750. C, D

Transmittunt hæredes deſcendentes, ſiue ſui ſint, ſiue non, hæreditatem non aditam, iure ſanguinis ad ſuos tantum deſcendentes. 753. B

Transmittunt illegitimi iure ſanguinis ſuis deſcendentibus portiones, in quibus ex præſcripto iuris ſuccedunt ſuis aſcendentibus. ib. C, D

Transmiſſio deſcendentis locum non habet ſanguinis iure, ſi inſtitutus fuit ſub conditione pendente in futurum, quæ modus non ſit, & ante conditionem impletam moriatur. Excipe legitimam, ſi legitima debita illi erat. ib.E

Transmiſſio hæreditatis iure deliberādi omnibus hæredibus, atque ad quoſcunque ipſorum hæredes intra quantum tempus competit. 754.B

Transmittit legatarius ad ipſius hæredes legatū, ſi mortuus fuit poſt teſtatorem, & legatum erat purum, hoc eſt, in diem incertum, aut aliter ſub conditione in futurum, transmittit vero rem ipſam, ſi legatum erat res determinata in individuo, alioquin ius vt ſoluatur cum hypotheca. 757.A

Transmittitur legatum ad hæredes in diem incertum, aut aliter ſub conditione pendente in futurū, quando conditio tempore mortis legatarij erat impleta: ſi vero impleta non erat, pertinet ad ſubſtitutum, aut collegatarium, & in horum defectum ad hæredes teſtatoris: conditio autem tacita transmiſſionem non impedit. ib.B, C

Transmiſſio legati locum non habet in habitatione, vſu, vſufructu, fructus tamen percepti ex vſufructu vſque ad legatarij mortem transmittuntur. ibid.D

Transmittit legatarius: cui ſubſtitutus vulgaris eſt datus, ad hæredes ſuos legatum, excluditque ſubſtitutum, quando ante legati acceptationem ex hac vita diſcedit. 768 A

Transmittit fideicommiſſarius ius ſuum ad hæredes ipſius, ſi poſt teſtatorē ante reſtitutionis tempus moriatur, quando ſub conditione vlterius pendente non fuit relictum: ſecus autem ſi conditio pendebat, nam tunc eo ipſo legatum expirat. Et, quando tempus reſtitutioni deſtinatum includere cenſeatur conditionem, & quando non. 800.D, E

Transmittitur ad hæredes legatum in diem certum eo ipſo, quod legatarius poſt teſtatorem hæreditate adita ante eum diem moritur. 876.D

Transmiſſio legati in diem incertum relicti non fit: ſi legatarius poſt teſtatorem, aditamque hæreditatem, ſed ante aduentum eius diei moriatur. Excipitur, quando dies non in gratiam hæredis, ſed ſolius legatarij apponitur. 877. A

Transmittuntur legata, aut hæreditas ſub modo relicta, modo nondum impleto, quando modus impleri poteſt, per ſucceſſorem, teneturq; ſucceſſor illum implere. 889.C

Transmiſſio, vide Subſtitutus vulgaris.

Trebellianica.

Trebellianica locum habet in fideicommiſſaria ſubſtitutione, non vero in directa. 758.E

Trebellianica qua ratione introducta. 784. B, C

Trebellianicam amittit hæres grauatus, ſi coactus à iudice hæreditatem adeat. ibid.E, & ſeq.

Trebellianica quando habet locum. 788. C

Trebellianicæ origo, & vnde dicta. ibid D, E

Trebellianicam nō extrahit fideicommiſſarius vnus, qui alteri reſtituere eſt grauatus, niſi hæres quaſi donando eam illi remiſiſſet. 789.B.C

Trebellianicam vltra ſuam legitimam deducit de iure communi deſcendens grauatus reſtituere hæreditatem ſub conditione, aut non ſtatim mortuo teſtatore: ſi verò purè & ſtatim deducit alteram, quam maluerit: idem de aſcendente grauato. In Caſtella verò & Luſitania nihil præter legitimam deducit. ibid.E

Trebellianicæ extractio prohiberi poteſt, etiam codicillo, & neceſſaria eſt prohibitio expreſſa, ſaltem verbis generalibus, vnde ſufficienter mens teſtatoris intelligatur. 794.C

Trebellianicæ deductio, etiam filijs primi gradus prohiberi poteſt. 795.A

Trebellianica deduci non poteſt à fideicommiſſo cauſa pia relicto, niſi hæres grauatus ſit etiam cauſa pia. ibid.E, & 796.A

Trebellianica detrahi non poteſt à fideicommiſſo relicto, & apud certos ſucceſſores permaneat. 796.B

Trebellianicam detrahit hæres grauatus, etiamſi inuentarium non conficiat. 944.C

Trebellianica. Vide Fructus.

Tributum.

Tributa, & cenſus, quæ Principi in ſignum ſubiectionis debentur, nullo tempore præſcribi poſſunt. 300.D

Tributa, vt alij à Principe ſoluuntur, non præſcribuntur ſine titulo, niſi tempore, de cuius initio nulla exter memoria, ſine fama, aut vehementi præſumptione malæ fidei, alioquin neque eo tempore præſcribuntur. 310.A

Tributa aduerſus Regem præſcribi non poſſunt cum titulo, niſi ſpatio centum annorum. ibid.B

Triennalis poſſeſſio.

Triennalis poſſeſſio litis conteſtatione non interrumpitur, quamuis, ſi per ſententiam pronuncietur, rem ad alium pertinere, ſit illi reſtituenda. 319.C, D

Tutor.

Tutorem proprij filij, ſi dominus ſeruum ſuum relinquat, cenſetur illi donare libertatem, niſi ignorans ſeruum eſſe id faciat: nam tunc nec tutor, nec liber eſt. 608.E, & 956.A

Tutor & curator locum non habent comparatione eius, qui ſub patria eſt poteſtate. 948.A, B

Tutor impuberi, etiam inuito, vſq; ad pubertatem completam datur: modò nec mancipium, nec ſub patria poteſtate ſit, præcipuè datur perſonæ, ſecundario rebus omnibus, ſaltem quæ in aliqua prouincia ſunt. ibid.E

Tutor locum habet comparatione filij emancipati viuente patre. ibid. & 949.A

Tutor teſtamentarius quis, à quo tradatur, matri impuberis præfertur, & ſatisdare non tenetur. 950.C, D

Tutor dari poteſt à patre filio exhæredato, & tutor datus à patre in teſtamento minus ſolemni, confirmandus eſt à iudice, nec ſatisdare tenetur. ibid.E, & ſeq.

Tutorem poteſt tradere pater filio naturali, ſi licitè aliquid illi relinquat, vel dederit dum viueret, eſtq; confirmandus a iudice, nec ſatisdare tenetur. 951.A

Tutorem poteſt tradere pater filio emancipato, & eſt confirmandus a iudice ſine ſatisdatione, & inquiſitione. ib.B

Tutorem ſi det mater filio, quem intra legitimam inſtituerat, approbandus eſt à iudice ſine vlla ſatisdatione, & inquiſitione quoad bona matris: quoad alia leuè inquiſitionem tenetur facere an dines, & idoneus ſit: ſi verò ſolum in legitima illum inſtituat, aut legatum illi relinquat, tenetur iudex facere diligentem inquiſitionem, compertoq; eum idoneum eſſe: tenetur eum approbare ſine ſatisdatione, alioquin illum non approbat. ib.C

Tutorem ſi extraneus relinquat impuberi quem inſtituat, & qui nulla alia bona habeat, approbandus eſt à iudice ſine inquiſitione, & ſatisdatione. ibid.D

Tutor legitimus quis, & non habet locum datiuus quando adeſt legitimus. ibid.E

Tutore teſtamentario non exiſtente, mater præfertur cæteris in tutela, etiam comparatione filij naturalis, ſi acceptare illam vellet, tenetur tamen renunciare Velleiano, & cæteris priuilegijs, quod ſi ad ſecundas nuptias tranſeat, aut luxurioſe viuat, amittit tutelam, & bona, etiam ſecundi mariti, manent hypothecata pro tutela, & eſſo reincidat in viduitatẽ ad tutelã nõ admittitur. 952.A, B

Tutores legitimi non ſunt parentes comparatione filiorum ſpuriorum, poſſunt tamen eſſe datiui. ibid.

Tutelæ nepotis præfertur auia deficiente matre, ſed eo modo quo mater: in Caſtella tamen & Luſitania aque tutores ſunt omnes quatuor aui ſuperſtites, & mares fœminis præponuntur. ibid.D, E

Tutores legitimi in defectum aſcendentium ſunt omnes maſculi propinquiores in gradu pupillo, & qui ſint ex eis deputandi, &c. 953.A

Tutor eſt legitimus patronus comparatione liberti, deficientibus aſcendentibus talis pupilli. ibid.C

Tutor datiuus quis. Datur à iudice domicilij patris, aut vnde traxit originem, vel matris, ſi incertus ſit pater, vel à iudice, in quo natus eſt pupillus, ſi ibidem commoretur, & locus eſt præuentioni, & an detur à iudice loci vbi pupillus habet maiorem ſuorum bonorum partem, ibid.E

Tutorem ſi non petat mater pupillo intra annum à morte patris, aut alius propinquus, qui ei ſuccedere debet, & in pupillari ætate decedat, amittit ius omne ad bona illius. etiam ex ſubſtitutione: hoc tamen vim non habet ante latam ſententiam. Et quiuis de populo tutorem illi poteſt petere, & iudex nullo petente tenetur dare ex officio. 954.D

Tutores & curatores qui eſſe non poſſint. 956.A

Tutor eſſe poterit mater, eſto minor viginti quinque annis ſit. ibid.E, & ſeq.

Tutor aut curator eſſe non poteſt religioſus. 957.A

Tutores aut curatores Teſtamentarij aut datiui eſſe non poſſunt clerici in ſacris, ſed ſolum legitimi, non tamen tenentur: miſerabilium vero perſonarum, quarum bona alioquin perirent, eſſe poſſunt. ib.C

Tutor aut curator eſſe non poteſt debitor, aut creditor, eius, cui eſt adhibendus, & qui excipiantur. 958.A, B, D

Tutor aut curator eſſe non poteſt, qui bona ſua habet fiſco obligata. ib.& E

Tutor aut curator eſſe non poteſt, qui militiam exercet. ibid. & ſeq.

Tutor eſſe non poteſt, qui à patre datus inimicitias cum illo poſtea exercuit, neque cum eo eſt reconciliatus, item neq; qui minori eſt inimicus. 959.A

Tutor aut curator eſſe non poteſt, qui ad adminiſtrandum bona minoris perpetuum habet impedimentum. ibidem B, C

Tutores & curatores ne ſint, qui excuſationem habeant. 958.D

Tutores, & curatores quam ſatisdationem dent: qui excipiantur, & quid de conſuetudine Caſtellæ & iure Luſitano. 963.D, E, & ſeq.

Tutoris, & curatoris ſi iudex competentem ſatisdationem non accipiat, competit actio ad intereſſe aduerſum illum ei, cui tutor aut curator eſt datus. 964.E

Tutoris & curatoris bona hypothecata tacite ſunt minori à puncto tutelæ aut curæ ſuſceptæ. ib.

Tutores & curatores quod iuramentum præſtare debeant, quando tutelam, aut curam ſuſcipiunt. 965.B

Tutores & curatores inuentarium omnium bonorum tenentur facere coram tabellione. Et num coram iudice, præſertim in Caſtella & Luſitania. ib.D, E, & 968.A

Tutori & curatori remittere poteſt teſtator inuentarij confectionem: tametſi non quoad legitimas filiorum: & nihilominus iudex poteſt præcipere, vt circa alia etiam bona fiat, ſi expedire viderit. 966.B, C

Tutor & curator, quando eis remiſſa non eſt confectio inuentarij,

sientarij, nihil agere possunt ante illud, nisi vrgeat necessitas, & quæ pericula illis immineant, si ante illud confectum aliqua agant. ibid.D

Tutor & curator personæ minoris habent curam, licet tutor præcipue. 969.B

Tutores & curatores qualiter minorum bona administrare debeant. 971.B

Tutores & curatores quæ bona minoris sine iudicis decreto vendere, & alienare possint. ib.C

Tutor & curator, & personæ illi subiectæ, emere non possunt bona minoris, emptioq; est nulla, & quæ pœnæ sint statuta. ib.E, & 972.A

Tutores & curatores quid facere debeant de pecunia minoris. 972.D,E

Tutor & curator quæ minoris bona sine iudicis decreto alienare non possint. 973.E

Tutor & curator sine decreto iudicis alienare possunt bona quæcunque minoris, quando testator id permisit, etiam testamento minus solemni. 976.D

Tutor aut curator vt bona minoris alienent, quis iudex interponere debet decretum. ib.E

Tutor solus agit causas pupilli infantis, aut infantiæ proximi: hic vero licet nulli alij possit obligari, potest tamen alterum sibi obligare. 977.A,B

Tutorum & curatorum præmium. 981.E

Tutela finitur perueniente minore ad pubertatem, adeo vt si quid postea tutor administret, non teneatur ad id fideiussor, multis præterea alijs modis. 982.D,E

Tutor & curator quam rationem, & cui reddere teneantur, suntq; ipsorum bona tacitè hypothecata minori. 983.B

Tutor & curator suspectus quis. Et quinis de populo potest de eo crimine accusare. ibid.

Tutor aut curator de suspecto accusatus, liteque contestata, suspendendus est, neq; valent acta deinceps per eum, & interim adhibendus est alius. 984.C

Tutor aut curator remotus, quod dolo aliquid egerit aduersus minorem, eo ipso est infamis: secus si lata culpa, aut alia minori. ibid.D

Tutor aut curator, arrogare non potest minorem sibi commissum. 992.E

Tyrannis.

Tyrannis, Oligarchia, & Democratia quid. 120.A,B

Vacantia bona.

Vacantia bona quæ, ad fiscumq; spectant. 238.E

Vacantia bona peregrini per Episcopum in pias causas sunt distribuenda. 239.A

Vacantia bona quænam iure Lusitano in redemptionem captiuorum concessa sint. ibid.B

Vacantia bona præsè sumpta in Lusitaniæ Regno pertinent ad fiscum, non vero thesaurus & alia, quæ cum aliquando dominum habuerint, nunc domino carent. 240.C

Vacantia bona præscribuntur cum bona fide, etiam sine titulo, aduersus fiscum quadriennio, modo denunciatio eorum sit facta fisco. 299.D,E

Valor pecuniæ.

Valor pecuniæ ad res comparandas decreuit multiplicata pecunia, rerumque pretia accreuerunt, vt experientia in Hispaniis à sexaginta annis compertum est. 345.B

Venatio.

Venari feras, stando in solo naturali ac gentium iure, cuique licet, etiam in agro alieno. 216.A

Venator excitans suis canibus feram, aut ita percutiens, vt moraliter eum esset capturus, ad ipsum solum pertinet, licet alius etiam interficiat, aut capiat. Quod si solum sit occasio, vt alter eam caperet, tota est capientis. Si vero sit concausa, diuiditur inter vtrumque. 219.A,B

Venatorio instrumento animal captum, ad eum spectat totum, qui instrumentum exposuit, nisi euaderet, si ab alio nō extraheretur: tunc enim diuiditur inter vtrumq; ibi.

Venatio rationabili ex causa potest prohiberi, & re ipsa multipliciter est prohibita. 221.D

Venatio Ecclesiasticis quousque prohibita, & si ex periculosa venatione mors alicuius sequatur, quando irregularitatem incurrant. ibid.E, & 222.A

Venatio religiosis quousque prohibita ac indecens. ibid.C

Venari potest quinis de iure communi prohibere alios in agro suo, nisi ius sit penes alium: vt est in saltibus Principum. ibid.E

Venandi ius potest quis habere in agris alienis, & quasi seruitutem, vt solus ipse possit ibi venari, vt habent Principes in saltibus ipsorum quoad hoc. 223.B

Venari potest quinis de iure Lusitano in agro alieno, nisi septus sit. ibid.

Venari prohibere potest vnaquæq; communitas in terris suis extraneis, stando in solo iure naturali & cōmuni, quamuis interim, dum non prohibentur, venari licitè possint. ibidem.

Venandi loca sibi solis, pœnaq; alijs sibi venantibus statuere, quousque Principibus, & magnatibus liceat. 224.A,B

Venationem & piscationem rerum aliquarum, lucri ac reditnum gratia, quousq; liceat principibus sibi reseruare, ibid. & C

Venandi interdicta loca, non debent temerè magnatibus, & alijs concedere, & qua ratione multa in Lusitania concessa videantur. 225.C

Venandi qui loca habent interdicta, quousque restituere teneantur damna, quæ dederint feræ. 226.E

Venari aut piscari alium iniustè prohibens, ad quantam restitutionem ei teneatur. 231.A,B

Venatione capta tempore, aut instrumento prohibitis, obnoxia non sunt restitutioni. Neq; regulariter in ea venatione culpa lethalis interuenit. ibid.D

Venatio ex eo illicita, quia, quod capitur, ad alium quoad dominium spectat, ex suo genere culpa est lethalis, cum onere id restituendi, etiam ex parte rei acceptæ. 232.A

Venans vbi alius solus ius habet, peccat contra iustitiam, teneturq; soluere pœnam, si damnetur, & restituere damnum, si quod inde illi alteri euenit, sumum tamen efficit, quod quando capit, quando feræ in sua naturali erant libertate: quare qui ab illo emit, aut dono accepit, licitè id facit, ad nullamq; restitutionem tenetur. 234.C,D

Venatione captum ex vastissimo principis saltu, modica aut nulli restitutioni obnoxium est. 235.A

Venans in saltu prohibito deprehensus ac soluens pœnam, an insuper restituere teneatur damna. Et quid de damnis in saltibus, quando pœna non soluitur. ibid.B,C

Venans aut piscans in agro alieno inuito domino, stando in iure communi, finem efficit, quod capit: restituere tamen tenetur domino agri, si quod lucrum ea ratione illi cessauit. 236.A

Venantes restituere tenentur damna, si quæ satis, & alijs rebus venando inferant, & quando lethaliter ea inferendo peccent. 237.A

Venæ metallorum.

Vide Metallorum venæ.

Venditio.

Venditione sine traditione solum comparat emptor ius ad rem, & ideo, si vendatur & tradatur alteri, comparat secundus dominium, nihil impediente priore venditione. 31.A

Venditio nisi consummata sit per traditionem, non incurritur ob eam pœna statuta aliquid vendentibus. 365.C

Vendita à Turcis & Saracenis, quæ bello iniusto ceperant, obnoxia ne sint restitutioni, an non. Idem de rebus Ecclesiarum, quas Lutherani vendendas asportant. 461.C

Venditio, quæ pater vendit rem aduentitiam filij, est nulla, potestq; filius illam vendicare, esto emptor ignoranter illam emisset. 923.B

Venia ætatis.

Venia ætatis quid, & quibus concedenda, atq; ad alienandum mobilia ceſſat beneficium reſtitutionis in integrum minori, qui veniam ætatis obtinuit. 975.B

Venia ætatis non prodeſt, vt quis obtineat, quod illi erat reſtituendum, cum legitimæ eſſet ætatis. ib.E

Verba teſtamenti varia.

Verba directa, indirecta, communia, propria, ac ciuilia quæ. 821.C

Vltima diſpoſitio, ſeu voluntas.

Vltimarum voluntatum (excepto teſtamento) ſolemnitas de iure communi neceſſaria. 500.B

Vltimam diſpoſitionem non vitiat conditio de facto aut de iure impoſsibilis, ſed pro non adiecta habetur. 880.E

Vltima voluntas ſub conditione poteſtatiua facta, impleri debet conditio poſt mortem teſtatoris: niſi conditio ita rabilis non ſit: nam tunc ſatis eſt eſſe impletam viuente teſtatore. Secus ſi ſub conditione caſuali aut mixta ſit facta. 882.D

Vltima diſpoſitio. Vide Modus, & Teſtamentum.

Vindicatiua iuſtitia.

Vindicatiua iuſtitia affinis eſt commutatiuæ, eſt tamen pars iuſtitiæ potentialis. 25.D, E

Vindicta.

Vindictam iuſtam ſumere poſſet familia vna de alia, aut pagus vnus de alio, quando ſuperiorem non haberent: ſecus priuatus vnus de alio, à quo iniuriã eſſet paſſus. 411.B

Virtus.

Virtutum aliarum comparatione, & iuſtitiæ, quo modo diuerſimode ſumatur medium. 8. A

Virtutis opus ſine peccato ſit propter lucrum, aut commodum temporale. 378.A, B

Virtutis opus, ad quod quis tenetur, licite ſuadetur, offerendo ei munera, ſi id efficiat, & licite accipiuntur, modo de donantis animo conſtet. ibid.A

Vir.

Viri in vxorem poteſtas quanta, eſtque naturalis iuris. 111. E, & 112.A

Viſitatores.

Viſitatores prohibiti ſunt munera accipere tam perſe, quàm per ſuos. 350.D, E

Voluntas vltima.

Voluntates vltimæ quot. 473.E

Voluntas vltima quid. 474.A

Voluntatum vltimarum diſpoſitio quousq; de iure gentium ac naturali, & quouſque de iure ciuili ſit. 476.E

Voluntatum vltimarum (excepto teſtamento) ſolemnitas de iure communi neceſſaria. 489.E

Voluntatem vltimam teſtatoris ſolus ſummus Pontifex, aut Princeps ſupremus ſecularis poteſt mutare ex iuſta & rationabili cauſa. 1072. D

Voluntates vltimæ à ſede Apoſtolica commutatæ mandari non poſſunt executioni, niſi prius Epiſcopus loci ſummariè cognoſcat preces, vt oportet, fuiſſe oblatas. 1073.B

Voluntas teſtatoris quoad aliquid pium, ſi executioni mandari non poſſit, non cedit hæredibus, ſed Epiſcopi & executorum arbitrio conuerti debet in aliud, quàm maxime teſtatoris voluntati conſentaneum. ibid.

Vide Modus & teſtamentum.

Votum.

Vota perſonalia puberis cur irrita non poſſit reddere curator, poſſit verò tutor vota impuberis. 950.A

Vrbanum prædium.

Vrbanum prædium quid. 68.E, 69.A

Vſucapio.

Vſucapio in iure Cæſareo & apud Latinos quid. Ex vſucapione apud illos reſultabat exceptio ſeu præſcriptio, à qua tituli de longi temporis præſcriptione. 362.B

Vide Præſcriptio.

Vſufructuarius.

Vſufructuarius dominus an ſit dicendus. 40.C

Vſufructuarius quousq; conſeruare teneatur animalia, quorum eſt fructuarius. 49.D

Vſufructuarius quousq; ſubſtituere teneatur vites, & alias plantas. 50.A

Vſufructuarius quando fructuum comparet dominium, & quando pertineant ad proprietariũ, aut illius hæredes. ibid.B

Vſufructuarius quam cautionem reddere debeat. 51.A

Vſufructuario quæ non liceant circa vſum. ibid.

Vſufructuarius qualẽ habeat adminiſtrationẽ bonorũ. ib. E

Vſufructuarius quos ſumptus facere teneatur, & qui ad proprietarium ſpectent. ibid.

Vſufructuarius pater in bonis filij cauere non tenetur, & ad quos ſumptus teneatur. 54.D

Vſufructuarius poſſidet ciuiliter, & naturaliter vſumfructum, poteſtq; proinde illum præſcribere. 75.A

Vſufructuarius non legalis ſi inuentarium non conficiat, in nullam incidit pœnam: tenetur tamẽ requiſitus illud efficere: & ſi à iudice efficere iuſſus id non faciat, iuratur aduerſus eum in litem, incidit q; in alias pœnas, ſi iudex eas illi ſtatuerit. 945.B

Vſufructuario eiuſmodi an remitti à teſtatore poſſit inuentarij confectio, ſuperuacanea quæſtio. ib.E, & 946.A

Vſufructuarius pater in bonis filij licet non teneatur inuentarium conficere, quando tamen tempore traditionis non conſtaret quæ ea eſſent, tenetur pater in conſcientiæ foro catalogum eorum facere, & ad id poteſt in exteriori cogi. Et quid de iure Luſitano. 946.D, E

Vide vſumfructum.

Vſurarius.

Vſurarius publicus ſicut teſtari non poteſt, ita neque donare cauſa mortis. 507.A

Vſurarius publicus neque ad pias cauſas teſtari, aut donare cauſa mortis poteſt. Si tamen cautionem præſtare non poſſet, & cum ſignis contritionis diſcederet, ſolutis debitis, cogendi eſſent hæredes implere diſpoſitiones ad pias cauſas. ib.D

Vſusfructus.

Vſusfructuarius an dominiũ vtile ſit dicẽdus habere. 40.A, B

Vſusfructus definitio. 49.C, D

Vſusfructus ancillæ, partum illius non comprehendit. 50.A

Vſusfructus formalis, & cauſalis quid. ib.D

Vſusfructus proprie, & improprie quid. In hoc dominium, tranſit in fructuariũ, reſq; ipſi pereunt: in illo non item. ibid.D

Vſusfructus alienari nequit ſine proprietary facultate: bene tamen vtilitas illius poteſt in alium tranſferri, quæ ius eſt diſtinctum ab vſufructu. 52.B

Vſusfructus legalis vnus, conuentionalis alius. 53.B

Vſusfructus legalis eſt patris in bonis aduentitiis filij familias. ibid.

Vſumfructum pater in eis non habet, quando filio bona ea lege dantur, vt pater, vſumfructum eorum non habeat, niſi filius neceſſario in eis ſucceederet. ib.C

Vſumfructum pater in eis item non habet, quando eum condonat filio: & quando, & quousq; tacite cenſeatur eum illi condonare. ib.E

Vſumfructum non habet pater in eis bonis filij, quæ, patre renuente, filio donantur, aut relinquuntur. 54.B

Vſumfructum non habet pater in vſufructu filii: tametſi habeat in bonis emphyteuticis, & feudalibus. ibid.

Vſumfructum non habet pater in bonis à Rege, Regina, vel Principe donatis filio, etiamſi patris intuitu illi donentur. ib.C

Vſusfructus conuentionalis quot modis conſtituatur. Et peculariter de eo, qui vltima voluntate conſtituitur. ibid B

Vſusfructus ſex modis finitur. 55.D

Vſusfructus adium ita finitur deſtructis illis, vt neq; maneat vſusfructus areæ. Excipitur in vſufructu patris in bonis aduentitiis. ib. & E

Vſusfructus alicui & hæredibus conceſſus de ſolis proximis intelligitur. ibid.

Vſusfructus ciuitati, communitati, aut pio loco conceſſus ſine temporis præfinitione, conceſſus cenſetur ſpatio centum annorum. 56. A

Vſusfructus hodie maxima & media capitis diminutione amittitur. ibid, E

Vſusfructus maxima aut media capitis diminutione, vel damnatione ad mortem naturalem in Caſtella, & Luſitania non amittitur. 58. B

Vſusfructus eius, cuius bona confiſcantur, in Caſtella, & Luſitania pertinet quoad vtilitatem ad fiſcum vſq; ad mortem illius, cuius bona confiſcantur. 59. B, C

Vſusfructus tamen patris in bonis filij, quando pater ob crimen hæreſeos condemnatur, à puncto delicti regreditur ad filium, neq; pertinet ad fiſcum. ibid. & D

Vſumfructum amittit pater bonorum, quæ filius poſt maximam aut mediam capitis diminutionem ſuam aut patris acquirit, eo quod eo ipſo filius patriam egrediatur poteſtatem. ib. & E

Vſusfructus patris in bonis filii per crimen hæreſeos filij, & condemnationem non ceſſat in patre, quoad bona, quæ ante crimen erant filij. ibid. C, D

Vſumfructum, quem pater amittit in bonis filij, quia filius delicto aut capitis diminutione ſua, aut patris, egreditur patrisn poteſtatem, regreditur ad patrem, ſicut & patria poteſtas, ſi à Principe ad ſtatum priſtinum is reſtituatur, qui à gradu decidit. 61. A

Vſusfructus fideicommiſſi, aut bonorum maioratus, pertinet quoad commoditatem ad filium, interim dum fideicommiſſum non expirat, aut vuit maioratus, quando bona fideicommiſſarij, aut maioratus ob ipſorum delictum confiſcantur. ibid. B

Vſusfructus per fructuarij profeſſionem non expirat in religionibus, quæ bonis religioſorum ſuccedunt, ſed commoditas ad monaſterium pertinet, dum talis religioſus vixit, idemq; eſt in vſufructu patris in bonis filij. ibid. C

Vſusfructus cum titulo conceſſo ab eo, qui non poterat illum concedere, decem annis præſcribitur inter præſentes, viginti inter abſentes, & triginta ſine titulo. 293. A

Vſusfructus, quem pater habebat in bonis aduentitijs filij, perſeuerat cum patre vſq; ad mortem patris poſt ſuſceptos à filio ordines ſacros. 509. D

Vſusfructus, quem pater religioſus habebat in bonis aduentitijs filij remiſſa profeßione pertinet ad monaſterium, interim dum talis filius in Luſitania & Caſtella matrimonium non contrahit. 521. D

Vſumfructum, quem pater habebat in bonis aduentitijs filij, non amittit pater per profeßionem filij, quin potius mortuo filio perſeuerat apud patrẽ, toto tempore vitæ ipſius. Bonorum vero, quæ filio poſt profeßionem aduenunt, vſusfructus, non ad patrem, ſed ad monaſterium ſpectat. 522. C, D

Vſusfructus bonorum, quæ filio poſt profeßionem patris aduenitunt, non ad monaſterium, ſed ad filium ſpectat. ib. E

Vſusfructus perſeuerat cum parente, in cuius poteſtate erat filius defunctus, toto tempore quo pater vixerit, eſto bona ita verunq; parentum ſint diuidenda. 637. A

Vſumfructum de iure communi non habebat pater in portionibus, quæ filijs adueniebant ex morte fratris, cui vna cum parentibus coexhæredes exiſtebant, & quo pacto intelligendum. 638. C, D

Vſusfructus, & adminiſtratio bonorum aduentitiorum filiifamilias, pertinet ad patrem. 993. E

Vſumfructum in bonis aduentitijs filiifamilias amittit pater, ſi ab adminiſtratione amoueatur, quod illa diſtribuit ſolum alimenta, illi de reditibus traduntur alimenta, ſi his indigeat. 995. A

Vſumfructum in bonis filij amittit pater eo ipſo, quod pater in hæreſim incidit: hæreſi autem filij licet non amittat vſumfructum in bonis, quæ filius ante hæreſim comparauit, amittit tamen in bonis acquiſitis poſt hæreſim filij. 1002. B

Vſusfructus bonorum, quæ filius tempore emancipationis habebat, retinet pater dimidium: in Luſitania vero nihil. 1004. A

Vſusfructus bonorum aduentitiorum filij pertinet ad patrem, exceptis nonnullis euentibus. 1012. A

Vſusfructus bonorum aduentitiorum filij perſeuerat integer defuncto filio in ſolo patre toto tempore quo vixit. Excipitur in Luſitania, quando matrimonium celebratum erat contractu mediet atis bonorum. ib. B

Vſusfructus idem perſeuerat in Caſtella eodem modo in auo comparatione nepotum, quando filius coniugatus, antequam velaretur è vita diſcederet. 1013. A

Vſusfructus idem in Caſtella non perſeuerat cum patre, quoad tertium bonorum filij, quando poſt pubertatem de eo filius diſpoſuit. ibid. C

Vſusfructus idem non perſeuerat cum patre, ſi erat bonorum maioratus, aut alia ratione reſtitutioni obnoxius. ib. D

Vide vſufructuarium.

Vſus.

Vſus quid. 43. D

Vſus interdum ſumitur pro actu vtendi, interdum pro iure vtendi. 44. E

Vſus caſualis, & vſus formalis quid. 45. B

Vſus latè vt comprehendit vſumfructum, & preßè. ibid. C

Vſus quantum tribuat iuris. ibid.

Vſus quot modis conſtituitur, ac finitur. ibid. E

Vſus iuris eligendi, & ſimilium, cum ſcientia & patientia eius, ad quem id prohibere ſpectat, inducit poſſeßionem, eſto non adſit titulus, modo tamen ſiat intentione vtendi iure ſuo, & actus non ſit talis, vt ex circumſtantiis creditur pro tunc ſolum permiſſus, præſcribiturq; ſine alio titulo. 83. C

Vſus iuris tempore, cuius initij non extat memoria, poſſeßionem, & præſcriptionem ſine titulo inducit, modo de mala fide non conſtet. 84. B, C

Vſus cum vero titulo & ſcientia ac patientia, inducit poſſeßionem incorporalium, vt ſeruitutum & aliorum iurium. 82. B

Vſus & titulus, cum ſcientia & patientia veri domini, ſufficit ad dominium, aut quaſi dominium, rerum incorporalium comparandum, licet non ad poſſeßionem, quando tertius alius eſt in poſſeßione. ib. C

Vxor.

Vxor in adulterio deprehenſa, & adulter, quando in continenti dicuntur interfici à marito. 90. B

Vxores communes in Republica eſſe debere, Socrates & Plato aſſeuerunt. 100. B

Idem fuit Apoſtolicorum error. 102. B, C

Vxor acceptum ob adulterium, non ſecus tradere tenetur marito, ac acquiſita labore manuum ſuarum. 384. E, & ſeq.

Vxor & vir ſibi mutuo ſuccedunt ab inteſtato in omnibus bonis, ſi conſanguineus deſit, vſque ad decimum gradum, qui ſuccedat, & inter illos non ſit diuortium, atque de Luſitano iure vir vxorem in dominum ſuam receperit. 644. C

Vxor quando ſine dote nupſit, in qua portione cum filiis ſuccedat neceſſario marito. ib. D

FINIS.